JOHN CARTER BROWN
LIBRARY

Purchased from the
Trust Fund of
Lathrop Colgate Harper
LITT. D.

J. Georg Schad.

Societatis Jesu Augustæ 1618.

DIES CANICVLARES
Hoc eſt
COLLOQVIA TRIA ET VIGINTI PHYSICA, NOVA ET PENITVS admiranda ac ſumma iucunditate concinnata,

per

SIMONEM MAIOLVM EPISCOpum Vulturarienſ.

QVIBVS PLERAQVE NATVRAE ADMIRANDA, QVAE aut in æthere fiunt, aut in Europa, Aſia atq; Africa, quin etiam in ipſo orbe nouo, & apud omnes Antipodas ſunt, item mirabilia arte hominum confecta recenſentur, ordine, quem ſequens pagina tertia indicabit.

OPVS COLLECTVM EST

Ex
- Sacris litteris.
- Sacris earum interpretibus.
- Sacris, ſanctorumque hiſtoriis.
- Philoſophis, qui naturas rerum enarrarunt.
- Profanarum hiſtoriarum omnifariam ſcriptoribus.
- Atteſtationibus eorum qui Orbem, tum Mari, tum continenti peragrarunt.
- Aliis auctoribus non paucis, qui ſparſim, & obiter de hoc argumento tradiderunt.

Editio altera priori auctior & correctior.

MOGVNTIÆ, Ex Officina Ioannis Albini, curante Ioanni Theobal. Schönvvetter & Conrado Meulio.
M. D. CVII.

REVERENDO ADMODVM IN CHRISTO PATRI AC DOMINO D. STEPHANO WEBERO MOGVNTINENSI SVFFRAGAneo, Reuerendiſsimi & Illuſtriſsimi D.D. WOLFFGANGI Archiepiſcopi Moguntini Principis Electoris, in Pontificalibus Vicario, SS. Theologiæ Doctori, mecœnati ſuo ſumme obſeruando.

PTolomæum olim Regem Demetrius Phalereus adhortabatur, eorum vt ſibi librorũ copiam compararet, quibus regni adminiſtrandi quædam ratio ſuggeritur, iiſq; legendis operam daret; ſolet enim vſu accidere, quod, de quibus amici monere non audent, libri ipſi memoriã faciãt. Prçclara illa Demetrij vox multis Typographis animum iniicit, vt non modo ardentiori contentione ferantur ad nouarum rerum argumenta in lucem proferenda, ſed vetera etiam nouis typis ſubiicienda, ita meo acceſſit prelo, opus Reuerendiſſimi Patris ac Domini Simonis Maioli Epiſcopi Aſtenſis, in

quo ingenij ſui lucem poſteris inſperſit hanc, im-
preſſione mea, orbi vniuerſo diſſeminatam obtinge-
re volui, iuſtis ad hoc quorundam precibus impul-
ſus; nec erat quod iis me difficilem prȩberem, quem
recti atque æqui ratio impelleret. Verum cui hanc
conſecratam in editione eius libri operam relinque-
rem, non occurrit alius Reuerende Pater tua huma-
nitate dignior, multa ad id mihi faciundum argu-
mento fuêre; cum inſignis ad ſtudia omnia ardor,
tum in plurimos liberalis animi ſignificatio, & ma-
xime beneficia in me collata, quæ animi mei incli-
nantem affectum in P. T. vrgebant. Proinde
Mecœnatis optimi meritis, hanc gratæ mentis vi-
cem repono, inducens in animum hoc opuſculum,
oblectationi fore ei, qui Philoſophicis quæſtiuncu-
lis gaudet ac reficitur, quarum iucundiſſimarum
materia excellit. Accedit extremum quod cum ab
Epiſcopo concinnatum acceperim, non abs re feciſ-
ſe viderer, ſi in Epiſcopalis officij dignitate conſtitu-
to dedicarem. P. T. hoc clientis obſequium eo fa-
uore ac beneuolentia complectetur, quo tot anno-
rum ſpaciis me meaq; proſecuta eſt. Francofurti ad
Mœnum Idus Martij, Anno 1600.

R. P. T

Obſeruantiſs.

Ioannes Theobaldus Schönvvetter Moguntinus, ciuis & bibliopola Francofurtenſis.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

QVanquam ante paucos ab hinc annos abſoluiſſem opus iſtud, hærebam tamen, ac verebar in lucem emittere, ne mihi homini Epiſcopalem ferenti ſarcinam vitio daretur, quod leuibus ſtudiis, in tantis rerum neceſſitatibus tempus contriuiſſem. Præcipue verò editionem remorabatur, quod iam antea omnem operam grauioribus ſtudiis impenderam, quando, ad excolendum optime clerum, irregularitatum incredibili labore, ex adeo ingenti codicum numero, libros concinnaſſem, & edidiſſem: quando etiam contra hæreſes, ac quando iuſſu Pontificũ omnium grauiſſimam Pontificalem ex omnifariam, & omnium nationum authoribus hiſtoriam conſcriberem; in quibus ſtudiis abſoluendis vix ad ipſas ſcalpendas aures vlla ſupereſſe poſſe videbatur hora, ne dicam ad leuiſſima ſtudia, qualia ſunt naturæ miracula, in quibus plerumq; fabulas admiſcuiſſe authores animaduertimus. At nihilominus deliberaui tandem opus excudere, amicorum, qui me permittente, illud peruoluerunt, hortatu; quod dicerent, & in hiſce rebus, tametſi leuibus, latere plerumq; res plurimas, ac ſententiarum maxima pondera inde excogitari: & de rebus infimis poſſe authores alte diſſerere, & qui publice declamare ſolent, poſſe ſuas perorationes maximum in modum exornare, amplificareq; Dei ſummã prouidentiam, quæ maximũ in modum elucet ipſa rerum creatione. Illuſtris enim eſt omnis oratio, ſi inſigniores naturæ, ac rerum quarumlibet proprietates appoſite, & opportune commemorẽtur, quod nos ordine ſeruato adnixi ſumus, præter id, quod ornatum videtur opus ipſum, tum ob alia, tum ob admixtas omnifariam hiſtorias profanas, ſacraſque, vnde hominũ vita excoli poſſit, tum

ob diuina myſteria, quæ in eis Deus Opt. Max. abdidiſſe videtur, quæ paſsim operi ex ſacris interpretibus adiecimus: cum præterea ex ipſis rerum proprietatibus hominum, aut vitia reprehendi ſimilitudine, aut virtutes commendari poßint. Permiſimus igitur eo libentius in lucem prodire, quod doctis, indoctiſq; hominibus vſui aliquo eſſe ita poßit, vt audiendo, legendoue naturæ admiranda, ad Deum omnium opificem, animum erigentes, & odiſſe meminerint vitia, virtuteſque ſequendas conſtituant, tracti iſta tanta admirandarum rerum iucunditate. Nec enim doctis putarim faſtidio futuram lectionem, vel illo vno nomine, quod ex innumeris fere codicibus naturas rerum pleraſque, quæ admirabiliores ſunt, in vnum volumen iucunda varietate collegimus, etiam ſacros authores (qui eundem laborem ad refocillandas vires, relaxandumq; animum de eiſdem rebus pauca conſcripſerunt, velut Baſilius, & Ambroſius in Exemeron) imitati: nec contemnendæ erunt tum profanæ, tum ſacræ hiſtoriæ, quæ paßim toti volumini opportune permiſcentur: quin licebit animaduertere per omnes operis partes ad pietatem homines aliquo frequenter exemplo reuocari, ad excolendum virtutibus animum, ſiue principes ſint, ſiue inferiores quique: quin ſi inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ex Paulo Apoſtolo, ad Romanos I. iure in hiſce rebus deprehenditur ſumma Dei non modo omnipotentia, verum etiam benignitas, quæ rebus omnibus ſuam vim admirandam infuderit, vt vnius hominis ſeruiant corpori, ſeruiant & animæ ad ſalutem perducendæ, ita vt à formicis, atq; apibus Reges, atq; Reſpublicæ, Monarchiam, Ariſtocratiamq; ſuam, quin & Democratiam ad bene gerendum Politicum quemlibet ſtatum valeant perdiſcere. Adiecimus etiam ex toto orbe arte confecta admiranda quælibet opera, vt cum naturæ etiam hominis ingenium illius æmulum virtute aliqua pugnaſſe videatur: diſcantq; homines præterea recte, ſapienter, ac ſalutariter mori, quando aurum, ac quicquid homini præbet audaciam, aut voluptatem exitum plerumq; afferat infelicem: ſunt enim huiuſce rei non pauca commemorata exempla. Eſt autem opus ita omnia rerum genera complectens, vt vel ipſis ſingulorum librorum

inſcriptionibus, ac titulis iam ſe incendi ad operis lectionem quiſq. perſentiat. In colloquia autem volumen iure diuiſimus, quod otium ex bonorum conſuetudine, colloquioq. vitari ſumma vtilitate ſoleat: inſtillenturque magis lectorum animis, quæ velut ſermone familiari porriguntur. At quod iucunda ſint, quæ de naturæ viribus referuntur ſermocinationem trium amicorum confinximus: confinximus & Rus amplißimum, ornatißimum ac peramœnum: confinximus & dies caniculares, quibus grauioribus ſtudiis abſtinendum eſt, vt incolumitati, hilaritatiq. interim ſeruiatur. Ex authoribus fere omnibus etiam qui obiter de hiſce rebus tradiderunt, ſcripta hæc collegimus, ſummoq. ordine ita texuimus, vt quæ vetera eſſent, & ſparſa velut nuper inuenta, & velut vnum corpus excludi videantur. Veritatem autem rerum traditarum tantam eſſe conteſtamur, quanta fides authoribus ipſis, vnde collegimus habenda eſt. Nos vero noſtro marte nihil confiximus, niſi Rus ipſum, ſingulaſq. eius partes, atque ipſorum, qui colloquuntur, perſonas. Equidem etenim, velut per orbem quaquauerſus verſatum, & ſagacem; Theologum, vt diuinarũ rerum doctorem; Philoſophum, vt rerum naturæ reconditas rationes frequenter exponat. Oramus igitur Lectorem, omnia æqui, bonique conſulat, ignoſcatque, ſi aliquando nos quoque ad relaxandum à grauißimis ſtudiis animum poſt ingraueſcentem morbum, ad profana, leuiaque conuerſi, paucas interdum horas, dieſue abſumpſimus ſuadente Poëtæ carmine.

Quod caret alterna requie, durabile non eſt:
Si nunquam ceſſes tendere, mollis eris.

Quin ſi grauißimis viris Lælio, Scipionique Reip. rebus ſemper occupatißimis in Caietano littore, laxandi animi cauſa, licuit velut repueraſcere, colligereque conchas & vmbilicos, vt Cicero 2. de Orat. teſtatus eſt. Mihi quoque certe venia danda iure videtur, qui admirandas naturæ vires fuerim aliqua vtilitate perſcrutatus.

ELENCHVS COL-
LOQVIORVM.

I. Meteora.
II. Homo.
III. Mulier.
IIII. Quæ cuique memorabilia contigerunt.
V. Inſecta.
VI. Aues.
VII. Quadrupedes.
VIII. Serpentes.
IX. Piſces.
X. Mare.
XI. Fluuii.
XII. Lacus.
XIII. Fontes.
XIIII. Inſulæ.
XV. Antra.
XVI. Montes.
XVII. Singulares proprietates locorum ac terrarum quarundam.
XVIII. Lapides.
XIX. Metalla.
XX. Herbæ.
XXI. Plantæ.
XXII. Ignis.
XXIII. Memorabilia arte hominum confecta.

SIMONIS MAIOLI ASTENSIS EPISCOPI VVLTVRARIEN.

DE ADMIRANDIS NATVRÆ REBVS Libri, ſeu Colloquia tria & viginti.

METEORA.

Colloquium Primum.

INTERLOCVTORES.

THEOLOGVS, EQVES, PHILOSOPHVS.

THEOLOGVS.

QVO ſtudio orandum eſt, vt in corpore ſano ſit mens ſana, eodem animi relaxandi cauſa cuique publicis vrbanisve negotiis defatigato rus aliquod petendum eſt, quod non modo ſit amœnum, verum etiam ſalubri cœlo ſitum, vbi vtrumque ſimul, tum corporis incolumitas, tum animi relaxatio vere poſſideatur hoc æſtiuo tempore, quo neque vrbana negotia ſtudioſe peragi, neque valetudo tuto in vrbe ſeruari poſſunt.

EQVES. Hac ex cauſa mihi iſtam vrbanam villam exædificaui, vt otii cauſa & mihi & amicis iucundus ſeceſſus aliquando pararetur. Accerſiui igitur vos ex vrbe eo conſilio, vt veſtra facundia perfruerer, quos ſciebam numquam minus otioſos, quam cum otioſi, neque minus ſolos, quam cum ſoli eſſent: ita fiet, vt hi caniculares dies etiam cum profectu exigantur. Eſt hoc rus ampliſſimum, atque ornatiſſimum, ſaluberrimo ſitum cœlo; erit nobis quotidie percommoda loci mutandi facultas; nam cum latiſſime pateat, perplura ædificia, amœnosque ſeceſſus continet, in quibus ſermones noſtros miſcere ſemper percommodum fuerit. Cum itaque arrideat iam hoc mane ſerenus ſolis ortus, iamque ſacris myſteriis interfuerimus, priusquam diei huius ſolares radii latius terram irradient, in æditiorem huius proximi collis locum, per hanc leniter accliuem & opacam viam arboribus conſitam conſcendamus, in porticu ibi conſeſſuri. Inde enim & late patens mare, frequentesque in illo inſulæ conſpiciuntur, ſed & continentis quoque flumina quædam, ac lacus iucunda amœnitate ſpectantur, præter id, quod inde etiam ſcaturientis aquæ riuuli nonnulli

obmurmurare exaudiuntur, & auiculæ per conſitas arbores euagantes audientium aures canora ſuauitate demulcent.

PHILOSOPHVS. Vt ſapientiſſimis conſiliis tuis pareamus, ſuadent tum auctoritas tua, tum loci amœnitas, tum neceſſitas pomeridiani æſtus vitandi, quem Canicula hæc præ cæteris elapſis iam annis afferre videtur: reddent autem nobis iucundum diem eruditiſſimi Theologi colloquia.

TH. Immo veſtris ego oblectabor colloquiis: nam & tuam eximiæ Philoſophiæ illam peritiam, qua rerum reconditarum naturas conſueſti enarrare, audiemus. Et tu, Illuſtris Eques, cum totus fere orbis ob nauigationes frequentiſſimas, atque itinerationes diuturnas tibi innotuerit, noua ſemper depromptururs efficies, vt ab vtriusque veſtrum ore pendere me oporteat.

PH. Æquius fuerit noſtram humanarum rerum modicæ vtilitatis peritiam ſub ipſa Theologia proſterni, noſque ideo ab illo tuo ore pendere, quod è ſacris, ſacrorumque ſcriptorum libris miranda, & omnis Naturæ vires ſuperantia quaſi è ſacro penu deprompta ſis pronunciaturus.

TH. Sane quæ natura ipſa prodit, admiranda & ipſa Dei opera ſunt; quin & ipſa Natura Dei miraculum eſt, cum ille ei tot virtutes, viresque etiam occultas inſeruerit, præter alias, quas aſſueti videre contemnimus, quoniam nobis nimia aſſiduitate viluerunt, admirabile id tantum putantibus, quod rarum ſingulareque ſit: cum tamen quidquid eſt à ſummo creatum opifice, ſumma ſemper admiratione ſit dignum. Formicas enim fieri, easque Reip. more creſcere, rebus futuris proſpicere, tanto miraculo haberi debet (Dei virtute, atque ſapientia perſpecta) quanto reliquarum creaturarum procreatio habenda eſt. Nam & muſcam Soli præferendam eſſe apertiſſime ſcribit S. Auguſtinus libr. de duabus animabus contra Manichæos, cap. 4. Muſcæ enim animam Solis lumini præſtare cenſet: quoniam illa membra tam exigua vegetat, huc atque illuc pro naturali appetitu tantillum corpuſculum ducit, currentes pedes in numerum mouet, volantis pennas modulatur, ac vibrat: atque in tam paruo corpuſculo tam magnum eminet, vt cuiuis fulgori perſtringenti oculos ſit præferendum. Atque ita fit, ô Philoſophe, vt verus Philoſophus Chriſtianæ fidei fideliter inhærens, ſi in Deum omnia dirigat, etiam Theologi nomẽ aſſequatur, ſicut & Theologus Philoſophiam, quaſi Dei opificium comparet, Theologiæ non ſolum nihil detrahet, verum etiam plurimum ſaltem ornamentum addet: atque iure, ô Philoſophe, tibi auſcultare nos oportet rerum inueſtigatori ſolertiſſimo.

EQ. Ego vero vtrumque veſtrum libentiſſime audiam. Quoniam cum Naturæ leges à Deo præſcriptæ ſint, id fuerit ſemper mihi miraculi loco habendum, quod Naturæ leges vel tranſcenderit, vel aliquo effectu ab eis deflexerit: etſi vtrumque admirabor, ſiue naturæ fuerit miraculum, longe magis tamen admirabor, ſi ſuperna, diuinaque vi naturam vincente, fiant: quia vera miracula ad fidei, Eccleſiæque propagationem conficiuntur. Ordiatur ergo Philoſophus admiranda naturæ, ſuperaddat nunc Theologus diuina, ac de Meteoris initium facientes, dies abſumamus.

Sol.

PH. Libenter pro munere viribusque meis id præſtabo, referamque nonnulla commemoratione digna, primo quidem de Sole ipſo: quæ autem à diuinis literis ab ipſo Theologo ſuperaddentur, pro diuini numinis gloria adaugenda, libentiſſime auſcultabo. Sol & Luna quotidiano curſu ſuo terram ſemper circumambiunt: Sta-

re autem

re autem, aut reuerti retrorſum non poſſunt: ita enim legem à Deo Sol accepit, vt ſemper currat, ac recurrat: Solem enim eſſe creatum tantoque ordine ſemper perſeuerare, & in res ipſas omnis generationis vim influere, diuino miraculo agitur. Stetiſſe tamen, ac regreſſum Solem aliquando legiſſe me memini.

TH. Ita eſt ſane, ingensque miraculum fuit, Solem ſtare, curſumque cohibere ſuum præſertim hominis iubentis virtute: Id autem contigiſſe compertum habemus ſacris literis: Ioſue etenim cum aduerſus Gabaonitas pugnaturus eſſet, vt victoria diuturniore potiretur in profligandis hoſtibus, ſic locutus eſt: Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon: ſteteruntq; Sol & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis, ſtetitq; Sol in medio cœli, & non feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei: non fuit antea, & poſtea tam longa dies, obediente Domino voci hominis. Ioſue 10. teſtatur. Ideo Iuſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Hebræo non longe à calce, diem illam triginta ſex horarum fuiſſe ait. Stetiſſe autem Solem, egregium ſane miraculum fuit. Sed præferēdum huic aliud, ſi videlicet Sol regrediatur: quod etiam accidiſſe ſacris literis continetur. Cum etenim Ezechias Rex ægrotus ab Iſaia incolumitatem ſibi redditam accepiſſet: hoc ſigno fidem aſtruendā voluit: nam ſcilicet Solis vmbræ, quæ in Horologio dignoſcebantur, decem gradibus retrorſum reuerſæ ſunt. 4. Reg. c. 20. At ne putare quis poſſit, linearum tantum immutationem fuiſſe factam, non autem Solem retrogreſſum, id explicatum eſt Iſaiæ c. 38. his verbis: *Et reuerſus eſt Sol decem lineis per gradus quos deſcenderat.* Et ne ſolis veteris Teſtamenti Patribus virtus tanta collata videretur, etiam Patribus noui Teſtamenti contuliſſe Deum compertum eſt. Mutius enim Eremita in Thebaidis deſerto ex impiiſſimo latrone Ethnico factus Chriſtianus, per Dei viſionem, cum ægrotantem ex fratribus longe abſentem nouiſſet, ſeſe itineri dedit, ægrum inuiſurus, in eremi ipſius interioribus partibus: cum autem eo peruenire non poſſet, iam Sole ad occaſum vergente, qua hora etiam ægroti mors inſtabat; vt dies itineri ſufficeret, iuſſit Mutius Soli in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſtaret, donec eo perueniret; admirantib. omnibus circumquaque eius eremi incolis, Sole eodem climate tamdiu perſeuerante, quin & nō pauci, audito miraculo, ad Mutii diſciplinam conuerſi ſunt. vitæ SS. Patrum p. 1. de presbytero Coprete. Semper enim compertus eſt Sol paruiſſe Dei ſeruis, non modo, vt radios ſuos diutius emittat lucis cauſa, verum etiam, vt obſequatur rebus aliis. Nam plures ſancti memorantur ſuſpendiſſe pallia, ac veſtes de radiis ſolaribus: Goar etenim Presbyter ſanctiſſimus, cum delatus fuiſſet ad Epiſcopum Treuirenſem velut vir ſceleſtus, ad illum mox eſt profectus calumnias paruipendens, magni autem faciens obedientiæ virtutem: ingreſſus igitur Epiſcopi ædes, defeſſus, cum nuſquam poſſet tunicam ſeu cucculam ſuam deponere, ſolis radium intra cubiculum deſcendentem aſpiciens, tunicam ab eo radio ſuſpendit, omnibus id conſpicientibus, diu etenim illum in modum ſuſpenſa veſtis manſit, donec ipſe quoque conſpexit Epiſcopus. Waldebertus Diaconus in vita S. Goaris, cap. 9. 10. apud Surium Tomo 4. Iulio.

Solis ſtatio aut regreſſus.

Simile prorſus obtigit Florētio Epiſcopo Argentinenſi, qui cum rogatus à Dagoberto Francorum Rege, ingreſſus cubiculum, cum nuſquam poſſet palliū ſuum deponere, de radio Solis locum illuſtrante, pallium ſuſpendit, Rege ac neceſſariis omnibus ſpectantibus, refert Surius ex vetuſtiſſimis codicib. Tom. 6. in vita S. Florentii. Fecit ea res, vt Dagobertus tanto conſpecto miraculo permotus, magnam

Syluæ partem illi largiretur, cœnobii conſtruendi cauſa, villasq; adiacentes, multaque prædia addiderit: quæ hodie Haſſe monaſteriũ ſibi vendicat, vt ex vetuſto auctore memorat idem Surius Tomo 4. Nouembri, in vita S. Florentii. Sed & Amabilis Presbyter & Confeſſor, cum aliquando Romam viſitãdorum liminum Apoſtolorum cauſa proficiſceretur, palliũ ſolis radiis appenſum ſubleuandi oneris gratia, poſuit; quo miraculo, cum illi onus ſuſtentaſſent, orbi viri ſanctitas perſpicua facta eſt, vt ex vetuſto auctore idem Surius habet Tomo 6. Nouembri.

Plures Soles.

EQ. Sed numquid miraculi loco habendum eſt, quum duos aut tres Soles videri ſæpe contigerit, quandoquidem vnicus Sol creatus ſit?

TH. Duos Soles apparuiſſe ante Chriſti aduentum S. Auguſtinus teſtatur epiſtola 80. ad Heſychium; miraculiq; loco habet. Sed & poſt Chriſti mortem teſtatur Zonaras in Vitellio, duos Soles fuiſſe viſos, alterum quidem ab Occaſu, alterũ ab Oriente, illum infirmum & pallidum, hunc robuſtum. Sed & Soles tres conſpectos ſcribit Plinius lib. 2. c. 31. & Dio. lib. 47. *Plures Soles (inquit) conſpecti in Boſphoro produntur, qui à matutino tempore durarunt in occaſum: Trinos Soles antiqui ſæpius videre, ſicut Sp. Poſthumio, Q. Mutio, & Quinto Martio, M. Portio, & M. Antonio, P. Dolobella, & M. Lepido, L. Planco Coſſ. & noſtra ætas vidit diuo Claudio Principe conſulatu eius, Cornelio Orfito collega.* Hæc ille.

EQ. Produnt Hiſtorici, præcipue autem Eutropius lib. 7. quâ die Chriſtus Dominus è Virgine matre natus eſt, tres Soles fuiſſe conſpectos; poſtea vero ſtatim in vnicum rediiſſe, vt Bergomenſis hiſtoricus teſtatur in Octauiano.

TH. Id verum eſt, & ex veterum hiſtoriis Titelmannus naturalis Philoſophiæ compendio lib. 6. cap. 15. id habet: quamquam huiusmodi plures Soles ad Paralleli meteorologici impreſſionis vim pertinere putauerit, tamen ad Chriſti ac Trinitatis myſterium, miraculumque pertinuiſſe, aſſerit.

PH. Eam meteorologicam impreſſionem, qua tres Soles apparent, & ſæpius ſcripſere Philoſophi, & his ſeculis poſterioribus viſam etiam teſtatur Palmerius anno Domini 1466. & Surius de rebus ſui temporis anno Domini 1514. in fine. *Witembergæ (inquit) viſi ſunt tres Soles, quibus ſingulis cruentus ineſſet gladius.* Atque ita indicat non impreſſionem fuiſſe meteorologicam, ſed etiam miraculum. Refert quoq; idem Surius eodem lib. ſub anno Domini 1528. Tiguri viſos tres Soles, qui famem prænunciare exiſtimati ſunt, quæ fuit poſtea incredibilis: atq; ita fit, vt huiusmodi Soles plures non toto ex orbe conſpiciantur, ſed alicubi tantum: neq; id tantum in Sole contingit, ſed & in Luna: nam & tres Lunæ ſæpe conſpectæ ſunt, quas & nocturnos Soles dixiſſe licebit. Plinius etenim lib. 2. c. 32. *Lunæ (inquit) trinæ, vt Cn. Domitio, C. Fannio conſulibus apparuere, quas plerique appellauerunt Soles nocturnos.* Quæ res etiam hoc ſeculo noſtro viſa eſt. Surius etenim anno Domini 1514. in fin. in Rotroeil ſcribit, bis Lunas trinas ſeſe conſpiciendas præbuiſſe: Eas igitur nocturnos Soles aliqui appellauere, quoniam miro modo tum terram irradient, atque illuſtrent.

Plures Lunæ.

Coruſcationes & lumina Noctem illuſtrantia.

TH. Non ſola hac Lunarum repræſentatione noctes illuſtratas cum admiratione comperimus: ſed etiam aliis coruſcationibus. Licet enim Plin. lib. 2. c. 23. tacito Chriſti nomine, ſic habeat: *Lumen de cælo noctu viſum eſt C. Cæcilio, Cn. Papyrio conſulibus, & ſæpe alias, vt diei ſpecies noctu luceret:* Tamen etiam Chriſto naſcente id contigiſſe perſpicuũ eſt. Lucas enim Tui ſcribit, in Chriſti natiuitate media nocte nubem tantæ luciditatis Hiſpaniam colluſtraſſe, vt meridies eſſe putaretur: quod etiam

etiam ſcripſit Petrus Hiſpal. in Sylua par. 2. c.30. Sed & Licinii Tyranni tempore, apud Sebaſtem, cum quadraginta Martyres in lacum præfrigidum miſſi forent, magnoque frigore algerent, oratione præmiſſa Dei miraculo circiter tertiam noctis horam Sol omnes circumfulſit ita calidus, vt eſt in æſtate, frigusque diſſoluit, & aquam calidam reddidit, vt habet Metaphraſtes 9. Martii, Lipom. Tom. 7. Fiunt enim huiusmodi nocturnæ Illuſtrationes ſola diuina virtute, ad excitandos piorum animos, ad aliquid occultum indicandum, præcipue vero hominis ſanctitatem, vti ſcribit Sophronius in prato ſpirituali c. 87. his verbis: *Aſpiciebamus* (inquit) *nos vicini habitatores per noctem in vertice montis lucem, quaſi ignem. Nos ergo putabamus, quod ignem aliquis illic accendiſſet. Cumque per dies plurimos iſtud aſpiceremus, aſcendimus die quadam, & nulla ignis indicia vidimus, neque ignem, neque aliud in ſylua igne aduſtum. Rurſum ſequenti nocte vidimus eadem lumina. Tribus igitur continuis menſibus ignem hunc vidimus. Nocte vero quadam aſſumentes quosdam ex vico cum armis propter feras, aſcendimus in montem ad lucem, quæ apparuerat, manſimusque, vbi lux erat vsque ad diem ſequentem. Mane vero facto, aſpicimus modicam ſpeluncam in eo loco, vbi lumina videramus. Ingreſſi autem inuenimus Anachoretam defunctum: erat autem indutus cilicio, & pallio, tenebatque in manibus argenteam crucem. Inuenimus etiam chartam ita ſcriptam: Defunctus ſum ego Ioannes humilis indictione quintadecima. Computatis ergo annis inuenimus eum ante ſeptem annos defunctũ eſſe. Ita vero erat integer, ac ſi die eadẽ obiiſſet.* Hęc in Roſo monte Ciliciæ.

EQ. Simile quiddam me legiſſe apud eundem Sophronium memini eodem prato, c. 69 Dauid enim quidam Meſopotamius, cum extra vrbem Theſſalonicenſem ad ſtadia tria Anachoriticam duceret vitam, noctu longo tempore, magno fulgore domuncula eius coruſcabat, adeo vt ab vniuerſa vrbe ipſa conſpiceretur, curioſitate etiam totam vrbem commouente eius fulgoris nocturni inſpiciendi cauſa; illius autem morte ceſſauit fulgor. Idque in viri ſanctitatis teſtimonium factum fuiſſe miraculum nemo ambigit, vt locus ſit veritati Chriſti, nullum bonum occultum, quod non reueletur, & abſconditum, quod non ſciatur, & quæ in aure dicuntur, prædicabuntur ſuper tecta. Cui & aliud confine legiſſe me memini eodem lib. cap. 104. Nonnus enim Abbas, cum ante Eccleſiam oraret, nocte intempeſta, extenſis in cœlum manibus, eius manus coruſcabant lampadum ignitarum modo, adeo vt Abbas Theodoſius Epiſcopus Capituliadis huiusmodi viſo fuerit perterritus, atque aufugerit.

TH. Hæc ſacris literis confirmantur. Habetur enim Lucæ 2. Cum paſtores vigilarent ſuper greges ſuos, Chriſto nato, Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos, & timuerunt timore magno. Huiusmodi enim coruſcationes diuino afflatu factæ in miraculi magnitudinem atteſtandam fiunt. Sicut etiam Matth. 17. in transfiguratione Domini noſtri Ieſu Chriſti, quando in monte reſplenduit facies eius ſicut Sol, vt inde noſſent Apoſtoli, quam magna futura ſit æternæ vitæ gloria, & viſionis diuinæ claritas. Sicut & Exodi 13. quando ad viam noctu peragendam dux itineris erat Dominus populo per columnam ignis. At aliquando lux huiusmodi inſolita prodigii loco habetur, cuiusmodi ante Hieroſolymitanum excidium noctu ante aram tam clara lux per dimidiam horam circumfulſit, vt dies eſſe videretur. Zonar. to. 1.

EQ. Numquid autem miraculi loco habendę ſunt illę coruſcationes, quę Soli, aut Lunæ accidere ſolent, vti eſt Halo, Arcus, Parœlios, Iris, & ſimilia, ſicut & Eclipſes? *Halo, Arcus, Parœlios, Iris, &c.*

PH. Sunt quidem miracula, ſed Naturæ. Nam ex nubium humoribus hæc fiunt, in quas Sol, Lunave radios reuerberant, vnde pro qualitate loci inter nos & Solem, vel à latere Solis, & pro raritate, denſitateve humoris huiuſmodi gignuntur, nõ quia aliqua ſint, ſed quia aliquid eſſe videntur, non omni in orbe, ſed alicubi tantum, vt apud Philoſophos explicatim omnia enarrantur in Meteor. libris.

TH. Poſſunt etiam ſupra Naturam hæc fieri diuina iuſſione in maximi myſterii teſtimonium, vt iam diximus de tribus Solibus Chriſto naſcente viſis, ſed & Halo, ſeu Solis corona, cum natura effeciſſet L. Pontio, M. Aulio Conſulibus, Plin. lib. 2. c. 29. tamen ipſa quoq; nati Chriſti die viſa eſt. Nam Romæ atq; aliis confinibus locis Soli acceſſerat circulus æquali, aut etiam maiori coruſcatione pellucidus, vt ſcribit Oroſ. lib. 6. c. 18. & Eutropius lib. 7. Bergomenſis in Octauiano.

EQ. Ecclipſis ergo poterit dici & Naturæ miraculum.

Ecclipſis.

TH. Haud dubie. Nam cum videantur tam Solis, quam Lunæ Ecclipſes, certis annorum interſtitiis arte Aſtrologica præcognitis, dubio procul id Naturæ curſus efficit, vt ſcilicet Plenilunio Lunæ id contingat, terra inter eam & Solem interpoſita, Solis lumen, à quo ipſa lucet, deficiat: Solis vero Ecclipſis etiam certis interſtitiis fit, quando inter nos, atque Solem, Lunare corpus, quod opacum eſt, interponitur, vnde fit, vt Sol nobis clariſſime illuceſcere non poſſit; ideo eius Ecclipſis eſt. Quam vt euidentius internoſcamus, aliud ſuccedit miraculum. Si enim peluim oleo aut pice plenam Soli obiiciamus, Ecclipſis integerrime deprehenditur, ex Senecæ ſententia Natur. lib. 1. c. 12. Hæc itaque ſunt Naturæ miracula. At ſi ira Dei excandeſcat, quandoque præter Naturæ ordinem fiunt, velut Ecclipſes Solis, tenebris terra obſcurata, cuiuſmodi in Ægypto ſub Pharaone contigit, Moſe efficiente iuſſu Dei. Exod. 10. *Extendit* (inquit) *Moyſes manum in cœlum, & facta ſunt tenebræ horribiles in vniuerſa terra Ægypti, tribus diebus nemo vidit fratrem ſuum, nec mouit ſe de loco, in quo erat; vbicunque autem habitabant filii Iſrael, lux erat.* Simili quoque ratione Ecclipſis atque tenebræ, quæ in vniuerſum orbem effundebantur, Chriſto in cruce pendente, nulla ratione naturali defendi poſſunt; nam præter id, quod ipſe Dionyſius in Epiſtola ad Polycarpum Pontificem admiratur id accidiſſe aduerſus omnem aſtrorum rationem, etiam Apollophanes Dionyſii neceſſarius putauit natura id effici non potuiſſe, quoniam plenilunium eſſet, quo impoſſibile eſt ecclipſari Solem. Cui accedit Phlegon Aſiaticus Trallianus Hiſtoricus illius ſeculi, Auguſti libertus, cuius Suidas meminit: ſcribit enim homo ille à Chriſti fide alienus, Anno Tiberii 18. Ecclipſim maiorem extitiſſe, quam alias vnquam fuerit. Terræ motum quoque concomitatum à ſexta hora in nonam, recentiores etiam tradunt, Petr. Hiſpal. in Sylua p. 2. c. 31. quod ex antiquis recenſuit Euſebius Cæſarienſis in Chronico. Accedit & S. Auguſt. ſententia in Epiſtola 80. ad Heſychium, ſic enim habet: *Solis ille defectus, quando crucifixus eſt Chriſtus, non talis, vt reliqui Solis defectus, fuit, ſed verè mirabilis & prodigioſus.* Sed Ethnicorum Romanorum inuidia, ne cœlum doluiſſe Chriſti, velut diuini viri, mortem putaretur, id quidem ſcriptum habuere in annalibus, ſed euulgari vetuerunt. Libet in hanc rem depromere Tertulliani verba in Apologetico. *Nam ſpiritum* (inquit) *cum verbo ſponte dimiſit (Chriſtus) præuento carnificis officio, eodem momento dies, medium orbem ſignante Sole, ſubducta eſt; deliquium itaque putauerunt, qui id quoque ſuper Chriſto prædicatum neſcierunt, & tamen eum mundi caſum relatum in Archiuis veſtris habetis.* Et paulo inferius: *Ea omnia ſuper Chriſto Pilatus, & ipſe iam pro ſua conſcientia Chriſtianus, Cæſari tunc Tiberio nuntiauit.* Hæc

uit. Hæc ille. At non fuiſſe permiſſum euulgari huiusmodi Solis deliquium his verbis conqueritur Budæus de Aſſe lib.4. *Solis deliquium, moriente Chriſto, Plinius ignorare non potuit, ſi in Archiuis Romanis perſcriptum fuit, vt qui acta Romana diligenter percenſuiſſe intelligatur: ſed Plinius id dicere noluit, quod occultum Principes eſſe volebant. Parum enim plauſibile dogma Chriſti apud homines ſuperbos & voluptarios eſſe oportuit, quod elatos animos & corpora ſibi indulgentia maxime execratur.* Hactenus ille.

EQ. In morte quoque Romuli primi Romanę vrbis fundatoris Solis fuit deliquium admirandum. Ideo pudebat Romanos, idem in Chriſti morte accidiſſe, vt iam dictum eſt.

PH. Admirandum quidem imperitis: natura etenim obuenerat Ecclipſis. Nam & id affirmat S. Auguſtinus lib. de Ciuit. Dei 3. cap. 15. iis verbis: *Acciderat Solis defectio, quam certa ratione ſui curſus effectam imperita neſciens multitudo, meritis Romuli tribuebat: quaſi vero ſi luctus ille Solis fuiſſet, non magis ideo credi deberet occiſus, ipſumque ſcelus auerſione etiam diurni luminis indicatum, ſicut reuera factum eſt, cum Dominus crucifixus eſt crudelitate atque impietate Iudæorum. Quam Solis obſcurationem non canonico ſyderum curſu accidiſſe ſatis oſtendit, quod tunc Paſcha erat Iudæorum. Nam plena Luna Paſchæ ſolemnitas agitur: regularis autem Solis defectio non niſi Lunæ fine contingit.* Hæc ille. Vnde admirandam ac præter naturam Solis eam Ecclipſim putat, quæ Chriſti mortem ſequuta eſt.

EQ. Aliquando autem contingit, naturali quidem curſu, Solis Ecclipſis, ſed prodigioſa quadam defectione ſpectantium animos permouet, idque perinde ac miraculum. Nam cum Philoſophorum ſententia ſit, *Solem integrum difficile poſſe deficere*, cum Luna, cuius interpoſitione radii ſolares impediuntur, ſit Sole longe minor; tamen SCIPIONE aduerſus HANNIBALEM prope Carthaginem & pugnante & vincente, etiam integer fuit Solis defectus, vt ſcribit Zonaras Tomo ſecundo. Sed & in AVGVSTI morte prodigia hæc fuiſſe idem Zonaras commemorat, quod ſcilicet Sol totus defecerit, & Cœlum late ardere viſum, & ſtellæ crinitæ ſanguineo colore apparuerint, quod Solis deliquium etiam Niceph. lib.1.c.17. teſtatus eſt. *Totalis Ecclipſis.*

PH. Sunt hęc admiratione digna, ſed admirabilius illud, quod Zonaras habet in Vitellio, quo tempore Luna bis defeciſſe præter ſolitum viſa eſt, & quarto & ſeptimo die obſcurata. Sed huic miraculo ſuccedit memorandum aliud, ſcilicet vt bis vno menſe Ecclipſis Lunæ acciderit, quartoque ac ſeptimo die fuerit obſcurata, Conſtante Heraclii nepote imperante, vt Zonaras tradit.

EQ. Ego & id admiror, at non minus, quod Alarici tempore, cum ab illo Roma capta eſt, contigit: ſic enim habet Niceph. lib.13. c.36. *Tum* (inquit) *tantum Solis deliquium fuit, vt ſtellæ etiam medio die refulſerint*, quod etiam poſterioribus ſeculis contigiſſe memorat Dodechinus anno Domini 1133. nam 4. Non. Auguſti Luna 27. ſeptima hora diei tantis tenebris obſcuratus eſt Sol, vt Cœli ſtellæ apparuerint: hoc ſane admirabile, vt ſtellæ meridie videri potuerint.

TH. Stellas meridie videri ſane notatu dignum eſt, quanquam authores ſunt qui putent, profundo in puteo poſſe interdiu videri, quod ibi Solis lux, quæ ſtellarum lucem obumbrat, deficiat, vt Reiſchus excogitauit, quod tamen valde incertum eſt. Sed (fateor) non ſine admiratione eſt, quod Zonaras habet in Irene & Conſtantino, quo tempore cum Conſtantino forent oculi eruti, Sol per dies ſeptendecim non ſplenduit, ſed obſcuri & tenebroſi fuere dies illi. *Stellas meridie conſpici.*

PH. Ali-

PH. Aliquid ſimile contigiſſe compertum habeo ex Plin. lib. 2. cap. 13. Imperatoribus enim Veſpaſianis, id eſt, ipſius etiam Plinii tempore, diebus duodecim, vtrumque ſydus, Sol & Luna, quæſita ſunt, nempe quod nunquam fuerint conſpecta; ſed hoc diuturna pertinacique caligine, aut nube craſſiore factum putandum eſt, luce diei ſufficienter illuſtrata, non fuit hoc Solis defectu, ſicut nec tunc ſub Irene fuit illa Solis obnubilatio: vterque enim eadem ex cauſa profectus fuiſſe cenſendus eſt, ſicut & ſub Leone IV. Imperatore, ſeptendecim diebus Sol adeo nuſquam viſus, adeoque radios amiſit, vt mari nauigantes nauigandi vias amiſerint, errarintque, vt Theophanes Iſauricus, qui tum vixit, memorat apud Anaſtaſium Bibliothecarium An. Dom. 783. Ideo quando frequentiores ſunt Ecclipſes, ſiue Solis, ſiue Lunę, experimento didicimus, orbi aduerſa multa accidere: nam hoc noſtro ſeculo vidimus quadriennii interuallo Ecclipſes decem, quandoquidem 16. Iulii 1590. fuit Lunæ; at 31. eiuſdem fuit Solis Ecclipſis; dein 9. Ianuarii 1591. Lunæ fuit: at 20. Iulii ſequuta eſt Solis Ecclipſis; inde 29. Decembris Luna Ecclipſim iterum paſſa eſt, ſicut ſequenti anno 1592. 24. Iunii, & iterum 18. Decembris: inſuper anno 1593. 30. Maii fuit Solis Ecclipſis; anno vero 1594. 20. Maii & 28. Octobris Luna Ecclipſim eſt paſſa, vt ita diſcamus, hiſce temporibus bella famemque inualuiſſe in Europa, ac præterea Apoſtolicæ Sedis Romanę Pontifices frequentius ſolito alius alii morienti ſucceſſit. Nam Sixto V. ſucceſſit Vrbanus VII. dies paucos ſuperſtes, huic ſucceſſit Gregorius XIV. annum in Pontificatu non perficiens, cui ſucceſſit Innocentius IX. vix bimeſtri ſuperſtes.

EQ. Mihi hæc arrident, ſed optarim (id enim maxime admiror) audire tot admiranda, quæ de ignitis impreſſionibus conſcribuntur.

Impreſſiones ignitæ.

PH. Sunt admiranda tum ob effectus, tum ob formas, quas ſuſcipiunt. Cum etenim exhalationes ſint eæ, quas ignitas impreſſiones nuncupamus, admirationem mouent, quod è terra tractæ atque elatæ, Solis reliquorumque Aſtrorum virtute, in varias formas efformentur. Exhalatio etenim, ſi calore plurimo fuerit dotata, ad ſupremam aëris partem aſcendit, & ſi ſit illi pars aliqua craſſior inferius condenſata, & conglobata ſubſiſtit, tenuior autem aſcendit, porrecta in longum accenditur, & accenſa perpendiculi more manet, atque inde nomen accipit, diciturque *Ignis perpendicularis*. At econtra ſi craſſa pars modica ſit, non adeo denſatur, aut conglobatur inferior pars, ſed inferne aliquatenus extenditur, ſuperiore parte ſubtili, ac tenui in longum porrecta ardente, qua forma *Lancea ardens* dici conſueuit. Sin autem æquali menſura omnibus partibus exhalatio tenuis fuerit, tota accenditur, & ſcintilla appellatur: ſcintillarum enim modo tota ardet, quum è fornace euolant. Ac ſi craſſa æqualiter tota fuerit recta linea, æqualique pondere pendens in ſummo, accenditur candelæ more, vt & candela impreſſio huiuſmodi vocitata eſt. Quæ vera ſunt, ſi ſufficiens fuerit huiuſmodi exhalationum eleuandarum materia: alioqui vbi parua fuerit, cum in tantam aëris altitudinem erigi non poſſit, breui accenſa conſumitur, eaque *Aſubaſcendens* nominatur.

Ignis perpendicularis.
Lancea ardens.
Aſubaſcendens.

TH. Harum impreſſionum locus, vt legiſſe mę memini, non in ſecunda, aut tertia hac noſtra aëris regione eſt, ſed in ſuprema.

PH. Id ita eſt. Nam cum plurimo calore polleant huiuſmodi impreſſiones, non niſi in illa ſuprema gigni poſſunt. Cum vero mediocri calore exhalationes fuerint, mediam quoque regionem obtinebunt. Quamobrem cum in ipſam mediam regionem peruenerint, à frigore ibi locato obſeſſæ fortiores fiunt, vnde cum è ſupe-

è ſuperiori parte in inferiorem partem repercutiatur calor huiuſmodi, rectè huiuſmodi impreſſio *Aſubdeſcendens* appellatur; deſcendendoque etiam frigidas nubes quandoque penetrat, quarum frigus valeat ſuperare. Atque eadem ratione fit, vt, cum exhalationum calor fuerit imbecillus, hac tertia regione ſubſiſtat, noctéque præcipue videri conſueuerit. Ideo cum noctis frigore ipſam circumambiente conſtringitur, roboratur atque accenditur, ſurſumque caprarum ſaltantium more impellitur, *capræ ſaltantis* nomen accepit: continuum enim ignem non oſtendit, ſed quaſi inſufflatus ignis ſæpe erumpit. *Aſubdeſcendens.* *Capra ſaltans.*

EQ. Quid autem illud eſt, quod ſæpiſſime videmus, crepuſculis autumnalibus præcipue, cum recta quædam fulgida, quaſi tota ardens materia videtur columnæ modo, quandoque non recta, ſed transuerſa videtur, quaſi trabs quædam coruſcare, & ardere tota? quandoque etiam è cœlo, diametrali motu cadere, aut transuerſim volare?

PH. Hæc patent, videnturque in hac infima aëris regione, cum materia multa fuerit, & compacta, ſuperueniente noctis frigore, & conſtipatur, & accenditur, ac ſuo pondere conſiſtit, tandem vincente frigore euaneſcens extinguitur. Vnde ignis fatuus appellari conſueuit, quoniam non videtur actiuus, & mobilis. Rectitudo autem illa, aut illa transuerſa forma, non aliunde conſideratur, quam ſi quis funiculum pendentem accendat, aut in plano poſitum. Sic enim huiuſmodi exhalationes, aut linea recta tranquillo aëre aſcendit, aut aliquo ventorum motu in transuerſum diſperſa eſt, cum tamen eadem materia ſit. Qua ratione fit, vt cum exhalatio craſſioris materiæ aſcenderit, continua hinc à terra, in ſupremam tertiæ regionis huius partem, quaſi ſtatim accenſa collabi videatur, è ſummo huius tertiæ regionis repercuſſa à frigore: vnde *Stella cadens* videtur, eademque ratione, quando transuerſum huiuſmodi exhalatio volare ſagittæ modo videtur. *Ignis fatuus.* *Stella cadens.*

EQ. Quid illud eſt, quod Draco volans dicitur?

PH. Si quando exhalatio multa fuerit, & in vtroque extremo ſuæ dimenſionis ſubtilis tenuiſque fuerit, at in medio craſſior: efficitur forma Draconis, quod anterior capitis locum, poſterior caudæ, medium craſſius ventris occupet; quæ partes, cum omnes accenduntur, Draconem ignitum efformant, quem volantem dicunt à motu, quem impulſus recipit: at ſi altera tantum parte à frigida nube impellatur, quoniam ab humore huiuſmodi frigido fumat, Draco fumans, aut fumum ſpirans dici conſueuit. *Draco volans.*

EQ. Admiror hæc tanta naturæ miracula; & ſane nemo vnquam omnia percipere poſſe putandus eſt, id igitur rectè cum Ariſtotele pronunciabimus: *Minimum eſſe quod nouimus, maximum id eſſe, quod ignoramus.*

PH. At omnium impreſſionum ignitarum admirabilior eſt Cometes, tum ex altitudine loci, tum ex diuturnitate perdurationis, tum ex diuerſitate formæ, aut colorum. Eleuatur enim exhalationum multa materia Solis, & Aſtrorum virtute, vsque ad ſupremam aëris regionem; cumque ipſa ſit calida, ſicca, craſſa, pinguis, facileque ad inflammationem procliuis, circumuoluta ad aëris motum, æqualiter conglobatur, & inflammatur, aduenientibusque continuo exhalationibus, enutritur diutius. Huic nomen eſt Cometes, qui ſi mediis interioribusque partibus ſit craſſior, at in circularibus exterioribuſq; partibus ſit rarior, *crinita ſtella* fit, & nuncupatur. Si partes eius longius protendantur, dicitur *caudata:* ſi autem ſubtiliores, aut tenuiores partes deorſum profluant, dici conſueuit *barbata.* Mirum illud, eam *Cometa.*

non niſi autumno gigni: verſari autem, mouerique per modum continentis aëris circumeundo terram per diem naturalem, quod nulli alii impreſſionum ignitarum ſolet accidere; quamobrem tum terram ipſam frugeſque omnes inficit, quin & animantium ſpiritum adeo debilitat, vt etiam quandoque extinguat aëre infecto, ac ſubterraneos ſpiritus commoueat. Plinio videtur, breuiſſimum eius curſum ſeptem dierum eſſe, longiſſimum octoginta. Ita ille lib.2.cap.25.

TH. Si Nicephori hiſtorię fides philoſophica adhibenda eſt, non omne quod fulget in ſumma aeris parte, Cometes eſt, ſed fulgoris tantum nomen habere poſſe putat: ſed qualecunque ei ſit nomen, prodigioſa res eſt, & res omnes inficere ſolet. Ille enim lib. 13. c.36. ſuæ hiſtoriæ ita habet, cum prodigia enarraret, quæ contigerant Alarico vrbem occupante: *Tum tantum Solis deliquium fuit, vt ſtellæ etiam medio die refulſerint, quod deinde tanta ſiccitas eſt ſubſequuta, vt more inſolito multi mortales, & alia etiam animalia interierint. Cum autem Sol defecit, fulgor quidam ſimul in cœlo apparuit, coni, ſiue metæ ſpeciem gerens, quem ineruditi quidam cometam, crinitamque ſtellam eſſe duxerunt. Nihil enim eorum, quæ in eo viſa ſunt, cometæ ſimile fuit. Nec fulgor is in comam abiit, neque ſtellæ prorſus ſpeciem retulit, ſed veluti lucernæ cuiuſdam magnæ flamma per ſeipſam ſubſiſtere viſa eſt, nec radii eius aliqui ſtellæ cuiuſdam formam ſubiere. Ipſe quoque motu variauit. Nam ea parte, qua Sol per æquinoctium oritur, fulgor is moueri cœpit, & inde iuxta eam, quæ in vrſæ cauda ſita eſt, ſtellam vltimam ſenſim euadens ad Occidentem curſum tenuit. Poſtquam autem cœlum eſt dimenſus motu ſuo quatuor menſibus longius perfecto diſparuit, vertex eius aliquando quidem in magnam & acutam longitudinem abiit, vt Coni rationem excederet: nonnunquam autem ad menſuram illius contractus eſt. Alia quoque monſtroſa præbuit ſpectacula, quibus à natura ſolitarum apparitionum diſceſſit. Videri autem cœpit ab æſtate media fere vſque ad autumni finem. Id ipſum quoque miraculum ingentium bellorum, & incredibilis hominum interitus indicium fuit. Deinceps vero terræmotus eſſe cœperunt.* Hæc ille. Ego igitur facile audeo coniicere eius materiei ac naturæ, huiuſmodi fulgorem fuiſſe cum comete communem, tametſi ſphæricæ forma non fuerit.

PH. Parui ſemper habendum cenſeo, quale cuiq; rei nomen addatur, ſi res ipſæ conueniant. Inflammatio illa fuerat in ſuprema aeris regione, ferebaturq; circulariter, & perdurauit menſes plures. Hoc totum cometis commune eſt: ideo ad earum ſpeciem pertinuiſſe non ambigo, licet aliquid prodigioſius oſtenderit.

TH. Ego quoq; idem exiſtimo, atq; ad eandem rem pertinere coniicio admirandum illud, quod idem Nicephorus retulit lib. 12. c. 37. Sub ipſo etenim Theodoſii Senioris Imperio hæc, quę ſequuntur, contigiſſe ſcribit: *Tum prodigia* (inquit) *inſolita viſa ſunt, quæ futura orbi mala portenderunt. Primum namq; inopinata & inſolens ſtella in cœlo mediæ noctis tempore prope Luciferum refulgens apparuit, circa eum ipſum, qui Zodiacus dicitur, circulum. Ea quod propter coruſcantes radios ingens & lucida eſſet, non admodum Lucifero ceſſit. Paulatim vero ad eam ingens etiam aliarum ſtellarum vis aggregabatur, ſpectaculum id, ſi vidiſſes, apum examini, quæ circa ducem ſuum in orbem obuolitant, contuliſſes, & quæ veluti ex mutua & violenta concuſſione ab omnibus eis emicuit lux, in vnam quandam commiſtam flammam euadebat, & gladii prorſus ancipitis magni, & horrendi, cum terrore quodam relucens faciem reddebat: quod enim reliquæ ſtellæ in idem reciderent viſum, & vna, eaq; ſola, quæ primum conſpecta fuerat habitu toto, veluti radix, aut capulum aliquod apparet, & quodammodo fulgorem exhibitæ illius ſtellæ omnem proferret, perinde atq; ex lucerna funiculus ardens ſic flãma in ſublime tollebatur: hoc quidem viſum ſic nouum quoddam præbuit ſpectaculũ. Motus aũt eius prorſus à ſtellarũ omnium curſu differebat. Primum etenim*

ex eo

ex eo vnde diximus loco moueri incipiẽs vna cũ Lucifero & oriebatur & occidebat. Deinde paulatim ab illo abſiſtens, ſegniter & pedetẽtim quaſi ad Vrſæ conuerſũ curſũ tenebat, & veluti ad ſpectãtes oblique ad ſiniſtrã ſua gradiebatur via. Ambitũ quidẽ cum ſtellis aliis, ad quas acceſſerat, cõmunem perficiebat, proprio autẽ motu, qui ad 40. productus eſt diẽ, vix tandẽ ad vrſam maiorẽ peruenit, atq; in media aſtri eius parte, vbi poſtremũ refulſiſſet, euanuit. Hæc ibi.

EQ. Ego etiam idem cenſeo, vt Cometæ ſpecie habeantur huiusmodi fulgores, curſum aliquem ſeruantes. Nam Hiſtorici omnes hoc nomine nuncupant. Ante enim Hieroſolymitanum excidium ſupra vrbem aſtrum ſtetit gladio ſimile, Cometa per annum apparuit. Zonar. Tomo 1. Sicut & in Mauritio idem Zonaras teſtatur, Xiphiam Cometam apparuiſſe, ita dictam ab enſis forma: ſicut etiam in Michaele Rangabo ſcribit, ſtellam crinitam tum apparuiſſe, quæ varias formas exprimeret, quarum vna fuiſſe fertur etiam hominis ſine capite; ſicut & alia Cometa, de qua Socrates hiſt. Eccl. lib. 6. c. 6. teſtatus eſt, *Gaynæ Tyrannide Conſtantinopoli tam graue imminebat periculum ciuitati, vt Cometes maximus è cœlo ad terram vsque peruadens (ſimilem vero antea nemo aliquando aſpexerat) illud ipſum portenderet.* Hæc ille. Cui ſubſcripſit & Zozzomenus lib. 8. c. 4. his verbis. Quo tempore & Cometa huiusmodi Gaynæ inſidias portendebat, qui ſupra Conſtantinopolim maximus apparuit, ad ipſam vsque terram ferme pertingens, & qualis antea nunquam fuiſſe dicitur. Vnde apertiſſime conſtat apud omnes, huiusmodi ignitas impreſſiones curſum aliquem orbicularem habentes, quacunque eę forma ſint, Cometarum nomine cenſeri. Indeque ſemper mala portendi, præſertim ſi diutius conſpiciantur, & magno ſint orbe: Neronis enim principatu ſex menſes fulgentes vidiſſe teſtatur Seneca natur. lib. 7. c. 21. Ac poſt Demetrii Syriæ Regis mortem paulo ante Achaicum bellum viſus eſt Cometes quantus Sol. Seneca natur. lib. eod. c. 15. Ideoq; quando duarum vrbium Helices, & Buris in Ægypto, euerſio fuit, Cometes viſus eſt teres columnæ forma. Senec. natur. lib. 6. c. 26. At non ita mihi perſuaſum habeo, vt ei, quæ ſtellæ inuſitatæ videantur, ſtatim Cometæ nomine cenſeantur.

PH. Solent quandoque inuſitatæ ſtellæ videri, ſed eas Plin. lib. 2. cap. 24. 25. omnes Cometis communes facit. At non ita vere philoſophantibus Chriſtianis probatur, quibus Deus plura reuelauit ſtellarum nouarum indicio. *Inuſitata vel noua ſtella.*

TH. Eſt apertiſſimum libro Numer. cap. 24. quo loco de noua ſtella exoritura prophetatum eſt illis verbis: Orietur ſtella ex Iacob; neque enim myſtice tantum id dictum eſt, verum etiam ad literam intelligi id poteſt, ac debet. Ipſo enim Euangelio Matthæi cap. 2. cum natus eſſet Ieſus Dominus noſter: *Ecce Magi* (inquit) *ab Oriente venerunt Hieroſolymam dicentes, vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Quam ergo ſtellam prænuntiatam audiuimus libro Numer. ante Chriſti natiuitatem annis plus minus mille quingentis, ſtellam fuiſſe fateri nos oportet, eandemque Magis apparuiſſe, vel ex ipſo Euangelio conſtat; nec enim Cometes fuit, quandoquidem ſtellam nuncupat Scriptura, & annis pluribus illuxit. Et quanquam ex Epiphanio damnari videatur, quod enarrabimus, libet tamen enarrare, quatenus tribuitur Chryſoſtomo. Scribit enim S. Ioannes Chryſoſtomus ſuper Matthæum ex quinquaginta homiliis homilia 2. his verbis: *Legi apud aliquem, Magos ex libris Balaã diuinatoris appariturę ſtellæ ſcientiã accepiſſe, cuius diuinatio poſita eſt libro Num. c. 24. Orietur* (inquit) *ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſrael, & dominabitur omniũ gentiũ. Magi igitur tam vetuſtiores, quã ii, qui ad Chriſtũ profecti ſunt, per ſingulos annos poſt meſſem trituratoriã aſcendebant in montẽ*

ibi proximum, qui eorum lingua, Victorialis vocabatur, habens in ſe quandam ſpeluncam in
ſaxo, fontibus & electis arboribus amœniſſimus, in quem aſcendentes, & lauantes ſe, offerebant
& laudabant in ſilentio Deum tribus diebus: tandem apparuit eis ſtella, deſcendens ſuper mon-
tem illum Victorialem, habens in ſe formam quaſi pueri paruuli, & ſuper ſe ſimilitudinem
crucis, loquensque eis docuit eos, & præcepit, vt proficiſcerentur in Iudæam. Proficiſcentibus
autem eis per biennium, præcedebat ſtella, & neque eſca, neque potus defecit in peris eorum.
Adorato igitur Chriſto puero reuerſi domum manſerunt colentes & glorificantes Deum ſtu-
dioſius magis quam primum, & prædicarunt omnibus in genere ſuo, & multos erudierunt. De-
nique cum poſt reſurrectionem Domini Thomas Apoſtolus iſſet in prouinciam illam, adiuncti
ſunt ei, & baptiZati ab eo facti ſunt adiutores prædicationis illius. Hactenus ex Chryſoſto-
mo, ſi tamen Chryſoſtomi eſt, aut potius Sethianorum figmentum, vt Baronius a-
nimaduertit. His accedunt, quæ Auguſtinus Tom. 10. in Sermone de ſancta Epi-
phania, in ſermone primo poſt ſermonem ad fratres in eremo. Ibi enim docet,
Stellam huiusmodi biennio ante ipſis viſam fuiſſe, rationesque aſſerit eſſe, vnde
biennium præceſſiſſe colligatur, quod à Magis Herodes exquiſiſſet, vt ipſa Euan-
gelii Matthæi verba expreſſa habent. Reliquarum autem ſtellarum viam in cœlo
huiusmodi ſtella non tenuit, vt docet Auguſtinus de tempore ſer. 34. in fin. Ideo
expleto officio indicis, non eſt vlterius viſa. Veram enim ſtellam fuiſſe ſcribit S.
Thomas ſuper Matthæum ad cap. 2. ad illa verba: Vidimus enim. Sed non inter il-
las fuit, quibus Cœlum ornatum videmus.

EQ. Ex hoc igitur ſydere, quod vera ſtella fuit, licet prope terram foret, poſ-
ſumus coniicere, quanti meriti Chriſtus ſuos ſeruos eſſe demonſtret, quando et-
iam in illorum ſanctitatis indicium ſtellas oſtendere comperiatur. Scribit enim
Sophronius in prat. ſpir. c. 104. quod Theodoſius Epiſcopus Capituliadis nocte è
feneſtra in Eccleſiam conſpiciens viderit Nonnum Abbatem procumbentem ge-
nibus ſuis, & ſtellam lucidiſſimam ſuper caput eius, vnde diſceret, quantus vir ille
Nonnus ſenex eſſet.

TH. Extat & aliud inſigne exemplum Stellæ in indicium ſanctitatis. Idem e-
nim Sophronius eodem prat. ſpir. cap. 6. ſic habet: *Abbas Polychronius narrauit, quod*
cum eſſet in Monaſterio Abbatis Conſtantini Ducis Monaſterii ſanctæ Mariæ Dei genitricis,
quæ Noua dicitur, audiuit quendam fratrum in Xenodochio Hiericuntino requieuiſſe, quem
cum accepiſſent fratres, vt ferrent ad Monaſterium Turrium, & ſepelirent, ex quo ita agere
cum corpore cœperunt, ſtella ſupra defuncti caput, quaſi comes itineris, apparere non deſtitit,
donec ipſum ſepulturæ traderent. ſed hæc magno Dei miraculo fiunt, nihil natura co-
operante.

EQ. Poſtquam ignitas impreſſiones abunde enarrauimus; adhuc optarim di-
ſcere de fulminibus ac tonitruis, quorum miracula omnem hominum captum ex-
cedere videntur.

Tonitru. Fulmen.

PH. Tonitru ad fulmen ita ſe habet, vti Bombardarum ſonitus: nam ſiue pila
adſit, ſiue non adſit, ſemper idem fragor eſt, ſi aliquid aliud vicem pilæ, aut globi
retineat: Tonitru etenim inde efficitur, quod eleuato virtute Solis vapore, atque
exhalatione, in mediam aëris regionem, ibi cum frigus exhalationem circum-
ambiat, calor exhalationis vapore incluſus, fortior redditur, atque inflammatur,
egreſſumque molitur, quem cum non facile reperiat, vi tandem erumpit, erum-
pendo fit fragor, ac coruſcatio: quod ſi dum erumpit, nondum fuerit incenſa hu-
iusmodi exhalatio, ipſa tamen eruptione incenditur motu ac colliſione nubium.
Cui

Cui etiam illud accedit, quod ſi diuturna ſit ibi incluſa exhalatio, condenſatur, ac concoquitur in lapidem, qui erumpens, & tonitru, coruſcationemque faciens, omnia lædit, in quæ impegerit, vento ſemper comite. Nam *ventus eſt exhalatio ſupra terram, infra terram terræmotus, in nube tonitru.* Atque hæc ſufficere videntur de tonitru, & fulmine: pluraque dicenda ſuperſunt; at non fert hoc breue noſtrum tempus, vt omnem gignendi tonitru & fulminis cauſam narremus. Properandum eſt ad effectus miros, primumque libet Auerrois verba quædam promere ad Ariſtotelis Meteorum lib. 2. Sum. 3. cap. 4. *Fulmen (inquit) eſt ventus accenſus, vnde fulmina diuerſificantur ignitæ materiæ. Illa enim, quæ ſunt ex ſubſtantia ſubtili aerea non corrumpunt corpora mollia, in quæ vadunt, ſicut narratur, quod quædam fulmina reſoluunt, & liquefaciunt æs, & non comburunt pannum, ſeu bombycem, qui eſt cum eis, & occidunt multa animalia abſque hoc, quod appareat in eis ſignum combuſtionis: Illud autem quod eſt ex eis, ex exhalatione terrea, ſeu cinerea, ipſum comburit omne illud in quod vadit. Sicut narrarunt Peripatetici, quod fulmen, quod cecidit ſuper palatium, ſeu templum, remanſit locus caſus eius, & per multum tempus aſcendebat ex ipſo fumus multus: narrauitq; Auicenna, quod aduenit ex terreſtreitate huius exhalationis, in terris Caſam, & in terris Turch, quod inueniuntur in locis, in quibus cadunt iſta fulmina, corpora ſimilia ferro, & æri, & quod ipſe laborauit liquefacere ipſum, ſeu accendere illud, & non potuit, ſed diſſoluebatur, & conuertebatur in ignem, donec priuatus fuit; & hæc res non fuit viſa in terris noſtris, neq; aliquis de ſecta Peripateticorum memorauit hæc. Narrauit etiam Auicenna, quod lapis magnus cecidit in Corduba igneus, in die ſereno ſeu claro, & quod ipſe vidit illum lapidem, & habuit odorem ſulphuris, & quaſi naturam ammoniaci.* Hactenus ex illo.

TH. Hæc facile admito, nam legi apud eundem Ariſtotelem lib. 3. Sum. 1. hæc verba: *Fulmen ſi quidem valde tenue fuerit, non adurens propter tenuitatem, ſin autem minus adurens, & ideo fumidum, illud propter tenuitatem fertur; & propter velocitatem præuenit pertranſire antequam igniat, & moram faciens denigret; hoc autem tardius colorat quidem, non autem exurit ſed præuenit pertranſiens: quapropter ei reſiſtentia, patiuntur aliquid, quæ autem non, nihil, vt clypei iam æramentum quidem liquefactum fuit, lignum autem nihil paſſum fuit; propter enim raritatem præuenit ſpiritus penetrare, & pertranſire, & per veſtimentum ſimiliter non comburit, ſed velut attritionem facit.* Hæc ille. Et certe comperti ſunt homines fulgure tacti prorſus combuſti, ac conſumpti illæſa veſte: id enim accidiſſe ſub Leone V. Papa, memorat Vincent. hiſt. lib. 24. cap. 36. Anton. Chron. tit. 16. c. 21. §. 1. Eſſe autem ſupra naturæ miraculum nemo dixerit. At quod accidit centum octoginta quinq; millib. vna nocte ob Sennacherib blaſphemiam occiſis, quorum corpora illæſis veſtibus combuſta erant, vt memorat S. Hieron. ſuper Eſaiam cap. 10. ad verb. propter hoc; certe illud non naturæ ſed diuinum miraculum fuit.

EQ. Is mihi videtur concinne quod habet Plin. lib. 2. cap. 51. alia eſſe fulmina ſicca, quæ non adurunt, ſed diſſipant; alia humida, quę non adurunt, ſed infuſcant; alia quæ dolia exhauriunt intactis operimentis, nullo veſtigio relicto; aurum, & æs, & argentum liquatur intus, ſacculis ipſis nullo modo ambuſtis, ac ne confuſo quidem ceræ ſigno. Martia princeps Romanorum, icta grauida, partu exanimato, ipſa citra vllum aliud incommodum vixit. In Catilianis prodigiis Pompeiano ex municipio Marcus Herennius decurio ſereno die fulmine tactus eſt.

TH. Sereno cœlo, eſt longe res admiranda magis, quandoquidem ex nubibus iam dictum eſt prodire fulmina, ac tonitrua, eaque fieri etiam naturæ viribus af- *Fulmina ſereno cœlo.*

 firmat

firmat Seneca, quod aliquid craſſum in aere ſuperſit, quod poſſit dum percutitur reddere ſonum. natu.lib.1.c.1.lib.2.cap.18.26. Verum & miracula hæc facta conſpiciuntur, nam diuina virtus materiis alligata non eſt. Sereno cœlo tonitrua miſiſſe ſæpe compertum eſt. Gregorius enim Magnus lib. Dialog.3.c.15. narrat tonitru ſereno cœlo miſſum iis verbis: *Florentius cum magna eius opinio longe lateque crebeſceret, quidam diaconus longe poſitus ad eum pergere ſtuduit, vt eius ſe orationibus commendaret: qui ad eius cellulam veniens (non procul à Nurſia) omnem locum per circuitum inuenit innumeris ſerpentibus plenum: cumq; vehementer expauiſſet, clamauit dicens, Serue Dei ora: erat autem mira ſerenitas. Egreſſus vero Florentius, ad cœlum oculos, & palmas tetendit, vt illam peſtem ſicut ſciret Dominus auferret; ad cuius vocem ſubito cœlum intonuit, atq; idem tonitru omnes illos, qui eundem locum occupauerant ſerpentes interemit: quos cum vir Dei Florentius interemptos aſpiceret, dixit; Ecce illos occidiſti Domine, quis eos hinc leuabit? Mox ad eius vocem tantæ aues venerunt, quanti ſerpentes occiſi fuerant, eosque mundato lo.o extulerunt.*

EQ. Non abſimile legiſſe me memini apud Metaphraſtem in vita S. Abercii Hierapolitani 22. Octobris: *Cum etenim locus egeret balneis ad ægrotorum ſolatium, apud fluuium conſtitus Abercius flexis Deo genibus humi procidit. Et ecce erumpit quidem tonitru cœlo ſereno: emittit autem terra fontes aquarum calidarum, & per omnia laudabatur Deus, qui iuſtos ſic exaudit.* Hæc ibi. Quibus accedit, quod cum Magi ſuperſtitionibus ſuis aduerſus Apoſtolos Simonem & Iudam Chriſti fidem prædicantes obſiſterent, populum auertentes, ſereno cœlo, fulgore percuſſi, interempti ſunt. S. Anton.tit.6.cap.14.

TH. Aptiſſima hæc arma Dei ſunt. Ethnici Iouem fulgura nitentem appingunt, nos haud dubie hæc Deo auctore miracula Dei profitemur: nam cum Sarraceni ſacroſanctam Gargani montis ædem inuadere conarentur, obſiſtentibus Sipontinis, è cœlo fulgura demiſſa ſexcentos Sarracenos obtriuerunt, vt ex vetuſtiſſimis monumentis recolit Surius in dedicatione templi S. Michaelis in Gargano monte, Tomo 5. menſe Septembri: quod accidit etiã impio patri, quando in filiam B. Barbaram Virginem ferina crudelitate deſæuiſſet, quod illa Chriſti fidem conſtantiſſime teneret, diuina vltio mox ſubſequuta eſt. Ipſe enim pater eodem loco, quo filiæ caput abſciſſum fuerat, fulmine de cœlo tactus, combuſtus eſt. Ioannes Damaſcenus in Vita S. Barbaræ, Surius Tomo 6. Decembri.

Fulminum varia effecta.

PH. Naturæ Dominus, quas leges ei dedit, & ſibi etiam ſeruauit, vt abſque natura conficiat quæcumque velit. Sed proſequamur reliqua fulminum miracula. Tria enim ſunt fulminum genera, aliud terebrat, illud diſcutit, aliud vrit. Sen. natur.lib.2.cap.40. At eodem lib.cap.31. proprietates miras recolit: in huiuſmodi fulminis enim quadam ſubtili potentia loculis integris & illæſis, conflatur argentum: manente vagina, gladius liqueſcit, & inuiolato ligno circa pila, ferrum omne diſtillat: fracto quoq; dolio vinum ſtat, nec vltra triduum ille perdurat rigor. Illud æque inter notanda ponendum, quod & hominum & animalium, quæ icta ſunt caput ad exitum fulminis ſpectat, quod omnium percuſſarum arborum contra fulmina haſtilia ſurgũt; quid quod malarum ſerpentium, & animaliũ cæterorum, quibus mortifera vis ineſt, cum icta ſunt fulmine, venenum omne conſumitur. In venenatis ſiquidem corporibus vermis non naſcitur, fulmine vero icta intra paucos dies verminant. Hæc ille.

TH. Sed mirabilius quod tradit Oroſius lib.5. cap.15. *Lucius (inquit) Ælius Eques*

Romanus

Romanus, cum vxore, & filiis de Roma in Apuliam rediens, tempeſtate correptus, cum filiã conſternatam videret, vt citius propiorib. tectis ſuccederent, relictis vehiculis correptisq; equis, filiam Virginem equæ inſidentem in medium agmen accepit: puella continuo ictu fulminis exanimata eſt: ſed omnib. ſine ſciſſura aliqua veſtimentis, ac pectoris pedumq; vinculis diſſolutis, monilibus etiam annulisq; discuſſis ipſoq; corpore illæſo, niſi quod obſcænum in modum, nuda, & lingua paululum exerta iacuit. Hæc ille, quæ etiam Vincentius retulit.

EQ. Superſunt multa ex eodem Seneca, quæ iam antea dici potuerunt. Scribit enim lib.2. cap.52. 53. in hæc verba: *Fulmen non eodem modo materiam omnem vexat, valentiora quia reſiſtunt, vehementius diſsipat, cedentia nonnunquam ſine iniuria tranſit: cum lapide ferroq; ac duriſsimis quibuscunq; confligit, quia viam per illa neceſſe eſt impetu quærat; itaque viam facit, qua effugiat; teneris, ac rarioribus parcit, quamquam etiam flammis oportuna videantur: quia tranſitu patente, minus ſæuit, loculis itaque (vt dixi) integris pecunia, quæ in his erat, conflata reperitur, quia tenuiſsimus ignis, per occulta foramina tranſit: quicquid autem in ligno ſolidum, & contumax inuenit, vincit; interdum etiam in eadem materia multa diuerſa eiusdem vis fulminis facit, ſicut in arbore quod aridiſsimum & rariſsimum eſt, vrit, quod duriſsimum ac ſolidiſsimum terebrat ac frangit: ſummos cortices diſsipat, interiores libros rumpit ac ſcindit, folia pertundit & ſtringit; vinum gelat, ferrum & æs fundit. Illud etiam mirum eſt, quod vinum fulmine gelatum cum ad priorem habitum redierit, potum, aut exanimat, aut dementem facit. Cui illud accedat, quærenti mihi id occurrit: ineſt fulmini peſtifera vis, & ex hoc aliquem remanere ſpiritum in eo ipſo humore, quem coegit gelauitq; veriſimile eſt: neq; enim alligare potuiſſet, niſi aliquod ei vinculum additum eſſet. Præterea quocunq; decidit fulmen, odorem ſulphuris eſſe certum eſt, qui quoniam grauis eſt, ſæpius hauſtus alienat.*

TH. Enumerat multos effectus fulminis admirandus Gregorius Reiſch in ſua margarita Philoſophica lib.9.c.20. *Fulmen (inquit) gladium in vagina, aurum in burſa, pedem in calceo demolitur, vagina, burſa, calceo illæſis, petroſa equidem ſine reſiſtentia ingreditur, circa ſolida vero & reſiſtentia diutius moratur, donec ea reſoluat; ſic & hominem, vel animal aliud intrinſecus in fauillam, & cinerem redigit, extrinſecus autem illæſum, & ſine macula relinquit. Retia etiam in aqua conſumit, quæ extra aquam minime lædit: venenoſitate ſua etiam vnum interficit, & proximum ſtantem minime lædit, ſua ſubtilitate de pariete in parietem, de cubili in cubile, de inferiore in ſuperius mirabili velocitate mouetur: interdum vas comminuit, vino aliquandiu in pellicula quadam ex viſcoſitate vini ſubito extracta, & indurata conſiſtente: ſed vinum hoc venenoſum redditur. Animalia venenoſa fulmine percuſſa, omne venenum amittunt, fulmen aliquando veſtem aut crines hominis adurit homine illæſo: nam cum debilis virtutis fuerit, in id, quod aliquid humiditatis continet vt corpus hominis, ſed ſicciora aggreditur.* Hæc ille.

PH. Augetur in vino gelato miraculum: quod cum venenata, vt proxime dictum eſt, venenum amittant, mirum in vino, quod contra omnia venena eſt, fulmine tactum quaſi in venenum commutetur: ita fiet, vt fulmen venena extinguat, puriora autem venenata reddat.

TH. Iſtos fulminis, quos diximus, effectus breuioribus recenſet Titelmannus in Philoſophiæ compendio, lib.6.c.11. Corpora rara, & peruia abſque nocumento pertranſiens, in interiora magis denſa, magisque reſiſtentia deſæuit, intacta veſte hominem conſumit, carnibus illæſis; alia adurit, gladium frangit vagina illæſa. Hæc ex illo.

EQ. Fulminum non ſolum admiranda vis in adurendis, aut diſſipandis rebus, verum

verum & rebus formandis: Olaus enim lib. 5. cap.16. de rebus Septentrionalibus ſcribit, Apud Gothos & Sueonios à fulmine tangi montes, marmoream duritiem ſuperantes, eorumq; ictibus formari tum Pyramides, tum columnas, quæ non minore arte exciſæ videantur, quam humano labore reliquæ ab Artificibus lapicidis ſtudioſe conficiuntur.

PH. Mira ſane eſt vis illorum. Nam Volſinium Tuſcorum oppidum opulentiſſimum totum fulmine concrematum eſt, teſte Plinio lib 2.cap.52. Et quanquam in omni Europa non admodum videantur vires ſuas oſtendere fulmina; tamen Septentrionali plaga vehementiora ſunt ob loci frigiditatem. Olaus enim eodem libro 1. c.6. formidabiliora ait eſſe tonitrua, coruſcationes, ac fulmina Aquilonaria. Sereno enim cœlo noctu illuceſcere ait: eſſeq; huiuſmodi horribiles coruſcationes, fulminaq; tanti roboris ſcribit, vt homines, ac iumenta ſimul plurima examinent: domos, templa, turresq; comburant, arboresq; in cinerem dirigant. Cui rei eo maior fides adhiberi poteſt, quod in Tartarica regione Regni Mongal, æſtate fulgura exanimant homines, ſimulq; mixtis niuibus cadunt: equitantes vi ventorum transferuntur, ni humi iaceant: Hyeme nunquam pluit, aliquando tanta exuberat grando, vt ex ipſa Regia domo 160. periiſſe ictibus, aut ſubmerſos iiſdem mixtis pluuiis, compertum ſit: mirum ibidem diem partim calore feruere; partim frigore algere magnum in modum. Id perluſtrauit Ioannes Apoſtolicæ Sedis Legatus ad Tartaros anno Domini 1245. Vinc.hiſt.lib.31.cap.3.

EQ. In Occidentali autem Orbis plaga, quæ Breſilia nuncupari in orbe nouo conſueuit, maiora de iis narrantur: nouiſſime enim ſcripſit Ioſephus Ieſuita anno Domini 1560. *In regione (inquit) Sancti Vincentii tonitrua ſuo fragore longe ſuperant, quæ in Europa fiunt: nam ingentem omnibus terrorem incutiunt, licet fulgura perquam raro demittantur; at coruſcationes adeo ibi excellunt, vt Solem ipſum ſuperare videantur: quandoque tamen fulgura eruperunt, quæ tanta coruſcatio præcedere viſa eſt, vt hominibus videndi vim obruerit.* Sed & in Tartarorum regione tonitrua, coruſcationesque adeo ingentis fragoris ſunt, vt homines exanimet, vt ſcribit Petr. Hiſpal. Sylu. p.4. cap. 23. Aliquando tamen etiam in Europa fulminum vis incredibilis agnita eſt: Surius enim in commentario ſub anno Domini 1546. *Mechliniæ in Brabantia (inquit) accidit clades memorabilis 8. Idus Auguſti: fulmen incidit in portam Arenariam, in qua aſſeruabatur pulueris tormentarii immenſa vis, quæ illo cœlitus lapſo igne inflammata, tam horrendum edidit fragrorem, & tonitru, vt plerique mortales putarent ſupremum adeſſe mundi diem: fuit id reuera ſpectaculum horroris, & terroris pleniſſimum: momento temporis porta illa mirabiliter diſſipatur, & non modo Turris, ſed etiam vicinorum murorum fundamenta reuelluntur, & longe, lateque per aera iactantur: foſſarum aquæ vi tanti ardoris exiccantur, ad latitudinem ſexcentorum paſſuum: & piſces earum cocti ſunt inuenti. Multi homines ſupra ducentos partim extincti, partim grauiter ſaucii reperti ſunt: ludebant quidam chartis in caupona, ſed ſubito oppreſſi pereunt: materfamilias domus ſola euaſit incolumis, quod magno ſuo commodo in cellarium deſcenderat ceruiſiam allatura: quidam poſt triduum è ſpecu progreſſus ſciſcitabatur, num mundus adhuc ſubſiſteret?* Eadem recolit etiam Georgius Bruin in Maclinio.

PH. Memorabilis ſane euentus, quamquam non tam fulminis, quam pulueris vis fuit: ſed illud ad veræ Philoſophiæ memoriam ſpectat, quod inter os & offam multa incidunt, vt iis luſoribus potaturis extinctis.

TH. Sunt plerunque hæc Dei opera in malorum vindictam, vindices enim creatu-

creaturas ſuas in impios ſæpiſſime facit: Cum etenim M. Aurelius Antoninus Philoſophus Imperator in Germaniam mouiſſet exercitum, piorum Chriſtianorum precibus, hoſtes profligati ſunt, è cœlo fulminibus iactatis.

EQ. Cum hanc rem Egnatius ſcribit, deplorat ſcriptorum Ethnicorum inuidiam, tantum enim fuit odium authorum veterum in Chriſtianorum nomen, vt ne à grauiſſimo quidẽ periculo nominis huius beneficio exempti meminiſſe gratiæ voluerint: cum tamen vel ipſius Antonini epiſtolis id fuerit perſpicue enarratum: ipſa enim Chriſtianorum legio, quæ è cœlo fulmina huiusmodi impetrauit ab ipſo Imperatore Fulminatrix appellata eſt.

TH. Inuidia illa latere, excuſarique nulla ratione poteſt, egregium enim hoc facinus falſa narratione depreſſerat Iulius Capitolinus, qui ita de ea re eſt locutus: *Fulmen de cœlo precibus contra hoſtium machinamentum extorſit Antoninus Imperator, ſuis pluuia impetrata, cum ſiti laborarent:* hæc Iulius Capitolinus, nec plura antea, nec poſt: ita vt ſi vno Capitolino authore præclara hæc res fuiſſet enarrata, Chriſtiani laude ſua defraudarentur. Sed ipſe Aurelius Imperator verè Philoſophus, vti ſe res habuit, luculentiſſima oratione conſcripſit in Epiſtola ad S.P.Q.R. cuius hæc ſunt verba: *Armatorum hoſtium numerabantur nongenta ſeptuaginta quinque millia: cumque non haberem copias conferendas numero barbarorum hoſtium, precabundus confugi ad opem patriorum numinum, à quibus neglectus & in arctum redactus ab hoſte, acciui, quos Chriſtianos vocamus: ii perquiſiti, benè multi reperti ſunt, infremui in eos, quod non debueram, vt poſtea cognoui ex mirifica eorum potentia: qui mox rem aggreſſi ſunt absque telis, armis tubisq́, nimirum abhorrentes ab iſtiusmodi paratu, & contenti Deo quem circumferunt ſecum in conſcientia; credibile eſt igitur, licet impios exiſtimemus, Deũ pro munimento habere in pectore: proſtrati enim humi, non ſolum pro me deprecati ſunt, ſed & pro præſenti exercitu, petentes opem contra vrgentem ſitim & inediam: quintus enim dies erat, ex quo aqua carere cæperamus; eramus quippe in hoſtili ſolo, in ipſo meditullio Germaniæ: Confeſtim autem, vt procubuerunt in facies & preces fuderunt ad ignotum mihi Deum, deſcenderunt de cœlo in nos quidem frigidiſſimus imber, in noſtros vero hoſtes grando mixta fulminibus, vt ſine mora ſentiremus præſto eſſe inuictam opem Dei potentiſſimi.* Hactenus ille. Cuius epiſtolæ ſeries tota adiicitur libris Iuſtini in calce Apologiarum eius, hiſtoriam autem recenſuit Tertul. ad 5. cap.

EQ. Eandem ipſam hiſtoriam, fulminaque huiusmodi in Aurelii hoſtes, precibus Chriſtianorum immiſſa, indeq; partam victoriam ſcripſit Euſeb. Cæſarienſ. Eccleſiaſt. hiſt. lib. 5. c. 5. ex translatione poſteriori, ac fideliori Ioan. Chriſtoforſoni Epiſcopi Ciæſtrenſis. Narrat eadem pluribus Xiphilinus apud Dionem, in Antonino Imperatore Marco.

TH. Nil igitur eſt ambigendum ſummi Dei vindices eſſe creaturas huiusmodi, præcipue autem Fulmina. Quod euidẽtiſſimo miraculo, vel ipſis initiis naſcentis Eccleſiæ contigiſſe compertum eſt: Scribit enim B. Gregorius in epiſtola ad Conſtantinam Imperatricem in hæc verba: *De corporibus Apoſtolorum quid dicturus ſum? Dum conſtet, quia eo tempore, quo paſſi ſunt, ex Oriente fideles venerunt, qui eorum corpora, ſicut ciuium ſuorum repeterent, quæ ducta vsque ad ſecundum vrbis milliarium in loco, qui dicitur Catacumbas, collocata ſunt: ſed dum ea exinde leuare omnis eorum multitudo conueniens niteretur, iſta eos vi tonitrui, atque fulguris terruit ac diſperſit, vt talia denuo nullatenus tentare præſumerent: Tunc autem exeuntes Romani eorum corpora, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, leuauere, & in locis quibus nunc ſunt condita, poſuerunt.* Eadem

omnia recenſuit Ioannes Diaconus in vita ipſius Gregorii lib.3.cap.56. Sed & O-
lympius Carthaginenſis Arianus Epiſcopus, cum publice in balneis ſanctam Tri-
nitatem deteſtaretur, tribus fulminibus ictus concidit, eiusq; cadauer exuſtum o-
mnino fuit. Platina in Anaſtaſio 2.

EQ. Concinne eſt, imo etiam admirabilius, quod legiſſe me memini apud Diuum Bernardum Clareuallenſem in vita S. Malachiæ Epiſcopi. Quem cum in Hybernia Epiſcopum Rex, atq; Epiſcopi intronizandum ſtuderent, obſtiterant nonnulli perditi homines, qui inſidias moliti fuerant, quibus Regem vna cum Epiſcopo interficerent. Res innotuit Malachiæ, qui ingreſſus Eccleſiam, eleuatis manibus orauit ad Dominum: & ecce nubes, & caligo, ſed & tenebroſa aqua in nubibus aeris diem verterunt in noctem: fulgura quoq; & tonitrua, & horribiles ſpiritus procellarum diem vltimum minitabantur. Denique ipſe, qui Princeps extiterat tanti mali fulmine percuſſus interiit, cum tribus aliis: & fuere conſortes mortis, qui fuerant participes ſceleris: quorum ſequenti die inuenta ſunt corpora ſemiuſta, & putrida, hærentia ramis arborum, vbi, quemquam ſpiritus eleuans alliſiſſet. Illos autem qui cum Malachia erant, quamuis proximos loco, tempeſtas omnino non tetegit, nec quicquam moleſtiæ intulit.

Bombarda tormenta.

PH. Cum de Dei ira fulmina proficiſcantur, licebit nobis etiam id ipſum aſſerere, de nouo illo fulminum genere adinuento (tormenta, bombardæue nominantur) nam velut lapillo albo annotanda recenſere libet, quibus crimina fulminibus à Deo vindicata ſunt; fuit ſane ingens Romanæ vrbis clades, quando à Borbonio Duce, inſcio Cæſare, direpta eſt Clemente VII. Pont. Max. Quo tempore populator, neque locis, neque rebus, neque perſonis ſacris pepercerat. At Deus rerum omnium male geſtarum vindex, magno miraculo in quatuor illius facinoris patrati authores, armis ſuis vltus eſt, fulminibus videlicet: In tantæ enim cladis vindictam, Borbonius, Dorbinius, Moncata & Aurantius, quatuor ſummi Duces, & populationis authores, ſinguli ſingulis icti fulminibus perierunt, vt annotat Iouius Eulog. octuageſimo quarto. Et quamquam non è nubibus fulmina illa fuerint, ſed ex tormentorum ictibus, tamen id factum eſt ad fulminum imitationem: Borbonius enim ictu globuli interiit, vti narrat Onufrius in ipſo Clemente VII. & Surius anno Domini 1527. Ac reliqui eodem mortis genere ſunt extincti, Iouio teſte. Dei ſunt hæc fulmina, non è nubib. concreta, ſed igne, globuloq; ab ære erumpente eiecta.

EQ. Ita eſt, nam & fulgura, & tonitrua arte confecta ab Amulio inuenimus initio conditæ Romæ, Zonaras enim Tomo 2. ſcribit his verbis: *E Tyberini poſteris ortus eſt Amulius homo ſuperbus, ſeque pro Deo venditare auſus: qui cum machinis quibusdam tonitrua tonitribus, fulgura fulguribus referret, ac fulmina iacularetur, ſubita inundatione paludis, ad quam habitabat, periit vna cum Regia demerſus.*

PH. Æquiſſima ſententia aquis obrutus, qui Deum imitari ſuperbe voluerit, Deique gloriam ſibi adſcribere: ſicuti & Tullus Hoſtilius non diu poſt, cum Numinis cultor negligens eſſet, ac ſuperſtitionibus addictus, fulmine conflagrauit. Zonaras eodem Tomo 2. Nec ipſe ſolus, ſed cum tota domo, vt habet Maximus lib. 9. Propterea & ipſi Romani ciues eum inter Deos receptum tali morte credere noluerunt, vti Cicero ſcripſit in libris de Republica, vti retulit Sanctus Auguſtinus de Ciuitate Dei, lib. 3. c. 15.

Fulgure extincti.

TH. Si turpis vita fuerit, difficile eſt, vt ſentiamus, fulmine tactos ſancte mori, niſi

niſi pœnitentiæ ſigna videantur: Anaſtaſius enim Imperator, quoniam Eutychianæ hæreſis fautor fuerat, infelix fulmine percuſſus interiit, vti habet Paul. Diaco. & Egnatius: Verum quia Zonaras id explicatioribus verbis narrat, libet ipſius verba referre, quæ habet Tomo 3. *Anaſtaſius deterritus eſt ſomnio: videbat enim virum terribilem, qui librum manu geſtans diceret, ecce ob peruerſitatem fidei tuæ, annos 14. vitæ tuæ deleo: & quia fatale ſibi eſſe ex oraculo didicerat, vt fulmine interiret, Tholotum ædificium conſtruxit, in eoq; degit, ſed fruſtra: Nam cum aliquando tonitrua horrendum in modum reſonarent, & fulgura multa eliderentur, atq; ipſe perterritus è cœnaculo deſcenderet, & alios, atq; alios thalamos ſubiret, in quodam Regio cubiculo mortuus eſt inuentus.* Hæc ille, ſane fulmine, quod ſe putabat effugere, ictus eſt, vt Cedrenus explicat.

EQ. Gratianus veſter, in Decretorum libris videtur hoc mortis genus tribuere Anaſtaſio Pontifici Romano, ſed perperam.

TH. Fallitur ſane vir ille bonus, neque enim vllum adfert (quin adferri non poteſt) veridicum teſtimonium pro Pontificis Anaſtaſii morte huiusmodi: Is enim Pontifex fuit inſignis, & ſanctitatis & fidei conſtantia, fuereq; omnia cõmentitia, quæ aduerſus illum perfidi quidam machinati ſunt, vt fuſius in libris de primatu Romanorum Pontificum, in eius primatu enarratum eſt. At Niceph. hiſt. Eccl. lib. 16. c. 35. ſcribit Feſti cuiusdam Schiſmatici fraude in ignominiam ipſius Pontificis Anaſtaſii, quem, vt viuentem ſtudebat de ſolio deturbare, ita defuncto fictitias literas falſo impoſuit: ipſe igitur Nicephorus, ſicut nec Zonaras, qui Anaſtaſii Pontificis mortem meminerunt, huiusmodi prodigioſi obitus nullam fecere mentionem, ſicut Anaſtaſii Imperatoris haud obliti ſunt.

EQ. Audiui Lutherum aliquando fulmine in adoleſcentia percuſſum, an ita eſt?

TH. Ita eſt: Nec eſt ambigendum: id enim egit Dominus, vt ſic conuerteretur & diſceret bene hærere Romanæ fidei, & religionem ſubire aliquam, vbi ſibi pro æterna ſalute conſuleret: Cum etenim Iurisprudentiæ animum appuliſſet, ambulans cum ſocio in agro, repẽte fulminis ictu ipſe prope exanimatus eſt, ſocium autem perdidit: Territus igitur, & conſternatus multis ſtupentibus, relicto mundo, & ſpretis omnibus, D. Auguſtini Inſtitutum Eremitanum complexus eſt, præmiſſoque probationis anno ſolemnem emiſit profeſſionem, diu, pluresq; annos in ea perſeuerans, donec dæmonis ductu, in perniciem totius Germaniæ apoſtatauit in omnes fœdiſſimas hæreſes, atque immania ſcelera prolapſus, improuiſa morte bene cęnatus extinctus eſt, vt ſic pateret, quam verum illud ſit: Mors peccatorum peſſima: narrat Surius in Commentario ſub Anno Domini 1517. Et quamquam parui referat, qua quis morte moriatur, igne, ferro, an aliter, mala enim tum mors eſt, cum mala vita præceſſerit, vt docet Auguſtinus libello de domo diſciplinæ, & libro de Ciuitate Dei, 1. cap. 11. Tamen imparatum mori, Sacramentorum obliuiſci, de ſalute non eſſe ſolicitum, impœnitentis animi ſigna ſunt, & in Spiritum ſanctum peccantes, vt in Luthero hæc omnia viſa ſunt: epulatus laute, debacchatus in Pontificem Romanum, ſcurrarum more ludens, eadem nocte eſt extinctus nullo pœnitentiæ ſigno edito. Econtra vero, ſi vita ducta fuerit virtutibus plena, ob oculos ſemper habita paſſionis Chriſti memoria, magna adhibita ſalutis ſolicitudine, communicatione Sacramentorum in vna Romanæ Eccleſiæ fide; ſubeat autem quæuis turpis mors, non fuerit turpis, ſed bona, quoniam bona vita fuerit.

EQ. Facile id mihi perſuadeo ex iis, quæ legi apud Sophronium in prato ſpirituali cap. 57. ſic enim ibi: *Quadraginta fere milliaribus ab Aegris Ciuitate Ciliciæ Stylites erat nomine* SIMEON: *Hic fulgure percuſſus interiit; Abbas ergo* IVLIANVS *Stylites preſbyter, præter conſuetudinem ſuam, inſolito tempore dixit diſcipulis ſuis: mittite thymiama in thuribulum: Qui dixerunt ei: Dic nobis cauſam, pater: orabantq; vt diceret eis: ſenex autem dixit, quia modo frater meus* SIMEON *à fulgure deiectus interiit, & ecce tranſit anima eius cum tripudio & exultatione: diſtabant autem ab inuicem milliaribus fere viginti quatuor.*

TH. Quandoque igitur non adeo ira Dei cenſenda eſt, cum quis fulmine de cœlo tangitur, cum accidat id ſæpe etiam viris Deo charis, ſicuti Simeoni Stylitæ ſanctiſſimæ vitæ viro accidit. Quandoque etiam ad augenda diuina miracula aliqui de cœlo tanguntur, quod accidiſſe compertum eſt Galli ſanctiſſimi viri tempore. Quidam enim fulmine ictus totus deformatus diuturna ægrotatione afflictabatur, perditis totius corporis, ac membrorum officiis omnibus, facie etiam ipſa ambuſtionis fœditate corrupta, acceſſerat ſurditas, & cæcitas, ac linguæ mutæ perpetua taciturnitas: adminiculo parentum is Romam perductus, miraculo omnium membrorum, ſenſuumq; priſtinum vigorem per Dei gratiam receperat: ſola cæcitas ad pietatis exercitationem Deo ita diſponente in illo permanſit: In vita S. Galli lib. 2. c. 26. Surius tom. 5.

EQ. Quid cenſendum de iis, qui *fulminum tactus, ad omen aliquod trahunt?*

TH. Superſtitioſi ſunt, nam neque inde vllius futuræ rei omen trahi poteſt: Ethnicorum is mos fuit, auguria & omina ſequentium. Propterea Romæ cum aliquando fulgur HADRIANI molem tetegiſſet, exuſta arbore, ac ſtatua ibi collocata, viri pii nil prorſus permoti ſunt, nihilque ominis inde traxerunt: ante etenim Pii Quinti obitum fulgure exuſta illa arbor fuit, quando inſignem illam victoriam aduerſus Turcas Chriſtiani apud Parros conſequuti fuerant: Anno Domini 1571. Defunctus tamen breui poſtea eſt optimus is Pontifex triumphaturus in cœlis: propterea vt de ignari vulgi mentibus opinio ſuperſtitioſa ex illo fulgure ſubmoueretur, hoc carmen conſcripſeram cum S. Petro loquens.

A Rate, Petre, tua malum cur igne tuliſti?
Omnia tuta ſalo, cætera agenda ſolo.

Aliud:

Petre, tua ex naui malum cur ſuſtulit æther?
In portu res eſt: nulla pericla mari.

Idem quoque contigit paulo ante Gregorii XIII. obitum: Nam exuſta fulgure eadem arbor fuit, ac breui ex antipodibus Iaponiis aduenere Romam Regum Regiæ ſtirpis oratores, ſub Gregorio Petri Apoſtoli, ac Chriſti Domini Vicario, ſua Regna coronasque ſubiicientes: Et quamquam breui etiam Gregorius diem poſtea obiiſſet, iam tum noua arbor, ſtatuaq; recta fuerat: Ideoq; etiam in eius arboris erectione, carmen hoc ad ſuperſtitionem vulgarem ſubmouendam conſcripſeram, ludens cum ſerpente.

Plangite Romani, ſublimis in arbore proſtat
En ſerpens, totidem renouatus vt exigat annos.
Sic Aquila exuuio pellit nudata ſenectam:
Sic Draco detracta quærit ſibi pelle iuuentam:
Fallitur: en paucos concedent numina menſes.

Sixti Quinti obitum quoque paucos ante menſes præceſſit fulmen quo lignea machina, qua ſummo Diui Petri templi vertice ſaxa pertrahebantur, ſublata, & disiecta eſt, Antennam vulgus nuncupat: id igitur lætandum ſignificabat, quod templum à nonageſimo circiter anno ædificari cœptum ſummum ad faſtigium iam iam perductum eſſe.

PH. Pulchra hæc quidem de fulguribus, ſed vt Colophonem de eisdem addamus, admiror illud, quod cum fulgura vulnus intulerint, vulnerata pars longe frigidior eſt reliquis corporis partibus, cum tamen ipſum fulgur ignitum ſit. Ex Plin. lib. 2. cap. 54. At eius rei ratio forſan eſt, quod ignita omnia cum refrigerantur, frigidiora ſolito fiunt.

EQ. Audio Laurum, marinum Vitulum & Aquilam à fulminum ictibus immunes eſſe, num ita res ſe habet?

PH. Id ſcripſit Plin. lib. 2. cap. 55. Rationem autem nemo quamuis perſpicaciſſimo ingenio ſcrutari vnquam potuit, niſi ad ſuperſtitionem res vergat potius, quam ad rei veritatem: at de locis regionibusque vbi fulgura non illidantur, dubio procul afferendum eſt. In Scythia etenim nunquam fulmina ceciderunt, ob ſummam aëris frigiditatem, quæ igneum vaporem extinguit, ſicut & in Ægypto non cadunt, ob ſummam regionis ſiccitatem atque caliditatem, quæ prohibet halitus terræ condenſari in nubes, vnde fulmina proueniunt, vt ſcripſit Plinius libro 2. cap. 50.

EQ. Poſt fulguris miracula ſuccurrit mihi curioſa quædam inueſtigatio circa ignem, quem extra fulguris rationem ſæpe è cœlo cecidiſſe hiſtoriæ prodiderunt, nunquid id natura faciat, an prodigioſe fiat? *Ignis cœlo cadens.*

TH. Ignem huiusmodi, cum fulmen non ſit, oportet nos fateri miraculo diuino mitti. Fulmina enim elementalem rationem habent, vt iam abunde dictum eſt. Si igitur elementati mixtique ratione careat ignis, ſupra naturam eſſe, negabit nemo.

PH. Prodigioſa res ignis eſt è cœlo demiſſus, & iram Dei præferre putarim. *Roma enim ab Alarico capta, cum perplura contigiſſent prodigia, inter quæ & terræmotus, etiam cum terræmotibus* (inquit Niceph. lib. 13. c. 36.) *ignis quoque de cœlo quaſi rupto delapſus, ſalutis ſpem omnem præcidit. Cladem tamen hominibus non intulit. Diuina namque benignitas vento vehementi demiſſo, & igne vndequaque prouoluto, in mare eum abiecit. Videre tum erat ſpectaculum nouum, fluctus ipſos perinde atque regiones quaſdam marinas plurimum igni ardere, quoadusque flamma prorſus in vndis extincta eſt.* Hæc ille. Et ne quis putaret, elementali virtute huiusmodi ignem concreatum fuiſſe, ſubiecit idem Nicephorus hæc: *Oſtenderunt non naturali aliqua ratione, ſicuti Græcæ ſuperſtitionis ſectatores delirantes dicunt prouenire, ſed diuinæ indignationis flagella ea hominibus immitti.* At quandoque is ignis in Dei, ſeruorumque eius, ac veritatis gloriam è cœlo mittitur, ſicut è cœlo ignis deſcendit in altare Heliæ aſtantibus falſis Prophetis, 3. Reg. 18.

TH. Id ita eſt: nam cum Chriſtus etiam per Samariam aliquando tranſiturus, in Iudæam proficiſceretur, Samaritani ipſum excipere contempſerunt, eam ob rem zelo moti Iacobus & Ioannes Domino dixerunt: Vis dicamus, vt ignis de cœlo deſcendat, & conſumat illos? Et conuerſus Dominus increpauit illos dicens: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis, filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare, Luc. 9. Quo ex loco & ignem è cœlo mitti per indignationem Dei colligimus, rurſum eiusdem Dei miſericordia diuerti.

PH. Eadem diuina indignatio ignem ſæpe mediis cauſis concreat, vt ſic vel igne elementali iracundiæ ſuæ veſtigia exerceat, vti ſeptimo Iuſtini Imperatoris tempore Antiochiæ contigiſſe narrat idem Nicephorus lib. 17. c. 3. Maii enim vigeſimo nono die, meridie poſt terræmotum, omnia quaſſans, & in ſolum coniiciens, fulmen acceſſit, vt quod intactum ille reliquiſſet, ignis imminens conſumeret: in cinerem enim & puluerem admirando prorſus modo omnia redegit. Ira enim hæc Dei fuit, & tamen fulmen fuit, & fulminis incendium.

TH. Ignem etiam non elementalem demiſſum dicere poſſumus eum, de quo Gregorius Turonenſis hiſt. Gallicarum lib. 10. cap. 29. Scribit enim apud Lemouicinam vrbem ob Dominici diei iniuriam, quod in eo publicas operas ciues exercerent, pleroſque cœleſti igne conſumptos: ſed & Turone ob alterius diei violatam feſtiuitatem ſimili igne aduſtos teſtatur ibidem. Cui rei exempla perplura congruunt deprompta è ſacris literis. Numer. enim lib. cap. 16. cum ſectatores Dathan Moyſi parere contempſiſſent, ignis egreſſus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incenſum.

EQ. Non abſimilis ille ignis fuit, de quo legiſſe me memini 4. Reg. 1. Ocozias enim Rex conſulerat Belzebub, num incolumis ab ægritudine euaſurus eſſet: quamobrem ab Helia correptus eſt; at cum Rex ad Heliam quinquagenarium Principem miſiſſet, reſpondit Helias; ſi homo Dei ſum, deſcendat ignis de cœlo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Deſcendit itaque ignis de cœlo, & deuorauit eum & quinquaginta, qui erant cum eo; biſque huiuſmodi ignem Helias è cœlo ad conſumendos quinquagenarios impetrauit. Certe huiuſmodi ignem non elementatum eſſe facile quiſque ſibi perſuadere poteſt, ſed ſolius Dei miraculo mox creatum in iræ ſuæ indicium.

TH. Nec ſemper ignis huiuſmodi iram Dei indicat, ſed quandoq; in ſanctorum exercitium & probationem: cuiuſmodi patet Iob. 1. ibi enim ſic habetur: Ignis Dei cecidit è cœlo, & tactas oues pueroſque conſumpſit; non enim fruſtra Dei ignem appellat, quo aurum, & probari purgariq; ſolet, non abſumi. 1. Petr. cap. 1.

EQ. Sunt ſane miranda hæc veterum ſcripta: attamen etiam noſtro hoc ſeculo non admodum diſſimilia contigiſſe ſcripſere, qui ad Indos adnauigarunt. Melchior enim Nugnez ex Coccin 8. Ianuarii 1558. memorat, in prouincia Sanciorum (intra Sinarum regiones ſita eſt) inundationem miro quodam modo factam, qua deletæ fuerant vrbes ſeptem, præter Rura, & Oppida, non pauca, deletaque omnia animantia, præter vnicum puerulum ſeptennem ligno quodam ereptum. At quoniam plurimi inundationem effugere adniſi ſunt, miraculo iram Dei non valentes effugere, igne de cœlo miſſo conſumpti ſunt. Hæc ille.

TH. Æquiſſima ſententia, vt qui mitiorem pœnam aquarum ſcilicet inundationem pati detrectarent, in deteriorem inciderent: ita fiet quoque nouiſſimis mundi temporibus; nam diluuio prima vniuerſalis in totum orbem Dei ira aquis mitior fuit, vltima per ignem acrius excandeſcet, vti habet epiſtola Petri Apoſtoli 2. cap. 3.

EQ. Poſtquam incidit diluuii mentio, & iam de igne cœleſti egimus pluribus, optarim ſcire, ſi pluuiarum quædam immenſæ & inuſitatæ procellæ ad iram Dei ſpectare videantur?

TH. Quamcunq; naturæ ordinis præpoſterationem, aut in deterius augendæ vel minuendæ æqualitatis elementorum non aliunde, quam ab ira Dei profici-

ſci cen-

ici cenſendum eſt, auferentis ſpiritum, ſeu manum ſuam. Ordinatione enim Dei perſeuerat dies, rectusq; curſus ſyderum. Pſal. 118. At ſi ſpiritum ſuum ſubtrahit, quo omnia reguntur, deficient omnia. Pſal. 103. Iram enim ſuam Deus tum præcipue execranda pluuia indicauit, quando ſulphur & ignem pluit ſuper Sodomam & Gomorrham de cœlo, ſubuertitque ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuerſos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia. Gen. 19.

EQ. Huiusmodi pluuiam per Dei ſummam iram profectam, nemo vnquam dubitauit, ideo vt de diluuiis agamus & diſſeramus, peropportunum videtur.

TH. Diluuia plura fuere aquarum tantum inundatione, eaque non niſi per Dei iram demiſſa ob hominum ſcelera: & vt prætereamus vulgatiſſimum ſub Noe diluuium, quo quadraginta diebus nullo interpellato momento, ſemper totum in orbem pluit, adeo vt ſupra omnes montes 15. cubitis omnis ſuperficies terræ obrueretur inundatione, perſeuerante eodem tumore ad dies 150. cuius meminit etiam Plato, teſte Euſebio 7. præpar. Euang. lib. 12. c. 10. Id certe accidit ab ira Dei, cum omnia animantia fuerint extincta, ſoli piſces ſeruati, id eſt, fideles baptiſmi aquis immerſi, vt diuus Auguſtinus tradit de mirab. ſcrip. lib. 1. c. 4. Tom 3. Ogygii. Diluuium fuit in Achaia longe ante aliud Deucalionis diluuium, vti teſtantur Solinus, Euſebius Cæſarien. Hieronymus, Oroſius lib. 1. c. 7. fuiſſeq; huiusmodi diluuium maius illo Deucalionis, teſtatur S. Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 18. c. 8. quod fuiſſe ante vrbem Romæ conditam annis mille quingentis, teſtatur Oroſius. Tertium Deucalionis fuit in Theſſalia, de quo Aug. eod. lib. de Ciuit. Dei c. 8. & c. 10. & Oroſius lib. 1. c. 9. Vtrumque igitur in Græcia fuit, & circa eam, non tamen in Ægyptum vsque perueniſſe conſtat, ipſo Aug. teſte eod. c. 10. ac Platone in Timæo, ac Diodoro Siculo. Hæc itaq; diluuia absque ira Dei contigiſſe nemo temere audeat aſſerere, quum tanta rerum perturbatio facta fuerit, tot homines ciuitatesque abſorptæ. Nam diuus Greg. homil. 35. ex 40. pluuias nimias ad indignationem diuinam ſpectare ſcripſit in hanc ſententiam: *Notandum* (inquit) *quod dicit Dominus, futuros terrores de cœlo, & tempeſtates; cum tempeſtates hyemales venire ex ordine ſoleant temporum, cur hoc loco tempeſtates venire in perditionis ſigno prædicuntur? niſi quod eas tempeſtates Dominus venire denuntiat, quæ nunquam ordinem temporum ſeruant? quæ enim ordinate veniunt, ſigna non ſunt, ſed tempeſtates in ſigno ſunt, quæ ipſa quoque temporum ſtatuta confundunt, quod nos quoque nuper experti ſumus, qui æſtiuum tempus omne conuerſum in pluuiis hyemalibus vidimus.*

Diluuia.

PH. Ita rem ſe habere perſpicuum eſt vel alio exemplo, de quo Platina ſcripſit in Adeodato Pontifice I. Illo enim tempore Sarraceni Siciliam occuparunt, cum etiam tota fere Italia cladibus quateretur: huiusmodi autem clades (inquit Platina) indicabat ſtella crinita tribus menſibus continuis apparens, ac pluuiæ magnæ, ac frequentia tonitrua, qualia nunquam antea fuere. Sed cæcum eſt humanum genus, etſi enim futura præuidere ſinitur, non tamen, vt decet, ſibi cauet. Ferunt autem, his frequentibus pluuiis omnes ſegetes conculcatas iterum renatas eſſe, & ad maturam frugem perueniſſe in Ciſalpina potiſſimum.

Pluuiæ ingentes.

EQ. Pluuiarum ingentium notabilius exemplum legi aliquando apud Euagrii hiſtoriam lib. 2 cap. 14. in hæc verba: *Priſcus memorat, tam ingentem pluuiam Conſtantinopoli & in Bithynia extitiſſe, vt ad tres aut quatuor dies aquæ inſtar fluuiorum de cœlo præcipitarent, & montes illarũ violentia in planitiẽ deprimerentur, quin etiam ſic obruerentur pagi, vt in exitiũ diſcrimẽ venirent, inq; Boana lacu, qui non longe abeſt Nicomedia, ob crebram*

ſordi-

ſordidam cuiuſque generis materiam in eum congeſtam, nonnullæ fierent inſulæ. atque hæc quidem ſub Leone Imperatore, quæ totidem fere verbis recenſet Nicephorus lib. 15.cap.20.

TH. Illa ipſa Conſtantinopolitana vrbs, poſterioribus quoque ſeculis ſua ob crimina eandem cladem experta rurſum memoratur. Anno enim Chriſti 1490. quando Turcicum iugum iam diu ferebat, auctis magnum in modum culpis, duodecima Iulii menſis die tanta procella imbrium exorta eſt, vt hominum tria millia, & octingentas domos abſumpſerit, vt Palmerius tradit, & Naucl. gener. 50. & Langus chron. Citiz. an. Domini 1490.

EQ. Eadem etiam in Germania non ſemel contigiſſe memorantur. Nam etiam in Boëmia Albis fluuius nimiis imbribus excreſcens an. Domini 1432. multas cum plebe villas conſumpſit, & iuxta vrbem Hallenſem Sulæ muros ſuperauit: atque in Thuringia ſupra quadraginta villæ demerſæ perierunt, plebibus armentiſque abſumptis, vt Krantzius recolit in Vand. lib. 11. c. 27. Quin & in Saxonia, circa Diui Nicolai celebrationem multæ villæ demerſæ memorantur an. Dom. 1264. vt ex appendice Schafnaburgenſis conſtat, & ex compilatione Chronologica anno Domini 1264. Quibus accedit inundatio Moſæ fluuii, & Walis iuxta Dordracum ob imbres nimios: excreuerant enim, etiam Mari æſtuante adeo, vt ſeptuaginta pagos totos ſubmerſerint anno Domini 1421. quo caſu cum bonis ſuis periiſſe memorantur centum hominum millia. Georgius Bruin in Dordraco. Recte igitur cum Diuo Gregorio Magno ſentimus, nimias pluuias vel ipſo patenti effectu iram Dei ſignificare.

TH. Et ſiccitas iram Dei oſtendit, vt eſt nobis exemplo triennium, quo in Galad Palæſtinæ nunquam pluit, 3. Reg. cap. 17. Sed nunquam tanta fuiſſe traditur, quanta in Gallia, quandoquidem & fontes & putei exiccati ſunt, vt Robertus de Monte tradit anno Domini 1137. quod & Martinus Polonus tradiderat. Deinde ad iræ diuinæ reliquum ſubterraneus ignis apparebat, qui biennio nullis aquis extingui poterat, vt Wernerus in faſciculo adnotat in Lothario II. Nam per humi ipſius rimas adeo latere agnoſcebatur tanta vi, vt neque imbribus, nec frigore, aliave arte extingui potuerit, toto (vt diximus) biennio, vt Martinus idem recolit. Propterea, vt ex culpis hominum irritatur pietas diuina ad ſiccitates huiuſmodi permittendas: ita pœnitentia conuerſioneque placatur, vt pluuiæ concedantur oportunæ. Cum etenim in prouincia Auſtralium Saxonum toto nunquam pluiſſet triennio, dum in infidelitatis tenebris obuoluerentur, mox ſuſcepta Chriſti fide, ac diuino baptiſmate Wilfridi ſolertia, pluuiæ in tantam copiam ingruerunt, vt campi fœcunditate vbique exuberarint vt Beda memorat Angl. hiſt. lib. 4. cap. 13. Sed & in Hiſpania, cum toto ſeptennio nunquam pluiſſet, Sancti Andoeni oratione pluuiæ à Domino exoratæ ſunt, vt tradit Vinc. hiſt. lib. 23. cap. 29. Sic enim nemini dubium eſſe debet, importunas pluuias, importunamque ſerenitatem, Deum rogatum auertere; reddere autem oportunas tum pluuias, tum ſereni cœli iucunditatem. Propterea Diui Ioannis Euangeliſtæ veſtes Romæ in ſupplicationibus deferri conſueuerant, vt vtrumlibet horum expediret, Deus rogantibus concederet, vt tradit Ioan. Diacon. in vita S. Gregorii lib. 3. cap. 58. 59. Sunt tamen Climata quædam, vbi natura ſemper ingruunt pluuiæ, veluti maxima anni parte tradunt pluere iuxta Vrabam noui orbis vrbem: propterea arbores plus æquo humorem reddere, ſtillareque perpetuo. Petr. Hiſpal. p. 5. c. 26. Sed in noui orbis re-

gione

gione Mexicana cum pluit, tanto impetu & magnitudine guttulæ irruentes ingruunt, vt homines necent. Liber de rebus Sinarum p.4. atque hæc quidem natura fiunt.

PH. Hæc pluuiarum, aut ſereni cœli exempla prodigioſa non videntur pro regionis poſitione: nam alicubi plurimum pluit, alicubi perraro, alicubi nunquam. In Tartarorum regione hyeme nunquam pluit, at æſtate frequentiſſime. Petr. Hiſpal. p.4. cap 23. In Peruaco noui orbis prouincia, Tumbez regio eſt, in qua neque vnquam pluit, ningit, neque vnquam fulgura deiiciuntur per longitudinem leucarum 50. id eſt, Italicorum milliariorum 200. latitudine autem leucarum 20. id eſt, Italicorum milliariorum 80. At proximis ibi montibus & pluit, & ningit plurimum, vt ſcribit Petr. Hiſpal. Silu. p.5. cap.25. Deinde eiusdem Peruaci campeſtribus quibusdam ab Octobri in Martium vsque menſem nunquam pluit. Ibid. Petr. Hiſpal. Qui & in Vraba (vt diximus) eiusdem noui orbis regione teſtatur, maiorem anni partem perpetuis fere pluuiis transigi, atque ideo ab arboribus ait perpetuo ſtillare è frondibus humorem potabilem. Idem Petr. ibidem cap. 26. Ita fiet, vt illis regionibus inuſitatæ pluuiæ cenſendæ non ſint, neque prodigioſæ, quæ hoc noſtro Europæ cœlo forent magnum in modum hominibus timorem illaturæ.

TH. Erit igitur etiam admirabilis quæuis leuis pluuia regionibus illis, quibus nunquam pluere teſtantur authores, cuiusmodi Mela teſtatur lib.1. cap.5. in princ. *Aſiæ* (inquit) *prima pars Ægyptus ad meridiem refugit, terra expers imbribus, mire tamen fertilis, & hominum aliorumque animalium perfœcunda generatrix.* Quod etiam nouiſſime teſtatur Surius ſuo Commentario An. Domini 1517. Quin non longe ab Alexandriæ littoribus in finibus Cyrænorum, pluuiam illic fuiſſe, nec aliquando quidem auditum eſt; ea ibi ſola meſſis eſt, quæ celeritate prouentus per naturam Solis, ſiue aeris ventorum caſus euadere ſolet, quippe fertur à die iacti ſeminis triceſimo die matureſcere, ita ex libro de vitis ſanctorum Patrum, quod Hieronymo adſcribitur, cap.1. Cui accedit, quod cum in Aphrica perraro pluat, noctes tamen admodum roſcidæ ſunt. Plin. lib. 2. cap. 62.

EQ. Erit ergo in Europa prodigioſum, ſi vel annum integrum non pluat, ſicut in ſacris literis iam dictum eſt, pluuias ob peccata negatas, cœlumq; clauſum irato Domino, Achab Regis tempore, ita Heliam pronunciaſſe ne plueret, triennio non pluiſſe, 3. Reg.17.18. Luc.4. Habet igitur ira Dei & pluuiam & ſiccitatem, quibus in hominum peccata animaduertat, vt tot inſignibus exemplis diſſeruimus: at aliquando vtrumq; habet, etiam vt placatus videatur, cuiusmodi in ædificatione Hieroſolymitani templi ſub Herode contigiſſe narrat Zonaras Tomo 1. his verbis: *Traditum eſt eo tempore, quo templum ſtrueretur, (id quod vno anno & menſibus ſex perfectum eſt) interdiu non pluiſſe, ſed imbres noctu eſſe factos, ne opera impedirentur.*

TH. Propterea orationibus atque ſupplicationibus, tum ſerenitatem, tum pluuias à Domino, vt diximus, impetramus: idque apertiſſime experiebatur Roma Gregorii Magni tempore, quoniam in Baſilica Conſtantiniana Ioannis Apoſtoli veſtes aſſeruabantur, vt dictum eſt, quæ & ſiccitatis tempore elatæ pluuiam conferebant: econtra inundationes in ſerenitatem conuertebant. Sed & Sanctus Theodorus Siceorum admirandæ vir ſanctitatis, & pluuiam in ſiccitatem conuertebat, & in pluuiam ſiccitatem. Cum etenim aliquando Hieroſolymam fuiſſet profectus, ibique deficientibus pluuiis omnia exaruiſſent, eius rogatu, cum ipſi

D non

non impetraſſent, à Patriarcha atque Clericis habita omnium ſupplicatione, ingens pluuia de cœlo miſſa vrbem vniuerſam atque puteos oppleuit, vt teſtatur diſcipulus eius miraculi inſpector Gregorius, qui illius vitam conſcripſit apud Lipom. Tomo 7. At econtra quum nymbi exundantes pluuiis quotannis fructus eriperent in loco, cui Reate nomen, rogatus ab incolis, conſtituta ſupplicatione, cruces quatuor fixit ad regionis fines: quo factum eſt, vt nymbus ille nunquam vlterius regionem illam inuaſerit. Ita fit (vt iam diximus) vtrumque tum ſerenitatem, tum pluuiam ſupplicationibus eſſe impetrandam, vt placetur Deus, qui vtroque velut animaduerſionis gladio vtitur ob peccata.

PH. Simul enim vtroque quandoque Deus in vindictam eſt vſus. Legi enim apud Liuium Decade 4. lib. 7. in princ. Sereno cœlo Nurſiæ nymbum ortum, ibiq; duos liberos homines exanimatos, vt vel ſic pateant omnia diuino regi numine, tum pluuiam, tum ſerenitatem, tum vtrumque ſimul, tametſi contraria ſint.

Pluuia lapidum & alia inſolita.

EQ. Iram autem diuinam imminere, magno hominibus incuſſo metu, illæ prodigioſæ pluuię nobis indicare ſolent, quando inſolitum aliquid accidit, velut ſi lapidibus pluit, vt in Picæno accidiſſe teſtatus eſt Liu. Deca. 3. lib. 1. ad fin. ſed & ad Sinueſſam ead. Dec. lib. 3. ſed & Ereti quoque id accidiſſe memorat Deca. eadem lib. 6. & lib. 9. Sed admirabilius quod habet Deca. 1. lib. 1. in Albano eodem impetu ait pluiſſe lapides, quo cum grandinem venti glomeratam in terras agunt. Cui compar miraculum aliud enarrat Dec. 3. lib. 5. ſcribit enim pluiſſe lapidibus biduum continenter in Albano monte.

TH. Hæc forte fabuloſe Romam deferebantur, ideoque à Liuio ſcripta ſunt. At è ſacris literis apertiſſimum id eſt, Ioſue cap. 10. his verbis: Quinque Regibus Amorrhæorum congregatis aduerſus Ioſue, Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cœlo, & mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percuſſerant filii Iſrael. Sed & S. Auguſt. lib. 3. de Ciuit. Dei cap. vltimo id fatetur, vt lapidibus pluerit aliquando. Platina autem in Ioanne XIII. ſcribit, ſæuiente ventorum & imbrium procella, lapidem miræ magnitudinis è cœlo cecidiſſe in Italia. Sed & Modognetus in vita M. Aurelii Imperatoris lib. 1. cap. 25. teſtatur, Conſtantinopoli ſub Valentiniano Imperatore adeo lapidibus pluiſſe, vt iumenta campeſtria fere omnia fuerint extincta, atque ciuium non pauci interierint. Sed & nouiſſime Surius in Commentario Anno Domini 1509. Fuit hoc anno (inquit) ſæuiſſima procella, ferunt ea tempeſtate cecidiſſe ex aere lapides oui gallinacei magnitudine. Sed & Anno Domini 1510. tradit, in Inſubribus pluiſſe ſaxa grandia, è quibus vnum pondus habuit librarum 120. fuiſſeque ſilicibus duriora, odore ſulphureo.

EQ. Non deſunt plurima alia exempla, quibus lapidibus pluit, ſed & lacte, lana ac ſanguine, annona, manna, adipe ac piſcibus, ſed & cinere, atque etiam muribus, & coturnicibus, ac ſagittis, & carnibus: nam omnia libenter recenſebo. Nam de lapidibus non videtur ambigendum ſæpe pluiſſe: ſeptem enim diebus pluiſſe lapides memorat Oroſius libro 5. capit. 18. & alias etiam recolit libro 3. capit. 7. quod poſterioribus quoque ſeculis teſtantur Hiſtorici. Nam in pago Beluacenſi lapides ouorum gallinaceorum magnitudine pluiſſe quadrangulari forma, arbores villaſque obruiſſe, ac abſumpſiſſe conſtat. Quin in Laudinenſi Diœceſi tanta vis fuit etiam fulminis, vt Caluus mons (oppidi nomen eſt) totus abſumptus ſit, vt Vincen. habet hiſtor. libro 29. capit. 56. agebaturque annus Domini 1190. quod &

Sifri-

Sifridus Presbyter etiam recolit eodem anno. Sed & Henrico Imperatore Ænobarbi filio Siciliam occupante in Italia ipſa lapidibus pluiſſe, tradit Bonfinius decad. 2. libro 7. Deinde etiam Anno Domini 1496. lapides gallinaceis ouis magnitudine pari exacta diuæ Margaritæ ſolemnitate iuxta oppidum Munckperge pluit: & quod valde auget admirationem, viſebantur in eis hominum vultus, & diademata. Linturius id memorat ad faſciculum, Anno 1496. Sed & hoc noſtro ſeculo in orbe nouo, in Gagona valle tantum procella inualuit, vt eradicatis in ſublimeque elatis arboribus lapidibus pluuiæ ingruerent: id habet Petrus Martyr in Summario Indico. Sed & in Meaco (vrbs inſignis eſt Iaponica) Anno Domini 1577. Regulus quidam ethnico ritu ſuo Dæmoniacam celebrabat feſtiuitatem, in qua plurimum publiceque Chriſtianæ fidei Sathanico ore detrahebat: Mirum, è ſereno cœlo ſaxorum crepitantium pluuia decidere viſa & audita eſt, qua omnis illa Idololatrarum multitudo, quæ ad viginti millia numerabatur, dilapſa eſt, neque equidem vnus permanſit eo loci, adeo illa vis Angelica Chriſtiani nominis tuendi cauſa, inſanientium cordibus metum incuſſerat; recolit qui ſpectator fuit Organtinus Ieſuita. Sed & alia non ſunt nunc prætermittenda: nam igniti lapilli pluerunt: in Marchia enim Brandeburgenſi ad oppidum Vredeland ipſa S. Remigii die, igniti lapilli grandinis modo, frequentes & igniti campeſtria omnia vaſtarunt Anno Domini 1304. Krantzius Sax. lib. 8. cap. 37. Vand. lib. 7. c. 46. Sed hæc nihil lædent, ſi Deus placetur: nam in Colonienſi Eccleſia cum mota procella lapidem inſignis magnitudinis deieciſſet, penetratiſque duabus teſtudinibus, Thecam haud dubie, qua ſanctorum Magorum corpora ſeruantur, obtriturus eſſet, Theca retroceſſit ad parietem caſum euadens: lapis miraculi cauſa adhuc hodie oſtenditur. Krantzius Sax. lib. 11. c. 25.

PH. Eſt ſane admirandum, & tamen verum eſt, nubes trahere lapides, ſicut etiam piſces, vt habet Plin. 31. cap. 1. Propterea hæc aliquando decidunt. Sed & carnes pluiſſe Liu. habet decade 1. lib. 3. habet & Plin. lib. 2. cap. 56. qui & ferrum, & lac, & lateres coctos etiam pluiſſe teſtatur. De lacte etiam Liuius meminit decade 3. lib. 7. ac Oroſius lib. 4. cap. 5. Pluiſſe terram Aniſterni teſtatur Liu. dec. 4. lib. 5. & Tuſculi decade 4. lib. 7. in princ. Cretam pluiſſe calibus, ſcribit idem Liu. decade 3. lib. 4. Sed in tanta Ethnicorum ſuperſtitione ac leuitate nemo conſtanter aſſerere poterit, quomodo quave ratione ea contigerint.

EQ. Acciderunt hæc, pleraque etiam Ethniciſmo deficiente, poſtquam Chriſti fides colitur. Nam in Asbanio in Gallia pluiſſe annonam, frumentumque, ac piſciculos. Anno Domini 989. memorant Wernerus in faſciculo in Othone 2. Segebertus illo vetuſtior, Vinc. hiſt. lib. 24. cap. 97. & Palmerius. Sed & frumentum, & hordeum, & legumina, cœlo velut pluuiam cecidiſſe in Campania, tradit Vinc. hiſt. libr. 23. cap. 148. in Liguria carnes pluiſſe Calliſto III. Papa, tradit Bonfin. decad. 3. libro 8. At carnes, id eſt, adipem, quem & volucres raperent in eſcam, tradunt pluiſſe apud Syluam Loibin in villa Suellæ 3. Non. Martii An. Dom. 1238. id habet Appendix ad Schafnab. An. Dom. 1238. Lanam pluiſſe apud Atrebatum Valentiniano Imperatore, qua diteſcerent incolæ, recolit ſanctus Hieronymus. Cui accedit Paul. Diac. lib. 11. Freculfus libr. 2. cap. 13. Vinc. hiſtor. libr. 14. cap. 50. Sed omnium pluuiarum illa admirabilior fuit, qua Manna in deſerto ad Iſraelitici populi eſcam quotidie pluerat: nam tametſi in craſtinum ſeruatum marceſceret, Sabbatho tamen die incorruptum ſeruabatur. Sed maxime admirandum

fuit, quod qui vera fide ducti in Deum id colligentes in eſcam ſumebant, quocumque oblectarentur eſcarum ſapore, ſiue carnis cuiuscumque ſpeciei, ſiue piſcium, ſiue fructuum; is ſapor in illo Manna ſentiebatur. Sapientiæ lib.cap.16. quod Sanctus Auguſtinus ſcriptum reliquit epiſtola 119.c.3.& Retractat.lib.2.cap.20. At qui non recta fide, neque pietate ſumerent, nullus in eo ſapor ineſſe videbatur, eod. cap.16.Sap. Pluit præterea & cinis, & ſanguis aliquando, vt Authores tradunt.

PH. Verum autem eſſe non dubitamus, *Sanguine pluiſſe* biduo in area concordiæ Romæ, vt habet Liu.Dec.4. lib.9. in fin. Nam & in Tatii cæde pluiſſe ſanguinem teſtatur Zonaras Tomo 2. Quibus fides adhiberi poteſt, quandoquidem etiam hoc noſtro ſeculo teſtatur Surius in ſuo Commentario, An. Domini 1543. circa finem, in Diœceſi Monaſterienſi ad Caſtrum Saſſemburg, haud procul à Barendorp ſanguine pluiſſe. Platina in Hadriano II. Pontifice tradit, apud Brixiam, ante eius Pontificis mortem, tribus diebus ſanguine pluiſſe. Vinc: habet lib.24.c. 418. Sed & apud Britones in Gallia in oppido Rocello pluiſſe ſanguinem Anno Domini 1163 memorat Rob.de Monte eius temporis author. Sed quid externa recenſemus? Romæ An.Domini 1456. pluit ſanguinem ad portam Veneris, pluit & carnes. Bonfin.dec.3.lib.8.& Palmerius in Calliſto III. Imo pluiſſe cineres nullum dubium: Conſtantinopoli enim ad palmi altitudinem decidiſſe pluuias modo ſcribit Zonaras in Leone I. Sed id habet explicatius Niceph.lib 15.cap.20. Leonis tempore cinere etiam Conſtantinopoli, nubibus in ignem verſis pluit, qui cinis palmi minoris prope altitudine in tegulis iacuit, id quod euidentiſſimum indicium imminentis incendii fuit. Itaque cum tremore omnes egreſſi Deum precibus placarunt, ignea pluuia Deum abolere velle omnia dicentes. Porro Deo ad miſericordiam conuerſo flamma extincta, & cinis horrendus in terram delatus eſt. De hoc Procopius etiam Cæſarienſis alicubi memorat ex Bebio, cum monte ortum habuiſſe ſcribens. Vnde ille quum plurimus redditus eſſet vento violento in ſublime actus, eo loci vbi conquieuit, deciderit. Fortaſſe autem & Deus illum ita in ſublimi aere iactatum in ea loca, quæ pœna coercenda erant, coniecit.

TH. Murium quoq; genus quoddam pluere quotannis, imo non aliunde apparere, quam demiſſum pluuiis in Aquilonari cœlo tradit Iacobus Ziglerus, vir alioqui impius, ſed id in colloquio de quadrupedibus fuſius proſequemur. Cothurnicum fuit quoque inſignis illa velut pluuia vento agitata, ad ſedandam Iſraelitici populi appetentiam, vt lib.Num.cap.11. conſtat. Fuit autem eius rei copia tanta, vt vltra viginti millia paſſuum circumquaq; terra eis tegeretur, ſed illa copia per iram Dei fuit demiſſa; ſæpe enim (vt Auguſtinus ait) multa concedit Deus iratus, quæ negat placatus: ſequuta igitur eſt peſtis grauiſſima.

EQ. At non fuerit prætermittendum iræ Dei illud pluuiarum exemplum, quod ſcriptum reliquit Ioannes Diaconus in vita Gregorii Magni lib. 1. c. 37. Indignantis enim Dei iuſtam iram his verbis proſequitur: *Secuta eſt clades inguinaria, quæ Romanam vrbem adeo vehementi peſtilentia laniauit, vt etiam corporali viſu ſagittæ cœlitus venire, & ſingulos quoſque percutere viderentur, quaſi ſagittarum pluuiam ſcripſiſſe videatur.* Hæc equidem Ioannes, ſed beatus Gregorius oculatus teſtis id maiore fide affirmat dialogorum lib.4.cap.36. his verbis: *Ante triennium in peſtilentia, quæ hanc vrbem clade vehementiſſima depopulauit, etiam corporali viſu ſagittæ cœlitus venire, & ſingulos quoſque ferire videbantur.* Hæc ipſe.

PH. Sunt omnia hæc admiranda Philoſophis, verum nubes per ventorum vim,

vim, mirum attrahendi robur habent: huiusmodi enim quæ diximus, pleraque è terra trahunt, tracta retinent aliquandiu, poſtea impellunt quaqua verſus: quamquam Diuino etiam miraculo huiusmodi præter omnem naturæ rationem fiant, vt de ſagittis iam dictum eſt. Nam & Apoſtolos in tranſitu B Mariæ Virginis miraculo ab omnibus orbis partibus nubibus aſſumptos, funeri eius interfuiſſe proditum eſſe audiui. *Nubiũ vis attrahẽdi.*

TH. Non eſt de re huiusmodi ambigendum, id ipſum ſcripſit Dionyſius Areopagita lib. de diuinis nominib. 1. cap. 3. quam rem quoq; narrat Ioannes Damaſcenus in ſerm. de Dormitione Deiparæ ſub finem his verbis: *Ex antiqua accepimus traditione, quod tempore glorioſæ dormitionis Beatæ Virginis, vniuerſi quidem Sancti Apoſtoli, qui orbem terræ ad ſalutem gentium percurrebant, momento temporis in ſublime elati, conuenerunt Hieroſolymis.* Quod explicatius habet Singellus, in ipſius Dionyſii vita apud Lipomanum Tomo 7. *Dionyſius (inquit) quod curſum etiam Apoſtolicum perfecerit, & admirandis editis miraculis diuinitus glorioſus apparuerit, multa fidem facient, ſed imprimis nubes illa, quæ ab Occidentis partibus abreptum ſublimen ipſum abſtulit, perque aerem ambulentem, & elatum abduxit, vti etiam ſummos Dei inſpectores, & Theologos Apoſtolos, alium aliunde repente è finibus terræ, in celeberrimam communem omnium Chriſtianorum matrem Hieruſalem aſportauit, & in excelſa diuinorũ myſteriorum arce Sion Eccleſiarum matre, cæteris Chriſti diſcipulis copulauit; cum Dei matris innocentiſſimæ corpori iuſta perſoluerent:* videlicet quo loco idem Singellus ab ipſius Dionyſii libris didiciſſe teſtatur. Quod etiam affirmat Nicephorus hiſtor. Eccleſ. lib. 2. cap. 21.

EQ. Et ego id ſemper credendum mihi conſtitui, tum ob id, quod matri Dei non minori ſolemnitate iuſta ſoluenda eſſent: tum quod Daniel in Leonum lacu eſurienti corruptibilem cibum è Palæſtina in Babylonem trãſlatus eſt Abacuch cum ciborum alueolo. Daniel. cap. 14.

PH. Vnde non fuerit omnino incredibile, quod habet Liu. dec. 3. lib. 5. quo loco ait, ingens ſaxum viſum volitare Reate; atque etiam fit, vt locuſtarum exercitus ineffabiles eorundem ventorum impetu propulſos eſſe videamus, & apud Platinam legerimus in Hadriani II. Pontif. Rom. morte, Galliam à locuſtis transuectis mirum in modum vaſtatam. *Ventorum vis deferenda.*

EQ. Experti id ſumus anno Domini 1541. quandoquidem in Poloniæ Regno, ac finitimis incredibilem ingentium locuſtarum multitudinem fuiſſe compertum eſt: tanta autem multitudine prouolarant, vt duo milliaria in longum, & latum cubitotenus ita occuparent, vt ſolis quoque ſplendorem à toto illo terræ ſpatio, ſua denſitate excluderent. Surius in Commen. anno Domini 1541. At poſtea anno Domini 1542. & nos Itali idem oculis noſtris conſpeximus. Libetq; adferre etiam verba eiusdem Surii, ſic enim habet: *Æſtate innumera ingentium locuſtarum turba in Italiam citeriorem, & in Germania Seleſiam, Miſniamque multa clade affecit: habebant digiti longitudinem, turgida capita, ventres obeſos, & ſanie refectos. Itaque extinctæ intolerabili fœtore aerem corruperunt, vt etiam corui, cornices, accipitres, aliæq; aues, cadaueribus alioqui inhiantes ferre nequiuerint.*

TH. Iam hoc magnæ iræ Dei ſæpe veſtigiũ fuit. Nam & quæ ſupra relata ſunt, id indicarunt, quandoquidem & Italia, ac reliquæ prouinciæ bellorum, peſtisque plagas expertæ ſunt: at id præcipue patet Exodi cap. 10. *Extendit (inquit) Moyſes virgam ſuper terram Ægypti. & Dominus induxit ventum vrentem tota die, & nocte, & mane facto ventus vrens leuauit locuſtas, quæ aſcenderunt ſuper vniuerſam terram Ægypti, & ſe-*

derunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerant,
nec poſtea futuræ ſunt; operueruntq; vniuerſam ſuperficiem terræ vaſtantes omnia.
PH. Ventorum igitur vi iſtiusmodi multitudo propellitur è regionibus in re-
giones. Eſtq; tum ingens alarum ſtrepitus velut armorum, ob multitudinem, ob
durationem, atque ob ſonorum ipſorum motum.
TH. Ita & auium non ſponte migrantium multitudines quoq; venti impellũt,
vti iam ex lib. Num. c. 11. diximus: *Ventus egrediens à Domino arreptas trans mare cotur-*
nices detulit, & demiſit in Caſtra, itinere, quantum vna die confici poteſt, ex omni parte Ca-
ſtrorum per circuitum, volabantq; in aere duobus cubitis altitudine ſuper terram. Et quam-
quam ventus hic, qui à Domino egreſſus dicitur non à terra, aut nubibus, videa-
tur proſpera nuntiaſſe ob allatas coturnices, tamen quia beneficii collati obliuio
iram inducit, indignatio Dei in ipſos Iſraelitas exarſit: ſtatim enim ibi ait: *Ecce furor*
Domini concitatus in populum, percuſſit eum plaga magna nimis.
EQ. Armorum quoq; ſtrepitus in aere audiuntur eadem ventorum vi. Id le-
gitur apud Plin. lib. 2. c. 57. *Armorum* (inquit) *crepitus & tubæ ſonitus auditos è cœlo Cim-*
bricis bellis accepimus, crebrosq; & prius & poſtea. Sed & igneas aues in cœlo viſas à ſe
cum reliquo populo, quando Italia cladem Longobardorum paſſa eſt, teſtatur D.
Gregorius in homilia prima: portendiſſeque id dicit Chriſtiauorum ſanguinem
tum ſæuiſſime fundendum.
PH. Neq; id incredibile eſt: nam & hoc ſeculo, vt habet Surius in Commenta-
rio anno Domini 1538. multis Germaniæ locis armati homines in aere viſi ſunt.
Sed & ante excidium Hieroſolymitanum, ante occaſum Solis, ſpectrum mirabile,
currus in ſublimi omnem regionem peragrantes, & Phalanges armatæ huc atque
illuc in nubibus ſaltantes, vt ſcribit Zonaras Tomo 1.
TH. Tubarum ſonitum auditum diu ex æthere, apertiſſimè conſtat etiam ſa-
cris literis. Exod. 19. *Cœperunt*, inquit, *audiri tonitrua, micare fulgura, & nubes denſiſſi-*
ma operire montem; clangorq; buccinæ vehementius perſtrepebat: & mox: *Et ſonitus buccinæ*
paulatim creſcebat in maius, & prolixius tendebatur: Hæc ideo facta ibi miracula, vt di-
ſceret populus, quam magni habenda eſſet lex Dei, quando tanta motione aeris
promulganda foret. Sed & equites per aera diſcurrentes, haſtas quoq; velut cohor-
tes armatas, currusq; equorum per ordinem digeſtos, ſcutorumque, ac galearum
motus, telorum iactus, ſed & gladios diſtrictos, ac loricatam gentem in cœlo viſam
memorat, 2. Machab. c. 5. Eaq; viſio dies 40. perdurauit: & tunc Antiochus tem-
plum expoliauit, occiſis triduo octuaginta millibus.
EQ. Tubæ formam in cœlo apparuiſſe abſque ſonitu aliquando contigit,
prodigiique loco habitum narrat Niceph. lib. 15. cap. 20. *Nubes* (inquit) *tubæ ſpecie*
ad dies quadraginta viſa eſt. Nam etſi ventorum impulſus, in aere nubes in varias
formas transmutare videatur, id tamen non eſt magni faciendum, magis enim ca-
ſu fiunt: At quod dies quadraginta perſeuerauerint illa forma, non abſque diuino
nutu factum eſt.
PH. Eſt igitur perpluribus exemplis & effectibus admiranda, fereq; incredi-
bilis ventorum vis, quamobrem de iis paulo fuſius eſt agendum, exordiemurque à
Venti. Cæcias. Cæcia, qui, cum reliqui venti nubes diſcutiant, aut diſſipent, ipſe vnus nubes ad ſe
trahit. Plin. lib. 2. cap. 47. atque ex Ariſtotelis ſententia id tradit etiam Aulus Gell.
noct. Attic. lib. 2. cap. 22.
EQ. Æque admiror fœtus animantium, quandoq; à ventis gigni, quo ad ſe-
xum:

xum: nam præter id, quod animantia quædam à ventis ipſis prægnantia reddun-tur; ſexum recipere conceptos ipſos didicimus: Aquilone mares gignuntur, Auſtro flante, fœminæ, etiamſi genitricis aluus ad alterum ſexum fuiſſet diſpoſita. Ariſtotel. de nat. animal. lib. 6. cap. 9. Ælian. lib. 7. cap. 23.

PH. Id eſt omnibus iam notum: ſed admiramur potentiam ventorum, qui cum leui tela cohibeantur, imo ſola papyro, aliquando tamen id efficiant, quod non poſſet hominum quantauis potentia.

TH. Videmus id Iob cap. 1. repente enim ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos eius omnes.

EQ. Deo iubente & venti vrbana ædificia quæcumque facile deſtruunt, ſicut maritimos fluctus mirum in modum excitant: In ipſo enim Iona cap. 1. Dominus miſit ventum magnum in mari, & facta eſt tempeſtas magna, & nauis periclitabatur.

PH. Venti, ſi à natura prodeant, pro regionis climate diuerſa penitus efficiunt. Sed Deo iubente (vti proximis exemplis audiuimus) id ipſum peragunt opus, ad quod Deo authore mittuntur, ſed de ea re paulo inferius. Ventus igitur Circius, qui & Iapyx, vertiginoſus natura eſt, teſte Aul. Gell. lib. 2. cap. 22. cum loquare, buccam implet, armatum hominem, plauſtrum oneratum procellit. Hæc ille ex M. Catone libris originum, cum de Hiſpanis Alpinis circa Iberum ſcriberet. Sed & in Aquilonari plaga ſcribit Olaus de Circio eodem vento, impedire omnem plantam ne creſcat: quin addit, tantas huic vento vires eſſe, vt hominem cataphractum perfacile proſternat, nulloque negotio perinde ac rem leuem. Hæc ille lib. 1. cap. 4. & lib. 2. cap. 3. equitantem è ſella abripere, etiam ſcripſit idem Olaus eodem lib. 1. cap. 5. in Tartarorum regionibus ventos æſtate media adeo inualeſcere, vt iis flantibus, equitare ſit impoſſibile, equitantes enim abripiunt, & proſternunt. Petr. Hiſpal. Silu. p. 4. cap. 23. *Circius.*

EQ. Maiores mihi vires videntur illæ eiuſdem Circii, quod murorum atq; Eccleſiarum tecta etiam plumbea, ingentes quoq; trabes, extracta longiſſime transferat: quin & ipſa molendina cum molari ipſo lapide, totoque tecto, incluſis etiam hominibus, & ipſis illęſis procul aſportet: ſicut & vrbanas domos integras in agros efferat, oppida deſtruens, & quod videtur incredibile, in mari ſub nauibus aquam quadam ratione perterebrat, atq; ab aquis ipſis nauem extrahit, & in ſublime attollit, & deinde remittit: animalia obuia, ac ſaxa etiam in ſublime eleuat, & ad caſum auerſum demittit. Hæc ex Olao.

TH. Hæc admiranda ventorum vis, non tantum in Aquilonari regione viget, verum & in Orientali quoq; plaga Indico mari æquali virtute pollet Tiſon. Nam à Sinarum regione in Iaponium nauigantibus tantæ ſemper tempeſtatis incenſor eſt, vt illo flante, nonniſi miraculo naufragium euitari poſſit, ſi vel vnam perduret noctem: Vela etenim quantumuis egregie firma diſcindit, malos abrumpit, quamuis integros, & ſolidos: partes quoq; eas nauigiorum, quę ab aquis eminent, diſſoluit, ac demum (vt fertur) ſi nauigia onerata non ſint, etiam ab vndis in aera eleuans effert vltra littus; vnde facile colliſione rumpantur. Hæc ſcripſit Organtinus Brixianus Ieſuita è Goa 1568. *Tiſon.*

EQ. In Auſtrali quoque cœlo orbis noui, in ea Regione, quæ Sancti Vincentii nuncupatur, tanta ventorum vis eſt, vt infra dimidiæ horæ interuallum *Ventorum vehementia.*

procella

procella adeo magna emergat, vt ſyluæ ipſæ eradicentur, domus quoque concutiantur: ſed & in Hiſpaniola Inſula adeo inualent quandoque venti, vt elatos in ſublime homines, ad ſtadii interuallum transferant ad caſum, quo etiam miſere quatiuntur: transferunt & arbores ingentes radicibus euulſas etiam ſiluis valde procul ſitis, vt memorat Ouetan. lib. 6. cap.3. idque accidit anno Domini 1508. Auguſto menſe. At in Perſide Ormutio Inſula, feruent venti mirum in modum: nam vbi mox excitantur, omnes obuios feruore ſuo interimunt, occiſorum carnes, quod aqua feruenti videmus fieri, ab oſſibus disiungunt: multis autem hominum ſimul millibus ſæpe contigiſſe memorat M. Polus lib. 1. cap.15. Ideo ii aquis ſeſe condunt vsque ad caput. Ventorum igitur impetus non adeo ſæpe, neque magni in Europa fiunt, tametſi id aliquando contigerit, vti Surius habet in Comment. anno 1507. *Tertio* (inquit) *Calend. Iulii intempeſtæ noctis ſilentio, turbo vehemens tantam excitauit tempeſtatem, vt & arbores radicitus euulſæ, atque procul disiectæ, & ædificiorum tecta, ac tegulæ abreptæ, domus, & horrea concuſſa, pluribus arboribus damna illata ſint.* Id in Germania. Sed in Italia ante annos centum anno Domini 1456. venti multas villas agri Florentini, ac Volaterrani præcipue Caſſianum oppidum diruerunt. Palmerius. Henrico autem VI. Imperatore apud Moguntiam vento Eccleſia concuſſa eſt; ampliſſimumque pinnaculum disiectum eſt, ingentes trabes in Rhenum, atque vltra delatæ ſunt ad paſſus mille iuxta villam Hocheim, velut aere volitantes, cum tamen quercinæ eſſent, & abietinæ, ea amplitudine, qua torcularibus adhibentur: hæc ſe vidiſſe Conradus Argentinus in Chronico teſtatus eſt.

Ventorum motus vnde.

PH. Vt autem noſcamus, vnde ventis vires tantæ; Animaduertendum eſt, pro quantitate halitus terrei, quam exhalationem dicunt gigni ventorum vim: Ipſa enim calida & ſicca, cum è terra exoriens ſurſum feratur, à ſecunda aeris regione, quæ frigida ſemper eſt, repercutitur, vnde motum transuerſum retinens, ſemper ad ſuperiora nititur, & rurſum repercutitur, qua pugna ſi altera aſcendens, aut repercuſſa deſcendat exhalatio, augetur adeo motus aereus, vt, quos modo diximus, mirandos effectus efficiat, donec aut à pluuia intercipiatur motus, aut exhalatio euaneſcat, aut alio conuertatur, aut dirigatur in alia loca; perpetuo enim huiusmodi fiunt.

TH. Diuus Auguſtinus id ſentit, nosque præ cæteris etiam breuibus docent Meteora: Libro enim de Geneſi ad literam 3. cap.10. *Aer* (inquit) *commotus ventos, & vbi vehementius concitatus, etiam ignem, & tonitrua, & contractus nubila, & conſpiſſatus pluuiam, & congelantibus nubilis niuem, & turbulentius congelantibus denſioribus nubilis grandinem, & diſtentus ſerenum facit.* Hactenus ille pro dogmate totius rei meteoricæ.

PH. Eſt autem annotandum, perpetuo aerem ſuas actiones agere attrahendo tum à viſceribus terræ, tum ab aquis. Vnde fit, vt ſi quod vacuum ſua attractione fiat, ipſe ſeſe ibi condat, ne vacuum aliquod ſuperſit; propterea libet differere de re memoratu digna. Si Vrceus ſit liquore oppletus, in ipſius autem fundo multa ſint foramina, nihil inde exire poteſt liquor obturata ſuperiore parte, quia egrediente liquore vacuum fieret capacius, nec aere repleri poſſet: at ſi ſuperius orificium aperiatur, leniter è foraminibus liquor exit, quia quantum emiſſione liquoris vacuum in vaſe augetur, tantundem aeris è ſuperiore parte recipit, quo vacuum impleatur, reſtaureturque. Ex libro de natiuis rerum cap.13. Propterea Terræmotus fiunt,

tus fiunt, quoniam perpetuo terræ halitus prodire in aera nituntur, & occluſis ſuperioribus partibus, vel halitus craſſitudine, aut obſtructione aliqua retenti erumpere non valentes, motum terræ etiam ſub mari inducunt, vt in animo eſt, vt poſt pauca colloquamur.

EQ. Vt vero aeris effectus alios prætermiſſos proſequamur, audiui aliud admirandum, de quo malim ſi libet nunc audire, poſtea ad cætera properabimus: Audiui, inquam, occiſum hominem ſanguinem è vulnere emittere, ſi qui occidit iuxta pertranſeat: non autem id agere, ſi quiuis alius tranſierit: numquid hoc ab aeris cauſatur attractione, an vero alia occulta cauſa?

Aer an ſit cauſa ſanguinis è cadauere occiſi manantis.

PH. Id perſæpe contigiſſe compertum eſt, Iurisconſultis teſtibus, qui ob occulta homicidia hac arte conquiſitos delinquentes repererunt. Nam id ſibi Iudici in vrbe Albingenſi accidiſſe teſtatur Hippolytus Marſilius in praxi Criminali. §. diligenter. num. 181. Paris autem de Puteo, in tractatu de Syndicatu, in verbo, tortus, cap. 3. in fin. & Phyſicis id probari teſtatur, ac Theologis; quin etiam occiſo Angelloſo Fuſco Cardinali Sancti Marci à Cubiculario in horto, clam hac induſtria compertum fuiſſe homicidam commemorat. Id igitur ego ex aeris attractione ſimul, atque ſpiritus infectione cauſari diiudico. Licet enim cadauer illud ſit ſpiritu omni deſtitutum, neque ſentiat quicquam, horrore tamen tunc concutitur transeunte occiſore, quia ſpiritus ibi in vulnere ſunt quadantenus infecti à ſpiritibus interficientis, quo tranſeunte vsque ad ipſum vulnus aer infectus trahitur, quo intercepto, ſanguis ebullit propter infectionis conformitatem, tam in vulnere manentem, quam ab interfectore manantem. Aliis autem tranſeuntibus id fieri non poteſt, cum quibus nulla ſpirituum & infectionis communicatio eſt. Neque etiam contingeret, ſi caſu occiſus fuiſſet: quia in occidente nullam infectionem ſpiritus effeciſſet, quæ in vulnus tranſire potuiſſet: neque etiam id fieret, ſi homo vulneratus viueret: quia cum homo viuens bonum ſanguinem ſibi propitium in viſceribus teneat, aeremque infectum excludat, non poſſet huiusmodi ebullitio fieri tranſeunte eo, qui vulnerauit, quia ſanguis hominis viuentis, ſuas actiones agit in conſeruationem indiuidui ſui: At in iam mortuo nihil agit, niſi quatenus excitatur: excitatur autem ibi in vulnere propter communicationem infectionis, quæ (vt dixi) in ſolo reperitur occiſore voluntario, qui cum vulnere tranſmiſit in vulnus infectionem, quaſi in quendam à ſe determinatum actum: & ſicut terminus à quo, & terminus in quem communicant actiones, ita hoc caſu. Eſſe autem hoc naturæ miraculum verum, tradit Leuinus Lemnius Philoſophus ac Medicus lib. de miraculis naturæ.

TH. Huiusmodi ebullitiones cauſam inueſtigare potius poſſumus, quam innenire. Miraculoſam enim eſſe putauit Henricus de Aſſia, & Bartholomæus Sibylla, egregii Theologi in peregrinis quæſtionib. dec. 3. cap. 8. quæſtiuncula 4. Licet Philoſophus libro de immixtione elementorum hanc rem conquiſierit ex naturæ ſecretis, & Author libro de Natur. rerum, cap. 13. ac Vinc. hiſtor. natur. lib. 4. c. 13. Verum ad miraculum pertinere euentus indicat, quem modo enarrabo. Gilbretus de Clara Comes Glouerniæ, maximis affecerat iniuriis B. Thomam Herefordienſem in Anglia Epiſcopum, quod Eccleſiæ iura ipſe tueretur, ille inuaderet: obiit interim diem ſuum Epiſcopus abſens. Neceſſarii autem eius ad eius Eccleſiam deferenda oſſa prorſus carne ablata curauerant: mox vbi obuius factus eſt Comes, à puris nudatisque omni carne ac ſanguine oſſibus, plurimus manauit ſanguis. Id

 conſpica-

conſpicatus Comes terrore concuſſus, pœnitentiaq; ductus, Eccleſiaſtica iura omnia à ſe inuaſa reſtituit, vt tradit incerti nominis author in vita ipſius S. Thomæ apud Surium 7. 5. Octobri. Cum igitur is ſanguis à ſiccis oſſibus manarit, ad concutiendum ſceleſti hominis, & impœnitentis cor, nullaq; ſpirituum, aut infectionis ſanguinis ebullitio conſiderari hoc caſu potuerit: quandoquidrm S. Thomas abſq; vllo vulnere diem ſuum obierat; neceſſario illud conſequens eſt, ſentiendum eſſe in occiſo corpore Deum id miraculo agere, quo homicidę culpa grauior agnoſcatur, & ſe pœnitentiæ dolore conficiat.

EQ. Relinquamus igitur hæc Diuino conſilio & priusquam cœlum relinquamus, acturi de Terræmotibus, agamus de Grandine, Niue & Gelu.

Grando. TH. Deum hac plaga grandinis vti in coercendis hominũ ſceleribus, vel inde patet, quod habetur Exod. c. 9. *Extendit* (inquit) *Moyſes virgam in cœlum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinem, & discurrentia fulgura ſuper terram, pluitq; Dominus grandinem ſuper terrã Ægypti, & grando & ignis mixta pariter ferebantur: tantæq; magnitudinis fuit, quantæ ante nunquam apparuit in vniuerſa terra Ægypti, ex quo gens illa condita eſt: & percuſſit grando in omni terra Ægypti cuncta, quæ fuerant in agris ab homine vsq; ad iumentum, cunctamq; herbam agri percuſſit grando, & omne lignum regionis confregit.*

PH. Quamquam grando natura ipſa fiat, quando ſcilicet vapores terræ calidiſſimi efferuntur vsq; ad ſecundam aeris regionem, quæ magnum in modum frigida eſt: ibi igitur frigore ambiente dum obſtipantnr vndique huiusmodi vapores congelaſcunt. Vnde labentes in hanc inferiorem partem retento ſemper frigore obdureſcunt. Tamen ſæpe diuino miraculo mitti, vt vidimus libro Exodi, ita alias ſæpe ſcriptores prodiderunt. Cuiusmodi Socrates hiſtor. Eccl. lib. 4. c. 10. Valentis Imperatoris tempore ſic ſcribit: *Sexto Nonas Iulii grando magnitudine inuſitata lapidib. ſimilis Conſtantinopoli decidit: eſt quidem multis in ore, illam grandinem Deo irato, quod multi ſacerdotes, qui cum Eudoxio communicare recuſauerant, eſſent ab Imperatore relegati, delapſam fuiſſe*; quam rem etiam narrat Sozom. hiſtor. lib. 6. ac Nicephorus libro 11. cap. 4.

TH. Admirandam magis grandinem narrat idem Niceph. lib. 13. cap. 36. Ab Alarico enim vrbe capta, inter præcipua quædam prodigia, pluribus in locis grando ſaxis manuariis maior, & circiter octonarum librarum pondus trahens deferri viſa eſt, quæ euidenter ſatis diuinam deprædicarunt indignationem.

EQ. Noſtro quoque ſeculo eadem grandinis immanitas viſa eſt anno Domini 1507. vt teſtatur Surius in ſuo Commentario. In ditione Wirtembergica Rotemburgi ad Necarum fluuium, tanta fuit grandinis rabies, vt & feneſtras, & tecta ædium comminuerit: certe homines & iumenta contriuiſſet, ſi tecta ædium cõminuit. Fuit alias ſæpe viſa grando memorabilis. Nam tanta magnitudine Paſchali primo Pontifice in Gallia deſæuiſſe fertur, vt homines, pecoraq; paſſim interemerit & inter alia fruſta, viſum eſt, quod duodecim ferme pedum longitudine eſſet, hac lõgitudine è cœlo cadens. Bonfin. dec. 1. lib. 10. Id autem apud Auguſtodunum cecidiſſe memorat Segebertus an. Dom. 824. recolitq; longitudinem fuiſſe pedum 16. latitudinem 7. altitudinem duorum: eadem Vrsperg. an Dom. 823. At ingruiſſe maximum in modum, Gallinacei oui magnitudine anno Domini 1392. ipſi Diui Auguſtini celebratione in Germania memorat compilator Chronologiæ, quin alias ouis etiam anſerinis æqualem grandinem in Italia viſam Lucio III. Pontifice an. Domini 1183. tradit Bergomas. Sed & an. Domini 1400. anſerini oui amplitudine

dine ſubruiſſe domorum tecta, tradit Robert. Guagui. libro nono, id accidit in Gallia. Imo & trium ouorum magnitudine etiam in Germania viſam grandinem anno Domini 1441. ipſa beatæ Mariæ viſitatione recolit compilator Chronolog. Sed quod valde memoratu dignum videtur, in Ciſalpinis, ac Romæ anno Domini 1470. Iunio menſe viſa grando eſt, quantum Struthionis ouum, ſeſeque vidiſſe Bergomas teſtatur: fuiſſe autem vnciarum duodecim, Palmerius tradit, & Bonfin. dec.4.lib.2. Erit autem miraculi loco habendum, quod referunt Cremonæ intra Diui Gabrielis clauſtra grandinis fruſtum cecidiſſe circiter annum Domini 1240. viſumque in eo velut exſculptum crucis ſignum; Chriſtique faciem, additis literis, Ieſus Nazarenus, cuius aquæ ſtillantis contactu cæcus tum quoque illuminatus eſt. Id habet eius ſeculi author Vinc.hiſtor.lib.30.cap.138. Naucl. gener. 41. Sed & anno Domini 1395. circiter menſe Auguſto in Aquilonari ſolo, grando viſa eſt humanas facies præferens, tum viriles, tum muliebres, illis barba addita, his crinibus ac peplis; retuleruntque id ita eſſe, qui propriis tum oculis ſpectarunt, tum manibus contrectarunt probatæ fidei viri, vt Krantzius habet Vand. lib.9.cap.3.

Pluuiæ, niuis, grandinis generatio.

PH. Mirabitur quis, cum pluuia, nix, & grando, eadem ex materia ſint, quomodo tanta forma differant: Sed pluuia ideo fit, quia non admodum in altum aſcendit vapor calidus & humidus, tandem conſtipatus & condenſatus repercuſſione alicuius imbecilloris frigoris in aquam vertitur: & tanto maioribus ſtillat guttulis, quanto proximius terræ decidit; Nix autem altius impellentibus ventis vapore eleuata, quia prius congelatur nubes, quam in aquam ſit verſa, ideo concreta minutulis guttulis deſcendit. At grando fit, quia altiſſime aſcenderat nubes condenſata, verſa in aquam, & firmiſſimo frigore circumambiente poſtea congelata. Ideo tam magnis fragmentis gelu ſolet decidere, ſecumque pilos, lapides, ſed & aliarum rerum, imo animalium etiam formas trahere, quia tum à terreſtri materia eleuata ibi efformata reperiuntur. Hæc ſenſit Senec. Natur.lib.4. cap.3. Diuus autem Baſilius Exemp. homil.3. pluuia & niues, hoc quo diximus modo gigni aſſeuerat: de Grandine non meminit, quod eadem ratione concreta gelu deſcendat.

Nubium eleuatio.

EQ. Optarim quædam in hac aquarum aerearum materia dubia diſſolui: digna enim ſunt, vt de illis agatur. Nubes quantum à terra eleuentur, inſcrutabile eſt, teſte Plin.lib.2.c.23. Ipſæ tamen paruam aquarum habēt materiæ quantitatem, ſi maris ac fluuiorum aquis conferantur; nihilominus Solem ipſum penitus obtegunt, adeo vt nullum eius veſtigium radiusve videri à nobis poſſit: Cum tamen maria ac flumina, quamuis profundiſſima, denſiore etiam corpore, quam nubes ipſæ ſint (ſunt enim rariore corpore nubes) ipſum Solem non obtegant aut Lunam: quandoquidem ex ipſo imo mari, ac fluuio apertiſſime integreq; conſpiciantur.

PH. Eius rei difficilis ratio adinueniri poteſt; ſed ad naturæ miraculum pertinere ſenſit Plin. lib.2. cap.42. Putarim ego tamen aliquid rationis in ea re afferri poſſe. Nubes enim ipſa non eſt aqua ſed facile in aquam tranſit; itaque ſe ita habet ad aquam, vt puluis ad vitrum ſuum, quod conficit. Vnde ſicut vitrum integrum ſua diaphaneitate, continuo corpore, ac plana forma ac ſuperficie, transmittit obiectarum rerum formas, vt patet in Inſpiciliis, quæ rectitudine vna aciem viſiuam dirigunt; ita in aqua maritima vel fluuiatili aut in ipſis quoque lacis. At ſi vitrum conteratur minutulas in partes, vti puluis, *quia deficit eius continuum corpus*;

& non eſt plana forma,ac ſuperficies, carens diaphaneitate nullam habere poteſt directionem ad obiectum viſiuum. Ideo nihil per huiuſmodi contritum vitrum videri poterit, quamuis minori craſſitudine ſit huiuſmodi puluis, quam ſit vitrum admodum craſſum. Ita mare, & lacus,& fluuii, quaſi vitrum integrum & continuum corpus, & planum ſe habent ad diaphanum. Ideo viſio directa recipit tranſpoſitas rerum formas, & Solem: At Nubes quaſi ſimillima pulueri vitri, quia corpus habet diſperſum, directionem tranſpoſitarum rerum non poteſt habere, quandoquidem corporis plani ſuperficiem nullam habet, vnde viſiua vis dirigitur in obiectum. Rurſum exemplo eſſe poteſt Nix ipſa, quæ cum aqua ſit, tamen quamuis modica etiam ad digiti craſſitudinem, nihilominus Solis radios impedit, cum non impediat quantauis aqua è niue percolata: Radii igitur ſolares in niue, & nube, cum nullam inueniant ſuperficiem regularem, & politam, diſperguntur. Secus in aqua, cuius ſuperficies plana eſt. Ideo ſpecula licet plana, niſi ſint expolita, non admittunt formas, neque lumina, aut Solis radios, ita nec nubes, nebula aut nix. Adiicere autem hoc loco libet, non à Sole pendere nubes: nam ſub terræ viſceribus locis vacuis obſcuriſq; eſſe nubes ac nebulas, Seneca ſcribit Natur.lib.5.cap.14.

Iris. EQ. Arridet hæc ratio, ideo adhuc ſupereſt de Iride quærendum, quomodo (illud enim admiror) quotidie Locris, & lacu Velino conſpiciatur, Plin. teſte lib.2. cap.59. quaſi videatur perpetua ibi nubes eſſe.

PH. Non perpetua nubes eſt, ſed quotidie ros, vt alibi eſt, ſed abundantius, vnde quotidie conſpici ibi Iris poteſt, quia fit ex reflexione ſolarium radiorum in nubem aliquam roſcidam, terſam & puram, quæ cum referre non poſſit Solis veram formam, vt ſpeculum, cuius corpus eſt continuum, ipſa tamen cuius corpus eſt diſperſum ſuis minutis guttulis diſperſam formam, latamq; repræſentat coloratam, quia & colorem nititur repræſentare quomodo poteſt, non vti eſt.

EQ. Fit igitur, vt ſi non ſemper nubes quotidiana ſit, quotidie tamen Sol conſpiciatur, vnde Iris fit, quæ res etiam in miraculo erit.

PH. Et hoc miraculi vicem gerit, vt quotidie Sol videatur: Rhodo enim & Siracuſis, nulla vnquam totius anni dies eſt, quæ etiamſi nubilum tempus ſit, Solem non habeat conſpicuum aliqua diei parte. Plin. lib.2.c.62. Maiori miraculo eſt, ꝙ de Ponticis Cimmeriis ſcribit Baſilius in epiſt.21. quos Sole ſemper carere teſtatur.

EQ. Redeamus ad Iridem, ſi naturæ opus eſt, cur apud Chriſtianos (atque Hebræos olim) Dei arcus dicitur?

TH. Tametſi Plinio videatur ex Iride nihil certo oſtendi, nec quo ad pluuias futuras, nec quo ad ſerenitatem, nihilominus Geneſis libro cap. 9. expleto Noe diluuio, quo omnia animantia fuerant extincta, ne homini contingeret vlterius terreri, aut inundationes vereri, Deus ipſe rerum omnium auctor, Iride pactum iniit cum Noe totius humani generis rem atq; negotium gerente, his quaſi ſtipulationis verbis: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram. Cum obduxero nubibus cœlum apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiſcum, & cum omni anima viuente, quæ carnem vegetat: & non erunt vltra aquæ diluuii ad delendam vniuerſam carnem.* Baſilius tamen in Exem. hom.6. dicit, ex Iridis coloribus ſigna futurorum naſci: ſic enim illæ virgæ colore Iridis, in directum nubibus apparentes imbres, aut tempeſtates ingentes, aut omnino plurimam aeris tranſmutationem indicant.

PH. Id

PH. Id ignorarunt Philoſophi omnes, ſoli naturæ ea omnia tribuentes; at præcipuum opus Dei fuit ad eruendum è mentibus hominum omnem metum, cum immineret inundatio aliqua. Præſtitit autem Deus quæ promiſit, vt iam in pluribus annorum millibus experti ſumus. Propterea quando Iris nocte circa gallinaceorum cantum ſereniſſimo cœlo non procul ab Herueldia viſus eſt circa annum Domini 1074. vt eius ſeculi author teſtatur Scafnab. Certe ſolarium radiorum opus illud eſſe non potuit: prodigioſa igitur res cenſeri debuit, niſi forte credamus, etiam lunaribus radiis ſicut ſolaribus Iridem gigni poſſe, vt cenſuit Reiſch. lib.9.cap.22. Nam in Africæ ora iuxta Inſulam S.Thomæ noctibus Iridem apparere, nautæ tradidere, quorum verbis Ramuſius id annotauit Tomo 1. nauigationum. Iridem autem fuiſſe etiam ante diluuium cenſuit Reiſch. eod.cap.

EQ. Ignorarunt & alia multa, putantes ſe Naturæ recondita omnia aſſequi ſuo ingenio poſſe Philoſophi, cum Naturæ author plurima ſibi vti conditori reſeruarit inſcrutabilia. Qui enim fieri poteſt, vt vlla ratione aſſequantur, quod libro de admirandis tradiderat Cicero, (qui tamen incuria temporum excidit) quaſdam terras imbribus ſicciores fieri veluti in Narnienſi agro, ſiccitateq; lutum fieri, imbre puluerem, vt retulit Plin. lib. 3 .c.4. Nos aliquando id experti ſumus in Apuliæ quibuſdam montibus: nam exciſa ligone terra & conuerſa, ſi diu Sole tangebatur, vidimus illam humore repleri trahente calore Solis; at poſt pluuias etiam valde madefacta breui humore ad interiora redeunte ſuperficies in puluerem redigebatur.

TH. Sunt hæc memoratu digniſſima, ſed videamus quid ſit notandum de niuibus. Niuem pluiſſe videri poteſt, quando manna in deſerto Iſraelitico populo pluit. Exod.16. quod iam diximus. At ſeptentrionalis plaga reliquis fere præ orbis regionibus niue abundare videtur. Ibi enim aliquando obtectis ſummis arboribus tota nix in ramis continua conſiſtit, aerem etiam impediens, ne in inferiora ſub arbores deſcendat, adeo quod quaſi longa & concamerata porticus ſub arboribus videatur, ac quaſi ambulacrum Xyſtusque ad multa etiam milliaria ſuperne ac hinc & inde vallato niuibus itinere, vt ſcribit Olaus lib.19.cap.15. *Nix.*

EQ. Memorabile etiam eſt illud in Regione Suezzia, in ſummo montium Dofriniorum vertice auiculam pedibus commouiſſe paululum niuis, quæ deorſum ſenſim deſcendens, & in pilæ formam ſeſe reuoluens ſemper aucta, in tantam creuerit amplitudinem rotata vsque in imum montis, vt oppida deſtruxerit maxima ſua mole. Id ſcripſit Olaus lib. 2. cap. 13. Perſimile huic rei accidit in Gallia. Nam ab altiſſimis montibus in Monaſterium magnæ Carthuſiæ nix aliquando ruit, humum lapideſque ſecum trahens, cellas fratreſq; in eo degentes ſua magna mole oppreſſerat, Anthelmo Prioratus officium exercente, vt ex vetuſtiſſimo codice tradit Surius Tomo 3. in vita S. Anthelmi.

PH. In Caucaſi montibus præ reliquis orbis partibus niues cadere videntur: nam perpetua ibi hyeme quidem ſunt inacceſſibiles, æſtate tamen adiri poſſunt, præcipue tamen in Corzena, & Cambiſena tanta niuium copia condenſatur, vt cateruæ hominum ſimul opprimantur ſepultæ; cauent tamen nonnulli prælongis perticis, quibus ex imo niuis ſummam ſuperficiem perforant, tum reſpirationis cauſa, tum indicii emittendi cauſa auxilium expectantes. Strabo hæc habet lib.11.

TH. Admirabile eſt, quod ibi audio, glebas quaſdam ſponte in ſua niue gigni,

 qui-

quibus ſuauis potabilis aqua liquida contineatur, ſed & vermes in eadem quoque niue gigni, Strabone teſte lib.11.

PH. Id etiam tradidit Ariſtoteles, & alii plures, vermes in niue gigni. Sed de hiſce rebus alias pluribus.

EQ. Contra vero Climata ſunt, in quibus nix nunquam decidit: primum id patet alto Mari: ibi enim nunquam cadit. Plin. lib.2. c. 103. in fin. ſed neque in Æthiopia, quamquam gelu ibi fiat. Franciſcus Aluarez de reb. Æthiop. cap.159. Non caret miraculo, quod apud Tartaros contingit: Regio enim plus æquo cum caleat æſtate media, ſubito irruit frigus immenſum, denſiſſimæque niues, ac venti omnia abripientes. Petr. Hiſpal. Sylu. p.4.c.23.

TH. Romæ, & reliquis Tyrrheni Maris littoribus, ac continenti, perraro niues cadunt, quin ſi quando æque ac cæteris continentis locis ceciderint, prodigii loco habitum fuiſſe teſtatur S. Auguſtinus de Ciuit. Dei lib.3.c.7. Hyems enim fuerat quædam (quam memorabilem dicit) incredibili immanitate ſæuiens, vt niuibus horrenda altitudine etiam in foro per dies quadraginta manentibus, Tyberis quoque glacie duraretur: quo autem tempore id contigerit, non habet Auguſtinus. At comperi Zonaram Tom.2. *Statim poſt Pyrrhi mortem, ſæuiſſima* (inquit) *hyeme Tyberis in magnam altitudinem conglaciauit, arbores aruerunt, Romani afflicti ſunt, iumenta ex pabuli inopia perierunt.*

Niuis & glaciei aſſeruatio.

EQ. Mirandum potius, tantam aliquibus cum proprio corpore hoſtilitatem gerere, vt cum natura huiuſmodi locis niues ſemper negarit, hyeme æque ac ipſo etiam æſtiuo tempore, non tantum velint apud ſe eſſe, ſed & glutiant & bibant in ſummam corporis perniciem, ſummumque adhibent ſtudium, quo diu eam ſeruare poſſint: Paleis enim ſeruant, vti miratur Iſidorus lib.17. c.3. Etymologiarum; & ante eum Sanctus Auguſtinus de Ciuit. Dei lib.21. cap.4. Vt autem nix ſeruatur hac arte, ita & glacies.

PH. Niuis & gelu plurima eſt naturæ vicinitas. Nam vbi nix eſt, & gelu facile fuerit: non ita econtra, vt de Ægypto iam dictum eſt. Frigus igitur & ipſum ſua habet miracula. Nam in Prouincia Vochan, ſub ditione magni Cham, in Campeſtribus Pamer, adeo ingens frigus eſt, vt ignis vim reprimat: nam nec lucere poteſt, vt alibi, nec aliquid illo coqui poteſt, vti de hac re teſtatur Marcus Polus lib. 1. cap.28.

TH. Ne longius feramur in frigoris perſcrutandis miraculis; in Moſcouia noſtro cœlo non admodum remota, vbi è ſpecula aqua demittitur, prius congelatur, quam in terram peruenerit, vt teſtatur Surius ſub anno Domini 1501.

Glacies.

EQ. Superant hoc miraculum, quæ de glaciato Aquilonari Mari narrantur, vt in eo pedibus eatur perinde ac continenti exercitus dimicent, fiant itinerationes publicæ equitum & peditum, domus, hoſpitia in eis ædificentur, nihilque à continenti differre videatur, teſte Olao libro 1. & 2. Cui conforme eſt quod tradit Strabo libro 2. In oſtio Mæotidis tantum gelu eſſe, vt quo loco Mithridatis Dux hoſtem in gelu vicerat, poſtea æſtiuo tempore liquefactis niuibus claſſe etiam deuicerit. Propterea ii hodie, qui ſupra polum Arcticum Inſulam Metam inuenerunt, comperiſſe teſtantur perpetuum gelu toto anno, quin ventorum vi quandoque vitri modo frangi, compertaque fruſta ſupernataſſe Inſularum modo grandia occupare leucas duodecim. Montes quoque eadem fruſta æquaſſe, eminere è Mari pedes ſeptuaginta circuitu dimidiæ leucæ, id eſt, bis mille paſſuum. Hæc Ananias in Na-

in Nauigatione Anglica An. Domini 1577. Quod non abhorret prorſus à fide: nam ſub Conſtantini Copronymi Imperio ſæuiſſima hyems fuit adeo, vt non fluuii tantum, ſed & mare ſeptentrionale ad complura ſtadia frigoribus conglaciaretur, hominesque fretum pedibus ab vrbe Conſtantinopoli Chryſopolim vsque transibant, & ſarcinis onuſta iumenta, & boues plauſtra magni ponderis trahentes. Idem tunc & in aliis maribus accidiſſe fertur: eius autem gelu fragmina quædam vi ventorum ſub aquis impetu vehementi marinis impacta vrbis mœnibus, non ipſa tantum, ſed & vicinas ædes proſtrauerunt. Zonaras in Conſtantino Copronymo. Quibus accedit, quod ipſa etiam nauigia gelu concreto immobilia reddita memorantur: nam in Daniæ littoribus frigoris tanta fuit vis Stracateri ætate, vt nauibus gelu concreto conſtrictis nullis remigiorum viribus dimoueri potuerint, vt Gramm. memorat in præfatione rerum Daniæ. Perſimile contigiſſe traditur in ipſo continenti, Abſaloni Epiſcopo Roskildenſi curribus itineranti, quem repentinum adeo frigus excepit, vt etiam aquas repente cruſtaret, ac Syaladenſium populares contractis alimentis onuſtos commeatibus currus, nauigia repetendo ductarent: tanta glacialis luti moles rotarum orbes implicuit, vt prorſus gyrare non poſſent, quippe pertinax gelu, veluti glutino quodam lignis limum aſtrinxerat, quo euenit, vt curruum rectores iisdem relictis iumenta oneribus ſubderent. Idem Gramm. lib. 14. Quod tradidiſſe etiam videtur Krantzius Vand. lib. 5. cap. 34. Propterea in Moſcouia, vbi adeo gelu riget, vt terra frigore ita dehiſcat, vti apud nos æſtate, & aqua in aerem effuſa, ſputumque ex ore proiectum, antequam terram attingant, congelantur, vt iam diximus: ſæpe vehicula gelu adeo retinentur ne prodeant, vt homines in vehiculis defuncti ſint comperti, geluq; concreti. Georg. Bruin. in Moſcouia: perieruntque etiam armenta integra, atque itinerantium cateruæ: ibid. Sed hoc non adeo mirandum ob luti denſitatem: Sed mare tantis congelaſcere ſpatiis, inſigniter memorandum eſt, veluti accidiſſe traditur An. Domini 1399. Aquilonaria etenim maria adeo magnum in modum gelu conſtrinxit, vt ſicco veſtigio è Lubica in vrbem Sundenſem itinere pedeſtri via pateret, non ſecus ac continenti, & è Sundenſi vrbe in Daniam vsque ſimili itinere dabatur acceſſus. Eam occaſionem nactus Teutonicorum ſacer ordo, Maſſagetas oppugnare conſtituit, facilique negotio id confecit, quandoquidem lacus, paludes, ac reliquæ aquarum colluuies glacie obdurata, iter præbuere. Krantzius Sax. lib. 10. c. 18. Sed & Anno Domini 1423. adeo gelu mare concreuit, vt ex Pruſſia ſicco veſtigio Lubicam vsque daretur acceſſus. Krantzius Vand. lib. 9. c. 32. In Gallia quoque circa annum Domini 1400. cum niuoſa hyems fuiſſet, & vbiq; fere concretis gelu aquis, veris tempore ſoluta parumper glacie, tanta ingruerat fragmentorum glaciei è fluminibus copia, vt mole ſua pontes deiicerentur, domos, incolasque, ac pecora obuia attriuerit ſimul, & aſportarit. Guag. lib. 9.

TH. At non deeſt Aquilonaribus induſtria ad gelu cohibendum. Cum enim omnia ibi penitus congelaſcant, præſertim vrbium foſſæ, comperta arte, efficiunt incolæ, ne congelare poſſint, ne hoſtis in vrbes irruere velut aquis dureſcentibus poſſit, effringunt ſecuribus & malleis, quicquid gelu duratum eſt; poſtea ſuperinfundunt foſſæ aut paludi plurimum phocæ, aut marini vituli adipem, vniuerſamque aquarum ſuperficiem perfundunt vndique: ita fit huiusmodi pingui adipe, vt vlterius gelu aquas huiusmodi non inuadat. Hæc Olaus libro 11. capit. 20. 21.

Terræmotus.

EQ. Ab inſtituto ſermone videmur longius digreſſi; ſtatueramus enim de terræmotibus agere, vnde optarim de eis haberi orationem.

PH. Quæcunque diximus de ventis, niuibus, gelu, ac conſimilibus, ad rationem terræmotus accedunt, niſi quod (vt alias diximus) halitus is terræ, idem ex diuerſitate ſitus, diuerſa operatur. Intra nubes tonitru efficit, ſupra terram ventum, infra terram motum: idcirco oportunum adhuc eſt terræmotu, poſt reliquas halitus exhalationes, ratiocinari, quantum in eis miraculi fuerit. Illud autem præmittendum putamus, ante terræmotum ſemper aeris tranquillitatem & quietem eſſe, quia vis ſpiritus, quæ concitare ventos ſolet, in inferna ſede detinetur, ac tandem vt erumpat cum nititur motum terræ efficit. Seneca teſte Natur. lib. 6 cap. 12.

TH. Si quid eſt aduerſi in humanis, quod per Dei iram accidit, videntur mihi eſſe motus terræ, quandoquidem reliquis periculis licet aliquo modo remedia adferre, vt peſti, bello, fami, ſi quis alio oportune migret, aut lateat: at terræmotibus nullum ſubſidium videtur ſuppetere. Nil igitur adeo ex diuina ira ad humanum genus exterrefaciendum proficiſcitur, vt terræmotus, quorum memoria nulla prorſus eſt in hiſtoriis profanis ante vrbem conditam: prima mentio eius cum acciderit, eſt ſub Ozia Hebræorum Rege, Amos cap. 1. circa vrbem conditam. Et quanquam tum Idololatriæ ſcelus, tum alia quoq; per orbem admitterentur, nunquam tamen terræmotu iram ſuam manifeſtam fecit Deus, niſi violata Eccleſiaſtica à Regibus libertate, vſurpatione rerum, quę ad Sacerdotes pertinerent. Ozias enim Rex ingreſſus templum auſus eſt incenſum offerre ad altare, repugnantibus Sacerdotibus: tum enim & ipſe percuſſus eſt lepra, 2. Paral. cap. 26. Tum quoque Terræmotus factus eſt, de quo Amos d. c. 1. quod ex aliis Hebræorum traditionibus memorat diuus Hieronymus ſuper Eſaiam, ad cap. 7. ad verba: Et dixit Dominus, &c. vt hinc diſcant Reges, quanta ſit ira Domini in Eccleſiaſticę libertatis violatores, non modo ſi ius ſibi vſurpent, quod Sacerdotum eſt circa diuina; verum etiam ſi iurisdictionem. Nam & Ieroboam cum extento brachio iuſſiſſet comprehendi Prophetam quempiam ſe corripientem, aruit brachium, nec niſi oratione illius Prophetæ reſtitui in priſtinum potuit, 3. Reg. cap. 13. Videant etiam Epiſcopi, ac Sacerdotes, qui frequenter Regibus in violanda Eccleſiaſtica libertate conſentiunt, ſibi imminere etiam acerrimas pœnas exemplo filiorum Aaron, qui ignem alienum ad altare obtulerant, conſumpti ſunt igne diuino, Leuit. cap. 10. Hinc Dathan & Abiron hiatu terræ abſorpti ob negatam Moyſi iurisdictionem in populum, ac reliquam Laicorum multitudinem: & ob contemptum, cum illi ad vocantem eos in iudicium non venerint. Num. 16. Adde etiam, claudi cœlum ob violatam Eccleſiaſticam libertatem. Veremundo enim II. Legionis in Hiſpania Rege, quod ille in vincula conieciſſet Ouetenſem Epiſcopum, tamdiu ceſſauere è cœlo pluuiæ, arente omnino terra, quamdiu Epiſcopus detentus eſt; at illo abire permiſſo, reſipiſcenteque Rege, rediere pluuiæ, terræque humor. Quo miraculo abſterritus Veremundus in ſe rediens ad expiandum crimen animum adiicit reparandis Catholicorum Eccleſiis, quas Saraceni euertiſſent, pœnitentiamque ab Epiſcopis impoſitam pie peregit. Rodar. Palent. p. 3. cap. 22. Sed & in Suedia quandiu Iacobus Rex tutatus eſt Eccleſiæ iura, admiranda fuit eius Regni, Daniæ ac Noruagiæ, quæ ad ſuos conſanguineos pertinebat, rerum omnium felicitas: At cum ſucceſſor eius frater Emundus contemnens legitimos Epiſcopos falſos ſequebatur, de cœlo miſſa eſt in agros ſterilitas, aeris quoque mira intemperies: reſipiſcens

autem,

autem, cum legitimos repeteret Epiſcopos, placatum eſt numen, Krantzio teſte in Suec. lib. 5. c. 21. Iram igitur Dei fere implacabilē elucere in terræmotibus apertiſſimum facit, quod ſcribit Sophronius prato ſpirituali c. 50. Nam cum præuideret Abbas Georgius, reuelante Deo, futurum terræmotum in Aſia, orauit plurimum, viſione quoque didicit plurimam Sanctorum cateruam, ipſam denique Deiparam rogare Deum, pro auertenda ira huiusmodi; nemo tamen id exorare potuit: quamobrem amare flente ipſo Georgio die ipſa Cœnæ Domini ob præuiſum terræmotum & implacabilem Dei iram, ſequenti die Paraſceuæ, hora diei nona, repentino magnoque terræmotu corruerunt vrbes maritimæ Phœnicis.

EQ. Sed id fuit vnica orbis partiuncula: at Iuliano Apoſtata mortuo totius orbis Terræmotus fuit, mariaque egreſſa ſunt terminos ſuos, & quaſi rurſum diluuium Deus minaretur, vel in antiquum chaos redirent omnia, naues ad prærupta dilapſæ montium pependerunt, vt habet ſanctus Hieronymus in vita S. Hilarionis, & Ammianus Marcellinus lib. 26. Quod vero diximus, orbem totum tremuiſſe, non ita accipiendum eſt, vt vno momento vbique mundus terrave tremuerit, ſed ſucceſſu horarum modo hanc regionem modo illam tremor occupat. Nam conſtat apud omnes Philoſophos, *Terræmotum nunquam ducenta milliaria excedere*, Seneca teſte Natur. lib. 6. cap. 25. Terræmotus quadruplex ſpecies eſt: Primæ Braſmatiæ humum intus ſuſcitantes moles propellunt, vt emerſit Delos, Hiera, Anaphe, Rhodus, Ophiuſa, Pelagia, Eleuſis etiam in Boetia, & apud Tyrrenos Vulcani. Deinde ſunt Climatiæ, quando ruentes montes omnia complanant. Tertiæ Chaſmatiæ, quando hiatu abſorbentur, vt in Athlantico mari Europæo orbe potior Inſula Platone teſte, & in Criſeo ſinu Helicæ, & Bura, & Ciminia Italiæ oppidum Succinienſe. Quartæ Micematiæ ſonitu, fragore fremituque tantum audiuntur, cum diſſolutis elementa compagibus vltro adſiliunt, vel relabuntur conſidentibus terris Ammian. Marcell. lib. 17.

PH. Certe Terræmotus hi iam dicti fuere pernicioſi, ſed non æqualiter exitio illi, de quo Plato ſcribit, & meminit Marcellinus, diu ante Romam conditam acci-diſſe. Scribit enim vltra Herculis columnas, Inſulam fuiſſe Aphrica ſimul, atque Aſia maiorem, cuius Reges & Libyam & Ægyptum ſubiugarant, vsq; etiam Thyrrenum Mare. Hæc igitur ingenti terræmotu, iugique diei vnius, & noctis illuuione factum eſt, vt terra dehiſcens illos vna omnes bellicoſos homines abſorberet. Ne vero quis dubitet de hiſtoriæ fide Tertul. Apolog. cap. 39. probauit, probant & recentiores: nam & Ficinus in compendio ſubſcribit c. 4. nouiſſime, & Petr. Hiſpal. Sylua p. 4. c. 3. quod pluribus dicemus in Inſulis.

TH. Dubio procul fuit ille admirandus, ſicut & ille, qui Tiberio imperante accidit proſtratis multis vrbibus, vt Euſebius Chronico memorat: atque ita nihil eſt memorabilius illo Terræmotu, qui Chriſto moriente inuaſit, de quo Euangeliſta tradidit Matthæus c. 27. Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt: magnam terræ partem motam fuiſſe, non fuerit dubitandum, ſicut vniuerſam terram tenebræ occuparunt moriente conditore terræ. Illum autem Terræmotum omnium fuiſſe maximum libet aſſerere ex teſtimonio etiam Ethnicorum hominum. Plinius enim lib. 2. c. 84. his verbis vtitur: *Maximus terræ memoria mortalium extitit motus Tiberii Cæſaris Principatu, duodecim vrbibus Aſiæ vna nocte proſtratis.* Cum igitur mors Chriſti inciderit in 18. annum Tiberii, alius Terræmotus non eſt à Plinio traditus, quam qui Chriſti morte inuaſit. Cui rei accedit Flegon Græcus hiſtoricus origine

Aſiaticus, & homo Ethnicus, de quo Suidas meminit:ſcribit is lib.14.tunc præter incredibilem Ecclipſim,fuiſſe tam ingẽtem motum terræ, vt infinita ædificia Aſiæ & Bithyniæ proſternerentur. Accedit Petr.Hiſp.Sylu.p.2.c.21.

PH. Vrbium proſtatarum nomina recenſet Niceph.lib.1.cap.17.dicitque fuiſſe quatuordecim, videlicet Epheſus, Magneſia, Sardis, Moſthene, Hierocæſarea, Philadelphia, Tmolus, Timus, Myrina,Cyme, Apollonia,Hyriana, Dia,Cybara, præcipuam fuiſſe Epheſum etiam tradit S. Anton. tit.6.c.21.§.2. Diuus autem Auguſtinus lib.de mirabilibus diuinæ ſcripturæ tradit,Terræmotu Dominicæ paſſionis vndecim vrbes corruiſſe, quod etiam memorat Beda Natalis, cuius meminit Sixt.Biblioth.Sanct.lib.6.annotat.124.

EQ. Paſſim apud Hiſtoricos leguntur Terræmotus,frequentesque quam reliquæ clades; ſed vnum inter reliqua recenſet Gregorius Nyſſenus Epiſcopus in vita S.Gregorii Thaumaturgi, quo inuadente diuinum illuxit miraculum. Sic enim habet ibi Nyſſenus: *Cum noctis temporibus grauiſſimus aliquando terræmotus Amaſeæ ciuitatem labefactaſſet, & omnia propemodum funditus periiſſent, & publica & priuata ædificia omnia corruiſſent, ſolum templum,cuius fundamenta iecerat Thaumaturgus, manſit infractum & inconcuſſum, vt vel ex hoc ſit manifeſtum, cum cuiuſmodi poteſtate vir ille magnus ea,quæ à ſe erant gerenda,ſuſciperet.* Hæc Nyſſenus.

TH. Dei gratia id factum eſt, vt vnicum ſancti hominis templum in vrbe eximeretur à tanto periculo, ſicuti alias legiſſe me memini apud Euagrium & Nicephorum non diſſimilem gratiam. Euagrius enim lib.6.c.8.narrat,nocte,qua vxori primum ſe iunxit, ſub Mauritio Imperatore, tertia hora poſt crepuſculum, terræmotum cum impetu irruentem totam Antiochenam ciuitatem concuſſiſſe, & ædificia fere omnia proſtrauiſſe, ſexagintaque hominum millia extinxiſſe. Verum (inquit) Gregorius Epiſcopus præter omnium expectationem euaſit incolumis, toto domicilio,in quo ſedebat,ruinam paſſo,& ſolis illis,qui eum circumſiſtebant, ſeruatis, alio præterea nemine, qui illum omni feſtinatione ſubleuantes, cum terræmotus locum ſecunda concuſſione patefaceret,per funem demiſſum è periculo eripuerunt.Eadem habet Niceph.lib.18.c.13. Atque ita ſemper Dei benignitas erga aliquos effulget,etiam in ipſo furore ſuæ iuſtiſſimæ iracundiæ.

EQ. Admirabilius meminit idem Niceph. Admirabile enim fuit, quod narratum eſt, hominem oppreſſum ſecunda concuſſione detegi, & ſaluari. Sed quod narrat idem Hiſtoricus lib.13, c.36. omnem hominum captum excedere videtur. Capta enim vrbe ab Alarico plurima contigere prodigia, inter quæ præcipue terræmotus,de quibus ita Niceph.Cum in multis terræ locis tanti eſſent terręmotus, laquearia & tecta ædium à ſeipſis ita magno cum ſonitu & fragore dirimi viſa ſunt, vt qui intus in domibus erant, clare oculis cœlum conſpicerent, & poſt eiuſmodi rupturam ita rurſum ſunt inter ſe apte coniuncta, vt nemini tam nouæ rei ſignificationem aliquam præberent: idem etiam in nauibus & domorum pauimentis multis in locis accidit; quædam namque granaria, in partibus inferioribus habitantes, frumento confertim & ſubito in eos per rimas patentes effuſo ſuffocarunt, ſolumque ipſum tam commode compactum reddiderunt, vt homines addubitarent, vnde frumentum illud, quo cædem talem patrarat, profluxerit. Itaque hæc contigiſſe ſcribit irato Domino,ob illatam Ioanni Chryſoſtomo iniuriam ab Eudoxia Imperatrice,etiam tum defuncta. Erit igitur veriſimile,quod Seneca narrat Natur.lib.2. cap.30 31. ſeſe vidiſſe ædificia angulis moueri, iterumque componi,&

in bal-

in balneis teſſellas, quibus ſolum erat ſtratum, alteram ab altera ſeparari, iterumque committi: & aquam modo recipi in commiſſuras pauimento recedente, modo elidi.

PH. Sunt hæc ſane admiranda, adeo vt naturæ nulla ratio ſuppeditare poſſit: ſed naturæ ratio ſuppeditare poteſt iis, quæ dicturi ſumus, tametſi ipſa quoque admiranda ſunt. Euagrius Hiſtoricus lib.2.cap.12. narrat, ſub Imperatore Leone ingentem terræmotum Antiochiam mirum in modum concuſſiſſe: addit autem, ante terræmotus initium quoſdam è populo eiuſdem vrbis ſupra modum inſaniiſſe, & omnem belluinam feritatem longe ſuperare viſos, quaſi præmium futuræ calamitatis præbuiſſe. Id naturæ eſt conſentaneum: vapores etenim & halitus terræ omnes incocti ſunt, & venenoſi, plurimumque abundant infectione: quamobrem etiam priuſquam exhalent, inficiunt ſuperficiem terræ, vnde aliquando contingit, quaſi ægris etiam furere, quod Phreneticorum eſt. Nam & reliqua animantia ante huiuſmodi motus pati conſueuerunt ab infectione huiuſmodi. Legi enim apud Platinam in Victore Tertio Papa, Aues domeſticas, vtpote gallinas, anſeres, columbos, pauones, ad loca montana confugiſſe, ſylueſtreſque ſponte factas, piſceſque tum fluuiatiles, tum marinos, magna ex parte periiſſe, Terræmotum poſtea quaſdam vrbes concuſſiſſe, præcipueque Siracuſas, vbi maior Baſilica corruens, dum veſperæ celebrarentur, omnes qui tum in templo aderant contriuit, duobus tantum diuinitus ſuperſtitibus, Diacono ſcilicet & Subdiacono. Hæc Platina: vt inde experiamur, terræmotus cauſam eſſe ſpiritum venenatamque exhalationem.

EQ. Admiror, Romam perraro ædificiis ſuis à terræmotu deformatam, aut ſane minus omnibus. Quanquam enim dicat Plinius lib.2. cap.84. Romam nunquam tremuiſſe, quin aliquid futuri portenderet, tamen concuſſam eius ædificiorum pulchritudinem, rariſſime eſt proditum. Tremuiſſe etenim ad dies 38. conſtat ex Liuii decad.4.libr.5. atque alias ſæpe decade prima libr.3. & decad.4. libr.10. Sed à Chriſto nato rarius. Vnde iure eam exemptam terræmotus clade cenſeri poteſt, quod aduerſus eam Inferos præualere non poſſe promiſerit omnium Creator Dominus, cum videamus, reliquas orbis præcipuas vrbes auulſas & diſſipatas motu terræ, Hieruſalem, Alexandriam, Antiochiam, Conſtantinopolim. Præter enim eos motus, quos iam commemorauimus, fuit alius Conſtantinopoli perdurans ad dies 18. quo hominum 13. millia oppreſſa ſunt, hoc ipſo noſtro ſeculo, vti ſcribit Surius ſub anno Domini 1509. In Iudæa quoque ſub Herode olim motu vno oppreſſa fuere hominum millia 30. vti habet Zonaras Tomo 1. Sed & circa ipſam Romam Italiæ omnes fere regiones concuſſæ deformatæque mirum in modum leguntur, vna Roma priuilegio diuino exempta. Nam in ſaluis agri Picœni montibus ad quinque millia hominum vno motu periiſſe compertum eſt ſub Honorio Tertio cadentibus domibus, ſaxiſque è cacuminibus montium in habitatas conualles paſſim ruentibus. Platina in Honorio III. Campania autem hanc terræmotus cladem ſæpiſſime paſſa eſt: nam id accidit Regulo & Virgilio Conſulibus, vt memorat Seneca Natural.libr.6.capit.1. *Pompeios*, inquit, *celebrem Campaniæ vrbem, quam ab altera parte Surrentinum, Stabianumque littus, ab altera Herculanenſe conueniunt, mareque ex aperto conductum amœno ſinu cingit, deſediſſet terræmotu, vexatis quæcumque adiacebant regionibus audiuimus, Non. Februarii, qui motus Campaniam nunquam ſecuram huius mali, indemnem tamen, & toties defunctam metu, magna*

ſtrage vaſtauit: nam & Herculanenſis oppidi pars ruit, dubieque ſtant etiam quæ relicta ſunt, & Nucerinorum colonia vt ſine clade, ita non ſine querela eſt. Neapolis quoque priuatim multa, publice nihil amiſit, leniter ingenti malo perſtricta. Villæ vero præruptæ paſſim ſine iniuria tremuere; adiiciunt his ſexcentarum ouium gregem exanimatum, & diuiſas ſtatuas, motæ poſt hoc mentis aliquos, atque impotes ſui erraſſe: atque dein plures Campaniæ renuntiauere; indeque migrarunt, negantes ſeipſos vnquam ipſam regionem acceſſuros. Hæc ex illo. Qui cap.12. adiicit, quando is motus in Campania fuit, quamuis hyberno tempore, tamen quietum per ſuperiores dies à cœlo aerem ſtetiſſe. Sed quod ad Neapolim ſpectat, ſub Calixto III. tantus motus exortus eſt Nonis Decembris, vt & multa templa, pluresque ædes cum magno hominum ac pecorum interitu corruerint, non ſolum Neapoli, verum & Capuæ, Caietæ, Auerſæ, cæteriſque veteris Campaniæ vrbibus, in Apulia etiam, ac Pelignis, quarum ruinas vel ipſe author, qui ſcripſit Platina conſpexiſſe magna cum admiratione fatetur in ipſo Calixto III. quæ etiam habet Palmerius, & Anton. tit. 22. cap.14. §.3. Sed & Collenutius, qui triginta hominum millia tum attrita fuiſſe commemorat, ſed & Catana Siciliæ vrbs terræmotu oppreſſa, viginti hominum millia amiſiſſe memoratur. Bergom. in Lucio III. An.Domini 1183. cum paulo ante ſcilicet 1171. ipſa Apoſtolorum Petri & Pauli feſtiuitate in Aſia Tripolis tota, ac Damaſci pars, & Antiochiæ plurimum, ac Saracenorum vrbes nonnullæ corruiſſent, vt Rob. Mont. tradit. Quibus addo, tantæ curæ Domino eſſe ſedem Apoſtolicam Romanam, vt non ſolum à clade terræmotus exemptam velit vrbem, verum etiam & Pontifices. Nam ſub Bonifacio Octauo cum Reate terræmotus inuaſiſſet maximus, quantus nunquam antea, quo multis diebus per interualla plurima durante, ędificia paſſim corruerant, Reate (quæ non admodum abeſt Roma) Pontifex tum erat, cum omni aula: is veritus, ne ruina ædificiorum opprimeretur, caſulam quandam ex tabulatis exilibus in medio clauſtro fratrum Prædicatorum, prato admodum lato, ædificari iuſſit, eoque in loco aliquandiu reſedit, licet horrida ſæuiret hyems. In celebritate namque ſancti Andreæ hæc perturbatio exorta eſt. Hæc Platina in Bonifacio Octauo.

TH. Ex hac re compertum eſt, Apoſtolicam ſedem deturbari aut exagitari aliquatenus poſſe, opprimi non poſſe. Nam & Honorio IV. defuncto, cum apud ſanctam Sabinam conclaue haberetur, terræmotus auditus eſt: quamobrem ſoluto conclaui in aliud tempus oportunius negotium dilatum eſt. Platina in Honorio IV. vt inde etiam liqueat, perturbationibus ſubditam eſſe Apoſtolicam Romanam ſedem, non concuſſioni. Cuiuſmodi ad Federicum Imperatorem Innocentii Quarti carmine continetur:

Niteris in caſſum nauem ſubmergere Petri:
Fluctuat: at nunquam mergitur illa Ratis.

Quanquam igitur ab interitu immunis eſſe videatur Roma Terræmotibus, non tamen omnino iis caruit, etiam à Chriſto nato: ſed aut infidelitate Deum prouocante, aut hominum ſceleribus id accidit. Galieno etenim Imperatore vehementer concuſſa eſt, vt S. Anton. tradit tit.6.c.21.§.2. Deinde circiter annum 336. triduo etiam concuſſa, maximamque rerum iacturam perpeſſa eſt, vt recolit Theophanes Iſauricus apud Anaſtaſium Bibliothecarium. De eodem triduano meminere quoque Euſeb. Cæſar. in Chronico, & Marianus Scotus, niſi quod referunt ad annum 348.

At reliquæ omnes Eccleſiæ ac ſedes hactenus merſæ comperiuntur: nam præter illam maximam Inſulam ad Columnas Herculis, de qua ſupra meminimus, & præter eas, quas diximus ſub Tiberio, & Thracia, Helleſpontus, & Ionia, Cyclades Inſulæ, Cnidus, & Coo Inſulæ cladem ſenſerunt ſub Leone Imperatore. Euag. lib.2. c.14. Niceph.lib.15. c.20.

Sicut ſub Antonino complures ciuitates Bithyniæ & Helleſponti: & Cyzicus corruerunt, Zonaras in ipſo Antonino.

Sed & ſub Theodoſio terræmotus magnus & admirandus, priores omnes magnitudine, celeritate, & temporis diuturnitate facile ſuperauit; nam ad menſes ſex durauit, motu continuo omnia concutiens, idq; per orbem fere vniuerſum. Nam & Cherſoneſum, & Alexandriam attigit, Antiochiam, Bithyniam, Helleſpontum, vtramq; Phrygiam, Orientisque partem maximam, Occidentis quoque regiones plures, ipſam etiam Conſtantinopolim, vt tradit Niceph. lib.14.cap.46. Iuſtiniano quoq; Imperatore, motus inuaſit Græciam, Bœotiam, Achaiam, ſinum Criſſęum, Pompeopolim Ciliciæ, atque alias innumerabiles vrbes etiam ſolo æquauit, vt ſcribit ex Procopio Niceph. lib.17.c.13. Atq; ita fit, vt omnem pene orbem terræmotũ ſenſiſſe appareat, vt ſic vnusquisq; diſcat, & ſibi eadem poſſe contingere, nec vlla potiore via poſſe ſuperari, quam diuini auxilii imploratione. Fateri tamen poſſumus Ægyptum præ cæteris omnibus orbis partibus hoc munere adeo fuiſſe donatum, vt numquam tremuerit, Seneca teſte Natur.lib.6.c.26.

EQ. Præter clades ipſas quandoque terræmotus nouam quandam rerum faciem inducunt: nam quandoq; tumorem ſoli efficiunt, vt in Saxonia, ſpatio vnius leucæ terra intumuiſſe memoratur hinc ante annos prope octingentos Vinc. hiſt. lib.24.cap.27. Aufert etiam terræmotus conſuetam rerum faciem, flumina abſcondens, alia emergere nouo quodam exitu efficiens: *Legimus* (inquit Hieronymus) *in his, qui de mirabilibus confecerunt volumina, & qui Olympiades Græciæ ad noſtram vsque memoriam perduxerunt, exponentes, quid in ſingulis annis noui acciderit in mundo, quod inter cætera terræmotu eruperint flumina, quæ antea non fuerant: & rurſum alia abſorpta ſint, & peſſum ierint, quod ſcilicet omnes terrarum venæ, quaſi in humano corpore ſanguinem, intra ſe habeant latentes aquas, quæ terræ concuſſione rumpantur, & manet in flumina.* Ita S. Hieronymus ſuper Abacuch ad cap.3. Quandoque vero diuturnior eſt: Anno enim Domini 1570. Nouembri 17. terræmotus ingens, ac ſæpe ſæpius die nocteque repetitus Ferrariam inſignem Italiæ vrbem quaſſare & diruere cœpit, & quod ſingulare eſt, perſeuerauit ingenti cum ædificiorum ruina per integrum ferme annum, refert Marianus Victorius ad S. Hieronymum, ſed nos tum Romæ degebamus.

PH. Comperti quoque ſunt terræmotus arte confecti. Nam tormentario puluere multo ſub terra aliquo antro concluſo, ſi ignis acceſſerit vel minimus, illa pulueris copia tota inflammata, cum exitum quærat, nec inueniat, omnia circum circa, ac ſupra diſiicit, aperit, & in altum emittit: montes hoc modo aperti ſunt, ſubruta oppida, euerſi ingentes muri, domus, turres, cæteraq; ædificia. Ideo terræmotum artificio fecit Arthemiſius Mathematicus è Trallis ortus, Zenonis Rhetoris ſibi contigui æmulus, ſub Iuſtiniano apud Conſtantinopolim: dicam igitur, quæ de illo ſcripſit Agathius Hiſtoricus: *Erat Zenonis domus prealta & pulchra, ſed eius inferior pars ad Arthemiſium proprietatis iure ſpectabat. Arthemiſius igitur in hac portiuncula ſua lebetes grandes aqua oppletas diſpoſuit, his è corio fiſtulas circumpoſuit latiores, vt to-* *tum*

Terræmotus artificialis.

tum liberum circulum complecterentur, deinde tubæ ſpeciem illas ſubmiſit in altum; ita vt in portione ſua deſineret, extremaq; fortiter ad tigna & tabulas affirmauit defixitq; ita, vt conceptus iis aer libere per eam vacuitatem euaderet, ſolariumq; pertingeret nudum, & vt erat neceſſe, intra fiſtulas ipſas circumferretur, nec quoquam pacto efflueret. His ita ex occulto peractis ſub lebetum fundum multum ignis ſubiecit, ingentemq; excitat flammam, tum demum aqua exæſtuante ſubſilienteq;, vapor multus elatus per fiſtulas in altum ſerpebat citus, & denſior: cumq; non haberet quo alio effunderet, per has reuolutus, & anguſtia preſſus violentior ſurſum verſus impellebatur ita, vt cum ad ſolarium oſtendiſſet, iterato deorſum ſimili violentia deferretur, qua reciprocatione ſæpius facta, domus tota concuſſa eſt, & commota, & ſenſim tremere, & ligna ſtridere cœperunt: vnde Zeno cum aliis diuinam implorantes opem aufugerunt. Hæc Agathius Gotticarum rerum lib.5. Quin adiecit ad hæc admiranda Arthemiſius contra ſuum Zenonem Rhetorem; à quo in iudicio litibus vexatus ob ſummam eloquentiam deprimebatur, etiam fulgura, & tonitrua arte confecta. Fulgoribus etenim, & tonanti fragore Zenonis domum altera vice repleuit: is ſiquidem lapideum orbem in ſpeculi ſpeciem complanatum excauatumq; leniter, ac Soli oppoſitum radiis ſplendore complebat, moxq; in quos vellet conuertens tantum his intorquebat fulgorem, vt oculorum aciem hebetaret, & viſum præſtringeret. Excogitauit præterea organorum quorundam attritiones, colliſionesq;, ex iisq; crepitus ſonoros quoſdam, & violentos edebat, & plane tonantes ac tanti fragoris, vt ſenſus hominum pauefaceret: adeo vt Zeno ipſe coram Imperatore ac omni Senatu diceret, ſe ſolum aduerſus fulminantem Iouem, ac grauitonantem, ac terram ipſam concutientem nõ poſſe pugnare, ipſum Arthemiſium ſubindicans. Agathius Gott.lib.5.

EQ. Si (vt iam dictum memini) illi naturales tam ingentes terræmotus virtute aſtrorum fiunt, quorum vis in viſcera terræ protendatur, coniiciendum eſt, ſydera, tametſi minutiſſima oculis humanis eſſe videantur, corpora eſſe præmaxima.

Stellarum magnitudo.

PH. Sunt aſtra ipſa incredibilis, immenſæque amplitudinis, tum mole corporis, tum virtutis, ſed loci diſtantia incomprehenſibilis noſtro ea viſui reddit exigua. Et quod eſt admirabilius, numerari non poſſunt; ſoli Deo cognito earum numero. Pſal.146. Nam quamuis terræ ipſius ambitus ſit ſecundum pleroſq; ad milliaria Italica vnum & viginti millia & eo amplius, aut ſecũdum alios triginta & vnum millia; tamen Stella quælibet, quamuis minima terram ipſam amplitudine ſuperat. S.Thomas ſuper Matthæum ad cap.24. Quin non ſolum quædam eam amplitudine ſuperant, ſed quædam ſunt, quæ ipſum orbem terræ decies, & octies multiplicent; quædam trigeſies quinquies, quędam quinquageſies quater, quędam ſeptuageſies bis; quædam centies quindecies; vt hinc admirari liceat, quanta ſit hinc ad ipſa ſydera diſtantia: quantaq; ipſa vis, vt huc vſq; infra terram vim ſuam exhibeat: cum autem tanta, quam diximus amplitudine terram ſuperent, mirum quod minimæ eſſe videantur.

EQ. Audiui à nonnullis dimenſionem diſtantiæ, quæ interiacet à terra vſque ad ſydera.

Diſtantia terræ & ſyderum.

PH. Id certa ratione deprehenditur à peritis. Sed quoniam milliaria numeroſitate ſua mentẽ obtundunt ac ferme obruunt, non libet ea recenſere, quandoquidem per dies & annos concitatiſſime equitantis hominis ſimilitudine commodius putarim commemorare diſtantiam ſyderum. Si igitur ſingulis dieb. ſexaginta

Italica

Italica milliaria aſſignemus, erit diſtãtia à Terra ad Lunę globum annorum quinque, ac duorum menſium & eo amplius.

Ad vsque Mercurii ſphæram annis decem, & eo amplius diſtantia permeabitur.

Advsque veneris globum annis ſex & viginti, & eo amplius.

Advsque Solis ſphæram annis centum ſexaginta nouem, menſibus tribus.

Advsque Martis ſphęram annis centum octoginta quatuor, menſibus quinque & eo amplius.

Ad vsque Iouis globum, annis mille ducentis vno & nonaginta ac duobus menſibus, & eo amplius.

Ad vsque Saturni ſphæram annis bis mille ſexaginta quinque, ac menſibus vndecim.

Ad vsq; octauam ſphæram annis bis mille ſeptingentis quinquaginta quatuor, ac ſex menſibus, & eo amplius.

Ad vsque nonam ſphæram annis bis mille nongentis octoginta duobus.

At eſt admirabilius ſyderum adeo ingentium (quæ ſcilicet centies quindecies diximus excedere terræ magnitudinem) motum explicare, & curſus velociſſimam accelerationem; nam ſagittas ſuperant, quin ſuo motu anteuertunt vehementiam globorum, qui ab æneis tum paruis, tum maximis tormentis igne immiſſo excluduntur: imo longiſſime excedunt ſua celeritate etiam cœleſtium fulgurum è nubibus emiſſorum impetum: & in eo motu per dies ac noctes ſemper perſeuerant cum tamen noſtris oculis ſtare, & immobilia eſſe videantur magno miraculo. Id deprehenderunt periti ex toto primi mobilis ambitu. Eius enim orbis totus diametra terræ continet quadraginta nouem millia ſeptingenta triginta quatuor, plus minus, quæ conficiunt milliariorum milliones quadringentos decem cum dimidio & eo amplius, idque totum ſpatium conficitur (admirandum) interuallo diei vnius integri. Cum igitur horis viginti quatuor tantam circuli longitudinem ſydera illa percurrendo conficiant. Conſequens eſt, per ſingulas horas percurrere diametra terræ duo milla quadringenta octoginta nouem plus minus, id eſt, milliariorum milliones ſeptendecim, & eo amplius. Ac per ſingula horarum minuta, id eſt, per ſexageſimam horæ partem percurrere vnum & quadraginta cum dimidio diametra terræ; quin minori temporis ſpatio, id eſt, momento (quæ eſt horæ centeſima, & octuageſima pars) conficiunt ſuo curſu quatuordecim fere diametra terræ, quæ complectuntur nonaginta ſex millia ducenta & eo amplius Italicorum milliariorum. Omnes enim hos numeros viri docti peritia ſua deprehenderunt. Videndus Franciſcus Iuſtinus, Georgius Reiſcher, Alexander Picolominæus, Chriſtophorus Clauius cum reliquis quos illi commemorarunt: nam Babyloniis & Ægyptiis valde deferendum eſſe hiſce rebus ſcribit Ariſtotel. cœli.2. tex.60. Cum igitur à nona ſphæra, vti diximus, diſtributis per ſingulos dies ſexaginta milliaribus, diſtantia terræ tanta ſit, vt confici ab itinerante non poſſit minore ſpatio, quam bis mille nongentis, octoginta duobus & eo amplius annis; perſpicue conſequens eſt, ſi tantummodo per ſingulos dies aſſignemus viginti milliaria itineranti, hoc omne ſpatium à nona ſphęra vsq; in terram non conficiet nouem annorum millibus circiter. Ergo ſi à condito orbe per ſcalam à nona ſphæra fingamus aliquem recta linea cœpiſſe deſcendere verſus terram, ſi viginti tantum milliaria quotidie confecerit, hodie nondum per-

Stellarum velocitas.

uenisse potuit in terram, nec peruenire poterit etiam poſt multa annorum millia.

TH. Hæc potius ad inanem curioſitatem ſpectant, quam ad frugem aliquam: ideo permittenda iis, qui huiusmodi ſtudia caſſo labore amplectuntur. Hoc vnum tamen ſumma animi vtilitate hisce à rebus cognitis cõſequemur, quod mentem ad cœleſtis regni amplitudinem erigemus, dum beatorum animas ſpeculamur momento eo vsque peruenire, vt cum Chriſto regnent: momento eousque Chriſtum non anima tantum & diuinitate verum etiam corpore conſcendiſſe, ſicut & B. matrem eius Mariam corpore quoque vno momento eousque aſſumptam fuiſſe docet Eccleſia: ſpeculemur quoque ex quo alto loco Lucifer ſit delapſus momento.

EQ. Recte equidem, ſancte ac ſapienter: ſed agamus nunc de rebus aliis, præcipue vero de dierum, noctiumq; diuerſitate ex climatum poſitionibus.

Climata dierum & noctiũ diuerſitates.

PH. Eſt equidem admiranda diuerſitas ea, quæ propinquitate Solis, aut diſtantia effici ſolet: nam cum terra quaſi pila, globusque ſit, Solq; non vbique pari proſpectu videri poſſit in ſummo & imo, vt in medio pilæ, ita dies, qui à Sole cauſatur, pari menſura eſſe non poteſt vbique: alicubi enim die vnica totus annus expletur, vt iure dicere ibi quisque poſſit, qui annos centum vixerit, ſe dies centum tantum vixiſſe: at qui operam ſuam annuam locauerit, diurnam locaſſe videatur. Atque ita quoque fit, vt mane ſeratur, meridie metatur, ſero arborum fructus colligantur. Mulieres quoq; mane concipiant, poſt veſperam pariant: ſunt hæc ſane admiranda, attamen vera ſunt. Nã ſemeſtri ſolet lux Solis ſemper apparere. Semeſtri altero ſemper latet. Ideo quia vna tantum videtur lux, atq; ſingulares tenebræ, pro vno die totus annus accipitur. Idque in Septentrionali quaſi ſummo orbis cardine contingit. Mela enim lib.3.cap.2. de ea re ſic habet: *Hyperborei ſuper Aquilonem, Riphæosq; montes ſub ipſo ſyderum cardine poſiti non quotidie Solem, vt nos, ſed primum verno æquinoctio exortum, autumnali demum æquinoctio occidere: & ideo ſemeſtri diem, altero etiam noctem continuam eſſe.* Solinus quoq; cap.20. ſic habet: *Hyperboreis Europæ ſemeſtrem lucem Solemq; æquinoctio verno exoriri, autumnali occidere, vt ſic ſemeſtris dies, ſemeſtris quoq; continua nox ſit.* Plin. quoq; ſemeſtres dies ac noctes memorat lib.4.c.12. quo loco illud atteſtatur quod iam diximus, vt mane ſeratur, meridie metatur, ſero arborum fructus colligantur. Id enim in Thyle Inſula contingere, vt ſcilicet ſolſtitio nulla nox ſit, Bruma nullus dies, ſcribit eod.lib.4.cap.16. ſicut & in Britannia idem contingere teſtatur lib.2.cap.7. Mela habet lib.3.c.3. In Thyle Belgarum littori appoſita Sol longe occaſurus exurgit, breues noctes ſibi eſſe per hyemem obſcuras, æſtate lucidas, quod per id tempus Sol vicinio ſplẽdore proxime illuſtret, ſolſtitio nullæ noctes, quod ſeſe Sol oſtentet: Cui aſſentitur & Iſidorus ethym. lib.14.c.6. & nouiſſime Surius in Commentario ſub anno Domini 1537. ſed & Solin. cap.24. *In Thyle* (inquit) *circa Britanniam ſolſtitio nox pene nulla, Brumali nullus dies, vt ortus ſit iunctus occaſui.*

EQ. Igitur in Nouergiæ parte extima, ne noctu quidem diurnum ſydus occulitur, ita vt continui Solis præſentiã alternos horarum dedignata ſucceſſus vtrique tempori pari luminis adminiſtratione deſeruiret, vt Saxo Gram. memorat in Præfatione: ſed in reliquo Aquilonari cœlo ſolſtitii æſtiualis tempore inuſitatæ claritatis noctes ſunt, dieique tam ſimiles, vt minimum temporum diſcrimen videatur, ad quarum lumen Solis beneficio procuratum leui contemplatione exiles literæ legi poſſunt, idem Saxo lib.14. Quod ipſe Quirinus quoque teſtatur in ſuo naufragio.

gio. Climata autem illa vbi ſemeſtres dies noctesq; ſint, prodit Olaus lib.1.cap.1.& 2,præcipue vero ait Biarmiam Prouinciam huiusmodi diei clima habere. Nam à 25. Martii ad octauam Septembris perpetua lux eſt, Sol tamen oritur quarta Maii perſeuerans ad vsq;Kal. Auguſti:ab octaua Septemb.in 25.Martii ſemper latet perpetua nocte: reliquum tempus ante 4.Maii,& poſt Kal.Auguſti vsq; ad 8.Septembris, quaſi occidentis Solis crepuſculum videtur fieri. Adiicit inſuper Olaus,huiusmodi noctes alias prouincias continere lib.4.c.9. Lapones enim,Botnienſes,& Isdaleſios Aquilonares omnes eiusdem climatis eſſe teſtatur. Cum vero longius à cardine fit regreſſus,nobisq; quęlibet proximior fuerit prouincia,dies fit breuior. Nam & Suetia,Elſingia, Angermania,atq; Nouergia dies menſium quinq; longa eſt,ſicut in Gottia,Moſcouia,Ruſſia,Liuonia, trium menſium longa eſt dies. Et hoc eſt quod Cæſar Commen.lib.1.tradit quibusdam Ibernicis & Britannicis Inſulis noctem ſub Bruma dierum triginta eſſe.

TH. At nihilominus quamquam adeo perlongæ noctes ibi ſint, aliquid ibi luminis eſt, cuiusmodi Luna plena nobis illuſtres ſunt noctes, quin & aliquando illuſtriores ſunt: nam legere, ſcribere, pecuniasque numerare, atque ſimilia reliqua agere perſpicacibus oculis percommodum eſt, eisdem Saxone & Olao teſtibus.

PH. Ita eſt, interlucet enim reuerberatio quædam aereæ lucis ex latente Sole, ſicut nobis in crepuſculis quotidianis contingit. Quo igitur proximus fit acceſſus ad æquinoctialem Zonam, breuiores fiunt dies, mutanturque tum noctes, tum dies, vt habet Plinius lib.2.cap.75.& lib.6. cap.34. Quæ ratio etiam efficit, vt cum nobis Sol illuceat, contrariæ terræ parti illucere non valens,ibi tenebras mittat. Cum enim inferior pars globi illuſtratur, neceſſario efficitur, vt ſuperior ſit tenebroſa; ſi ſuperior illuſtretur, inferior tenebris obuoluatur: ſi anterior luce ſplendeſcat: poſteriore ſint tenebræ, ſin poſterior pars lucem videat, anteriorem neceſſario tenebris obſcurari: atque hæc eſt Antipodum ratio: ipſis enim nox eſt, cum nobis eſt dies.

EQ. Hac ratione, vt ſcribit Petrus Hiſpal.in Peruaco:Nouembris menſis dies totius anni longiſſima eſt,ita ille p.5.cap.25. Sed & in vrbe S. Dominici hyems cum nobis æſtas,æſtas cum nobis hyems,ſudore madent homines natali Domini.Ouet. hiſt.lib.4. cap.2.& Ioſephus Ieſuita de rebus Braſilicis ann.Domini 1560.Æſtas ibi cum in Europa hyems eſt,& è conuerſo: ibiq; ſumma noctium longitudo, quando nobis longiſſima dies. Et è conuerſo,longiſſima illis dies,quando nobis longiſſima nox. Ibi igitur à Nouembre in Martium viget æſtas, Septembri ver incipit, æſtas Decembri fit, Autumnus Martio: frigora vigent Iunio,Iulio atque Auguſto menſibus. At Decemb.13. longiſſima dies horarum 14. ſicut Iunii 11. breuiſſima dies eſt horarum decem,& quod reliquum eſt eiusdem orbis noui vsq; Iaponium Inſulam,tum ibi nox eſt,cum nobis hyems, hyems cum nobis æſtas, vt referunt quotquot ea climata perluſtrarunt.

PH. Odoardi Barboſę itinerum comes quidam memorat, in portu S. Iuliani, Iunio ac Iulio, diem non excedere horas 4.vt recenſet Ramuſ.itinerationum Tomo 1.poſt Antonii Pigafettæ hiſt. Sed & Maximilianus Tranſiluanus tradit in ipſo Promontorio S.Iuliani Decēbri noctem non excedere horas quinq; apud Ramuſ. Tom.1.Propterea in Æthiopiæ regionibus longiſſimum diem nunquam excedere horas duodecim compertum eſt, Ramuſ.teſte Tom.1.

TH. Thomas Lopez teſtatur in Promontorio Bonæ ſpei Iunii diem non excedentem horas octo Ramuſ.Tom.1. Cui accedit, quod Gaſpar Ieſuita ex Ormutio ſcripſit 1549. Hyemem in Promontorio Bonæ ſpei eſſe, quando in Ægypto æſtas fuerit, & è conuerſo. Quin & Chriſtophorus Riberius Ieſuita teſtatus eſt, in Æthiopiæ parte quadam, à Martio menſe ad Auguſti dimidium, hyemem rigere non pluuiis, ſed ventis & frigore: Cui ſubſcribere videtur ex Alberico Veſpuccio Surius in commentario ann. Dom. 1501. cum dicit, Æthiopiæ partem quandam Iunio menſe hyemem perpeti, pariaq; eſſe noctis & diei ſpatia. Alia vero Æthiopiæ parte noctes diei ſeptimæ Aprilis horarum eſſe quindecim, ac tum hyemem rigere. Quibus accedit Franciſcus Aluarez cap.31. In Æthiopia enim in Barra, à Iunio menſe in Septembrem protendi hyemem. Propterea aſſentiri licet iis quæ ſcripſit Mela lib.1.c.5. quum ſcriberet nobis eſſe Antichthones ad ortum Nili, ibique hyemem eſſe æſtiuo nobis ſolſtitio.

EQ. Aloyſius quoq; Cadamuſtius in Regione Aphricæ, cui nomen eſt Gambra, Iulio menſe teſtatur noctem breuiorē non eſſe horis 11. & abſq; aurora Solem repente apparere quotidie, Ramuſ.Tom.1. Sed & Trogloditis & ipſis Aphricanis Strabo lib.2. tradit longiſſimum diem horarum eſſe 13.

TH. In orbe nouo, præter Braſiliæ regiones, de quibus ſupra iam meminimus in Freto Magelanico Octobri menſe conſtat noctem horas 4. nō excedere, vti habet Antonius Pigafetta: Sicut autem in vrbe S. Dominici eiuſdem noui orbis diximus die natalis Domini noſtri Ieſu Chriſti ingentem eſſe æſtum teſte Ouet.hiſtor. lib.4.c.2. Ita & in ſummario poſt princ. tradit in Araba, quæ eiuſdem orbis præcipua portio eſt, in vrbe S. Mariæ de Antica Darien. perpetuum eſſe æquinoctium, tantamq; ſemper noctium, dierumq; ibi ęqualitatem eſſe, vt vel peritis Aſtrologis, ſi qua eſt differentia, vix percipi poſſit: quod & in Paria eiuſdem orbis prouincia eſſe tradit Petrus Martyr Summ. Indico.

EQ. De Ruthenis quoque noſtri veteris orbis (ii ad Septentrionem vergunt) admiror vrbem Nouogradum ampliſſimam in æſtiuali ſolſtitio habere longiſſimū diem horarum octodecim, vt ſcribit Surius in Comment. anno Domini 1501. at ſupra eos Tartarico cœlo lux dieſq; perpetua lucet æſtate: vt Marcus Polus tradit lib.3.c.44. Ideoq; in Laponia, quæ valde Aquilonaris eſt, Sol occidit & ducit noctem vnam per tres fere menſes Brumæ, per quos non habent lucem, niſi qualem crepuſcula clariſſima quidem, ſed in pauciſſimas horas, quales lunares faciunt ſplendores, vt Iacobus Zienglerus vir alioqui impius, in Laponię rebus. In reliquo autem noſtro orbe Occidentali; quem nos Itali colimus, Galli, Hiſpani, & qui nobis proximiores ſunt Germani, admirandas has noctes non habent, niſi quod miraculo accidit longior quam conſueuiſſet nox quædam, de qua Oroſius tradit lib.3.cap.7.

PH. Ego magis admiror, quod Olaus habet lib.11.c.22. in quadam Septentrionali parte horarum viginti noctes eſſe.

TH. Ego itidem magis admirandum duco Inſulæ Taprobanæ duas eſſe quolibet anno æſtates, duaſq; hyemes, vti ſcripſit Iſidorus lib.14.c.7. quanquam huiuſmodi naturæ priuilegium toti Indiæ tribuere videtur Plin. lib.6.c.17. non alio nomine, quam teporis & algoris ad frugum fertilitatem.

EQ. Admirandum naturæ opus magis mihi videtur, quod Olaus ſcribit lib.1. cap.2. In Biarmia Aquilonari plaga Lunam ibi nunquam videri, niſi pleno circulo

culo ad terræ ſuperficiem ignito colore carbonis ſpecie: qui & illud addit, à Kalen. Maii ad Kal. Auguſti nullam penitus ſtellam vnquam conſpici: quod illi toti plagæ commune quandoque etiam ad ſemeſtre tradit.

PH. Non fuerit ergo illis regionibus admodum diſputandum de vmbris tum Lunæ, tum Solis, ſi tam breui interuallo conſpiciantur. Et ſane ſunt plurima memoratu digna de vmbris tradita. Scribunt enim in Syene Alexandriæ oppido ſolſtitio ob perpendiculare diametrum meridie Solis vmbram nullam eſſe, quin puteos ipſos introrſus penitus rectis radiis Solis in imum vsque percuti. Id habet Plinius lib.2.cap.73. Quin de eiſdem vmbris Syenæ Ammianus Marcellinus ita habet lib.22. *Vmbræ Syenæ ſolſtitii æſtiualis tempore nullæ in ſtipite fixo, & recto, in arbore, & homine: In Meroe Æthiopica æquinoctiali ſita per 90. dies vmbræ noſtris in contrarium cadunt.* Hæc ille. *Vmbræ Solis.*

Sed & idem in Ptolomaide, quæ in margine eſt Rubri maris, effici atteſtatur Plinius per dies quinq; & quadraginta, & ante, & poſt ſolſtitium, iiſq; nonaginta dieb. lapſis, vmbras, non vt alibi in Septētrionem, ſed in meridiem mitti, ibidem ſcribit. In Meroe quoq; Inſula, quæ caput eſt gentis Æthiopum, bis in anno, ſcilicet Aprili & Auguſto vmbram nullam à re aliqua fieri tradit ob diametrum eo.c.73. & lib.6. c.29. Nearchus quoq; eadem de Syene, & Meroe Nili Inſula præfata teſtatus eſt, Ramuſ.tom.1. In India quoq; ſupra flumen Hypaſim vmbræ ſolſtitio meridie non ſunt, eadem ratione Plin.eod.cap.73.

PH. Et nos quoq; ſimilia fatemur. Nam S.Baſilius in Exem.hom.6.ita de hac re loquitur: *Sunt aliqui per duos anni totius dies penitus vmbra carentes, dum in meridie exiſtunt, quos à vertice illuſtrans Sol, vnde quaq; ex æquo circumcirca illuminat, vt etiam aqua puteorum profundorum per anguſta oſcula illuminetur: vnde quidam ipſos Aſcios, quaſi vmbra carentes vocant: Qui vero vltra Aromatiferam Arabiam habitant, in vtramq; partem vmbras alterant: ſoli enim hi in noſtra terra habitabili habitantes ad Auſtrales partes in meridie, vmbras demittunt: vnde illos aliqui amphiſcios nominauerunt.* Hæc ille. Accedunt, quæ Solyn.habet c.35. dicens: *Arabibus vmbræ ſunt ſiniſtræ, quæ nobis ſunt dexteræ.* Quibus accedunt etiam quæ Plin.narrat lib.2.c.73. memorat enim Indiæ gentem colere Oretum montem, quem & Maleum nomine vocant, iuxta quem vmbræ æſtate in auſtrum, hyeme in ſeptentrionem mittunt per ſenos menſes, quæ repetit etiam lib.6.c.19. Sed & in India Patales celeberrimo portu, tradit Plin.eod.c.73. Solem à dextris oriri, vmbras autem mittere in meridiem.

EQ. Hæc ſunt admiratione digna, quia tum hyeme, tum æſtate noſtri Hemiſpherii vmbræ ſemper fiunt, ſemperq; in Septentrionem cadunt, vt etiā ſcribit Baſilius eadem hom.6. Vnde mira climatum mutatio tanta eſſe dignoſcitur, vt non mirum videatur, eſſe tot hominum mores, tot formas, tantaque apathia differentes.

PH. Perſpicuum omnino id eſt, nam Hiſpani à Gallis atque Germanis ob cœli clima externis moribus adeo differunt, vt quod illis placeat, iis diſpliceat, quod illis gloriæ eximiæ, aliis indecorum eſſe videatur, tantum eſt id, quod ſydera influunt aut inclinant.

TH. Caute de hoc ſyderum, climatisque influxu ſentiendum eſt, quum de moribus, ac futuris fortunę euentibus agimus. Corporibus enim influere bilem, phlegma, ſanguinem, ac reliquos humores & ſenſuum, membrorumq; vegetationem (nulli dubium) vnde homo ſit ad has, vel illas artes aptior. At de moribus, id eſt, de *Sydera an ad mores et peccata inclinent.*

vitiis, aut peccatis abſurdum, imo impium eſt ſentire, ſydera non ſolum cogere, ſed etiam influere atque inclinare. Nam homo ſua ab origine natura corrupta, procliuem ſe reddit ad malum Gen.8. Senſus (inquit) & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab abdoleſcentia ſua, non dixit, à ſyderibus. Alioqui cœlo fieret iniuria. Nam, vt habet S. Auguſtinus de Ciuitate Dei, lib.5.cap.1. *Qui putant ſtellas poteſtatem hanc habere, magnam cœlo faciunt iniuriam: in cuius velut clariſſimo Senatu, à ſplendidiſſima curia opinantur ſcelera facienda decerni: qualia ſi aliqua terrena ciuitas decreuiſſet genere humano decernente, fuerat euertenda.* Hæc ille. Cui aſſentiri videntur quę habet Baſilius Exem.hom.2. Qui ergo afflatus ſyderum dicunt inclinare ad vitia, nihil aliud dicunt, niſi ſydera docere dirigereque homines ad peccandum. Iſta igitur execratur etiam ſanctus Iacobus epiſtola cap.1. *Nemo* (inquit) *cum tentatur, dicat à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum eſt; ipſe autem neminem tentat: vnusquisque vero tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus: deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum.* Ideoque S. Thomas Summa 22.q.95. inclinare ſydera dixit non ad peccandum, ſed tantum imprimere in corpus, & in vires ſenſitiuas libero exiſtente ſemper voluntatis arbitrio. Propterea qui natiuitates aut conceptus hominum ſcrutantur, vt futuræ impietatis, aut pietatis hominis, aut quæ illi ſint futura, velint prædicere, ab ipſa Eccleſia damnantur. Clemens enim I. Papa S. Petri comes indiuiduus Recog. lib.9. ſtellarum ſcrutatores & irridet, & peritiſſime confutat fuſius, ſed fuſiſſime auctoritate Philoſophorum eos refellit Euſebius Cæſ. præparat. Euang. lib.6.7.8. S. Baſilius Exem. homil.6. id apertiſſimis verbis damnat. Agricolationis vero, & itinerationis, nauigationis cauſa non improbat, ne quis pluuiis aut ſiccitate præpediatur. Sanctus quoque Auguſtinus eodem modo diſtinguit epiſtola 119. cap.9. Damnarunt itidem eaſdem euentuum prædictiones Chryſoſtomus, & Gregorius ſuper Matthæi verba, de ſtella Magorum & alii omnes, pro quibus vnica præcipua ratio ſufficit, quod peccatū eſt contra naturalem inclinationem. Sanctus Thomas in prima parte Summæ, q.64. Ideo ſydera cum naturam conſeruent, impoſſibile eſt, vt ad peccatum inclinent: peccatum præterea maledictione comite committitur, ſydera autem, cum à maledictione fuerint immunia, nullo modo ad peccandum inclinatione vlla hominem poſſunt dirigere. Propterea cum quidam Aſtrologus, ex die Kalendarum Ianuarii putaret multa ſe poſſe prædicere, deriſus à nobis eſt, & exſibilatus. Eius prædictiones carmine complexi ſumus, ſimulque & carmine exploſimus eum, ſic enim ſe habet:

Rorida ſi nubes confixerit Iridis arcum, *Pacatum mundo fœdere numen erit.*	Iris.
Si micet è cœlo lampas, fax, lancea, trabsq; *Feruebit longo tempore terra nimis.*	Cometes.
Si rugiat tonitru tranſcendent flumina ripas, *Et nautæ infauſtum fluctibus æquor erit.*	Tonitru.
Inſonet horrificum, ſiue intremat inclyta tellus *Exul erit pietas, exul & ipſa fides.*	Terræmotus
Irruat auerſo ſi temporis ordine grando, *In populos Regum ſumma tyrannis erit.*	Grando.
Iupiter ignitum ſi mittat ab æthere fulgur, *Edocet inuiſum Regibus interitum.*	Fulmen.

Si ridet

Si ridet Phœbus, ridet quoque frugibus æſtas,	Pluuia, nix.
Si nymbi exundent, defleat Agricola.	
Si minus irradient ob nubes lumina Solis,	Nubilum tempus.
Tempora nil fauſtum, nil quoque triſte dabunt.	
Sin ſeſe radiis Phœbi commiſcet Orion,	Sol cum pluuiis.
Luxuriem frugum defleat emptor inops.	
Si glacies gelidas condenſet ſaxea lymphas,	Gelu.
Parturiet ſobolem fœmina quæque marem,	Venti.
Intumeant armis populi. ſi ſtrideat Auſter,	Nebula.
Si nebulæ, inceſſet (flebile) dira lues.	Pluuia, ventus.
Si pluuiæ, Nothique diem, caligoq́; voluant,	
Parta dabit tellus fœnora, bella, luem.	Nebula.

Chriſtiana Correctio.

Stulte quid inſanis? quæ te vecordia pulſat?
Ventura haud noris, cum Deus vnus agat.

Quin aliquandò incognitus à me Aſtrologus mihi id non quærenti, neque expectanti, vaticinabatur dignitates ampliſſimas: corripui autem hominem his carminibus:

Quid tellure iacens ſcrutaris ſydera Olympi?
Cum ſociam nequeas cernere pauperiem?
Quid mihi purpureas promittis ab æthere mithras?
Cum tibi dent humilem ſydera pauperiem?

Vera Aſtrologia illa eſt, qua cœleſtium rerum ſancti ſcrutatores, non ſyderum corpora vaticiniave conſiderant, ſed diuinam illam eſſentiam, inacceſſibilemque lucem, ad quam anhelant, contemplantur: præterita, præſentiaque, & occultiſſima Deo ſæpe reuelante norunt, futuraque prænunciant longe ſecurius, longeque verius, quam quiuis Aſtrorum quorumlibet quamlibet ſtudioſus; teſtantur hæc ipſa vaticinia Prophetarum & Sanctorum Dei.

EQ. Vnde autem illud, vt frequentiſſima fuerint Aſtrologorum de futuris rebus vera vaticinia?

TH. Primum quidem, quod inter innumera mendacia aliquid veri ſolet accidere. Deinde vt ſanctus Auguſtinus habet lib. de diuin. Dæmonum, ea plerunque Diaboli ſectatores prænuntiant, quæ illi facturi ſunt, aut faciendi à Deo poteſtatem acceperint. Quandoque etiam prædicunt, Deo id permittente, ad puniendam illorum ſuperſtitionem, qui execrandę ei curioſitati ſeſe dedunt, diuinę obliti prouidentiæ. Nam cum Saul peccaſſet, legeque cauiſſet, ne Pythoniſſa de futuris conſuleretur, ſuæ legis oblitus adiit ipſe incognito habitu Pythoniſſam conſulturus de ſuæ pugnæ cum Philiſthæis euentu; ei diabolica fraus reſponſum dedit, eum cum Samuele Propheta futurum, atque ita ſtultus velut bos ad victimam eſt ab hoſte profligatus, & vltro occiſus, 1. Reg. c. 28. & 21. Sed & Achab Rex cum non ex fide Michæam Prophetam interrogaſſet, & pie reſpondentem contempſiſſet, diuino conſilio actum eſt, vt diabolicum ſpiritum interrogans Achab ab eo ſuaſus in prælium deſcenderit, & ab hoſte fuerit interemptus, 4. Reg. 22. *Aſtrologica prædictiones.*

PH. Hæc è ſacris literis excerpta nos docent, ſolum Deum conſulendum de rebus omnibus etiam humanis, & ſane etiam ſeculo noſtro apertum fuit diuino nutu, qui Aſtrologica vaticinia ſequuti ſint, quæ prænoſſent in ea ipſa irruiſſe, quæ

fugerent. Petrus enim Leonius Spoletanus Medicus cum ſibi ab aquis mortem imminere Aſtrologica prædictione perſenſiſſet, omnes aquarum colluuies, riuos, flumina, mareque deuitabat, tandem puteo demerſus inuentus eſt, non procul à Florentia Caregio proximæ villæ puteo. Iouius Eulog. 35. in quam rem Ianus Vitalis hoc egregium carmen cecinerat:

Dum timet Aſtrologus ſua fata Leonius vndas,
Et fugit è ripis, magne Timaue, tuis.
Illæ eadem fruſtra fugientem aduerſa ſequuntur,
Quæ capitur tacita nobilis Arnus aqua.
Hic tu florentem medicis Florentia curis
Præruptum, ô facinus, corripis in puteum.
Aſtra repræſentant ſic funera, dum fugit ille,
Tutius hunc poterant, quam latuiſſe poli.
Cur ſed vbique timet? cur omnia denique ſemper?
Aſtra cauenti etiam cur tacuiſſe viam?
Sed fugis Euganeos, Padumque, & aquoſa Timaui;
Stulte, fuge, & longum dedoceare metum.

Sed & Antiochus Tiberius Aſtrologiæ peritus ſibi infelicem obitum prænorat. Et cum Malateſtæ Pandulpho exilium prædixiſſet, ab illo eſt in compedes coniectus, & tandem etiam iudicio publico necatus, tunc huiusmodi ſui exitus neſcius, Iouius Eulogio. Quin etiam Bartholomæus Cocles Aſtrologus Hermeti necem dum prædicit, illius iuſſu occiditur à Copone, cui prædixerat homicidam futurum. Lucas Gauricus Epiſcopus cum curioſius quærit de ſe futuros euentus, dicit ſibi à Tyranno torturam imminere, & res euenit. Iou. Eulog.

Nouiſſime, id eſt, Anno Domini 1544. Muleaſſes Tuneti Rex, Aſtrologicæ inſaniæ deditus in criminis ſui pœnas prædixit, ſe breui Regno abiiciendum, ſibique omnimodam cladem imminere; hæc ille dictabat, cum Neapoli Italiæ vrbe vitiis indulgeret, breui à filio Amida regno eiectus, & excæcatus eſt. Surius Com. anno Domini 1544.

EQ. Illud vnum non videtur mihi prætereundum, quod ſingulari omnibus exemplo eſſe debet. Florentinis enim annalibus continetur, Piſanum Archiepiſcopum in ſeditione fuiſſe à factioſis repentino furore Sixti IV. Pontificatu ſuſpendio è Palatinis Florentiæ ædibus necatum; idque illi prædictum longe antea, cum ego in Ethruria degerem audiui. Eadem enim curioſitate de ſuo exitu Aſtrologos rogarat, accepitque reſponſum, ſuſpendio mortem obiturum, cum id eſſet prorſus inueriſimile viro nobiliſſimo ac tanta dignitate cumulato, & tamen res exitum ſortita eſt prænunciatum, non equidem Aſtrologiæ vaticinio, ſed diuina reuelatione, qua etiam Diabolo Deus futura inſinuat, ad curioſitatis humanæ caſtigationem, ne plus audeat homo noſſe, quam par ſit. Contempta igitur Aſtrologica inſania domum repetamus, iam enim crepuſculum nos inuitat.

* * *

HOMO

HOMO
COLLOQVIVM SECVNDVM.
PHILOSOPHVS.

QVænam monſtra ſunt hæc his tabellis appicta? quæ hæ formæ hominum adeo inſuetæ, atque incognitæ?

EQ. Audieram iam pridem montem in Occidentis plaga eſſe ignes Æthnæ more eructantem, iuxta quem viſi ſunt iam defuncti homines neceſſariis ſuis apparere, ſalutareque, ac deinde euaneſcere: Apparere eadem forma ferebantur, quam habuiſſent, dum viuerent, quin etiam cum quiſpiam monoculus fuiſſet, eadem ſe forma ſpectandum iam dudum antea defunctus exhibebat, ſed & giganteum corpus referebat, quale illi fuiſſet dum viueret; hæc omnia cenſui pictura hac, quam cernitis, repræſentari.

PH. Qui fieri id poteſt, vt defuncta corpora, quæ iam in puluerem ſuum abiiſſent, absque reſurrectione repræſentarentur? neque enim ſolæ animæ, cum incorporeæ ſint, nec vllo colore viſibiles facies ſuas referre poterunt. Si igitur id aliquando euenit, Dei opus miraculumque fuit, niſi forte & Dæmonum illuſiones fuerint: verum de hac re Theologi iudicium interponendum eſt. Philoſophia etenim ſuis hæc viribus aſſequi non poteſt.

EQ. Res ſane eſt Theologica indagatione digna, egetque tempore, vt de ea re ſtudioſe diſſeratur. Subeamus igitur has conſitas arbores, vniuerſumque hunc ex lauris conſitum ordinem prætereamus, conferamusque nos in peramœnum proximum hunc locum, quem in labyrinthi formam concameratum conſtruximus, opaciſſimum, & ab omni ſtrepitu remotum.

TH. Ex ipſa hominis ſapientia, eiusque ratione ac mente, nemo eſt, quin aſſequatur, hominem excellentiſſimum eſſe Dei opificium: cui cognitioni ſuffragatur præcipue ipſa fides Chriſtiana, qua perpetuam immortalemque eſſe animam edocemur, quod etiam experimur, & ſcimus; propterea etiam mortuis atque in puluerem ſuum corporibus abeuntibus, animas adhuc viuere, ſigna plurima edita fuiſſe compertum eſt. Nam & morientium animo egredientes viſæ ſunt, vel in ſupernum perpetuæque gloriæ regnum aſcendere, in anteactæ vitæ præmium, vel in pœnarum locos mitti, ſi purgandum in illis aliquid fuerit, aut in tartareos perpetuos ignes, ſi ita turpis vita exegiſſe videatur.

EQ. Si inuiſibilis anima eſt, videri qui poteſt?

TH. Inuiſibilis ſane eſt anima, attamen operatione Dei reuelatur eius meritum, aut demeritum aliqua viſibili ſpecie. Sanctus enim Benedictus, cum longe à Capua abeſſet, Germani eiusdem vrbis Epiſcopi animam nocte media in globo igneo ad cœlum ferri ab Angelis conſpexit, vt ſcribit ſanctus Gregorius Dialog. lib. 2. c. 35. & lib. 4. cap. 7. Quo loco & animam Specioſi ab aliis quibusdam apud Terracinam, dum è corpore egrederetur conſpectam teſtatur. Quin cap. 10. idem Greg. ſcribit, Abbatis cuiusdam animam viſam, cui nomen Spes, qui per quadraginta annos cæcus, reſtituto oculorum lumine, prædicationi verbi Dei ſedulam nauabat operam, patientiæ dono mire exornatus. Morientis igitur anima egrediens coram pluribus, columbę forma in cœlum tetendit, non procul à Nurſia. E contra vero animas eorum, qui turpi vita ducta, aut ab Eccleſię vnitate diuiſi fuere, *[Anima hominis poſt mortem viſibilis.]*

viſæ

viſæ ſunt in ea loca demergi, quibus eorum demerita digna fuiſſent. Nam quoniam Theodoricus Arianus Rex Ioannem Papam afflixerat, quem & in carcere mori compulerat, Symmachum quoque virum Patritium, & pium occiderat, cum moreretur, à Liparitano quodam Anachoreta viſa eſt eius anima in Vulcani incendium mitti, Ioanne & Symmacho comitantibus, cuius rei teſtimonium tulit Iulianus Romanę Eccleſię defenſor, vti idem ſanctus Gregorius ſcribit dialog. lib. 4. cap. 30.

EQ. Viſiones huiuſmodi facile aſſequi mente poſſumus, vt eorum animæ, qui in cœlum, & eorum, qui in infernum demittuntur, agnoſci poſſint: ſed qua forma conſpici potuerunt animæ, quæ vt purgentur, diuinæ gloriæ retardationem habuerint?

TH. Egredientes huiuſmodi animæ, tametſi charitati diuinæ ſint copulatæ, certiſſimamque futuræ gloriæ habeant ſpem purgatione peracta perfruendæ, nihilominus quia ad pœnas tranſeunt, ſæpe etiam ſe ſpectandas præbuiſſe memorantur viuentium oculis in retardatæ viſionis teſtimonium, & in pœnarum, quas patiuntur, indicium, vt hominum ſuffragiis ſubleuarentur. Paſcaſius enim ſanctæ Rom. Eccl. Cardinalis diaconus, qui & de ſancto Spiritu luculentiſſimos libros conſcripſerat, miræque ſanctitatis fuerat, eleemoſynis erogandis frequens, imo aſſiduus cultor pauperum, contemptor ſui, factuſque, adeo, vt ipſius defuncti Dalmatica à dæmoniaco contacta, eum liberarit, nihilominus & viſio diuina illi retardata fuit, & purgatorii pœnas paſſus eſt, quoniam ſchiſmatis inter Symmachum Pontificem, & Laurentium particeps fuerat. Huius igitur Paſchaſii anima feruentibus aquis purganda à Deo damnata eſt. Nam Angulanis Thermis addictam, eadem qua cum viueret forma à Germano Capuano Epiſcopo prædicto, agnita ibi eſt, quæ & pœnas, quas ibi pateretur, atque cauſam conteſtabatur, vt idem diuus Gregorius ſcribit lib.4.c.40. Qui præterea c.54. apud Centumcellas alium, qui aquis feruentibus ibi purgabatur, incruenti ſacrificii oblatione, hebdomadæ vnius interuallo fuiſſe exemptum illis pœnis narrat, cum ſe ſpectandum prębuiſſet presbytero viro ſancto. Atque ita defunctorum animæ ſæpe Dei miraculo conſpectæ ſunt, non damnatorum tantum, aut ſanctorum cum Chriſto regnantium, verum & eorum, quorum adhuc ſupereſt purgatio.

EQ. Ex iis coniicio, non paucos Hiſtoricos narraſſe veriſſime quædam, quibus plures fidem adhibere detrectarunt circa defunctorum animas, quibuſdam locis affligi, & viuentibus ſe cognoſcendas exhibere. Olaus enim lib.2.c.3. Iſlandiæ Inſulæ regionem deſcribens, montem quendam, vnde ignis plurimus manat, ſcribit, Omnibus eſſe notiſſimum, ibique purgatorii aliquod ſpiramen eſſe. Videri etenim ſpiritus atque hominum vmbras, offerreque ſeipſas aliorum obſequiis, apparereque in ſpecie nota, adeo, vt qui eos homines vita functos ignoret, perinde eos ſalutet, ac ſi viuerent: amplexantur enim, manumque apprehendunt, at non diu poſt diſparent. Vnde ſpiritus eſſe ſolummodo, non corpora innoteſcunt. Atq; ex huiuſmodi ſpirituum verbis incolæ multa, quæ remotis in regionibus contingunt, perdiſcunt.

TH. Mihi videntur hæc eadem eſſe, quæ narrat Surius in ſuo commentario ſub An. Domini 1537. Sic enim habet: *Quicquid dicant Philoſophi, quadam ſunt Tartari oſtia aut loca puniendis animabus deſtinata, quemadmodum in Iſlandia mons eſt, occidentem verſus Hecla dictus, qui furit, & ignem euomit, ac circa ingentes habet voragines, quibus ple-*

rumque

rumque viui abſorbentur, viſuntur illic mortuorum ſpiritus, qui in nota ſpecie efferuntur familiaribus colloquiis hominum, idque adeo, vt adhuc viuere putentur ab illis, qui eos neſciunt, vel ſubmerſione, ſeu alia violenta morte periiſſe. (nam tales præcipue apparent) Cum autem orant eos amici vel noti, vt domum redeant, dicunt cum ingenti gemitu, ſe petere montem Heclam, illicoque diſparent. Voluit autem omnipotens Deus, eiusmodi in terris extare loca terribilia, vt certius norint mortales, quæ pœnæ maneant impios poſt hanc vitam, & ſic diſcant timere Deum, vt poſſint æternos ignes euadere. Hęc ille; cui conſentiunt quę habet Krantzius Dan. lib. 2. cap. 24.

EQ. Non admodum igitur à vero abeſt, quod tradit Plinius lib. 7. c. 2. in fin. In Aphricæ ſolitudinibus, ait, hominum ſpecies obuiam ſubinde fiunt, momentoque euaneſcunt. Nam & in Arabia Petrea ſpiritus forma quadam viſibili obambulant, vti ſcribit Nicolaus de comitibus in principio, & ex illo Poggius Florentinus Ramuſ. Tom. 1. Atque ideo fidem præſtandam puto Olao dicenti lib. 3. c. 10. & c. 21. & lib. 6. c. 9. Spiritus ſeruire operariorum more in ſtabulis vilioribusque miniſteriis, ſed & in metallis loqui, ridere.

Spiritus & phantaſmata viſibilia.

PH. Fides ſane præſtari poteſt: nam Marcus Polus fidelis rerum Indicarum ſcriptor lib. 5. c. 50. teſtatur, in Prouincia Campion proxima regno Erginal, paſſim ſpiritus audiri, illudereque turmatim viatoribus. Quin etiam eod. lib. 1. c. 35. ſcribit, in vrbe Lep, ac deſerto cognomine, ſub magni Cam ditione itinerantibus ſpiritus frequenter illudere, nominatim vocantes, viſu apparentes turmatim, muſicales edentes ſonitus, quo facilius imponant aſſentientibus.

TH. Et hoc etiam noſtris ſeculis compertum eſt nouo in orbe. Ioſeph etenim Ieſuita 1560. ſcripſit, vt habetur Nuntiorum Tomo 3. ſpiritus per ſyluas itinerantes inuadere, percutere, atque etiam occidere: ſpirituum huiusmodi nomina eſſe Indico idiomate Corupira. Eſſe præterea aliud ſpirituum genus in aquis degens, quod & obuios occidit, horum nomen eſt Igpupiara. Tertium pręterea genus eſſe, quod verſetur circa littora maritima, aut fluuiorum ripas, hoc etiam obuios perſæpe interimit. Quum igitur huiusmodi ſpiritus ſe videndos offerunt, ignem præ ſe ferunt, qui huc atque illuc excurrat, atque ita tandem percuſſionibus interficiunt, his nomen Baetata. Sed & Krantzius Dan. lib. 2. c. 24. meminit, Normannorum Teruittos ſpiritus miris ludificationibus illudere hominibus, ſemper aliquid inſidiarum ſtruentes, occulta quædam pandere.

EQ. Hæc ipſe quoque legi, verum quærendum mihi videtur, huiusmodi ſpiritus (Dæmones excipio) ſi hominum animæ ſunt, qui fieri poteſt, vt hunc terræ orbem obuerſentur errando? Nam ſi pie vixerunt, vt cum Chriſto ſtatim regnare meruerint, errare eas non eſt credendum: ſi inferis addictæ ſunt, vt ibi perpetuo torqueantur, nulla poteſtas data eſt illis, vt ſe inde eximant, redituræ ad has regiones.

TH. Animas defunctorum, quas ſeparatas dicimus, apparere ſub hominum conſpectum, non ſolum admirabile quidpiam eſt, verum etiam eſt inter diuina miracula computandum, ex ſententia ſancti Thomæ prima parte ſummæ 9. 89. art. 8. in ſolutione ſecundi argumenti, Monopolita dec. 5. c. 4. q. 1. Propterea nec animæ damnatorum, nec animæ iuſtorum regnantium cum Deo, nec earum quæ adhuc in Purgatorio torquentur, apparere absque miraculo diuino vllo modo poſſunt: iuſtorum tamen virtute gloriæ & dono gratiæ gratis datæ apparere poſſunt, cum volunt, auxiliando obſeſſis, vti de ſancto Felice Martyre conſtat, quan-

do Nolanis à Barbaris obſeſſis viſibiliter ſuppetias tulit, vt ad Paulinum velut compertiſſimam hiſtoriam ſcripſit ſanctus Auguſtinus lib. de cura agenda pro mortuis, cap. 16. Sed & beatus Ambroſius flagello hoſtes inſecutus eſt Mediolano ab hoſtibus obſeſſo, vt Fulgoſius ſcribit. At damnatis huiuſmodi gratia non conceditur, abſque aliquo diuino opere atque miraculo. Iis vero, qui in Purgatorio torquentur, permiſſum eſt egredi carceres ſuos, apparereque viuentibus, vt ab iis ſuffragia conſequantur. Vti contingit Paſcaſio prædicto Cardinali, qui Germano Capuano Epiſcopo viſus, & ſuffragiis adiutus, exemptus tandem eſt. Quamobrem ſæpe Dæmones illudere hominibus, ſub animarum nominibus, non eſt dubitandum. Quod vexationibus & illuſionibus compertum cuique eſſe debet. Piorum enim animæ tortæ, ſuæ tantum purgationi ſtudent: quæ vero regnant, ſuccurrunt viuentibus, non illudunt: Damnatorum animæ otio non ſeruiunt, ita fit, vt ſolius immundi ſpiritus opus ſit diuexare viuentes. Et ita vera videntur, quæ ex Olao deduximus ex eius lib. 3. & cap. 21. & libro 6. cap. 9.

EQ. Sed qui fit, vt purgandarum animarum locus ſit in inferis, ipſæ vero huc poſſint redire?

TH. Iam diximus, id diuina diſpenſatione fieri, verum purgationis locus non in inferis ſemper eſt. Sanctus enim Gregorius eod. lib. 4. dialog. *Superabundans* (inquit) *diuinæ bonitatis largitas, quærens generaliter ſalutem hominum ſe non quærentium diſpoſuit, vt etiam eſſent in ſuperficie terræ habitationi hominum deputata quædam tormentorum loca, in quibus multis indiciis conſtaret, animas poſt mortem cruciari, non ſolum malorum, ſed etiam mediocriter bonorum.* Hæc ille. Cui accedit S. Thomas in 4. diſt. 21. cum S. Bonauentura, dicentes, quod particularia Purgatorii loca in ſuperficie terræ ſpecialiter ordinauit Deus. Ioann. de Tur. Crem. *in c. hic autem ignis. de pœnit. diſt.* Aliquorum enim animæ ibi puniuntur, vbi peccauerunt, tum ob leuiorem pœnam, quæ illis debetur, vt in Paſcaſio & aliis iam dictis, tum ad viuentium conuerſionem. Ideoque nobis aliquando videri eos Deus permittit, vt etiam ſuis pœnis, ſuffragiis noſtris ſuccurramus. Monopolita de iis quoque ſcripſit decade 1. c. 3. q. 4. epiſt. 2.

EQ. Huius rei mihi egregium occurrit exemplum ex Nauclero: ſic enim ille Anno Domini 1123. *In pago* (inquit) *Vormatienſi videbatur per aliquot noctes armata multitudo Equitum euntium & redeuntium, & quaſi ad placita colloquia, nunc hic, nunc illic turmas facere: circa nonam vero horam, cuidam monti, à quo exiſſe videbantur, ſeſe reddere. Tandem quidam regionis illius huic prodigioſæ concioni, ſigno Crucis ſe muniens, appropinquauit, quendam ex illis per nomen Omnipotentis adiurat, manifeſtare cauſam populi, qui ſic appareret; cui ille: Non ſumus* (inquit) *vt putatis, phantaſmata, nec militum videmur turmæ, ſed animæ militum, non longe antehac interfectorum: arma vero, habitus & equi, quia nobis prius fuerunt inſtrumenta peccandi, nunc nobis ſunt materia tormenti, & totum ignitum eſt, quod in nobis cernitis, quamuis id corporalibus oculis comprehendere non poſſitis.* In huiuſmodi Comitatu etiam Emicho Comes ante paucos annos occiſus apparuit, & ab hac pœna orationibus & eleemoſynis fertur ſe redimi poſſe docuiſſe. Hæc ex illo.

TH. Comprobari id poteſt alia etiam memoranda narratione in publicis monumentis redacta, Auenionem cum ibi ſedes Apoſtolica eſſet ad ſummum Pontificem tranſmiſſa Anno Domini 1323. Gulielmus etenim Coruius Gallus defunctus, octo dierum interuallo, in conſueto cubiculo flebili, queruloſa, anxiaque

que voce perpetuis noctibus audiebatur à neceſſariis, quamobrem aduocatis Dominicani ordinis Regularibus nocte adiuratus, reſpondit; Se Gulielmum nuper defunctum eſſe, ibique ignis vehementiſſimi pœna exuri, quod aduerſus matrem indigne ſe ſæpius habuiſſet: egere autem ſe ſuffragiis piorum, ſacrificiis videlicet incruentis, atque pœnitentialibus Pſalmis, breui ab huiusmodi ſe eximendum igni, ſi illis ſuffragiis adiuuetur, adiecitque, ſe torqueri in Inferis in Purgatorii communi loco, quandiu dies eſt, noctu vero ipſo illo cubiculo: hæc ex publicis monumentis ad Romanum Pontificem miſſis legiſſe teſtatur Monopolita decade prima cap.4.q.1. Neque prætereundum eſt aliud, de quo meminit Monopolita dec.1. c.3.q.4. quæſtiuncula 2. Narratis, ſe rei ipſi interfuiſſe, neque aliunde ſe didiciſſe, quam propriis ſenſibus, Apuliæ etenim viſitandi munere perfungens, etiam Hydruntinos ſui ordinis monachos inuiſit in Andrani oppido, cui imminet Arx quædam non contemnenda: exceptus eſt perhumane in Arce hic viſitator, cumque iiſſet cubitum, audiit ſtrepitus atque fragores, catenarumque ingentium ſonitum horridum, perterrefactus ſodalem ſuum num hæc audiret interrogat, annuente illo, dum arrectis vterque auribus rem præſtolantur, ilico confringi cubiculi fores mira facilitate, magnoque fragore perſentiunt, feneſtras quoque aperiri, ſummo autem diluculo accitis Arcis cuſtodibus, perdidicit oberrare ibi animam quandam, quæ referat, ſe mille annis ibi torquendam eſſe, ſcelerum à ſe ibi commiſſorum pœnis ita exigentibus. Hæc ex illo. Et ſane ſacrificia diuina tempora huiusmodi breuiora reddidiſſent, aut etiam prorſus aboleuiſſent, ſi pro eo quis pie obtuliſſet, ſicuti diximus ex D. Greg. lib.4. c.54. dial. 2. & ex Marulo, atque Eborenſi tit. de Sacram. vtilitate, qui præterea aliud adiiciunt exemplum ab eodem D. Greg. conſcriptum. Agatho enim Epiſcopus Panormitanus, cum Romam verſus nauigaret ad Inſulam, quæ in Tyberis oſtio eſt, applicuit, & ſacrificium miſſale obtulit pro nauta ſuo Varica nomine, quem in ſcapham deſcendentem, dum nauis plenis velis deferretur, rupto fune, in medio mari reliquerat, & fluctibus abruptum periiſſe putabat. Cum autem ad Romanum portum perueniſſet, egreſſus in littore, Varicam ſibi obuium habuit, & vehementer admiratus adiuit eum, dum ſcapham regendo partim labore, partim inædia iam deficeret, obdormiſſe, & dormienti ſibi viſum à quodam panem accepiſſe, atque eo guſtato ſe refocillatum ſenſiſſe, deinde expergefactum nauigio iuxta prætereunte ſuſceptum, Romamque delatum. Rem ergo curioſius exquirens, comperit ea ipſa die illum pane eo refectum fuiſſe, qua ſacrificium fuerat oblatum, vt ita diſcamus, cito viuis & defunctis idem incruentum ſacrificium ſemper proficere, ni obicem nos ipſi illius virtuti opponamus. Sunt harum rerum propemodum infinita exempla. Ideo ille triginta miſſarum numerus pro defunctis adeo frequens toti Eccleſiæ eſt, ita diuo Gregorio probante, vt à purgatoriis pœnis earum virtute plurimos exemptos compertiſſimum fuerit, cuiusmodi ipſe ſæpe conteſtatus eſt.

PH. Referunt conſimilia Ethnici, cuiusmodi iunior Plin. lib. 7. ad Suram: Spectra narraſſe illum putarim, Dæmonumque illuſiones, quandoquidem pro infidelibus nullus vmquam fuit purgandarum animarum locus, ſed Infernus tantum ipſorum locus fuit, vt perpetuis ignibus cõcrementur. Id enim Dæmones impuros olim egiſſe cenſendum eſt, vt æternas pœnas non adeo horrendas quiſquam putaret, quo facilior eſſet libido peccandi, neq; infernum illum imis terræ viſceribus poſitum crederet. At ſecus Chriſti fides nos docet, quib. pro culparum ponde-

re, pœnæ debentur, pro leuioribus leuiores, & abolita Sacramentis culpa, pœnarum tamen reliquiæ omnes exurendæ erunt igne purgatorio.

TH. Ethnicorum infidelium vnus admirabili quodam modo Traianus ab inferorum pœnis æternis fuiſſe exemptus traditur. Ioan. Diac. in Gregorii vita lib. 2. c. 44. Tabien. in verbo, Traianus, qui citat S. Thom. 4. ſentent. dicens: Ob Gregorii lachrymas à Deo præuiſas huius damnationis ſententiam fuiſſe ſuſpenſam. Sed hanc rem non probant plurimi viri doctiſſimi, ideoque fidem huius rei penes authores eſſe permitto.

Animas defunctorum docere dormientes & vigilantes.

EQ. Hæc hactenus à vobis diſcuſſa pertinere mihi viſa ſunt ad id, quod propoſuimus, animas quandoque miraculo videri potuiſſe: vrget animum meum modo non parua quæſtio, ſi defunctorum animæ dormientibus nobis poſſint phantaſiæ noſtræ aliquo modo illabi, imaginesque aliquas ibi excitare, aut imprimere, quaſi nobis ſua deſideria exponentes, an id per Angelum fiat? Monopolita quidem decade 1. cap. 8. q. 3. quæſtiuncula 3. putat (& id pie credendum) à piis, qui in Purgatorio adhuc ſunt, immitti poſſe ſomnia viuis, tum vt ſuffragia impetrent, tum vt viui commoniti magis pie viuant: ſed de aliis rebus quæſtio noſtra proponitur.

TH. Magna hæc quæſtio eſt, &, vt ait Auguſtinus lib. de cura agenda pro mortuis, cap. 16. vires intelligentiæ humanæ vincit, & altior eſt, quam vt à me poſſit attingi, & abſtruſior, quam vt à me valeat perſcrutari. Hoc tamen miraculo fieri non eſt dubitandum: ſicut enim vigilantibus mortui aliquando quæ vellent ſignificarunt, ita dormientibus per quietem velut loqui poſſunt, cuiusmodi magni exempli hiſtoria recenſenda illa eſt, quam eodem lib. habet S. Auguſtinus c. 11. his verbis: *Pro certo, cum Mediolani eſſemus, audiuimus, quod cum debitum repeteretur à quodam defuncti patris cautione prolata, quod filio neſciente à patre iam fuerat perſolutum, contriſtari homo grauiſſime cœpit, quod ei pater moriens non dixerit quid deberet, cum feciſſet etiam teſtamentum. Tunc nimis anxio apparuit idem pater eius in ſomnis, & vbi eſſet recautum, quo illa cautio vacuata fuerat, indicauit: quo inuento iuuenis, atque monſtrato, non ſolum falſi debiti calumniam propulſauit, ſed etiam paternum recepit chirographum, quod pater non receperat, quando eſt perſoluta pecunia. Hic itaque putatur, animam hominis curam geßiſſe pro filio, & ad eum veniſſe dormientem, vt doceret quod ignorabat, & à magna eum moleſtia liberaret.* Hæc ille.

EQ. Satisfactum abunde mihi eſt, at vigilantes à mortuis aliqua didiciſſe, non admodum abſimilia legiſſe me memini exempla, præcipue autem de Spiridone Cypri Epiſcopo, atque eius defuncta filia, niſi quod non dormientem monuit filia patrem, ſed vigilantem, vt eſt apud Caſſiod. Trip. hiſt. lib. 1. c. 10. Ex Sozomenis hiſtor. lib. 1. cap. 11. qui ita narrat: *Spiridonis filiæ virgini, cui nomen erat Irene, vnus ex familiaribus Spiridonis, depoſitum ſeruandum dedit: illa cum acceperat, domi defodit in terra, quo accuratius cuſtodiretur. Cumque forte fortuna filia ſine vlla mentione depoſiti facta cuiquam mortem oppetiiſſet, venit homo ille depoſitum repetiturus: Spiridon autem, quamuis quid diceret prorſus ignorabat, ædes tamen perſcrutatur; at cum inuenire depoſitum non poſſet, homo lugere grauiter, capillum lacerare, & velut iam moriturus præ ſe ferre cœpit; Spiridon vero ad miſericordiam inductus venit ad ſepulchrum filiæ, eamque nomine compellat, à qua ſibi reſpondente percunctatur de depoſito, de quo certior factus reuertitur domum, & inuentum in loco, quem filia ei ſignificauerat, homini reddit.* Eadem habet & Socrates lib. 1. c. 8.

PH. Eiusmodi miracula ſunt frequentia. Nam & alia perplura commemorare licet exempla, quibus compertum eſt, mortuos viuentibus de ſancto opere aliquo locu-

locutos. In vitis enim Patrum parte 2.c.37. vicino quodam beati Macarii loco homicidium fuerat perpetratum, idque falſo obiiciebatur innocenti homini, qui ad Macarium confugit, vna cum ipſis etiam calumniatoribus, coram eo igitur verboſis contentionibus hinc inde percurſis, interrogauit Sanctus Macarius, vbi ſepultus foret, qui occiſus fuerat. Is pręmiſſa oratione, de ſepulchro vocat defunctũ, ac per fidem Chriſti obteſtatur, vt aperiat, num is qui ibi calumniam patiebatur, eum occidiſſet? Reſpondit mortuus clara voce de ſepulchro, non eſſe ab eo interfectum. Hæc ex illo.

TH. Sunt & alia eiusdem admirandæ virtutis. Nam apud Auernos vir & vxor, cum abſtinuiſſent perpetuo à carnis cõmercio, ille quidem clericatum ſubiit, hæc vero religionis habitum: Defuncta poſtea puella, dum iam ſepulchro imponeretur, maritus hæc verba protulit: gratias ago Deo meo omnium opifici, quod eam reddam illi intactam & impollutam. Illa vero (inquit) ſile, ſile vir Dei, quia non eſt neceſſe aperire noſtrum nemine interrogante ſecretum. Hæc ex Gregor. Turon. in glor. confeſſ. c.32. quæ etiam habet hiſt. Gall. lib.1. cap.42.

EQ. Sunt hæc omni memoria digna miracula potius, quam qui facta ſint ſcrutanda: Sed cum abſentes hac vita adhuc perfungentes cogitationes ſomniis ſibi communicant, nunquid etiam id miraculo fuerit adſcribendum?

TH. Exempla prius audienda ſunt, poſtea quid ſentiendum fuerit, luculentius pronuntiandum.

EQ. Exemplo fuerit, quod narrat Valerius Maximus, lib.1.c.5. de duobus Arcadibus, qui iter vna facientes, Megaram cum veniſſent, alter ad hoſpitem ſe contulit, alter in tabernam meritoriam diuertit. Is qui in hoſpitio erat, vidit in ſomnis comitem ſuum orantem, vt ſibi cauponis inſidiis circumuento ſubueniret, poſſe enim celeri eius accurſu ſe imminenti periculo ſubtrahi: quo viſo excitatus proſiluit, tabernamque in qua is diuerſabatur, petere conatus eſt. Peſtifero enim deinde fato eius humaniſſimum propoſitum tamquam ſuperuacuum damnauit, & lectum ac ſomnum repetiit. Tunc idem ei ſaucius oblatus, obſecrauit, vt qui vitæ ſuę auxilium ferre neglexiſſet, neci ſaltem vltionem non negaret: corpus enim ſuum à caupone trucidatum tum maxime plauſtro ferri ad portam ſtercore coopertum. Tam conſtantibus familiaris precibus compulſus, protinus ad portam cucurrit, & plauſtrum, quod in quiete demonſtratũ erat, comprehendit, cauponemque ad capitale ſupplicium perduxit.

TH. Non vacat miraculo, tametſi id inter Ethnicos contigerit. Miracula enim proprie ea ſunt, quæ ſupra naturæ potentiam ſunt inſueta fieri: reliqua vero admiranda, quæ vel natura, aut ſpiritus occultiſſimis tamen modis efficit, non proprie miracula ſunt. Hoc igitur quod narratum eſt, & ipſum diuinæ bonitatis opus fuit. Angelicis enim operationibus fieri credendum ſiue permittatur deſuper, ſiue iubeatur, vt aliquid dicere de corporibus ſuis videãtur in ſomnis, cum id penitus neſciant, quorum illa ſunt corpora. Id autem aliquando vtiliter fit, ſiue ad viuorum qualecunque ſolatium, ad quos pertinent illi mortui, quorum apparent imagines ſomniantibus, ſiue vt iis admonitionibus generi humano commendetur humanitas. Ex hac Auguſtini ſententia, quam collegimus ab eodem lib. de cura pro mort. agen. c.10. iam conſtat non naturæ opus eſſe, ſed Dei.

PH. Concinne eſt, quod de Galeni quodam ſomnio tradidere authores: ipſe etenim cum ægroto cuidã nulla ratione remedia adhibere potuiſſet, per ſomnium *Somnia docent dormientes.*

eſt monitus, vt è vena, quæ inter auricularem, & annularem digitos eſt, ſanguinem
educeret: Idq; cum peregiſſet peritior factus ſomno, quam ſtudio ægrotus con-
ualuit, ſane id non niſi bonorum ſpirituum benignitate ad humani generis com-
moda effectum fuiſſe teſtatus eſt Monopolita dec.1.c.8.q.3.quæſt.2.

EQ. Longe plurimum admiror, quod contigiſſe aliquando legi Sancto Augu-
ſtino, cum Mediolani degeret, & Eulogio Rhetori, qui Carthagine morabatur. Id
autem narrat ipſe Auguſtinus: *Nobis apud Mediolanum conſtitutis Carthaginis Rhetor
Eulogius, qui meus in eadem arte diſcipulus fuit, ſicut mihi ipſe poſteaquam in Africam remea-
uimus retulit, cum Rhetoricos Ciceronis libros diſcipulis ſuis traderet, recenſens lectionem,
quam poſtridie fuerat traditurus, quendam locum oſtendit obſcurum: quo non intellecto, vix
potuit dormire ſolicitus, qua nocte ſomnianti ego illi, quod non intelligebat expoſui, imo non e-
go, ſed imago mea neſciente me, & tam longe trans mare aliquid aliud ſiue agente, ſiue ſemi-
nante; & nihil de illius curis curante, quomodo fiant iſta neſcio.* Hæc ibi ille lib. de cura a-
gen. pro mortuis, cap. 11.

PH. Si quomodo hæc fiant neſcire ſe fatetur omnium peritiſſimus Auguſtin.
cur pudeat nos admirari, & fateri ingenue nos neſcire, Philoſophiamq; noſtram eo
vsque pertingere non poſſe?

TH. Sufficiat hactenus de iis rebus arduis diſſeruiſſe: Nunc ſupereſt opportu-
ne, vt de hominum formis, ſtaturiſq; agamus: Gigantes etenim aliqui, puſilli ali-
qui, monoculi aliqui, ac aliis formis multi, de his diſſerendum optarim, nam & hi-
ſtoricorum volumina his rebus referta ſunt.

PH. Cœli climata plurimum poſſunt in corporibus etiam hominum conſti-
tuendis: conſtitutio etenim ipſa eſt, quæ & complexio dicitur. At in omnibus cli-
matibus eſt equidem humana generatio vniformis in vtero materno, quæ ſic pro-
creari dicitur à S. Auguſtino de Philoſophorum ſententia in lib. octuaginta trium
quæſtionum, q.55. *Dicitur,* ait, *conceptio humani ſic procedere & perfici, vt primis ſex
diebus quaſi lactis habeat ſimilitudinem, ſequentibus nouem diebus cõuertatur in ſanguinem,
deinde duodecim diebus ſolidetur, reliquis decem & octo diebus vsque ad quadrageſi-
mum quintum, formetur vsque ad perfecta lineamenta omnium membrorum, & hinc iam
reliquo tempore vsque ad tempus partus magnitudine augeatur; quadraginta ergo quinque
dieb. addito vno, quod ſignificat ſummam, quia ſex & nouem & duodecim & decem & octo
in vno coactis fiunt quadraginta quinq;, addito ergo, vt dictum eſt, vno, fiunt quadraginta ſex:
quid cum fuerint multiplicati per ipſum ſenarium numerum, qui huius ordinationis caput te-
net, fiunt ducenti ſeptuaginta ſex, id eſt, nouem menſes & ſex dies, qui in conceptione Domini
noſtri Ieſu Chriſti computantur ab octauo Kal. Aprilis, quo die conceptus creditur, quia eadem
die etiam paſſus eſt vsq; ad octauum Kalend. Ianuarias, quo die natus eſt. Non ergo abſurde
quadraginta ſex annis dicitur fabricatum eſſe templum, quod corpus eius ſignificabat: vt
quot anni fuerunt in fabricatione templi, tot dies fuerint in corporis Dominici perfectione.*
Hæc ille de hominis cuiuscunq; conceptu, & augmento vsq; ad ortum ſui: At for-
mæ, magnitudineſq; ac corporeæ cõſtitutiones quas complexiones dicunt pro cli-
matum diuerſitate varia ſunt. Nam compertiſſimum eſt aliter ſe habere qui in ma-
ri, & aliter qui in continenti naſcuntur: Soranus etenim Epheſius Iſagog.17. tradit
mulieres, quæ in nauib. pariunt, mutum parere: ego autem non puto ita mutum
hunc intelligendum, vt nunquam loquatur: nam ſępe vidimus in mari natos recte
loqui: ſed mutire dixiſſe voluit ipſos infantes, cũ naſcuntur in mari, vt non vagiant
admiranda quadam maritimi climatis natura, cum in continenti terra ab ipſo exi-

tu ex vtero, maſculi vagientes A, & fœminæ E clamitent, velut in ſuo ſexu quilibet Adamum & Euam, vnde miſeriæ trahuntur omnes culpantes. Idque illis accidit, quod ab alui calidæ receptaculis excluſi aeris circum ambientis aliqua aſperitate affliguntur: Ideo maſculi veluti robuſtiores pleniores voces emittunt, vnde A exprimitur: Fœminæ vero exiliores, vnde E videantur exprimere, vt authores tradunt, recenſuitq; Scholion ad Tertullianum lib. de anima 9. Ad quod aliquando accidit infantes nondum natos ex vtero matris, quædam verba clamaſſe, non à climate id accidiſſe putandem eſt, ſed prodigio, vt teſtatur D. Auguſtin. de Ciuit. Dei, lib. 3. c. 31. Neque cœli aut loci ſitus aliquid agit, vt homo vel bonus vel malus naſcatur: tametſi Auſonius Gallus Ethnicus homo, aliquid aliud cenſuit ſuo ex illo carmine, cum dixit, malum futurum qui è Genuenſi patre, Græca matre, in naui natus eſſet; eius hoc eſt carmen:

Genua cui patrem, genitricem Græcia, partum
Puppis, & vnda dedit, num bonus eſſe poteſt?
Sunt vani Ligures, mendax eſt Græcia, Ponto
Nulla fides, hæc tu ſingula ſolus habes.

Ideo non à cœlo aut climate, ſed origine parentum dum naſcimur, ac poſtea adulti à propriis culpis damnamur, quas vt effugere valeamus, gratia Dei nobis auxilio eſt; ſi velimus aſſentiri; efficiunt autem climata ipſa ſæpe Gigantes, ſæpe Pygmæos, ſæpe hanc vel illam formæ ſimilitudinem præbent.

EQ. Giganteam formam non adeo admiror, quandoquidem & ſacris literis conſtat. Sed de Pygmæis longe magis admiratione moueor.

PH. Scriptorum numerus, qui de iis tradidere, egregius eſt, facileque ſibi fidem adhibendam perſuadent: Primumque vnus ſufficere mihi videretur Auguſtin. de Ciuit. Dei lib. 16. cap. 8. At etiam à prophanis authoribus peruetuſtis id affirmatur. Ariſtoteles enim de hiſt. anim. lib. 8. c. 12. *Ex Scythicis* (inquit) *campis ad paludes Ægypto ſuperiores, vnde Nilus profluit, Grues veniunt, quo in loco pugnare cum Pygmæis dicuntur:* non enim id fabula eſt, ſed certe genus, tum hominum, tum etiam equorum puſillum, vt dicitur, eſt, deguntq; in cauernis, vnde nomen Troglodițæ à ſubeundis cauernis accepere. *Pygmæi.*

EQ. Mela de iiſdem etiã meminit lib. 3. c. 4. *Pygmæi* (inquit) *minutum genus, quod pro ſatis frugibus contra Grues dimicando deferunt.* Solin. etiam c. 15. *Vrbem* (inquit) *Geranium Scytharum Catruzam barbari vocant, vnde à Gruibus Pygmæos ferunt pulſos:* Sed & c. 53. ſic habet: *In Praſia vltra Palimbrottam, montana Pygmæi tenent.*

PH. Plinius frequenter de iis meminit; libro enim 4. cap. 11. in Scythia, in vrbe Gerania. lib. 5. cap. 29. iuxta Thebaidem ſcribit habitaſſe, lib. 6. c. 19. in Praſiorum gente, in Montanis ſcribit eos fuiſſe: ſed & cap. 30. iuxta paludes vnde Nilus oritur tradit huiuſmodi Pygmæos degere. lib. 1. cap. 2. hæc verba promit: *Ad extremos Indiæ fines, circa fontem Gangis, ad Montium extrema Pygmæi ſunt, ternas Spithamas longitudine, hoc eſt, ternos dodrantes non excedentes ſalubri cœlo, ſemperque vernante, montibus ab Aquilone oppoſitis; quos à Gruibus infeſtari Homerus quoque prodidit: fama eſt inſidentes arietum, caprarumque dorſis armatos ſagittis veris tempore vniuerſo agmine ad mare deſcendere, & oua pulloſque earum alitum conſumere.* Ariſtoteles in cauernis Pygmæos viuere tradit.

EQ. Meminit & de eis Aul. Gell. lib. 4. cap. 9. meminit & Iſidorus Ethymol. lib. 11. cap. 3. horum vterque cubitales eos eſſe ſcribit.

PH. Ælianus

PH. Ælianus quoque hiſt.de animal.lib.15.cap.29. teſtatur, Pygmæorum gentem ſuæ nationis Reges habere ſolitam: at Regibus deficientibus, Reginam nomine Geraunam, id eſt, Gruem illis imperaſſe.

EQ. Ii quoque qui orbem nauigationibus ſuis peragrarunt, noſtro ſeculo idem de Pygmæis à ſe compertis teſtati ſunt. Nam Antonius Pigafetta inter Moluchas in Inſula Aruchetto eos comperit: ſed & inter easdem Moluchas in Inſula Caphi eos idem teſtatur eſſe. Accedit iis etiam Paulus Iouius lib. de reb. Moſcouitarum, c.3. qui vltra Lapones eos eſſe teſtatur; loquentes garrire, ſemper eſſe pauidos, ſimiisq; perſimiles. Ramuſ. Tom.2. Accedunt ad hæc, quæ Odericus habet de reb. Indic.lib.1. Pygmæos ibi trium palmarum à ſe compertos, qui ætatis anno quinto iam gignerent prolem: quin eadem India Orientali, non procul à Quinzai recolit etiam Odericus trium palmorum quoque Pygmæos eſſe iuxta Chilenſe: hæc Odericus poſterior poſt. med. Adiicit Albert. Magn. anim. lib.7. tr. 1. cap. 6. *Pygmæos illos, quos iuxta Nilum degentes diximus, perpetuo pugnare cum gruibus, triennio gignere, octennes mori.* Hæc ille.

TH. Ita fit vt tot egregiis Scriptoribus fides adhiberi poſſit, extareq; eos in Auſtrali Plaga, in Orientali atq; Aquilonari, nimis autem in Occidentali. Singulari tamen euentu Pygmæis perſimilis quiſpiam quandoq; natus eſt, inſigni prudentia extra eas prouincias, vbi gens huiusmodi naſci conſueuerit: Nam de admirando quodam puſillo, ac Pygmæo, ſic narrat Niceph. lib.12.cap.37. *In Ægypto natus eſt homo infra incredibilem ſtaturæ breuitatem conſiſtens, ſub Theodoſio, ac talem quoq; noſtra ætate vidi ipſe quod monſtro habitum, quem breuis admodum ſtaturæ mulier in lucem edidit: Ægyptius tam breuis fuit, vt perdici ſimilis eſſet, neq; ingratum ſpectaculum erat, ſi cum illum globo (hominum ſcilicet) conuerſaretur & ad contentionem excitatus colluderet: Porro quod mirabile dictu eſt, prudentia ei inerat qualis homini formoſo competit; quippe cui corporis exilitas, ea de re nihil ademiſſet, vox à Muſis non abhorrebat, ſermo mentis generoſitatem ſpectandam exhibebat, nō vixit ad annos 25. Sed etſi hic vnus, aut alter Pygmæus fuit, non tamen populi in hoc Occidente vnquam comperti ſunt.*

EQ. Nunc de Gigantibus agamus, tametſi vel ipſis ſacris literis de Gigantea forma frequens ſit memoria. Num.13. Nam ibi quaſi locuſtæ reliqui homines putabantur, & cap.21. memorabilis Gigas Og nomine recenſetur, qui originem ducens à Gigantibus, cubile habebat ferreum nouem cubita longum, & quatuor latum, quod recolit etiam Theodoretus q.48. in Gene. & Sixt. Biblioth. lib.5. annot. 76. Nihilominus quantam in proceritatem exurgant huiusmodi Gigantes, vereor ne Ethnici Scriptores fabuloſa conſcripſerint.

Gigantes. PH. Mela lib.3.cap.4. Tantæ ſcribit proceritatis apud Indos reperiri homines, & corpore adeo ingenti, vt elephantibus etiam ibi maximis ſicut nos equis facile, atque habiliter vtantur; Cui lib. de natur. rerum ſubſcribit adſtipulante Vincentio natur. ſpec. lib.31. cap.126.

EQ. Solinus explicatus, admirabiliusq; quiddam narrat. c.4. *Licet* (inquit) *plerique definiant nullum poſſe excedere longitudinem ſeptem pedum, quod intra hunc modum Hercules fuerit: deprehenſum eſt tamen Romanis temporibus ſub Diuo Auguſto, Puſionem, & Secundillam denos pedes, & amplius habuiſſe proceritatis; quorum reliquiæ adhuc in conditorio Saluſtianorum videntur. Poſtmodum Diuo Claudio Principe Gabbarum nomine ex Arabia aduectum, nouem pedum, & totidem vnciarum, ſed ante Auguſtum annis mille ferme, non apparuit forma huiusmodi ſicut nec poſt Claudium viſa eſt: ſcripta ex antiquitate memorias*

moriaſ arceſſunt, vt in fidem veri, quibus receptum eſt, quod bello Cretico, cum elata fluuiali impetu, plusquam vi amnica inuecta, terras rupiſſent, poſt diſceſſum fluctuum, inter plurima humi diſsidia, humanum cadauer repertum ſit, cubitorum trium, atq; triginta: cuius inſpectandi cupidine L. Flaccum Legatum, Metellum etiam ipſum impendio admodum captos miraculo, quod auditu refutarant, oculis potitos.

PH. Strabo irridet Gabinium Romanum hiſtoricum, qui ſeſe in Mauritania vidiſſe Antæi oſſa longa ſexaginta cubita conſcripſerat; vt habet lib. 17. quamquam Gabinius ſibi in teſtem protulerit Sertorium etiam ciuem Romanum.

EQ. Tametſi Straboni id non arrideat, Plutarchus tamē id affirmat, Sertorioq; conſentit, vt Fulgoſ. habet lib. 1. c. 6. Et certe Straboni multa de veterum ſcriptis non probātur; quæ tamen noſtro ſeculo comperta ſunt veritati innixa eſſe, vt mox dicturi ſumus: quare proſequi libet reliqua ex Solino.

Ille igitur cap. 13. *In Macedonia Oriſtidæ populi* (inquit) *illic ſi quando accidit, nymbis torrentes excitantur, & aucta aquarum pondera, ruptis obicibus valentius ſe in campos ruunt eluuione, oſſa etiam nunc ferunt detegi, quæ ſunt ad inſtar corporis humani, ſed modo grandiore, quæ ob enormem magnitudinem monſtroſi exercitus iactant extitiſſe: Idq; adiuuatur argumento ſaxorum immanium, quibus oppugnatum cœlum crediderunt.* Sed & cap. 32. *Æthiopes* (inquit) *Syrbotæ longi ſunt ad pedes duodecim; Aſathæi captos venationibus Elephantos deuorant;* quin etiam c, 35. *Quidam* (ait) *Indiæ populi, adeo proceri ſunt, vt Elephantos velut equos facillima inſultatione t[illegible]ſliant.* atq; etiam cap. 54. *Taprobanæ homines corporum magnitudine alios omnes antecedunt.*

TH. Iſidorus Ethymolog. lib. 11. cap. 3. fatetur reperiri homines duodecim pedum: Sed liber de natur. rerum admirandam quandam ſcribit mulieris proceritatem his verbis: *In Occiduis* (inquit) *partibus reperta eſt puella, quam vnde fluuiorum gurgites ab Oceano terris adduxerint, ignoratur, in capite vulnerata & mortua, quæ 50. cubitorum longitudinis erat, & inter humeros quatuor latitudinis, & induta clamide purpurea.* Quæ res fidem excedere videtur, attamen illi ſubſcribit Vinc. hiſtor. natur. lib. 31. cap. 125.

PH. Non eſt prætermittendus Plinius, qui (cum lib. 7. cap. 16. idipſum enarrat, quod iam ex Solino deſumpſimus c. 4.) addit corpus illud, quod in Creta terræmotu rupto monte adinuentum ferat 46. cubitorum fuiſſe: At lib. eod. 7. c. 2. tradit extare homines quinum cubitorum, quin Æthiopes ait octonum eſſe cubitorum: At lib. 6. c. 30. Syrbotam gentem octonum altitudine cubitorum eſſe tradit. Se autem vidiſſe hominem decem pedum, teſtatur lib. 7. c. 16.

EQ. Anterioribus ſeculis, nempe ſub Iuſtino Thrace mulier quædam è Cilicia inſtar Gigantis fuit, cum proceritate corporis, tum aliorum membrorum proportione; nam ſupra quamuis proceros viros integrum cubitum eminebat, pectore, & humeris ſupra modum latis, cum & cætera omnia, vt vox, vt facies, brachiorum, & cubitorum firmitas ac magnitudo, & digitorum craſſitudo, & reliqua longitudini, & latitudini reſponderent. Zonaras in Iuſtino. Sed & ſeculo hoc noſtro prodidere ii, qui orbem perluſtrarunt, Gigantes viſos: Antonius enim Pigafetta apud Canibales Armeniæ, teſtatur viſum à ſe Gigantem, qui ſupra noſtrates homines à cingulo emineret: quin idem ſcribit, ad fretum Megellanicum ſub polo Antartico ſeſe vidiſſe Giganteos populos, quorum ceruix ad brachii dimidium longitudine protenditur. Olaus quoque lib. 5. cap. 2. ſcribit Arthenum in Aquilonari Plaga Gigantem fuiſſe, cuius proceritas nouem perficeret cubitos.

Nouiſſime vero Surius in Commentario ſub anno Domini 1511. Gigantem pro-
digioſæ vaſtitatis extitiſſe narrat his verbis: *Maximilianus* (inquit) *Cæſar, comitia in*
dixit apud Auguſtam, vbi illi oblatus eſt vir quidam prodigioſæ vaſtitatis, & craßitudinis, at-
que incredibilis ingluuiei, ita vt integrum vitulum crudum vel ouem incoctam vna vice deuo-
raret: & tamen nec dum famem expletam diceret: ferunt hominem Borealibus Regionibus
ortum fuiſſe, vbi ob locorum frigora, ſolent eſſe homines edaciores, quanquam huius edacitas
propemodum incredibilis videri poſſet. Hæc ille.

TH. Longe recẽtius eſt, quod narrat Melchior Nugnez Ieſuita literis ſuis, qui-
bus Sinarum res cõplexus eſt. Tradit enim in Regia vrbe Paquin portarum cuſto-
des eſſe Giganteæ proceritatis quindecim pedum. Quin idem Melchior an. Dom.
1555. ſuis literis aliis teſtatus eſt, Sinarum Regem quingentos huiusmodi Gigantes
alere corporis ſui cuſtodes. Atq; ita fit, vt Gigantes eſſe non ſit incredibile, præter
id, quod ſacris literis cõtineri iam diximus: S. Thomas id tradit apertiſſimis verbis,
Tabien. teſte: Quibus comprobandis, accedit ſumma S. Auguſtini authoritas lib.
de ciuit. Dei, 15. c. 23. vbi ſeſe vidiſſe Gigantem mulierem Romæ paulo ante quam
à Gothis vrbis excidium fieret: ad quam viſendam mirabilis fiebat vsq; quaq; con-
curſus: Cum tamen parentes eius, reliquis hominibus longiſſimis æquarentur, cui
accedit Vinc. hiſt. lib. 19. c. 3. Sed & idem Auguſtini ſeculum, nempe ſub Theo-
doſio, in Syria tulit hominem ſupra humanam naturam magnitudine excedẽtem:
In longitudinem enim cubitorum quinque, & vnius palmi excreuerat, quamuis
pedes eius reliquæ corporis magnitudini pro portione non reſponderent, intror-
ſum enim intorti, & varierant; illi nomen erat Antonio, vixitq; annos vigintiquin-
que: hæc Niceph. lib. 12. c. 37. Gigantes autem naſci tradit S. Auguſtinus quandoq;
ab incubis dęmonibus humano ſemine, ſyderumq; afflatu, vt etiam refert Tabien.
in Verb. Gigantes ex diuo Thoma.

At omnium admirabilius eſt, ſimul quoq; veriſſimum quod ſcribit idem S. Au-
guſtinus de ciuit. Dei lib. 15. c. 9. Seſe vidiſſe Vticæ Gigantis tam ingentem dentem
molarem, qui ſi in noſtrorum dentium modulos minutatim conſcinderetur, cen-
tum è noſtris videretur facere potuiſſe. Cui Viues etiam addit, ibi feſto Diui Chri-
ſtophori, cum iſſet illum veneraturus ad maximum Valentinæ vrbis templum, o-
ſtenſum ſibi molarem dentem pugno maiorem. Vt vel hinc quisq; coniicere poſ-
ſit, in quantam amplitudinem integrum caput foret, quando tantæ eſſet amplitu-
dinis dens vnus: Nam mandibulæ vtræq; iungi non poſſent, quam quatuor vlnarũ
ſpatio à diametro, duodecim vero toto ambitu: atq; inde etiam coniicitur capitis
altitudinem fuiſſe à merito in verticem frontis totidem. Vt ita reliquum corpus,
cuius ſeptima pars caput eſſe conſueuit, coniiciatur collo commenſurato exceſſiſ-
ſe longe vlnas triginta, atq; ita non admodum à vero aberraſſe veteres illi videntur
hiſtorici, quandoquidem iis corporibus, de quorum dentib. diſſeruimus, alia for-
ſan proceriora fuiſſe inueroſimile non eſt.

PH. Non deſunt alia nobis Gigantum exempla commemoranda: referam ad-
huc ego quæ ſuccurrunt: Nam Harthenus ab Helſyngia facta dimenſione, inuen-
tus eſt cubitorum nouem longus, vt tradit Saxo Gramm. hiſt. Dan. lib. 7. Danicam
enim regionem Gigantibus olim cultam teſtantur ſaxa veterum buſtis & ſpecu-
bus affixa, quæ cum in planis difficile mobilia comperiuntur, qualibet arte inuſi-
tato humano robore ad montium ſublimium vertices ferri oportuit, vt Saxo idem
memorat.

Fuit

Fuit & Pallantis corpus an. Domini 1039. Romæ compertum, cuius longitudo muros Vrbis altitudine æquabat. Mirum in eius refoſſione accidit: comperta etenim eſt lucerna adhuc ardens ad caput, quę nullo aſpergine liquoris, aut flatus poſſet extingui: quidam tamen ſolertiſſimo ingenio ſtylo ſubtus flammam foramen fecit, moxque introducto aere, ignis euanuit: inuentum quoq; vulnus in pectore longum pedes quatuor, vt Vincētius memorat hiſt. lib. 25. c. 34. Naucler. ſub Henrico tertio Bonfin. dec. 2. & Langus Chr. Citiz. anno Domini 1039. Krantzius Metrop. lib. 4. c. 15. Sed & Ioannis Bocatii ætate in Siciliæ Drepano vrbe inuentum Gigantis corpus, cuius dentes ſinguli trium librarum comperti ſunt, in tanta ariditate, quam temporis diuturnitas attulerat: eius rei teſtis eſt idoneus & oculatus ipſe Bocatius, vt Fulgoſus tradit lib. 1. cap. 6. Sancto deinde Maclouio Epiſcopo Britanno Inſulæ fortunatæ, Gigantis corpus ſepultum immenſum ediderunt: Eo etenim ferendi Euangelii cauſa profectus Maclouius, refoſſo quodam ſepulchro, comperit corpus occupans ampliſſimum ſpatium, illi ac comitibus admirandum: Sanctus igitur cadauer iuſſit reſurgere in vitam: paruit ille, multa de rebus, arcaniſque alterius ſeculi diuinis Maclouium edocuit: ac ſuſcepto baptiſmate etiam diu ſuperuixit, vt Vincentius tradit lib. 21. cap. 97. Gallorum præterea Rege Carolo ſeptimo in Montanis Narbonenſis Galliæ iuxta Valentiam, refoſſo ſepulchro Rhodani fluuii aquis, inuentum cadauer, cuius dimenſio triginta pedes impleuit, oculatum ſe eius rei teſtem aſſerit Fulgoſus lib. 1. cap. 6. Sed longe ante Fulgoſi ſeculum annis plus trecentis, anno ſcilicet 1171. in Anglia alluuione fluminis, retecta ſunt humati olim hominis oſſa adhuc ordine compoſita, longitudo totius corporis inuenta eſt longa ad pedes 50. Id recolit, eius ſeculi ſcriptor Robert. Ment. Propterea iure Iambolo, & qui ex illo ſcribit, Diodoro adhibenda fides eſt, qui recolit in Auſtrali quadam Inſula, Iambolum comperiiſſe Incolas noſtratibus corporibus quaternis cubitis longiores eſſe: auget admirationem, quod tradit illis oſſa non eſſe duritie ſolida, ſed flexibilia, perinde ac nerui eſſe ſolent: linguam quoque bifidam illis eſſe ab ipſa faucium radice, adeo, vt ſingulis partibus ſimul eloquantur altera vni, altera alii. Id ſcribit Diodorus lib. 2. Ramuſ. recolit tomo 1. Sed & ante annos 300. ab hinc apud magnum Cam, ſpectaſſe ſe Gigantem proceritatis 20. pedum, tradit Odericus poſterior ante fin. Propterea cum Fruſinone natus eſt infans quadrimo par, nullam ad Gigantis proceritatem rationem habet: quandoquidem prodigioſum non eſt Gigantes parere infantes noſtris quadrimis infantibus maiores: ſed prodigioſum fuit, quod ab vtero editus quadrimi ætatem peregiſſe videretur, natus à noſtrate menſura. Id tradit Liu. dec. 3. lib. 7. Sed de Gigantum proceritate hactenus.

EQ. Audiui paulo antea Incuborum Dæmonum mentionem fieri: excitat me quæſtio, qui id fiat, vt Incubi mulieribus coeant & gignant. Id enim Philoſophorum rationes non pertingunt.

TH. Id eſt apertiſſimum Theologis, Incubos & Succubos Dæmones eſſe: Incubos dum virile opus exercent, Succubos dum muliebre. De iis ſcripſit S. Thomas in ſecundum ſententiarum diſt. 8. art. 4. Reuera mulieri Incubum cōmiſcuiſſe in Varinethenſi vrbe annis ſeptem, cubante iuxta eam marito, conſtat: hanc S. Bernardus coram omni populo exorcizauit, candeliſq; ardentibus dæmoni maledicens fugauit, vt ſcripſit Vinc. Spec. natur. lib. 2. cap. 127. quod etiam tradit Silu. de ſtrig. lib. 2. c. 11. puncto primo. Incubi igitur grauidas reddunt veras mulieres, ſuccubi à

Incuborum congreſſus, & ſuccuborum.

cubi à veris viris prægnantes redduntur, vti ſcripſit S. Thomas eodem loco: vnde Giganteum genus illud gigni iam diximus ex Sancto Auguſtino de ciuitate Dei, lib. 15. cap. 23. & Franciſcus Picus nouiſſime ſcripſit libro 3. de ſtrigimagis. Verba Auguſtini quoad Incubos ſpectat, hæc ſunt: *Creberrima fama eſt, multique ſe expertos, vel ab eis, qui experti eſſent, de quorum fide dubitandum non eſt, audiſſe confirmant, Siluanos Faunos, quos vulgo Incubos vocant, improbos ſæpe extitiſſe mulieribus, & earum appetiſſe ac peregiſſe concubitum; & quoſdam Dæmones, quos Duſios Galli nuncupant, hanc aſſidue immunditiam & tentare & efficere, plures taleſque aſſeuerant, vt hoc negare impudentiæ videatur.* quem citat & concordantes locos adducit Silu. de Strigim. lib. 2. cap. 3. puncto 2.

Noſtro quoque ſeculo id eſt compertiſſimum, quandoquidem vel ipſæ mulieres ab Incubis cognitæ Iudicibus quæſitoribus faſſæ ſunt non ſemel atque iterum ab illis compreſſas, ſed diuturno tempore velut cohabitaſſe, ſingulisque noctibus coiiſſe, atque ideo in tanti ſceleris commiſſi vindictam, ignis ſupplicio adiudicatæ ſunt frequentes in Germania, Apoſtolica Sede Romana ita iubente. Qui id expetat noſſe fuſius, legat volumen cui titulus Malleus maleficarum, aduerſus quem licet Cornelius Agrippa pro ſua impietate ſcripſerit irrito conatu, defenditur tamẽ propugnatore Sixto Senenſi Biblioth. Sac. lib. 5. annot. 73. Id verius eſſe etiam Innocentii Octaui Papæ decretalib. literis continetur.

EQ. Corporeos autem actus quomodo ſpiritus aget?

TH. Aereo corpore compacto. (id enim facile ei licet aſſumere) Corporea opera Dæmon agit, ſemine quoque aſſumpto, virile opus peragit. Illudq; corpus ab illo ita aſſumptum, verum corpus eſt, licet non viuum, vt S. Thomas tradit in eodem ſecundo libro diſtinct. 8. art. 8. nouiſſ. ſcriptis. Mira enim eſt Angelorum etiam malorum potentia: nam omnia inferiora corpora Angelis obediũt ad nutum, quo ad motum localem. Poſſunt etenim infimi Angeli mouere quæcumq; quamuis magna corpora, dummodo naturæ curſus nõ impediatur. Ex Philoſophorum & Theologorum ſententia, vti egregie ſcribit Silueſt. lib. de Strigim. lib. 1. cap. 14. puncto 4. & c. 15. puncto 3. vbi citat locos plures S. Thomæ: Vnde & corpora poſſunt aſſumere, & quibuscunq; formis velint per localem motum rerum, apparere; vel, alii vt appareant, efficere, vti idem ſcribit eodem cap. 14. puncto 5. Eruntq; vera corpora huiuſmodi, non tamen viua, neque ſecundum naturæ eius veritatem, quam præ ſe ferunt: non enim erit verus homo, verus leo. dicto puncto 5. Illud vero quod ex huiuſmodi nephario coitu gignitur, & verum, & viuum corpus eſt, & verus homo, quoniam ſiue ab incubo gignat mulier, ſiue à ſucubo gignat homo, homo inde naſcitur, vti idem Silu. peroptimis rationibus concludit, de Strigim. lib. 2. c. 3. puncto 3.

EQ. Tanta igitur eſt Dæmonis in humanum genus hoſtilitas, vt quocunque poſſit modo fœdarę velit hanc nobiliſſimam ſpeciem: eique quibuslibet artibus illudere; & qui ſibi illudi non patiantur, terrere diuexationibus ſtudet; & vt efficacius diuexet, numeroſitatem aſſeclarum Dæmonum iactitat, oſtentatque, itaque innumerabili ſe exercitu putat terribilem eſſe, aut venerandum: nam triginta millia Dæmoniorum ſub Idolorum cultura fuiſſe, ab Heſiodo didicit Clemens Alex. in hortatoria ad Gentes, hoc recenſito carmine:

Dæmonium decies ter habet nam millia tellus.

Quod etiam tradidit Euſebius Cæſar. præpar. Euang. lib. 5. cap. 15.

TH. Nitun-

TH. Nituntur certe illi improbi quantum poſſunt, ſed imminuta eſt omnis illorum poteſtas, ex quo Chriſtus homo factus eſt: eiecti ſunt enim ab huius orbis principatu, qui ne eiecti viderentur, ſe mori confinxerunt, vt habet Euſeb. de præpar. Euang. lib. 5. cap. 9.

PH. Propterea facile à credentibus eiiciuntur ab obſeſſis corporibus exorciſmis, vel ſolo Crucis ſigno, quin & à locis, vbi aliquando inhabitant, velut regnantes. Cum etenim Cudboreeht Inſulam Farnæ in Oceano Britannico ſitam, atque permodicam, vti Anachoreta incoleret, virtutis exercendæ cauſa, quod ibi aquæ, frugum, omniumque arborum foret penuria: & quod ibi malignorum ſpirituum copiæ, ne humana ibi habitatio vlla eſſet, omnes abſterreret; Sancti huius aduentu orationeque maligni omnes ii ſpiritus receſſere, vti ſcribit venerabilis Beda lib. hiſtor. Anglic. 4. cap. 28.

TH. Non eſt abſimile quod narrat Gregor. Turonen. in vita Sanctorum Lupicini & Romani fratrum, apud Lipomanum Tom. 8. Ii etenim intra Lorenſis deſerti eremum vitam degebant auſteriorem, herbarum ſolis victitantes radicibus. Id Dæmonibus miris modis erat exoſum: lapidibus etenim vrgere hos Dei ſeruos per ſingulos dies perſeuerabant, quin quotieſcunque pro more ſuo genua ad orandum Deum deflexiſſent, ſtatim imber lapidum proiicientibus Dæmoniis in eos decidebat, adeo vt ſæpe vulnerati immenſis dolorum cruciatibus torquerentur; at ii perſeuerantia orationum hoſtilem impetum deuicerunt, eiectiſque inde Dæmonibus reliquum vitæ ſancte peregerunt.

PH. Ita fit, vt quo magis Dæmonum ſtudia perdendo generi humano adhibentur, eo magis piorum hominum virtutes adaugeantur, quin & aliquando etiam perditis hominibus ſalutis occaſionem præbuiſſe Dæmonum infeſtationes compertæ ſunt, vt ſic pateat, Dæmonum conatus quandoque hominibus repertos fuiſſe ſalutares. Nam præter id, quod Cyprianus Dæmonum familiaris diabolicam imbecillitatem contra virginem Iuſtinam didicerat experimento, atque ideo ex Dæmoniaca familiaritate conuerſus eſt ad Chriſti fidem, vt habet Ado Treuirenſ. ſexto Kalend. Octob. & Ioannes Belethus de diuin. offic. cap. 125. Alia quoque exempla occurrunt egregia memoranda. Dæmonum etenim quidam Sacerdos, & Idololatra, cum audiiſſet Diabolum conquerentem ſe victum ab Anachoreta quodam, cuius humilitas ſuam vim ſuperaſſet, in ſe reuerſus, ad Chriſtianos Anachoretas illos eſt profectus, & Chriſti fidem ſubiit, factus & ipſe probatiſſimus monachus, vt habet liber de vitis patrum, qui S. Hieronymo tribuitur, part. 2. c. 17.

TH. Non abſimile habet ſanctus Greg. lib. 2. c. 7. Iudæus etenim quidam Fundis, cum Dæmones inter ſe colloquentes audiiſſet in Apollinis templo exultantes, quod Fundenſem Epiſcopum ad muliebrem contactum (quamquam leuem) perduxiſſent, protinus ad Epiſcopum ſe contulit, & Chriſtianæ fidei excellentiam ab odio Dæmonum coniectans, Baptiſmo eſt ſponte initiatus, fideliter inde Deo ſeruiens.

EQ. Præclara quidem exempla pro excellentia Chriſtianæ fidei, & pro Dæmonum imbecillitate demonſtranda. Supereſt modo (ſi libet) inſequi argumẽtum illud, quod picturæ frequenter referunt, quæ ratiocinãdi nobis hodie occaſionem præbent, videlicet ob adeo varias hominum formas appictas, numquid verum ſit varias eſſe hominum facies, corporaq; diſſimilitudine membrorum videri alicubi. Ego quamquã id legi, & non pauca conſpexi, nihilominus veſtrũ iudiciũ exquiro.

Corporum humanorum inuſitata forma.

PH. Scio Strabonem irriſiſſe Megaſthenem ſcribentem varias hominum formas in ore, in auribus, in plantis, totoque corpore. Verum Strabo lib.2.vbi ita irridet, facile conuincitur numero eorum, & authoritate, qui de rebus huiuſmodi conſcripſerunt: atque vt ab ipſo capite exordiamur, Mela lib.1.c.4.ſcribit, Blemios abſque capite eſſe, vultus autem partes omnes illis eſſe in pectore.

EQ. Solinus idem tradit c.53. Sunt (inquit) qui ceruicibus carent, & in humeris habent oculos, atque ante hos omnes nonnulli itidem ſcripſere, quos recenſet Aul.Gell.noct.att.lib.9.c.4.

PH. Plinius apertis verbis id aſſerit frequenter: libro etenim 5. c.8. tradit illis capita abeſſe, ore & oculis in pectore affixis; ſed & lib.7.c.2. non longe à Troglodi-tis, quoſdam ſine ceruice ſcribit, oculos in humeris habentes.

TH. Huiuſmodi gentem S. Auguſtinus commemorat de Ciuit. Dei lib.16. c. 8. adiicitque in maritima platea Carthaginis muſiuo pictam, omnes hominum facies ac formas depromptas ex libris velut curioſioris hiſtoriæ, ſubiiciens, omnia genera hominum, quæ dicuntur eſſe, credere non ſit neceſſe.

PH. Ad hæc credenda nemo nos cogit: attamen ſanctus Auguſtinus ibi vti credendi neceſſitatem non imponit, ita incredibile non eſſe videtur aſſerere, quin-etiam ad fratres in Eremo ſerm. 37. ſeſe hos vidiſſe teſtatur his verbis: *Ego iam Epiſcopus Hipponenſis eram, & cum quibuſdam ſeruis Chriſti ad Æthyopiam perrexi, vt eis ſanctum Chriſti Euangelium prædicarem, & vidimus ibi multos homines ac mulieres capita non habentes, ſed oculos groſſos fixos in pectore, cætera membra æqualia nobis habentes, &c.* quem Auguſtini locum Fulgoſus citauit ad eandem rem lib.1.de mirac.

TH. Ita eſt: nam & eodem lib. de Ciuit. Dei cap.8. ſubdit hæc verba: *Qualis ratio redditur de monſtroſis apud nos hominum partubus, talis de monſtroſis quibuſdam gentibus reddi poteſt.* Propterea & Iſidorus lib.11.cap.3. Lemnios (iidem ſunt, quos Mela Blemios) dicit in pectore & humeris oculos habere, carereque capite.

PH. Non eſſe impoſſibile ſuadere poteſt ratio. Sicut enim maris & fœminæ membra omnia conformia ſunt, niſi quod maſculo exporrecta ſunt, mulieri introrſus reſeruata, ita fieri poteſt ex climatis conſtitutione, vt ceruix eminere non concedatur, naturæ tamen inſtrumenta ſuis defungantur officiis, proximiore ceruicis loco.

EQ. Aſſentiri poſſum. Nam nuper inuentum eſt in Peruaco noui Orbis prouincia quadam, cui nomen Caraqui, homines carere occipiti & ſincipiti, latiſſima facie: ſtatim enim edito partu, caput eius tabulis pone, & ante includunt, adeo vt facies tota complanetur, & dilatetur, ſicut & ipſum quoque occiput, quin & totum caput latum fiat & exile, vt ſcribit Petr.Hiſpal.in Sylua p.5.cap.35.

Membrorum humanorum duplicitas.

PH. Sicut igitur fieri poteſt, vt materiæ penuria ceruix eminere non valeat, eodem miraculo fiet, vt eiuſdem nimia materiæ copia non vna tantum ceruix emineat, ſed plures: cuiuſmodi biceps homo natus ſub Theodoſio. Sigebertus enim in Chronicis ſic habet: *Temporibus Theodoſii ſenioris in caſtello Iudææ Emaus natus eſt puer perfectus ab vmbilico, & ſurſum diuiſus, ita vt haberet duo pectora, & duo capita, & vnumquodque proprie ſenſus, altero quidem edente & bibente, altero non edente, altero dormiente, & altero vigilante, quamquam etiam ſimul dormirent, luderent ad alterutrum, & flerent inuicem etiam rixando, vixerunt annis ferme duobus, capite vno extincto, alterum vix ſuperuixit diebus quatuor.* Idem retulit Vinc.hiſt.natur.ſpec.lib.31.c.118. Sed ante hos ſanctus Auguſtinus idem ſcripſit lib. de Ciuit. Dei 16. cap.8. his verbis: *Ante annos aliquot*

aliquot noſtra certe memoria, in Oriente Cin ora Aphricæ Orientali, quæ ſpectat ad Cirenem, duplex homo natus eſt ſuperioribus membris, inferioribus ſimplex. Nam duo erant capita, duo pectora, quatuor manus: venter autem vnus, & pedes duo, ſicut vni homini; & tandiu vixit, vt multos ad eum videndum fama contraheret. Hæc ibi. Hunc eundem illum eſſe, de quo Sigebertus, non eſt dubitandum, ex annorum computatione, quibus ſanctus Auguſtinus vixit. Nam idem Auguſtinus in Enchiridio ad Laur. cap. 87. ſcribit ex ſcriptis beati Hieronymi, nuper bimembrem hominem natum in Oriente, teſteſque audiiſſe fide dignos, qui ſe eum vidiſſe teſtabantur. Poteſt igitur non capite tantum, verum etiam in reliquis membris omnibus materiæ redundantia huiuſmodi generari.

Bimembrem enim hominem, non capite tantum, verum reliquis corporis omnibus partibus ſcribit Zonaras extitiſſe ſub Romano Lecapeno, hærebant ii duo inuicem concreti lateribus; ita quoque ſolis inferioribus partibus redundante materia inferiora membra abundare, vt quadrupedes ſint, natura efficere poteſt.

Oroſius enim hiſt. lib. 5. cap. 6. *Ser. Fuluio, Q. Calphurino Liſone Coſſ. Romæ puer ex ancilla natus eſt quadrupes, quadrimanus, oculis quatuor, auribus totidem, natura virili duplex.* Hæc ille. Ita quoque ſenſuum inſtrumenta duplicari contingit.

Monſtrum enim quatuor oculorum apud Daphne amœnum Antiochię ſuburbanum, ore gemino, cum dentibus binis, & barba, & breuiſſimis duabus auriculis, fuiſſe refert Ammian. Marcell. lib. 19. Sed apud Hiſtoricos ſæpe ſucceſſiuis temporibus eadem accidiſſe narrantur. Quin etiam hodie Romæ viſitur bimembris puer, Sebaſtianus nomine, Senenſi agro ortus: eſt ille quinquennio maior, rectus ac propagatus membris omnibus; at ipſi ex ſummo pectore extuberat propendetque alterius hominis corpus prorſus integrum, præter caput, quod ſi vllum illi eſt, abditur in pectore Sebaſtiani: eſt illi ſuum collum, ſunt humeri, ſpina, brachia, pectus, venter, clunes, genitale, fœmora, ac tibiæ, pedeſque ipſi, niſi quod referunt hæc omnia puerum biennio natum, vtrimque ſua emittit excrementa, pectus ac reliqua, quæ diximus, membra conuerſa ſunt erga Sebaſtianum ea forma, qua ſe duo complectuntur. Sunt qui putent, duo illis eſſe corda, quandoquidem pulſus licet exiles in hoc minore corpore deprehenduntur: at alii putant, ſolam eſſe vegetationem in hoc paruo corpore, vt velut extuberans caro alatur altero veriore animatoque corpore; natura enim, vt geminum ederet fœtum, adnixa quidem eſt, ſed vis tanta, quæ ſufficeret, non adfuit, licet materia ſuperabundarit. Hæc libenter retulimus, quandoquidem nos ipſi vidimus, atque his tantum nunc contenti ſumus.

TH. Sicut enim indies auget naturæ miracula Deus, & ſingularia monſtra permittit, cur non & hoc ipſum forſan addi voluit, ceruices ſcilicet non eminere ex humeris in aliquo hominum genere? Vidimus etenim ſupra naturam S. Dionyſium Areopagitam è Philoſopho factum Martyrem, in ipſo mortis articulo miraculum peregiſſe non abſimile ab hac iam dicta forma. Nam ipſe abſciſſum ab humeris caput ſuum, tanquam aliquem theſaurum pretioſiſſimum ſuis accepit manibus, transiensq; in locum magis idoneum, ferebat ipſe ſine capite ſuum caput, tanquam aliquod trophæum, à diuina omnino ipſe portatus gratia, neq; prius dimiſit quam mulieri diuina quadam occurrens prouidentia in illius manibus depoſuit, veluti inæſtimabile monile, vt Metaph. ſcribit 3. Octobr. Quod etiam accidit ſancto Proculo Bononiæ, qui à lictore ſibi abſciſſum caput manu capiens recto itinere, ſine

re, ſine capite progreſſus eſt in ipſam vsque vrbem, Bononiam detulit Anno Domini 510. vt Carolus Sigonius tradit in eius vita, apud Surium Tom.3.

EQ. Non adeo admiror quæcunque fiunt ſub humana forma: nil enim Deo impoſſibile. At mouet mihi animi curioſitatem, quando beluina capita hominibus fuerint: optarim igitur noſſe, an beluina capita hominibus eſſe prodigioſum forſan videatur?

Homo capite beluino.

PH. Sane ab humana ſpecie id remotum eſt, cum totus homo in facie eſſe videatur: attamen equino capite compertos homines teſtatur Arrianus apud Ramuſ. Tomo 1. Cirrados enim populos vltra Taprobanes ſcribit habitare quoſdam oblonga facie equinoque capite.

EQ. Eſt ſane admirandum: nam & olim Fabio Coſ. puer natus eſt Elephantino capite, vt habet Liu.dec.3.lib.7. Sed id ſingulare eſt; ideoque prodigioſum.

TH. Ita eſt: prodigia hæc accidunt Deo diſponente, in deteſtationem alicuius criminis, cuiusmodi narrat Petrus Damianus Archiepiſcopus Rauennas, & Cardinalis, libello de miraculis, in hæc verba: *Robertus Gallorum Rex propinquam ſibi copulauit vxorem, ex qua ſuſcepit filium anſerinum per omnia collum & caput habentem, quos, virum & vxorem, omnes fere Galliarum Epiſcopi communi ſimul excommunicauere ſententia: Rex igitur his coarctatus anguſtiis, ad ſanum conſilium rediens, diuertit inceſtum, iniitque legale coniugium.*

Homo in beſtiam mutatus.

EQ. Haud abſimile memini perdidiciſſe apud Metaphraſtem 30. Septembr. Teridates enim Armeniorum Rex, cum virgines Ripſimem & Gaianam nephandis modis ad impudicitiam allicere adniteretur, martyresque efficere, iuſtitia Dei verſus eſt in inſaniam, mutataque eius forma in porcum: erat enim extrinſecus porcus, internæ crudelitatis, & cœni voluptatum, & alterius porcinæ animæ, ac vitæ ſimul imago.

TH. Et hoc perſimile eſt diuinæ hiſtoriæ Danielis cap. 4. quando Nabuchodonoſor Rex ab hominibus abiectus eſt, & fœnum vt bos comedit, & cum beſtiis ac feris fuit habitatio eius annis ſeptem, & rore cœli corpus eius infectum eſt, donec capilli eius creſcerent in ſimilitudinem Aquilarum, & vngues eius quaſi auium. Sicut autem Teridates pœnitentia à Gregorio Armeno impoſita, priſtinæ formæ eſt reſtitutus, ita & Nabuchodonoſor, quando in ſe reuerſus eſt.

EQ. Vti hæc vera fuere miracula transmutata hominum forma in beluinas, audiui ſæpenumero diabolica illuſione itidem fieri, cuiusmodi apud Vinc. ſpec. natur. lib.2. cap.109 narratur. Nam ad Leonem IX. Rom. Pont. delatum fuerat, lamias quaſdam hominem hoſpitem in aſini formam vertiſſe: poſtea vero emptorem aſini deluſum, cum ad ipſum Pontificem confugiſſet, Leonem ei fidem non accommodaſſe, qui tamen doctiſſimi viri Petri Damiani verbis perſuaſus, poſtea credidit, hoc pręcipuo argumento, quod Simon Magus Fauſtinianum in ipſius Simonis figuram exhibuiſſet.

TH. Hæc probantur Theologis: nam de iis plura Sylu. de ſtrigim. lib.2.cap.8. vbi tradit, puellam quandam in equinam formam apparuiſſe ſemper omnibus, ipſi tamen beato Macario, non niſi in hominis forma, quia in ipſo ceſſabat Diaboli illuſio, vt eſt in libro de Vitis patrum; Sicut & Cypri Salamine, alter ſub aſini forma triennio maleficæ inſeruiuit, huiusmodi diabolica illuſione transformatus, quamquam malefica de ſcelere conuicta, & præſtigium abſtulit, reſtituto in priſtinam formam homine, & à Iudicibus vltimo ſupplicio damnata, Sylu. de ſtrigim. lib. 2.

cap.

cap. 11. puncto quarto, quæ & Franciſcus Picus diſertis verbis enarrauit, de ludificat. Dæm. lib. 3. ad calcem: At S. Auguſt. explicatius habet lib. de ſpiritu, & anima c. 26. Tomo 2. his verbis: *Dicit & humana opinio, quod quadam arte mulierum, & poteſtate Dæmonum homines conuerti poſſint in Lupos, & iumenta, & quæque neceſſaria portare, & poſt peracta opera, iterum ad ſe redire; nec fieri in eis mentem beſtialem, ſed rationalem, humanamque ſeruari. Hoc ſic intelligendum eſt, quoniam Dæmones naturas non creant; ſed aliquid tale facere poſſunt, vt videantur eſſe, quæ non ſunt. Nulla enim arte, vel poteſtate animus, ſed nec corpus quidem aliqua ratione in membra, vel in lineamenta beſtialia veraciter conuerti poteſt, ſed phantaſticum hominis, quod etiam cogitando ſiue ſomniando per rerum innumerabilium genera variatur, & cum corpus non ſit corporum ſimiles formas mira celeritate capit: ſopitis autem & oppreſſis homini ſenſibus corporeis, ad aliorum ſenſum figura corporea perduci poteſt, ita tamẽ, quod corpus ipſum hominis alicubi iaceat viuens quidem, ſed multo grauius, atq; oppreſſius, quam ſomno ſuis ſenſibus obſeratis: phantaſticum autem illud, veluti formatum in alicuius animalis imaginem, alienis ſenſibus appareat, talisque homo ſibi videatur, qualis ſibi videri poſſet in ſomnis portare onera; quæ onera, ſi vera ſunt corpora, portantur à Dæmonibus, vt illudatur hominibus: partim vero onerum corpora, partim falſa, iumentum cernentibus.* hactenus ille, qui etiam lib. de Ciuit. Dei 18. cap. 18. ſuam de rebus iſtis ſententiam explicat in hæc verba: *De ludificatione Dæmonum ſi dixerimus ea non eſſe credenda, non deſunt etiam nunc qui eiusmodi quædam, vel certiſſima audiſſe, vel etiam expertos ſe eſſe aſſeuerent: Nam & nos cum eſſemus in Italia audiebamus talia de quadam regione illarum partium, vbi ſtabularias mulieres imbutas his malis artibus in caſeo dare ſolere dicebant, quibus vellent, ſeu poſſent viatoribus, vnde in iumenta illico verterentur, & neceſſaria quæque portarent; poſtquam perfuncta opera iterum ad ſe redirent, nec tamen in eis mentem fieri beſtialem, ſed rationalem, humanamque ſeruari.* Et mox: *Non itaque ſolum animum, ſed nec corpus quidem vlla ratione crediderim Dæmonum arte, vel poteſtate in membra vel lineamenta beſtialia veraciter poſſe conuerti: ſed phantaſticum hominis, quod etiam cogitando, ſiue ſomniando per rerum innumerabilia genera variatur, & cum corpus non ſit, corporum tamen ſimiles mira celeritate formas capit, ſopitis, aut oppreſſis corporeis hominis ſenſibus, ad aliorum ſenſum neſcio, quo ineffabili modo figura corporea poſſe perduci. Phantaſticum autem illud veluti corporatum in alicuius animalis effigie appareat ſenſibus alienis, talisque etiam ſibi homo eſſe videatur, ſicut talis ſibi videri poſſet in ſomnis, & portare onera: quæ onera ſi vera ſunt corpora, portantur à dæmonibus, vt illudatur hominibus:* hæc ille. Repetens eadem verba, quæ dixerat libro de ſpiritu, & anima. Propterea Reges quidam tantæ ſuperſtitioni dedentes ſemetipſos diabolico commertio, mira effecere. Baianus enim Bulgarorum Princeps adeo inſignis Magus fuiſſe traditur, vt quandocumque illi videretur lupinam, aut alterius cuiuslibet bruti animantis formam referret: vixit is Othonis Imperatoris tempore. Vinc. hiſtor. libro 24. cap. 87.

PH. Phantaſtice dubio procul hæc fieri aſſerendum eſt, iuxta ſanctiſſimi Philoſophi quoque eruditiſſimi Auguſtini ſententiam. Cui etiam natura ipſa ſuffragatur rebus quibuſdam ſe aliter oſtendentibus, quam ſint: Nam D. Thoma teſte, herba quædam eſt, quæ fumigãs trabes in Serpentum formas cogit oculis cernentium apparere: quin etiam Ignis in cyatho maluatici ad carbones bullientis tactu accenſæ candelæ ſuccenſus aſtantes ſub forma tam liuida repræſentat, vt Acherontini Spiritus in humana ſpecie videantur: hæc refert Silu. de ſtrigim. lib. 2. c. 8. p. [illegible]. Cum igitur naturalium rerum peritiſſimi ſint ipſi Dæmones, multa huiuſmodi

poſſunt efficere, ad quæ hominum quantalibet perſpicacia præditi nequeant vlla ratione pertingere.

Quæ vero de hominum conuerſione in lupos nonnulli tradidere, reiicienda ſunt, ſicut & ipſe Plinius reiecit lib.8.c.22. Non enim id aliter ſe habet quam phantaſtice. Nam Dæmon maleficiis hominem faſcinare adeo poteſt, vt à Diabolo obſeſſus ſe putet in lupum verti atque humanas vorare carnes, cum illud efficiat lupus verus, vt ſcribit Sylueſt. de ſtrigim. lib.2.c.8. puncto 4. Quandoque vero Dæmon ipſe corpus lupo perſimile aſſumit, aut hominem in huiuſmodi formam ab aliis videri facit. Sylueſt. ibidem.

Homines canino capite.

EQ. Sunt hæc præclare enarrata. Nunc ſupereſt, vt accedamus ad reliquas hominum inuſitatas formas, præſertim eorum, qui canino aſſeruntur capite eſſe. Solinum memini de eis tradidiſſe c.32. Cynamolgos enim ſcribit habere caninos rictus, & promula ora: ſed & c.53. *Megaſthenes* (inquit) *per diuerſos Indiæ montes eſſe ſcribit nationes capitibus caninis, armatas vnguibus, amictas veſtitu tergorum, ad ſermonem humanum nulla voce, ſed latratibus tantum ſonantes aſperis rictibus.* Cui ſuffragatur Marcus Polus, qui Indias illas perluſtrauit: tradit enim lib.3.c.18. In Inſula Angaman, non ſolum capite ipſo, verum & oculis ac dentibus caninis eſſe, & anthropophagos; ſed & in Nicouerra Indica vrbe canino capite homines eſſe, tradit Odericus poſter. in principio.

TH. Apud Tartaros quoque gentem quandam canina eſſe facie traditum eſt. Nam cum Tartaris hoſtilitatem perpetuam gerit, miraque arte ad conflictum in eundem vtitur, ſagittas Tartarorum contemnens: hyeme etenim ſe aquis mergunt, arena poſtea ſeſe inuoluunt, glaciataque per eum modum cute, quaſi ferreo tergore obtecti pugnam ineunt ſecuri, ſagittas glaciem non penetraturas certo ſcientes; irruunt igitur in hoſtes, quos ſolis dentibus & vnguibus dilaniant: id referunt ordinis Prædicatorii quidam Apoſtolicæ ſedis apud Tartaros Legati, de reb. Tart. lib.1.cap.9. Vinc. hiſt. lib.31. cap.11. & Ioannes de Plano Minorita, vt tradit Antoninus tit.19. cap.8. §.18. Qui præterea recolunt apud eoſdem Tartaros compertam gentem canino quidem ore, ſed reliquo capite bubulo, membra cætera humana quidem, ſed pedes bubulos illis eſſe, loqui neſcire, latrare tantummodo eos noſſe, id ipſi Legati ſcripſere eodem lib.1. cap.13. apud eundem Vinc. lib.31. cap. 15. Adiiciunt præterea iidem authores, tametſi viri hanc, quam diximus, caninam faciem referant, mulieribus humanum vere vultum eſſe, vt reliquis in Orbe fœminis; ibi igitur talis eſt gens. At apud nos hoc ſcilicet Europæ cœlo huiuſmodi nunquam orta ſunt monſtra, niſi ſingularia, magis ex prodigio. In Albania etenim muliercula quædam peperiſſe memoratur infantem, qui ante totus erat homo, retro totus erat canis, vtriuſque autem formæ omnia aderant membra: accidit id Anno Domini 1126. Vinc. hiſt. lib.26.c.46. Sunt igitur authores non pauci, qui affirment gentem compertam canino capite, verumque id eſſe & ipſe aſſentior.

PH. Ita ſe habere etiam teſtatus eſt Plin. lib.6.cap.30. Scribit enim, Cynamolgos caninis capitibus eſſe, quod etiam tradidit lib.7.cap.2. aſſerens, eſſe caninis capitibus, & latrare: cui accedit Aul. Gell. noct. atti. lib.9. cap. 4. id aſſerens, ab antiquiſſimis ſcriptoribus fuiſſe annotatum.

TH. Iſidorus id aperte affirmat Ethym. lib.11. cap.3. Cynocephalos nuncupat eos. At ſanctus Auguſtinus de Ciuit. Dei lib.16. cap.8. aſſerit, non id eſſe incredibile.

PH. Non

PH. Non erit ſane incredibile. Nam & Ælianus hiſt.libr.6.c.10. *Ægypti* (inquit) *Cynocephalos docebant literas, & ſaltationem tibiarum cantum, tempore quo Ptolomæi Reges regnabant, & mercedem Cynocephali pro iis colligebant, & datam, in marſupium coniicientes ferebant.* Sed & lib.10. c.26. idem Ælianus habet: *Poſt vaſtam Ægypti ſolitudinem, quam ſeptem diebus tranſiri ferunt, ſecundum viam, quæ ad Æthiopiam pertinet, Cynocephali homines habitantes ex venatu Dorcadum & Bubalorum viuunt, nigro aſpectu, capite & dentibus caninis præditi ſunt: vocis quidem expertes ſunt, ſed ſtrident acute, infra barbam mentum poſſident ſic promiſſum, vt ſerpentium ſimile id eſſe videatur; eorum manus robuſtis vnguibus & acutis armantur, ſimiliterque toto pectore, vt canes hirſuti habentur, atque etiam pedum celeritate valent.* Libro quoque eodem cap.31. vt humanos mores mentemque, ac rationem Cynocephalis ineſſe demonſtret, ſic ſcribit: *Cynocephali eſculenta teſtaceis inuolucris circum veſtita reperiant, cuiusmodi ſunt amygdala, glandes, nuces excernunt, præclare intelligentes intima quidem eſculenta eſſe, extima vero reiici oportere: vini item potione veſci non recuſant, atque etiam carnibus, vel elixis, vel aſſis exſaturantur, & his quidem recte ac ſuauiter apparatis magna delectatione afficiuntur: contra ex non accurate elixis valde offenduntur; veſte indui mirifice gaudent, ac ſi eorum catulos etiamnum perparuulos ad mulieris vbera admoueas, tamquam pueruli lac exugunt.*

TH. Probanda igitur adeo eſt hæc de Cynocephalis ſententia, vt pudeat tot authoribus refragari, quandoquidem iidem etiam in Europam delati viſi ſunt, in ſummorum Regum ædibus. Nam Vinc. ſpec. natur. lib.31. cap.126. id tradit his verbis: *Ætate* (inquit) *noſtra delatum eſt Regi Franciæ Ludouico monſtrum, aut homo canino capite, cætera membra corporis habens vt homo, crura quidem humano more nuda, manusque & brachia, collum album ac nudum, dorſum vero piloſum, erectus vt homo ſtabat, & vt homo ſedebat, coctis carnibus veſcebatur, vinumque libentiſſime bibebat, & ita decenter ac modeſte ſicut homo, cibum manibus capiebat, & ori ſuo inferebat, genitale membrum habebat vltra quam corporis moles exigebat, puellis ac fœminis libentiſſime iungebatur, & in ſexu viri ac fœminæ diſcretionem præ ſe ferebat, cumque pacatum erat hoc animal inſtar hominis mitiſſime ac decentiſſime ſe gerebat: at vero furiis agitatum crudeliſſime commouebatur, & in homines ſæuiebat.*

EQ. Num autem huiusmodi homines ſunt, rationisque capaces, & ideo ſalutis æternæ, aut damnationis, reſurrectionisque futuræ participes?

TH. Sanctus Auguſtinus ſi recte perpendatur lib.16. cap.8. de Ciuit. Dei, videtur huic quæſtioni reſpondere his verbis: *Quisquis vſpiam naſcitur homo, id eſt, animal rationale mortale, quamlibet noſtris inuſitatam ſenſibus gerat corporis formam ſeu colorem, ſiue motum, ſiue ſonum, ſiue quamlibet vim, qualibet parte, qualibet qualitate naturæ ex illo protoplaſto vno originem ducere nullus fidelium dubitauerit.* Sed ad Fratres in eremo ſermon. 37. ſcribit, ſe ad monſtra caput non habentia & oculos in pectore habentia, ac monoculos ferendi Euangelii cauſa profectum, cum noſſet eos gentilitatis errore implicitos, & ratione alicuius tametſi falſæ religionis duci. Rationis igitur veſtigium mentisque, ſi in eo dignoſcatur, inter homines adnumerari poteſt, atque vſu (quamuis ſylueſtris naturæ) aliquo, temporisque intercapedine fieri docilis habilisque diuinis rebus, eisque pedetentim aſſuefieri: & ideo in die reſurrectionis reſurrectura ſunt monſtra omnia, reformatis membris in decoram, cœloque dignam formam, vt ſcribit ſanctus Auguſtinus in Enchir. ad Laur. cap.87. & 91. Propterea ſi eos, qui abſque capite ſunt, oculos in pectore habent, abſque dubio æternæ ſalutis eſſe capaces, rationeq; pollere iam cum

Monſtra an ſalutis æternæ capacia.

nouerimus ex S. Auguſtino ad Fratres in eremo, & reliqua monſtra ſimilia poſſumus in eundem numerum referre.

EQ. Ego vereor, ne(etiamſi veſtigium aliquod rationis habere videantur huiusmodi) à feris progeniti ſint: nam & ab hominibus & à feris huiuſmodi gigni compertum habemus. Ælian. etenim hiſt.anim.lib.6.cap.41. ſic habet: *Hircus ob riualitatem in vrbe Sibari adoleſcentem paſtorem occidit, quod capram adamaret, & ei coiret: nam ex ea natus eſt Syluanus infans humana facie, ſed caprina habens crura.* Cui accedit & Plin. Æliano vetuſtior, ſcribens lib.7.cap.2. Homines feris coire, atque inde gignere monſtra.

TH. Criminis culpa aliquando miraculo oſtenditur non ſolum vt ſupra diximus de anſerino collo & capite in Roberti Regis ob anathematis & inceſtus crimen, verum ob nephariam admixtionem. Alexandro enim Sexto Romano Pontifice mulier, quæ canem admiſerat, caninam progeniem prægnans edidit, cuius criminis cauſa ſubiens pœnitentiam, Pontificem adiit, ab eoque pro expiatione diploma impetrauit: quam rem, cum Romæ degeret Raphael Volaterranus, contigiſſe, diplomaque ſe vidiſſe teſtatur lib.24.tit.de Veſſica. Vnde & illud Æliani veriſimile eſſe coniicere licet, præſertim ex eo, quod idem Ælianus habet lib.7.cap.18. In vrbe (cuius nomen præ reuerentia reticendum eſt) mulierem adulterii ob prægnantem ventrem accuſatam fuiſſe tradit, neque alium adulterum adinuentum, quam canem: quod ſi culpa abſit, prodigioſum tamen fuerit, ſicut contigit Martino IV. Rom. Pont. quando infans vrſi modo piloſus, & vnguibus armatus editus eſt: quamobrem Pontificis iuſſu Romæ vbique vrſorum imagines obliteratæ ſunt. Bergomas. Appendix Vincentii. Leonem præterea mulier in Conſtantienſi diœceſi Nicolao III. Roman. Pontifice peperit, vt Appendix ad Vincentium tradit. Sed de his hactenus.

Homines oculos retro habentes.

EQ. Nunc de ſingulis membris agendum, & primum de oculis. De humanis oculis mira produntur: nam præter id, quod iam diximus, de iis, quorum oculi ſunt in pectore, aut humeris; compertum eſt aliquando qui eos retro inuenti ſint habere; id enim habet Plinius lib.11.c.52. *In Ægypto* (inquit) *enutritum fuiſſe hominem binis, & in aduerſa capitis parte, oculis, ſed iis non cernentem.* Sed id cum ſingulare monſtrum fuerit, non adeo admirandum eſt, vt ſi gens eiuſmodi aliqua reperiretur.

PH. Natura id effeciſſe potuit, præ virtutis imbecillitate, cum non valuerit oculorum ſemina vſque in anteriorem partem tranſmittere: non enim eſt dubium, oculorum neruos in occipiti radices habere; quamobrem inde oculorum morbi remedia à Medicis recipiunt, ideoque ibi natura oculos illi monſtro prodidit, imbecilla ad tranſmittendam virtutem vſque ad ſincipitis fontem.

Monoculi.

EQ. Monoculos igitur facere videbitur natura ob imbecillitatem, ſeu penuriam materiæ, aut ſpiritus. At Monoculos legi fuiſſe Philippum Macedonem, Annibalem Carthaginenſem, Sertorium Hiſpanum, ac Ziſcam Boëmum. Krantzius Vand. libro 12.cap.33.

PH. Ii non fuere monoculi, ſed luſci ab euentu, non à natura facti; ideo non agemus de ſingulari monſtro monoculo, quia monſtrorum nulla adhiberi ratio poteſt, libet de gente monocula ratiocinari. Eam eſſe ſcribunt non contemnendi authores. Aulus Gellius noct.att.lib.9.cap.4. teſtatur, ſe peruetuſtis authoribus didiciſſe, apud Scythas quoſdam eſſe vnum oculum habentes in frontis medio, qui appellantur Arimaſpi: Solinus autem cap.19. *Arimaſpi* (inquit) *circa Besglithram (non longe*

longe à Caſpio mari) poſiti, vnocula gens eſt: Sed & cap.32. *Æthiopum* (inquit) *occidentem verſus ſunt Agriophagi, qui ſolas Pantherarum & Leonum carnes edunt, Rege præditi, cuius in fronte oculus vnus eſt.* Quin cap.53. *Legimus*(ait)*monoculos apud Indos naſci, ſingulis cruribus, & ſingulari pernicitate, qui vbi defendi ſe velint è calore, reſupinati plantarum ſuarum magnitudine inumbrentur.* Plin.l.7.cap.2. Vnoculos media in fronte & Arimaſpos dicit: ſicut enim abſq; vtroq; oculo naſci homines contingit, vt Liuius teſtatur dec.4.lib.4.aſſerens Arimini ingenuos pueros ſine oculis, ac ſine naſo natos fuiſſe: ac ſicut etiam teſtatur Zonaras in Mauritio, natum in Thracia puerum ſine oculis, ſine palpebris, ſine manib.& brachiis, cauda piſcina vsq; ad coxendices ſurſum porrecta: nil prohibet naſci poſſe homines vno abſq; oculo.

TH. Iſidorus itidem habet lib.11. c.3. Cyclopes Indos monoculos aſſeuerans: Verum de Polyphemo, deque eius admirandis, quæ Poetæ tradidere fabuloſa eſſe, non eſt ambigendum, teſte ipſo Seruio in libro 3.Æneid. Figmenta enim poetica eſſe aſſerit.

EQ. Non tamen fabuloſum eſt monoculos eſſe: quandoquidem Fuluio Torquato Conſules aduerſus Volſcos, è Mauritania Romam aduectus eſt homo monoculus, in Ægypti vaſtiſſimus eremis interceptus, qui per vrbem circumferebatur ſpectandus miraculi gratia: contigitq; ob eam rem quiddam memorabile. Macrina etenim Torquati vxor pudicitiæ eximiæ mulier, quamdiu abſens fuerat vir, nusquam ſe ſpectandam exhibuit, neq; è ianua. Cum igitur monoculus circumferretur, forte ante Macrinæ ædes adductus eſt; tum ancilla miraculũ detulit ad Macrinam, eamq; ad inſpectandum inuitauit. Illa (tametſi videndi monoculi cupida) mori potius præ animi curioſitate voluit, quam ſe præ ianuis exhibere: vti narrauit M. Aurelius Fauſtinæ vxoris familiaribus colloquiis, quæ habentur apud Mundognetum in vita eius lib.2 c.22.

TH. Neq; incredibile eſſe monoculam gentem reperiri, videtur ſenſiſſe S. Auguſtin.de Ciuit.Dei lib.6.c.8. Sed ad Fratres in Eremo ſerm.37. ſeſe gentem huiusmodi vidiſſe ſuis verbis teſtatur: *Ego iam Epiſcopus Hipponenſis eram, & cum quibusdam ſeruis Chriſti ad Æthiopiam perrexi, vt eis Sanctum Chriſti Euangelium prædicarem, & vidimus in inferioribus Æthiopiæ partibus homines vnum oculum tantum in fronte habentes, &c.* Quem locum etiam citat Fulgoſ.lib.1.de mirac. Zonaras quoq; in Michaele Ducis filio tradit Cõſtantinopoli infantem proditum caprinis pedibus, ſimul etiam monoculum. Sed de iis hactenus.

PH. Non vacat miraculo id etiam, quod habet Gell.lib.9.cap.4. Homines eſſe, quibus binæ papillæ ſint in ſingulis oculis, & maſculorum & fœminarum, interimereque quos diutius irati viderint. Eos quoque in Illiriis eſſe: Plinius autem eos eſſe non ſolum in Illiriis, verum etiam in Triballis, atque in Scythia, quæ vocatur Bithya, ſed & in Ponto tradidit, habereque in vno die ex oculis equi effigiem. Ita ille lib.7. cap.2.

EQ. De auribus quoq; hominum mira produntur: Mela enim lib. 3. c.3. affirmat his verbis: *Satmalı ſunt in Inſulis Septentrionalibus, quibus magnæ aures, & ad ambiendum corpus omne patulæ, nudis alioqui prouectæ ſunt.* Præterquam quod fabulis traditur, auctores etiam, quos ſequi non pigeat, inuenio. *Homines monſtroſis auribus.*

PH. Fabuloſum id cenſet Strabo, irridetque Megaſthenem de auribus huiusmodi ſcribentem. Attamen Mela (vt dictum eſt) ſe habere auctores teſtatur non contemnendos: & vt ego opinor, non abhorret à vero ſi ſcriptorum numerus,

atque authoritas perpendatur, cuiusmodi Megaſthenes vetuſtiſſimus. Cui accedit Solinus.cap.21. *Eſſe* (ait) *Inſulas, & Faneſiorum gentem, quorum aures adeo in effuſam magnitudinem dilatentur, vt reliqua viſcerum illis contegant, nec amiculum aliud ſit, quam vt membra membranis aurium veſtiant:* Quibus & Plin. adſtipulatur lib, 4.cap.13. *Circa Pontum* (inquit) *Inſulæ ſunt Schythicæ, vbi Faneſiorum gens nudo alioqui corpore, tam grandes aures habet, vt tota ipſorum corpora contegant:* Sed & lib. 7. cap.2. probat in Indiæ ora non longe à Taprobana eſſe homines, qui ſe totos auribus contegant.

TH. Horum teſtimonia omnia peruetuſta ſunt: At non deſunt recentiora: Nam pręter id, quod Iſidorus idem affirmat lib.11.c.3. Maximilianus Tranſiluanus apud Ramuſ. Tomo 1. tradit in Inſula Gilon, quæ intra Moluchas adnumeratur, gentem eſſe, cuius tam grandes auriculæ ſunt, vt ad humeros propendeant: quin & alia ibi proxima Inſula adeo patentibus auriculis eſſe tradit, vt altera iaceant, altera vniuerſum corpus obtegant, ibidem Maximilianus. Accedit huic Eques Pigafetta apud Ramuſ. tom.1. Quibusdam Inſulis non admodum remotis ab Inſulis Latronum, adeo longas hominibus auriculas eſſe tradit, vt brachia tegant: Quinimo idem Pigafetta aſſerit inter Moluchas Inſulam quandam adnumerari, cui nomen Aruchetto: in ea homines, & mulieres cubitales eſſe, ſcilicet adeo expanſis auriculis, vt in altera extenſi iaceant, altera tegantur; alioqui nudi incedunt, detonſi, mira pernicitate valentes.

PH. Hoc naturæ miraculum fuerit. Sicut enim quod alibi datur, alibi diminuitur, incongruum non eſt opinari, huiusmodi aurium immenſitatem inde effici, ꝙ corpora perexigua ſunt: idq; humor, qui proceritati parandus erat, cum craſſior, frigidus ac ſiccus ſit, in multa quantitate abundans, ſeſe in auriculas effundat, quod patet in aſinis, quorum auriculę ob craſſitiem, frigiditatem, ac ſiccitatem humoris præ cæteris animantibus patulæ ſunt.

Homines monſtroſis labiis & lingua.

EQ. Et ipſa etiam labia linguaq; monſtroſis quibusdam hominibus monſtroſa ſunt membra: Mela etenim lib.3.c.4. ſic habet: *Extra Ægypti & Macrobiorū deſerta, muti ſunt populi, & quibus pro eloquio, mutus eſt, alii ſine ſono linguæ, alii ſine linguis, alii labris etiam cohærentibus.*

PH. Et huic accedit Solinus c.32. *Æthiopum* (inquit) *aliquibus concreta ora ſunt, medioq; tantum foramine: nonnulla gens linguis caret, in vicem ſermonis vtentes nutibus, motibusq;:* Adſtipulatur & Plin. lib,6.cap.30, vbi alios ſcribit eſſe ſine linguis, alios nutu tantum loqui, alios in facie vnico eſſe foramine; alios ſine naribus æquali totius oris planitie. Quin & lib.7.c.2. ſcribit, Choromandas ſilueſtres eſſe ſine voce, hirtos corpore, & caninis dentibus; atq; Aſtromoros gentem eſſe ſine ore, hirtos etiam corpore, ſolis odoribus viuere.

Homines elingues & muti.

TH. Scio Strabonem hæc omnia deridere lib.15. Attamen S. Auguſtin. lib. 16. cap.8. de Ciuit. Dei, hanc gentem, quæ ore careat, aut lingua, & ſolo halitu viuat, commemorat, nec incredibile id eſſe aſſerit, ſicut apertiſſimis verbis Iſidorus lib. 11.cap.3. tradit, gentem eſſe abſque lingua nutu tantum vtentem, atq; aliam quoque concreto ore, vt nihil eloqui vlla ratione poſſit. Quamobrem non adeo à veriſimili id abhorret, quandoquidem vel ipſo etiam Plinio teſte lib.5.c.8. Troglodytæ ſermone carent; vnde vel lingua careant, neceſſe eſt, aut vſu eius. Eſt quidem lingua à Deo creata. Exod.4. vt homo homini, Deoq; ſua deſideria, mentisq; conceptus communicet, nobiliſſimum animæ inſtrumentum, futura explicet vti præſentia, præterita quoque quaſi præſentia repræſentet. Attamen & ipſe idem mutos facit

facit Exod.4. Vnde & credibile huiuſmodi gentem eſſe poſſe. Cui tamen poſſit & Deus eloquentiam dono ſuæ gratiæ concedere; vt quod muti miris modis nutibus mentis conceptus explicent, vti quotidie experimur, ita & vocis ſono ediſſerant. Sæpe tamen miraculo Deus etiam eloquẽtes mutos reddit, quod in Zacharia Diui Ioannis patre perſpicuum eſt: Quandoq; autem nimio dolore id accidit homini, vt elinguis fiat, quod accidit Secundo Philoſopho, qui cum ob longam abſentiam matri de facie non agnoſceretur, maternam pudicitiam experiri voluit: admiſſus eſt velut extraneus ad cubile, abſtinuit autem ab omni complexu & fœditate, quin ſe eius filium prodidit: Eam ob rem mater pudore conſternata animam mox efflauit, ipſe vero perpetuum deinceps ſilentium ſeruauit, non ſecus ac mutus. Alber. Magn. anim. lib.8 tract.5.c.2.

EQ. Mutam naſci gentem aliquam recentiorés, qui orbem perluſtrarũt, etiam teſtati ſunt. Petrus enim Martyr in Hiſpaniola Occidentali Inſula in prouincia Guaccaiarima ſilueſtres homines compertos ait, abſq; vllo proprio idiomate, abſque legibus, abſque commercio Poſſe autem Dei miraculo loqui, ſi ita diuina gratia largiatur, vel inde pateat, quod Cræſi filius locutus eſt, cum miles Cræſum eius patrem non agnoſcẽs, euaginato enſe fuiſſet aggreſſus, ita dicens: Ne occidas, Cręſus enim Rex eſt: vt tradit Herodot. lib.2. Quãquam ex Plin. lib.11.c.51. hunc Cræſi filium patet ſolo ſemeſtri natum locutum fuiſſe. Sed Aul. Gell. lib.5.c.9. Herodoti hærendum putat. Addit & aliud commemorabile idem Aul. Gell. Ægelem Samiũ perpetuo habitum elinguem, cum in ſacro certamine ab aduerſariis non bona fide ageretur, ſed falſa ſors ſubiiceretur, magno clamore conqueſtum ita linguæ vincula diſrupiſſe, vt poſtea ſemper explicate ſit elocutus.

TH. Sunt hæc ſane memorabilia, ſed admirandum, ſi abſciſſa lingua quis loquatur, cuiuſmodi ex Procopio narrat Euagrius lib.4.c.14. Libycos Epiſcopos ab Arrianis linguæ abſciſſionem paſſos fuiſſe, eosq; Conſtantinopolim profugiſſe, ibiq; perinde locutos exciſſis radicitus linguis, articulata voce, ac ſi nihil tale perpeſſi fuiſſent, Procopio eos audiente: Miraculi autem veritatem inde patere, quod dum à mulieribus abſtinerent huiuſmodi Epiſcopi, gratiam locutionis ſeruarunt ſemper; at vbi eorum aliqui ſunt mulieribus commiſti, tanto dono priuati ſunt, vt ibi Euagrius. Et Victor Vitenſis Epiſcopus illius temporis ſcriptor perſecutionis Vandalicæ lib.3. idq; confirmat B. Greg. dialog. lib.3.c.32. Sed & apud Perſas idem contigit, vt Chriſtiani vi tyrannica amiſſis linguis luculenter elocuti ſint ſub Anaſtaſio Imperatore, vt habet Niceph. lib.16.cap.36.

EQ. Non minora fuere miracula, quando infantes, quibus nec mens, aut rerum vlla cognitio ineſt, nec linguæ vllus vſus, locuti ſunt magno hominum commodo. Sicut de Daniele Abbate contigiſſe narrat Sophronius prat. ſpirit. cap.114. *Infantes loquuti.* Cum enim Daniel inſimularetur ab aduerſariis adulterii, quoniam cum quidam prolis ſterilitatem paterentur in coniugio, ac per Danielis orationem prolem ſuſcepiſſent, retorquebãt aduerſarii quidam turpitudinem in ipſum beatum virum. At ipſe accedens ad infantem iam 25. diebus tantum in lucem editum, interrogat coram omnibus: Num ego pater tuus ſum, an alius? Infans apertis verbis, & nutibus patrem verum oſtendit. Cui rei, & alia accedit, de qua Greg. Turon. Hiſt. Gall. lib.2.c.5 Cum Britius Epiſcopus eiuſdem criminis inſimularetur, ſimili interrogatione ab infante apertis verbis purgatus eſt. Sed & alii, vt dicemus in iis, quibus mirabilia acciderunt.

PH. Hæc

Homines bifida lingua.

PH. Hæc ſola Dei gratia facta ſunt, naturæ vi ceſſante; At illud admiror, quod Diodorus de Iambolo ſcribit, vt eſt apud Ramuſ. Tom. 1. Teſtatus eſt enim homines in Inſula quadam Meridionali fuiſſe compertos bifidæ, atque biſulcatæ linguæ, oſſiumque mobilium, & qui pluribus ſimul reſponderent, vti iam paulo ante diximus.

TH. Non fuerit abſque myſterio hanc rem interpretari ex ſacris literis; duplices enim, & inconſtantes, doloſi quoque ſignificari videntur. In Pſalmo etenim ita habetur: In corde locuti ſunt: vt ſic duplicibus linguis reſpondeant, ei ſcilicet cum corde verba pronunciant, & ei, cum quo occulta cordis fraude intendunt: Bilingues etenim hos ſcriptura nuncupat: nam & ſerpentibus bifidas linguas compertas aliquando differemus.

EQ. Recte equidem, ſed ad loquendum non ſola lingua, ſed ad labia plurimum conferunt: propterea non miror obtumeſcere eos, qui labiis vel carent, vel inutilia ad motum habent. Plin. enim lib. 6. c. 30. tradit intima Orientis parte gentem eſſe ſine ſuperiore labro, vnde verbum explicare eos non poſſe apertum eſt.

TH. Idem fuerit, ſi ſine inferioris labri vſu gens ſit: Nam Iſidorus tradit gentem eſſe, cui inferius labrum tam grande ſit, quo tota facies contegi poſſit: ita ille lib. 11. c. 3. Cui recentiores qui orbem perluſtrarunt, etiam ſuffragantur: Aloyſus enim Cadamuſtius gentem eſſe ſcribit Æthiopicam, cui nomen eſt Azanaghi, labio inferiore eſſe valde propendulo: Idq; eos ſale condire, ne putreſcat aeris infectione: propendet autem huiuſmodi labrum vltra vlnæ menſuram: ideoque gentem illam mutam eſſe teſtatur.

PH. Forſitan ea gens barba carens labrum huiuſmodi pendulum nutrit: In barba enim nutrienda gentes ſæpe inſaniunt; nam in fluuio Gargaro Inſulæ, quam Hydrophagi incolunt, barbam ad vsque genua nutriunt. Bocat. Fluuio Gargaro.

EQ. Hos omnes vere homines eſſe etiam qui linguæ vſu careant, non eſt ambigendum, quoniam reliqua forma corporis hominem referunt, & rationis vſu non ſunt expertes: ſed vereor, ne quæ de Satyris dicuntur, pudeat inter colloquendum differere.

Satyri. Semiferi.

PH. Mela lib. 1. c. 3. in Aphrica eos, & vix homines eſſe ſcribit Semiferos appellat, ſed & c. 4. *Satyris* (inquit) *præter effigiem nihil humani*. At lib. 3. c. 4. *Panum* (inquit) *Satyrorumq; hinc opinio cauſæ fidem facit, quod nocte crebri ignes emicant & velut caſtra late iacentia oſtenduntur in Athlantico monte; crepant cymbala & tympana, audiunturq; tibiæ ſonantes malis humanis*; Cui etiam Solinus ſuffragatur c. 26. at apertius c. 33. quando Satyros teſtatur nihil præferre hominis aliud, quam figuram.

EQ. Plinius idem aſſerit lib. 5. cap. 8. vultu excepto, humani nihil eos habere. At lib. 7. cap. 2. *Subſolanis* (inquit) *Indorum montibus* (*Cartadulorum dicitur Regio*) *Satyri ſunt perniciſſimum animal, tum quadrupedes, tum recte currentes humana effigie propter velocitatem, niſi ſenes aut ægri capiuntur.* Et ideo Ælianum pro belluis habere eos cenſeo ex iis quæ habet lib. 16. *Ad Indiæ* (inquit) *montes Coruda locus eſt opaciſſimus, vbi beſtiæ Satyrorum formam toto corpore hirſutæ equi caudam habent, & à ſummis montium ſaxa deuoluunt venatoribus.*

TH. Homines eſſe eos, & rationis compotes quis audeat atteſtari. Veruntamen, ſi de ea re in Eccleſiaſticis rebus agere oporteret, experimento res percipe retur: Si enim in huiuſmodi ſigna aliqua, quamuis modica rationis poſſent appa- rere,

rere, vt non brutum, ſed ratione animal prædictum dignoſceretur, hominem fateri oporteret: atque ex Adam (tametſi natura corrupta) profectum: Ideo Iſidorus lib. 11. c. 3. ſcribit gentem reperiri, cuius pars ſuperior hominis ſit, inferior belluarum: quin aperte etiam tradit gentem eſſe, quæ humano ſit corpore, equinis autem pedibus conſpiciatur: ſentire igitur videtur homines eſſe huiuſmodi poſſe.

Hippopodes homines,

PH. Et Mela, & Solin. non videntur diffiteri homines eſſe poſſe equinis etiam pedibus: Mela etenim lib. 3. c. 3. In Inſulis Oonis Septentrionalis maris ſunt Oones (inquit) qui equinis pedibus ſunt, Hippopodes dicuntur: Cui adſtipulatur & Solinus c. 21. dicens: Hippopodes humana vſq; ad veſtigium forma in equinos pedes deſinunt; expreſſim vero homines eſſe huiuſmodi, qui apud Oones naſcuntur equinis pedibus explicat Plin. lib. 4. c. 13.

TH. Quamobrem, ſi in eis rationis vigeat veſtigium aliquod, pro hominibus & nos habebimus. Nam & Sanctus Auguſtinus de Ciuit. Dei, lib. 16. cap. 8. tradit. Apud Hipponem natum eſſe hominem, quaſi lunatas habentem plantas, & in eis binos tantummodo digitos, ſimiles & manus: ſi aliqua gens talis eſſet, illi curioſæ atque mirabili adderetur hiſtoriæ. Hæc ille. Hominem igitur illum dixit Auguſtinus.

PH. Licebit igitur credere Plinio aſſerenti lib. 7. c. 5. Se ſub Claudio Cæſare vidiſſe Hippocentaurum (cuius anterior pars hominis eſſet, poſterior equina) allatū ex Ægypto in melle: qui in Theſſalia natus fuerat.

Hippocentaurus.

TH. Et id eſſe poſſe Dei miraculo, fateri nos oportet: ſed hominem eſſe, vt iam diximus, ab rationis vſu perdiſcere oporteret: non enim à pedibus, reliquisq; inferioribus partibus, ſi hominis non ſint, putandum ſtatim eſt, hominem deſinere eſſe, quia in hominis formam corpus non deſinit. Nam & gentes apud Indos repeṙiuntur vno tantum pede, ſaltuatim, perniciterque currere, nec poplitem flectere, Sciopodasque nuncupari, quod per æſtum in terra iacentes reſupini vmbra pedum protegant, vt iam diximus ex Solino cap. 53. fuiſſeque pictos in foro Carthaginenſi iuxta portum teſtatur S. Auguſtin. lib. de Ciuit. Dei, 16. c. 8. neque id incredibile eſſe profitetur. Habet eadem & Plin. lib. 7. c. 2. Gell. lib. 9. c. 4. Iſidorus lib. 11. cap. 3. Et Solinus eod. cap. 53. monoculam eam eſſe gentem teſtatur, vt vel hinc patere poſſit naturam penuria materiæ pati, tum in efformandis oculis, manibus ac cruribus, ac reliquis membris: membra enim, aut ſuperfluunt, aut deficiunt plerumq; pro portione materiæ. Licet enim ego ſentiam huiuſmodi, quib. vnum pedem eſſe ſcribunt, duo crura, ac pedes concretos fuiſſe; tamen & vnicum eſſe, non eſt incredibile. Sicut Aretii puerum, vna tantum manu natum teſtatur Liu. dec. 4. lib. 5. & alterum in Piceno vtraque manu, atque vtroque pede carentem. Liu. ead. decad. 4. lib. 4. Et è conuerſo ob ſeminis redundantiam ſuperflua habere membra, vt Byzantii, puerum quadrupedem natum eſſe Platina ſcribit in Sabiniano primo Papa, ſicut & alter denos digitos ſingulis manibus, vt habet Zonaras 7. 2. In Octauio Auguſto.

Sciopodes.

Eadem præterea ex cauſa materiei penuria accidit iis, qui Tartaricis quibuſdam locis comperti ſunt vnico in pectore brachio eſſe, vnicoque crure ac pede: ſagittariorum tamen officium implere binos ac binos, dum alter arcum, alter ſagittam vibrat: ſunt ii miræ pernicitatis, quandoquidem manu ſimul, ac pede tanta celeritate currunt, vt equos anteuertant; cum autem brachio defatigati fuerint, pede tantum ſaltibus currunt: Id recolit Ioannes Apoſtolicę ſedis Legatus ad Tar-

Homines vna manu & vno pede.

 taros

taros,& alii Nuntii eiusdem ſedis,& tandem Vincent.hiſt.lib.31.cap.16.Anton.tit. 19.cap.8.18.lib.1.cap.14. Quandoque vero inuenti ſunt, qui vtraque manu caruerint, quibus pedes manuum officium exhibuerunt: Quod ſæpe nos in Italia vidimus: Mulieri id accidit, pede cibum ori admouens, ſcribens, ſuens, nens, arcum, ſagittamque vibrans, nulla prorſus minore agilitate, quam reliqui manibus: Huiusmodi autem non pauci conſpecti ſunt in Regia magni Cam, vt tradit Oder. poſt. ante fin.

Homines ſine brachiis.

EQ. Idem iudicium fuerit de illa gente, quæ in monte Milo, ſeu Imao naſcitur *auerſis quidem plantis, ſed octo digitorum*, cuiusmodi Solinus habet eod. c.53. vt Plin. eod.lib.7.c.2. Gell.lib.9.cap.4. Iſid.lib.11.cap.3. At ſi plantæ menſuram longe excedant corporis proportionem, nihili referre putarim, ſicuti Indis quibusdam viris quidem plantę cubitales ſunt, fœminis vero adeo paruæ, vt ſtruthopedes appellentur. Plin.lib.7.c.2.

TH. Quin etiam de iis fuerit idem iudicium, quibus caudam eſſe, lenem quidē, abſq; villis in prouincia Lambri iuxta Lauam, perlongam in vlnæ menſuram, vti ſcribit Marcus Polus lib.5.c.15. Sicut etiam de illis quibus caudam, ſed villoſam eſſe, miræq; pernicitatis eſſe teſtatur Plin.lib.7.cap.2.

Homines caudati.

Pauſanias quoque libr. primo de region. Græcor. memorat. In extremis Oceani oris nautas tempeſtate delatos per Inſulas Satyridas vidiſſe gentem ruffam, cauda non minore quam equis ſit habentem, in clunes propendentem. SED & in Anglia cum miſſus à Gregorio Magno Auguſtinus verbum Dei prædicans, irriſioni eſſet genti in Doroceſtria, qui ranarum caudas veſtibus illius appendebant: gens illa cum poſteris caudas ſicut pecudes referunt habere, Guiliel.Nang.Geneb. in Gregorio Magno.

Gens Anglica quadā caudata.

EQ. Si quando autem natio reperiatur humana quidem facie, quæ nil adoret, nil cum religioſis habere videatur. Num ideo ſtatim cenſenda eſt irrationalis, belluinaq; natio, carereq; ratione ac mente? Nam non ambigo reperiri animantia humana facie, præcipue vero ſimias in Corſica natas, quas ad humanam fere effigiem eſſe tradit Procopius Bel.Gott.lib.1.

PH. Si gens fuerit, quæ eo impietatis peruenerit, vt humani officii obliuiſcatur, homines eſſe non deſinunt, neque impoſſibile cenſendum eſt eos poſſe ad meliorem frugem conuerti ſi alliciantur: Mela enim huiusmodi homines ſcribit.lib. 3.cap.4. Hirſutos toto corpore præter capita ferarum more eſſe Carmanios, qui ſine veſte, ac fruge, ſine pecore ac ſedibus, piſcium cute ſe velant, carneq; veſcuntur. Cui accedit, & Solinus cap.32. qui ſcribit Arthabatritas pronos, atque quadrupedes, non ſecus, ac feras ſine ſedibus euagari. Quin & cap.33. addit Athlantes ab humano ritu prorſus exulare, nulli proprium vocabulum, nulli ſpeciale nomē eſt. Ac præterea Mantopodas flexis niſibus crurum repere, potiusq; incedere, & pergendi vſum lapſu magis deſtinare, quam ingreſſu. Inſuper quoq; cap.53. ait: Silueſtres quosdam eſſe hirtos corpore caninis dentibus ſtridore eſſe terrifico apud Indos. Iii tamen omnes ſenſim perſuaſi, ad rationis plenum vſum traducerentur: vti ab Antropophagia, tam in Orientali, quam in Occidentali Indicis regionib. hoc noſtro ſeculo Ieſuitarum opera præſtitum vidimus.

Homines ſilueſtres, piloſi.

TH. Hæc quæ commemorata ſunt de Arthabatritis, ex Solino, eadem habet Plin.lib 6.cap.30.& ex eodem de Mantopodum gente, habet idem Plin.lib.5.c.8. & Iſidorus lib.11.c.3. Attamen rationis mentiſq; vim adhuc in illis vigere, nemini dubium

dubium eſſe debet: quandoquidem (vt alias diximus) diuinæ bonitatis clementia multa fieri permittit in humani generis culpis corrigendis, aut puniendis, quæ ferarum ſimilitudinem gerunt, vti exemplo Nabuchodonoſor Rex, Daniel. cap. 4. qui toto ſeptennio (vt alias diximus) cum feris ferarum modo vixit, ad elationis ſuæ culpam deprimendam.

EQ. Et ſane, quia humani generis criminum colluuies in immenſum defluxit, ita huiusmodi gentis ſilueſtris, qualibet orbis propemodum parte, comperta eſt: Nam præter eos, quos ex Solino & Plinio, atque aliis commemorauimus, in Inſula Buthuan, piloſi, feri, atque Antropophagi ſunt, vti ſcribit Pigafetta: ii etenim occiſorum hominum crudum cor deuorant. Sed & infra Antarcticum polum Silueſtrem gentem eſſe ferarum more viuentem, palam & vbique fœminis commiſcentem, nihil adorantem, nudamq; incedentem teſtatur Veſpucius. Iuxta quoq; Nilum quibusdam montibus, atque deſertis ferarum more, herbis viuere gens comperta eſt, vt ſcriptum reliquit Meshudius hiſtoricus, relatu Leonii hiſtorici Aphricani p.9. Quibus comparandi ſunt, quos idem Leonius refert absque omni religione viuere, in Borno Aphricæ prouincia, neq; enim ſibi nomina imponunt, ſed ab aliquo euentu dignoſcuntur. Sunt & Chelenophagi, ſilueſtres, hirſuti, præter faciem quæ lenis eſt toto corpore, veſtiuntur coriis piſcium, vt habet Solin.c.55. & Plin.lib.6.cap.24. Gorgones quoq; hirto ſunt corpore, mira pernicitate valentes, Plin.lib.6. cap.31. Quibus accedunt quos retulit ex peruetuſtis ſcriptoribus Aul. Gell.lib.9. c.4. videlicet quosdam hirtos eſſe corpore, non villis, ſed auium more plumantes eſſe. Sunt præterea qui ſcribunt Tartaricam quandam gentem ſilueſtrem eſſe, habitareque deſerta, irrationales videri, quod ad rem propoſitam nil reſpondeant; in cruribus ii carent flexu poplitis, cum etenim ceciderint, ſoli nequeunt exurgere, vt ii tradiderunt, qui Apoſtolicæ Sedis nomine, legatione apud Tartaros functi ſunt ante annos ab hinc trecentos de rebus Tartaris lib.1.cap. 6. Quin huiusmodi ſilueſtres, totoq; corpore hirtos alii in Regia magni Cam intra hortos, recolit Odericus poſterior ante finem. Et certe quandoque hominum genus ad tantam fœditatem deprimitur, illuſa à Dæmonibus, vt ad ipſas belluas proxime accedat: Exemplo ſint nobis Rugiani, qui templum Porenutio Idolo quatuor capitum dicarant: cui inſeruientes, adeo Dæmonum illuſione dementes fiebant; vt in ea vrbe mares cum fœminis in concubitum accitis, canum more cohærere adeo ſolebant, vt nullo modo quantalibet mora interpoſita diuelli poſſent: quin ſæpe vtriq; perticis è diuerſo appenſi inuſitato nexu ridiculum ſpectaculum populo præbuerunt, vt tradit Sax. Gram.lib.14. Quid igitur mirum fuerit, ſi huiusmodi belluinam naturam referant, cum tamen homines ſint mente capti. Silueſtres igitur homines corpore toto hirtos vltra Gades, non procul ab Aphricanis littorib. ſe ſpectaſſe tradit Hanno Carthagin. Sed & Pet.Mart.in Sum. Ind. vt memorauimus in Hiſpaniola noui orbis in prouincia Guaccaiarima. Silueſtres illos homines ſcribit antra ſiluasq; habitare absq; vllo hominum ſocietatis commercio, nudos, ſineq; loquela eſſe: captos numquam cicures fieri, ſine vlla lege viuere, ſolaque de facie homines rationales videri.

TH. Hæc itaque hominum ſilueſtrium genera, quibus rationis veſtigia apparent, docilitate ſenſim in legitimum rationis vſum, Dei gratia accedente traducerentur, cum homines ſint.

EQ. Hæc quæ retulimus, ſunt de hominum feritate terras incolentium; an

idem fuerit de iis, qui aquis degunt, quos difficilius putabimus humana mente præditos eſſe?

Piſces humana forma.

TH. Refert plurimum, ſi quæramus in hac diſputatione definienda, an piſcis ſit qui humanæ formæ ſpeciem gerat, an homo mari aſſuetus inter piſces, quaſi familiaris natãdo viuat. Nam humana forma piſces repertos, aliquando differemus, quum de piſcibus oportunitas ſe offeret colloquendi: Homines vero aquis degiſſe, iam ſæpe compertum eſt. Ideoq; pro hominibus habere non deſinunt, quod aquis cum piſcibus degant: & extra aquas viuere nequeant.

Natandi peritia.

PH. Ichthyophagos non ſecus quam marinas belluas nando in mari valere ſcribit Solin. c.58. hoc autem ad virtutem ſpectat, nil humanitati detrahit, ſed addit: Nam nandi peritiam etiam priſci probarunt, adeo vt Prouerbio datus ſit locus in deſignando ignauo homine: *Neque natare, neque literas didicit*. Propterea Cæſar, qui nulli hominum vlla in re virtute inferior fuit, natãdi peritiam eximie callebat, quandoquidem iuxta littus Aphricanum non procul Alexandria nõ paruum maris ſpatium alacriter tranauit, veſtibus pallioq; nihil illi impedimenti præbentibus, cum ſe è cymba in pelagus demiſiſſet læua ſuos commentarios deferens, dextera natans, ore pallium tenens peruenit ad ſuos triremes, Ægyptiorum ſuperuenientem impetum vitans. Suetonio teſte.

Et certe etiam poſteriora ſecula habuere nobilitate pollentes viros, qui natandi peritia inſignes fuerint: nam vt ex multis vnico exemplo ſimus contenti, Siuardus è proceribus Noruegiæ natando ſub aquis loricam exuebat; deinde totus ſubmerſus, veſtimentis etiam omnibus; ac tandem adhuc ſub aquis degens ſubucula, quæ extremum inter veſtes locum habet, ſeſe nudabat; Quandoque in mari pugna quædam cruentiſſima quæſitus eſt, & ex natandi peritia inuentus circa ann. Domini 1054. Krantzius Norueg. lib.5. c.8. Igitur non erunt nobis alio nomine admirandi qui perite natant, quam virtute: ſed de marinis animantibus hic agimus; Tritones autem inueniri, quos homines marinos dicunt, non putarim fabuloſum eſſe, ſicut nec de Sirenis, & Nereidibus, vt in piſcibus profuſius diſſeremus: Alexander enim ab Alexandro lib. genial. 3. cap. 8. in Epiro ſcribit Tritonem hominem marinum repertum, qui è mari mulieres raperet ſolitarias, quæ in littore verſarentur; hunc per inſidias captum, cum membris omnibus hominem referret, oblatum cibum reſpuiſſe tradit, adeo vt fame tabeque fuerit mortuus, vt in alieno elemento.

Tritones, Syrenes, Nereides.

Homines marini.

EQ. Petrus Gellius ſuis libris de animalibus tradit ad Regem Renatum allatum fuiſſe hominem marinum; quod teſtatur Petrus Hiſpal. Silu. p.1. cap.22. Quin & Ludouicus Viues lib.2. de verit. fid. Chriſt. ſcribit in hæc verba: *Ætate noſtra apud Batauos marinus homo viſus eſt à plurimis, qui etiam ſupra duos annos ibi detentus eſt: mutus erat, & iam incipiebat fari, verum bis peſtilentia ictus, in mare eſt remiſſus gaudens, & exiliens.*

TH. Volaterranus autem tradit ante à ſuo ſeculo annos plusquam ducentos, nempe, ſub Gregorio nono, in Apulia vixiſſe hominem adeo marinis fluctibus ac belluis aſſuetum, vt qui antea Nicolaus diceretur, poſtea Colapiſcis fuerit nominatus; de quo & Bugatus ſcribit hiſtoriæ ſuæ lib.3. Sed & in Siciliæ ora homo erat cui piſcis Colanus nomen fuit, à pueritia tanta natandi libidine diu noctuque fluctibus obuerſaretur gaudens, & ad quingenta ſtadia natando perſeuerans, benigne comiterq; nauigantibus occurſans; anxie viuens extra fluctus, ſub Rege Alfonſo

fonſo propoſito natantibus præmio in mare proſiliens, vlterius non emerſit aliquo caſu incognito extinctus. Narrat Alexander de Alexandro lib.11.cap.21. Propterea non deſinunt eſſe homines, qui terreſtri animali quod gerunt addunt & aquatilem. Cæterum quod de piſcibus humanam formam imitantibus attinet, non eſt id ad genus humanum trahendum, quaſi ab Adam deſcendiſſe putentur, ſed piſces ratione carentes ſunt. Quod autem Viues retulit, inde patet eum fuiſſe hominem, quod fari iam diſceret, vnde mentis compos erat, quamquam aſſuetus mari in aliquo elemento, aere deficere videretur: ita & de eo, qui in Epiro fuerat repertus. Quibus accedunt ſpectra, quæ breui interuallo viſuntur. Quod accidiſſe memorat poſt Tiberium imperante Mauritio: Romæ enim exuberante Tiberis inundatione ingens fœtor è ſerpentibus in ripas eiectis exortus eſt, vnde magna peſtis ſubſecuta præ Nili inundatione, varia animalium monſtra apparuere maſculini & fœminini generis, quæ lumbos vsque humanam effigiem referebant, adiurataque per Deum à prima diei hora, vsque ad nonam ſe videnda exhibuerunt. Bonfin. dec. 1. lib. 8. Theophanes, ſed paulo aliter An. Domini 192. apud Anaſtaſium. Certe aſſerere non poſſumus, ea fuiſſe vera hominum corpora, ſed ſpectra.

EQ. Numquid cutis adeo variæ formæ, coloresque ad monſtrum pertinent?

PH. Non puto, cœli in id climata plurimum influunt, Æthiopia nigros, Europa albos, aliæ regiones medio colore, erit potius monſtroſum ex albis naſci Æthiopem, aut ex Æthiopibus album naſci. Propterea quod in Mexico noui Orbis Regia tradit Corteſ. Relat. 2. homines aliquot publice ali, quibus ab ipſo ortu cutis, crines, ſupercilia, ac palpebræ albæ fuerint, valde ibi pro admirando habitum eſt. Ita quoque non erit monſtroſum, quod Pyrro Epirotarum Regi ſuperior oris pars pro dentibus eſſe perpetuo fuerit communita, vt Fulgoſus tradit lib. 1. cap. 6. Quod etiam Sicinio Dentato accidit, vt eſt apud Gellium. Certe vis naturæ plurima fuit, quæ dentium materiam non guttatim, ſed velut redundantem ſimul adeo ſubminiſtrauit, vt concretum os fuerit, atque indiuiſum. Ideoque hominum iſtorum fortitudinem capitis indicauit natura, quæ res experimento poſtea ex vtriusque bellica virtute fortitudineque apparuerit. *Homines concretes dentibus.*

EQ. Quid de iis, qui ſine cibo vixerunt?

TH. Ea res longam ratiocinationem expoſtulat, agemusque aliquandò de ea re, quando admiranda hominibus accidiſſe commemorabimus, niſi forte ii ſint monſtroſi, quales ſunt, qui nullo prorſus cibo vtantur in incomperta noui Orbis Aquilonari plaga, qui & poſtico, quo cibus egeritur, carere traduntur; ideoque ſolo humore viuunt, eiusque egerendi ſedem non habere, vt memorat Iacob Carther. in noua Francia Relat. 2. apud Ram. Tomo 3. *Homines ſine cibo.*

MVLIER
COLLOQVIVM TERTIVM.

EQVES.

PLuuiis adeo ingruentibus oportet nos domi conſedere, neque erit iniucundum, quandoquidem concameratus hic & ſublimis lucus, vti à pluuiis nos tuetur, ita & iucundiſſimum hortorum proſpectum habet. Ac ſicut heſterna nos dies totos detinuit in rebus commemorandis, quæ ad hominem ſpectarent, mulierum

nulla pene mentione facta; non dubitarim (etſi quæcunque de viris iam diſſerueramus, etiam ad ſexum hunc alterum pertinerent) & de Mulieribus nos poſſe longo ſermone diſſerere.

PH. Abſque dubio id ita eſt. Nam & ipſa homo eſt, eiſdemque membris ac lineamentis conſtat, eademque animæ ſubſtantia vtrique ſexui, eadem futura ſalus, & reſurrectio, vtrique eadem ſalutis habendæ lex, vtrique ob culpas, præuaricatamque legem expectanda eſt damnatio: ſicut vtrumque bene agentem quæ præcipiuntur, atque in vera fide perſeuerantem, eadem æterna manet gloria; vtriusque idem eſt author Deus. Sed mulieris materia paulo nobilior eſt, quam viri: hic enim ex luto informi compactus extra Paradiſi locum, hæc in ipſo Paradiſo, & ex nobiliſſima viuenteque Adami ſubſtantia efformata eſt, ex illa videlicet dormientis ipſius coſta.

Mulier homo.

TH. Nobiliore ſane materia, nobilioreque loco compacta eſt Mulier, ideoque & ferendis laboribus delicatior, ſed vt corpore, ita quoque mente eſt imbecillior. Ei enim illud ſufficit pro ſummo labore, pro magnis ſtudiis, ſi generationis humanæ legitimam fœcunditatem ſeruet. Id vnum natura tota ab ipſa expectat, nempe ſpeciei conſeruationem, vt quæ ex homine primum prodiit, à ſe hominem prodeuntem, quaſi in perpetuum ſeruet, corpore annuo fere temporis interuallo ſuis viſceribus cuſtodito.

Animæ autem vtriusque ſexus æquali ſunt ſubſtantia, tametſi corporum omnia membra non ſint conformia: mens enim, ratioque ipſaque anima vtrique ſexui à Deo poſt certa quædam tempora à conceptu, & creando infunditur, & infundendo creatur: ita fit, vt eadem ſpes ſalutis, aut damnationis timor vtrumq; ſexum afficiat. At non ita rebus politicis, ſeculiq; huius curſibus ſors eadem vtriusq; eſt. Virorum eſt regere, ipſarum eſt regi. Mulieris enim caput vir eſt. S. Paulus Epheſ. cap.5. Ac illud eſt valde adnotandum, mulierem non eſſe creatam ad imaginem Dei, Ambroſio teſte ad 1. Corint. ad c.11. quod & Auguſtinus dixit, & alii plerique ex Gen. cap.2. vbi dixit Deus: Faciamus illi adiutorium ſimile ſibi.

EQ. Non ego de iis diſſerendum quæſiui, ſed an monſtroſa hominum corpora, quæ heri enarrata fuerant, etiam mulieribus communia forent.

PH. Nec de hac re eſſe ambigendum exiſtimo, à Gigantibus Gigantes, à Pygmæis Pygmæos, à Monoculis Monoculos gigni, quando ſcilicet huiusmodi gens reperiatur, non autem ſingulari & aliquo prodigioſo euentu.

EQ. An igitur monſtrum cenſendum fuerit illis, ſi genitus fuerit homo perfectis membris, ac forma, vt ita noſtra corpora illis monſtra eſſe cenſeantur?

PH. Quæcunque à deſuetudine fiunt, quia nouum aliquid ibi miratur mens, ratioque hominis, miraculi quandam ſpeciem habet: nam albos & ipſi Mauritani admirantur, nihilominus quam nos ipſos nigro corpore.

Monſtroſi an nos ſimus, an illi quos monſtroſos dicimus.

Sed huiusmodi admiratio (ſicut in moribus politicis contingit ſæpenumero) non poteſt vtrique præbere ius, aut veritatem Iuſtitiæ, ſicut & in diſceptationibus Philoſophicis, neceſſarium eſt alterum veritati inhærere, tametſi vterque ſibi perſuadeat recte ſentire: ita in huiusmodi formis hominum putabant etiam ipſi monſtroſi populi veriorem humani corporis formam ſuam eſſe, monſtroſam autem omnem alienam. At in hoc vti neceſſarium eſt aliquam eſſe veriorem, ita etiam neceſſarium eſt eos falli, qui veram appellent monſtroſam. Ratione igitur atque authoritate, atque ab ipſis veterum monumentis, vel ab ipſo Orbis initio conſtat,

formam hominis, quam nos gerimus, veram eſſe, reliquas monſtroſas, præter altitudinem & breuitatem, candorem & nigredinem, quæ vel à climate contingunt, aut accidenti.

EQ. Scio, & ita cauſam meam ipſe defendo, nos monſtra non eſſe, at potius ipſos: ſed quis fuerit in tanta controuerſia Iudex, ſi res in diſceptationem per populos deformes trahatur?

PH. Ipſa ratio, ipſe vſus ab Orbis origine ac creatione hominis, monumenta vetuſtiſſima, præſertim ſacræ Moyſis literæ, quæ omnem vetuſtatem excedunt, in quibus apertum ſit, eadem forma hominem procreatum, qua nos ſumus hoc cœlo. In aliis regionibus, de quibus diſſeruimus, corruptione membra à ſua forma deflexiſſe.

EQ. Hæc ſane ſufficiunt pro hac veritate perueſtiganda. Sed illud præcipue mihi videtur, rem acu tangere, (vt in prouerbio eſt) quod huiusmodi monſtroſis corporibus monſtroſior ſit rationis vſus ob animi feritatē, ſylueſtreve vitæ genus: nam ſi id verum eſt, vt ſane eſt, nos eſſe tales, quales ii ſunt, quibuscum vtimur, neceſſario aſſerendum fuerit, beluis proximos eſſe ſimilitudine, qui beluas imitentur vitæ conſuetudine: cuiusmodi monſtra ea omnia ſunt, de quibus diſſerebamus. Vereor tamen, ne vnum quoddam monſtri genus ſibi arroget primæ originis authoritatem, nempe ii, qui ſimul & maſculi & fœminæ ſunt, vtriusque ſexus, aut neutri, putantes ſi alterutrius ſeorſum eſſe ſexus magna naturæ laus eſt, ita maior in eo, qui vtriusque ſit. Verba enim illa: Maſculum & fœminam creauit illos, quæ habentur Gen. c. 1. ſibi arrogant. Nam & ſub Innocentio III. hæreſis orta, quæ affirmabat, ſexus non futuros diuiſos, ſi peccatum Adæ non interueniſſet. Martinus Polonus in Innocentio III. Quamobrem Androgyni, ſeu Hermaphroditi pro monſtris haberi nolunt, cum tamen præ cæteris longe magis monſtra ſint.

Gentes Androgynæ, & an perfectiores cæteris.

PH. Eſſe gentem huiusmodi nonnulli haud contemnendę authoritatis Scriptores tradidere. Nam ſupra Naſamones confinesque illis Maclias Androgynos vtriusque eſſe ſexus, inter ſe vicibus coeuntes Calliphanes tradidit. Ariſtoteles quoque addit, dexteram mammam iis virilem eſſe, læuam muliebrem, ſcribit Plin. 7. lib. c. 2. cui etiam accedit Aul. Gell. lib. 9 c. 4. & Iſidorus lib. 11. c. 3.

TH. Et ipſe S. Auguſt. reperiri huiusmodi monſtra (perraro tamen) fatetur lib. de Ciuitate Dei 16. cap. 8. Verum ne laudem ſibi arroget turpiſſimum hoc hominum genus ab illis Geneſeos verbis, idem ſanctiſſimus Auguſtinus de Geneſi ad literam lib. 3. cap. 22. ſic reſpondet: *Ne quisquam arbitraretur ita factum, vt in homine ſingulari vterque ſexus exprimeretur, ſicut interdum naſcuntur, quos Androgynos vocant: ideo pluralem numerum continuo ſubiecit, dicens: Fecit eos, & benedixit eos.*

PH. Monſtrum igitur eſt hoc, & generationis cauſa non aliunde, quam ab ipſius naturæ viribus. Nam vt vtriusque ſexus fiant, ea ratio eſt, quod humor, vnde corpora gignuntur, ab omnibus genitorum partibus fluit, & æquiſſima ſingulorum membrorum portio inſtillatur, ita fit, vt omnia membra præter genitalia à maris ac fœminæ ſeminibus rite ſemper componantur: at de ipſis genitalibus, cum diuerſa vtriusque forma ſit, vtriusq; ſemina inuicem pugnare neceſſe eſt in efformando huiusmodi genitali. Si igitur vtriusque genitalis materia ſuperflua ſit, tum maris, tum fœminæ, neque valeat altera alteram ſuperare, & abſumere, neceſſarium illud ſequitur, vt vtriusque forma retineatur: & ideo erit Hermaphroditus; at cum alterius genitale ſemen ab altero abſumitur, eius forma redditur, quod alterum ef-

rum efficacia ſuperauit. Ii igitur populi, qui omnes Hermaphrodici ſunt, magnum in modum genitale ſemen, tam mares, quam fœminæ, emittunt, quod inuicem nequeat abſumi. Albert. Magn. anim. lib. 18. tract. 2. cap. 3. Sunt igitur monſtra, at non ſupra naturæ vires, ſed inſuetas reliquorum hominum formas. Monſtrum magis eſt illud, quod neutrum appellamus, cuiusmodi in Sabinis olim infans natus, incertus, an maſculus, an fœmina eſſet, alterque annorum ſexdecim ambiguo ſexu inuentus, vt tradit Liuius dec. 4. lib. 1. quandoquidem naturæ vires prorſus in genitalibus defecerunt.

Matrimonium hermaphroditicum.

EQ. Audiui tamen, aliquando huiusmodi vtriusque ſexus homines matrimonio iungi, quamobrem abominandum eſſe videtur, duos vno matrimonio viros eſſe, duasque vxores. Si enim vicibus coeant, & pariant, vterque erit vxor pariendo, vterque etiam maritus gignendo: fueritque etiam hoc aliud ſuperadditum miraculum.

TH. Matrimonium quidem huiusmodi negandum non eſt, quod ad prolem eſt inſtitutum, ſimul quoque ad Sacramentum, & ad carnis imbecillitatis remedium. Vnde crudeli quadam ratione fieret, ſi eis matrimonium negaretur. Verum non vtroque ſexu vtendi facultas eis conceditur, ſed eo tantum, in quem magis incaleſcant. Iuris peritis hoc demandatum lege eſt, vt ſi quando de Hermaphroditis matrimonio copulandis agendum fuerit, quæſtio prius habeatur, ſi alter in virum, alter in mulierem incaleſcat, vt ſuo quisque potentiori ſexu vſurus nuptiis iungatur. Quod ſi adeo æquali potentia in vtrumque incaleſcant, cogendi ſunt ad ſexum eligendum, quo vti velint, atque electione facta, alter viri, alter vxoris fungetur officio, Epiſcoporum authoritate adhibita, iuramentoque adhibito ita vſuros matrimonio, ſicuti ſexuum electio facta eſt. Id tradiderunt peritiſſimi Iuriſtarum Gl. Bal. & Gul. *in l. quæritur. ff. de ſtatu hom.* Syluest. etiam & Tabien. Idem tradidere in Summis *in verbis, Hermaphroditus.* ſed & alii etiam Summiſtæ.

PH. Quid ſi naturæ calor immutetur tempore: nam id aliquando contigit in huiusmodi, quid fiet, num maritus in vxorem mutabitur, aut vxor in virum?

TH. Standum eſt promiſſis, præſertim iuramento confirmatis.

Fœmina in marem mutatio.

EQ. Audiui tamen, aliquando repudiatas nuptias, quoniam quæ vt mulier in virum incaleſcebat, poſtea mutato ſexu, vt vir cœpit incaleſcere in mulieres.

PH. Et hoc non eſt à veritate alienum: non enim ſolummodo incaleſcendi vis immutata tum fuit, verum & ipſa quoque naturæ inſtrumenta fuere inuerſa. Vera hæc fuiſſe conſtat, & ita Plinio videtur lib. 7. cap. 4. cui ſubſcripſit Aul. Gell. noct. Att. lib. 9. cap. 4. Plinii verba ita ſe habent: *Ex fœminis mutari in mares non eſt fabuloſum. Inuenimus in annalibus, P. Licinio Craſſo & C. Caſſio Longino Coſſ. Caſſini puerum factum ex virgine ſub parentibus, iuſſuq; Aruſpicum deportatum in Inſulam deſertam: ſed & Licinius Mucianus prodidit, viſum à ſe Argis Ariſcontem virum, cui nomen Areſcuſæ fuit, cum antea vti fœmina ad nuptias traducta eſſet, in virum tamen euaſit, barba & virilitate prouenïente, vxorem quoque duxit.* Hæc ille. Qui addit, etiam Smyrnæ viſum fuiſſe à ſe puerum huiusmodi cauſa è puella immutatum. Hæc ex Plinio, qui ſe vidiſſe teſtatur in Africa L. Coſſicium ciuem Triſditanum ipſa nuptiarum die è puella in marem conuerſum. His quoque ſubſcribit Aul. Gell. lib. 9. c. 4. & Perottus Commentariis Latinæ linguæ epigrammate ſecundo: ſubſcribunt Fulgoſus & Eborenſis.

TH. Ego eadem affirmo: nam & Sanct. Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 3. cap. 31. fatetur, non ſolum in homine, verum etiam in gallinis id contigiſſe, dicens, huiusmodi

magis

magis fuiſſe mira, quam noxia, fœminas ſcilicet gallinas, & homines in maſculinum ſexum fuiſſe conuerſas, eaque in Gentilium libris non fabuloſis, ſed hiſtoricis contineri. Accedit quoque iis id, quod Alexandro Sexto Pontifici Maximo ſupplicibus libellis fuerat expoſitum. Adoleſcentula etenim cùm ad nuptias transiiſſet, in virum euaſit, quamobrem abſolutionis & expiationis cauſa, ſimul & diſpenſationis Pontificem adiit, & diploma exorauit, vti teſtatur Volaterranus lib. 29. tit. de Veſica in fine.

EQ. Sunt & alia perplura exempla digna quidem, quæ commemorentur. Nam Albertus Magnus ſuo tempore id accidiſſe tradit, non equidem virili complexu, ſed cum iam ad pubertatem perueniſſet, genitalibus muliebri more apparentibus maiore quadam, quam aliis, forma, animaduerterunt, qui periti erant, latere genitalia virilia: quamobrem adhibitis Phyſicis, exciſa membrana, apparuere virilia. Igitur Alberti ſententia eſt, non mutari ſexum, ſed prodire, quæ prius latebant, virilia, de animal. lib. 18. tract. 2. cap. 3.

Baptiſta etiam Fulgoſus lib. 1. ſic narrat: *Regnante* (inquit) *Ferdinando, Ludouici Guarnæ Salernitani ex quinque fœminis filiabus duæ, Franciſca & Carola, poſt quintumdecimum annum nuptui traditæ ſunt, & thori vſu ambabus genitalia membra in marium morem erupere, mutatoque habitu publice pro maribus habiti ſunt, Franciſcus & Carolus nuncupati. Eubuli quoque ſub eodem Rege puellæ viro deſponſatæ, primo thori vſu effractis membranis, virilia membra prodierunt, quæ domum repetens, dotemque recuperans, iudicio publico inter viros pro viro ſemper habitus eſt.* Idque ita ſe habere ſcribit Andreas Eborenſis exemplorum memorabilium tit. de miraculis.

PH. Id fieri poſſe, vt è fœminis in maſculos vertantur, cuiusmodi, quæ narrata ſunt, perſpicue indicant, non eſt ambigendum, quoniam naturæ vis plerumque pueris eſt imbecilla, vnde non omnia membra facile prodeunt, niſi vi aliqua poſtea accedente. At è conuerſo è maſculis fieri fœminas impoſſibile eſt, quandoquidem emergentibus membris nulla vis eſſe poteſt, quæ ea introrſum penitus contrahat, & occultet in reliquum vitæ tempus: licet enim introrſus contrahantur, non tamen fœminei ſexus vſum præſtabunt.

Maris in fœminam mutatio impoſſibilis.

TH. Id ita eſt. Nam S. Auguſt. de Gen. ad literam lib. 12. c. 17. puerum fuiſſe ſcribit apud Hipponem, qui exordio pubertatis dolorem acerrimum genitalibus patiebatur, Medicis nequaquam valentibus quid illud eſſet agnoſcere, niſi quod neruus ipſe introrſum reconditus erat, ita, vt nec præciſo præputio, quod immoderata longitudine propendebat, apparere potuerit, ſed poſtea vix eſt inuentus. Hæc ille. Vnde huiusmodi contractio fieri ſane poſſet, at non vlla ſexus mutatio.

EQ. Mutare non ſexum, ſed mores poſſunt mares, effœminatique mollitiem induere; ideoque nullo vmquam ſeculo licuit viris fœmineo habitu vti, absque magna ignominiæ nota, quum tamen mulieres ſexum mentitas legerimus laude plurima decoratas, easque fuiſſe magno numero compertum eſt.

TH. Viro mentiendi nulla excuſationis eſſe cauſa poteſt, vt inter mulieres viuat: ob vnam enim turpitudinem id agit, at mulieres finxerunt ſe eſſe, quod non erant, vt eſſent, quod eſſe debuerunt, nihil omittentes, quod ad perfectæ, conſummatæque religionis cultum pertineret. Sic enim contigit Eugeniæ Philippi Conſulis filiæ, quæ, vt commodius Chriſto deſeruiret, Eugenius credita, etiam Abbatis officio defungi Alexandriæ meruit, vt ſcribit Marul. lib. 4. Euphroſyne quoque eadem in vrbe contemptis nuptiis ſub Smaragdi nomine latens inter Monachos

Fœminæ virili habitu inter viros.

annos octo ſupra triginta vitam ſanctiſſimam duxit, vt Metaph. ſcribit 25. Septembris. Sed & Marina virgo fuit in Achaia virili habitu monachum repræſentans accuſata, quod mulierem prægnantem reddidiſſet, patienter accuſationem tulit, partumque accuſatricis diligenter educauit, omnemque ab Abbate impoſitam peregit pœnitentiam potius, quam ſe eſſe fœminam aperiret: ſed poſt obitum cognita, vnicum & inauditum inter Monachos conuerſationis reliquit exemplum. Lipom. Tomo 6. 17. Iulii in præfatione alterius ſanctæ Marinæ. Theodoræ quoq; Alexandrinæ idem contigit, vt admiſſa inter Monachos etiam criminis eiuſdem damnaretur, partumq; educaret potius, quam ſexum ſuum detegeret, vt habet Metaph. 11. Septembr. Fuit & Pelagia Antiochena, & per plures annos vſq; ad obitum latens inter Monachos ſub Pelagii nomine, ſe vidiſſe teſtatur Iacobus Diaconus Heliopoleos vitæ eius ſcriptor apud Lipom. To. 2. idem ſcribit Metaph. 8. Octobr.

EQ. Non eſt prætermittendum, quod de Poppula narrat Gregorius Turon in glor. Conf. c. 16. *Fuit* (inquit) *& beata Poppula valde religioſa, quæ cum ſæpius à parentibus flagitaretur, ſe in Monaſterio locari puellarum, eo quod in domo parentum curis ſeculi impedientibus Deo ſeruire non poſſet, & illi præ amore nollent eam à ſe ſeparari, totondit comam capitis ſui, indutoque virili habitu Turonicam Diœceſim adiens in congregationem ſe contulit monachorum, ibique in ieiuniis & orationibus degens, virtutibus multis emicuit: erat enim tanquam vir inter viros, nec vlli erat cognitus ſexus eius, atque ideo etiam renuens in Abbatem electa eſt. Triginta autem annos in monaſterio fuit à nemine agnita, ante autem tertium diem, quam ab hoc mundo migraret, id monachis patefecit, & ſic defuncta à mulieribus abluta ſepulta eſt, miraculis ad tumulum eius deinceps coruſcantibus.* Atque ideo narrare hæc volui, quia de Latinis etiam agendum cenſui, quoniam aliquas in Aſia & Africa id egiſſe audiuimus.

Ioan. VIII. Papa an fœmina.

TH. Hæc ſunt commemoranda ſemper, ſicut reſpuenda puto, quæ ſtulte de Ioanne VIII. Anglo Pontifice Romano nonnulli tradidere, hiſtoriæ hanc irrogantes iniuriam, cum id nullo authore conſtet; qui de illo meminere, rem non affirmant, ſed dici tradiderunt. Id enim fuiſſe inueriſimile, ne dicam impoſſibile fuit, Romæ præſertim, vbi, ſi qua gens toto Orbe eſt oculata, ibi eſt oculatiſſima, nec falli, aut ſaltem non diu, poteſt. Quin ſi viuens mulier detegi non potuiſſet, id ſaltem morte patuiſſet: vnde & vrbs & Orbis vniuerſus de ea re commotus fuiſſet, cum ob Sacramenta, tum ob reliqua Eccleſiaſticæ functionis munera, quæ irrita fuiſſe nemo dubitaſſet, præſertim quod non poterat conniuere Eccleſiæ rebus ab illa peractis, præſertim ordinum collationibus, propter Quintilianorum & Pepuzianorũ hæreſim, qui mulieribus Sacerdotium permittebant, ex S. Auguſt. de hæreſ. c. 27. Quin etiam oportebat publice reſcindere ordinationem atque conſecrationem, quæ adhiberi ſolet Pōtifici nuper electo, quæ cum fuiſſet irrita, quod mulier ordinis nō ſit capax, publico iudicio id reſciſſum & irritũ decernendum fuerat.

PH. Ego hanc Orbis plebiumq; leuitatem ſemper ſum admiratus, tum ex iis, quæ modo dicta ſunt, tum quod nemo ſcriptorum eius temporis id memoriæ prodidit, ſed à recentioribus, præcipue autem à Platina dubio ſtylo conſcriptum eſt, vt ſic, vel ipſe Platina rem huiuſmodi fabulam eſſe coniectet, remque commentitiam. Sed & Anaſtaſius Bibliothecarius, qui ipſo illo tempore vixit, ac Pontificum omnium ſeriem conſcripſit, nullam eius rei meminit. Fuere inſuper poſt illa ſtatim tempora Ademarius, Annonius, Regino, Contrattus, Lambertus, Otho, Chunradus, qui omnes ſucceſſiue quadringentorum annorum interuallo ex profeſſo de

Ponti

Pontificibus Romanis agentes, nil penitus eiuſcemodi fabellæ meminerunt. Præterid, quod Moguntinus fuiſſe, ſimul & Anglus hic Ioannes fertur, vt vel ſic pateat, non aliter eum erraſſe in aſſertione fœminæ, vti errauit in Moguntia vrbe inſigniſſima Germaniæ in Anglia conſtituenda, quæ à toto fere Orbe diuiſa eſt. Prçterea quoque eam grauidam iam ſenio confectam non fert fœminei ſexus vis concipiendi, vt poſt quinquageſimum annum vlla poſſit conceptibus initium dare. Solinus c.3. Plin.lib.7.c.14.

EQ. Nemo niſi emotæ mentis fabulis huiusmodi crediſſe compertus eſt, tum ob diuinum numen, quod ſemper afflare ſolet in ſummo hoc Pontificum eligendorum negotio, totiusque Eccleſiæ culmine & capite, ne Eccleſia acephala fieret. Neque enim Chriſtus adeo abeſt ab Eccleſia ſua, (cum qua ſe ſemper futurum promiſit) vt mulierem ſibi vicariam elegiſſe putandus ſit, quando nec matrem ſacerdotii functionibus immiſceri poſſe ſtatuiſſet. Optarim ſcire præcipue vnde origo huius fabellæ cœpit: ea enim ab origine patebit rei tota veritas.

TH. Pandulphus enim quidam Piſanus Pontificum Romanorum ſeriem & perbreuem hiſtoriam contexuit, in qua, vt cæteri ante eum omnes, nullam huiusce fœminæ memoriam fecit, & cum Leoni IV. ſtatim Benedictum Tertium ſubieciſſet, inter eos vacantis ſedis dies tantum quindecim interfuiſſe tradit. Poſtea longo poſt tempore diuerſis admodum characteribus volumini huius Piſani in margine adiecta hçc fabula eſt, inter Leonem & Benedictum. Is autem, qui adiecit, tantæ ſtoliditatis fuit, vt plures ſe commiſiſſe errores non animaduerterit: vnde falſa dicere ab omnibus deprehenderetur, quod eſſet mulier, quod ſenex conciperet, quod Athenis ſtuduiſſet, euerſa iam multis annorum luſtris illa Academia, quod Romæ incognitus, nullis initiatus ordinibus in ſummum Pontificem fuerit promotus, quod Moguntia ortus, ſimul & Anglus eſſet, quod biennio vixiſſet, cum inter Leonem & Benedictum, inter quos hæc fœmina conſtituitur, quindecim tantum dies intercurrant, atque ita fit, vt author fabulæ non aliter ac ſorex ſuo ſe indicio prodiderit eſſe falſatorem. Ab hac igitur additione in quodam peruetuſto codice ſuppoſita, ab aliis codicibus diſſentiente, Martinus Polonus (alias à Martino Cromero etiam Polono) ante annos 300. cum in hunc codicem incidiſſet, oblitus tot authorum, authenticorumque codicum id aſſerere eſt auſus; ita fit, vt poſt eum aliqui veſtigia eius fuerint ſequuti. At Sifridus, qui Scholion ad Martinum ipſe conſcripſit, teſtatur, codicem Martini Tongerlerenſem vetuſtiſſimum manuſcriptum huiusmodi fabellam non continere, vt ita deprehendatur, etiam ipſum Martinum talia non ſcripſiſſe.

EQ. Res hæc ſane apertiſſime ſeſe prodit. At qua fronte, qui hæc addit, auſus tantum facinus?

TH. Nullum adeo impudens eſt mendacium, quod non aliqua occaſione ſuſcepta manarit. Fuerat quidem Ioannes nomine is, qui poſtea Benedictus III. eſt dictus in Pontificatu, qui cum valde pius eſſet, pronus ad lacrymas, Pontificatumq; à Nicolao I. tum Cardinali rebus præcipuis adminiſtrari ſecum admitteret, velut lacrymoſa mulier forſitan cognominatus apud perditos curiales fuit. Alia quoque erroris cauſa fuit, quod (vt Luitprandus Ticinenſis illorum temporum grauis ſcriptor teſtatus eſt) Theodora nobiliſſimum ſcortum, cuius nutu Rauenna, Bononia, Romaq; ipſa regebantur, ob Alberti Ethruriæ Principis ſummam poteſtatem, cui ipſa ſocrus erat, Ioannem XIII. ad omnes dignitates promouendũ curauit, tan-

dem etiam in ipſius quoque Romæ Pontificem. Cum igitur totus ab hac Theodora Ioannes XIII. Pontifex penderet, irrepſit in vulgus fabula, Theodoram (cum imperioſa eſſet) virum eſſe; Ioannem autem, quia mitis, fœminam. Ita ergo potuit accidere in Ioanne Octauo, quod contigit XIII. Fuit hoc ipſo quoque tempore Ioannis Octaui apud Moguntiam mulier, quæ Papiſſa nuncupabatur, quandoquidem prædicabat, eique adhærebant plurimi Clerici; quamobrem (vti in huiusmodi rebus contingit) fama, mulierem Papiſſam eſſe, peruulgatum eſt. In eam, ac aſſeclas Clericos Rabanus Archiepiſcopus animaduertit. Segebert.

PH. Neque aliter eſt, neque aliter poſſet. Id animaduertit Onuphrius in Pontificum Romanorum Chronologia conſcribenda ſolertiſſimus, ad ipſum Ioannem VIII. & Ioannetus Bononienſis ex ipſis Germaniæ Hiſtoricis tradidit in ipſo Ioanne Octauo.

EQ. Hinc diſcat Orbis totus, quantum periculi ſit, mulierum nutibus pendere Rerumpublicarum adminiſtrationem, aut effœminatis Reip. gerendæ onera deferre.

TH. Leo Nonus Pontifex Romanus præcipuæ prudentiæ cum ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam ſcriberet, inuehitur in eam, quod fœminas (eunuchos effœminatos, Nicetam & Ignatium intelligens) in Patriarchali ſede promouiſſet, vti habet ibi cap. 53. apertiſſimis verbis id appellans ſcelus, ac deteſtabile facinus.

Muliebres Reſp. & Dominatus.

EQ. Propterea muliebria regna aut imbecilla fuere, aut breui extincta, aut non ſine magno dedecore aliquamdiu durauere, vt de Cleopatris Ægypti plena ſunt omnium Hiſtoricorum volumina. Ideoque Regna Amazonum aut deridenda, aut forte fabuloſa ſunt, ſicut Strabo putat lib. 11.

TH. Vbi enim mulieres viris non obſequuntur, verſo naturæ ordine, ædificium omne corruat neceſſe eſt. Legi enim aliquando apud Clementem lib. Recog. c. 9. Suſidas mulieres ſolitas dominare viris: vnde in omnem turpitudinem prolaberentur; nam & vnguentis ornamentisque optimis comptæ maiore ambitione, quam viri, pudicitiam deteſtabantur, promiſcue omnibus commiſceri ſolitæ, ſeruis, hoſpitibus, ac aliis quibuscunque, id viris ipſis permittentibus. Geloniis quoque ſcribit morem eſſe, vt mulieres agricolentur, ædificent, & omne opus virile perficiant: miſceri quoque quibus volunt licet, nec incuſantur à viris, aut adulteræ appellantur; paſſim enim concubitus miſcent, & præcipue cum hoſpitibus, quę etiam habet Euſebius præpar. Euang. lib. 6. cap. 8. Eo tandem progreditur res, cum viris mulieres dominantur, vt turpitudo quoque dominetur.

Amazones.

EQ. Memini me hæc à Clemente S. Petri indiuiduo comite didiciſſe, qui & de Amazonibus ſuam profert ſententiam his verbis eod. lib. 9. *Amazones* (inquit) *non habent viros, ſed ſicut animalia ſemel in anno circa vernale æquinoctium proprios egreſſa terminos, finitimæ gentis viris miſcentur, ſolemnitatem quandam per hoc obſeruantes, ex quibus cum conceperint, redeunt, & ſi marem pepererint, abiiciunt, fœminas nutriunt.* Hæc ibi, quæ etiam è Bardeſane Syro doctiſſimo viro tradidit Euſeb. Cæſar. præpar. Euang. lib. 6. cap. 8.

PH. Tam grauem, tantæque authoritatis ſcriptorem habentes Straboni pręferemus, credemusque aliis, qui de eis tradidere. Nam Mela lib. 1. cap. 2. Amazones in Sarmatia eſſe, easque, dextra mammilla igne ſublata, ait pugnare viriliter, & vltra Caſpium eas eſſe etiam ſcribit, cap. 1. eod. lib. Cui accedit & Plin. lib. 6. cap. 13. qui Sauromatides Amazones eſſe teſtatus eſt.

TH. Gotticæ mulieres, cum viri omnes abiiſſent in bellum, à proximis populis id animaduertentibus exercitu vexatæ: ipſę armis aſſumptis ſolæ exercitum aduerſarium verterunt in fugam, longe ante Amazonum originem. Krantzius Suet. lib. 1. c. 6. Sauromatas mulieres eſſe armigeras teſtatur & Clemens Alexandrin. Strom. lib. 4. ſcribit enim Suſidas, Iberias, & Sauromatas fœminas belligerari, perinde ac viri, præcipuæq; ſagittis, à tergo ſimulantes fugere.

PH. Omnibus vetuſtior Hippocrates id eſt etiam teſtatus: *Inter Sauromatas* (inquit ille) *Schytæ ſunt circa paludem Mæotidem mulieres, equitant, ſagittis vtuntur, ac iaculis, ac telis, virginitatem ſeruantes, non prius nubunt, quam tres occiderint: carent mammillis dextris igne in infantia abſciſſis.* De iis quoq; profuſius ſcripſere Iuſtinus, & Diodorus Siculus, Solinus, Appianus Alexandrinus, Q. Curtius, atq; alii plures, quos recenſet Petr. Hiſpal. Silu. p. 1. cap. 10.

EQ. Eas regnaſſe, & in immenſum imperium dilataſſe adeo compertum eſt, vt Dianæ templũ illud quidem ex orbis miraculis præcipuum exædificarint, quando toti Aſiæ imperabant, ſumptumq; omnem ab vnius hiſtrionis expilatione conſequutæ ſunt, vt Ægyptiis hiſtoriis continetur. Scribit hoc ipſum M. Aurelius Imperator in Epiſtola ad Lambertum Helleſponti Præfectum, extat apud Modognetum in eius vita lib. 3. c. 50.

TH. Easdem Amazones iuxta montes Caſpios in Inſula Fluuiali absque virorum conſortio habitaſſe ad ducenta millia ſcripſit Iacobus de Vitriaco poſt librum de naturis rerum, adſtipulaturque iis Vincent. hiſt. ſpec. nat. lib. 31. cap. 124. Zonaras vero & ipſe de eis Tomo 2. ſic meminit: *Incolunt Amazones mulieres eas Caucaſi partes, quæ ad mare Hircanum deſcendunt, in illarum Albanorumque medio habitant Gelæ, & Egyes cum quibus quotannis circa flumen Thermodoontem per duos menſes coeunt, inde digreſſæ vitam ſine viris agunt. Cum pepererint, mares circa patrum terram exponunt, puellas ipſæ educant.*

EQ. Hæc à veteribus ſcripta ſunt; At auget fidem, quod recentiores, qui orbem perluſtrarunt, mulieres Amazonum more viuentes comperere. In ipſius enim noui orbis Peruaco, eas eſſe colore præcandido, armigeras, tũ ſagittis, tum quibusuis iaculis, atq; armis plurimum valere: proximisque Regnis omnibus terrori eſſe: diuitiis, potentiaque pollere: quadam anni parte, maribus ad ſe accitis coire, partus enecare mares, fœminas ſeruare, vt tradiderat olim Nearchus, ita & qui cum eis quoq; ſe pugnaſſe Ouetenſis teſtatur, expertumque illarum in bello virtutem militarem: quamquam hiſtoriarum ſuarum lib. 2. c. 8. negarit Amazones vsquam reperiri, cum tamen Amazones Scythicam gentem fuiſſe teſtatur Ioannes Archiepiſcopus Rauennas ex Dione, & Ablabio hiſtoricis. Oroſius lib. 1. c. 15. & Iuſtinus idem affirmant, & prolem eas abieciſſe maſculam, fœmineam ſeruaſſe. Boemica quoq; gens puellas habuit, quæ omne maris genus peroſæ, imperium per annos ſeptem tenuere, præliis imperterritæ, armis exercitæ, omnia virorum agmina obuia proſtrauiſſe, vt Æn. Silu. memorat in hiſtoria Boemica, & Alb. Krantz. Suet. lib. 1. c. 7. & cap. 8.

PH. Idem Ouetenſis, cuius facta eſt mentio. Cum ad Cardinalem ampliſſimũ Bembum ſcriberet, tradit in Peruaco iuxta fluuiũ omnium totius orbis latiſſimum Maragnonem Amazones ſagittarias dominari, imperareq; absq; maribus prouinciis non paucis, admiſſisq; aliquando maribus, partus maſculinos aut enecare, aut à viris educandos transmittere, fœmineos ſeruare in Reip. beneficium.

TH. Ita ſit, vt ego facile adhibeam fidem iis, quæ ſcribit Odoardus Barboſa in regno Orientali Coulam Regis cuſtodes eſſe non mares, ſed fœminas ſagittarias quingentas ſtipe conductas huiuſmodi cuſtodię ſolius cauſa; ſicut equitare eas marium more apertum eſt in regno Mandao proximo Cambaiæ. Ramuſ. Tomo 1. in ſummario Orientalium regnorum. Quin regnum ſibi huiuſmodi alias mulieres conſtituiſſe compertum eſt in regno Damute, è Gorago, vt habet Franciſcus Aluarez cap. 133.

EQ. Propterea mulieres prædictæ, vt rebus publicis ſuis cautius conſulerent in Inſulis præcipua regna ſtatuerunt, quo ſuis ſeorſum legibus absque maribus vterentur liberius. Nam iuxta Inſulam Zocotoram duę extant Inſulę in quarum altera ſoli degunt mares, in altera ſolæ fœminæ, quod ſi aliquando alterutrum inuiſuntur, trimeſtre tantum interuallum permittitur, vel ipſo à climate impediuntur, quandoquidem alterutris locus peſtifer eſt, ſi diutius commorentur. Id ſcribit Nicol. de Comit.

TH. Has Inſulas eas eſſe puto, quas commemorat Marcus Polus lib. 3. cap. 33. Scribit enim eas è regione Perſidis eſſe, diſtareq; alterutrum non maiore interuallo paſſuum triginta millium, alteri Inſulæ nomen eſſe fœmineam, alteri maſculinam; cohabitareq; viros vxoribus ſuis Martio, Aprili, ac Maio, fœminasque alere partus ſuos ad pubertatis annos, ad viros inde transmittere, puellas alere vsque ad nuptias. Hæc ille.

PH. His confinia ſunt, quæ ſcribit Ferdinandus Corteſius in Relat. 4. rerum noui orbis. Inſulam eſſe Caguatam, quæ à ſolis colitur fœminis, quæ tamen aliquando viros admittunt: partusq; maſculos eiiciunt, fœmineos alunt; magnaque auri, & vnionum copia abundant.

EQ. Quamobrem ſemper reieci eam Melæ ſententiam, quam habet libro 3. cap. 4. ex Hannone Carthaginenſi. Scribit enim in Africanis littoribus longe vltra Macrobios Inſulam eſſe proximam, in qua ſolæ fœminæ degant toto corpore hirſutæ, quæ etiam absq; commiſtione marium ſua ſpõte fiant fœcundæ, adeo autem agreſtibus ferinisq; eas eſſe moribus tradit, vt nec captæ cohiberi vinculis poſſint, ſemper enim reluctari. Hoc Hanno retulit, & quia detracta occiſis coria pertulerat, fides habita eſt. Hæc itaq; vera eſſe non diſſentio; niſi quod absq; maribus fœcundas fieri poſſe diffiteor. Fœmina enim ſponte ſola nihil aliud gignit, quam molam, animal quidem; ſed omnino informe, vt habet Plin. lib. 10. cap. 64. Niſi forte tota gens illa ex Androgynis conſtet, qui vicibus coeuntes & gignant, & pariant, vt iam diſſeruimus. Ideo Solinus, qui de eiſdem fœminis tradidit cap. 58. cautius videtur de ea re ſcripſiſſe: *Prodidit* (inquit) *Xenophon Lampſacenus, Hannonem Poenorum Regem in Gorgonum Inſulas permeaſſe, repertasque ibi fœminas aliti pernicitate, atque ex omnibus, quæ apparuerant, duas captas tam hirto atque aſpero corpore, vt ad argumentum ſpectandæ rei duarum cutes miraculi gratia inter donaria templo ſuſpenderit, quæ durauerunt vsque in tempora excidii Carthaginenſis.* Hactenus ille. Vt autem non ſine maribus has vixiſſe ſciamus, mares ibi ab Pannone compertos tradit Plin. lib. 6 cap. 31.

TH. Duos igitur ad prolem gignendam natura, vt reliquis animantibus, ita & homini, lege præſcripſit, maſculum enim & fœminam creauit eos, Geneſ. cap. 1. Creditu facilius fuiſſet, ſi ex vno coitu tradidiſſet plures eas genuiſſe, quam duos: id enim fuiſſet admirandum quidem, ſed tamen fieri poteſt, & frequentiſſime accidit.

cidit. Nam Geneſ. 38. Thamar vnico Iudæ ſoceri coitu gemellos maſculos edidit. Tametſi enim gemellos plurimos editos legerimus, nuſquam tamen vnico coitu res comperta eſt, vti illo Thamar & Iudæ coitu: quod magno myſterio Scriptura commemorat.

EQ. Ergo ne ſi quando plures gignuntur, pluribus commiſtionibus genitos credendum eſt?

Superfœtatio. & gemelli an ex vno complexu.

PH. Id dubio procul ita ſe habet, vel ex Plinii ſententia lib. 7. cap. 11.

TH. Mira ſane ſunt; quæ de huiuſmodi ſuperfœtatione narrantur. Nam ſub Auguſto Cæſare Fauſta quædam ex plebe partu vno edidit quatuor geminos, mares duos, fœminas totidem, vt ſcribit Solin. c. 2. qui etiam addit Trogum affirmare in Ægypto ſeptenos vno vtero ſimul aliquando genitos.

EQ. Tergeminos natos inſignibus exemplis conſtat Horatiorum, & Curiatiorum, vt eſt apud Liuium Dec. 1. lib. 1 & Plin. lib. 7. c. 3. Nos ipſi vidimus, Gregorio XIII Rom. Pont. in Diœceſi Vulturanienſe inopem mulierem ab mercenario agricola viro ſuo tres vno partu ſuſcepiſſe mares viuos, ac ſacroſancto Baptiſmate initiatos: ſed diu non ſuperuixere. Quater geminos illius Fauſtę, de qua modo meminimus, ad prodigium vertit Plin. eod. c. 3. cum tamen Lotharii II. ſeculo mulier inuenta ſit, quæ vno partu quatuor mares enixa ſit. Werner. in Faſcic. Quin in Ægypto & Græcia conſtat emiſſos vno partu fuiſſe quinque, vt recolit Aul. Gell. lib. 10. c. 2 & apud Iuriſtas pro compertiſſimo id habetur. Nam Paulus omnium Iuriſconſultiſſimus in Iuſtiniani Pandectis lib. 5. tit. 4. & lib. 17. ad Plautum iis verbis eſt vſus: *Traditum eſt quatuor pariter puellas à matre familias natas eſſe. Sed & non leues auctores tradidere, quinquies quaternos enixam Peloponneſiam, & multas Ægypti vno vtero ſeptenos. Sed & Ælius ſcribit ſe vidiſſe in Palatio liberam mulierem, quæ ab Alexandria perducta eſſet, vt Hadriano oſtenderetur, cum quinq; liberis, ex quibus quatuor eodem tempore enixa dicebatur, quintum poſt quadrageſimum diem.* Hæc ille. Sed & Caius etiam Iuriſconſultus iisdem aſſentitur inter Pandectas lib. 34. tit. 5.

PH. Ariſtoteles non habet prodigii loco. Nam hiſt. lib. 7. c. 4. tradit quandam mulierem viginti edidiſſe fœtus, quatuor tantum vicibus enixam, quinos enim ſingulis vteris ediderat, minorem autem eorum partem enutriri, atque adoleſcere potuiſſe.

At Aul. Gell. noct. Att. lib. 10. cap. 2. ſic habet: *Ariſtoteles Philoſophus memoriæ tradidit mulierem in Ægypto vno partu quinque pueros enixam: ſed & diuo Auguſto imperante, qui temporum eius hiſtoriam ſcripſerunt, ancillam Cæſaris Auguſti in agro Laurenti peperiſſe quinq; pueros dicunt, eosq; pauculos dies vixiſſe, matremq; eorum non multo poſt, quam peperit, mortuam, iuſſuq; Auguſti monumentum ei factum.* Quod & Albert. Magn. animal. lib. 9. tract. 1. c. 5. commemorat.

EQ. Sed & ſub Agamundo Hunnorum Rege meretrix quædam ſeptem vno partu in Germania enixa eſt, licet in lacum proiectos omnes peremerit, vno excepto (cui nomen poſtea Lamiſſio fuit) quem Agamundus venatione adhuc in aquis palpitantem repertum extrahi iuſſit, & ali, qui ipſi poſtea defuncto, Longobardis electis ſucceſſit Imperio ſub Benedicto I. Papa. Scripſere id multi. Auctor Annalium, quibus eſt titulus, de Initiis regnorum, idem habet & Philip. Bergomas lib. 10. ſub Iuſtino Iuniore, atq; etiam Petr. Hiſpal. Sil. p. c. 32 ante hos omnes Vrſperg. anno Domini 565. cum Longobardorum res perſequitur.

TH. Eſt ſane res hæc memorabilis, ſed admirandum quoque eſt, quod habet

Plin.

Plin.lib.7.cap.11. Extare,inquit,in monumentis etiam medicorum,& quibus talia conſectari curæ fuit, vno abortu duodecim puerperia egeſta, quod admitti poteſt. Et Auicenna tradidit aliam mulierem 22.abortus vno partu eieciſſe,vti recolit,qui Scholion ad Tertullianum conſcripſit lib.de anima,cap.2. Quin idem Auicenna memorat aliam mulierem 70.abortus articulatos emiſiſſe,vt recolit Alber.Magn. animal.lib.9.tract.1.c.5.

EQ. Eſt & hoc maxime admirandum (ſed illud pudet referre) vix enim fidem aſſequi me poſſe ſpero, ſi, quod legi apud probatos auctores, expreſſero: Bapti-ſta enim Fulgoſus probatæ fidei auctor eſt, eiq; adſtipulatus eſt Camillus Gilinus in operis ornamento,quando in Latinum idioma opus illud tranſtulit: ſuffraga-tur & Andreas Eborenſis inſignis exemplorum compilator, titulo de miraculis. Scribit igitur ille libro primo in hæc verba: *Margaritha Hollandiæ Comes, qua parte Rhenus Oceanum illabitur, trecentos ſexaginta filios viuos, ita vt Baptiſmi characterem acciperent, vno partu edidit.* Hæc ille. Sed huius rei fides ſit penes auctores: adſti-pulantur tamen Annales Holland.& Mater. Hiſtor. ac Genibrardus in Clemen-te Quinto.

PH. Sane natura ipſa tantæ rei refragatur: ſed quãdo id Deus velit,ſicut & mõ-ſtra patitur,cur non & hunc quoq; monſtroſum partum? Eraſmus eius prouinciæ indigena, alioqui fidei non probatæ,id ipſum etiam affirmat.

Quin adhuc in Hollandia in cœnobio Sanctimonialium Diui Bernardi, quod Losdum nuncupatur,Regium ſepulcrum marmoreum viſitur, Guicciardino te-ſte,qui eius regionis hiſtoriam conſcripſit, quo hæc annotata ſunt his verbis: *Illuſt. Domini Florentii Comitis filia,cuius mater fuit Mathildis filia Henrici Ducis Brabantiæ,fra-trem quoq; habuit Gulielmũ Alemanniæ Regem,hæc Domina Margaritha anno ſalutis milleſi-mo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto,ætatis ſuæ ann.42.ipſo die Paraſceues hora 9.ante meridiẽ peperit infantes viuos promiſcui ſexus numero trecentos ſexaginta quatuor: qui poſtquam per venerabilem Epiſcopum Guidonem ſuffraganeum præſentibus nonnullis Proceribus & Ma-gnatibus in pelui quadam Baptiſmi Sacramentum percepiſſent,& maſculis Ioannes, femellis vero nomen Heliſabeth impoſitum fuiſſet,ipſorum omnium ſimul cum matris anima ad Deum æternaliter victura redierunt: corpora autem ſub hoc ſaxo requieſcunt.* Hæc ibi. Quibus ſublata videtur omnis addubitatio; eadem recolit Marcellus Donatus in hiſtoria medica.cap.24. Nec vero cuipiam ſuſpitio falſi ſubrepat,quod Fulgoſus rem acci-diſſe ann.Domini 1314.ſub Henrico Lucemburgenſi Imperatore tradiderit,haud dubie ipſe in tempore hallucinatus eſt: quandoquidem non Luceburgenſis Impe-rator Henricus tum imperabat,vt ipſe per errorem cenſuit,ſed Henricus Thurin-giæ Landgrauius,qui breui interuallo imperauerat poſt Federicum depoſitum, e-lectus paulo ante Gulielmum,quem in præfato ſepulcro Margarithæ fratrem fuiſ-ſe commemoratum eſt: ſucceſſerat enim in Imperio Henrico prædicto, vt Nau-clerus tradit gen.42. anno Domini 1252.Vnde Margaritham peperiſſe ann.Dom. 1276.longe veriſimilius eſt:ſed de hac re plus ſatis. Propterea alii admirandi partus etiam fide digni cenſeri poſſunt, cuiuſmodi memorat is auctor, qui Scholion ad Tertulliani librum de anima cõſcripſit,ad c.2. Adiicit enim Comitiſſam Hirmen-truldim de Artelf viginti duos enixam fuiſſe.Sed admirabilius multo eſt,quod Al-bertus Magnus memorat de animal. lib.9.tr.1.c.5. Verum enim, ſibiq; compertũ ait in Germania, mulierem vno partu enixam centum quinquaginta ea magnitu-dine articulis omnibus abſolutos,qualis eſt digitus auricularis.

TH. Pati-

TH. Patitur enim Deus ſpirituales quoque monſtroſos partus: vidimus enim noſtro hoc infeliciſſimo ſeculo ab vna Germania profluxiſſe trecentas, atq; plures etiam hæreſes, &c. Monſtroſum illud, monſtroſius iſtud.

EQ. Optarim ſcire, quam tanta prolis multitudo in Hollandia perſonam referret, patris, an matris, an alterius? Nam viri vnius tot complexus eſſe non potuerũt; ſi verum eſt, vt ſingulis complexibus, ſinguli fœtus concipiantur. Pudor tamen Comitiſſæ illius non patitur, vt eius caſtitatem labefactemus, miraculo igitur factũ putandum, ſi id vere fuit. Hæc equidem vno partu, verum plurib. partubus admirabile eſt, quod Albert. Magnus memorat de animal. lib. 9. tr. 1. cap. 5. in Germania mulierem annis ſingulis quinos enixam fœtus, qua fœcunditate peperiſſe omnib. partubus filios vtriuſq; ſexus ſexaginta. Id recolit is auctor, qui Scholion ad Tertulliani librum de anima conſcripſit, cap. 2.

Et reuera in illo Germanico cœlo prodigioſa hæc, atque alia multa acciderunt. Nam Comes Babo de Abensperg triginta duos filios legitimos natos, & filias octo duabus ab vxoribus ſuſcepit, quos omnes ad Henricum Imperatorem ſanctum (is erat ſecundus eius nominis) deduxit in comitiis Ratisponenſibus, vt memorat auctor Annalium Metropolis Salisburg. Epiſcopo trigeſimo Salisburgenſi. *Fœcũditas quorundã.*

Indicæ quoque mulieres, quibus aprorum more dentes prominent, compertæ ſunt centum peperiſſe vicibus. Oder. lib. 1. Propterea facile fides adhiberi poteſt, quod Cn. Pompeius in theatro publicaſſet mulierem, quam conſtabat tricies enixam, vigintique ex iis liberis ſecum habuiſſe: eratq; ipſi nomen Eutychides. Solin. cap. 3. Plin. lib. 7. cap. 3.

Accedit quod Andreæ Tiraquello Gallo inſignis eruditionis viro, quod vel ipſa volumina edita teſtantur, triginta liberi iuſtis nuptiis fuere: atque inter eos plurimi & ipſi eruditionis paternæ velut heredes, admirandaq; eo magis fertilitas huiusmodi fuit, quod ipſe eſſet abſtemius: hanc rem vel ipſius Tiraquelli filii carmine ita decantarunt:

Fœcundus facundus aquæ Tiraquellus amator
Bis quindecim liberorum, & librûm parens:
Quid ni reſtrinxiſſet aquis abſtemius ignes?
Impleſſet orbem prole animi, atque liberis.

Accedit & illud, quod in Cracouienſi regione quædam honeſta matrona Margaritha nomine Comitis Virboslai vxor triginta ſex fœtus vno partu edidit viuos. Herbut. hiſt. Polon. lib. 7. c. 13. Genebr. Clement. 5.

TH. Fateri tamen oportet, ſi quando prodigium dicere libet, ex muliebri partu à forma, non à numero id accidere. Nam anno Domini 1471. mulier canem peperit, & altera Papiæ cattum, vt Bergomas, qui tum, cum hæc fierent, ſcribebat. Deinde anno Domini 1488. mulier vxorata Canes duos, deinde in craſtinum tres alios murium magnitudine, non tamen omnes enixa eſt viuos; idque accidit in villa Nempſcha, ſub capella Poſſech, ſub limitibus Laſa, nomẽ mariti Daner: Linturius ad faſciculum. Volaterranus quoq; ſeſe vidiſſe teſtatur Pontificium diploma in expiationem mulieris, quæ ſe viuente canem peperiſſet, vt habet lib. 24. tit. de Veſica. Ad idem prodigii genus pertinet, quod in Sueſſionenſi agro accidit: mulier etenim pariens, valde laborabat, confugit illa ad diuina auxilia, vouetque quidpiam ſeſe B. Mariæ oblaturum, ſi tanto periculo eximatur: mox illa primum ab aluo emittit tres lapides, primum anſerini oui, alterum gallinacei magnitudine, ter- *Canes catti, lapides partu muliebri editi.*

ne, tertium quanta eſt nux, tandem infantem enixa eſt 1128. Sanctus Antoninus tit.16.cap.14. §.2. Hæc ad monſtra pertinent non numeros. Sed de hac re hactenus, nunc de alia.

Præcox vteri geſtatio.

TH. Iam paulo antea diximus ex Solino & Plinio, mulieres quinquagenarias concipere non poſſe: legi autem alicubi, nec quidem nono anno vlterius prægnantes eſſe poſſe: quandoquidem quinto anno mulieres Mandrorum parere feruntur, octauo ſenio mori, Solino teſte cap.53. Plin.lib.7.c.2. Quibus accedit Iſid.lib.11.c.3. Si igitur quinto pariunt, quarto anno concipiunt, niſi forte etiam tertio aſſerere velimus; nam & ventrē geri aliquando menſes quindecim conſtat apud S.Bernardum in vita S.Malachiæ, qui nobilem mulierem iam ſextodecimo menſe prægnantem, ebibita aqua benedicta, effecit vt pareret in regione Vlidiæ aſtantibus teſtibus idoneis perpluribus. At hoc noſtro Europæ cœlo teſtatur Albert.Magn.in 4 ſent. lib. vidiſſe puellam nono anno redditam prægnantem, decimo peperiſſe, quod etiam affirmat S.Anton.Flor.lib.de Imped. matrim.cap.24. Sed, quod magis miror, eſt apud Plin.lib.7.c.2. vbi memorat ſeptimo quaſdam mulieres parere, ac ſemel tantum, quadrageſimum vero vitæ annum non excedere ſenio confectas, easque iunctas eſſe Macrobiis.

Opus præterea naturæ ſuſpiciendum eſt in prægnantibus, quum earum partus perſonas referant adeo varias. Scribit Ariſtoteles hiſtor. anim. lib. 7. cap. 4. adulteram quandam geminos peperiſſe alterum marito, alterum adultero perſimilem, idque accidiſſe Proconeſiæ ancillæ mulieri nominatim. Scripſit Solinus cap.3.

Partus & parentum diſſimilitudo.

EQ. Magis mirum eſt Æthiopem referre, qui ex albo ſit genitus, & album ex Æthiope, cuiuſmodi ſcribit Ariſt.hiſt.anim.lib.7.cap.6. *Similes* (inquit) *aliqui parentibus, aut auis, ſuisq; maioribus generantur; aliqui ſimilitudinis nihil referunt, at poſt plures eiusdem proſapiæ redditur: vt in Sicilia eius, quæ adulterium cum Æthiope commiſerat, filia non colorem patris Æthiopis retulit, ſed qui natus ex hac eſt, is auum Æthiopem regenerauit:* cui adſtipulatur iisdem fere verbis Solin.c.4. ac Plin.lib.7.c.12. qui id Bizantii contigiſſe teſtatur, fuiſſeque nomen huic Nicæo.

PH. Cauſam huiuſmodi formarum Plinius tribuit imaginibus hauſtis ab ipſo conceptu: cogitatio enim vtriuslibet animum ſubito transuolans effingere ſimilitudinem exiſtimatur. Ita illa eod.c.12. Sed & Galenus idem affirmat, Regem enim quendam, qui paulo antea de Æthiope colloquia habuiſſet, vxori commiſtum eadem mente reuoluiſſe imaginaria quadam repræſentatione, tametſi tum ipſe, tum vxor albo colore eſſent, Æthiopem genuiſſe; habet idem Auicenna, vt Alb.Magn. tradit lib.22.tract.1.c.3.

TH. Id ita eſſe vel ipſis ſacris literis continetur. Iacob etenim, quia cum Laban conuenerat, vt oues variæ & maculoſæ cederent ſibi in mercedem, populeas virgas & amigdalinas, aut è platinis, detractis ex parte corticibus, ponebat in canalibus, quare potantes oues, ibique coeuntes, conſpectis variis coloris virgis maculoſos quoq; fœtus concipiebant, vt patet Geneſ.30. Quod exaggerat S. Auguſt. aduerſus Iulian.lib.5.cap.9 his verbis: *Æthiopes, quia nigri ſunt, nigros gignunt, non tamen in filios parentes colorem ſuum, velut tunicam transferunt, ſed ſui corporis qualitate corpus, quod de illis propagatur, afficiunt. Mirabilius eſt autem, quando rerum corporalium qualitates in res incorporales transeunt; & tamen fit, quando formas corporum, quas videmus, haurimus quodammodo, & in memoria recondimus, & quocumque pergimus, nobiscum*

ferimus:

ferimus: nec illæ receſſerunt de corporibus ſuis, & tamen ad nos mirabili modo affectis noſtris ſenſibus tranſierunt. Quomodo autem de corpore ad ſpiritum, eo modo tranſeunt de ſpiritu ad corpus: nam colores virgarum, quas variauit Iacob, afficiendo tranſierunt in animas pecorum matrum, atque inde rurſus eadem affectione tranſeundo apparuerunt in corporibus filiorum. Tale vero aliquid etiam in fœtibus humanis poſſe contingere Soranus medicinæ auctor nobiliſſimus ſcribit, & exemplo confirmat hiſtoriæ. Nam Dionyſium Tyrannum narrat, eo, quod ipſe deformis eſſet, nec tales habere filios vellet, vxori ſuæ in concubitu formoſam proponere ſolere picturam, cuius pulchritudinem concupiſcendo, quodam modo raperet & in prolem, quam concipiebat, afficiendo tranſmitteret. Neque enim Deus ita naturas creat, vt leges auferat, quas dedit motibus vniuſcuiuſque naturæ. Hæc ille, qui ſuarum retractationum lib. 2. cap. 62. nil demit ab iis, quæ hic ſcripſit, niſi nomen Dionyſii, quod Soranus non expreſſerat, ſolummodo Cyprium Regem exprimendo.

EQ. Imaginationis, præſertim muliebris admiranda vis, præcipue in conceptu: ſcribit enim Marcus Damazenus in agri Piſani oppido, cui nomen Petra Sancta, mulierem prægnantem edidiſſe fœmineum partum ſilueſtribus animalib. perſimilem Cameli modo piloſum, eo quod in conceptu præ oculis habuiſſet S. Ioannis Baptiſtæ imaginem, eiſdem pilis pro more Eccleſiæ appictam. Teſtatur idem & Petr. Hiſp. Silu. p. 2. cap. 7.

PH. Hæc quidem præcipue in conceptu. Attamen & in rebus aliis mira vis eſt imaginationis. Nam euentum rei videtur efficere: ſicuti Gulielmus Pariſienſis teſtatur nouiſſe hominem, cui eadem remedia præbebat medicina præparata viſa tantum, ac ſi hauſiſſet; æque enim ſoluebatur venter, ſicut ipſa hauſta. Idem refert Hiſpal. eod. cap. 7.

TH. Eadem ratio imaginationis efficit faſcinationes muliebres. Tradit enim Solinus cap. 5. ex Apollonidis ſententia, (vt heri dicebamus) in Scythia fœminas naſci, quæ Bythiæ vocantur, haſque in oculis papillas geminas habere, & perimere viſu, ſi quem forte iratæ aſpexerint, has etiam eſſe in Sardinia. Quod etiam tradit Plin. lib. 7. cap. 2. *In Africa* (inquit) *familias quaſdam eſſe faſcinantium Iſigonus & Nymphodorus tradunt, quarum arte areſcant arbores, emoriantur infantes. Eſſe eiuſdem generis in Triballis, & Illyriis adiicit Iſigonus, qui viſu quoque effaſcinent, interimantque quos diutius intueantur, iratis præcipue oculis, quod eorum malum facilius ſentire puberes: notabilius eſſe, quod papillas binas in oculis ſingulis habeant: huius generis & fœminas in Scythia, quæ vocantur Bythiæ, prodit Apollonides Philarchus, & in Ponto Thyorum genus, multosq; alios eiuſdem naturæ, quorum notas tradit in oculo altero geminam papillam, in altero equi effigiem, eoſdem non poſſe mergi, ne veſte quidem grauatos. Fœminas quidem omnes vbique viſu nocere, quæ duplices papillas habeant, Cicero quoque apud nos auctor eſt.* Hæc ex Plinio. Cui etiam accedit Aul. Gell. lib. 9. c. 4. Ideo diximus, quod quicquid ab iis agitur, imaginis vi perficitur, vt ex Auicennæ ſententia proditum eſt, qui animam alicuius vehementer affectam ait in maleuolentia habere impreſſionem nocumenti, in aliquem maxime puerum, qui propter corporis teneritudinem eſt facile ſuſceptiuus impreſſionum. Quæ Auicennæ verba illo modo intelligenda ſunt, quo S. Thom. ſcribit contra gentes lib. 3. cap. 103. verſ. Quod autem de faſcinatione. Sic ille: *Quod autem de faſcinatione inducit Auicenna, ita accidit, quia mediante motu cordis immutatur corpus coniunctum; cuius immutatio prouenit ad oculum, à quo infici poteſt aliquid extrinſecum, præcipue ſi ſit facile immutabile, ſicut etiam oculus menſtruatæ inficit ſpeculū.*

Imaginatio. Faſcinatio ex viſu ſolo.

Habent igitur huiuſmodi mulieres effaſcinatrices tantam cordis, ſimul quoque ſui corporis infectionem, vt facile inficiant naturalis imaginationis vi, quæ tantum poteſt, vt vel etiam exaniment ſeipſos ii, qui acrius imaginando mente aliquid concipiant. Hæc ille. Nam ego noui adoleſcentulam ingenuam, quam cum is, qui à parentibus in ipſius ſponſum fuerat delectus, ipſa inſcia, furtiua quadam familiaritate deoſculatus fuiſſet, intra vnius horę interuallum, tametſi ſumma optimaq; valetudine periit. Tanta ſeſe affecerat vi imaginationis, velut admiſſæ turpitudinis. Quamobrem, ne cognatio, quam iam ſtatuerant parentes cum adoleſcente, morte eius eluderetur, alteram ſororem paulo iuniorem eidem adoleſcenti deſponderunt.

Multiplicatio connubiorum.

EQ. Vnus igitur binas ſorores deſponſatas habuit, atque vno horæ momento geminata fuere ſponſalia. Sed parum hoc videri poteſt: nam mulier quædam ſola duo & viginti experta fuiſſe connubia memoratur: Damaſo etenim Pontifice, Romæ homo repertus eſt, qui fuerat viginti vxorum defunctarum vir. Erat & mulier quædam iam duobus & viginti viris ſuperſtes. Duo igitur ſeſe matrimonio iunxerant, ciuibusq; omnibus magna orta expectatio eſt, vter ipſorum præmoreretur. Præmortua vxore, populus virum ſuperſtitem coegit à lugubri funere abſtinere: quin vt lauro coronatus palma prę manibus, tanquam victor funus ſequi iuſſus eſt. Ex S. Hieron. tract. 3. p. 3. Epiſtola vigeſima ſexta. Deque ea re ſcripſere etiam Iuriſtæ, pro iuris dicendi oportunitate: Nam Tiraquellus id habet *lib. de legib. connub.* Boer. *deciſ.ценteſ. octuageſ. ſexta.* Cœl. Rhodig. antiquit. lib. 14. cap. 8. & alii plures.

TH. Sane de huius mulieris virginitate non fuerit vlla vertenda quæſtio: quæ ſe adeo infamem reddiderat, tot multiplicatis in viduitate connubiis.

EQ. Immo etiam potuiſſet de eius virginitate moueri quæſtio, vel apud ipſos Philoſophos, etiam corpore inſpecto. Quis enim nouit, num mulier illa ab iis orta fuiſſet, quæ vltra Antarticum polum degunt? vbi continens terra eſt, in qua omnia communia, etiam mulieres, eæq; paſſim, palamq; viris commiſcentur beluarum more, nihil adorantes. Sed & Antropophagi ſunt, nudiq; incedunt. Horũ igitur fœminæ etiam poſt plurimos partus integrum, virginaleq; corpus præ ſe ferunt; inſpectoribus etenim apparent nulla re differre illæ, quæ pepererunt, ab ipſis vere virginibus: quod & canibus, atque aliis brutis compertum eſt commune eſſe. Id ſcribit Veſput. Florentinus.

PH. Et hæc, ſi non paſſim expoſita ſponte eſſe videbatur, quæ ſe tribus & viginti expoſuit, tamen ſæpenumero contigiſſe cenſeri poteſt illis fœminis, quas ſupra commemorauimus, non tot viris ſe iunxiſſe, quot iſta ſe iunxerat, atque ita fiet, vt eam inter Garamantas fœminas Africanas annumerare poſſimus, quas paſſim miſceri compertum eſt Plin. id ſcribit lib. 5. c. 8. Sed ab illis hæc turpitudine ſuperatur, quod illæ matrimonium deteſtantur; hæc venerata eſt, fidemq; thori ſeruaſſe non ambigitur: illæ palam, hæc verecunde iungebatur.

Mulieres ſimul plures maritos & contra habentes.

TH. Exponi potius videntur illæ, de quibus habet Strabo lib. 11. In Media etenim nubunt ſimul pluribus viris, illiſq; indecorum omnino eſt, ſi quinque tantum ſint ſingularum viri. In Britannia olim quoque idem fuiſſe teſtatur S. Clemens primus Papa Recogn. lib. 9.

EQ. Faciebant autem in Parthia mulieres aliquid temperatius, quandoquidem mulieres plures vnius tantum viri erant vxores, vt idem S. Clemens habet eodem lib. 9.

TH. Vtrius-

TH. Vtriusque gentis eadem turpitudo eſt: nam & mulieribus pluribus vnum virum eſſe vti adulterium eſt, ita & ipſarum mulierum conſentientium lenocinium commune eſt: & eadem lenocinii ratio eſt, quando plures viri vnius tantum vxoris ſunt. Nec tamen credendum eſt id licere, quanquam cap.4. Iſaiæ habeantur hæc verba: *Et apprehendent ſeptem mulieres virum vnum in die illa, dicentes: Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur, tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum.* Nec etiam quod Loth duabus filiabus conſentientibus vino oppreſſus fuerit commiſtus, Gen.19. Huic rei S. Thom. ad dictum caput in Commentariis ſuper Eſaiam reſpondet his verbis: *Ex hoc loco videtur aliquibus licitum habere plures vxores: omne enim peccatum eſt innaturale, ſed habere vnum virum plures vxores eſt naturale, quia vnus poteſt fœcundare plures. Ad quod dicendum, ſicut dicit Philoſophus: Iunctio maris & fœminæ in hominibus non eſt tantum propter generationem, ſicut in brutis, ſed etiam ad commodum vitæ; vnde maris & fœminæ ſunt diuerſæ operationes, in quibus auxiliantur ſibi inuicem: ſecundum ergo hoc eſt de ſe innaturale, ſed poteſt eſſe licitum ex diſpenſatione legislatoris attendentis ſpeciales caſus. Et huiusmodi olim fuit, quod vnus haberet plures: poſſet enim vna plures regere ſecundum vitam ciuilem, & vnus plures fœcundare; ſed tamen aliquod præſtat impedimentum generationi, cum oporteat ſemen viri eſſe digeſtum, & hoc non poteſt fieri in frequentatione coitus, propter quod frequenter tales ſteriles ſunt: & adhuc magis impedit communem vitam, quia perfecta amicitia, qualis eſt inter virum, & mulierem vxorem, propter quam etiam homo patrem & matrem derelinquit, non poteſt eſſe ad multas.* Hactenus ex illo.

Olim etenim diſpenſatione diuina videbatur aliquando permiſſum iungi multis mulieribus, propterea ibi magis myſterium contemplandum eſt, quam literalis hiſtoria, vt pleraque ſunt, quæ ſacris literis continentur, præſertim in carnis commiſtionibus. At vbi ceſſarunt figurales hiſtoriæ, patet expreſſim immundiſſimum eſſe crimen, vel plures ſimul iungi vxoribus, vel vxores viris pluribus, ſiue per matrimonium, ſiue extra matrimonium. Propterea Fratricellorum hæreſis, qui putabant, paſſim miſceri poſſe, Clemente V. Pontifice extincta eſt, authoribus vltimo ſupplicio damnatis. Platina in Clemente V. Sicut Valdenſium quoque hæreſis, quæ cuique (vbi ardor libidinis inflammaret) ſe iungi permittebat, ſub Innocentio III. compreſſa eſt, vt ſcribit Bern. Lutzemburg.

EQ. Quam fœda res huiusmodi ſit fornicaria vulgaris commiſtio, tot conuerſiones mulierum à meretricio perſpicuum faciunt, quæ non ſolum à pluribus deſtiterunt, ſed omnes cuiuscunque viri amplexus poſtea deteſtatæ ſunt, vt patet in Maria Ægyptiaca: præcipue vero in Thaide, quæ non ſolum ſuaſu Paphnutii Abbatis turpitudinem huiusmodi vitæ abſtinendo confeſſa fuit, verum & quæſtus inde factos deteſtata adeo eſt, vt quadringentarum librarum auri pretium, id eſt, quadraginta ducatorum millia medio foro ipſa publice combuſſerit, vt libro continentur, cui titulus, Vita ſanctorum Patrum, p.2. libello de Pœnitentia. *Caſtitas conuerſarum à vita fornicaria.*

Conſimile eſt, quod de Pelagia Nonna narrat Iacobus Diaconus Heliopoleos, quæ omnia etiam quæſita ex meretricio quæſtu immenſi valoris pauperibus diſtribuenda per Epiſcopum dereliquerat: poſtea vt tutius à complexibus viueret, ſimulato viri habitu inter monachos, vt monachus ſemper vixit, morte tantum detecto eius ſexu. Id qui vidit narrat, Iacobus iam dictus apud Lipom. Tomo 2. quod iam antea dixeramus.

TH. Propterea vt in viro, ita multo magis in muliere virtus hæc caſtitatis co-

Miraculoſa teſtimonia virginitatis.

ruſcat, præcipue vero virginalis, quandoquidem vel ipſis etiam Ethnicis in virginitatis teſtimonium miracula quædam facta fuiſſe commemorantur, vt habet S. Auguſt.de Ciuit.Dei lib.10.c.16.de Q.Claudia Veſtali. Cum enim nauis hæſiſſet in Tiberi, nec vi hominum boumque loco dimoueri poſſet, cum aduerſo pudicitiæ rumore laboraret ipſa Claudia, quod cultus eſſet ſtudioſior, diſcincta zona, & naui alligata, precata Deum, vt, ſi caſta eſſet, nauis ſequeretur, nauis illam ſequuta eſt, quod etiam habet Sabell.lib.2.& alii multi.

EQ. Et pro Ethnicorum virginitate illud habet etiam ibidem S. Auguſtinus de Tucia etiam Veſtali, quæ iuſſa dicere pro ſe cauſam, cum de pudicitia ſua male audiret, ad ripam fluminis progreſſa multis comitantibus, cribrum fluuiali aqua plenum ad Pontificum conſpectum, quorum de cauſa cognitio erat, detulit: accuſator quoque, tametſi attente requiſitus, nuſquam apparuit amplius, vt etiam habet Sabell.lib.2.ex Maximo lib.8. Sed certe hæc, tum Claudiæ, tum Tuciæ miracula, non vlla diuina virtute facta cenſentur, ſed diabolica illuſione & poteſtate, vt Tertull.tradit in Apolog.c.22.in fine.

TH. At quæ ſunt Chriſtianæ fidei miracula, ſunt longe plura, pro pudicitiæ teſtimonio, eaque vera, non autem vti Ethnicorum ſuſpecta: nam vt de viris omittamus, de quibus alias diſſeruimus, habet Baptiſta Fulg.lib.8. egregium exemplum, quo nunc vno contenti erimus. Fuerat Cunegunda Auguſta Henrici Primi coniunx falſo adulterii inſimulata, illa innocentiam ſuam purgauit, quin & ſe Veneris neſciam probauit, cum quindecim paſſus ſuper candens ferrum nudis pedibus, illæſis plantis, perambulaſſet. Eadem Nauclerus habet gener. 35. in princip. Krant.Metrop.lib.4.& Eborenſ.tit.de Abſolut.reorum.

EQ. Vt autem diuina Maieſtas pudicitiam tuetur miraculis, ita impudicitiam aliis quoque miraculis ſeſe auerſari ſæpe apertum facit: Gangolphi enim Burgundionis vxor adulterio commaculata, cum probare vellet innoxiam ſe eſſe, in frigido fonte demerſa manu, adiurauit, ne eam ſine prodigii ſpecie, ſi culpam ferret, inde poſſet eleuare. Mirum accidit, cum à fonte manum extraheret, deſiccatam protulit non aliter, quam ſi in mediis ignibus tenuiſſet; itaque ob prodigium viro ſeparata fuit. Sæpe igitur ignis & aqua ad eruendum verum contra conſuetos naturæ curſus efficiunt, cum vt veri vis inueniatur, effectus adeo naturæ ſuæ contrarios parturiant. Hoc habet Fulg.eod.lib.8.& Eborenſis eodem loco.

PH. Sed proſequamur alia memorabilia: non enim ſufficit vnicum illud exemplum, quo per ignem caſtitas Chriſtianorum comprobata eſt. Ideo optamus & alia plura audire, ne Ethnicorum miraculorum numerus noſtrorum ſuperaſſe videatur.

Coniugia ſine commixtione.

TH. Plures enim cohabitaſſe vno lecto, & virgines permanſiſſe, conſtat primum ex prat.ſpir.cap.108. vbi vir è carcere miraculo eductus eſt, cum in eum fuiſſet iniectus, quod mulieri cohabitaret, quum tamen vterque virginitatem ſeruaret. Sed & Caſſian.Collat.patr.14.lib.2.c.7. vndecim annos olitorem vxori cohabitaſſe, & virginitatem perpetuo ſeruaſſe, dæmoniumque ſtatim illo conſpecto fugiſſe ab obſeſſo, quum ſanctus Abbas Ioannes id non potuiſſet, ſcribit. Et nobis Romæ aliud exemplum compertum eſt, dum confeſſiones audiremus ante paucos annos: nam iam biennio vir & vxor vno lecto decubuerant maximo mutuo ſe proſequentes amore, nunquam tamen ad Venerem ſe inuitarunt, cum mulier ſextum decimum, vir vigeſimum quintum annum excederet, neq; ii abſtinuerunt ex

voto

voto aliquo, ſed ex optima mentis indole, qua ſe pollui vterque verecundabatur.

Si vobis graue non eſt, referam plura, atque prætermiſſo Malcho monacho, qui mulieri annos vltra decem cohabitauit, corporibus inuicem penitus intactis, vt ſcribit S. Hieron. in vita ipſius Malchi. Atque in primis, quod iam audiuimus, Claudiam nauem traxiſſe: maius eſt pro S. Luciæ virginis pudicitia ſeruanda Chriſti miraculum, quando (vt tradit Ado Treueren. Idib. Decem.) de pudicitia à Paſcaſio tentabatur, reſpondit adeo forti animo: Si me inuitam violari feceris, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam, iuſſaque exponi à lenonibus, adeo immobilis, fixaque loca ſtetit, vt nec funibus, nec boum viribus dimoueri tantillum potuerit, neque adiecto igne vlla parte lædi. Marulus lib. 4. teſtatur, mille homines, mille quoque iuga boum loco eam dimouere non potuiſſe.

Accedit inſigne aliud exemplum apud Greg. Turon. in Glor. Confeſſ. libro c. 76. Simplicius perpetuam cum vxore caſtitatem ſeruauerat: electus autem in Epiſcopum domi virginem adhuc vxorem fouebat, vti ſororem. Die igitur Natalis Domini, commotis ciuibus aduerſus virginem, per inanem ſuſpicionem, ſic ad illam locuti ſunt: Incredibile eſt, mulierem viro iunctam pollui non poſſe, ſed nec vir poterit artibus mulieris iunctus à coitu abſtinere. His commota virgo ſanctiſſima adit Pontificem ſimili caſtitate pollentem, arculamque tunc, vt fieri ſolet pro rigore hyemis, carbonibus plenam penes ſe habens, accita famula, expanſoq; pallio, prunas ardentes ſuſcipit, & fere horæ vnius ſpatio tenens Sacerdoti poſtea ſic ait: Accipe & tu mitiorem ſolito ignem, nequaquam tuis velaminibus nociturum: ſuſcipiente vero Pontifice nihil offenſum eſt velamen eius ab igne. Credidit tunc incredula gens, atque ſupra mille ſacro Baptiſmate ſunt initiati.

EQ. Et conſimile huic memini me legiſſe apud Leontium Cyrorum Epiſcopum in vita S. Ioannis Eleemoſynarii, non longe à calce eius vitæ: Porphyria etenim prius fornicaria, cum ab Abbate conuerſa, & quaſi in quodam ſalutis aſylo cohabitaret, incidit in ſuſpicionem temerariæ plebi quaſi filium ab Abbate genuiſſet, quem nec ipſa genuiſſet, ſed abiectum collegerat. Coram igitur centum & eo amplius teſtibus is Abbas in ſuæ ac mulieris caſtitatis teſtimonium adferri prunas iuſſit: euoluit autem eas in proprium veſtimentum, quod nulla prorſus parte ambuſtum eſt, omnibus id admirantibus. Hæc ipſius Ioannis Eleemoſynarii narratio fuit.

TH. Non abſimilis & Britii fuit cauſa: nam in pudicæ vxoris eius teſtimonium, ſuæque pudicitiæ incredulæ plebi ardentes prunas in birrum ſuum impoſuit, proiectisque poſt longum interuallum ad B. Martini ſepulchrum veſtimentum inuſtum oſtentauit, vt habet Greg. Turon. Gall. hiſt. lib. 2. cap. 1.

PH. Ita Chriſti miracula illa, quæ Ethnicorum ſeculo facta diximus, longe excedunt: minus enim eſt nauem trahere ex flumine, atque aquam cribro ferre, quam ignem ſuperare, conuertereque naturæ vim, quod ſolius Dei eſt. Propterea & Agathæ Cataninenſis miraculum eiſdem adnumerari debet, quæ vt pudicitiam ſeruaret, contempto Quintiano Prætore, cum ſuper acutas teſtas, & ardentes prunas volutaretur, minus pœnam doluit, quam nuditatis ignominiam, vt tradit Eborenſ. ex Marulo lib. 4. Cui accedit & Iphygenia Æthiopum Regis filia virgo, quæ contemptis Hirtaci nuptiis concremari iuſſa eſt, tantum abeſt, vt ab igne læderetur, quin potius flamma ipſa virginitatis defenſatrix ab ipſa ſe auertens in regiam proſiliit, quam funditus conſumpſit. Eborenſ. ex Marulo lib. 4.

TH. Red-

Vita contemptus ob ſeruandam caſtitatem.

TH. Reddit caſtitas ſe colentes admodum admirandos, & naturæ victores. Nam cum ſanctimonialis quædam à petulanti quodam adoleſcente nimis procaciter ſolicitaretur ob oculorum pulchritudinem, coram ipſo ad ſe accito, eos ſibi eruit, atque ita extincto adoleſcentis ardore, & ſe à ſolicitatione exemit, & iuuenem pudore ductum ad optimam frugem conuertit, vt Monachatum ſubierit in Scythia. Sophronius prat. ſpirit. c. 60.

EQ. Feciſſe hoc idem S. Luciam, cuius iam meminimus, tradidit Sabellicus lib. 3. ſi tamen illi hac in re fides eſt adhibenda. Cum enim ſenſiſſet, inquit, ob oculorum pulchritudinem ſuę virginitati inſidias ſtrui, ſibi ſponte auulſos deferendos dedit inſano Regi, vt ſciret nihil ſupereſſe amplius, quo ab eo timenda eſſet iniuria eadem. Eborenſis; alii tamen non Luciæ Syracuſanæ, ſed Lucillæ tribuendum cenſent.

TH. Iam abunde patere poteſt, quanto ſit ſublimior Chriſtianorum vera pudicitia Ethnicorum ſuperſtitionibus; verum non diffitemur, morum probitatis non parum fuiſſe in Ethnicis, vt in Romana Lucretia, atque Veſtalibus, ſed inanis virtus, laborq; abſque præmio. Chriſti Dei abſente gratia, quid boni eſſe vnquam poteſt? vix fuerit ſpecies figuraque boni.

Plerumque etenim naturæ pudor, & ciuilis quædam honeſtas morum mulierem caſtitate pollere exſtimulant magis, quam vlla diuini cultus pietas doceat. Id, vt diximus, conſtat in Lucretia: ipſa enim ideo ſeſe coram ſuis peremit, quod violatam ſe agnoſceret; ſuis autem ſe probam indicare nullo certiore ſigno putauit, quam vitæ contemptu. Si enim id poſſe certo agnoſci ſibi perſuaſiſſet, abſtinuiſſet gladio, ac vulnere, contenta ſuorum propinquorum de ſua certiſſima probitate opinione.

Violata pudicitia vindicta.

PH. Ego idem cenſuerim. Nam & Chriſtiana quædam mulier, & altera Aſiatica ante Chriſti aduentum inuitæ vim paſſæ, quod propinquos ſuos animaduertiſſent de ſua probitate non dubitare, abſtinuerunt gladiis in ſeipſas, violatoribus pœnas ſummo conſilio exigi curarunt; quod neſcio an potuiſſet Lucretia. Referam hiſtorias. Scribit Plinius iunior de vir Illuſtr. in Cn. Manlio Volſone, cum Gallogræcos viciſſet, & Piſides, inter captiuos fuit etiam Regis Ortiagundis vxor. Ea igitur data eſt in cuſtodiam centurioni cuidam, à quo vi ſtuprata de iniuria tacuit, & poſt impetratam redemptionem mox centurionem adulterum marito interficiendum tradidit. Hæc Plinius. Vnde mulieri vis illata vindicata eſt, probitaſque ad integrum patefacta cum laude, etiam apud virum ſuum. Aliud eſt exemplum æque illuſtre. Maximo Romano Senatori, qui poſtea etiam Imperator, ſed breui tempore fuit, vxor erat formoſiſſima, ſicut & pudiciſſima, vt Procopius tradit Bell. Vand. lib. 1. illam igitur vehementer Valentinianus Imperator adamabat, vt autem fœditatem admittere poſſet, rem iniquam excogitauit. Maximum apud ſe habens aliquando illi colludebat, & ludo victor annulum Maximi nactus eſt, hunc clam ad vxorem miſit viri nomine, vt quamprimum ſigno perſpecto in Palatium ſalutatum Eudoxiam Imperatricem veniat. Illa ſubito paret, it in Palatium, ſed ducitur ad Valentiniani cubicula, velut ad Eudoxiam, ibique à Valentiniano vim patitur doli ignara. Domum igitur regreſſa mœſta, deflens iniuriam, virum corripit ſtultitiæ ob occaſionem iniuriæ datam. Probitatem vxoris animaduertens vir, inſidias tales Valentiniano parauit, vt tandem illo obtruncato ipſe & Imperium inuaſerit, & Eudoxiam Imperatricem vxorem ſibi ſociarit. Videntur itaque

eæ duæ

eæ duæ mulieres feciſſe prudenter, dum vlciſcuntur iniurias, & famæ nullam notam inurunt: Lucretia autem cum ſe peremptione prodiderit, quod nemo ſciret, videtur non æque egiſſe prudenter.

TH. Imo fuit prudentiſſima: ſuis enim res detegenda erat, illi aperto Marte vlturi erant iniuriam; ergo famæ nullo alio conſilio poterat proſpicere, quam in ſe vibrato gladio.

EQ. Ita eſt certe: nam ſui non inſidiis, ſed aperto Marte in Tarquinium armis irruerunt, eiecereq; regno; itaq; omni Orbe honeſtas naturæ in mulieribus comperiri poteſt, licet ſine ſalutis æternæ fructu, cum non Deo virtutem illam offerant, ſed propriam ſectentur ſententiam. Nam & Seres, qui Orientem habitant, neq; homicidium, neq; adulterium, neq; ſcortum noſſe, neq; furtum committere, neq; idola venerari, & in illa omni regione, quæ eſt maxima, neq; templum inuenitur, neq; meretrix, neq; adultera, vt tradit Clemens I. Papa Recog. lib. 9.

TH. Quid hoc illis prodeſt, niſi in Deum hæc dirigant vera Chriſti fide ſuſcepta? Nam & Semni Gymnoſophiſtæ mulieribus non vtuntur, ſeipſos continent; mulieres eorum ſunt virgines, vt tradit Clemens Alexandrinus Stromatum lib. 3. Attamen eis quid hæc prodeſt continentia? Nam & quidam hæretici (quos Abelianos nuncupant) in Hipponenſi diœceſi reperti olim fuere, qui non miſcebantur vxoribus, ſed ſub continentiæ profeſſione ſimul habitabant, prolem aliam non quærentes, quam adoptiuam, vt habet S. Auguſt. hæreſi 87. Ideo cum S. Auguſt. in tract. ſuper Ioan. 45. poſt initium recte dicere poſſumus: Cui non datur in æternum viuere, quid prodeſt bene viuere? quia nec bene viuere dicendi ſunt, qui finem bene viuendi vel per cæcitatem neſciunt, vel per inflationem contemnunt: non eſt autem cuiquam ſpes vera & certa ſemper viuendi, niſi agnoſcat vitam, quæ eſt Chriſtus, & per ianuam intret in ouile.

EQ. Econtra vero, ſi in Chriſtum omnis dirigatur actio, etiam cœleſtia præmia ſperanda ſunt, etiamſi ad id bonum opus natura ipſa inducat, ſicut in Bothnia Aquilonari plaga, nullum laſciuiæ ibi eſt veſtigium, miraque inter viros ac mulieres continentia, tametſi ſumma intercedat familiaritas, nec adulterium, inceſtus aut fornicatio committitur, nec nominetenus quidem agnoſcitur, vt tradit Olaus lib. 20. c. 1. Cæſar autem Comment. lib. 6. tradit, ſuo tempore in Germania, qui diutiſſime impuberes permanſiſſent, maximam inter ſuos laudem tuliſſe, atque intra vigeſimum annum fœminæ notitiam habuiſſe, in turpiſſimis habitum rebus, cuius rei nulla fuerit occultatio, quod & promiſcue in fluminibus lauarentur, & pellibus, aut paruis Rhenorum tegumentis vterentur magna corporis parte nuda. Aliquando & antiquitus huiuſmodi virtutis apud illos veſtigium fuit: at vbi corruptio morum inſecuta eſt, & hæreſum impietas, verſa eſt omnis huiuſmodi caſtitas in fœdiſſimam laſciuiam. Id enim miraculo fit, ſicut legimus apud S. Hieronymum, puerulum decennem reddidiſſe grauidam nutricem, quoniam naturali caſtitate illa cum puero abutebatur, vt miraculum miraculo adderetur, effecit Deus, vt ſterilitas & impotentia transiret in fœcunditatem ignominioſam, quod alias opportune reuoluemus pluribus.

Illis igitur Bothnienſibus certe inuidendum fuerit, ſi Chriſti amore ferueant, in eumque omnia opera dirigant, præſertim quia formoſæ ibi ſunt mulieres, & omnium mentium ſumma tranquillitas, atque otium, cœli quoque incredibilis clementia. At non adeo admiranda foret huiuſmodi continentia, ſi deformitas car-

nis incentiua extingueret, cuiuſmodi in extremis Burgundiæ partibus circa Alpes gutturoſæ ſupra omne hominum genus adeo mulieres ipſæ conſpiciuntur, vt guttur illis vsque ad imum ventrem protendatur, & quanta amphora, aut ingens cucurbita amplitudine prominet, adeo vt hoc quoque Europæ cœlo nobis proximo deformitas incredibilis contingat: hæc ex libro de natur. rerum Vinc. ſpec. hiſt. natur. lib. 31. c. 124.

PH. Si tempus ſuppeteret, optarim miſſa hæc fieri, & ad admiranda quædam nos conuerti, quæ mulieribus contigerunt.

EQ. De rebus huiuſmodi in craſtinum differendum cenſeo: nam ſi quæ contigerunt, differere in animo eſt, dies nunquam ſufficiet; nam mulieribus aut corporea virtus præter naturæ ordinem contingit, vt ſcribit Olaus lib. 5. c. 2. In Suetia & Gottia puellas tantæ fortitudinis, vt è terra extollant pondus librarum octingentarum, quin etiam mille, quod omnium Italorum robuſtiſſimus nequeat; num de iis in animo eſt differere? an forte de nandi peritia, qua quæ mulieres lacum, vnde Nilum oriri ferunt, inhabitant, ac vt piſces maritima nando percurrant. Franciſcus Aluarez c. 135. an de iis eſt differendum?

TH. Forſan de eo, quod contigit mulieri in Syria, quæ quotidie gallinis 30. exſaturari non poterat, ſiue id à Dæmonis obſeſſione fieret; ſiue à morbi alicuius violentia tantum ciborum adurente, quam Macedonius aqua benedicta ſanauerat, vt eſt apud Theodoreti Philotheum, in Macedonio, cui fuerat admodum familiaris.

PH. Et de huiuſmodi differendum cenſeo, non tantum quæ mulieribus, verum & quæ viris admiranda contigerunt, nec fuerit breuis collocutio: diem enim explebit. Quamobrem ne vnus noſtrum hoc onus totum ferat, fuerit opus Theologi de eis agere, quæ ad animum pertinere videbuntur; Equitis de iis, quæ contigere aliquo admirando euentu non habita ratione corporis vel animi. Mihi vero fuerit impoſitum de iis differere, quæ corpori contigiſſe feruntur.

EQ. De Sirenis nunquid agendum fuerit?

PH. Non fuerit: nam etſi Mela de eis agat lib. 1. c. 2. verius tamen apud omnes eſt, fabuloſum eſſe, quidquid de eis agitur.

TH. Nunquid agendum fuerit de mulieribus literarum peritia pollentibus.

PH. Et hoc egregie accidit mulieri adeo imbecillis naturæ, ideoque iure de eis quoque agere peropportunum fuerit.

TH. Vellem antequam hinc diſcedamus, aut ſaltem dum in inferiora domus reuertimur, enarrare quod ſcribit S. Auguſtinus lib. 2. c. 8. de moribus Manichæorum. Narrat enim in hæc verba: *Quædam facinoroſa mulier Athenienſis (vt prodit Hiſtoria) venenum, quod certo modulo damnati, vt morerentur, hauriebant, paulatim ſine vllo, vel leui incommodo valetudinis effecit, vt biberet. Itaque cum eſſet aliquando damnata, legitimam illam quantitatem veneni, quam conſuetudine vicerat, accepit, vt cæteri, nec vt cæteri extincta eſt. Quod cum eſſet magno miraculo, miſſa eſt in exilium.* Optarim ſcire, ſi id fieri poſſit ab omnibus, qui ſic aſſueſcere velint.

PH. In craſtinum de iis atque aliis oportunius agemus.

QVAE

QVÆ CVIQVE MEMORABILIA CONTIGERVNT.

COLLOQVIVM QVARTVM.

EQVES.

VT dies hæc nobis iucunde tranſeat, atque omni ab æſtu ſimus immunes, in proximam vallem deſcendamus; denſiſſimus locus eſt, arborumque opacitate ſubfrigidus, ſuntque fontes exigui leniter obmurmurantes, ibique ſpectanda nobis res eſt memorabilis, herba venenoſa peſtifera, omnibusque exitialis, vni mulieri olim hortos hos ſerenti, mire ſalutaris.

PH. Vel ipſa loci opacitas, & auicularum leuis concentus nos hic conſidere inuitat. Hoc igitur, quod veneno mulier illæſa victitarit, etiam Ariſtoteles tradidit; & vt Albertus Magnus habet de animal. lib. 25. cap. 2. *Puella illa, cum eſſet parum calidi cordis, & anguſtorum meatuum, atque etiam alii cibi admiſcerentur, effectum eſt, vt concoctio alimentorum præueniret, ne venenum ad cor poſſet pertingere, ex conſuetudine, dum parum quotidie ſumpſiſſet.* Adiicit autem Albertus, ex eo alimento venefico ipſam mulierem adeo peſtilenti ſanguine fuiſſe oppletam, vt ſaliua, cæterique eius humores quemcunque inficerent, etiam viros eos, qui eius in concubitum fuerant admiſſi: nam etiam velut venenati extincti ſunt. Napellum autem herba, quæ turdis & paſſeribus cibus eſt, homini eſt venenum, & ſuccus eius præſentaneum mortiferumque virus. Nam cum Ladislaus Neapolitanorum Rex Peruſii degeret, eius Napelli ſucco infectis mulieribus genitalibus, cum eius amplexus concubitumque experiretur, vterque eadem nocte defunctus eſt, atque in domo Medici cuiusdam, quem mulieris patrem fuiſſe memorant, extinctus eſt, vt memorat Collen. de reb. Neapolit. lib. 5.

Venena innoxia ob crebrum vſum.

TH. Qui igitur fieri potuit, vt exitialis herba hæc mulieri illi hortos hos colenti fuerit ſalutaris, nunquid aliquo antidoto vſa eſt? cuiusmodi Mithridatis, de quo Plinius lib. 23. cap. 8. ſic habet: *In ſanctuariis Mithridatis maximi Regis deuicti Cn. Pompeius inuenit in peculiari commentario ipſius manu compoſitionem antidoti è duabus nucibus ſiccis, item ficis totidem, & rutæ foliis viginti ſimul tritis, addito ſalis grano, &, qui hoc ieiunus ſumat, nullum venenum nociturum illo die.*

EQ. Id facile fuit forte, vt hoc antidoto vteretur: nam Aſiatica mulier erat captiua, hortisque iis cum marito addicta: cœli poſtea in illos inclementia defuncti ſunt: ſed an probandum ſit huiusmodi antidotum, Phyſicorum eſt iudicium.

PH. Potius putarim herbæ huiusmodi ab infantia ſenſim aſſuefeciſſe naturam, vt ex Alberto diximus, & quod prius fuerat exitiale, fieret poſtea cibus: nam cum venena ex qualitatibus nimiis peſtifera ſint, vſu fiunt non nimia, ſed confecerunt; vti abſtemiis vinum venenum eſt, at ſi ſenſim quis illo vtatur, non ſolum non læditur abſtemius, verum etiam poſtea fit vini appetentior. Ita Mithridati maximo ſua ætate Regum vni ei excogitatum quotidie venenum bibere, præſumptis remediis, vt conſuetudine ipſa innoxium fieret, vt Plin. teſtatur lib. 25. c. 2.

EQ. Hoc ſcripſere vti vetuſtiſſimum ſcriptores vetuſtiſſimi: at nihilominus his proximis noſtris ſeculis eadem viuendi ratio penes quendam Indorum Regem comperta eſt. Is eſt Cambaiæ Rex: hunc ferunt ab infantia veneno enutriri, tantæque cum eſſe lethalis naturæ ipſo halitu, vt vel muſcas accedentes interimat ſolo

tactu: tactu enim, etiam ipſo non animaduertente, moriuntur, vt teſtatur Odoardus Barboſa. Quin conſuetudo veneni adeo in eo inualuit, vt ipſo alatur, quamobrem vix vlla ex vxoribus ſuis, quæ illi commiſcetur, effugit mortem in diem proximam, vt teſtatur Ludouicus Barthema Indicarum rerum lib. 1. c. 2. Quemcunque etiam oderit, aut necandum ſtatuerit, ſolo ſputo in eum miſſo eum interimit: veſtes eius nemo vnquam attingit; nam & ipſæ interficiunt tactu, vt ibidem Barthema annotat. Quod concinne eſt ei, quod tradit Damon, & ex eo Plinius lib. 7. cap. 2. Pharnaces in Æthiopia reperiri tam peſtifero ſudore, vt contactis corporibus tabem afferant.

TH. Hic monere vos velim, quidquid humano ingenio fit, ad ſuperandas alicuius naturæ vires, parum eſſe, ſi comparetur iis, quæ ſancti viri diuina virtute ſumma fide ad ſuperandam omnem naturam perpetrarunt, hodie de hac vna re agemus.

Quod enim ſummo ſtudio humana ratio vix aſſequitur, ſola in Chriſtum fides id momento efficit. Sic enim Chriſtus Marci 16. *Signa eos, qui crediderint, hæc ſequentur, ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Primusque id expertus Ioannes Euangeliſta: hauſtum enim calicem veneno plenum Ariſtodemo Idololatra id exquirente innoxium ſenſit, nullo alio admiſſo antidoto, quam fide Chriſti, vt ex vetuſtiſſimis ſcriptoribus collegit Iacobus de Voragine, & nouiſſime etiam Ioachimus Perionius, atque etiam ipſis vetuſtiſſimis picturis patet. Quin etiam eiusdem Apoſtoli tempore homo in foueam deſperationis lapſus ob nimium æs alienum, oblatum ab Hebræo venenum tuto ebibit, ſolius ſigni crucis virtute obſignato calice: quo etiam miraculo Hebræus ipſe, qui veneni vim præſtantem pernouerat, ab hoc ſigno deuictam, ſeſe Chriſtianæ fidei conuerſus ſubiecit, vt habet Metaph. in Oecumenio poſt expoſitionem Apocalypſis.

EQ. Qua autem arte fit, vt Ophiogenes populi venena ſerpentum contemnant, quin etiam ſanent ab eis læſos, vt tradit Strabo lib. 17. Plin. lib. 7. c. 2. quod æque Marſis & Pſyllis commune quoque eſt. Plin. ibidem, & lib. 8. c. 25. & lib. 25. c. 10. 12. lib. 28. c. 3. Pſyllos etenim, vt ſcribit Plutarchus, Cato iter per deſerta Libyæ faciens ſecum duxit, vt morſibus ſerpentium mederentur: ii enim partim ore trahunt venenum, partim cantilenis medentur, vti horum etiam meminit Herodotus lib. 4. Gell. 16. c. 11. Sed his putarim in naturam vetuſtiſſimam conſuetudinem tranſiiſſe, ſicut Tentyritæ crocodilos domant. Odor enim Pſyllorum ſerpentes necat, & ſaliua, vt Varroni videtur, & Plinio eodem lib. 7. cap. 2. Naturam igitur rei altera natura ſuperat apud hæc hominum genera.

PH. At fides naturam longe ſuperat, neque legibus eius ſubiicitur: id enim agit fides, quod natura non poteſt. Quin cum calida frigidis curentur, & frigida calidis, efficiet fides, vt calida calidis eiiciantur, & frigida frigidis, cuiusmodi ex innumerabilibus duo recenſere exempla mihi in animo eſt. Primum quidem ex Sozomenis hiſt. lib. 2. c. 2. qui quod nouit ex neceſſitudine eius, cui res contigit, id ſcribit: *Quid Aquilino* (inquit) *nobiſcum etiamnum ætate degenti, & in eodem foro cauſas agenti in Eccleſia Diui Michaelis acciderit, partim vt ab eo audiui, partim vt ipſe conſpicatus ſum, oportune commemorabo. Cum enim vehemens febris, eaque paulo ardentior ex flaua bili orta, eum occupaſſet, Medici dedere illi bibere medicamentum ad aluum purgandam, quod quidem euomuit, atque ſimul cum vomitione bilis in omnes corporis partes diffuſa cutis extremitatem coloris ſpecie ſibi ſimili tinxit. Ex quo factum eſt, vt omnem cibum ac potum*

euome

euomeret: deſperantibus eius ſalutem medicis: ac cum iam ſemimortuus eſſet, dat ſuis mandatum, vt eum in Eccleſia deportent, affirmatque ſe ibi aut mortem obiturum, aut morbo liberatum iri. Cui in Eccleſia iacenti de nocte viſio quædam diuina obiecta iubet, vt cibum potione, quæ ex melle, vino, & pipere pariter miſtis conficeretur, tingeret: quæ quidem potio cum eſſet calidiſſima, quamuis medicis ex artis ratione eam conſiderantibus, morbis à flaua bile contractis contraria videretur, hominem tamen morbo recreauit. Hæc ille. Cui non abſimile eſt, quod etiam narrat Metaph. in vita Simeonis Sali Abbatis prima Iulii, nam oculorum inflammationem acerrimam acrioribus remediis curandam iuſſit, aceto ſcilicet & allio: *Cum quidam ruſticus ad Simeonem veniſſet, cuius oculi aſpera laborabant albugine, oculos eius inunxit ſinapio. Cum is autem dolorem ſenſiſſet vſque ad mortem, ei dixit Simeon; Vade lauare in aceto & in allio, & ſtatim eris ſanus: Ille vero tanquam exiſtimans ſe aliquid poſſe efficere, recta vadit ad medicos, & fuit magis excæcatus: tanquam ergo furore percitus iurat Syriace: Per Deum, etiamſi mortem ſtatim oporteat exilire per oculos, cum fecero, quid mihi Simeon dixit, tamen id faciam. Cum ipſe autem oculos lauiſſet, vt ei dixerat, fuerunt ſtatim ſani eius oculi, & ita mundi, vt quando natus eſt, adeo vt ipſe Deum glorificaret. Tunc ei Simeon occurrens dicit ei: Ecce ſanus es fatue, noli amplius furari capellas vicini.* Hæc ibi.

EQ. Contigit tamen aliquando caſu aliquid fieri, quod ars, naturave non poſſet: ſed ei rei Fides non acceſſit, Dei tamen occultum opus fuit, ideo non fuerit importunum, quanquam non à virtute Fidei id fuerit profectum, ſed admirabili quodam caſu, id quod Plutarchus tradit libello quem conſcripſit de vtilit. capien. ab inimic. Promethæo quidam adeo inimicus erat, vt omni quo poſſet ſtudio, intenderet in eius necem. Cum igitur illi obuiam fieret, aggreſſus eum multis affecit vulneribus. Erat autem vulnerato incurabile vlcus peſtiferum maxime: vlceri cum fuiſſet additum vulnus, ſtatim purgatum exſtitit, ſubſecutaq; ſanitas. Itaq; factum eſt, vt quod nulla arte curari potuit, aduerſo ictu curaretur, quo reliqui ægrotare ſolent. *Medicina ex caſu.*

Conſimile eſt, quod habet Plinius lib. 7. cap. 50. *Phalereus* (inquit) *deploratus à medicis vomicæ morbo; cum mortem in acie quæreret, vulnerato pectore, medicinam inuenit ex hoſte.* Eo enim modo, diuerſo ſanguine ab intimis ad extremum vulnus conualuit. Ita factum eſt, vt vulnera medicinæ locum teneant. Maximus lib. 1. hunc non Phalereum, ſed Phereum Iaſonem nuncupat.

TH. Quod ego dicturus ſum, huic non abſimile, id ex Fide profectum eſt, Dei magno miraculo. Sanctus enim Bonauentura ampliſſimus Cardinalis in conſcribenda vita Sancti Franciſci ſolertiſſimus ita habet cap. 14. *In Eccleſia Beati Franciſci apud Aſſiſium, dum præſente Romana Curia prædicaret Dominus Epiſcop. Hoſtienſis, qui poſtmodum ſummus Pontifex Alexander dictus eſt, quidam magnus & ponderoſus lapis incaute ſuper pulpitum excelſum, & lapideum derelictus, præ nimia preſſura impulſus decidit in caput mulieris cuiuſdam. Habita igitur ab omnibus aſtantibus pro mortua, pallio contecta eſt, vt poſtea ad funus efferretur. Ipſa vero ſe B. Franciſco, ante cuius altare iacebat, fideliter commendauit. Prædicatione peracta, mulier coram omnibus ſurrexit incolumis, nullo læſionis apparente veſtigio: quodque admirandum eſt, quum iam diuturno temporis interuallo capitis dolore perpetuo laboraſſet, huiuſmodi percuſſione ab ea deinceps capitis dolor abſceſſit.* Hæc ille.

EQ. Ita fit, vt à Chriſtiana Fide ſingularia huiuſmodi contingant, quæ nulla virtus naturæ poteſt efficere; ita enim ſe fides habet præter naturæ leges, vt admi-

randa ſemper efficiat: Cuiusmodi etiam illud eſt, quod Egnatius ſcribit de Paleologo II. Conſtantinopolitano Imperatore, qui ægrotus nullis naturæ auxiliis conualeſcere potuit, ſed contrariis: *Nam ægrotus conualeſcere* (inquit) *irrationibus, ac diuexationibus præter conſuetum naturæ ordinem eſſe conſtat.* Tradit igitur in illius vita ipſum exacto quadrageſimo ætatis anno adeo graui morbo laboraſſe, vt integrum ferme annum lecto decumberet, magno Reipubl. incommodo, nec quidquam Medicorum arte illi ægritudini præualente. A mulierculæ cuiusdam conſilio Imperatrix didicit virum conualeſcere non poſſe, niſi acribus ac importunis moleſtiis continue vexaretur, eo enim modo dilapſuros humores, vnde ægritudo manabat. Admiſſo mulierculæ conſilio, Imperatrix cœpit Paleologum virum vexare incredibilem in modum, vix vlla re obſequens ei. Frequentibus igitur vexationibus diſcuſſis humoribus, caloris augmento adeo Imperator conualuit, vt viginti, quibus poſtea vixit annis, ſemper incolumis extiterit. Hæc ille. Mirum ſane vexationes eſſe ſaluatores homini Regi, quum tamen plerumque ægritudinum parentes ſint; forte id ex Fide acciderat illi. Id retulit etiam Mondognet. in vita M. Aurelii lib, 2. cap. 25.

TH. Adeo igitur Fides ægritudines, naturamque ſuperat, vt artes omnes poſthabeat, nullis limitibus coerceri, nullis clauibus claudi poſſit, quod contigit Petro carceribus mancipato, cuius catenæ ceciderunt è manibus, oſtio carceris ſponte aperto. Act. Apoſtolor. cap. 12. Contigit etiam aliis eadem Fidei virtus. Beda enim Angl. hiſtor. lib. 4. cap. 22. narrat in hunc modum: *Commiſſo prælio inter Egfridum atque Edilredum Reges, vulneratus eſt Huma miles, & inter reliqua cadauera veluti mortuus derelictus, is exurgens, reſumpto ſpiritu, viſus ab hoſtibus captiuus abductus eſt, ſeſeque fuiſſe ruſticum caſtra vendendæ annonæ cauſa ſequentem ſimulauit. Interim curatis & ſanatis vulneribus, iuſſus eſt vinculis ferreis noctu vinciri; ne fugeret: fruſtra tamen vincula imponebantur: nam ſponte ſtatim ſoluebantur. Huic erat frater Sacerdos nomine Tuma Abbas, qui fraterno amoris ſtudio, è caſtris quendam militem fratris ſui formam referentem ſepulturæ tradiderat, atque pro Miſſarum ſacrificia quotidie offerebat, velut pro defuncto fratre: harum igitur Miſſarum celebrationis virtute id contingebat, vt oratio, ſacrificiaque vincula ſoluerent viuentis, quæ pro mortuo offerebantur.* Hæc Beda.

PH. Conſimile eſt huic, quod contigiſſe narrat Gregorius in Homil. 40. ſuper Euangel. Si quis venit ad me. Quidam ab hoſtibus captus longe traductus eſt: cumque diu teneretur in vinculis, vxor ſua extinctum putans, pro eo velut mortuo hoſtias hebdomadibus ſingulis curabat offerri, cuius toties vincula ſoluebantur in captiuitate, quoties ab eius coniuge hoſtiæ fuiſſent oblatæ pro animæ eius abſolutione; nam longa poſt tempora reuerſus admirans valde, indicauit vxori ſuæ, quod dieb. quibusdam hebdomadis ſingulis eius vincula ſoluebantur. Quos videlicet dies eius vxor, atque horas diſcutiens, recognouit tunc eum abſolutum, cum pro eo ſacrificium meminerat oblatum. Hæc ex illo. Quibus exemplis ceſſet omnis Philoſophia; conticeſcat Ethnica, inaniſque omnis contemplatio; ceſſet & hæreticorum veſana cogitatio; patet hinc, Orationi nihil reſiſtere; Sacrificium Miſſæ iure pro mortuis & offerri debere, & ſalutare adeo eſſe, vt ſi mortui non ſint, pro quibus offertur, proſit illis viuentibus, ne fructus eius inaniter proferatur.

EQ. Sunt ſane admiranda hæc omnia, contigeruntq; magno Dei nutu. Nunc optarim,

optarim, vt hominum, quibus memorabilia, etiam apud Ethnicos contigerunt, aliqua recenſeamus, conferamusque cum iis, quæ Chriſtianis obuenerunt, quanta hæc maiore virtute, luceque coruſcent.

Ad alia igitur differenda conuertenda eſt noſtra oratio, vt quib. mirabilia contigerunt, hodie perquiramus. Mihi quidem libet exordiri à M. Sergio, de quo plurima Fuluius Vrſinus, Plinius autem ita habet. lib. 7. cap. 28. *M. Sergio nemo quemquam hominum iure prætulerit, licet pronepos Catilina gratiam nomini derogarit: ſecundo ſtipendio dexteram manum perdidit, ſtipendiis duobus ter, & vicies vulneratus eſt: ob id neutra manu, neutro pede ſatis vtilis, vno tantum ſeruo, plurimis poſtea ſtipendiis debilis miles, bis ab Annibale captus (neq; enim cum quolibet hoſte res fuit) bis vinculorũ eius profugus, viginti menſibus nullo non die in catenis, aut compedib. cuſtoditus: ſiniſtra manu ſola quater pugnauit, duobus equis inſidente eo ſuffoßis: dexteram ſibi ferream fecit, eaq; religata præliatus, atq; vt cæteri victores hominum victores ſunt, Sergius vicit etiam ipſam Fortunam.* Fortitudo pugnandi etiã membris amiſſis

PH. Cur non etiam addatur Mucius Scæuola, ſi gloriari neceſſe eſt à debilitate membrorum, plurimum animo valuiſſe? Is enim (vt habet Liuius decad. 1. lib. 2.) vt Porſennam Regem occideret, per errorem alium illi aſſidentem occidit, & minitante Rege illi mortem incendio, ille vt parui ſe facere indicaret etiam ignem, manum foco immiſit, eamq; torreri permiſit, abalienato à ſenſu animo.

TH. Habemus & nos ſpirituales Sergios & Scæuolas, ſanctos ſcilicet Martyres prorſus innumerabiles; libet autem nunc Procopium ſub Diocletiano, tãquam ſub illo Porſenna conſtantiſſime manus ſibi aduri lento igne perferentem adducere. Is enim cum à Tyranno Diis immolare cogeretur, nolletq; parere, iubet Tyrannus afferri aram, & ſuper eam extendi dexteram Martyris, ardentib. repletam carbonibus, eis thure impoſito, vt ſi in manu dolorem ſentiẽs thus in aram immiſerit, ſtatim reputetur, vt qui Diis ſacrificauerit. Atq; ara quidem erat poſita, extẽſa autem erat manus Martyris; thus tamen ſimul cum igne parabatur, & natura ſe ipſum abnegauerat. Nam vtebatur quidem manus longo tempore, & ignis operabatur, mens autem quæ eum confirmauerat, tenebat immobilem. Quicunq; adérat obſtupeſcebat, error labefactabatur, pietas confirmabatur: Chriſtus glorificabatur, & efficiebatur pudore diabolus. Met. 8. Iulii Lipom. Tomo 6. Habet igitur noſtra Fides longe plures ac fortiores milites, etiam ipſum Ignem ſuperantes, neq; vnus ille Scæuola laudem ſibi eripiet Chriſtianorum, qui innumerabiles fuere, vti liceret hoc loco commemorare: Vt enim ante Chriſti aduentum in Chriſtum futurum credentes olim Ananias, Azarias & Miſael in fornacem miſſi, illæſi euaſere ab igne; Ita Chriſto paſſo S. Polycarpus, & S. Laurentius, & innumeri alii, vniuerſo dum adurerentur corpore, etiam Deo laudes dicebãt. Polycarpus enim (vt ex illius temporis ſcriptis Eccleſiæ Smyrnenſis teſtatur Nicephorus, lib. 3. cap. 35.) cum ſtudio Grçcorum, ac Iudæorum quoque ſub Antonino incendio fuiſſet adiudicatus, non ſolum non expauit genus hoc mortis, verum quo facilius indicaret carnem incendium ſuperantem, abſque vllo præſtigio, toto corpore nudatus in ignem eſt miſſus, & nec adurebatur. Miraculum hoc viſum eſt ab eis, quibus id quidem videre datum eſt, ex quibus aliqui etiam Martyres ſeruati ſunt, qui ea, quæ accidiſſent, reliquis annuntiarent. Etenim ignis fornicis ſeu cameræ ſpeciem præbuit, qui quaſi velum nauigii vento inflatum corpus omne circumdedit Martyris. Præterea vero & odor ſuauis, ſeu thuris, alteriusve pretioſi aromatis fragantis ad nos eſt perlatus, cum non adureretur. Hæc è ſcriptis eorum, qui interfuere Eccleſiæ Smyr

nenſis

nenſis ſcripſit Nicephorus: & ante eum ex eisdem Eccleſiæ Smyrnenſis literis ad omnes orthodoxos tradidit Euſebius lib. 4. cap. 14. De Laurentio autem habet Sanctus Auguſtinus pluribus locis, ſed præcipue ſermone primo eius feſti his verbis: *Legimus Ananiam, Azariam, & Miſaelem beatiſſimos pueros à Rege in camino ignis incluſos in pœnarum ſuarum deambulaſſe flammis, & igneos globos pedibus conculcaſſe: vnde & B. Laurentius non minori eſt gloria præferendus, ſiquidem illi in pœnarum ſuarum flammis ambulabant, hic & in ipſo ſupplicii ſui igne diſcumbit: illi veſtigiis pedum conculcârunt incendia, iſte laterum ſuorum diffuſione extinguit: illi, inquam, ſtantes in pœna eleuatis manib. orabant ad Dominum, hic autem proſtratus in ſua pœna toto corpore Dominum deprecatur: iterumque beatus Laurentius in dorſum ſupinus vertitur, & renes eius ignibus exuruntur.* Ille hactenus. Itaque fit, vt manum vnam Scæuolæ exuri ab audacia propria parum ſit: fidelium etiam totum corpus vel adurere non audet ignis, aut ſi audeat, animum non perturbat inuictum.

EQ. Quod fecere Romani fortiter, velut Sergius amiſſis membris pugnans, fecere glorioſius multi Epiſcopi, effoſſo oculo, abſciſſo genu, abſciſſis linguis; Nam pro Chriſtiana Rep. non modo diutiſſime pugnarunt, verum etiam linguæ vſum, quam non haberent, miraculo retinuerunt diſertiſſime loquentes, & fidem Chriſti fortiſſimi athletæ etiam contra multos Principes orationem exercentes, vti ex Procopio recolit. Euag. lib. 4. c. 14. & Vict. Vticenſ. lib. 3. Vand. perſecut. & alii multi; & iterum de eadem re etiam hodie acturi ſumus. Fecere etiam Chriſtiani plurimi præſtantius quam Scæuola, igne cõtempto. Ille enim tantillo tempore, ac ſemel tantum omnino in illo ampliſſimo Imperio memoratur; At Chriſti athletæ innumeri, ac ſæpe iterarunt ignis experimentum, quo non hoſtem in admirationem tantum adduxerunt, verum ſibi quoq; obſequi adegerunt. Erat Poppo ex Aquilonari plaga ortus Sacerdos, religioſus plane vir diu in Italia peregrinatus, & apud ſummos Rom. Eccleſ. Pontif. in pretio habitus, is aliquando in Daniam profectus, vbi hoſtes Chriſti Idolatrę regnarent, atque ita permittente Danorum Rege apud portum, cui ob frequentiam glaciei nomen eſt, accito magno Danorum cœtu, publice de Chriſti fide verba facere cœpit: quibus, vt vera eſſe, quæ doceret ſuaderet, candentis ferri tantum illæſis manibus obtulit experimentum; allata igitur ferrea eſt, ignitaq; chirotheca, longa vsque ad cubitum: Poppo excepit manibus, immiſitque vsque ad cubitum dexteram, detulitque vsq; ad conſtitutum quendam locum, ac demum ad Regis pedes proiecit. Rex vbi id admirans animaduertit, illæſis ſcilicet manibus tamdiu ignitam ferream chirothecam delatam à Poppone fuiſſe, ſponte in Chriſtum credidit, lauacroque ab ipſo Poppone, nudatis humeris, ceruicem ſubiiciens, intingi paſſus eſt, vt Krantzius tradit Vand. lib. 4. c. 24. & Saxon. lib. 10. & Metrop. lib. 3. cap. 34. Alibi autem incidit Poppo idem in perfidiorem gentem, licet eodem ignis experimento ſuam fidem veram eſſe teſtaretur: nam tunicam indutus cereatam, in medio increduli populi iuſſit incendi: ipſe vero oculis ac manibus in cœlum porrectis, liquentes flammas adeo inuicta mente ſuperauit, vt veſte prorſus ambuſta illæſus ipſe extiterit; ac, cum illa in fauillam eſſet redacta, hilari vultu nec fumum incendii ſenſiſſe teſtatus eſt Krantzius id tradit Metrop. lib. 3. cap. 34. Vicit & aduerſarios illæſus ab igne Petrus ille ampliſſimus Cardinalis Albanus cognomento igneus. Nam vt ſimoniacam hæreſim ſuperaret, compoſitam magnam hinc inde ſupra & infra, ardentem lignorum ſtruem permeauit Florentiæ, omni aſtante populo rei exitum præſtolante: per-

meauit

meauit pluries lento gradu illæſus tum corpore, tum veſtibus: vicit eum in modum hoſtem ſuum, traxitque in ſuam ſententiam gentem omnem. Id tradit Blaſius Milaneſius in vita S. Ioannis Gualberti, apud Surium Tomo 4. Vrſperg. ann. Domini 1088.

PH. Sergii quoque illa Ethnicorum encomia flocci pendenda ſunt, quod detruncatis manibus, ac pedibus pugnarit, & homines ſingulares vicerit: Fidei Chriſtianæ ſectatores, detruncatis membris, erutisque oculis non ſolum hoſtes deuicerunt, verum etiam in ſuam nolentes ſentẽtiam traxerunt, quin & ipſa membra detruncata reſumpſerunt: quod vnius Dei opus eſt. Nam vt plurima prætereantur, Leo I. fuerit exemplo, ſi tamen vera ſunt, quæ de illo non pauci narrarunt, poſtea & Ioannes Damaſcenus.

Is igitur Leo, (referunt) cum totis quadraginta diebus ad ſepulchra Apoſtolorum oraſſet, vt ſibi peccata remitterentur, audiit beati Petri reſponſum, ſe impetraſſe omnium illius peccatorum veniam, præter peccati Ordinationis: vnde, quia Ordinationis munus impoſitione manuum fit, dexteram, quæ in Ordinationibus faciendis imponitur, vtpote aliquando ruinæ cauſam ſibi abſcidit, & abiecit.

Hæc igitur vera hominis fortitudo, non illa Scæuolæ, aut Sergii; qui nec digitum abſciſſum, aut ambuſtum ſibi reſtituere valuerunt, ſicuti Leo poſtea, cum ob nimiam à ſacrificiis abſtinentiam populus conqueſtus eſſet, ſibi à Domino reſtitui eandem manum poſtulauit, quod & effectum eſt magno miraculo. Hæc à Sophronio in prat. ſpir. c. 149. & S. Antonino & Martin. Polon. & à Sabellico lib. 5. atq; aliis, licet, vt dixi, in dubium vertatur hæc tota narratio.

TH. Ioannes vero Damaſcenus cum hoſti dexteram, quæ pro Chriſto, ac pro Catholica fide libros conſcripſerat, abſcindendam dediſſet, hoſtem abſciſſa manus magis vicit, quam integra: Nam in Damaſcum ipſe & hoſtis tractus eſt in ſententiam, factus captiui ſui ſubditus, & ipſa quoq; manus tãdem è foro in domum, & è domo in brachium ſuum reſtituta eſt, pugnatura longe magis contra reliquos hoſtes, quorum ob pugnam abſciſſa fuerat.

PH. Ego rem hanc ſemper ſum admiratus præcipuè; ſed repetere totam hiſtoriæ ſeriem te optarim ex probatiſſimo aliquo auctore.

TH. Ioannes Hieroſolymitanus Patriarcha illius ſeculi ſcriptor, Damaſceni vitam, quem nouerat, ac omnia eius geſta tradiderat. Fuerat igitur Damaſcenus egregius pro ſacris imaginib. venerandis athleta & ſcriptis & verbis, idque peſſime tulit impius Iconomachus Imperator Leo Iſaurius, confictoque mendacio, Damaſcenum vt perduellionem prodidit apud Damaſci Regem Saracenum. Is (vt barbarorum mos eſt) inaudito Damaſceno, leuitate ductus, manum abſcindit, publiceque in foro abſciſſam ſuſpendit à mane vsque ad veſperam: tandem à Tyranno impetrat Damaſcenus è foro ſibi transmitti demortuam manum; ea accepta, ingreſſus Oratorium oratione Dominum precatus, atque Deiparam virginem, coram cuius imagine procumbebat, manu brachio admota, à ſomno præ labore correptus manum reſtitui, reuiuiſcereque diuina ope perſenſit. Excitatus & Deo gratias egit, & validiore ſpiritu in Iconomachos eſt inuectus; barbarusque Tyrannus miraculi magnitudine motus totum ſeſe ſubiecit Ioanni huic Damaſceno, erratum ſuum agnoſcens. Repetit. Eborenſ. de miraculis.

EQ. Diligenti Deum fideli, membra ſi non adſint, parui momenti res eſt, cuiusmodi contigiſſe memini Leoni III. Romano Pontifici; qui cum ſupplicationes à Beato Gregorio inſtitutas Romæ cum Clero ac populo haberet, Paſchalis Primicerii, ac Campuli Presbyteri inſidiis, atque armis apud ædem beati Silueſtri capitur, cæditur, Pontificio amictu exuitur, lingua & oculis priuatur homo ſanctiſſimus; ſed & loquelam, & viſum diuinitus recepit, quod conſtanter grauiſſimi Scriptores referunt illi ſeculo proximi Scafnaburgenſis, & Segebertus, præcipueque ex recentioribus Onufrius ſolertiſſimus de Romanorum Pontificum rebus ſcriptor in hoc Leone. Bergomas, atque alii etiam recentiores.

PH. Videndi vis non ab oculis eſt, ſed ab ipſius animæ vi: ipſa autem anima imminui non poteſt, quia ſoli Deo fulgur ad feriendam animam, aut ei, qui Dei munus agit, vt Pontifices ſunt. Hinc fit, vt ſerui Dei etiam oculis videant erutis: cuiusmodi Didymus. Nam cum ad eum acceſſiſſet B. Antonius, doluerat Didymus virum ſanctum corporeis oculis non poſſe conſpicere; Reſpondit Antonius, corporeis oculis carere non eſſe dolendum homini habenti oculos internos videntes, & contemplantes, quibus Angeli vident, quales erant Didymo oculi ſcientiarum peritiſſimo; corporeos enim oculos etiam muſcas habere: perdidiſſe igitur oculos tam paruum damnum eſt, quam paruum eſt perdere, quæ nobis communia ſunt muſcis, vt habet Caſſiod. trip. lib. 8. cap. 8. Propterea vti oculi amittuntur cum corporeis reliquis membris, ita per fidem etiam reſtituuntur, vti contigit Leoni III. Sed & alii, cui nomen Spes, is Abbas fuerat annis 40. & cæcitate percuſſus, at cum ſenectus ingrueret (qua, qui bene in iuuentute valebant oculis, ſæpe orbari ſolent) huic contra euenit, vt ſenectute per Dei miraculum oculorum ſquamæ ceciderint, & videndi vis frigenti corpori ſuperuenerit, & orbem peragrarit, prædicatione verbi Dei omnibus ſalutem annuntians, vt tradit Greg. Dialog. lib. 4. cap. 10.

TH. Quid opus eſt luce externa, radiante interno gratiæ diuinæ lumine? Scriptum reliquit Sophronius prat. ſpir. cap. 51. Ægyptiorum monaſterium quoddam in Cilicia fuiſſe, in quo quidam Iulianus ſeptuaginta annis vixerat, nihil omnino in orbe habens, quam hæc quatuor, librum ſcilicet, vaſculum ligneum, ſagum, & cilicium. Toto igitur hoc vitæ auſteriſſimæ tempore nunquam lucernam accendit, cum nunquam habuerit: noctibus igitur cœlitus eum illuſtrabat lux tanta, vt clare legere poſſet.

Oculorum acies etiam noctu perſpicax.

EQ. Hoc Iuliani miraculum, vti diuinum, non naturæ eſſe dignoſcatur, ab eo, quod Tyberio Imperatori omnes ſcriptores tribuunt, inde dignoſcitur, quod excitatus à ſomno Tyberius oculis breuiſſimo quodam interuallo omnia in cubiculo proſpiceret æque, ac die, vt habent Ethnici auctores, & noſtri; Zonaras in ipſo, atque alii inſuper etiam noſtrates hiſtorici. Plinius ſic habet lib. 11. cap. 37. *Ferunt Tyberio Cæſari, nec alii genitorum mortalium, fuiſſe naturam, vt expergefactus noctu, pauliſper haud alio modo, quam luce clara, contueretur omnia, paulatim tenebris ſeſe obducentibus.* At id fuiſſe quodam igniculo ex oculis promanante, breuiſſimeque perdurante conſtat, cum tamen huic perpetua lux eſſet noctibus, quæ cœlitus dabatur. Quin etiam Aquilonaribus regionibus teſtatur Olaus, reperiri nonnullos homines, quibus tanta acies viſiua ſit, vt noctu omnia videant, atque internoſcant, tactu quoque ipſo experimenta faciant. Ita ille lib. 2. cap. 14. Sed id non æquandum miraculo

miraculo Iuliani. Nam & Albanorum genti, quæ albo crine naſcitur, glauca oculis ineſt pupilla; ideo nocte clarius quam die cernunt. Solin. c. 19. Plin. lib. 7. c. 2. Iſid. lib. 14. cap. 3. Gell. lib. 9. cap. 4. Quod igitur illis natura indidit, admirabilius Iuliano Chriſti gratia condonauit.

PH. Ego quidem admiror hæc omnia, quoniam nulla id ratio naturalis patitur; vt nocte quis clare videat, qui Solis lumen interdiu patiatur, admiror (vt de oculorum proſpectu, viſiuaq; vi plurib. agamus) quod Hiſtorici tradidere de Strabone quodam ſic à Varrone nuncupato. Hunc ferunt tãta viſus acie fuiſſe, vt centum triginta quinq; millia paſſuum procul conſpexerit, vt teſtatur Cicero, & ex eo Plin. lib. 7. c. 21. Scribit enim eum ſolitum Punico bello à Lilybeo Siciliæ promontorio, exeunte claſſe Carthaginis portu, etiam numerum nauium dicere. Idem habet & Strabo lib. 6. & Solin. cap. 5. poſt Varronem. Si id ita eſt, quod tot grauiſſimi Scriptores tradidere, eſt equidem admirandum.

Oculorum acies lõgiſſime pertingens.

EQ. Subſcribunt etiam nonnulli recentiores, vt Sabellicus lib. 10. & Eborenſis tit. de humanis ſenſibus, verum vni id contigit. At vt didici, quibus Chriſti gratia affulſit, longius vidiſſe nemo eſt qui dubitet, non ſolum millia paſſuum cẽtum triginta quinque, quod Strabo poterat, verum magis procul, non tam ſenſus acumine, quam mentis. S. etenim Ambroſius è Mediolano vidit quæ Turonis gererentur, interſunt non quingenta, ſed longe plura millia paſſuum, præter id, quod interpoſitæ Alpes ſunt illæ vsq; ad ſydera eminentes. Seuerus enim Sulpitius de tranſitu B. Martini ſic tradit: *Eo tempore B. Ambroſius Mediolanenſi ciuitati præerat Epiſcopus, dieq; Dominica Prophetica lectione tam lecta, beatiſſimus hic Antiſtes ſuper altare obdormiuit: quod videntes multi, cum nullus eum excitare præſumeret, transactis fere duarum aut trium horarum ſpatiis, excitauerunt eum. Reſpondit autem Ambroſius: Noueritis fratrem meum Martinum Sacerdotem de corpore egreſſum fuiſſe, me autem eius funeri obſequium præbuiſſe. Tunc illi ſtupefacti, pariter & admirantes diem, & tempus notant: qui ſolicite requirentes ipſam diem, tempusq; reperiunt, quo B. Confeſſor dixerat ſe eius obſequiis deſeruiſſe.* Hæc ex illo. Oculi, quibus adeo procul vidit, non corporei fuere corruptibiles ſed incorruptiles ſpiritus, qui longe ſunt admirabiliores.

TH. Sunt innumerabiles Serui Dei, qui latiſſima terrarum ſpatia interno intuitu proſpectarunt: ſed altero poſt hoc Ambroſii exemplo contenti eſſe volumus. Iulianus etenim monachus cognomento Sabba fuerat Theodoreto hiſtorico cognitus: de eo igitur is ſcribit in Philotheo, & in hiſt. lib. 3. c. 19. in hanc ſententiam: *Iulianus Sabba, cuius vitam in Philotheo literis mandauimus, ipſo die, quo Iulianus Imperator interfectus eſt, quanquam iter viginti dierum & amplius aberat, cædem eius agnouit; compertum eſt Tyrannum extinctum eadem die ac hora, qua diuinus ille ſenex Sabba eum cecidiſſe cognouerat.* Eadem habet & Niceph. lib. 10. c. 35.

EQ. Idipſum perſimile eſt ei, quod tradit Gregor. Dialog. lib. 4. cap. 30. ab Inſula Liparitana, quæ Siciliæ proxima eſt, Anachoretam vidiſſe Theodoricum impium Regem Arrianum in Italia defunctum, & in Tartareas pœnas detrudi, annotataque die, qua id vidiſſe ſe profitebatur, ita inuentum eſt, vt dixerat: cum tamen longius interuallum intercedat. Sed & Edoardus primus Britannorum Rex non minori admiratione, propter loci diſtantiam, ſuo intimo viſu abſentia vidiſſe traditur. Nam dum in templo oraret ad eos conuerſus, qui aderant, dixit: Frothonem Dacorum Regem, qui contra ipſum magna claſſe veniebat, ea ipſa hora cum quadraginta nauibus ſubmerſum eſſe: idque paucis diebus ab iis, qui inde

 venerunt,

venerunt, confirmatum fuit ita ea hora contigiſſe, vt ab Edouardo dictum fuerat. Fulg. lib.1.

TH. Si de iis narrare velimus, deficiet dies, hoc additur Chriſti ſeruis miraculum, vt alios ipſi videant, ipſi à nemine videantur, vt habet Paul.1.Cor.c.2. Spiritualis homo omnia iudicat, & ipſe à nemine iudicatur.

Nam iuuat reminiſci, quando arreptis lapidibus, Iudæi in Chriſtum irruere ſe parauerant, ipſe autem abſcondit ſe, & exiuit de templo, Ioan.8. Vt igitur ſe fecerat illorum oculis inuiſibilem, ſic & ſeruis ſuis quandoq; inuiſibilitatis huiuſmodi vim aliquo temporis interuallo concedit. Sanctus enim Cyriacus incola monaſterii Sancti Sabbæ, non patiebatur ſe à neceſſariis, neque ab aliis inuiſi. At ad eum nonnulli inuiſendum clam aliquando aduenerant (quod eius cellula quærentibus fuiſſet forte indicata) At illis repente ſuperuenientibus, orauit Deum, ne ab ipſis videretur. Aperiens igitur ianuam coram illis exiit de cellula ſua, & ab eis penitus viſus non eſt, abienſq; in deſertum redire tamdiu diſtulit, donec eos receſſiſſe cognouit. Ita habet Sophron.prat.ſpirit.c.53. Suntq; hæc reuera Dei opera, non autem fabuloſa, vti de Gyge, qui annuli cuiuſdam virtute ſe inuiſibilem præbebat, vt leuiter fabulantur Græci, vt Herodotus.

EQ. Sufficiant hæc hactenus. Ad alia ſcilicet naſcentibus contingentia miracula vertenda videtur oratio. Succurrunt enim quædam memoratu valde digna. Legi aliquando puerum in Raſcat natum cum duobus cornibus, cuius ploratus 14. diebus ante auditus, quam naſceretur. Metrop.Saliſb.Epiſcopo 36. Sed id ad prodigium euidens vergit. Legi etiam puerum in Piceno cum ſex dentibus natum cum facie inſolentis magnitudinis, Caliſto III. Pontifice Bonf.dec.3.lib.8. Palm. anno Domini 1456. Certe cum dentibus naſci homines non ſemel accepi, id enim olim contigit M. Curio, qui ob id etiam Dentatus nuncupatus eſt, ſed & Cn. Papyrio Carboni. Plin.8.cap.16. & Solin. cap. [illegible] Quin etiam Valeria inſignis mulier eodem modo nata eſt, vt ibidem habet Plinius. Sed maiore miraculo contigit vice dentium continui oſſis ſoliditate hominem armari, qualem filium Bithynorum Rex Pruſias habuit, vt ſcribit Solin.c.3. Eodem modo dentatus fuit Pyrrhus quoq; Epirotarum Rex. Fulgoſus lib.1. Fuit & Sicinius cognomento Dentatus, vt Aul. Gell. ſcribit lib.2 cap.11.

Partus dentati editi.

PH. Hæc adeo raro fiunt, vt non videas è multis millibus vnum: neque id miraculo eſſe poteſt, neque ad monſtrum pertinet: potius miraculum naturæ fuerit, Senibus dentes renaſci, cuiuſmodi contigiſſe Zancli Samothraceno teſtatur Mucianus, poſt centum & quatuor annos, idque ſe vidiſſe aſſeuerat, vt habet Plinius lib.11.cap.37.

Senib. dentes renati.

EQ. Sunt hæc memoratu digna, ſicut etiam fœminam nunquam ſpuiſſe, nam Antonia Druſi nunquam ſpuit, vt habet Solin.c.3.& Plin.lib.7.c.19.

PH. Magis admiror aliquem non bibere, quam non ſpuere; nam adeo nonnulli auaritia torquentur, vt & à potu abſtineant, ne exſpuant vel ipſa excrementa, aut verius non exſpuunt, ne bibant. Attamen verum eſt, aliquos nunquam bibiſſe, ſed non natura, at potius vſu. Romanus enim Eques Iulius Viator, cum intercutaneo morbo diu laboraſſet, in pupillaribus annis Medicorum parens mandatis à potu abſtinuit; naturam igitur faciens è conſuetudine etiam in ſenecta caruit potu, vt teſtatur Plin.lib.7.cap.18.

Abſtinẽtia ab omni potu.

EQ. Pontanus vir ſingularis eruditionis, libro de rebus cœleſtibus, teſtatur

fuiſſe

G

fuiſſe hominem, qui nullo vnquam tempore biberit vinum aut aquam. Quin cum
aliquando Ladislai Neapolitani Regis hortatu, ſeu mauis mandato, tantillum bi-
biſſet, ægre id tulit, noxiusque potus ille fuit. Eadem Petrus Hiſpal. Sylu. p. 1. cap.
26. Nobis Romæ degentibus Gregorio XIII. Pontifice Gallorum Regis Orator
N. ſicca eſculenta fere ſemper admittens, ac ſalſa, fere numquam ſe bibere, aut ſiti-
re conteſtabatur.

TH. Hæc fuere memoranda; at miracula maiora ſunt comperta in priſcis illis
Chriſti ſeruis: nam nec in ſolo pane viuit homo, ſed ex omni verbo, quod procedit
de ore Dei, libetque de hac re nonnulla reminiſci pro Chriſti ſeruorum gloria.
Codratus enim Martyr præter conſuetum naturæ vſum educatus eſt: ab ipſis enim
incunabulis nutrimentum incertum habuit, quippe qui matrem adhuc infans a-
miſiſſet, & maternis vberibus caruiſſet; Chriſtus autem illi ſignis minime obſcuris
alimenta ſubminiſtrauit, cum eius iuſſu nubium globus è cœlo infantem ample-
cteretur, alimentumq; ſuppeditaret, vt habet Metaph. 10. Martii, Lipom. Tomo 7.

EQ. Vt potus, ita & cibi abſtinentiam dierum 11. pati homines poſſe teſtatur
Plinius libr. 11. cap. 54. Sed CHRISTI gratiæ virtus ad longius tempus ieiunium
potens eſt producere: nam & Heliæ & Moyſi id conceſſit, ipſe quoque id peregit
diebus quadraginta, ſicut aliis etiam conceſſit. Nam ſanctus Auguſtinus Epiſtola
86. ad Caſulanum: *Quadraginta* (inquit) *dierum ieiunium aliquos feciſſe cognouimus: ad*
ipſum enim quadragenarium quendam à fratribus fide digniſſimis nobis aſſeueratum eſt. Hęc
ille. Aliis vero multis etiam itinerantibus diuturnum ieiunium fuit. THEODO-
RETVS enim inſignis Hiſtoricus in Philotheo, in vita Maranæ & Cyræ ita habet:
Eæ optantes loca ſacra, vbi Chriſtus paſſus eſt, videre, vsque ad Heliam profectæ ſunt, vbi cum
adoraſſent, cibum ſumpſere, & iterum ieiunæ ſe domum recepere: eſt autem non minus, quam
viginti dierum iter in Berræam vsque videlicet: has ſe cognouiſſe, & collocutus fuiſſe ibi
teſtatur. Sophronius etiam prat. ſpir. cap. 121. de duobus agit Gregoriis, Byzantino
altero, altero vero Pharonite: degebant ii in Inſula maris rubri, nulla penitus ibi
exiſtente aqua, præter eam, quam ſibi à continenti nauicula afferebant; contigit
autem nauiculam fluctibus mergi ſublatam littore fune dirupto. Itaque aquæ pe-
nuriam pati coacti ſunt ad plurimos dies, & mori: mortis autem cauſam ſic inſcri-
pſere, in cuiusdam teſtudinis dorſo. *Abbas Gregorius Pharonites viginti & octo diebus a-*
quam non bibens defunctus eſt. Ego autem dies triginta ſeptem transegi, ex quo non bibi. Eo-
rum autem cadauera integra comperta ſunt, etiam poſt menſes octo. ALBERTVS
autem Magnus ſeſe in Colonia ſolertiſſime obſeruaſſe tradit, mulierem 30. diebus
omni cibo potuque abſtinuiſſe, virum autem diebus quinquaginta, niſi quod al-
ternis diebus paululum aquæ aut vini ſumeret Hæc Albert. anim. lib. 7. tr. 3. c. 3.

Cibi abſtinentia diuturna.

PH. Poſſet aliquis ex ciborum ratione ſitim adeo ſedare, vt ad multa tempo-
ra nihil cogatur bibere, præbentibus cibis huiusmodi tantum gephmatis, humo-
risque, vt potione non ſit opus: nam Loto herba qui vtuntur Æthiopes nunquam
ſitiunt. Strabo lib. 3. & lib. 17. dicemusque, cum de herbis agemus. At absque huius-
modi herbæ antidoto Chriſti athletæ experti ſunt diuturnam à potu abſtinen-
tiam. Id ita contigiſſe conſtat Monacho iuueni in Thebaide degenti, & qui toto
triennio vino, aqua, omnique potionum genere abſtinuit; oleribus tantum ve-
ſcens, id ſcribit idem Sophronius prat. ſpir. c. 184. At nec ediſſe, nec bibiſſe, id ma-
iori eſt miraculo, præſertim itinerantibus, climate aliquo Solis ardoribus expoſi-
to, quemadmodum Alexandrina littora, ac Palæſtinæ contermina. Petrus enim

Ponticus & ipſe Monachus à Iordane in montem Sina itineratus eſt, nihil omnino ſumens: ibi vero ſumpta Euchariſtia, cibum quoque temporalem ſumpſit. A Sina vero vsque Alexandriam ab omni eſculento & potu perpetuo abſtinuit. Et ab Alexandria vsque Hieroſolymam, quæ interualla paſſuum millia plurima excedunt. Sophron. prat. ſpir. cap. 100.

PH. Sunt hæc memoratu digna, etiam in Monacho omnibus curis vacuo. At memorabilius eſt, quod de Abraame Cyrrhorum Epiſcopo, qui publicam curam gerebat, tradit idem Theodoretus, qui toto Epiſcopatus ſui tempore nec pane, nec aqua, nec lecto, nec igne vſus eſt, neque leguminum vllum genus, neque cocta olera, neque (vt diximus) aquam ipſam guſtauit, lactucis, cicoriis, apiis, aliiſque crudis perpetuo contentus: nunquam Epiſcopalibus curis deficiens, diu noctuque publicis negotiis audiendis præcipue intentus. Et, quod eſt admirandum, hoſpitalitate frugali erga omnes vſus, lautis epulis, ac potionibus vini, alios ſumere ſemper adhortans, ipſe nihil prorſus guſtans, vt tradit Theodoretus in Philotheo in ipſo Abraame.

EQ. Hæc vetuſtiora ſunt exempla, verum vt ad noſtra tempora propius accedamus, refert Albertus Magnus, in Germania, in vrbe Colonia, Federico II. regnante, ſæpius quendam, ab alienato ſenſu, ſeptem hebdomadas cibo caruiſſe, ſola aqua interdum epota, ſeſeque, vt rem cognoſceret, diligenter id obſeruaſſe. Tanto igitur Epiſcopo eſſe credendum non dubitarim, qui etiam addit, mulierem quandam Germanicam dies viginti ſine cibo manſiſſe. Hæc Baptiſta Fulg. lib. 1.

Adiiciendum eſt præterea ex Ariſtotele, qui vidiſſe ſe hominem teſtatur, qui ſolo aere Soleque viueret, teſtimonio quoque Olympiodori vtitur, vt Ficinus teſtatus eſt ad Phædum Platonis, in argumento. Sed & Anno Domini 1288. comperta eſt in Germania in villa Eykel puella, quæ absque omni cibo annos 30. vixerit, Euchariſtiæ ſacroſancto Sacramento contenta. Mirum, cum aliquando Sacerdos hoſtiam nondum conſecratam obtuliſſet, ipſaque incauta ſumpſiſſet, intra fauces hæſit, adeo vt glutire non valuerit. Id compertum eſſe tradit Nauclerus, adiiciens, cum mox vere conſecrata hoſtia fuiſſet oblata, absque vllo impedimento glutiiſſe. Hæc autem accidiſſe memorat in Leodienſi diœceſi Gener. 43. in fine. Puella etiam duodecim annorum in Tullenſi territorio in villa Commertiaco, poſt Euchariſtiam in Paſchate ſumptam per triennium omni cibo ac potu caruit. Vinc. hiſt. lib. 24. c. 27. circa Annum Domini 820.

TH. At aliquis obiecerit, fraude aliqua vſos, vt diutius abſtinuiſſe videantur. Nam id eſt compertum contigiſſe etiam Romano ciui, quando pater longa inedia in carcere maceratus putabatur, quem tamen filia lacte quotidiano è mammillis propriis ad carceris cancellos ſuctu nutrierat. Soli. c. 6.

Sed etiam compertum eſt, ampliſſimum quendam virum, cum diutino carcere detineretur, putatum eſſe non egerere lotium, cum illud biberet, vt ita è carcere liberaretur, vt Garimbertus notat de vitis Cardinalium de variet. fort. in Belue.

Quin etiam ſub Traiano ſcribit Zonaras Antiochiam ingenti terræmotu quaſſatam hominum multa millia ruinis oppreſſiſſe: inter hos in imo domus oppreſſa mulier cum infante vberibus hærente; ſepulta igitur, non oppreſſa, audita eius voce poſt dies multos, teſtata eſt, puerum lacte pro more vixiſſe, ipſam vero proprio etiam lacte ſibi aliquando ſuccurriſſe.

Sed & S. Chriſtiana, cum à neceſſariis contemneretur, eique cibum negarent, pro-

propriis ab vberibus, tametſi virginalibus, lacte [illegible] nutriuit. Dionyſ. Cart[illegible] nouiſſ. c. 50. ex Iacobo Aconenſi Cardinali, neque id paruo temporis interuallo: nam ad hebdomadas nouem ſuo huiuſmodi virginali, & admirando lacte alita eſt, vt memorat Thomas Cantipratenſis in vita S. Chriſtianæ, c. 4. apud Surium Tomo 3.

PH. Sed certe cum maiora miracula videamus diuina poteſtate fieri, cur non quæ diximus, fieri credamus, cum Albertus Magnus ſolertiſſimus harum rerum indagator exploraſſe ſe teſtetur? Nam & Eremita quidam valde pius ſola Euchariſtia apud Heluetios prope Vnderualdem ſingulis menſibus ſumpta annos quindecim, nullo prorſus alio ſumpto cibo, vixiſſe traditur circa annum Domini 1465. vt Wernerius in faſciculo. Erat is Nicolaus nomine Suitenſis ſecedens pietatis cauſa ab vxore ita conſentiente, ac liberis: facie ipſa præferebat inediam perpetuam homo macilentiſſimus, quin cum ea res delata ad Conſtantienſem Epiſcopum fuiſſet, neque fidem adhiberet, iuſſiſſetque tria panis obola ab eo ſumi, paruit quidem ille, ſed ægre deglutire valuit, tandem obiit, opinione ſanctitatis per Prouinciam relicta, Anno Domini 1478. circa, vt Naucler. memorat Gener. 50. Eadem inedia, ſola Euchariſtia ſumpta, diu vixit beata Catharina Senenſis, vti Pius Secundus ſuis literis in eius canonizatione teſtatus eſt. Igitur pro comperto id haberi debet, multos ſine cibo vixiſſe, quod & Fulgoſus teſtatur libro 1. Et de iis hactenus.

EQ. Duo quędam antecedentibus proxima, non quidem alimoniæ abſtinentia ſola, verum à victus ratione admiranda exempla narrare in animo eſt, primumque de Iacobo ſeruo Dei ſermo ordiendus eſt. Hunc pro tecto cœli tantum tegmen defendebat, omnes aeris iniurias æquo animo ferebat, ita vt modo magna imbrium vi opprimeretur, modo acuta glacie congelaret, interdum vero nimio Solis æſtu flagraret; nullum neque antrum, neque ſcænam, neque tugurium, neque ſeptum aliquod habens, quin ſiue ſtaret, ſiue ſederet, ſiue iaceret, ſiue ſanus, ſiue ægrotus aſſiduam orationibus operam nauabat, ſemper harum actionum omnium habens curioſos ſpectatores: idque ſeſe vidiſſe teſtatur Theodoretus in Philotheo, cuius virtutem imitatus eſt alter, cui nomen Borradates, hic arculam ligneam, quæ corpus vix caperet, extruxit, hæc potius caueæ, quam arcæ formam habebat, ideoque pluuiæ, & Solis ardori haud ſecus, ac ſub dio eſſet, erat obnoxius. Ita Theodoretus in eodem Philotheo.

PH. Eſt & hoc mirum tanta pati coram aſſiduis ſpectatoribus, quamquam & alter id fecit. Simeon enim Cilix, qui ſæpe quadraginta perpetuos dies abſque cibo ac potu ieiunauit, nocte ac die ſtans ſpectabatur ab omnibus: foribus enim, ac magna murorum parte ſublata, nouo atque mirabili omnium ſpectaculo expoſitus erat; modo enim ſtans, modo vero humi proſtratus Deum adorabat, multi etiam aſtantium eius inclinationes enumerabant. Semel autem Theodoreti quidam familiaris mille ducentis quadraginta quatuor enumeratis, defeſſus tandem numerare amplius deſiit, dum autem inflectebatur, frontem pedum tenus applicabat, quin in publicis ſolemnitatibus ab occaſu ad ortum Solis, ſublatis ad cœlum manibus, totam noctem ſtabat, neque ſomno victus, neque labore defeſſus. Hæc omnia ſe ſpectaſſe ſcribit Theodoretus in Philotheo, quæ ſane ſuperant omnia Gymnoſophiſtarum ſuperſtitioſa exercitamenta, de quibus Solin. cap. 53. Atque etiam ea, quæ de Socrate narrantur, admiranda Ethnicis quidem, nobis ob exem-

exempla iam dicta parui facienda. Socratem enim ſcribit Aul.Gel.noct.att.lib.2.c. 1. à ſummo lucis ortu ad Solem alterum orientem inconniuentem immobilem iiſdem in veſtigiis,& ore,atque oculis eundem in locum directe cogitabundum.

Hæc ſuperantur à iam dictis laboribus,quibus non vna die,aut altera tantum, ſed perpetuis vitæ eorum temporibus,nulla interdiu vmquam requie. Quod enim ob vnum diem admirandus credebatur Socrates, ii ob tot annos continuos admirabiliſſimi, atque inenarrabili modo efferendi eſſent, quos certe iure merito commemorauimus.

EQ. Non eſt abſque admiratione etiam pronunciandum, quod Epiſcopus Acatius egiſſe ſcribitur à Sozomene hiſt. lib.7. cap.27. Is enim omni tempore habuit apertum Epiſcopale habitaculum, vt & cibi, & ſomni capiendi tempore tum à peregrinis, tum à ciuibus ſuis adiretur, tam diu, quam noctu, vt ſic à vitiis perpetuo alienus è repentino acceſſu poſſet eſſe ſecurus. Non hoc eſt tam eximii laboris exemplum, at laudabile ſupra naturæ vires, in Epiſcopo præſertim tot curis & vexationibus diſtricto: Simeon tamen Cilix, & alii prædicti, qui die & noctu ab omnibus ſpectandi manebant expoſiti ſub dio, valde huic non modo æquandi, verum præferendi quoque ſunt.

PH. Vide quam mira agat Deus, & quam variis ſibi modis deſeruire athletas ſuos velit, alios aliis modis ſuam gloriam efferre, adeo tot, at tantæ ſpiritus gratiarum diuiſiones per vigilias, per peregrinationes, per continentiam, perſeuerantiamque eodem loco, dum alii includuntur, alii latent, alii palam expoſiti eum laudant, alii inſomnes noctes percurrentes, adeo vt etiam conſtet alios dormiuiſſe annorum integra ſecula, (ſicut ſeptem dormientibus contigit) quod ad Dei gloriam, magnaque encomia cumulanda pertinuit, atque ad reſurrectionis myſterium. Id autem indubitabili fide credendum ſuadet omnium ſcriptorum authoritas. At non ita credendum eſt vnicæ aſſertioni pueri illius, cuius relatu credidere Ethnici dormiſſe annos 57. vt habet Plinius lib.7.c.52. quia vnius aſſertio fuit, hæc vero ſeptem, præter id, quod non niſi diuina ope id fieri potuit; quando reſurrectionis myſterium miraculo voluit comprobari tot teſtibus, non ita credendum in illo vnico teſte, gratiam ſancti Spiritus non habente. Attamen alius ſeptem dormiiſſe annos traditur: Gregorio enim XI. Pontifice, adoleſcens Lubicæ ſcholaſticis diſciplinis nauans operam recluſit ſe dormitaturus, repertus eſt ſeptennium dormiiſſe; iam enim omnes ſibi perſuaſerant vrbe exceſſiſſe. Krant. Vandal.lib.8.cap.39.

Somnus diuturnus.

EQ. Non deſunt plurima eorum exempla, qui reſurrexerunt, ſi libeat de iis colloqui.

PH. Mallem nos prius perſequi ea, quæ viuentibus admiranda contigerunt, poſtea vti mors & reſurrectio poſtrema rerum fuerint, ita pro Colophone noſtrorum ſermonum reſeruemus.

Ridentem naſci.

TH. Naſcentem Zoroaſtrem cum riſu hoc certe adnotauimus admirabile eſſe, ſed cum magis ad dæmoniacam actionem id ſpectaret præter totius generis humani morem, quod quamquam riſibilis ſit homo, ſemper tamen, omneſque flentes naſcimur; horreſcamus autem magis quam admiremur riſum Zoroaſtris: ille enim ridens naſci viſus eſt, vt aliquid vitioſum ſupra reliquos homines referre videretur. Tametſi enim homini ſit indita riſibilis vis, virtutis tamen egregium veſtigium eſt, numquam ridere, quod præcipue in Chriſto Saluatore fuit, quod ita pro virtute lubens voluerit non ridere. Alii tamen quidam, vt Socrates, Craſſus &

Numquam ridere.

Cato ridere numquam viſi ſunt, non quod ita virtute propria valerent, ſed quod natura frigidiore non omni ætate riſum præ ſe tulerint. Cum enim virilem ætatem attigiſſent, facti ſanguine melancholico repletiores riſum contempſerunt. Propterea ex noſtris ſacris literis recte didicere omnes, virtutis eſſe veſtigium non ridere, cum dicantur riſus abundare in ore ſtultorum. Eccl. 21.

PH. Id certe eſt veriſſimum, ſtultos ridere effuſius. Riſus enim ex petulantia lienis tunc, cum maxime à ſanguine fecem haurit, exoritur; hominem etiam nolentem cogit latera, ſpiritum, os, oculos, vultumque ipſum ita laborare, vt aliam formam tenere, quam ſuam videas eum, qui rideat, perinde atque etiam animo ſit alienato. Propterea etiam lethalis eſt ipſe riſus effuſior: nam ſunt, qui docuerunt, ad incolumitatem ſeruandam oportere cauere à vehementi riſu, in quo etiam ingenii intellectusque ſit quædam obtenebratio. Fuere autem, qui riſu necati ſunt, aliquot iure commemorandi. Zeuxis enim pictor deformiſſimam ſpectans quandam picturam ſolutus in riſum expirauit. Verrius alter pictor, quod anum quandam deformiſſimam pinxiſſet, eandem mortem in riſum ſolutus obiit, Rhodigino teſte, lib. 4. cap. 18. Nam ob deformitatem rerum ſpectatarum, aut auditarum, vel etiam intellectu perceptarum riſus permouetur. Eſt enim triplex riſus: primus naturæ, quæ potius hilaritas eſt, is in Sara Abrahæ vxore fuiſſe ſine culpa memoratur: deinde eſt riſus ſtultitiæ, & eſt omnium ſtultorum cachinnus: tertius eſt malitiæ, qui in Camo fuit paternam deridente turpitudinem. Propterea Palæmon Philoſophus, quum aſinum ad ſatietatem ficubus depaſtum vidiſſet, in tantum riſum ſolutus memoratur ob illam rei nouitatem, ac deformitatem beluinam, vt expirauerit. Præſtat igitur, parum atque hilariter tantum ridere, tum ob incolumitatem, tum ob virtutem: nunc ad alia naſcentium admiranda vertendam orationem expecto.

Riſu enecari.

EQ. Naſcendi igitur præter naturæ ordinem quædam fuere miracula. Mirum quod à Cteſia didicit Solinus cap. 55. apud Indos quosdam infantes ſtatim natos canos fieri, rurſumque alteram ibi gentem eſſe, quæ in iuuentute ſit cana, nigreſcat in ſenectute. Plinius aperte eorum nomen aſſeuerat, nempe Pandoras eſſe ſcribit lib. 7. cap. 2. Idem & Aul. Gell. lib. 9. cap. 4.

Canos naſci.

PH. Ex eodem Solino cap. 19. conſtat, Albanos ideo dictos, quod albo crine naſcantur: à canitie enim habent auſpicium capillorum. Aul. Gel. etiam id commemorat lib. 9. cap. 4. Canities ea ratione iis cauſatur, quod capillo ſunt rariore, & albeſcit, qui colorem humoris, quo capillus nutritur, imitatur, nempe ex phlegmate, vt tradit Macrob. lib. 7. cap. 9. Si igitur ſenio phlegma natiuum in ſanguinem tranſit, neceſſarium eſt, ſanguineo humore capillum enutriri, & ideo fieri nigrum. Eadem enim ratio; quæ nobis in iuuentute capillos nigros, in ſenectute albos facit, eadem illis in infantia albos, ſenio nigros.

TH. Non ſemper ab humoribus canities prodire dignoſcitur. Nam quandoque etiam miraculo fit, vt Iacobus Niſibenus Epiſcopus aliquando effecit. Deſcendens enim in Perſidem iuxta fontem, puellæ quædam, abiecta verecundia detecto capite, contractisque veſtibus, impudentibus oculis ſanctum virum ſpectabant; quam rem vir Dei ægre ferens, volensque diuinam virtutem ad tempus manifeſtam facere, fonti maledixit, & confeſtim aquarum curſus exaruit, maledixit etiam puellis, & impudentem earum iuuentutem immatura canitie puniuit. Nam cum ſtatim res verbum ſubſecuta eſſet, capillorum nigredo in candorem mutata

eſt, ita vt puellæ nouis arborum plantis ſimiles euaderent, quas verno tempore autumnalibus foliis languere videmus. Hæc Theodoret. in Philotheo.

Repentina canities.

PH. Animi quoque angores canitiem accelerant: nam frigeſcit corpus, phlegmaque augetur, atque ita canities ſuperuenit. Verum tantus etiam animi angor eſſe poteſt, vt breui admodum interuallo canities ſuperuenire poſſit, cuiusmodi Hiſpali contigiſſe commemorant Didaco Oſorio. Is à Catholico Rege in carcerem coniectus adhuc admodum iuuenis vnica tantum carcerationis nocte præ nimia animi mœſtitia, cogitationibus mentem exagitantibus totus incanuit, velut ſenio confectus. Id tradit Petr. Hiſp. Sylu. p.2.c.7. Quod etiam accidiſſe Romana Republica florente authores tradiderunt.

Nam cum Sergius Galba à Nerone ad Hiſpaniæ ſedandos motus miſſus eſſet, ac ingreſſus Prouinciam ſacrificaret intra ædem publicam, puero è miniſtris acerram tenenti capillus repente toto capite incanuit, ex Suetonio in Nerone, & in Galba Vaſæ. Chron. Hiſp. anno Domini 70. Præterea cum Vipertus iuuenis in Racemburgenſis Eccleſiæ Epiſcopum fuiſſet electus, Romamque profectus diſpenſationis cauſa ſuper ætate à Pontifice contemptus eſſet, nocte ſequenti totus incanuit, quo viſo miraculo Pontifex confirmauit hominem ſimul, & diſpenſauit, addita etiam conſecratione. Krantzius Metrop. lib. 9. cap. 47. Sed redeamus ad ortum hominum.

EQ. Ortum hominis admirandum etiam illum, potius prodigium cenſeo, de quo Liuius dec. 3. lib. 7. ſcriptum reliquit, Fruſinone infantem natum quadrimo parem.

Præcox corporis. Incrementum & adoleſcentia.

PH. Id nulla ratione naturæ eſſe conſentaneum poteſt, quandoquidem tempore eſt opus, vt membra coaleſcant, ac indurent: propterea inter prodigia poſuere. Erit vero non tanto prodigio, ſi corporis acceleretur augmentum breuiore temporis (quam natura ferat) interuallo; cuiuſmodi apud Solinum c 4. & apud Plin. lib. 7. cap. 16. *Inuenimus (inquit) in monumentis Salamine Euthimenis filium in tria cubita triennio adoleuiſſe, inceſſu tardum, ſenſu hebetem, & iam puberem factum, voce robuſta, abſumptum contractione membrorum ſubita triennio circumacto. Ipſi nos pridem vidimus eadem ferme omnia præter pubertatem in filio Cornelii Taciti Equitis Romani Belgicæ Galliæ rationes procurantis.* Hæc ille.

EQ. Duo igitur hic contigere miracula, accelerata ſcilicet nimis ſenectus triennio. Inſuper naturam erraſſe patet, quæ triennio ſolet hominis altitudinem futuram indicare: puer enim triennio, ex quo natus eſt, dimidiam habere menſuram ſtaturæ futuræ certum eſſe ſcribit Plin. eodem cap. 16. & 5. Baſilius in exemero hom. 10.

TH. Eſt hoc equidem memorabile triennio ſenuiſſe hominem, ſed ſingularis hominis euentus fuit: at memorabilius, quod iam diximus, alias gentem eſſe apud Nilum, quarum fœminæ quinto anno pariant, octauo ſenectute moriantur, vt habet Solin. cap. 53. Plin. libr. 7. cap. 2. ſed lib. 11. cap. 3. hos Pygmæos eſſe, qui cum gruibus pugnant, tradit quod & Albert. Magn. anim. lib. 7. trac. 1. c. 6. Sed & Macrobicæ mulieres ſemel tantum pariunt, quadrageſimo anno decrepitæ ſunt. Plinius eodem cap 2. Cui accedit aliud memorandum. Nam Albertus Magnus vidiſſe ſe affirmat in Germania puellam nouennem, quæ anni vnius infantile corpus referret longitudine ac forma. Ita ille animal. lib 18. tract. 2. cap. 2. *At noſtro hoc Europæ cœlo illud accidit memorandum: puella anno octauo concepit, nono peperit, apud Moſellam fluuium,*

uium, Benedicto XII. Pontifice, vt ex Iacobo Columna in libro, cui titulus eſt, Mater hiſtoriarum, Genebrardus memorat. Accidunt hæc perraro, ſicut quod noſtro hoc cœlo pueri prægnantes mulieres reddant, quod ſemel eueniſſe tradit S. Hieronymus, de quo alias paucis egimus, nunc autem opportune pluribus. Muliercula, quum infantem nutriret expoſitum, & ſtillaret cibos, ac nutricis fungeretur officio, cubaretque cum ea paruulus, qui vsque ad decimum annum iam peruenerat, accidit, vt, plus quam pudicitia patitur, ſe mero ingurgitauerit, accenſaque libidine obſcœnis motibus infantem ad libidinem duxit: prima ebrietas alterius noctis, & cæterarum deinceps conſuetudinem fecit; nec dum menſes duo fuerant euoluti, & ecce fœminæ intumuit vterus. Rhodigin. antiquitatum lib. 14. cap. 8.

PH. Et hæc rara ſunt, nec carent authoritate miraculi, ſed nobis miraculi maioris loco eſſe debet hominum longæuitas. Ex quo enim Deus, peracto diluuio, vitæ hominis communem metam ſtatuit centum viginti annorum, Gen. 6. & iuxta Pſal. 89. ſeptuaginta, reliquum tempus laboris & doloris eſt; tamen adhuc ſuperſunt gentes menſuram hanc excedentes ſpeciali dono Dei, vt Taprobanæ homines, qui ad annos 150. viuere permittuntur, poſtea occiduntur, absque dubio diutius victuri. Ex Iambolo Diodorus Siculus. *Longæuitas.*

Quin absque ſenio alios viuere 130. annos Gigantea ſtatura quinorum cubitorum, & vmbras nunquam ſubire tradit Plin. lib. 7. cap. 2. Cyrnios quoque ſcribit Indorum gentem eſſe, (ex Iſigono id didiciſſe fatetur) quæ ad annos 140. viuat.

EQ. Et in Europa recenti tempore conſtat Aquilonaribus regionibus longæuos eſſe homines ad annos 160. 170. Quin Dauid Epiſcopus Scotus vixit vltra annos 170. vt tradit Olaus lib. 4. c. 4. Sed & in Braſilia in terra Verzino viuere adhuc annos 140. comperit Ant. Pigaf. At viuere centum viginti paſſim vulgoque in Arabia felici, ſcripſit Ludouic. Barthema lib. 2. c. 9.

PH. Sunt etiam, qui ad ducentos annos viuere commemorentur, cuiusmodi ſunt ii, de quibus idem tradit Plin. lib. 7. c. 48. In Ætolia Epiorum gentem eſſe ait, eamque ducentos annos explere. Quin etiam Pandoras tradit idem Plin. lib. 7. c. 2. annos ducentos viuere in iuuentute capillo candido, in ſenectute nigro. Propterea S. Auguſtinus, qui Plinium doctiſſimum eſſe aſſerit, iure id dixit: nam & eius ſententiam, qua ducentos annos gentem viuere teſtatus eſt, ipſe refert, nec improbat lib. de ciuit. Dei 15. c. 9.

Ii, qui orbem luſtrarunt, admirabiliora referunt. Venetus enim nauta, incerti nominis author apud Ramuſ. Tomo 1. in portu Mudafaraba non procul à Diu repertum hominem annorum trecentorum teſtatus eſt.

At in India vlteriore inter Brachmanos repertus quidam homo eſt annorum trecentorum, vti teſtatur Nicol. de Comit. Sed & Seres eiusdem orientis incolas ad trecentos annos viuere, plures quoque tum Reges, tum Philoſophos longe ſupra annos centum vixiſſe memorat Lucianus in Macrobiis. Quin etiam Hiſtorici grauis authoritatis, & pii tradidere, Lucii II. Papæ tempore compertum fuiſſe Ioannem quendam (cui ob longæuitatem Ioannis de temporibus inditum nomen fuit) vixiſſe annos trecentos in Gallia, qui Caroli Magni armiger fuiſſe ferebatur. Vinc. hiſt. lib 27. c. 16. Id annotauere Bergomas, & Guag. rer. Franc. lib. 6 Ioannes Naucl. in ipſo Lucio II. anno Domini 1146. atq; alii perplures. Fuit is Ioannes nobili genere Leſtuig ortus, vnde Epiſcopi Rodienſis & Engolismenſis prodiere, ac Logdunenſes Canonici, vt S. Anton. habet tit. 7. c. 1. §. 5. cum ſuo margine.

gine. Accedit ad hæc S.Seueri vita, quam exceſſiſſe longe 300.annos, tradit Petrus de Natalibus in eius vita, & Leodienſium martyrologium: agebat enim annum 297.cum factus eſt Epiſcopus Tungrenſis, ſeditque annos 76.vixitque 373. Hæc ille: quæ etiam recolit Georgius Bruin in Traiecto ad Moſam. Meminit quidem huius rei Illuſtriſſ. Reuerendiſſimusque D. Card. Baronius ex Segeb. ſed rem portentoſam putat die 13.Maii. Attamen comperi ampliſſimum ſenem, atque Illuſtriſſimum D.Card.Palæotum in lib.1.de bon. Senect. ſcribentem, haud inueriſimilem eſſe tantam longæuitatem, cum etiam hoc noſtro ſeculo ſuppetant exempla alia, quæ ipſe eo loci recolit eſſe comperta.

TH. Ego itidem vt portentoſam rem tantam longæuitatem aſſeuerarim: affirmare tamen poſſumus, non modo vera eſſe, quæ dicta ſunt, ſed & alias fuit compertum in Pictoreo, qui præcipuis corporis viribus vixiſſe annos trecentos aſſeritur, vt habet Plin. lib. 9. c. 48. ex Damiate vetuſtiſſimo ſcriptore: cui etiam Viues ſubſcribit in Scholio ad Auguſtini prædictum caput nonum.

EQ. Sunt haud dubie hæc diuino auxilio tribuenda, vt author vitæ atque mortis cognoſcatur, eosque indicet diutius viuere, qui malitia animum minus imbuerint, quandoquidem breuioris vitæ ii plerumque ſunt, quibus ingenitus calor callidum produxerit ingenium. Econtra vero longæuiores ſunt ii, qui ſimpliciori ſunt mente, ſicut etiam huiusmodi firmiori ſunt corpore, ac membris.

Simpliciores longæui, & contra.

PH. Sunt robore firmiore ii, qui obtuſiore ſunt ingenio, ſicut molles carne aptiores ſunt mente, ex Ariſtotelis ſententia. Id patet Aquilonaribus regionibus. Scribit enim Olaus lib. 5. c. 2. in Suetia & Gottia viros compertos, qui equum aut bouem humeris ferant, quin & pondus librarum mille è terra ſublatum in multa millia paſſuum geſtarint, ſpecialique exemplo nuncupat Starcatorem collo appenſas perpetuo geſtaſſe auri puri libras centum viginti.

Corporis robur.

TH. Hoc auri pondus minore gloria ac fructu ferebat hic Barbarus, quam ferret Euſebius monachus, qui toto triennio ferri libras ducentas quinquaginta diu noctuque perpetuo tulit, carnem macerans, vt teſtatur Theodoretus in Philotheo in Martiano. Hæc in Eremo Cyrrhi.

EQ. Fuerit ob hæc exempla fortitudinis corporeæ credendum etiam iis, quæ ſcribit Sol. c. 3. ex Varrone, Tritanum ſcilicet gladiatorem natura Samnitem fuiſſe, qui ex rectis & transuerſis neruis non modo crate pectoris, ſed & manibus cancellatis & brachiis omnes aduerſarios leui tactu, ac pene ſecuris congreſſionibus vicerit, eiusque filium militem Cn. Pompeii pari modo natum ita ſpreuiſſe hoſtem prouocantem, vt inermi eum dextra & ſuperaret, & captum digito vno in caſtra Imperatoris ſui reportaret, quæ etiam habet Plin. lib. 7. c. 20.

Nos vero Aſtæ hominem Aſiaticum vidimus coram Piſcariæ Marchione arreptam pilam marmoream prorſus ſphæricam trium pedum ambitu, & vnius craſſitie, in altum ieciſſe, vlnis ſæpiſſime recepiſſe, rurſumq; celerrimo iactu modo ante, modo pone excepiſſe ex alto relabentem, velut ſi luſoria pila luderet. Quin eisdem ſpectatoribus iuſſit è macello recentia boum crura adferri, nudataque adhuc humorem retinentia, gladiolo ſub iis ſuperpoſito, pugnoque percutiens, tam dura oſſa in duas diſcindebat partes transuerſim; deinde aliud crus bubulum arreptum propriæ illiſit fronti, moxque ſicut ſi alliſiſſet ſilici, ingentiq; marmoreo ſaxo, crus huiusmodi bubulum in partes confractum eſt, fronte prorſus illæſa. Pugno quoque aliud crus eiusdem amplitudinis ac duritiei, nobis ſpectantibus, eodem loco contri-

contriuit: aliaque inſuper fortitudinis ingentis ſigna ediderat, quæ breuitatis cauſa omittuntur. Fuit & Rodamas Mantuanus ex Gonzaga gente admirandæ fortitudinis, ſtaturæ tamen modicæ. Is munimentum ferreum, quod equorum pedibus adhibetur, manibus contorquebat: funem, quantum ſit hominis brachium, craſſum, arreptum, & hac atque illac iunctis manibus torquens ac retorquens intra duas manus ita diſcindebat ac frangebat, velut gladio diſcidiſſet. Equos duos vni inſidens, alterum fune ducens, vtrumq; in ipſo curſus impetu certa conſtituta linea ſiſtere vi cogebat.

PH. Plinius æque admirandus vires in Gottis & Suetiis narrat ex M. Varrone lib.7.c.20. *Ruſticellus* (inquit) *mulum ſuum tollebat: Sed & Fuſius Saluius duo centenaria pondera pedibus, totidem manibus, & ducenaria duo humeris contra ſcalas ferebat.* Hæc ille. Qui etiam ſe vidiſſe commemorat Athanatum nomine prodigioſæ oſtentationis, quingenario thorace plumbeo indutum, cothurnisq; quingentorum pondo calceatum per ſcænam ingredi.

EQ. Hæc minor fuit vis in Milone Crotoniata, de quo Solin.c.3.ſic habet: *Milonem Crotonenſem ferunt egiſſe omnia ſupra, quæ homo valet, de quo etiam proditur, quod ictu nudæ manus tantum fecit victimam: eumq; ſolidum, qua mactauerat die, abſumpſit ſolus non grauatus.* Super hoc nihil dubium. Nam factum elogium eſt.

PH. Sed huic nihil profuit fortitudo hæc, quando diſciſſam quercum manibus apprehenſam nequiuit diſcindere, quin potius ipſa in ſe rediens adeo conſtrinxit Milonis manus, vt nec eruere potuerit, atque ita vitam cum morte commutarit, in ipſa ſui roboris virtute, vt habet Strabo lib. 6. Idque ita narrat Maximus lib.9. *Milo Crotoniates cum iter faciens quercum in agro cuneis adactis fiſſam vidiſſet, acceſſit ad eam, inſertiſque manibus, diuellere conatus eſt, quas arbor excuſſis cuneis in ſuam naturam reuocata compreſſit, eumque cum tot gymnicis palmis lacerandum feris præbuit.*

TH. Inde homini mors, vnde peccatum, gloriæ enim cupiditas, propriæque virtutis fiducia hunc parit plerumq; exitum homini: nam vt habent ſcripturæ codices 1.Reg.17. Goliath altitudinis ſex cubitorum & palmi, pōdus loricæ eius quinque millia ſyclorum æris erat, ocreas æreas habebat in cruribus, haſtilæ haſtæ eius erat quaſi liciatorium texentium, ipſum autem ferrum haſtæ eius ſexcentos ſyclos habebat ferri; hac tamen corporis armatura, & robore ab adoleſcētulo inermi, qui æqualis virtutis cum exempla peregiſſet non elatus, ſed humilis, nihil ſibi tribuens ſed omnia diuinę gratiæ adſcribens, tantum Gigantem proſternens, ſe, populumq; ſeruauit, meruitq; triumphare: nam cum puer eſſet, apprehendens mentem leonum atq; vrſorum, inermis ſuffocabat, atq; interimebat: quod miræ fortitudinis tum corporis, tum animi indicium fuit. Atq; Milone & fortior & fortunatior fuit, ſicut & Victorinus Epiſcopus: qui, quoniam dum in eremo viueret, illuſione diabolica in fornicationem inciderat, vt reatus pœnitentiam ageret, lubens manus in fiſſuram ligni impoſuit, Milone, qui id inuitus paſſus eſt, fortior, totoq; triennio ita impoſitas tenuit herba cruda, & aqua frigida victitans, miraculis coruſcans etiam ad Epiſcopatum Amiternenſem eſt prouectus, ac tandem ſub Nerua Martyr effectus, Milonem fortitudine, & Tyrannum martyrio ſuperans humilitate magiſtra: Ado.Treu.Non.Septemb.Marul.lib.4.

Verum naturæ fortitudinem admirandam compertam tradit Bonfinius rerum Vngar.dec. 4.lib.2. *Paulus* (inquit) *humillimo genere in Boemia natus inauditis animi*

corporisq; viribus fuit, ſtatura, robore, lineamentisq; membrorum Herculi prorſus aſsimilis, in paterno piſtrino alitus, molam ſæpe frumentariam ſine quoquam adminiculo, quandoq; vas vinarium vix currui tolerabile ſolus homo ſuſtulit: armatum quoq; hominem dentib. ſurreptum inter militares choreas, non inermis ſaltando circumtulit. Hæc ille. Quibus Pauli viribus acceſſere quoq; Erici Daniæ Regis IV. vires, qui ab humero ſurſum eminebat reliquis, ipſo quoq; membrorum robore magnitudini reſpondente. Tantis enim erat viribus, vt funem quoq; manu prehenſum quatuor fortiſſimis viris iuſſerit tenere: eos igitur trahebat, qua vellet circumagens, nec ab illis loco poterat dimoueri, vt Krantzius refert Dan. lib.5.c.1. Et certe illa cœli poſitio mirum in gente indidit membrorum robur. Nam Starcaterus Gigantea proceritate ſeculo, quo ad nos deſcendit filius Dei, quando verbum caro factum eſt, qui ætatem trium hominum ſuperuixit, vnus nouem athletis obiectus omnes trucidauit, ipſe tamen vulneratus. Krantz. Suet. lib.1. c.39.& 41. in Norueg. lib.1.c.22.

Quæ omnia tametſi naturæ viribus facta ſint, tamen etiam imbecilles Deo famulantes, ſi res ita tulit, aut neceſſitas, admirandum virium ſpecimen dedere. Nam Brocha Ægyptius monachus, cum egeret ad extructionem cellulæ paruo ligno, rogaret hominem ſibi aliquid parum dari; is velut contemptim reſpondit: Ecce lignum, trabem ingentem oſtendens, accipe ſi ſolus potes, iis enim verbis negabat dare ſe velle: Brocha, tametſi trabs illa tanti eſſet ponderis vt plurimi homines onere nimio premerentur, vnus elatam in humeros domum tulit, vt Sophron. tradit. prat. ſpir. c.190. Sed de his hactenus.

EQ. At naturæ vires, ſi adhuc de eis commemorare libet, etiam viſæ ſunt inſignes in Vberto de Cruce, Mediolanenſi ciue, circa ann. Domini 1290. Inſidens enim equum citatiſſime currentem certa linea conſtituta immobilem detinebat, ne tranſiliret: humeris ſuis iumentum frumento onuſtum eleuabat, ferebatq;. Deinde, cum ſe in vnicum pedē conſtituiſſet, altero de terra ſublato, tanta firmitudine perſiſtebat, vt nemo, quantumuis robuſtus, illum è loco tātillum dimouere valuiſſet. Leander in Mediolano. Conuertamus igitur ſermonem ad aliam corporis vim; videlicet ad velocitatem: nam & de eo narrantur admiranda, tum de priſca, tum de noſtri ſeculi gente.

Velocitas corporis.

PH. Si à vetuſtiorum ſcriptorum teſtimonio libet exordiri, Hanno Carthaginenſ. ſcripſit, Lixitas Africæ homines longe excellere equis curſu. Cui conſentit Leonius Afr. rerum ſcriptor p.2. ſcribens in Anchiſa monte, non procul Athlante, quemlibet ſingularem peditem duobus equitibus pugnando virtute obſiſtere poſſe.

EQ. Solinus 60.c. tradit Troglodytas equis velociores eſſe, reliquas quoque feras curſu anteuertere: quod & Plin. tradit lib.7.c.2.& c.20. Sed & recentiores, qui orbem luſtrarunt, tradunt in occidui noui orbis Marianes prouincia Indos adeo curſu valere, vt ceruum diem integrum inſequantur, donec laſſitudine feſſum viuum intercipiant aut occidant. Aluarus Nugnez. Petr. Hiſp. Silu. p.5.cap.7. narrat eam pernicitatem præcipue eſſe incolis Inſulæ Floridæ: Sed & in Aquilone tanta comperta eſt pernicitas in Scritonfinnis hominibus, vt curſu feras anteuertāt. Mirum ſane vbi gelu, quod torpentia reddit, & fere immobilia membra, perpetuum eſt anno toto, quandoquidem nix ibi durat perpetua, illi tamen incolæ tantum abeſt, vt illo frigore torpentia habeant membra: vt potius calere videantur: quamquam enim gelu ipſo ſint recocti, domorum tamen tecta nō requirunt. Krantzius

in Suetia

in Suetia in præfatione lib.1.In occidente quoq; compertus eſt Hibernicus nobilis vir Haraldus nomine, admirandæ vi pernicitatis; depoſito enim pignore, curſu cum citatiſſimis equis contendebat, vt equinus illum curſus æquare non poſſet Krantz.Norueg.lib.5.cap.6.

TH. Dauid puer leonem,& vrſum curſu anteuertebat, vt ex ſacris literis apertiſſimum eſt lib.1.Reg.cap.17.

EQ. Quo igitur ad velocitatem curſus, de alio quodam Solin. cap.6.ſic habet: *Primam palmam Ladas quidam adeptus eſt qui ita ſupra cauum puluerem curſitauit,vt arenis pendentibus nulla indicia relinqueret veſtigiorum.* Polymneſtor Mileſius puer, cum à matre locatus eſſet ad caprarios paſtus,ludicro leporem conſecutus eſt, & ob id ſtatim productus à gregis domino Olympiade ſexta,& quadrageſima, vt Bocchus auctor eſt,victor in ſtadio meruit coronam. Sunt præterea etiam quædam accelerata itinerationes admirandæ dignæq; quæ recenſeantur. Solin. de eis ita eod. c. 6. *Philippides biduo mille ducenta quadraginta ſtadia ab Athenis Lacedæmonem decurrit. Aniſtius Lacon,& Philonides Alexandri Magni Curſores à Sicyone Elin vſq; mille ducenta ſtadia vna die tranſierunt. Fonteio, Vipſanoq; Coſſ. in Italia octo annos puer natus, quinque, & 40. millia paſſuum à meridie tranſiuit ad veſperum.*

PH. De Philonide Plin.lib.2. cap.71. addit id itineris totum confeciſſe nouem horis, indeq; quamuis decliui itinere tertia noctis hora remenſum fuiſſe,quod eſt longe admirabilius, quam quod Solinus narrat, quamquam lib.7. cap. 20. idem prorſus habeat, vt Solinus ſcripſit.

EQ. Referunt Neoterici, qui orbem luſtrarunt, in nouo orbe in Mexico Temiſtitan, Tabellarios non minore celeritate percurrere eadem terrarum ſpatia, vt equi ſolent, fuiſſeq; nonnullos,qui quatriduo leucas ſeptuaginta transvolarint. At compertum eſt, vbi ſuccedere ſibi ſolēt tabellarii, videlicet, ſingulis quaternis leucis, vnica die literas fuiſſe delatas vltra leucas ſeptuaginta quinque noſtro Romano more ad millia paſſuum trecentorum. Hoc equidem de peditibus.

At de Equitibus mira quoque narrantur: nam à Perſide Conſtantinopolim Palladius quidam eximius curſor triduo perueniſſe compertus eſt; quin de ea re luſerunt nonnulli, quod Romanum Imperium, tametſi latiſſime pateret, ob modicum temporis interuallum, quod Palladius in illo percurrendo abſumpſiſſet, peranguſtum eſſe. Idem ſcribit Caſſiod. trip. hiſt.lib.11. cap.15. Socrates autem lib.7.cap.19. *Equitum velocitas.*

PH. Longe admirabilius eſt,quod habet Plin.lib.7.c.20. Scribit enim vnica die ac nocte tribus vehiculis Tyberium Neronem feſtinantem ad fratrem ægrotantem in Germania percurriſſe millia paſſuum ducenta.

TH. Hæc hominum ſunt opera: ac vbi Deus afflatu ſuo humanæ imbecillitati ſuccurrit, maiora percurruntur terrarum ſpatia. Nam apertiſſimum eſt ab Alexandria vsque Britanniam multas paſſuum myrrhiades eſſe. Excedit enim hoc interuallum quadrageſies centena millia paſſuum: attamen 20. diebus mari confectum iter fuit:narrat enim Leontius Cyrrhorum Epiſcopus de vita Ioannis Eleemoſynarii in hæc verba: *Ioannes nauclero naufragium paſſo iuſſit tradi vnam magnam nauim plenam frumento viginti millium modiorum ex illis nauibus,quæ ſanctiſſimæ Eccleſiæ ſubiectæ miniſtrabant: quam recipiens exiit ab Alexandria, & affirmabat nauclerus aſſeuerans viginti diebus ac noctibus vehementi vento nauigaſſe, non valentem omnino ſcire quo iret, neque per ſtellas neque per loca, excepto, quod videbat beatum Ioannem Patriar-*

cham

chum ſecum tenentem gubernaculum, & dicentem ſibi: Ne timeas, bene nauigas. Igitur poſt vigeſimã diem apparuit in Inſulis Britanniæ, & deſcendens in terram comperit illic magnam famem, cui illo frumento ſuccurſum eſt. Hæc ille. At maiore celeritate Abacuch è Palæſtina Babylonem Angelica manu deductus eſt, vt eſurienti Danieli in leonum lacu ſuccurreret, Dan.14. Habet æque admirandum Baptiſta Fulgoſus lib.1. & Eborenſis tit.de mirac. *Eccleſiaſticus* (inquit) *quidam Hesdinenſis pagi incola in Leodienſi agro, cum religionis gratia Hieroſolymam perrexiſſet, poſt comites Hieroſolymis ſubſtitit, vt Paſchatis die diuina illic celebrari, quæ alii omittebant, audiret. Veritus autem poſtea, ne traiiciendi in Europam facultatem ob eam moram amitteret, Ioppem ad mare properabat. Itaque defeſſus in itinere equitem offendit, qui miſericordia ſe motum oſtendens, eum in equi tergum accepit, ab eoque eo ipſo die magna omnium ſuorum admiratione in pagum ſuum Hesdinum productus fuit: ibi re expoſita, vt contigerat, cum accolæ aberrare à recta mente putarent, in Hiſpaniam ad Sancti Iacobi fanum profectus eſt: atque inde reuerſus, priuſquam ab Hieroſolymis comites in patriam regrederentur. Ab eis cum eſſet affirmatum, poſt ipſos eum Hieroſolymis ſubſtitiſſe tunc quod ille de reditus celeritate narrauerat, fidem cœpit habere.*

EQ. De iis diuinis operibus non eſt ambigendum. Nam verum eſt Apoſtolos omnes è toto orbe ad B. Mariæ funus miraculo confluxiſſe paruo temporis momento, Dionyſio Areopagyta teſte, ac Ioanne Damaſceno in ſermone de dormitione Deiparæ ſub finem, & Lipomanno Tomo 4. ita tantæ celeritati fides adhiberi poteſt, ſicut & aliis. Nam Paulus Diaconus in vita Mariæ Ægyptiacæ ſic habet: *Cum nona Aprilis die de manu Zozimæ ſacram communionem illa ſumpſiſſet, eadem defuncta eſt, peracto tantum terrarum ſpatio vnius horæ interuallo, quantum Zozimas per viginti dies ambulans vix conſummauit laborans.*

TH. Propterea & quæ de B.Chriſtina narrantur, fide digna cenſenda ſunt: nam Iacobus Aconenſis, qui etiam Cardinalis fuit, & Dionyſius Carthuſianus teſtantur, eam volaſſe ſuper excelſarum arborum cacumina, ſupra Eccleſiarum atq; turrium vertices. Id habet Carthuſianus lib.de quat. nouiſſ. c.50. Quinetiam aſſeuerant Philoſophicas ratiocinationes cedere oportere huic veritati, quam oculata fide inſpexit præfatus Cardinalis: ita habet idem Carthuſianus in colloquio de Iudicio animæ cap.33. Sed de his hactenus.

PH. Agilitas, leuitaſque corporea non paucis ineſt hominibus, eaque etiam ſtudio induſtriaque acquiritur. Nam vidit Hiſpali Antonius Nebriſſenſis hominem è Cannariis Inſulis ortum, qui in eodem veſtigio ſiniſtri pedis inſiſtens ab octo paſſibus volentibus illum ſaxo petere ſe exponebat, fugiens plagam, nunc facta in alterutrum latus parua admodum capitis declinatione, nunc totius corporis ſubtractione, nunc alterna crurum permutatione venientem ictum fugiebat, tantoq; periculo ſe toties percuſſori exponebat, quoties illi æreum quadrantem porrexiſſet. Id memorat Nebriſſenſis rerum Hiſp.dec.2.lib.1.c.1. Vidimus autẽ nos in Ciſalpina Aſiaticum hominem funambulum enſib. prælongis introrſus armata crura habuiſſe, adeo vt gradiẽti inambulantiq; funem, oporteret crura admodum dilatare, ne enſem cuſpide crura vulnerarentur, inambulaſſe ſecure: deinde ligna duo teretia, tres digitos lata, cubito longiora ſibi pedibus ſubieciſſe, illiſq; rectis inſiſtens, ipſum funem inambulaſſe: atque alia plura feciſſe, quæ, niſi oculata fide conſpiciantur, vix credi poſſunt.

TH. Vidimus eiuſmodi induſtriæ homines non paucos; ſed ſi Scriptorum auctoritate

ctoritate libet inniti, erit nobis Luitprandus Ticinenſis auctor non contemnendus. Scribit is, cum Berengarii nomine apud Cõſtantinopolitanum Imperatorem legatione fungeretur anno Domini 950. ludum hunc ſe ſpectaſſe: *Ferebat quidam hiſtrio in fronte otioſis manibus rectum lignum, cuius longitudo quatuor, & viginti pedum erat, pyramidali forma, latitudo in imo bicubitalis, at in ſummo cubitalis. Duo pueruli nudi, præter femora ſuccinctoriis tecta lignum ipſum rectum hiſtrionis fronte ſuſtentatum aſcenderant, nullam in partem illud inflectentes, ſeruato ſemper ſuæ rectitudinis æquilibrio, perinde ac ſi radicibus in fronte hiſtrionis fixum conſtitiſſet: vbi ad verticem vterq; peruenerant, ludebant ibi ligno ſemper immobili. Deſcenderat deinde alter tantum; alter, qui permanſerat ibi ſolus, elegantiſſime ludebat, immobili ſemper ligno. Accedit iis, quod hiſtrio omni huius temporis non paruo interuallo fixis pedibus, otioſis manibus, immobili ſemper fronte, recto corpore perſtiterit, cum tamen ampliſſimum, ponderoſumq; lignum illud eſſet.* Hæc Luitprandus oculatus teſtis lib. 6. c. 4.

Propterea autem hæc ludicra fiunt cupiditate pecuniæ. At cum res, neceſſitasq; poſtularet, inſtante aliquo diſcrimine, vbi agilitas leuitasque corporea exigeretur, meo quidem iudicio, huiusmodi homines metu periculi perculſi induſtria vix illa vti poſſent. At qui ſe Deo totos dediderunt, cum neceſſitas exegit, ita leuitate agilitateque corporea, Deo Angelorum miniſterio ſuppetias ferente, ex omni eximuntur periculo, perinde ac illis volandi facultas eſſet. Erit nobis exemplo Sanctus Hugo Cluniacenſis Abbas, qui aliquando Romam peregre proficiſcens, arctiſſimam à prominentis rupis latere viam ingreſſus, cuius ab alio latere mira profunditas ſolo viſu horribilis erat. Hac cum mulo ſuo inſidens Hugo tranſiret, diuina contemplatione occupatus locum non animaduertit: Mulus quadam occaſione perterrefactus reſiliit, reſiliensq; totus in huiusmodi profundiſſimum præcipitium delabitur, velut aere volans in ipſum vsq; imũ, Hugone ſemper æquanimi, rectoq; corpore inſidente; ſtabilitas quoq; ingenii in mulo viſa eſt. Cum enim in ipſum profundum rectis tibiis perueniſſet, caſu, non lapſu, ex tanta præcipitii altitudine è diametro decidens, mirum accidit, vt neuter vlla corporis parte læderetur; velut vterq; Pegaſei equi more volaſſet: reducti vterque in viam priſtinam reliquum itineris cum reliquis comitibus confecerunt, vt tradit Hugo monachus Cluniacenſis in vita S. Hugonis Abbatis, qui eo tempore viuebat; apud Surium Tomo 2. Aprili. Sed de his rebus hactenus. Nunc ad reliqua in hominibus admiranda, præcipue vero mortis & reſurrectionis.

EQ. Legi aliquando Chriſtinam à mortuis reſurrexiſſe, ac propterea dum à reſurrectione vitam peregit, hęc, & alia plurima admiranda egiſſe, ignem, gelu, rotas, atque alia infinita ſponte perpeſſam illæſo ſemper corpore.

TH. Id ita ſe habet, extatq; de his rebus piiſſimus liber, cui titulus Liber apum, editus à doctiſſimo Dominicani ordinis monacho: ſufficere autem debet auctoritas tanti Cardinalis, & Carthuſiani.

PH. Poſtquam incidimus in reſurrectionis mentionem, quam omnis humana Philoſophia nequit percipere, naturam enim, vt ſæpe diximus, fides ſuperat, operæpretium puto de ea diſſerere: Ethnici enim de iis, qui à ſepulchro ſurrexerunt, tradidere. *Reſurrectio mortuorũ.*

TH. Audiamus primum eos, qui vere Domino ſuſcitante reſurrexerunt. Primus occurrit Sareptanæ viduæ filius, cuius ſuſcitationis illud eſt etiam admirabile, quod ſuſcitati huiusmodi pueri vita tota ſubſequens ipſis quoque literis conſcribitur.

ſcribitur. Is enim fuit Ionas poſtea Propheta; vti teſtatur S.Hieronymus in proœmio Ionæ his verbis: *Ionam ſanctum Hebræi affirmant filium fuiſſe mulieris viduæ Sareptanæ, quem Elias Propheta mortuum ſuſcitauit.* Hunc igitur & nos bis ſuſcitatum affirmare poſſumus, primum quidem à morte, ſecundo à ſpecie mortis, cum in ventre cæti triduo latuiſſe tradatur. Ion. 2. Reliquorum autem ſuſcitatorum ſequens vita conſcribitur, ſicut de puero Sunamitidis, quem Eliſæus ſuſcitauerat 4. Reg. 4. nuſquam vlterius facta eſt mentio: nec de altero, qui tactis oſsibus in ſepulchro Eliſæi, reſurrexerat, vt 4. Reg. cap. 13. De Lazaro autem à Chriſto ſuſcitato plura poſtea narrantur; Nam diu vixit, atque in Gallia cum ſororibus Maria & Martha reliquum vitæ peregit.

EQ. His abſque omni ambiguitatis ſcrupulo fidem adhibemus; At iis, quæ ab Ethnicis narrantur de reſurrectione quorundam, non facile mihi credendum eſſe perſuaſi; quãquam plura apud inſignes auctores exempla commemorantur, præſertim à Plinio lib. 7. cap. 52. Verum à morte ſolida eos ſurrexiſſe, eſt adeo compertum, ſed potius in ſeipſos deliquio animi reuertiſſe exiſtimarim. Mortuum enim ſuſcitare ſolius Dei opus eſt, nec vnquam fruſtra. Et quanquam nemini perſuaſum eſſe poſſit, vt deliquium animi in octauam, aut decimam diem produci poſſit, vti contigiſſe ferunt Iridi Armeno in pugna occiſo, quem poſt decimam diem in rogum iniectum reſurrexiſſe ſcripſere multi ex Platone, & in iis Euſeb. Cæſ. de præparat. Euang. lib. 11. cap. 18. Tamen à vera, atq; integra morte reſurrexiſſe non eſt veriſimile fidei Chriſtianæ: quandoquidem renuntiarat ille quędam ſibi viſa diuinæ fidei contraria. Iudicium etenim particulare cuiuſcunq; morientis referebat certo quodam loco fieri ſub hiatibus terræ, indeq; vel in cœlum mitti, vel in tartareos locos. Cum veritas Chriſtianæ fidei non aliter habeat, quam quod morienti cuique vnico momento Deus vnus ſit Iudex, vel vt in cœlum trahat, vel in inferos tradat tortoribus dæmonibus deferendum & torquendum; vel, ſi quid purgandum ſuperſit, in purgatorios locos, de quibus alias differemus, vt tradidit Dionyſ. Carthuſ. colloquio de Iudic. anim. art. 4. ex ſacris Doctoribus. Cenſeo igitur ibi nihil veritatis contigiſſe de reſurrectione Iridis Armeni, ſed vel ſomnium, vel viſio, extaſis vel etiam illuſio.

TH. Ego quoq; idem putarim, quandoquidem & Chriſtianis multis id contigit, qui quaſi per extaſim rapti, non tamen mortui, de inferorum pœnis multa retuleruut, atq; viuentibus renuntiarunt; cuiuſmodi præcipue Tondalus, atque alii nonnulli, vt eſt apud Dionyſium Carthuſianum de quat. nouiſſ. c. 49. & 50. vbi pręcipuę etiam de Chriſtina agitur, quæ cum puella eſſet, vti defuncta ab omnibus credita, reſumpto ſpiritu, huiuſmodi multa & docuit, & ſe pati manifeſte oſtendit, quanquam eam vere mortuam, & Miſſę ſacrificio reſurrexiſſe tradant tanti ſacrificii virtute, quę in Ethnicis eſſe non potuit. Nam eam Platonis & Euſebii narrationem non pertinere ad veram reſurrectionem, vel inde quiſq; coniectare poteſt, ꝙ idem Euſeb. à Plutarcho excepit eo. lib. 11. c. 18. *Enarchus* (inquit) *nuper ægrotans tanquam iam mortuus à Medicis fuit relictus, & breui tempore in ſe ipſum poſtea reductus dicebat ſe mortuum fuiſſe, & in corpus iterum reſtitutum, reprehenſosq; aiebat vehementer à Domino ſuo eos ſpiritus qui animam eius duxerunt, ad Nicandam enim miſſos, non ad illum fuiſſe. Nicandas autem coriarius erat, & in palæſtris non ignobilis, qui eo tempore, quo Enarchus reuixit, in maximas incidit febres, ac repente mortuus eſt.* Hæc ex illo. Quis hinc fabulam non deprehendat, erraſſe ſpiritus in animarum deductionibus ad iudices, & apud

Deliquium animi pro morte.

inferos

inferos animam alterius pro altero extorqueri inuito Deo? Igitur iure his exemplis negamus vllam reſurrectionis veritatem contigiſſe.

Sola igitur vera reſurrectio à Deo proficiſcitur, magnaq; ex cauſa, tum ſuæ gloriæ, tum propagationis fidei, tum alterius cuiuscunque boni; cuiusmodi fuere, quę de Elia & Eliſæo commemorauimus, tum ex ipſis, quos ſuſcitauit Chriſtus, ad fidei veritatis eius teſtimonium, ac propagationem. Sic etiam fecere Sancti eadem virtute mortuos ſuſcitantes, quorum infinitus prope eſt numerus, in Petro & Paulo, in Actibus Apoſtolorum.

Nec ſolis Apoſtolis, verum etiam aliis quoq; Sanctis ſpeciali quadam cœleſtis gratiæ prærogatiua id conceſſum eſt, vt aliquod exemplum ex omnibus Sanctis breuitatis cauſa proferamus. Scribit S. Cyrillus, vti eſt apud ſanctum Auguſtinum Epiſt. 206. in hæc verba: *Andreas Presbyter Cardinalis glorioſiſſimi Hieronymi deuotiſſimus, atque cultor, pridie in Romana vrbe, multis circumſtantibus, exſpirauit: qui cum iam in Eccleſia eſſet, paratis exequiis, quæ ſolent fidelium tumulandis exhiberi corporibus, aſſiſtente ſummo Pontifice, cum pene toto Clero, ac populo Romanorum, qui ad eundem Andream conuenerant honorandum, emiſſis crebris gemitibus in feretro cunctis ſtupentibus, & veluti amentibus effectis, tanquam ſi à ſomni dormitione excitaretur, mirabiliter exſurrexit, & Romano Pontifici conteſtatus eſt beati Hieronymi precibus animam ſuo corpori reſtitui impetratum, ſane vt pœnitentiæ tempus produceretur.* Et ne cui forſan irrepat dubitatio, idipſum confirmat ſub Cyrilli eiusdem nomine Dionyſ. Carthuſ. in libr. de Iud. anim. art. 10. Et quanquam Cyrillum illũ nonnulli putent Hieroſolymitanum, id certe erroneum eſt. Verius puto Cyrillum fuiſſe Apoſtolicæ Sedis legatum ad Sclauos, cui innotuiſſe potuerunt, quæ de beato Hieronymo traduntur, verſando inter Sclauos & Dalmatas, quos ad fidem conuertebat ſub Nicolao I. Pontifice Romano.

EQ. Quid vero reſpondendum mihi eſſet, ſi quis obiiceret & huiusmodi ſuſcitationes poſſe etiam ex deliquio animæ contingere, ſicut aperte contigit Ioanni Britanno, quem bis mortuum, ſemel ſepultum eleganti carmine decantauit Ianus Vitalis, videlicet:

Quod nulli vnquam hominum accidit viator,
Hic Scotus iaceo ſemel ſepultus,
Et bis mortuus, omnibus Sophiſtis
Argutus magis, atq; captioſus.

Sic & Iouius elogio tertio de illo tradit, natum in Britannia ad Calydoniam ſiluam ſubita apoplexia correptum animo deliquium fuiſſe paſſum, nimisq; feſtinato funere pro mortuo tumulatum, redeunteq; ſpiritu, fero morbi impetum cum natura diſcuteret, fruſtra ad petendam opem miſerabili mugitu edito, pulſatoq; diu ſepulchri lapide, eliſo tandem capite periiſſe.

Et quanquam Poeta idipſum nulli alii contigiſſe commemoret, tamen idem contigerat Zenoni Imperatori, qui, ſiue ob cibi, potusque nimiam ingluuiem, ſiue ob ſummam ægritudinem deliquio animi correptus fuerat, in ſepulchrum immiſſus eſt, & quanquam, receptis ſenſibus, exclamaſſet, tamen dimiſſus Aridnæ vxoris odio non eſt adiutus, atque ita vere defunctus eſt, vt tradit Zonaras in Baſiliſco. Quin hoc quoque accidit ante annos ſexcentos Archiepiſcopo Colonienſi Geroni, qui vulneratus à ſicariis, velut mortuus eſt conditus ſepulchro à Vairamo ipſius ſucceſſore, qui cum refoſſo ſepulcro inueniſſet Geronem ſeſe in alterum latus ver-

tiſſe, pœnitentia ductus Romam expiandi criminis cauſa profectus eſt. Krantzius Metrop.lib.3. cap.45.

TH. Absque dubio illa Ethnicorum exempla citra vllam veram reſurrectionem contigerunt. Fruſtra enim tantum opus peregiſſet Deus, ſi reſurrectio nihil cōmodi tuliſſet hominibus, nec diuinę gloriæ profuiſſet. At quum Chriſti famulis, ſiue deliquia animi ſint, quæ certe ſunt frequentiſſima, ſiue veræ ſint à morte reſurrectiones, ſemper ad humanæ ſalutis commodum ſolent diuino munere effici. Nam libet commemorare quod tradit S. Beda in lib.5. Angl. hiſt. c.15. ſiue enim ea fuerit vera reſurrectio, ſiue ſpiritus vitalis refocillatio, ſurrectionem tamen à morte ibi nuncupat Beda: *Erat* (inquit) *paterfamilias in regione Nordarimbrorum (circiter annum Domini 683.) religioſam cum domo ſua gerens vitam in loco, cui nomen Incuniningum: is infirmitate corporis tactus ad extrema perductus primo tempore noctis defunctus eſt, ſed diluculo reuiuiſcens, ac repente reſidens omnes qui corpori flentes adhæſerant, timore immenſo percuſſos in fugam conuertit; vxor tantum, quæ eum amplius diligebat, quamuis multum tremens, & pauida remanſit, qua ille conſolatus.* Noli (inquit) *timere, quia iam vere reſurrexi à morte, qua tenebar, & apud homines ſum iterum viuere permiſſus: diſtributiſque bonis omnibus in pauperes, & coniugem, ſubiit monachatum, ſanctiſſimam vitam degens, ob ea quæ viderat morientium damnatorum tormenta, ac ob ſummam beatorum gloriam.* Hæc ex illo. Ita fit, vt hæc vel viſio ſit, vel etiam ſuſcitatio, plurimum tum ipſi, tum aliis profecerit. Quandoquidem ſæpe hæc reſtitutio ad vitam implendæ pœnitentiæ cauſa conceditur, vt apertiſſimo exemplo comprobare in animo eſt. Sanctus enim Bonauentura ampliſſimus Cardinalis in Sancti Franciſci vita ſic narrat cap.15. *In Caſtro* (inquit) *Montis Marani prope Beneuentum, mulier quædam S. Franciſco peculiari deuotione cohærens, viam vniuerſæ carnis intrauit. Conuenientibus autem clericis nocte ad exequias & vigilias cum Pſalteriis decantandas, ſubito cunctis cernentibus erexit ſe mulier ſuper lectum, & vnum de aſtantibus Sacerdotem patrinum videlicet ſuum aduocauit, dicens: Volo confiteri pater. Ego enim mortua duro eram carceri mancipanda, quoniam peccatum, quod tibi pandam, necdum confeſſa fueram: ſed orante* (inquit) *pro me ſancto Franciſco, cui, dum viuerem, deuota mente ſeruiui, redire nunc ad corpus indultum eſt mihi, vt illo reuelato peccato, ſempiternam promerear vitam. Et ecce vobis videntibus, poſtquam illud detexero, ad promiſſam requiem properabo. Tremens ergo trementi Sacerdoti confeſſa poſt abſolutionem receptam quiete ſe in lecto collegit, & in Domino feliciter obdormiuit.* Hæc ille.

PH. Non eſt ad rem hanc aliud prætermittendum exemplum omni memoria dignum, ob ſummam illam diuinæ pietatis erga nos benignitatem, quam beata Maria virgo ſe diligentibus ſolet conciliare. Anno enim Domini circiter milleſimo quadringenteſimo decimo quinto, ſecundo tertioue poſt Boſſenorum Vngarorumque ſtragem, quum plerique in eum campum deſcendiſſent, vbi patratam ſtragem fuiſſe memorant, editiſſimumque cadauerum aceruum ſpectarent, emiſſam inter oſſa, ſubinde vocem exaudiuere, fauſtiſſima Ieſu Chriſti Saluatoris, diuæ Mariæ virginis nomina reſonantem. Admiratio ſimul & pauor inceſſit. Quum ad verba ſubſtitiſſent, eadem paulo poſt, quaſi difficulter expreſſa excepere. Dum vocis locum inter oſſa diſquirerent portenti deſiderio ſuccenſi, loquax inter cadauera caput inueniunt: quod vbi homines ſibi adeſſe nouit; Quid tam (inquit) ſtupidi hic ſtatis viri? Chriſtianus ego ſum, & magnæ matri D. Mariæ ſemper addictus inexpiatus inconfeſſusq; in hoc bello occubui: magna Dea, in cuius tutela vitam de-

gi, me

gi, me æterni ſupplicii reum eſſe non patitur, hic me adhuc linguæ compotem ſeruauit, vt & delicta fateri, & animam ſacris rite Apoſtolicis luſtrare queam; proinde Sacerdotem, qui confeſſionem exaudiat, & me expiatum reddat, accerſite quæſo. Rogatus, qui tantum à Deo beneficii promeruiſſet, reſpondit, peculiare ſibi id in vita fuiſſe numen, ſeptena quotannis in vita ſua feſta reuerendiſſime celebraſſe, religioſiſſimisque ieiuniis ex pane duntaxat & aqua decoraſſe, ſacris fuiſſe quam ſtudioſiſſime operatum, illi tantum numini cunctas animi vires dedicaſſe. Accerſito è pago proximo Sacerdote, confeſſionem rite transegit, & impetrata erratorum omnium remiſſione, acceptaque nouiſſima luſtratione, id defuncti caput repente conticuit, perpetuoque quieuit. Hæc Bonfin. dec. 3. lib. 5.

TH. Vt confeſſionis gratia linguæ vſus huic arentibus omnibus iam triennio oſſibus in cadauere permiſſus à Deo fuit, ita mori aliquando non permittitur quis eadem ex cauſa, tametſi omnia corporis fuerint igne abſumpta. Id accidit Martino V. Pontifice Anno Domini 1448. Henrici enim Kock Traiectenſis viri in Hollandia degentis domus incendium paſſa eſt, ille effugiens nudus, primo motu periculum animaduertens, deinde ſuam pecuniam incendio abſumi poſſe, rediit intra incendia etiam nudus pecuniam extracturus, ſe Crucis ſigno muniens, & diuam Barbaram inuocans, licet ab imo pedum vſque ad verticem fuerit aduſtus, nec minus intus, quam extra in corpore torridus, aſſatiq; cadaueris ſpeciem magis, quam hominis præ ſe ferret, cum verenda eius ignis edax abſumpſiſſet, & hiantibus in inguine vulneribus, etiam exta nudarentur cremata, nates quoq; & clunes iam flamma vorauerat, præcordia, venter, pectus, axillæ, collum, ac ſcapulæ non modo aduſta, ſed inflexibilia quoque; & vt ferrum rigida erant: à vertice denique capitis capilli cum carnibus defluentes, & oſſa nudantes in genis hærebant, adeoque fuit crematus, vt oſſibus vix modica adhæreret caro tanquam Æthiopis nigra. Nam præter oculos, linguam & cor, quæ per Crucis ſignum ac beatæ Barbaræ interceſſione diuina miſeratione adhuc in ſuo vigore viuebant, nihil in eo manebat reliquum. Erat autem illi magna animi anxietas, quod absque Sacramentis moreretur, quæ res cauſa fuit, vt viuere, Deo miſerante, permitteretur. Elapſus igitur tanto incendio, horrenda, quam diximus, ſpecie, domum filiæ petit, accurrentesque omnes ad ſpectaculum hortabatur ad rerum contemptum humanarum, prædixitque, ſe, acceptis Sacramentis, mox obiturum. Hiabant viſcera, erantque in eo omnia mortua, vt ad contactum nil doloris ſentiret: adfuit interim Sacerdos, confeſſioneque peracta abſolutus, inuocato Dei nomine, animam efflauit. Hæc, qui adfuit, narrauit confeſſarius Theodoricus Gorgomenſis oculatus teſtis apud Surium Tomo 6. Decembri.

EQ. Fit itaque apertum, quandoque prorogari vitam ad myſteria diuina ſumenda, quandoque in vitam reuocari: ſed & viuentium Sanctorum defenſioni aliquando mortui in vitam hanc diuino nutu redierunt, vt poſtquam ſuis verbis atteſtati fuiſſent, quæ viderentur neceſſaria, in ſuam redirent mortem. Id accidit Stanislao Cracouienſi ſanctiſſimo Epiſcopo: emerat ille ad vſum pauperum quendam agrum ſoluto pretio, defuncto poſtea venditore, heredes venditionis inſcii, Regia poteſtate Epiſcopum perperam diuexabant, agrum ſibi reddi poſtulantes. Stanislaus, qui ad rei fidem teſtes non haberet, adiit venditoris ſepulchrum, iubet reſurgere, ſiſtique iudicio, reuiuiſcens venditor prodiit è monumento, adiit Regem, ac coram illo ac Proceribus veritati teſtimonium perhibuit, ac deinde recto

tramite ad ſepulchrum rediens, rurſum quieuit. Ioannes Longinus in vita ſancti Stanislai c. 15.16. apud Surium Tomo 7. Maio menſe circa annum Domini 1058. quod & Krantzius habet Vandal.lib.3.c.13.

PH. Quoniam igitur de iis ſat ſuperque diximus, optarim noſſe, quid ſtatuerit Eccleſia. Audiui iam, quin & legi, ſanctum Ioannem Euangeliſtam non fuiſſe defunctum, eique rei videntur aſſentiri Euangelica verba Ioan. 21. Nunquid ita eſt, an potius reſurrexit?

TH. Ex beati Auguſtini ſententia tract. ſuper Ioan. 124. videtur potius defunctus, quandoquidem ſeipſum in ſepulchro ſponte collocauit, vt hanc ſententiam de hominum cordibus remoueret, ſcilicet ſe non moriturum. Propterea S. Thomas ſuper Ioannem cap.21. ſic habet in abſolutione huius quæſtionis. Verum quidem eſſe ex omnium ſententia, quod ſponte viuens ſepulchrum ſubierit, & quod mortuus fuerit, & reſurrexerit corpore. Vt igitur rebus in omnibus ſemper S. Thomæ ſententia plurimæ eſt authoritatis, ita cum illo ſentiemus & nos: nam impoſſibile eſt dicere, eum aliquid dixiſſe contra fidem aut bonos mores, vt tradit Sylu. in verb. matrimonium 3 q.2.

EQ. Ego iam huic rei bene perſuaſus conſentio: nam quod ſepulchrum ſubierit, etiam apud ſanctum Auguſtinum illo tract. 124. legi, ſed apocryphum librum, qui hæc dixerat, ille putat.

TH. Apocryphum, id eſt, non multæ authoritatis, vt ei pleniſſima fides adhibeatur, dixit librum illum: attamen B. Petrus Damianus ampliſſimus Cardinalis in ſermone 2. de ſancto Ioanne ſic habet: *Vt hiſtoriæ continent, ſanctus Ioannes in Eccleſia quadratam foueam fieri iuſſit, moxque in eam deſcendens extenſis manibus, poſt prolixa fuſæ orationis verba migrauit; poſtmodum vero inuenta eſt fouea, nihil aliud in ſe continens, niſi manna, quod vſque hodie ſcaturire non deſinit.* Et mox: *Vnde pium eſt arbitrari, vt beatus Ioannes iam reſurrexiſſe probabiliter aſſeratur.*

PH. Mortuum fuiſſe beatum Ioannem Epheſi, memini legiſſe me Polycratis Epheſini Epiſcopi Epiſtolam ad Victorem Romanum Pontificem ante annos mille ac trecentos, vbi id apertiſſimis verbis teſtatur. Recenſet eandem Epiſtolam Euſeb. Cæſar. hiſt. lib.3. cap.25. Scaturiiſſe autem vel puluerem, vel manna indeficiens, etiam ſi quotidie exportaretur, ſuo adhuc tempore teſtatur Sanct. Aug. eod. tract.124. ſe à fide dignis didiciſſe. Sanctus etiam Ambroſius in ſermone de ſanctis Martyribus inter Paſcha & Pentecoſten ſic habet: *Ioannis Apoſtoli habemus exemplum, quem tumulus ſuſceptum claudere potuit, cuſtodire non potuit. Nunc enim clauſis tumuli foribus gratia reſurrectionis ſublatus eſt, vt conſtaret ſepultura, & non inueniretur ſepultus: denique cum Sacerdotes adorandi cauſa corpus inquirerent, reſerato aditu, tumulus non potuit reddere, quem ſuſcepit.* Hæc S. Ambroſius. Iſidorus manare puluerem teſtatur ab illius ſepulchro in lib. de Patribus Noui Teſtamenti. Metaphraſtes etiam ante annos ſexcentos ſuo tempore adhuc indeficientem huiuſmodi ſcaturiginem teſtatus eſt, cui, velut optimo ſcriptori Græco aſſentitur & Latinus noſter, illi coætaneus Petrus Damianus. Nicephorus quoque hiſt. Eccleſ. lib.2. cap.42. conſentit, eum defunctum reſurrexiſſe, & fuiſſe in Paradiſum translatum.

EQ. Sponte igitur ſubire ſepulchrum licet?

TH. Sunt hæc Spiritus ſancti dirigentis opera. Nam & alii ſanctiſſimi viri ſponte ſubierunt ſepulchrum, nec eis imputatur ad ſpontaneæ mortis culpam. Sophronius enim prat. ſpir. c.90. de ea re ſic habet: *Ex Anachoretis, qui ſupra Roſum Cili-*

ciæ in monte, cui nomen Phterigius, degebant, vnus inuenit hominem quendam exercentem
terram, & ait illi: Fac charitatem frater, accipe foſſorium & ſarculum, & veni mecum. Ruſti-
cus vero continuo ſecutus eſt eum: cumque veniſſet in montem, oſtendit Anachoreta ſeculari
ſepulchrum alterius ſenioris Anachoretæ, dixit ei: Fode hic. Cum autem effodiſſet ſepulchrum,
Anachoreta ſtetit ad orationem: finita vero oratione oſculatus eſt ſecularem, dicens: Ora pro
me frater; deſcendensque collocauit ſemetipſum ſupra ſenem illum ſuum, & continuo reddidit
ſpiritum. Secularis autem, rurſus operto ſepulchro, Deo gratias egit. Cum autem deſcendiſſet
de monte, quantum iactus eſt lapidis, ait intra ſemetipſum: Vere debui accipere benedictionem
Sanctorum, reuerſusque illorum ſepulchrum inuenire non potuit. Hæc ille. Quibus iam pa-
tet, diuino myſterio hunc ſibi ſepulchrum ſponte ingrediendum cognouiſſe. At c.
93. idem Sophronius hæc habet: *Abbas Siſinius ex Epiſcopo factus Anachoreta obierat*
iuxta Iordanem circiter ſex milliaria. Cum igitur ſepulchrum ei foderent, ait diſcipulus eius
fodientibus ſepulchrum: Facite charitatem, & aliquantulum latius fodite, vt duos capiat, &
cum illi foderent, poſuit ſeipſum in pſiathio, & requieuit in pace, ſepultique duo ſunt, ſenex &
diſcipulus eius. Hæc ille. Alias quoque ante hæc, de quibus egit Sophronius, tempo-
ra, idem accidit. Nam Seuerus Rauennas Archiepiſcopus ſenio iam nimis confe-
ctus, omni adſtante populo, cum prius publice omnibus benedixiſſet, in ſepul-
chrum deſcendit, locauitque ſeipſum inter vxorem & filium, animamque efflauit.
Id tradit ex peruetuſto incerti nominis authore Surius Tomo 1. Februario.

PH. Grandis eſt hæc Chriſtiana Philoſophia, in qua quandoque quis volens
moritur, non cogitur: econtra vero etiam quandoque volenti mori non licet, et-
iam tortore adhibito, aut alia qualibet vi. Scribit etenim S. Hieronymus, mulierem
quandam Vercellenſem adulterii inſimulatam, iuuenem autem, qui reus eius cri-
minis fuerat delatus, tormentorum vi adactum crimen Iudici fuiſſe confeſſum,
mulierem vero innocentem ſemper conſtantem ſtetiſſe. Sumpto igitur de confi-
tente iuuene ſupplicio, mulier ſepties icta, gladio in gutture adacto, numquam læ-
di potuit, quin ad capulum gladius reflectebatur, tandemque cum mori defeſſa la-
boribus ipſa videretur, ad ſepulchrum illata eſt. Verum, reſumptis viribus, viuere
comperta eſt, illæſo corpore, ac ne ſupereſſet iniquo Iudici torquendi aut potius
occidendi facultas, ea ipſa die comperta eſt defuncta mulier quædam Eccleſiæ ſum-
ptibus viuens, ea ſepulchro infertur. Iudice igitur quærente, an illa adhuc viueret,
oſtenſo recenti ſepulchro, ab omni reliquo conatu deſtitit. Hæc ex ſancti Hiero-
nymi ſententia lib. 1. Epiſtolarum ad Innocentium. Mirum eam voluiſſe patienter
mori, nec licuiſſe, vt innocentia, ſicut & Suſannæ, oſtenderetur.

EQ. Ita eſt: nam vtroque modo Sanctos ſuos indicat Deus, tum morte, tum
vita. Accidit enim egregium exemplum recentiſſimum anno Domini 1567. vlti-
ma Iunii, vt Surius ſcribit ſuo in commentario: *Cum patibulo ſeptem addicti iu-*
re fuiſſent apud Harlinghen Phriſiæ, ex iis vnus duntaxat ad fidem Catholicam ſe reci-
piens peccata ſua cuidam Franciſcano patri confeſſus eſt, petiitque Miſſam fieri, in ea-
que ſacroſanctam Euchariſtiam ſibi porrigi: quod cum factum eſſet, atque ille cum aliis ſuſpen-
ſus animam exhalaſſe putaretur, animaduertit Præfectus, eum etiamnum animam agere: iuſ-
ſit igitur lictori, vt mortem vno adhuc ſaltu illi acceleraret, quod cum ille tentaret, funis
ruptus eſt: at ille humi collapſus paulo poſt tum à Deo, tum à Præfecto ore titubante veniam
& petiit, & impetrauit, traditusque Chirurgo curandus, hodieque fortaſſis adhuc supereſt;
quotquot vero illi ſpectaculo aderant, miraculi loco iſtud habuere, quod ſacroſanctæ Eucha-
riſtiæ virtute à morte ſeruatus eſſet homo ille. Et multi ſane in Phriſia hac re permoti quotidie

*redeunt ad Catholicam Eccleſiam. Eſt etiam de fune facta diligens inſpectio, coram Illu-
ſtriſsimis Præſidibus, certoque compertum eſt, eundem fuiſſe, quo cæteri eſſent ſtrangulati,
minuſque quam cæteri ponderis habuiſſe, ſicque ruptum fuiſſe, ac ſi enſe diſſectus eſſet.* Ha-
ctenus ille.

PH. Mors & vita in manu Dei: profundo igitur Dei conſilio hæc omnia fi-
unt; ideoque miracula ſuæ gloriæ cauſa ac fidei propagandæ fieri ab eo ſolent. Sic-
ut & prolem propagare iubet: eſt enim prolis propagatio quædam velut morientis
carnis reſurrectio.

EQ. Vt autem eundem hominem Deus à morte ſeruat propagandæ fidei
cauſa, etiam fœcunditatem prolis ſæpe permittit ad ſui gloriam & Eccleſiæ am-
plificationem, quia proles quadam ratione defunctos parentes, quaſi viuentes re-
præſentat.

Fœcunditas & numeroſitas prolis.

PH. Dubio procul Fœcunditas reſurgendi ſpecies eſt: & quamquam iam in
mulierum rebus colloquentes egimus de admirandis earum partubus, non fue-
rit importunum hoc loco reminiſci alia quædam admiranda, quæ paucis acci-
derunt.

TH. Scio Artaxerxi centum quindecim filios fuiſſe, tres tantum iuſto matri-
monio natos, vt tradit Iuſtinus.

EQ. Eſt hic numerus non contemnendæ memoriæ. Verum mihi videtur
præferendus duodenarius ille numerus duodecim Patriarcharum, qui ſimul patri
matrique conuiuebant legitimo matrimonio nati, in virilem ætatem prouecti o-
mnes. Geneſ. 49. vbi nomina omnium recenſentur.

TH. Fuit illud admodum memorabile: verum illa priſcorum Patrum ætas,
quæ proli præcipuam operam dabat, minuit miraculi magnitudinem, quam auget,
quod Chriſto nato, vbi non tantum proli gignendæ ſtudium adhibetur, ſi duode-
cim vterini, virilique ætate fratres, iidemque pro Chriſto athletæ comperiantur,
de quibus martyrologia Cal. Septemb. ſicuti Alphanus Archiepiſcopus Salernita-
nus carmine egregio complexus eſt. Scribit enim in Africæ vrbe Adrumento à Bo-
nifacio & Thecla legitimis coniugibus mares filios duodecim procreatos, quo-
rum fuere nomina, Donatus, Felix, Arontius, Honoratus, Fortunatianus, Sabi-
nianus, Septimius, Ianuarius, Felix, Vitalis, Satorus, Repoſitus. Vixere ii omnes
ſub ſancto Cypriano, qui eos adhortatus quoque eſt ad martyrium contra ſimula-
crorum venerationem ſubeundum, qui fortiter perierunt. Habentur egregia de
huiuſmodi re carmina ad Lipomanum Tomo 4. Fuere autem alii duodecim filii
Marcello Centurioni in ipſa etiam Africa Tingi Mauritaniæ, qui omnes cum ipſo
patre egregiam ſubiere martyrii gloriam poſt defunctum iam Cyprianum, Fauſto
& Gallo Coſſ. anno Domini 298. Ex multis authoribus Baronius 30. Octob. Vide
quam mire fertilis Africa. Horum longe maior gloria fuit, quam duodecim filio-
rum Tancredi Apuliæ Regis, qui tametſi humana prudentia fortitudineque præ-
diti eſſent, attamen nil ſupereſt apud nos de eorum virtute reliqua, nulla memoria,
ſicuti de illis martyribus in cœlo regnantibus. De iis Tancredi duodecim filiis An-
ton. tit. 15. c. 4. § 3.

PH. Mira corporum fœcunditas fuit hæc, quæ modo narrata eſt, Tancredi in
Italia regnantis. Sed admirabilior ſemper fuit illa, quæ pro Dei fide pugnans ho-
ſtem ſuperauit, vt de iis Africanis iam dictum. Nam etſi etiam in Noruegia duode-
cim quoque germani fratres fortiſſimi fuiſſe memorentur, quod vnanimes Hal-
dano

dano Suetiæ Regi ſuis excurſionibus plurimum negotium facerent, ipſo illo ſeculo, quo Chriſtus Dominus noſter Patris Verbum caro factum eſt, vt Krantzius memorat, Suet.lib.1. c.40. Non igitur admirabimur ſeptenarium illum numerum ſeptem Machabæorum martyrum, neque illorum ſeptem, quos ſancta felicitas Africana, aut quos S.Symphoroſa Tiburtina mulieres non modo mundo, ſed etiam Chriſto pepererunt ad martyrii gloriam. Duodenarius enim, quem recenſuimus, numerus aufert in iis ſeptenis admirationem. Popularem autem fœcunditatem ſine vlla ſpiritali martyriique fertilitate, ſæpe legimus, etiam ſine vlla memorabili virtute. Viues ad S.Auguſtinum de ciuit.Dei lib.15.c.8. recolit de quadam vili gente his verbis: *Fuit memoria patrum vicus pœnæ centum domorum in Hiſpania, cuius omnes incolæ erant à ſene quodam, qui adhuc viuebat, progeniti, ita vt propinquitatis nomen iam deeſſet, quo à minimis natu vocaretur: lingua enim noſtra ſupra abauum non aſcendunt.* Hæc ille. Admirabilior cognatio illa memoratur, qua Orgentorix Heluetiorum longe nobiliſſimus & ditiſſimus floruit, cuius omnem familiam ad hominum millia decem fuiſſe memorat Cæſar Comment. lib. 1. Si familiam ad cognationem referamus, certe inſigne exemplum numeroſitatis fuerit: ſed ſi ad clientes tantummodo, eſt quidem etiam memorabile; paucis enim Principibus in Europa id accidit, vt tot familiarium millia alant.

EQ. Sed fingimus, omnem illam Hiſpani hominis prolem fuiſſe ad ſexcentos: quoniam autem fuerant plurimi gradus, plurimi progenitores, admiranda certe fœcunditas huiusmodi eſt. At illa admirabilior videtur, quam tradit Antonius Pigafetta. Scribit ille, Regem Gilolo (inſula eſt inter Moluccas) ſexcentos filios ex ſe genuiſſe, eosque viuentes omnes ſibi obſequi ſolitos. Quin addit, & alium Regem ſexcentos & quinquaginta ſuo è corpore filios procreaſſe, eosque vidiſſe viuentes: ſed & Ziambę eiusdem orientalis Indię Regis fuiſſe filios 325. tradit Marcus Polus lib.3.cap.6.

PH. Ita fit ex hac immenſa multitudine, vt facile Iuſtino, de quo diximus, atteſtanti credamus, Artaxerxi fuiſſe filios illos centum quindecim, qui ſane ſuperauit Priamum, cui à iuſta vxore ſeptendecim primogeniti fuere filii, aliunde autem quinquaginta, Cicerone teſte Tuſc.1.

EQ. Quod auget hæc miracula, illud eſt præcipuum, vt in hac tam grandi multitudine nemo alteri vultus ſimilitudinem præ ſe ferat, cum tamen omnes paternam referant effigiem, duobus tamen ex ipſis non fuere lineamenta eadem, quod omnium Dei miraculorum præcipuum eſt. *Facierum diſſimilitudo.*

PH. Eſt hoc præcipuum, elucetque mirum in modum Dei Maieſtas, vt tot homines diuerſis lineamentis conſpiciantur: attamen ne Deo videretur adſcribi, ex imbecillitate virtutum eius omnes homines ſibi eſſe diſſimiles, ſæpiſſime voluit eſſe aliquos mira faciei vultusque ſimilitudine perſpicuos, vt & inde diuina virtus nouis miraculis eluceret.

EQ. Enarrare igitur libet præcipuos quosdam ſimilimos facie, exordirique ab iis, de quibus apud Plautum: Menaechmi enim gemini adeo ſimiles fuere, vt neque nutrix, neque mater, quæ pepererat, dignoſceret. Cicero quoque Academicis quæſtionibus lib.4. tradidit, Seruilios geminos difficile à quoquam ob ſimilitudinem dignoſci potuiſſe. *Facierum ſimilitudo.*

PH. Hoc Solinus pluribus exemplis amplificat c. 5. *Regem Antiochum* (inquit) *Arteon quidam ex plebe Syriaca ſic facie æmula mentiebatur, vt poſtmodum Laodice vxor Regia, ob-*

gia, obiecto populari iſto, tam diu diſsimulauerit defunctum maritum, quoad ex arbitratu eius regni ſucceſſor ordinaretur. Sed & inter Cn. Pompeium & Vibium humili loco natum tantus error extitit de paribus lineamentis, vt Romani Vibium Pompeii nomine, Pompeium Vibii vocabulo cognominarent. Adiicit autem illud memorandum præcipue: *Cum Antonio* (inquit) *iam triumuiro Thoranius quidam eximios forma pueros velut geminos trecentis ſextertiis vendidiſſet, quorum alterum de Transalpina Gallia, alterum ex Aſia comparauerat, adeoque vna res videretur, niſi ſolus ſermo fidem panderet, atque ideo ſe Antonius illuſum grauaretur, non infacete Thoranius id vel præcipue, quod emptor criminabatur, pretioſum comprobauit. Neque enim mirum, ſi forent pares gemini, illud nullis poſſe taxationibus æſtimari, quod tantis ſpatiis diuerſitas ſeparatos plus quam geminos contuliſſet. Quo reſponſo adeo Antonius mitigatus eſt, vt deinceps nihil ſe habere carius in ſubſtantia ſua iactaret.* Eadem & Plin. habet lib. 7. c. 12.

Gemellorum fortunæ paritas vel diſparitas.

EQ. Egregium eſt, quod habet Albertus Magnus lib. de animal. Geminos in Germania tantæ conformitatis ſe vidiſſe ſcribit, vt dignoſci nullo modo poſſent: verum augebatur miraculum, quod geſtus iidem, animi affectationes eædem, eadem vox ac loquela. Nunquam ſoli ſeorſum, ſed ſimul ſemper, quin ſeparati paulum ęgerrime id ferebant, vterque in ægritudinem eandem incidebat, ab eadem vterque ſurgebat. Repetit hoc idem Petr. Hiſp. Sylu. p. 1. c. 38.

PH. Ex iis compertum habemus, Hippocratem recte motum ad ſentiendum (vel ipſo Cicerone teſte) quoſdam fratres, quoniam ſimul ægrotare cœpiſſent, eorumque morbus eodem tempore ingraueſceret, eodem quoque leuaretur, fuiſſe geminos. Vti etiam tradidit S. Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 5. cap. 2. qui tamen contra adiicit, nouiſſe ſe geminos, non ſolum actus & peregrinationes habuiſſe diuerſas, verum etiam diſpares ægritudines perpeſſos. Et ſane non hoc argumentum rei conſequens eſſe ſemper poteſt, vt qui gemini ſint, eiuſdem vultus, morumque ſint eorundem, aut earundem ægritudinem: vidimus enim geminos Eſau & Iacob adeo conſtitutionis diuerſæ tum corporis, tum animi, (cum tamen eodem concepti vtero gemini eſſent) vt nihil diſſimilius eſſe potuiſſet. Nam, vt habetur Geneſ. c. 25. poſt conceptum Rebeccæ matris luctabantur in vtero eius adhuc paruuli. Idq; prodigium fuiſſe teſtatur S. Auguſtinus epiſtola 57. dicens: *Hoc vſque adeo prodigium fuit, vt diuinum propterea mater oraculum quæreret, & audiret, duobus illis infantibus duos populos fuiſſe figuratos. Id igitur magis myſterii rationem habet, quam naturæ: nam nec ſolum in vtero luctati ſunt, verum & in ipſo naſcendi momento, quandoquidem prius naſcente Eſau, primogenituræ beneficio accepto, poſterior Iacob id non ferens, manu plantam fratris tenebat, quaſi & ad prius naſcendum quoque luctari voluiſſet, quod vere poſtea ſimulatione etiam myſterioſa, illuſo patre, accepto matris conſilio, primogenituræ priuilegium eſt adeptus, tantaque ſemper inuicem fuere hi gemini corporis, morumque diuerſitate, vt alterum ſemper alter perſequeretur, aut falleret.*

TH. Vt plurimum igitur, ſi naturæ tantum opera ſcrutemur, ex Hippocratis ſententia ſympathiam multam huiuſmodi gemelli habere conſueuerunt: nam & hodie hoc experimento patet. Viues enim Scholio ad Sanct. Auguſtinum lib. 21. ad cap. 8. ſic narrat: *Etiam nunc Mechliniæ filii gemelli Petri Apoſtoli Senatoris Mechlinienſis pueri egregia forma ſunt: in iis dignoſcendis non modo extranei, ſed & ipſa errat mater ſæpe, & pater, Petrum pro Ioanne, & Ioannem pro Petro vocans.* Hæc ille. Verum ſi non vultu gemelli, tamen perſæpe eadem fortuna vti inuenti ſunt. Nam apud Fulgoſum libr. 1. & apud Eborenſem de miraculis traditur, Medardum Epiſcopum Nouiodunenſem,

nenſem, & Ghildadum Rothomagenſem Epiſcopum fratres gemellos vno partu, vnaque die natos, vna die Epiſcopatum adeptos, vna defunctos, vna Sanctis adſcriptos. In quorum laudem aliquando hoc carmen conſcripſimus, dum febre lecto diſtineremur die eorum celebritatis, quæ eſt 6. Idus Iunii:

Vna dies peperit, Mitras dedit altera, mortem
Altera, & in Sanctos lectus vterque fuit.
Felices fratres, quorum communis origo,
Vita, corona, obitus, gloria, feſta dies.
Quin communis erat mens, & cor: dicite ſed vos
Corde vno poßint corpora bina regi.

Perſimile eſt, quod contigit, ſed infeliciore exitu, duobus aliis fratribus, Lupo & Apro, in quorum ſepulchro hæc carmina legimus apud Rauennam in ſepulchro Theodorici Regis in maris littore templo S. Mariæ Rotundæ:

Vna Ioanninæ domus hos produxit alumnos,
Libertatis opus contulit vna dies.
Naufraga mors rapuit pariter, quos iunxerat ortus,
Et duplices luctus mors periniqua dedit.

Sed redeamus ad parentes, qui gemellis propriis dignoſcendis falluntur.

PH. Nunquid autem, cum pater materve errat in huiuſmodi dignoſcendis, ſit memoriæ imbecillitas? Ego mihi ipſi reſpondeo aſſeuerans, vbi mens parentum attenta ſit, errare non potuiſſe in dignoſcendis: at repentinis quibusdam motibus captis ſenſibus à plurima ſimilitudine, facilime mens fallitur. Nam memoria nobiliſſima pars animæ ſæpe à phantaſiæ imaginationibus traducitur: corruptione etenim phantaſmatum & ipſa alienari videtur, quod iunioribus ac ſenioribus euidenter contingit. Illis enim, quia nimius eſt augmenti vel decrementi motus, his nimius vel humor, vel humoris frigiditas, vnde efficitur phantaſia vel tardius, vel celerius, indeque memoria vel perturbatur, aut inquietatur, aut tardius reminiſcitur.

EQ. Id ita ego quoque affirmarim, ac poſtquam incidimus in hanc memoriæ facultatem, de ea quoque differamus nonnihil. Haud dubitandum memoriam ab imaginationibus pendere earum rerum, quas aliquando didicimus: propterea illuſa imaginatione eo ſe confert & memoria, quo tendit imaginatio, vt ſomniantibus patet, aut etiam phreneticis, quibus id eſſe videtur veriſſimum, quod etiam falſiſſimum ſit. Vnde in huiuſmodi imaginationum inquietatione memoria abeſſe videtur, propter ſenſus, in quo imaginatio fit, corruptionem. Ideo cæci plurimum memoria valent, rerum imaginibus phantaſiam minus perturbantibus: videmus etenim aliquot omnino memoriæ vim perdidiſſe; memoria enim, quo res pretioſior eſt, eo magis iniuriæ eſt obnoxia. *Memoria, & eius amiſſio.*

PH. Id aſſerit Plin. lib. 7. c. 24. *Nihil* (inquit) *æque fragile vt memoria in homine morborum, & caſus iniurias, atque etiam metus ſentiens, alias particulatim, alias vniuerſa. Ictus lapide oblitus eſt quidam literas tantum.* Hæc ille. Hunc fuiſſe Athenienſem, & doctum ſcribit Maximus lib. 1. qui etiam addit, cum literis ſedulam nauaſſet operam, mirum literarum tantummodo fuiſſe oblitum, cætera omnia tenaciſſima memoria retinuiſſe.

Quamobrem ſicut & ictu lapidis, ita & lapſu è ſublimi loco propter alliſionem corruptis ſenſibus etiam memoria corrũpitur, vti contigiſſe ſcribit Plin. lib. 7. c. 24.

ex præalto tecto lapſum quendam, matris, & affinium propinquorum quoque oblitum perpetuo fuiſſe.

EQ. Eadem quoque perdendæ memoriæ ratio fuerit, ſi ægritudo inualuerit: nam ægrotus non propinquorum tantum eſt oblitus, verum & ſeruorum, quin etiam nominis ſui ab ægritudine Meſſala Coruinus orator oblitus eſt. Plin. eod. c. 24. quem tamen ſenſu plurimum valuiſſe teſtatur Solin. c. 6.

Memoria augmentum ex ictu.

Compertum tamen, aliquando alicui accidiſſe, vt ictu vulnereque in capite accepto memoria aucta ſit, redditaque longe illuſtrior, quam cæteris hominibus eſſet: profluente enim ſanguine, purgatoque ſenſuum loco vegetatio virtutis ſimul acceſſit; vnde organi illuſtratio maior reddita eſt. Id accidit Clementi Sexto Pontifici Romano, quod, quia à Franciſco Petrarcha, qui tum in viuis erat, didicimus, eius verbis libet recolere: *Clemens* (inquit) *Sextus egregius nunc Romulei gregis paſtor tam potentis & inuictæ memoriæ traditur, vt quidquid vel ſemel legerit, obliuiſci etiam ſi cupiat, non poſſit. Hoc ſibi & ſtudiorum nutrix Pariſius & orbis vniuerſus tribuit: ego enim, etſi ſæpe ante pedes eius fuerim, tamen de hac re nihil præter famam habeo; cui facilius accedo recolens id ſibi non nouiter tributum, ſed ante diu quam hoc fortunæ culmen aſcenderet, in quod euecti circumſtrepentibus adulantium turbis veræ laudis iudicium amiſerunt. Illud additur miraculo, hanc tantam ſibi memoriam magno quodam capitis ictu, cuius adhuc teſtis eius extat ingens ſupremo vertice cicatrix, prouenisse.* Hæc ille lib. 1. rerum memorandarum. Eadem etiam Maſſonus.

PH. Qui igitur plurimum memoria valeant, neceſſe eſt optimæ eſſe conſtitutionis, ſenſusq; habere vegetos, animiq; perturbationibus non admodum obnoxios. Idque admirari licet in C. Iulio Cæſare, quem quaternas ſimul literas dictaſſe ſcribit Solinus c. 5. Quin Plinius lib. 7. c. 25. addit, ſi nihil aliud ageret Cæſar, dictaſſe ſeptenas, eumq; ſcribere & legere ſimul, dictareq; & audire ſolitum, neque ea omnia ob aliud, quam ob proprium ſenſuum vigorem magnanimitatemque, ob quam tranquilliſſime imperturbateque res excogitaret. Quod & in Hadriano Imperatore etiam admirandum fuit, vt vno tempore ſcriberet, dictaret, audiret, & cum amicis fabularetur, vt tradit Spartianus: quem etiam ſcribit libros ſtatim lectos & ignotos quidem plurimum memoriter reddidiſſe.

TH. Sunt hæc Ethnicorum exempla, at noſtrorum quoque egregia ſunt. Scribit enim Euſebius Cæſ. hiſt. lib. 8. c. 21. de Valente Æliæ ciuitatis Diacono, diuinarum ſcripturarum memoriam in pectus adeo illum incluſiſſe, vt quemcunq; locum citare vellet, perinde expedite illud poterat abſque ſcripto efficere, atque ex ſcripto legere: ſed & eod. lib. cap. 22. Idem Euſebius tradit de Ioanne Palæſtino cæco in hæc verba: *Plurimum admirationis habet in eo memoriæ vis, qua quidem integros ſacrarum ſcripturarum libros, non in tabulis lapideis, vt ait diuus Apoſtolus, neque in animalium pellibus, membranis aut charta, quæ vel tineæ conficiunt, vel temporis conſumit diuturnitas, ſed in tabulis reuera cordis carnei, id eſt, in animo ſolerti, & ſincera mentis intelligentia tanquam ſcriptos habuit, adeo vt quando viſum erat, interdum legis & Prophetarum teſtimonia, ſæpe hiſtorias, nonnunquam Euangelia, aut Apoſtolorum ſcripta memoriter ex animi domicilio, tanquam ex quodam literarum theſauro proferre potuerit.* Hæc ille. Subiicit quoque, cum eum audiſſet ipſe aliquando obſtupuiſſe, putaſſeque illum è ſcripto, quæ diceret, recitare. Cui accedit, quod tradit B. Greg. hom. 15. ex 40. de ſeruulo paralytico mendico Romæ in viis expoſito, qui cum literas non nouiſſet, auditu tantum ſacras ſcripturas affatim perdidicerat.

EQ. Non eſt prætermittendus Mithridates, qui multis Scriptoribus viſus eſt admirabilis, quod duarum & viginti gentium Rex, totidem linguis iura dixerit, pro concione ſingulas ſine interprete affatus, vt habet Plin.lib.7.c.24. Quanquam idiomatum habere ſcientiam, longo videlicet vſu, non adeo mihi videtur admirabile: nam annis 56. regnauit Mithridates, ſemper in iis verſatus, vt tradit idem Plin. lib.25.cap. 2. At fuerit admirabilior memoria eius, de quo Sanctus Auguſtinus agit lib.4.c.7.de anima, & eius origine, ſic ille: *Amicus quidam meus iam inde ab adoleſcentia, Simplicius nomine, homo excellentis, mirabilisq́, memoriæ, cum interrogatus eſſet à nobis, quos verſus Virgilius in omnibus libris ſupra vltimos dixerit, continuo, celeriter, memoriterq́, reſpondit: quæſiuimus etiam ſuperiores vt diceret, dixit, & credimus eum poſſe retrorſum recitare Virgilium; de quocunq́, loco voluimus, petiuimus vt faceret, fecit. Proſa etiam de quacunq́, oratione Ciceronis, quam memoriæ commendauerat, id eum facere voluimus, quantum voluimus ſurſum verſus ſecutus eſt. Cum admiraremur, teſtatus eſt Deum, neſciuiſſe ſe hoc poſſe ante illud experimentum.* Hæc ille. Hoc egregie admirabile mihi videtur præ cæteris omnibus.

PH. Marcus Antonius Muretus Romanæ aulæ clariſſimus Rhetor ſcribit, ſe Patauii nouiſſe hominem è Corſica originem trahentem, qui triginta tria vocabulorum millia ordine quocunq; ſiue recto ſiue retrogrado, recitaret; idq; ſcribit in libro, cui titulus, Variarum lectionum ſilua.lib.3.c.3.

TH. Eſt hoc velut incredibile, attamen verum eſſe non ambigo. Nam anno Dom. 1128. in Sueſſionenſi Vrbe puer omnem veteris Teſtamenti hiſtoriam rithmice referebat: ipſum quoque Euangelium omne, ac quidquid Chriſtus egiſſet in terris, adeo omnia recolens tenaci memoria, occluſisque oculis, velut ex ſcripto recenſeret. Idiotas, atque illiteratos adeo auerſabatur, vt hæc coram illis dedignaretur: aſſerebat autem is hæc non aliunde didiciſſe, quam infuſa diuinitus gratia beatæ Mariæ virginis afflante numine, Rob. de Mont. Quod id ſit admirabilius eo nomine, quod is pecorum cuſtos erat, literarumque ignarus prorſum: obiit tandem, cuius cadauer velut diuina gratia perfuſum proſpectabatur candore quodam quaſi Angelicam referens faciem, coruſcante vultu, vt Sanctus Antoninus memorat tit.16.cap.14. § 2. Sed & poſterioribus ſeculis incredibilis memoriæ periculum faciebat Franciſcus Cardulus Narnienſis; qui cum plura folia conſcripta ſibi prælegi audiiſſet, mox ſingula eorum verba recenſebat, & recto ordine, & conuerſo, vt Leander in Sabinis habet. Quin etiam hoc noſtro ſeculo Iacobus Critonius Scotus adoleſcens idem memoriæ exemplum præbuit Venetiis anno Domini 1581.

EQ. Econtra autem obliuioſum eſſe, vegete adhuc corpore, (nam ſenibus parcendum eſt frigentibus viribus) aut ſtupidi eſt, aut aſinino more ignaui.

PH. Inconſtantis animi potius eſſe reor: vbi enim ſibi conſtans eſt animus, vt videmus in Cæſare & Mithridate, ſolida quoq; fuerit memoria: at vbi inconſtantia regnauerit, ſuperuenerit quoque obliuio, propemodum etiam ſui: ſitq; nobis exemplo Ecebolius Sophiſta Conſtantinopolitanus veræ Philoſophię Chriſtianæ obliuioſus factus propter inconſtantiam: qui quidem ſe ad Imperatorum ingenia ac naturam conformans, dum Conſtantius regnabat, ſe ardenter fidem Chriſtianam amplecti ſimulauit: dum Iulianus potiebatur Imperio, gentilitatem magnopere colere præ ſe tulit: Iulianoque mortuo, religionem Chriſtianam denuo profiteri in animum induxit. Nam ante portam Eccleſię ſe pronum obiiciens ſic vociferatus

feratus eſt: *Me quaſi ſalem inſipidum pedibus conculcate*: atque ſicut ille antea leuis & inconſtans fuit, ſic quoque poſtea permanſit.

Hoc igitur muliebre vitium tum leuitatis, tum inconſtantiæ, memoriæ vim extinguit. Ideo mulieribus fragilis eſt & contemplatio, & leuis memoria, tum ob frigiditatem, tum ob humiditatem; quæ memoriæ officere plurimum ſolet: quoniam vero paucis, paruiſq; rebus intenta eſt, facile rerum recordatur; ſicut & in pueris accidere videmus.

Fœminæ literatæ.

EQ. Attamen mulierum non paruus eſt numerus, quæ eruditione valuerunt, immemores enim eruditioni ineptæ ſunt: nam præter illas priſcas Aſpaſiam, & Sappho, quas commemorat Beatus Hieronymus in procœmio ad Sophoniam Prophetam, Proba etiam Adelphi Procõſulis vxor centones è Virgilio in Chriſti laudem conſcripſit, aut verius centones ex nouo & veteri Teſtamento, vt Baronius recolit anno Domini 395. quamquam nonnulli (vti Zonaras in Theodoſio iuniore) hanc laudem tribuant Eudociæ Theodoſii iunioris vxori, vt tradit Platina in Zozimo 1. fuit enim doctiſſima, poemaque conſcripſit de bello Perſico, Socrate teſte lib.2.c.21.

Nec prætermittenda eſt Elpis Boetii inclyti viri vxor longe doctiſſima: ipſam autem hanc leenam ex vnguibus cognoſcemus, ſi eius carmina aliquot promamus. Hymnum eius libet recenſere, quo illius non modo poeſim intelligas, verum etiam Theologiam aduerſus Arrianos, reliquoſque hæreticos etiam noſtrates, ſic enim illa:

Aurea luce, & decore roſeo
Lux lucis omne perfudiſti ſeculum,
Decorans cœlos inclyto martyrio
Hac ſacra die, quæ dat reis veniam.
Ianitor cœli, Doctor orbis pariter
Iudices ſeculi, vera mundi lumina
Per crucem alter, alter enſe triumphans
Vitæ ſe natum laureati poßident.
O felix Roma, quæ tantorum Principum
Es purpurata pretioſo ſanguine,
Non laude tua, ſed ipſorum meritis,
Excedis omnem mundi pulchritudinem.

Adeo autem iſta, quam ex carmine nouimus, eruditio, & pietas omnibus placuit, vt tota Dei Eccleſia toto orbe ipſa Apoſtolorum natali die Hymnum hunc recenſeat.

Amalaſionta quoque Alarici mater Græcis, Latiniſque literis imbuta, barbarorumque omnium linguis egregie cognitis, cum vnoquoque docto diſceptatione contendiſſet, vt etiam Platina habet in Agapito 1. Idque auget miraculum, quod fuerit etiam prudentiſſima, ex eiuſdem Platinæ teſtimonio in Ioanne 1. Sicut & Siluia Ruffini Conſulis ſoror, & ſanctimonialis, quæ legendo noctes in dies verterat, omnes antiquorum interpretum libros notiſſimos habens, inter quos tricies centena millia verſuum legendo tranſierat vnumquemque auctorem ſepties reuoluens Pallad. cap.33.

PH. Cornelia Gracchorum mater non eſſe omittenda mihi videtur, vel ipſo Ciceronis teſtimonio: nam eius eruditiſſimas Epiſtolas legiſſe commemorat; & Gracchos

Gracchos filios matris eruditione magnum in modum profeciſſe. Cicero in Bruto. Non eſt prætermittenda Roſuitta Germana illuſtris virgo, quæ metro geſta conſcripſit Othonis I. Imperatoris, & iam impreſſum opus circumfertur.

EQ. Fuere & aliæ plurimæ eruditæ omnibus diſciplinis mulieres; ſed is ſexus nulla alia laude ſe dignam fieri conuenit, quam ſtudio ſanctæ caſtitatis, hoc vnum illarum eſſe debet, & ſufficit encomium, præcipuum vero, ſi & virginitatem colant: longe enim id illis fuerit glorioſius, quam ſoleat, quæcumq; gloria viris eſſe. Quid enim poteſt eſſe admirabilius iis cõiugatis, quorum continentiam iam expreſſimus antea? In quibus miracula Dei tam ingentia coruſcarunt, quia & ipſa virginitas miraculum eſt.

TH. Ego adeo miraculum eſſe cenſeo veram caſtitatem, vt præponam etiam lapſis pœnitentibus hoc ipſo genere: nam caſtitas perdita numquam reparari poteſt, vixque ab ipſa diuina poteſtate. Itaque maior corona eſt virginum & continentium, quam coniugatorum.

EQ. Numquid igitur criminoſi reliqui per pœnitentiam & ſatisfactionem recuperant innocentiam?

TH. Abſque dubio, & Baptiſmo, & vero pœnitentiæ Sacramento reſtituuntur perditæ innocentiæ, fitque in cœlo gaudium maius ſuper vno pœnitente peccatore, quam ſuper nonaginta nouem iuſtis. Matth. 18. Adeoq; res hæc vera eſt, vt latroni in cruce primum fuerit promiſſum & datum cœlorum Regnum, quam aliis quibuscumque quamuis ſanctiſſimis.

Conuerſio & pœnitẽtia vita male acta.

EQ. Ita ſane credendum eſt; nam quidquid de pœnitentibus legiſſe me memini, ſemper egregio fuit miraculo aliquo inſigne factum, atque eo etiam maiore miraculo, quo maius fuerit criminis genus. Inter crimina latrocinium mihi videtur excellere, de iis miranda narrantur; quælibet commemorare prætermiſſo illo, quem in Metheoricis diximus iuſſiſſe Soli, vt ſtaret, cui Mucio nomen fuit. Exordirique libet ab illius conuerſione, quem S. Ioannes Euangeliſta conuerterat, de quo Clemens Alexand. in libello, cui titulus, Quis ſit ille diues, qui ſaluetur, & ab eo Euſeb. Cæſar. Eccleſ. hiſt. lib. 2. cap. 17. Cum etenim Ioannes à Pathmo rediiſſet Epheſum, adoleſcentem quendam offendit huiusmodi ætatis furoribus prorſus deditum. Hunc loci Epiſcopo, vt ad frugem meliorem inſtitueret, commendauit. Abeunte igitur Ioanne, adoleſcens ad malos mores collapſus etiam prædonum dux factus eſt, contempto Epiſcopo magiſtro. Poſt diuturnum aliquod tempus rediens Ioannes accepit adoleſcentem prædonem factum: ſolus ad eum acceſſit, vbi prædari cum aliis facinoroſis conſueuerat. Prædo in omnes atrox, viſo Ioanne; mitior factus eſt, oculiſque in terram defixis, iam pudere cœpit, deinde etiam flere, reduciq; ad Eccleſiam, vt præda Chriſti permittit, orationibus, ieiuniiſq; ſatisfaciens, etiam ab ipſo Ioanne Eccleſiæ præficitur; & quoddam quaſi illuſtre trophæum tantæ conuerſionis ſemper illuxit. Habet hoc idem Nicephorus lib. 2. cap. 42. Marul. lib. 4.

PH. Sane conuertendis quibuscumque etiam furentibus peccatoribus, plurimum valet Epiſcopi manſuetudo; nam interna caritas etiam ad trahendum peccatores mirifica eſt. Dicebat enim S. Matthias (vt teſtatur Clemens Alexandrinus Stromatum lib. 7.) Si Epiſcopi proximus peccauerit, peccauit Epiſcopus: nam ſi ea ita geſſiſſet, vt iubet verbum, ſeu ratio, eius vitã eſſet reueritus proximus, & nõ peccaſſet. Quamobrẽ quanta fuerit Ioannis manſuetudinis virtus, hinc pateat, quod

ſtatim latronem furentem miteſcere fecerit. Id igitur eſt Epiſcopi præcipuum, peccatoribus lapſis commiſereri, & quaſi illius peccatoris perſonam per deteſtationem induere, & hoc eſt, quod Paulus ſcribit Philip. 3. *Omnibus omnia factus ſum, vt Chriſtum lucrifacerem*: quod & inſigni exemplo patet. Erat Paphnutius Abbas egregius Chriſti athleta, numquam vinum guſtans. Incidit ille aliquando in latrones, qui eum nouerant etiam à vino abſtinere. Dux igitur huiuſmodi latronum ampliſſimo oppleto vino calice, ſtrictoq; enſe, ſic ad Paphnutium: Niſi hunc calicem ebiberis, occidam te. Paphnutius abſque mora ebibit. Tunc latro ſibi ignoſci à Paphnutio poſtulauit, quod eum de re huiuſmodi tentaſſet. Reſpondit perbenigne Paphnutius; Deus retribuet iſto atque altero ſeculo tibi, ob oblatum vini calicem: quo reſponſo ſtatim & Dux, ac reliqui ſectarii eius latrones omnes deinceps ab impio genere vitæ ſponte abſtinuerunt, vt habetur illo libro de vitis SS. Patrum p.2.cap.141. Vt vel ſic pateat, quanti momenti ſit benignitas, & peccatoribus commiſereri.

EQ. Id ita exiſtimarim; Efficit enim ſæpe conuerſionem peccatorum longe facilius humanitas atque ſuauitas, quam importunus rigor. Nam Sophron. in prat. ſpir. cap. 143. narrat latronem ſicarium fuiſſe apud Hermopolim, cui nomen Dauid omnium ſicariorum tum famoſiſſimum, triginta ſequacium præfectum. Is igitur diuina aliquando tactus gratia, atque compunctus ad ſe rediens perrexit ad monaſterium, vt monachus fieret. Eum Abbas, cui Dauid facinoribus iam erat notus, reiecit; quamobrem Dauid indignabundus dixit. Niſi admiſſus fuero, ad priora redibo facinora, euerſurus etiam monaſterium. Tunc Abbas admiſit, admiſſus reliquos ſeptuaginta monachos virtutibus ſuperauit, adeo vt miracula peregerit; &, quod admirabile præcipue, factus mutus, nihil omnino præter Pſalmodiam loqui vlterius potuit, eius rei teſtis eſt, qui viderat, vt ibi Sophronius atteſtatur.

PH. Latronibus, atque aliis facinoroſis ſemper aliquid boni ſupereſt in corde, Dei gratia illuminante, ſemperq; vocante. Ideo & ego aliud promam exemplum non contemnendum. Cyriacus inſignis latro fuit circa Emaus Nicopolis, turma perditorum hominum collecta tum à Chriſtianis, tum à Iudæis, tum Samaritanis. Ii igitur aliquando, abſente Cyriaco, ſtupratis primum matribus, infantulos quoſdam recens baptizatos Chriſtianorum abiecerant: quod cum ipſe reſciuit, ſeueriſſime in delinquentes animaduertit, infantulosq; ſeruauit. Non diu poſt Cyriacus à iudicibus comprehenſus decennio carceribus ſtetit incluſus, tandem abſoluitur; neq; alii rei illam abſolutionem tribuebat, quam quod infantulos illos ſeruaſſet, deinceps vero Sanctorum conſuetudine eſt vſus, qui prius iniquorum habuiſſet. Hæc ab eodem Sophronio in prat. cap. 165. Nemo igitur adeo deploratæ vitæ eſt, quin reſipiſcere aliquando poſſit, & cui non aliqui pietatis igniculi in corde latentes: quoniam Dei gratia neminem derelinquit. Quid ſi rigor ſit ad pertinaciam, duritiemq; compeſcendam neceſſarius? Vt ignis, ferrumq; putreſcentibus vulneribus, adhibenda remedia ſunt.

TH. Semper autem magis proficit (quod ſæpe diximus) ſuauitas, atque animi manſuetudo, quam rigor, qui perraro fructuoſe adhiberi ſolet: mutatio enim morum ſenſim expectanda eſt: Nemo enim humano conſilio fit repente bonus; at tactu Spiritus ſancti vel vno momento in alium virum homo conuertitur, priſtinæ naturæ velut prorſus oblitus, aut potius ipſa vitiata natura poſt conuerſionem ſui obli-

oblita eſſe videtur, vt ab ea abhorreat, quæ placerent; placeant, quæ abhorreret: &, quod magis eſt mirandum, quæ ante conuerſionem velut naturæ neceſſitas poſtulabat, poſt conuerſionem ea deſinunt neceſſaria eſſe. Exemplum trahemus ab alimentis ipſis. Nam Gulielmus Aquitaniæ Dux, & Pictauorum Comes, Albini edacitatem ſuperare viſus eſt, (Albinus enim etſi quingentas ficus paſſas, centum Perſica Campana, decem Pepones, oſtrea quadringenta vna cœna ediſſe tradatur, Venere tamen abſtinebat, vel ipſa natura abhorrente, vt poſt veteres auctores S. Anton. tit. 7. cap. 6. § 17.) At Gulielmus tantæ edacitatis & bibacitatis erat, vt ei vix quolibet prandio ea cibaria ſufficerent, quæ octo fortiſſimis edacibusque iuuenibus pararentur. At vbi mundi delicias excuſſit, Deoque ſe totum per conuerſionem dedidit, ieiuniis occupatus, pane modico & aqua contentus, magna incolumitate vixit, vt ſcribit Theobaldus Epiſcopus in vita ipſius Gulielmi cap. 1. & c. 24. apud Surium Tomo 1. Februario. Accidit perſimile anonymo cuidam viro à dæmonibus obſeſſo, cui cadus vini, ac panis modii tres quotidiano illi alimento non ſufficerent: At vbi Macharii virtute diuina ope dæmoniaca inſania liber extitit, tres ad ſummum panes quotidie illi in alimentum ceſſere, vt ex vitis Patrum conſtat p. 2. cap. 8. in impreſſione quadam recentiore. Mulier quoque Syriaca quędam triginta gallinis quotidie non ſaturabatur: at vbi diui Macedonii luſtrali aqua conſperſa eſt, perexigua carne alebatur. Vt Theodoretus recolit in Pilotheo, qui eius temporis ſcriptor fuit, quandoquidem Macedonio ipſi valde familiaris erat. Semper igitur in melius proficiunt, qui ad Deum ipſum peccatorum obliti conuertuntur.

PH. Nihil eſt illuſtrius inter reliquos homines, nihil ditius, nihil firmius homine vere conuerſo. Nam, vt aliis quoq; de rebus præterquam de alimentis loquamur, ſeruo Dei ſuppetũt omnia ſine ſumptu, imo ſine abſumptione vlla: nam præter id, quod iſraelitici populi veſtes, ipſa deniq; calceamenta nunquam per annos quadraginta attrita ſunt, longiſſimo itinere per inuias illas deſerti itinerationes: Etiam poſt Chriſti aduentum ſanctis Dei idem accidiſſe traditur, vt diuitum more veſtes velut nuper conſutæ ac floridæ, firmæq; quinquaginta annos perdurarint. Id accidit ſancto Abraamo Confeſſori, vt memorat Metaph. in eius vita 16. Martii, apud Surium tom. 2. Non obſunt iis, neq; impedimento ſunt ampliſſima flumina. Nilum enim omnium maximum transmeant veluti ſolidam viam. Mucius enim latro poſtea Eremita, de quo alias egimus, ſępe prętergreſſus Nilum ipſum traditur ſolis immerſis cruribus; in vita SS. Patrum p. 1. de S. Coprete. Quin etiam muri ipſi, oſtiaq; occluſa nullo ſunt ſeruis Dei impedimento, quandoquidem & oſtiis non reſeratis, imo valide clauſis, ingredi permiſſum fuiſſe cõſtat, & in longinqua quoq; loca momento vno tranſire, ne dicam transvolare. Id eidem Mucio contigit; nam ad fratres ſuos, occluſis oſtiis, ingreſſus perhibetur, & ad remota loca fuiſſe transuectus: in eadem vita de S. Coprete. Neq; aliquis putet natandi peritia hæc Sanctis accidiſſe: nemo corpore recto natat, vt Mucius.

Conuerſis omnia ſuppetunt.

TH. Contra accidit iis, qui diuinæ prouidentiæ obliti, humanis tantummodo ſtudent rebus; in opibus egeni ſunt, in omnibus commodis valde defatigantur: comparandique ſunt Tantalo, qui cum ad labia vsque aquis immerſus ſit, ſemper tamen ſitit, nihil proximarum aquarum vnquam deguſtans; fugiunt enim, cum labra admouentur. Comparantur & illi Africano homini, qui cum aquam ad potum ſibi paratam vendidiſſet, ipſe ſiti obiit. Nam duo ſimul per Lybiæ deſerta per-

rexiſſe memorantur, alteri erat aquæ vaſculum, quo in arenti ſolo refocillaretur; alter, qui nihil ſibi præpararat, velut de longiſſimo & arentiſſimo itinere nihil cogitans, maxima eſt ſiti correptus. Hic igitur, cum plurimum auri poſſideret, longe ſcilicet vltra decem aureorum nummorum millia, inopem ſe eſſe animaduertit; quod paululum aquæ ſibi mortem allaturum eſſet: putauit autem conſultius ſibi eſſe, aquæ modicum poſſidere, quam auri tantam maſſam: obtulit igitur comiti decem aureorum millia, ſi ſibi aquæ vaſculum exhiberetur; ille auri ductus cupiditate, ſe aqua, qua plurimũ ipſe quoq; egeret, auro accepto, priuauit: eaq; mercimonia vtriq; exitium tulit, vt neque ementi aqua profuerit, defunctus enim eſt etiam ſiti, neque venditori aurum, quandoquidem etiam ſiti defunctus in ipſa arena memoratur cum emptore. Id accidiſſe in deſerto Azaord, vbi extat marmoreum ſepulcrum vtrique extructum literis exſculptis rem hanc ſignificantibus Leonius tradit p.1. Atque ita fit, vt neque auri poſſeſſio in hoc arenti huius mundi ſolo proſit vnquam, neque ſtudium rerum humanarum: quandoquidem Deus ipſe ſemper quęrendus eſt, qui omnia poſſit ad felicitatem, & iucunditatem ſubminiſtrare. Nam neque aduerſa obeſſe poſſunt, vbi diuina ope quiſque nitatur: quando vel infantes ipſi à parentibus ipſis abiecti, deſertique à belluis alantur ſtudioſius. Belliſario etenim Picenum agrum aduerſus Gottorum impetus tuente, ingens eius regionis homines terror inuaſerat, fœminę itaque cum derepente fugam capeſſerent, in loco, vbi Vrbiſalia oppidum fuerat, quædam edito partu, eoque pannis, vt licuit, inuoluto, & in terra relicto, nuſquam deinde comparuit, aliquo vtcunq; caſu ſublata. Infantem illum in ſolitudine iacentem ac vagientẽ, capra quædam aduertit commiſerata; quæ & ipſa recens fœtũ ediderat, accedens vbera præbuit exſugenda, diligentique cura ſeruabat, ne canis, aut quæuis alia bellua puerum offenderet. Obtigit poſt dies plurimos, vt Picæni ad ſua quiſq; redirent. Dum in Vrbiſaliam permiſtæ cum viris fœminæ perueniſſent, inuentus ſuperſtes puer; nec quomodo id eueniſſet, vt ibi infantulus vixiſſet, coniectura vlla quiſquam aſſequebatur; alia vbera porrigebat, alia blandiebatur, alia fouebat ſinu: at ille inſuetum muliebre lac reſpuebat. Interim capra adfuit, & balatu fremens hunc circumibat, ægre ſe ferre ſubindicans, mulieres infantulo appropinquaſſe. Vbi id animaduertere mulieres, prorſus abſtinuere à puero, capræ officium tum alendi, tum ſeruandi permittentes: ex eaq; die populares puerum illum Ægyſthum appellauere. Hæc Procopius de bello Gottorum lib. 2. qui adiicit ſe tum miraculi conſpiciendi cauſa adductum fuiſſe ad puerum, capram, quæ ad lapidis iactum abierat, feſtinaſſe, balantemque accurriſſe, pueroque deſuper adſtitiſſe, ne quis illi moleſtus eſſet. Et ſane mira Dei prouidentia, quando ſi parentes infanti ſuſtulerit, nutritios etiam ratione carentes prouideat.

Infantes à beſtiis ſeruati.

At lacte humano non omnibus ali contingit. Thulitarum enim & Scrifinorum infantes nunquam maternas mammillas exſugunt, ſed vbi primum fœmina parit, infantem pelle mox inuolutum ſuſpendunt ab arbore, ferinisq; cerebris eius in ore ingeſtis, ac medullis quoq; ferarum nutriunt: neq; blandiri, neque fouere eos infantes videntur matres, præter hoc, quod diximus alimenti obſequio; nam etiam puerperæ dimiſſo (vt diximus) ſuſpenſo infante, ad conſuetas venationes cum viris ſuis mox properant, vnde & ipſæ viuunt, vt Procop. memorat de bello Gottorum lib. 2. Aduerſi igitur nil patitur, qui diuino regitur conſilio; nam & illud occurrit, vt flumina ipſa, quę hominem quemcunq; breui interuallo obruunt, præfocantque;

diuina

diuina prouidentia, etiam demerſos, vt ad plurimos dies viuant, ſeruent: quod accidit Gocellino nobili Colonienſis Archiepiſcopi ex ſorore nepoti: is puerulus adhuc dum Rhenum traiiceret incautius, nauigio elapſus demerſus eſt, neq; vlterius viſus: at poſt decimum quintum diem expiſcatus, oblatusq; ſepulchro S. Suiberti repertus eſt viuere adhuc. Id enim tradit Ludgerus in Epiſt. ad Rixfridum Traiectenſem Epiſcopum, c. 10. apud Surium tomo 2.

EQ. Studia quoque hominum, vt ditentur, redduntur inania, aut eluduntur, dum quisque prætermiſſa diuina omnium curam gerente prouidentia ſtudioſius ad honores anhelat: At contra qui incurioſi comperti ſunt, mirum quas leuiſſimas occaſiones obtulerit illis Deus, quando ad maiora efferre decreuerit. Erit nobis exemplo Protagoras Philoſophus (tametſi Ethnicus vir, nam etiam Paganorum prouidentiam Deus gerit) qui ſuis humeris ligna & colligens, & ferens, victum ſibi quærebat, ex ipſa ligni ingenioſa colligatione à Democrito Abderita agnitus, & in vrbem deductus adeo diſciplinis ab illo eruditus eſt, vt in ſummũ euaſerit Philoſophum, quem & Plato magnifecerit, vt Aulus Gellius tradit lib. 5. c. 3. Sed & Baſilius Macedo, qui fuit poſtea Conſtantinopolitanus Imperator, cum indomitum equum conſcendiſſet, tanta apud Michaelem Imperatorem ob id ſolum gratia valuit, vt Zonaras tradit in Michaele Theophili filio, & Theodore in fine, vt tametſi obſcuris eſſet parentibus ortus, ex equorum cuſtode factus ſit ipſi Imperatori cubicularius, & ducta Eudocia vxore, quæ erat Imperatoris concubina, etiam in Imperio illi ſucceſſerit. E contra vero magni viri ad perniciem ex leuiſsima quoq; cauſa traducuntur. Adeo proprio ſenſu duci, prætermiſſo diuino conſilio, periculoſum eſt; idq; vno exemplo faciemus perſpicuum. Erat Paulin. apud Theodoſium auctoritatis non paruæ, familiariſsimeque ob rem literariam ab Eudocia Auguſta excipiebatur. Hic igitur ob pomũ, quod dono dedit Theodoſio, ab ipſo occiſus eſt. Fuerat enim pomum miræ magnitudinis Theodoſio oblatum, quod ipſe admiratus dono dedit Eudociæ vxori, illa vero aduenienti Paulino donauit. Ipſe autem, vt ſe in Imperatoris gratiam magis inſinuaret, incautus ac rerum neſcius donauit Imperatori, præſeferenti gratum animum. At quid de pomo actum eſſet Imperator vxorem rogat, quæ illud ſe comediſſe mentita eſt, proferens autem illud Imperator, mendacii & perfidiæ illam quidem coarguit, Paulinum autem iuſsit occidi. Ex Nicephoro, Zonara, & aliis. Reges quoq; magni aut venando, aut ludendo, aut leuiora quoq; agendo in vitæ ſummum diſcrimen prolabuntur: quod alias dicturi ſumus, quando de ampliſsimis opibus ratiocinatio inciderit, præcipue de Belliſario, qui cæcus factus etiam mendicauit, cum mirifice pluribus ex Regum victoriis velut triumphaſſet. Et de Valeriano Imperatore, qui Perſis tandem velut viliſsimum mancipium turpiſsimam ſeruitutem ſeruiuit; de quibus alias pluribus. Sed de hac re hactenus.

Leuiſſima occaſione ad honores euecti, & contra.

PH. Nunc videntur recenſendi quidã rerum euentus diuino numine permiſſi in iudiciis dirimendis: nam memoratu digni videntur: velut eſt ille, qui compertus nobis eſt accidiſſe, Gregorio XIII. Pontif. Erat inſtitutum iudicium de rebus fidei aduerſus Ioannem Caſierum Magiſtrum totius Rhodienſium Ordinis. Iudices delegati, actuarii que ac teſtes iam acta peregerant in Melite Inſula, erat accuſationis Princeps Romagaſius Eques: euocati ſunt omnes ad Gregorium Romam anno Domini 1591. Nobis igitur ſpectantibus, Romam venere accuſator & reus Nouemb. menſe. Mirum accidit; Decemb. proximo obiit Romagaſius accuſatoris

Euẽtus Deo permiſſi in iudiciis dirimendis.

officium

officium gerens, obiit propediem accuſatus Magiſter, eodemq; templo Trinitatis ſepulturæ vterq; traditus eſt. Dum è Melite delegati iudices, actuariiq; cum actis, ac teſtibus nauigio veherentur eodem menſe, naufragio omnes ii perierunt, atque ipſa quoq; acta, atque ita nulla tanti iudicii inſtituti portio ſalua facta eſt. Adeo omnia perpetuæ obliuioni tradenda Deus conſtituerat, vt eius iudicii nullum vnquam veſtigium appareret.

EQ. Erit illuſtris illius iudicii commemoratio, quod recolunt auctores de illo, qui vultu Regis ſimilitudinem referens, & regno diſcrimen attuliſſe viſus eſt, & ſibi perniciem. Nam poſt annum Domini 1400. Margaritha trium regnorum Aquilonarium potens Regina iuuenem apud ſe admiſerat, qui forma corporis & ætate filio proprio non diſpar eſſet, cum ſecretiſſima quæque, & quæ non ſolent, niſi inter matrem & filium conſtare, ſigna perdidiciſſet, inſtruente nutrice filii Olai, qui iam diem ſuum obiiſſe neſciebatur, vt velut filius ad Regium cum ea, velut matre tribunal admitteretur: At cum tandem certiſſimo nuncio accepiſſet Regina Olaum filium iam fuiſſe defunctum, hunc, quem diximus ſe filium ſimulare, in Falſterboden iuſſit concremari. Krantzius Vandal. lib. 10. cap. 7. Sed & nominis quoque ſimilitudo adeo incautos reddidit Romæ iudices, vt innoxio viro perniciem attulerit. Erant circiter annum Domini 1571. duo iiſdem carceribus ob diuerſas cauſas incluſi, vtrique idem erat nomen; erat alter vere innocens, rerumque, quæ illi obiicerentur, culpa vacuus, at alterius culpa iam euidens: quamobrẽ iudices moti in eum tulere ſententiam, vt ſupplicium ſubiret. Lictores adeuntes carcerem ducturi hominem ad ſupplicium euocant, egredique iubent. Conſcius ipſe iam extremum ſibi vitæ articulum adueniſſe, lictoribus vocantibus non eſt egreſſus: alter, cui idem quoque nomen eſſet, nil ſibi metuens, egrediens, præſto eſt: nam ſe vocatum putabat, vt iudici ſiſteret; Mox à lictoribus collo funis illi imponitur, duciturque ad ſupplicium: Nec apparuit error, donec, cum de ſecundo iudicio ageretur, alterius ſcilicet, qui ex actis nondum ſupplicio dignus cenſebatur, quem ſubiiſſe per errorem ſupplicium ignorabant, detecta è carceribus hominum permutatio eſt. Hæc nobis Romæ degentibus accidiſſe meminimus, & vtrumque ſupplicio affectum accepimus. Quandoque vero ipſa formæ ſimilitudo maximam in modum mutuam conciliat beneuolentiam: cuiuſmodi exemplo eſſe poſſunt ii duo pueri, qui Pipino Francorum Regi deſeruiiſſe memorantur, nobili quidem progenie. Erat alter Comitis Aluernenſis filius, alter ex milite quodam Bericano ortus. Mirum, vt cum diuerſis parentibus fuiſſent ac locis progeniti, adeo ſibi vultu eſſent aſſimiles, & pari quoq; fortuna vſi: nam vterque à parentibus Romam deducebatur, forte fortuna ſibi apud Lucam obuiauerunt Romæ, vterque Baptiſmum ſubiit, ac deinceps admirandum in modum ſeſe dilexerunt. Vinc. hiſtor. lib. 73. c. 162.

Supplicium erroneũ ob nominis ſimilitudinẽ.

TH. Superſunt præterea exempla quædam diuinæ vindictæ admiranda, & è contra innoxiorum admirabiles liberationes. Boleſlao Boemiæ Duce, cum aduerſus Catholicos perſecutio fuiſſet inſtituta, nitente Drahomira ipſius Ducis nutrice, Podiuinus ſuſpendio eſt adiudicatus: Mirum id fuit, vixque fidem res tanta conſequitur; biennium integrum in furca appenſus ſub Dio perpetuo manſit, nulla tabe violari, nedum corrumpi, conficique potuit, donec de perſecutore vltio diuina ſequeretur. Ioannes Dubrauius Epiſcopus hiſtor. apud Surium Tomo ſeptimo in vita Sancti Viceslai Ducis, cap. 15. Septembri menſe. Succeſſit igitur hunc in

Diuina vindicta, & noxiorum liberatio.

modum

modum diuina vltio: iacebant adhuc inſepulta occiſorum Sacerdotum corpora, dum curru veheretur ipſa Drahomira, auriga mentis deuotione motus deſcenderat paulisper è curru; at eo deſcendente terra ſponte dehiſcens ipſam Drahomiram currumque, ac reliquos, qui eodem curru vehebantur, abſorbuit, auriga ſolo incolumi, qui ad aram iuxta ſitam (vt dixi) equo deſiliens accurrerat, cum forte tintinnabulum tinnire audiiſſet, vt Dominicum corpus in ſacroſancto ſacrificio adoraret, execrante illum Drahomira omnibus maledictis. Hæc idem Ioannes Dubrauius hiſtor. Boem. apud Surium in eadem vita cap. 15.

Vt autem hunc aurigam ob diuinorum venerationem incolumem fuiſſe diximus, ita ob diuinorum contemptum gens alia diuino miraculo mulctata traditur. Choreas ducebant in Colbeke villa Halberſtadenſi nimis inſolenter ipſa Dominicæ Natiuitatis nocte, & quod culpas valde auget, etiam in ipſius Eccleſiæ cæmiterio ſancti Mauri. Erant autem, qui id agerent, ebrii omnes, tum viri, tum fœminæ, quamobrem inconcinnis clamoribus diuinum officium interturbabant. Rogati à Sacerdote, vt abſtinerent: cum non parerent, ille velut quadam pia indignatione commotus dixit: *Quando mecum diuina religio contemnitur, ſit vobis circuitio, choreaque illa annalis.* Adeo illa ſententia Deo probari viſa eſt, vt ii in chorea ſemper perſeuerauerint absque cibo dies ac noctes ſine vlla quiete, adeo vt quidam ſancti viri etiam pro illis diu rogarint, at illi nihilominus annum integrum perſeuerauerunt. Ac cum quidam ſororem ſuam ex eo circulo ablaturus acceſſiſſet, potius brachium euulſit. Durauit autem adeo is motus, vt alta terræ veſtigia impreſſerint. Anno demum euoluto quieuere, maior pars ſpiritum exhalauit; pauci, qui ſuperfuerunt, recreati inſigni ſe pœnitentia macerarunt, accidereque hæc Imperatore Henrico. Krantzius in Saxon. libr. 4. cap. 3 Nauclerus eadem. Numquam igitur inulta ſunt contempti numinis crimina. At vero, qui experti ſunt diuinam gratiam, qua à periculis eximerentur, etiamſi inſignibus quibusdam modis nobis recenſendi ſunt aliquot. Et in primis quoad choreas ſpectat, ſæpe cum ſponſi ipſi culpis careant, quod diuinum matrimonii Sacramentum excolant, ii, qui nuptias eorum celebrant, culparum nexibus ſeſe illaqueant, vnde in eos diuina vltio prouenit, cum diuina gratia ſponſis affulgeat. Agebantur Qualenſes in Lubica nuptiæ, aderatque frequentiſſima virorum mulierumque multitudo choreas ducens, ignis incognita origine domum inuadit, perimuntur ab eo 180. vtriusque ſexus, ſoli ſponſi nudi è lecto euaſere incolumes, vnde datus eſt prouerbio locus. Nuptiæ ſcilicet Qualenſes. Krantzius Vandal. libr. 12. cap. 12. circa annum Domini 1440. Sed & periculum, quod euaſit Matthias Coruinus Vngariæ Rex, opportune eſt commemorandum. Victore enim Turca aduerſus Vngaros in campo Merulæ, in Raſciæ Bulgariæque finibus, Coruinus Dux ſibi fuga conſulens triduum equo vectus per auia loca iter confecit, cibi & potus expers; quarto die incidit in latrones duos. Dimiſſo dudum equo, qui præ nimio labore defecerat, quum eſſet ipſe inermis, ſe ſpoliandum dedit. Direptis veſtibus, de aurea cruce, quæ è viri collo pendebat, inter latrones oborta eſt contentio: Coruinus autem, dum ſalutis viam circumſpicit, promptum ſibi latronis gladium intuetur, quo mox arrepto litigantes adoritur, alterum lethali vulnere conficit conculcatq;, alterum petens in fugam vertit. Hac igitur crucis occaſione optimus Dux ſe à rapina morteq; redemit, quod haud abs re diuina benignitate factum, vt qui pro cruce affixi Seruatoris nomine dimicaret, crucis quoq; auxilio liberaretur. Anno Domini 1448. Bonfin. dec. 3. lib. 7.

EQ. Semper à periculis bonos eximit Deus. Id ego non tacebo, quod ad Sergium Papam pertinet: Pepererat ex inceſtu mulier quædam; æmuli Sergii Papæ in eum culpam referebant caſtitati eius labem inurentes: at ſanctus Anthelmus Epiſcopus Pontificis Romani famam labefactari minime paſſus, it ad domum infantis nonum diem nondum agentis, interrogat iubetque, vt aperiat ſuis verbis, ſi ſit Sergii Pontificis Romani filius? Reſpondit infans abſolutiſſimo ſermone, Sergium Pontificem Romanum eo ſcelere immunem eſſe, nihil illum cum Venere commercii habere, ex vetuſtiſſimo authore Surius in vita ſancti Anthelmi c.3. Tomo 3. Ita fit vt loquantur, qui linguæ vſu careant, vt innocens periculo eximatur. Quin etiam, abſciſſa ipſa lingua, Tyrannorum vis nil adimit viris piis, quod Romano Martyri accidit, cui etſi eradicata à perſecutore eſſet lingua, diſertiſſime tamen loquebatur, vt Ioannes Chryſoſtomus narrat apud Metaphraſtem in vita S. Romani, Nouembri. Surius Tomo 6. Sed & ii in Typaſenſi Mauritania, vti alias recolebamus, ab Arrianis idem linguæ abſciſſionis periculum experti ſemper diſerte locuti ſunt. Id Victor Vticenſis tradit hiſt. lib. 2. c. 22. apud Surium Tomo 4. in ſancto Eugenio; Iuſtinianus Imperator id affirmat in Codice *de off. præfec. prætor. Afric.*

Linguæ vſus ex abſciſſa.

PH. Et ego aliud non prætermittam, quo ab Anthropophagis diuina clementia leui occaſione exemerat nautas, mercatoribus in eſcam illis transeuntibus. Inciderant nautæ piſcatores in Aquilone vltra Eſtotilandam Inſulam in Anthropophagos, qui, cum reliquos omnes comites in continentem deſcendentes iam deuoraſſent, etiam ad nautas accedebant, qui piſcationi incumbentes retia trahebant, Anthropophagi nouitatem rei admirati, velut quodam prodigio abſterriti (numquam enim viſa fuerant retia) omnes nautas incolumes dimiſere, vt tradunt duo fratres Zeni, de Inſulis Friſlandiæ lib. 1. apud Ramuſ. Tomo 3.

Podagræ ſanatio ex carcere 19. annorum.

TH. Adiiciam ego & aliud hominis diſcrimen, quod diuina ope ſola euitauit, tegunturque multa admiranda in vno illo euentu. Pecchius Ciſalpinus fuit vir equidem induſtrius & imperterritus, hic cum aliquando in odium incidiſſet cuidam viro illuſtri, multorumque oppidorum Domino, itinerans vi armata captus ab illo eſt, clamque eſt in ſaccum coniectus, & in ima parte domus occluſus in arce quadam firmiſſima, etiam inſciis aliis familiaribus, præter vnum fidum neceſſarium, ſeruatus eſt. Vt diutius in cruciatu Pecchius viueret, arcis Dominus iuſſerat quotidie panis fruſtum & aquæ paululum dari, velut reo ad carceres perpetuos damnato: nemo tamen hominum quis ille eſſet incluſus nouerat. Interim, dum per vrbes, oppida vicoſque Pecchius quæritur, eo non inuento, Magiſtratus, vbi ſuam vitam degebat, occiſum cenſuerunt; inuentus enim fuerat mulus eius, quo equitabat, ſanguine aliquatenus aſperſus; actum eſt iudicio publico, vt occiſor quæreretur, inuenti ſunt duo, quibuſcum aliquando fuerat rixatus. Hoc indicio comprehenſi, ac torti, occidiſſe hominem faſſi ſunt, alteri quidem ſuſpendii, alteri abſciſſionis capitis ſupplicium collatum eſt: cum tamen ille interim, qui occiſus putabatur, viueret incluſus in eo, quem diximus, teterrimo carcere. Abſumpſit is miſere annos decem & nouem in eo vitæ genere, pane & aqua perexigue alitus, numquam veſtem aut exuens aut mutans, ſemper tamen (vt ipſe nobis ſuis verbis narrauit) Dei eiuſq; diuæ matris clementiæ memor, ſpe ſemper conſtans, futurum aliquando, vt inde eriperetur. Filii interim, velut patri mortuo iuſta fecerant, hereditatem quoque aditam & adminiſtrarant, & alienarant. Exacto igitur decimo nono anno

(nam

(nam Chriſti anno 1540. incluſus fuerat) quinquageſimo nono inuentus eſt in hunc modum. Iam is arcis Dominus, qui incluſerat, diem ſuum obierat, panis & aqua tamen velut reo damnato adhuc dabatur, numquam tamen aut videri ab aliquo, aut ſibi alloqui quiſquam inuentus eſt omni hoc tempore. Tandem igitur cum de extruendo loco ageretur, atque murus, quo vndique ille cinctus erat, nulla prorſus ianua, ſed paruula tantum ſpecula, qua perpaulum luminis irradiaret, permiſſa fuiſſet, deſtrueretur, apparuit homo lacera prorſus veſte, barba ad vsque genua, capillis vltra humeros protenſis. Admirantibus, qui aderant, in vulgus mox res inuenta tranſiit, accurrere omnes, velut ad ſylueſtrem hirſutumque hominem: periti, qui aduenerant, conſulere, ne mox ſub dio homo traduceretur, ne aut cæcus ob nimium ambientem inſuetum aerem fieret, aut etiam vitæ vigor, qui ſupererat, nimio aere obrueretur. Hac cautione vſi aliquot dies hominem ſeruarunt incolumem: quis fuerit, quisve ſit prodit, quod vitæ genus peregerit, tandem conſpectus agnoſcitur, ac velut homo reſurgens Principis iudicio bona à filiis alienata recuperat, dum viuit fruiturus. Mirum, cum podagra laboraret immiſſus in carcerem, reliquo omni tempore incolumi corpore fuit, etiam poſtquam eo periculo exemptus fuit. Cum eo etenim collocuti ſumus, hæcq; ex illius ore didicimus, cum Mediolani compertum hominem rogaremus, vt hęc nobis enarraret. Erat tum annus 1566. Nouembris menſis: ſed quæ culpa adduxit homines, quos diximus, vt veluti homicidii reos ſe eſſe faterentur, cum non eſſent? niſi quod diuina conſilia nullo humano captu intelligi poſſe ſemper, & vbique animaduertamus. Et certe nuſquam deeſt hominum neceſſitatibus Deus, tum viuentium, tum defunctorum. Etenim habet & ſuorum iam defunctorum curam, ne in oſſa eorum ſæuiens Tyrannus agat quodlibet, quin ſi ſæuierit, ac turpitudine fœditateque aliqua ea ſit perſecutus, adeſt Deus, vt honeſtiora efficiat. Præter tot miracula ab authoribus tradita illud mihi videtur fere omnibus præferendum, quod Stanislao Cracouienſi Epiſcopo accidiſſe traditur. Fuerat is à Rege tanta ſæuitate peremptus, vt corpus eius in ſexcentas fuerit diuiſum partes, feris auibusque diuerſis locis omnes expoſitas: mirum id fuit, vt toto triduo quatuor Aquilæ illæſa & à feris & ab auibus omnia membra defenderint. Tandem vero collectis hinc & inde iis partibus, ſuoque ordine compoſitis, diuina clementia adeo affulſit, vt omnes ſimul agglutinarentur, conſolidarenturque, vt nulla cicatricum veſtigia apparerent: & (quod auget miraculum) digitus vnus in lacum fuerat abiectus, atque à piſce deuoratus, at vt omnia ſimul membra componerentur, piſce illo forte fortuna capto, inuentus eſt digitus, admotusque loco ſuo, & ipſe conſolidatus eſt. Hæc Ioannes Longinus in vita ſancti Stanislai apud Surium Tomo 3. Sed de his plus ſatis iam dictum.

PH. Libet adhuc recenſere duo quædam admiranda, quæ acciderunt innoxiis, vt neſcias an culpa an merito paſſi ſint, quorum nulla ratio poteſt homini innoteſcere. Faber lignarius in Viſmaria vrbe Germaniæ in furorem verſus eſt: at cum nulla belua ſoleat ſæuire in propriam prolem, hic vnus temere, nulla accedente cauſa, arreptos duos filios ſecuit medios, tertium cum omnium matre alio mortis genere peremit, nihil harum rerum quas ageret, animaduertens. Poſtea vero in ſe rediens, conſpectis cadaueribus, horrens tantum facinus, ſe quoque interemit, circa annum Domini 1407. Krant. Vandal. lib. 10. c. 10. Quis vmquam rei huius cauſam nouerit? quatuor in furore commiſit is homicidia, alıud omnium maximum prudens in ſeipſum commiſit. Sunt hæc Diaboli peſſime inſtigantis opera.

Homicidia ex furore.

Magi-

Citatus ad tribunal Dei ob ſententiam iniuſtam.

Magiſter quoq; Theutonicorum ordinis per indignationem ſuſpendio prætenſo falſo crimine ſciens prudensque quendam peremerat. Innocens cum ad ſupplicium duceretur, ad Chriſti tribunal Magiſtrum citat, ad tertiam decimam diem: adueniente die, Magiſter prorſus incolumis ſuo ore coram non paucis fatetur, oportere ſe ſiſti coram Deo. Mirum, ea die occumbit. Id accidiſſe in Liuonia circa annum Domini 1407. tradit Krantzius Vandal. lib. 11. Quis vnquam hæc animo concipiat, intellectuque percipiat? Nemo ſane, niſi quod iram Dei in iniquos Iudices inde animaduertimus.

Puer per luſum ſuſpenſus.

TH. Nunquid iram Dei putabimus etiam illam, quando puer à pueris per imprudentiam ſuſpendio necatus eſt? Id enim accidiſſe Procopius author eſt belli Gottici lib. 1. *Samnites pueri, cum paſtum pecus educerent, per luſum, vt aſſolent, duos inter ſe deligunt corporis habitudine præſtantiores, ac ſpecie, quorum alterum Belliſarium vocitant, (tum enim is Iuſtiniani nomine in Italia bello præerat) Vitigem alterum, qui aduerſarius erat. Hos igitur colluctari inuicem iubent: in ea colluctatione, qui Vitigis nomen fuerat ſortitus, in terram victus prolabitur, hunc ſtatim puerilis illa & inconſideratior turba illudendo ſimul & increpando in proximam arborem ſuſpenderunt. Lupo deinde interueniente conſpecto, exterriti omnes fugam capeſſunt; qui vero ſuſpenſus pendebat, à cæteris deſtitutus in eo cruciatu interiit. Quibus de rebus certiores facti Samnites, ex his, quæ acciderant, coniectando aſſeuerarunt, victorem omnino Belliſarium fore, quod reuera poſtea ſequutum eſt.* Hęc Procopius. Certe magna illa diuini conſilii abyſſus non humano conſilio metienda: occulta cum igitur ſint illius iudicia, conticendum homini eſt, nec vltra inueſtigandum. Sicut & illa admiranda magis ſunt, quam diſcutienda, quando infantes vix nati ad maximos honores prouehuntur: nam Theodoſius iunior ex Arcadio & Eudoxia natus, mox renuntiatus eſt Imperator, vt recolit Marcus Gazenſis Diaconus; nam & decreta Imperatoria exoraſſe ab illo Epiſcopos Reuerendiſſimos conteſtatur. Sed & Vladislaus Alberti filius cum quatuor menſes vix attigiſſet, Rex Vngariæ diademate coronatus eſt. Sabell. Enead. 10. Quin Stephano Ioannis Sepuſii filio adhuc vagienti, corona eiuſdem Vngarici regni impoſita eſt. Iou. hiſtor. lib. 38. Hæc igitur omnia diuino permittenda iudicio ſunt: alii autem pueri annorum aliquot ad Imperia ſunt euecti, ſed id non adeo admirandum. Sed non ſine numine fiunt huiusmodi, vt diſcat homo Dei vbique prouidentiam.

Pueri Imperatores & Reges creati.

Præſagium è ſtatua.

Illud enim perſpicuum eſt, omnia quæ fiunt, viuentium eſſe doctrinam. Miris enim modis loquitur Deus docens humanum genus, quando rerum euentibus aſſuetis, quandoque etiam prodigioſis contingentibus, vt norint homines omnia cœleſti numine gubernari. Nam cum Theodorici Gottorum Regis exitus ille infeliciſſimus immineret, vel ipſa muta ſaxa loqui quodammodo viſa ſunt. Belliſario etenim eodem aduerſus Gottos bella gerente, ſub Iuſtiniani Imperio, Neapoli admiranda res contigit. Theodorici enim Gottorum Regis in foro ipſo imago erat lapillis ſectilibus, quadratisque, varioque colore infectis compoſita: huius imaginis caput adhuc Theodorico ſuperſtite neſcio quo caſu defluxit derepente, & ſua ſponte depulſa lapillorum compage, vnde mox ſubſequutum, vt Theodoricus vitam finiret. Poſt annos deinde octo lapilli, qui imaginis eius ventrem effigiabant, quoniam eundem in modum protinus excidiſſent, Athalaricus Theodorici ex filia nepos fato ſuo defungitur. Paulo poſt labentibus circa pudenda lapillis, Amalaſiuntha Theodorici filia ex humanis exceſſit. Gottis autem obſidentibus vrbem, à femoribus ipſis ad imos eiuſdem imaginis pedes lapillorum compages o-

mnis

mnis dilabitur, & imago tota ex pariete penitus aboleuit. Hæc Procopius Gott. bell. lib. 2.

Ideoque infantes, quos diximus in Vngaria coronatos, viſi ſunt præſignaſſe infirmum futurum propediem regnum: poſtea enim ablatum Chriſtianis Turcæ ſeruiuit, licet per Dei gratiam hodie à Chriſtianis repetatur. Et Theodoſius quoque ipſe, vt fauit ſua imbecillitate hæreticis, incurrit maximam offenſam Dei, & morte etiam peſſima interiit equo lapſus Sed de hiſce rebus hactenus.

EQ. Pro Colophone noſtri colloquii, Sole ad occaſum vergente, illud vnum à vobis quęro; num ſi cui accidat, vt qua die natus eſt, anniuerſaria etiam moriatur, ſit myſterium aliquod, an vero is caſus videatur ad euentus eſſe referendus?

TH. Nullum in ea re cenſendum myſterium, aut rerum coniectatio. Res tamen vere memorabilis eſt: Florentino enim ciui Franciſco Bandino Abbati in aula Romana notiſſimo id accidit, vt qua die natus eſt, 19. Decembris, eadem poſtea ſit defunctus, vt quater nouennalis numerus rebus ſuis acciderit, decima nona die natus, decima nona defunctus, ætatis annum agens vigeſimum nonum, cum ageretur annus Domini milleſimus quingenteſimus ſeptuageſimus nonus: quod adnotauit, qui illi ſepulchrale elogium conſcripſit Romæ in æde Sancti Syluestri in Quirinali.

Dies quorundam euentibus memorabiles.

EQ. Tradunt Hiſtorici, Carolo Quinto Imperatori vigeſimam quartam diem Februarii fuiſſe euentibus omnibus memorabilem, quod illa ſit natus, illa Gallorum Regem deuicerit, captiuumque fecerit apud Ticinum Inſubriæ vrbem, illa quoque Auguſtale diadema de manu Pontificis Romani Bononiæ ſuſceperit.

PH. Si numeros velimus perpendere, in omni humano genere nulli plures concurrere ſeptenis ſcilicet, quam in Gregorio Vndecimo Romano Pontifice, ac non modo ſepties ſeptem, ſed vndecies ſeptem, cum ipſe eſſet eius nominis Vndecimus Pontifex, ſeptimo ſupra decimum anno factus Cardinalis, ſeptem ſupra triginta annos in illa dignitate agens fit Pontifex; ſeptimus erat ex iis Pontificibus, qui Auinione ſederant, electus à ſeptem ſupra decem Cardinalibus; ſeptimo decies repetito anno vrbem Romam Pontificiæ Maieſtati velut poſtliminio exilioue liberatam repetita ſede decorauit; ſeptem annos in Pontificatu peregit; ſeptimo ab electionis die conſecratus & coronatus.

EQ. Si id in Gregorio Vndecimo velimus perſcrutari, adhuc alia ſuperſunt, quoad ſeptenarium numerum. Electus enim fuit anno Domini ſeptuageſimo trecenteſimo poſt milleſimum, deſeruit vrbem Auinionem, in qua portæ ſeptem numerantur, plateæ, palatia, collegia, parochiæ, cœnobia virorum ac mulierum ſeptem, migrauit Romam ſeptem collibus inſignem, ter ſeptem triremibus omne è Gallia in Italiam iter confecit, vt ita coniicias omnem lucem Maieſtatemque Romanæ vrbis non potuiſſe illuſtriore modo repeti, niſi tot ſeptennalibus numeris in vnum collecti. Sed de re iſta plus ſatis.

Sed quid præterimus, quod valde mirandum eſt, ſcilicet quod illis accidit, qui dormientes egreſſi cubilia domosque, veſtimentis armisve ſe ornant, mechanica opera in ipſis ſomnis exercent, quin & homicidia perpetraſſe memorantur, quæ, ſi vigilaſſent, non exercuiſſent. Laudenſis etenim Iuriſconſultiſſimus enarrationes ſcribens in Clementinas memorat, cum Pariſiis degeret, vſum ſe conſuetudine Anglici cuiusdam, cui id more poſitum erat, vt ſomno correptus domo egrederetur,

Ambulones.

 tur,

tur,ad templa proficiſceretur etiam procul remota:atque aliquando eum iuxta Sequanam fluuium ſomno adhuc oppreſſum ambulantem etiam puerum peremiſſe, ac ſeſe rurſum in lectum recepiſſe nunquam expergefactum. Bartolus quoque memorat, Piſanum quendam ciuem in ipſo ſomno ſæpe arma corripuiſſe, vrbem inambulaſſe concinentem ſemper oppreſſum ſomno. Marianus quoque Senenſis Iuriſconſultiſſimus narrat, in vicinia agnouiſſe puellam, è lecto cubilique ſomno oppreſſam egredi conſueuiſſe, piſtoriamque exercuiſſe, nunquam expergefactam. Quæ omnia non iis tantum accidere, ſed frequenter aliis quoque: nam & Cælius Rhodiginus de ea re ſcribit antiquit. lib. 30. cap. 9. & Petrus Aponenſis in commentario 30. ad Problema 12. & Tiraq. de pœn. remitt. cauſa quinta.

Dormientes perturbati ex atra bili.

PH. Haud dubie hoc eſt admirandum: nam in re natura agit mirifice, dum dormienti multus accidit motus, ac perturbatio ex atra bili, atque ideo ex ea cauſa ſpiritus non quieſcit, ſolicitaturque ab imaginatione rerum conſuetarum: at cum motus non ſit tantus, vt ſomnum prohibere queat, efficitur & illa interna rerum agendarum imaginatione, & ſolicitatione motus alius exercens; & externa membra ſenſibus ſemper oppreſſis, vt eodem loco memorat Aponenſis: iis morbis tradunt Betonicam herbam pro antidoto eſſe, vt Antonius Muſa ſcribit, recolitque Tiraquellus.

INSECTA ANIMALIA.

COLLOQVIVM QVINTVM.

EQVES.

AD extremos iſtorum hortorum terminos ſub illa, quæ hinc videtur, rupe ſcaturigines quædam ſunt inſitæ virtutis cuiuſdam non contemnendæ: balnearum enim vſum exhibent feruore ſuo ægritudinibus maxime ſalutarem, verum celebratæ ſunt apud finitimos omnes, ob quoddam ibi inſigne miraculum. Vermes enim quidam in illis aquis adeo feruentibus, vt tactæ lædunt, viuunt, qui tranſlati mox extra illas moriuntur: quamobrem non fuerit locus nobis incommodus ad diem hanc tranſigendam ſub vmbraculis & tectis ornate ad balnearum vſum confectis.

PH. In huiuſmodi minimis animantibus natura ipſa maiora videtur collocaſſe miracula, quam in enormibus animalibus, vt vel ſic videatur oſtendiſſe non molis amplitudine, ſed virtutis res eſſe metiendas: ſicut & in lapidibus ac gemmis, quas ſaxis præferendas ob incredibilem virtutem inſtituit; exiguas autem ipſas eſſe voluit, ſaxorum autem montes altitudine cœlum attingentes nullius aut modicæ virtutis vim habere iuſſis. Videmus præterea, campos, montes, fluminaque ipſa, atque æra omnia ignibus exuri, aut ſtatim, aut ſaltem interuallo, attamen animalcula quædam non ſolum non lædi, ſed in eo viuere: & vt viuant, etiam in igne verſari neceſſarium eſſe. Ita fit, vt nobiliſſimus & maximus omnium elementorum ignis nulli ſe rei ſubiiciat, niſi perexiguis, minimiſque aliquibus animantibus, dignatus ab illis ſe vinci, dedignatus ab hominibus, aut maioribus animantibus ſe, ne dicam, vinci, ſed nec tangi quidem.

Vermes in ſcaturiginibus.

EQ. In hiſce ſcaturiginibus vermes & naſci, & viuere perſpicuum eſt cuilibet: vide-

videtis in eis plurimos piſcium more volutari, nec poſſe alibi viuere, & tamen, vt tactu experimini, aquæ ob feruorem tangi ſe non permittunt.

TH. Ego admiror, ſed id ipſum alias legi. Sanctus enim Auguſtin. de Ciuit. Dei lib.21.c.2. *Eſſe* (ait) *animalia, quæ in mediis ignibus viuunt, ac nonnullos vermes in aquarum calidarum ſcaturigine reperiri, quarum feruorem nemo impune contrectat. Illi autem non ſolum ſine vlla ſui læſione ibi ſunt, ſed etiam extra eſſe non poſſunt.* Hæc ille.

PH. Sanctus Auguſtinus regionem non exprimit, vbi vermes huiuſmodi feruentibus inhabitent ſcaturiginibus, attamen de piſcibus id aliquando legi, ſed non eſt opportunum modo de piſcibus, ſed de vermibus putarem eſſe eam prouinciam, quam nuncupat liber de natur. rerum Chælidoniam. *In ea enim* (inquit) *quibuſdam aquis naturaliter feruentibus vermes non aliter viuunt, quam in frigida piſces, at extra eas aquas in frigidam migrantes moriuntur.* Id habet etiam Vinc.hiſt.natur.lib 20.c.68.

TH. Horum ſententia non eſt contemnenda; propterea vt admiror, vermes eſſe ex eorum libris, qui in feruida viuant aqua, magis miror, quod ignem extinguant aliqui vermes: tradit enim idem liber de natur. rerum, ſtellæ figura vermem reperiri, qui nocte vt ſtella luceat, nunquam niſi magnis imbribus proueniat, ac ſerenitatem adeſſe demonſtret; huius tantum rigorem eſſe ait, vt tactum ignem modo, quo glacies, extinguat, huius etiam ſanie, ſi humanum corpus contingatur, toti capilli defluunt, idque, quod tactum eſt, de colore in virorem mutat. Hique vermes nihil gignunt, nec in eis eſt mas, aut fœmina. Eadem etiam habet Vinc.natur.hiſt.lib.20.c.168.& Albert.Magn.animal.lib.26.in ſtella.

EQ. Hæc ſupra ignem in animalculo vis omni eſt memoria digna, imo admirabilior eſt, quam Salamandræ vis, quam ferunt in igne viuere, quanquam de Salamandra non eſſe nunc differendum cœpta ratiocinatio nos prohibet, reiicientes omne de ea colloquium, cum de quadrupedibus aut ſerpentibus agendum fuerit. *Salamandra.*

PH. Eſt ſane naturæ miraculum, frigidum humorem perparuum tanta vi eſſe præditum, vt igneo calori præponderet: verum admiror ego longe magis auiculas aridiſſimas, omni humore carentes in igne naſci, non aduri, quin potius in flammis viuere, imo flammis egere, vt viuant. Scribit enim Ariſt. hiſt.anim. lib.5. cap. 19. in Inſula Cypro ærariis fornacibus, vbi chalcites lapis ingeſtus compluribus diebus crematur, beſtiolas in medio igne naſci pennatas, paulo muſcis grandibus maiores, quæ per ignem ſaliant atque obambulent, extra ignem moriantur. Hæc ille.

EQ. Eadem Cicero lib.1. de natura Deorum.

PH. Accedit & Solinus cap.17. qui huiuſmodi volucres Caryſtias nuncupat, & in Creta impune inuolare in fornaces ignitas tradit. Sed & Seneca quæſt. natur. lib.2. affirmat, animalia quædam ex igne generari:& ideo etiam has igne gigni, non eſſe dubitandum, vti recens longa diſceptatione tradit Marſilius Cagnatus Medicus variar.obſer.lib.1.cap.23.24.

TH. Alii tamen non Caryſtiam, ſed Pyrauſtam, alii Pyrogonum, alii Pyralem nuncuparunt. Plinius enim lib.11. c.36. *In Cypri* (inquit) *ærariis fornacibus ex medio igni maioris muſcæ magnitudinis, velut pennatum quadrupes appellatur Pyralis, à quibuſdam Pyrauſta, quamdiu eſt, igne viuit, cum euaſit longiore paulo volatu moritur.* Hæc ille.

EQ. Ælianus eadem commemorat, ſed non admiratur mortem earum extra ignem incurri. Lib.enim 2.c.2.ſic habet: *Ex igni generatas beſtias volucres exiſtere nuncupatas*

cupata: Pyrogones, & in eo ipſo igni viuere, & ali, huc atque illuc volare, hoc admirabilitatem
facit, illud non admirationem excitat, cum extra ignem nutritium egrediuntur, ſtatim exe-
unt è vita. Hæc ille. Quæ ob tot authorum affirmationem vera eſſe puto. Albertus
tamen Magnus fabuloſum id eſſe cenſuit de animal. lib. 23. in Caryſtia, at lib. 26. in
litera M. affirmat id verum eſſe, ſcilicet Cypriis fornacibus in igne viuere, extra
mori.

PH. Mirum, animalculum hoc cum igne ſit genitum, in eoque viuat, nihil ta-
men igneæ lucis habeat, cum tamen ſtella, de qua nox agemus, ipſa luceat ignis ad-
uerſaria, quem ſcilicet extinguit. Vnde deprehenditur, noctilucarum lucem non i-
gne cauſari, ſed aliunde; & ſane de noctilucis memoranda recenſentur ab Hiſtori-
cis. In Italia igitur ſunt vermes noctiluci, quos Cicendulas dicunt, de quibus ſic ha-
bet Plinius lib. 11. c. 28. Lampyrides lucent ignium modo noctu laterum, & cluni-
um colore, nunc pennarum hiatu refulgentes, nunc vero compreſſu obumbratæ.
Sed & lib. de natur. rerum: *Cicendula* (ait) *vermis nocte volans, & inter noctis tenebras*
Cicendula. *fulgidus radians, adeo, vt quum in tenebris videtur, exhalatio ſcintillarum putetur.* Eadem
habet Vinc. natur. hiſt. lib. 20. c. 126. Huiusmodi igitur cicendulæ nullum lucis be-
neficium præſtant, neque eminus, neque cominus iis, qui eo vti velint. Nulla illis
lux alia eſt, niſi quod ſe in tenebris produnt.

EQ. Proſunt ad naturæ ornamentum. At admiranda eſt vtilitas earum nocti-
lucarum, quas recentiores tradidere compertas in orbe nouo, in Inſula Hiſpanio-
la, quarum tradunt eſſe multiplices ſpecies. Sunt vermes nonnulli ad humani digi-
ti fere magnitudinem, in eorum iunctura brachiorum lux plurima emicat; at ca-
put ipſum non minore fulgore coruſcat, quam ardens carbo. Sunt præterea ver-
mes alii noctu adeo fulgidi, vt etiam eminus lucem mittant, neque non minore in-
teruallo eluceant paſſuum centum. Is fulgor non à toto eſt corpore, ſed ab ipſis
tantum brachiorum iuncturis, ſuntque eiſdem pedes multi. De iis tradit Ouet. hi-
ſtor. lib. 15. cap. 2.

Sed excedit vulgarem admirationem illud cicendularum, ſeu noctilucarum
genus, quod in eodem nouo orbe in Hiſpania compertum eſſe tradit, videlicet ea-
rum formam eſſe muſcarum, tantæque magnitudinis, quanta ſit auellana nux, aut
quantus ſcarabeus noſtras. Nomen illi eſt Coccuius, habet ille quaternas alas ſca-
rabeorum more, leues quidem binas, at binas duriores. Elucent eorum oculi velut
lucerna: noctu enim volitantes non minore coruſcatione aerem illuſtrant, quam
quæuis candela cerea ſoleat illuſtrare; quin ſi quis noctu manu hoc animal deferat,
procul putabitur ab omnibus lucernam deferre præ manibus: facile enim quiſque
falli poteſt, dum ad eum accendendi luminis cauſa acceſſerit, tantam veræ lucer-
næ procul ſpeciem præ ſe fert. In cubiculis ardentis luminis vicem reddit perſpi-
cuam, tum legentibus, tum ſcribentibus, aut aliud opus peragentibus. Itineranti-
bus per ſyluas, aut alia quæuis loca, tres quatuorve noctilucæ huiusmodi laternæ
vicem præſtant. Sed etſi turma cohorsve proficiſcatur, omnibus lux huius nocti-
lucæ vias dirigit, nec itinere oberrare permittit. Solent enim pleriq; ſibi reſtes ex iis
cicendulis conficere, & collo appendere nocte modo torquium: atque ex ea copia
tanta lux emicat, vt conſpici poſſint eminus non paucis paſſuum millibus, imo
vt author ipſe teſtatur, penes quem fidem eſſe permitto, vltra quatuor millia paſſu-
um, ſecuriusq; agitur cum hoc noctilucarum lumine, quam cum reliquis facibus i-
gnitis, quandoquidem ventorũ impetus obeſſe nil poſſit, totaq; hæc, de qua diſſe-
rimus,

rimus, lux ab oculis tantum micat. Habet autem præterea conſimilem lucem ab axillis, adeo vt volans longe fulgidius ſplendeſcat, quam quieſcens. Itaque huius fulgoris lumine integra familia menſæ, cœnæque accumbit, quin ſi inteſtina confricentur alicui in facie, pectore, aut quauis alia corporis parte, ibi præbent etiam fulgorem aliquem. Hæc omnia Ouet. hiſt. lib. 15. c. 8. cui ſubſcribit Petr. Hiſpal. Silu. p. 5. cap. 3.

PH. Si philoſophari licet, hinc damnare poſſumus nimium diuitiarum poſſidendarum ſtudium: non præſtabit aurum tanti beneficii amplitudinem, quantum natura ipſa (vt parſimonia, modeſtiaque exerceatur) præſtat. Oeconomica virtus non admodum laborioſa fuerit, quando in Indis tota domus, familiaque ſub vno tecto continetur ex vna teſtudine contecta, ac deinde tota familia noctilucarum lumine peruigilat. Ita damnari ex ipſis poſſunt, qui in ſumptuoſis domibus nocturnis luminibus nimia ſe afficiunt curioſitate. Niſi quod, vbi aurum negligitur, res ipſas ſponte ſuppeditauit natura, quæ auro coemendæ ſunt: at vbi adoratur aurum, vti in Europa, huiusmodi natura non genuit, quia coemi auro eas voluit.

EQ. Poſſetne reddi ratio fulgoris cicendularum & noctilucarum?

PH. Poſſet: nam egregius Philoſophus, omniumque ſcientiarum peritiſſimus Gregorius Reiſch in ſua Margarita Philoſophica lib. 10. tract. 2. cap. 10. ſic tradit: *Noctilucæ noctu ideo viſibiles dicuntur, quia intrinſecum & connatum lumen habent; vnde etiam in nocturnis tenebris videntur, ſicut & ligna putrida, vermiculi, ſquammæ piſcium, lumenq; illud ingenitum habent ab igne. Nam huiusmodi vermes, quoniam ſine ſanguine ſunt, & frigidi, igneæ partes circa digeſtionis locum concurrunt, & ibi lucent, ſic & piſcibus, qui frigidi ſunt, & in frigido degunt elemento, naturæ ſquammas prouidit multum duras, & terreſtres partes igneas conſeruantes pro fortificatione caloris naturalis. In lignis autem putridis ignis cum humido aereo ad extremitates colligitur. Hic igitur ignis, vel eſt cum qualitate priore, quæ eſt lux, vel poſteriore, quæ eſt caliditas non exiſtens, aut non adurens; ſed naturæ miſti conueniens. Ideoque interdiu huiusmodi animalcula nihil huiusmodi fulgoris habere videntur, non quia careant, ſed ob Solem, terram irradiantem; nam in tenebricoſis locis fulgebunt, at vbi aliquid lucis diurnæ fuerit, ceſſat illorum fulgor, quia maius eſt Solis lumen: ab illo illuſtratur exterius, & lumen illis congenitum, tanquam minus & debilius obfuſcatur: ſicuti nec die ſtellas videre contingit, niſi ab acutiſſimo viſu, aut in aliquo obſcuro puteo.* Hæc ex illo doctiſſimo. *Cur noctu fulgeant?*

TH. Doctiſſime quidem, cui addendum eſt, plurima à ſummo creatore Deo rebus fuiſſe indita, quorum ratio reddi non poſſit. Sublimitas enim creatoris, quæ Angelos præclariſſimas creaturas creauit, & vermiculum produxit, & indidit quod placuit, vt docet S. Auguſtin, ſuper Ioan. tract. 1. Ideo & in vermiculis plura nobis incognita eſſe poſſe, non eſt ambigendum, & cognitorum quoque nobis occultam eſſe.

PH. Redeamus igitur ad reliquorum vermium admiranda. Ex Ariſtotele ſcripſit liber de natur. rerum, vermes quosdam eſſe coloris, qui ſtatim quidem vt nati ſunt, à parentibus aluntur, deinde abſque cibo diebus multis vitam tranſigunt, atque ita iacent immobiles, velut mortui: at quodam à natura tempore præfixo elapſo, reuiuiſcunt, ſibique prouiſuri ad paſtum ſurgunt. Eadem habet Vinc. natur. hiſt. lib. 20. cap. 168.

TH. Vermes hos mori, & reſurgere eſt admirandum, ſed admirabilior, atque

Bombyx.

euidentior eſt bombycis reſurrectio. Hunc vermem Indicum appellant; & quam-
quam de eo beati Ambroſius & Baſilius admiranda tradiderint; tamen eorum ſe-
culo vermis non erat in Græcia aut Europa cognitus. Scripſere ii Sancti Patres,
quod ab aliis audierant; quamobrem libet ipſorum referre ſententias, poſtea ad
recentiores conuertemur. S.Ambroſius ſic habet: *Vermis Indicus corniger fertur pri-*
mum conuerti in ſpeciem auis, poſt fieri bombylius, & poſt laxis, & latioribus foliis, videtur
pennas aſſumere: ex iis foliis illa mollia fiunt, quibus veſtiuntur, qui in domibus Regum *ſunt.*
Hæc Sanctus Ambroſius exemeron lib. 5. c. 23. quæ retulit Vincent.natur.hiſtor.
lib.20.cap.67.

At S.Baſilius in exem.hom.8.ita habet: *Indus vermiculus, cornutus primum; in eruca*
transmutatus, deinde temporis progreſſu bombyx fit: & neq; in hac forma permanet, ſed & la-
xis, & latis bracteis alas acquirit. Cum igitur ſedetis vos o mulieres horum opera retexentes,
fila videlicet, quæ mittunt vobis Seres, ad mollia indumenta paranda, memores mutationis a-
nimalis manifeſtam reſurrectionis notionem accipite. Hæc ille.

E Q. Scripſere doctiſſime, at non adeo profuſe rem omnem explicarunt ſanctiſ-
ſimi Patres, quandoquidem ante Iuſtiniani tempora, quibus vixere Ambroſius &
Baſilius, Bombyx è quo ſericum manat, & Latinis, & Græcis, erat incognitus, vti
tradit Zonaras in Iuſtiniano. Sericum enim non in Europa fiebat, ſed è regioni-
bus Indicis (nam Seres mittebant) vnde ſerici nomen traxit, deferebatur, bomby-
ce artifice numquam apud nos viſo. At ſub Iuſtiniano, vt teſtatur Procopius Cæſa-
rienſis, & ex illo Zonaras in eo, à Perſide Romam delati ſunt bombyces, ſic enim
ille: *Iuſtiniani temporibus tela ſerica à* Romanis *texi cœpit, quæ prius à Perſicis mercatoribus*
tantum afferebatur, cum ignorarent, quomodo fieret, neque ſcirent fila eſſe vermium. Cæte-
rum duo monachi ex India *Byzantium profecti originem illius declararunt, polliciti ſe fœtum*
illorum vermium, oua nimirum perexigua allaturos, & oſtenſuros Romanis, *quemadmodum*
illa fouendo animata in vermes mutentur, & ſericum texant, natura magiſtra vſi. Eos mo-
nachos Iuſtinianus *in præſentia muneribus, de cetero magnis pollicitationibus ad illud præſtan-*
dum confirmauit. Itaque Serum oua Byzantium attulerunt, & in fimo collocata in ver-
mes transformarunt, & Mori foliis aluerunt, indeque ſericum confecerunt. Ex eo igitur Ro-
mani cognouere quo pacto ſericum conficiatur. Hæc ille. Et ſic à Perſide primum in
Europam delatos bombyces apertiſſime ex iis verbis liquet. Nam in Perſide maxi-
ma eius ſerici mercimonia eſt, vermiumque plurima illorum induſtria, vti teſtatur
Nicephor.lib.18.c.30. Fateri tamen oportet, ſericam veſtem Romanis ante M. Au-
relium Antoninum in vſu non fuiſſe: nam, vt habet Platina in Vrbano Primo, is
Imperator primus Romanorum ſerica veſte, menſis, & capſis argenteis vſus eſt. I-
taque ſericum ante hunc Imperatorem incognitum Romæ fuit; ante Iuſtinianum
Bombyx ipſe. Sed hoc cœlo noſtro Europæ facti ſunt exiliores bombyces, velut
frigidiore loco; nam digito humano minores ſunt, cum Indici pollicis humani
muſculi magnitudinem longe excedant; domusque illorum humani capitis fere
magnitudinem ſuperant; noſtro autem cœlo vix præparuo ouo gallinaceo æquari
poſſunt, prægrandes pugno humano.

T H. Hunc vermem alio nomine nuncupant. Eum enim Lanificum quidam
vocant, ſicut & Albertus Magnus de anim.lib.26. in Lanifico: de eoque ſic habet:
Lanificus vermis eſt longus, maculoſus, & multis conſtans pedibus ſparſim, colore albus; hic
lanam ſericam ex propriis viſceribus operatur, & arboris Mori foliis veſcitur, qui ſcilicet ci-
bus, mediantibus ipſius viſceribus, in lanam conuertitur. Itaq; lanæ ſuæ fuſos in ramuſculis

faciunt,

faciunt, & in circuitu ſui operantur, ita vt perfectis fuſis, vndique in opere ſuo includantur. Poſt hoc exitum ſibi faciunt in ſummitate fuſorum, egredientesque natura mirabili mutari prorſus apparent à forma priori, adeo, vt vermes, qui repebant innumeris pedibus, habentes alas iam apti ſint ad volandum. Demum Venerem ineuntes diebus tribus coeunt: quo peracto, maſculus moritur, fœmina vero, ordine iterato, oua parit innumera, ſubſtrato ſibi panniculo vel albo, vel rubro, deinde emoritur: tunc panniculis cum ouis ſuſcipiunt, & vbi non poßit hyemis attingere frigus reponitur. Poſtea calore Veris inualeſcente, oua ad Solem exponuntur, & calore fouentur, donec animata in vermes formantur. Duos tamen colores lana naturaliter in verme ſuſcipit, album & croceum, ceteri vero artificio fiunt. Dicitur, quod oua de panno in exceptione ſuppoſito vel album colorem vel croceum trahunt. Hæc explicatius rem ipſam enarrans repetit Vinc. hiſt. nat. lib. 20. c. 138.

EQ. Nec tamen ſufficere videntur hæc ad enarrandam vniuerſam ſeriem totius fœtificationis huius vermis, ac ſerici: propterea libet addere, quod de eo narrat Vincent. eod. lib. 20. cap. 119. *Bombyx* (inquit) *vermis eſt faciens ſericum filoſum de ore ſuo, in quo ſepeliat ſe ad hoc, vt renaſcatur completus: & poſtquam reiecerit omne ſtercoratum, & fœtulentum, ac nigrum de corpore ſuo; tunc corpus eius translucens eſt, cum aſpicitur ad Solem; foliis quidem celſi veſcitur, quæ vulgo Morus dicitur; ſed poſtquam operari cœperit, eſcam renuit, delicioſo labori operam diligentem impendens. Calathi vero parietes induſtrius textor circuit, lanam educens crocei coloris, quæ niuei candoris per ablutionem efficitur, antequam artificialis tinctura ſuperinducatur. Conſummato autem opere nobilis textoris, thecam in opere proprio inuolutam centonis ſubintrat ianuam ſimilis papilioni: ſemina poſtea minuta ejicit ex naturæ penatibus ſecretis, quæ per hyemem reſeruantur, vt aere clementiore redeunte, carni humanæ admota in ſinu fomenta ſuſcipiant, vsque dum natura motum ſeminibus animatis conferat animalem: incrementa vero ſuſcipiunt poſtea tam virtute naturæ, quam benficio ciborum.* Hæc ex illo. Atque ita fit, vt ex pluribus auctoribus plurima miracula colligantur, quę etiam quotidiano experimento dignoſcuntur.

TH. Iure igitur omnes Reges, & quicunque in orbe dignitate præfulgent, animalculi huius opere potius excrementis induuntur, exornantur thori, ſponſi, ſponſæque Principes, ac templa, ac nihil eſt eximium, quod non horum vermium labore exornetur, auro æquetur; toto orbe vna hæc res ab omnibus vti illuſtris exquiritur, ac gemmis textrina exigui huius vermis æquatur. In quo vno tot numerantur miracula, in fœtu excludendo absque incubatu, in transformatione ſui, in reſurrectione: quod vni huic vermi præcipue contingit in eximio ſupra omnes artes opere, quo ornantur omnia, quæ maxima ſunt. Iſtius igitur animalculi primum contemplamur miraculum, quod humano in ſinu, calore inde recepto, oua ipſa tridui ſpatio fœtificent, integrumque animal excludant, deinde ter paſcunt, & ſaturati ter dormiunt. Tertium eſt miraculum, quo ſibi domum ſericam condunt propriis viſceribus fila tanta longitudine trahentes, ac conglobantes, vt ad plurima paſſuum millia extendi poſſint, præſertim ſi grandiores, & Indici ſint bombyces, circumuoluunt autem fila huiusmodi, ac globo ipſo velut funibus domum illam conſtruunt, vt ibi velut ſepulti lateant. Quartum eſt, quo ſibi velut ianuam aperiunt, qua vel domo vel ſepulchro illo prodeunt alati, ex vermibus aues facti. Quintum eſt, quo ſupra triduum mas cum fœmina perpetuo coitu iungitur. Sextum eſt, quo mas, vbi cum vxore ſua triduum coeundo vixerit, ſponte moritur; viduataque vxor oua plurima parit, vt ita bombyx mas nunquam oua, aut prolem

ſuam

ſuam à ſe genitam videat; quando animal ipſum nunquam aut patrem aut matrem vidit, cum ſemper excludatur vtroque parente defuncto; nam mater mox vbi oua genuerit, ſemper moritur. Septimum eſt, quo derelicta illius domus, ſeu ſepulchrum dicas, fit humanorum habitaculorum ſingulare ornamentum Regibus omnibus. Sed de hac re plus ſatis.

Tabula vermis.

PH. Naturam vincunt minima animantia, vincunt & hominem: ſicut enim paruum animal vidimus ignem ſuperaſſe, qui omnia ſuperat, ita alii minutiſſimo animanti contingit ſuperare aquas. Nam cum volucris ſit, & quadrupes pennata, nihilominus pedibus aquas permeat nihil madida erectis cruribus, vt in ſolo percurrens, corpore ab aquis ſemper erecto: quin etiamſi mergatur; non madeſit, exurgit ſiccis membris. De hoc verme ſcribit liber de natur.rerum his verbis: Tabula vermis eſt quadrupes in terra, & aqua æqualiter viuens: in terra quidem velociſſime currit, ſed magis ſuper aquas, ita vt longus aquarum tractus impetu transcurrat: interdum tamen ſubſiſtit; & viribus laſſus reſpirat. Hoc autem in eo mirabile eſt, quod currens ſuper aquas ſicco corpore, pedibusque manet; quod ſi diu etiam ſub vndis violenter teneatur, non tamen humectatur, aut moritur. Eadem Vincent.natur.hiſt.lib.20.cap.170. eadem Albert. Magnus animal.lib.26. in Tabula.

Thamur.

EQ. Vincere naturam admirabilius. Is vermis, cui nomen Thamur, videtur, ſi, quæ referuntur, vera ſunt; nam cum molliſſima conſtet velut carne, nihilominus dura quæque abſumit: liber de natur.rerum, ſic de eo: Thamur dicitur vermis Salomonis: Salomon enim cum marmor Parium ad ædificationem templi è remotis partibus conuehi præcepiſſet, conſcius prohibitionis legis, quæ vetuit altaris ædificandi lapides ferro incidi; quæſiuit experimentum in vermibus, quod ars humana neſciuit: nam pullum Struthionis in vitreo vaſe recluſit, quem cū videret Struthio, & habere nequiret, naturaliter agnitam artem attentans ad deſertum cucurrit, rediensque vermiculum tulit, cuius ſanguine vitrum liniuit, & confractum eſt, ſicque fœtum eripuit: quod videns Salomon hoc experimento, eodem genere vermis in inciſione duriſſimi marmoris vſus eſt. Eadem Vincent. natur. hiſt. lib.20.cap.170.

EQ. Eſſent hæc mira, ſed vereor eſſe fabuloſa, vt hæc omnia, tum quoad vermem hunc Thamur, tum quoad ea, quæ de Salomone, ac templo, & Struthione dicta ſunt. Albertus Magnus habet animal.lib.26.in Thamur: ſed vt reliqua proſequamur de vermibus veriora & admirabiliora, comperimus vermes in niue, & è niue gigni, & in ea tantum viuere, cum tamen à calore omnia fiant, & à frigido fere nihil viuens gigni poſſit, absque calore, qui à niue longiſſime abeſt: attamen Ariſtot. de hiſt.anim.lib.5.cap.19. etiam (inquit) in iis, quæ putredinem nullam poſſe recipere exiſtimantur, naſci animalia nouimus, vt vermes in niue vetuſtiore, qui hirti ſunt pilis, & rubidi, quoniam & ipſa nix vetuſtate rubeſcit. Sed in niue media terræ candidi, & grandiores inueniuntur, torpent omnes, ac difficulter mouentur, extra niuem moriuntur. Hæc Ariſtoteles. Cui confinis eſt Strabonis ſententia, quam prodit lib.11. In niue (inquit) glebas congelaſcere aiunt concauas, optimam continens aquam, tanquam in tunica, & animalia in ipſa generari (vocat autem Apollonides vermes, Theophraſtus vero oripas) & iis optimam contineri aquam, ruptis autem tunicis ebibi: huiuſmodi vero animalium generationem aſſimilare culicum ortui, qui ex metallorum flamma, bracteaque naſcuntur. Plin. quoque

quoque lib. 11. cap. 35. In vetuſtiore niue vermiculi reperiuntur, in media quidem altitudine rutuli (nam & ipſa nix vetuſtate rubeſcit) hirti pilis, grandiores, torpentesque.

PH. Id ita ſe habet: ac quoniam nonnulli huic veritati reluctabantur, Marſilius Cagnatus rationibus peracutis id ita ſe habere propugnat, vt habet lib. 1. variar. obſeruat. c. 23, 24.

EQ. Vermes generari ex opacitate niuis, eſt ſane commemoranda res, ſed æque non eſt contemnendum vermes intra arundinum nodos gigni: ſponte etenim inter nodos naſci ideo putamus mirum, quoniam ibi nulla putredo, nulla aeris admiſtio ad generationem vermis concurrit: ſed eo augetur miraculum, quod abſciſſis arundinum internodiis, vermes huiusmodi (quorum color albus eſt) transformãtur alii in papiliones, alii in mures, vt ex Breſilia ſcripſit Ioſeph Ieſuita 1560. traditque hunc vermem apud Peruacum nuncupari Rhau, eſſeque humani digiti modo grandem. *Vermes ex opacitate niuis.*

TH. Adnotanda ſunt hæc omnia, ad vitam imbecillibus vermibus fortius inhærere, quam reliquis omnibus animantibus, tum aeriis, tum terreſtribus, tum aquatilibus quis non mirabitur? Nam longe magis eſt adnotatione dignum, quod dicam, omnia enim animantia viuere abſciſſo capite nec tantillũ quidem poſſunt, aliquando tamen, perraroque accidit, quod Auerroes ſuper 7 Phyſices atteſtatur, veruicem ſcil. abſciſſo capite, huc atque illuc ailquot momentis nutantem, aliquot paſſus progreſſum, vt refert Hiſp. ſil. p. 1. cap. 15. Nihilominus in aliquibus inſectis multo magis in vermibus vita maioribus fixa eſſe radicibus apertiſſime liquet; præſertim ex iis, quæ tradit Ariſtoteles de inſectis; quibus longum corpus eſt, ac pedes multi, adeo vt vtriſq; à ſeipſis diuiſis partibus, ſeparata vita oſtendatur, quoniam vtriſq; eſt modus gradiendi: pars enim, quæ ad caput ſpectat, ſi abſcindatur, caput verſus tendebit, pars, quæ ad caudam ſpectat, caudam verſus diriget motum ſuum, quod præcipue in centipeda patet, vt tradit Ariſtot. hiſtor. animal. lib. 4. cap. 7. Nec diuiſione bimembri hoc tantum verum fuerit, ſed etiam in plures partes abſciſſione facta, vt ſcribit S. Auguſtinus, lib. de quantit. anim. cap. 31. his verbis: *Cum nuper in agro eſſemus Liguriæ, noſtri illi adoleſcentes, qui tunc mecum erant ſtudiorum ſuorum gratia, animaduerterunt humi iacentes in opaco loco reptantem beſtiolam multipedem, longum dicam quendam vermiculum, vulgo notus eſt, hoc tamen quod dicam, nunquam in eo expertus eram: verſo namque ſtylo, quem forte habebat vnus illorum, animal medium percuſſit. Tum ambæ partes corporis ab illo vulnere in contraria diſceſſerunt, tanta pedum celeritate, ac nihilo imbecilliore niſu, quam ſi duo huiusmodi animantia forent, quo in miraculo exterriti, cauſæque curioſi ad nos, vbi ſimul ego, & Alipius conſedebamus, alacriter viuentia fruſta illa detulerunt. Neque nos parum commoti, ea currere in tabula quoquo verſum poterant, cernebamus: atque vnum ipſorum ſtylo tactum, contorquebat ſe ad doloris locum, nihil ſentiente alio, ac ſuos alibi motus peragente, quid plura? Tentauimus, quatenus id valeret, atque vermiculum, immo iam vermiculos in multas partes concidimus, ita omnes mouebantur, vt niſi à nobis illud factum eſſet, & comparerent vulnera recentia, totidem illos ſeparatim natos, ac ſi quemque vixiſſe crederemus.* Hæc ille: qui nec huius rei rationem afferri poſſe aſſerit, ſed Dei eſſe occultiſſimum opus, ne vna anima in tot partes diuiſa eſſe videatur.

PH. Imbecillitati peroptime prouidit natura; omnium enim animalium imbecilliſſimi vermes ſunt; propterea & hoc modo ſuccurrit illi natura, vt diutius, etiam

iam diſſectus, viuere poſſit, quod & aliis inſectis contingit. Nam certe verum eſt inter omnia animantia nulla reperiri minora aut imbecilliora, quam vermes ipſi. Nam vermis quidam eſt, qui Seta aut Pilus dicitur, quod vt pilus ſit exilis virtute, & origine admirandus: eſt adeo durus, vt pede conteri non poſſit; & ſi bulliatur, nō poteſt molleſcere: hauſtus ab homine eum interimit; caput habere nō videtur; in vtramq; partem graditur, forte naſcitur de pilis equorum: pili enim equi poſiti in aqua ſtagnante vitam & ſpiritum accipiunt, & ſponte mouentur: vt ſe ſæpe expertum tradit Albert. Magn. de animal. lib. 26. in Seta.

EQ. Vermes imbecillos non negarim eſſe eos, qui reptant, & apud nos vix à terra diſcernuntur. At neſcio quæ imbecillitas conſiderari poſſit in iis vermibus, quos Cæruleos dicunt, qui Elephantem vincunt, gignunturq; in flumine Gange. Solinus enim cap. 55. ſic de eis habet: *Statius Seboſus inter præcipua miracula ait Gangem vermibus abundare Cæruleis nomine, & colore. Hi bina habent brachia longitudinibus cubitorum non minus ſenum, adeo robuſtis viribus, vt Elephantos ad potum ventitantes mordicus comprehenſos ipſorum manu rapiant in profundum.* Eadem & Plin. lib. 9. cap. 15. niſi quod brachia aſſerit non ſenum, ſed ſexaginta eſſe cubitorum, quod vel ſcriptorum vitio, vel vetuſtate erratum putarim. Vincentius enim natur. hiſtor. lib. 20. cap. 124. tradit ſex cubitorum brachia iis eſſe, non autem ſexaginta, quod etiam veriſimilius eſt: nam & Albertus Magnus ſex cubitorum crura bifurcata, quibus Elephantem rapiunt, tradit de animal. lib. 24. litera A. libr. 24. in Cæruleo.

PH. Huic Cærulei vermis miraculo confine aliud eſt alterius vermis, non ex Gange flumine, ſed ex Indo, quoniam vero non vnum continet miraculum vermis, de quo agere inſtituo, ſed plura, idcirco ſingula Æliani verba libet referri; is lib. hiſtor. anim lib. 5. cap. 3. ſic habet: *Indus fluuius beſtiarum ferarum expers eſt, ſolum in ea naſci vermem aiunt, ſpeciemque eorum, qui ex ligno gignuntur, & aluntur, gerere ad ſeptem cubitorum longitudinem, & eo amplius procedere: eius craſſitudinem decem annos natus puer manibus vix complecti queat: iis in ſuperiori oris ſede vnus dens ineſt, in inferiore alter, ambo quadranguli cubitalem longitudinem habent: quod enim cumque ſiue animal, ſiue lapidem comprehenderit, facillime conterit. Interdiu ima in ſede fluminis verſatur cœno gaudens, noctu ad terram procedit, & in quodcumque inciderit, vel equum, vel bouem, vel aſinum, conficit, atque in vices ſuas ſedes trahit, & in flumen abſtruſus membra omnia, excepto ventre, exedit: ac ſi de die fame premitur, & ſiue camelus, ſiue bos in ripa bibit, violentiſſimo impetu ſumma labra mordicus comprehendit, & robuſto tractu in aquam abreptum edit. Eius pellis duorum digitorum craſſitudine eſt. Eiuſmodi autem machinatione capitur. Hamum robuſtum ad ferream catenam alligatum deiiciunt, & ne ferrum deuoret, agnum, aut hædum ad illecebram in hamum implicant, deinde in fluuium demittunt: triginta viri haſta, & enſe accincti, & corneis ſudibus bene robuſtis, ſi percutere ſit neceſſe, adſunt: deinde hamo captum trahunt, & abſtractum interficiunt. Triginta dies appenſum tenent, atque ex eo in fictilia vaſa craſſum oleum ſtillat, ſinguli vermes quinque oleo ſextarios reddunt, quod quidem ipſum Regi Indorum apportant. Huius ea eſt vis olei, vt ſine vllo igne eius infuſa hemina quemcumque lignorum aceruum comburat: ac ſi vel hominem velis, vel aliud animal exurere, primum vt hoc infuderis, funditus ſtatim deflagrauerit. Eodem ipſorum Perſarum Regem aiunt capere hoſtium vrbes, neque arietes, teſtudines, aliaque bellica tormenta ad eas capiendas opus eſſe: nam cum fictilia vaſa vnius heminæ capacia eo impleta, & obſtructa in portas iaculantur, vaſa quidem ad portas alliſa rumpuntur, & oleum delapſum*

ignem circumfundit, vt reſtingui non poßit, & flamma inſaturabilis comburit homines pugnantes. Hæc ille.

EQ. Hæc cum audio, obſtupeo, ſed facile ex iis adducor, vt credam, quod habet Plin. lib. 11. c. 33. intra hominum tineas aliquando repertas tricenum pedum, aliquando & plurium longitudine. Sed & illud quoq; credibile eſt, quod habet Strabo lib. 17. Non longe ab ortu Nili flumine quodam ſanguiſugas compertas longas vltra cubita ſeptem, reſpirareq; per branchias perforatas.

TH. Ita fit, vt, dum hæc contemplamur, in magnitudinem miſericordiæ Dei erigamur, quæ vel vermibus tantam vim, vel ingenium, aut etiam vtilitatem indiderit. Quamobrem nullum adeo exiguum animal eſt, in quo Dei non eluceat ſapientia. Nam, vt de muſcis loquamur, in illa plus micat Dei ſapientia, quam in ipſo fulgentiſſimo, ac omnium rerum fotore Sole: hoc enim mirabiliſſimum, muſcam mortalem, vel leui tactu putreſcentem facillime, immo vel ab ipſa productam putredine, præferendam in ſapientia Dei conditoris eius Soli, per quem omnia ſuo ordine fouentur, augentur, & naturali calore conſeruantur, aut per prolem, aut per ſucceſſionem aliis modis faciendam. Et tamen hoc eſt verum, muſcam Soli anteponi. Id vt ſcitis, quia iam alias diximus paucioribus, non ex noſtra ſententia, ſed Diui Auguſtini proferimus. Sic enim ille lib. de duabus animab. 1. cap. 4. Si forte quis à me quærat: Num etiam (inquit) muſcæ animam huic Solis luci præſtare cenſerem? reſponderem. Etiam; nec me terreret muſca, quod parua eſt, ſed quod viua firmaret. Quæritur enim, quid illa membra tam exigua vegetet, quid huc atq; illuc pro naturali appetitu tantillum corpuſculum ducat, quid currentes pedes in numerum moueat, quid volantis pennulas moderetur, & vibret? Quod qualecumq; eſt bene conſiderantibus in tam paruo tam magnum eminet, vt cuiuis fulgori perſtringenti oculos præferatur. Certe quod nemo dubitat, quidquid intelligibile eſt omni ſenſibili, & ob hoc huic etiam luci diuinis legibus antecellit. Hactenus ille. Propterea non minus muſcæ creator fuerit Deus, quam hominis, quin nec minus quam Angelorum: qnin etiam tanta foret hæreſis muſcam negare cum Manichæis Dei creaturam eſſe, vt ſit neceſſe concludere, ſi à Deo muſca creata non eſt, & hominem quoq; à Deo creatum non videri, quod impium & ſupra omnia nefantiſſimum eſt. Scribit enim idem S. Auguſtinus ſuper Ioan. tract. 1. Cum neſcio quis tædium patiebatur à muſcis, inuenit illum Manichæus tædio affectum, & cum diceret, ſe non poſſe pati muſcas, & odiſſe vehementer illas, non auſus eſt dicere; Deus illas fecit, erat autem Catholicus, ille ſtatim ſubiecit: Si Deus illas non fecit, quis illas fecit? Plane, ait ille, ego credo, quia Diabolus fecit muſcas. Et ille ſtatim: Si muſcas diabolus fecit, ſicut te video confiteri, apem quis fecit, quę paulo amplior eſt muſca? Nõ auſus eſt ille dicere, quia Deus fecit apem, & muſcam non fecit, quia res erat proxima. Ab ape duxit ad locuſtam, à locuſta ad lacertam, à lacerta ad auem, ab aue duxit ad pecus, inde ad bouem, inde ad elephantem, poſtremo ad hominem, & perſuaſit homini, quia non à Deo factus eſt homo. Ita ille miſer cum tædium paſſus eſt à muſcis, muſca factus eſt, quem diabolus poſſideret. Hæc ibi. Emicat ergo Dei ſapientia etiam in minimis muſcis.

Muſcæ.

Vtrũ Deus ipſarũ etiã creator?

EQ. Elucet plane, nam & illis quædam indita miracula. Nam in Inſulis Moluchis muſcæ admodum paruulæ, formicisque minores mel conficiunt intra arborum ramos Pigaf.

TH. Eſt & aliud de muſcis commemorandum. Nam Plin. lib. 11. cap. 36. tradit

muſcas humore exanimatas, ſi cinere condantur, reuiuiſcere, idque explicat luculentius Ælianus hiſt.anim.lib.2.cap.29. Muſca (inquit) etſi ad omnia audax exiſtit, ſi tamen in aqua decidat, cum natare neſciat, nec ſe valeat à ſubmerſione ſeruare, exanimatur: ſi ſic eam humore exanimatam extrahas, atque in cinere condas, ad priſtinam vitam reuiuiſcit: quod & Iſidorus tradit lib.12.cap.8.& Vincent.nat.hiſt. lib.20.cap.147.

TH. Sunt & muſcæ Dei miraculo peccantium vindices. Nam Exodi cap.8. venit muſca grauiſſima in domo Pharaonis, & ſeruorum eius, & in omnem terram Ægypti, corruptaque eſt terra ab huiusmodi muſcis.

TH. Megarenſes quoque populos à ſedibus ſuis muſcarum multitudo pepulit, vt tradit Ælianus hiſt.lib.11.cap.28. vt vel ſic quisque videat nullum adeo exiguum, & imbecillum animal, quod non poſſit contra peccantem hominem eſſe potentiſſimus hoſtis. Nam id fiet maxime perſpicuum eo miraculo, quod in Hiſpania accidit anno Domini 1286. 8. Septemb. ſub Petro Aragonum Rege. Capta enim Gerunda à Carolo Siciliæ, & Philippo Francorum Regib. cum milites vim inferrent ſepulchro S.Narciſſi, muſcarum adeo ingens inde prodiiſſe traditur multitudo, & in exercitum irruiſſe tam infeſto impetu, vt in fugam illum verterit, & à cepto deſiſtere coegerit, illata magna clade. Ex annalibus Hiſpanicis Baronius 18. Martii.

Muſcarum multitudo exercitum in fugam vertens.

EQ. Erit igitur feliciſſimus incola, quisquis montem Carinę incoluerit, in quo nulla penitus muſca comperitur, vt tradit Plin.lib.21.c.14.& Bocatius.

TH. Si adeo magnifacienda nobis viſa eſt muſca, quod opus Dei, quod per animam ſenſibilem viuat, quanto id magis nobis miraculo eſſe debet, quod in apibus, & formicis conſpicimus? In quibus aliquod velut rationis veſtigium elucet, quod Reip. moribus viuere videantur, legibus, inſtitutis ſibi inditis, addito peroptimo regendi conſilio, artibus, atq; officiis, vti in humani generis Repub. adminiſtranda compertum eſt.

Apes.

EQ. Præ omnibus animantibus apibus indita eſt quædam velut vrbana ſapientia, tametſi plures animantia naſcantur absque maris, fœminæve commiſtione, vti mures, ac muſcæ; attamen vbi in rerum natura ſunt, copulantur, gignuntque; ſed in apibus, neque mas, neq; fœmina eſt: ſunt enim perpetuo virgines, vti habet Sanctus Cyprianus, aut mauis Ruffinus in expoſitione ſymboli ad illa verba: Ex Maria Virgine. Sic enim ille: *Quid mirum videtur, ſi virgo conceperit? Apes certe neſcire coniugia, nec fœtus nixibus edere omnibus palam eſt.*

TH. Accedit B.Ambroſius: *Apes* (inquit) *nullo concubitu miſcentur, nec libidine reſoluuntur, nec partus doloribus quatiuntur, ſed integritatem corporis virginalem ſeruantes ſubito maximum filiorum examen emittunt.* Quod etiam habet liber de natur. rerum, dum aſſerit apibus omnibus virginalem corporis integritatem eſſe, ac ſtatim examina filiorum parere.

PH. Habet & Plin. lib.11.c.6. ſi non expreſſis verbis, ſaltem è ſententia, tradit enim, apes quomodo fœtus progenerent, magnam inter eruditos, & ſubtilem quæſtionem fuiſſe. Apis enim coitus viſus eſt nunquam.

TH. Sanctus Auguſtinus de Ciuit.Dei lib.15.cap.27. putat ſexum non habere iis verbis: *Alia quippe animantia ſunt, quæ de quibusq; rebus ſine concubitu ita naſcuntur, vt poſtea concumbant & generent, ſicut muſcæ. Alia vero, in quibus nihil ſit maris, & fœminæ, ſicut apes.* Hæc ille.

At vero

At vero reliquorum Patrum ſententiis præceſſorúm acceſſit & B. Gregorius ſuper ſeptem Pſalmos ad quintum, ad illa verba: Scribantur hæc. *Voluit* (inquit) *immaculatus Dominus, vt homo ſine macula naſceretur peccati, & absque vitio carnalis delectationis humanæ ſobolis propagaretur ſucceſſio: & ideo talem fecit Adam, vt abſque peccato filios ederet, ſi in conditoris obedientia perſtitiſſet; poſſet namque fieri, vt ſicut abſque delectatione fructus ſuos terra germinet, ita ſine peccato filium mulier pareret, quod homini cur eſſe incredibile videatur, cum apibus etiam hoc ipſum conferat.* Hæc ille.

EQ. Fateri id ita eſſe neceſſe eſt ex ſanctorum tot Patrum ſententia, quibus etiam conſenſiſſe vel ipſos, qui Chriſtianam pietatem ignorarunt, videmus. Nam & Virgilius Maro quinto Georgicorum carmine ſuo idem cecinit:

Illum adeo placuiſſe apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora ſegnes
In Venerem ſoluunt, aut fœtus nixibus edunt:
Verum ipſæ è foliis natos, & ſuauibus herbis
Ore legunt.

PH. Inde elucet vrbana apum ſapientia, quod legibus Remp. peroptime inſtituunt: quum enim primum Reip. ſit inſtitutum, vt quisque labore ſuo Remp. iuuet; in apibus mira obſeruatio operis eſt. Ceſſantium enim inertiam notant, caſtigant mox, & puniunt morte, vt Plin. lib. 11. c. 10. ſed & c. 11. imperant apes fucis, primosque in opera expellunt, tardantes ſine clementia puniunt: quo loco etiam adiicit; Domos plebeis primum exædificant, deinde Regibus. Regias Imperatoribus futuris in vna parte aluei extruunt amplas, magnificas, ſeparatas, tuberculo eminentes, vt vel ſic Remp. norint pendere à magnificentia Regia bene præſidente, & à populari multitudine probe obſequente, quis hinc non eliciat in apibus politiæ virtutis adeſſe veſtigia? *Apes politiæ & Reipub. ſtudioſæ.*

TH. Id ipſum & ſancti Doctores coniiciunt. Sanctus enim Baſilius in exem. hom. 8. *Sunt quædam* (inquit) *ex brutis etiam politiæ & Reip ſtudioſa, ſiquidem politiæ proprium eſt, vt ad vnum communem finem ſingulorum actiones ſint deſtinatæ, velut in apibus id videre eſt. Nam illarum communis eſt habitatio, communis volatus, opificium omnium vnum, & quod maximum eſt, quod ſub Rege, & quodam ordinis Duce operas attingunt, non prius ſuſtinentes ad prata exire, niſi vbi viderint Regem volatum auſpicari.* Hæc ille. Augetur etiam politia artibus, è quibus Reip. neceſſitati occurritur. Nam & artes norunt apes: ſcribit enim eodem loco Baſilius; Diſce, quomodo Geometriæ inuentionum rudis non eſt ſapientiſſima apis; omnes enim fauorum cellæ ſexangulæ ſunt, & æqualia latera habent, non in directum alternatim incumbentes, vt ne quid patiantur ima vacuis adaptata, ſed anguli ſexangularum infernarum ſedes, & fulcrum ſunt incumbentium, vt ſecure ſupra ſe onera eleuent, ac ſuſtineant, & ſeparatim in vnaquaque ciuitate humor contineatur. Hæc ille. Quod etiam eleganter explicat Ælianus lib. 5. c. 13. Apes (inquit) Geometriam, figuram, pulchritudinem fingendi elegantiam ſine arte, ſine regulis, ſine circino, ſimul & figuras ſexangulas, & ſex laterum, & æqualium conficiunt. Cum autem ex ſobole alueus apibus redundat, tanquam maxime vrbes hominum multitudine redundantes, ſic illæ colonias deducunt.

EQ. Regnum ideo conſtituunt, Regem ſibi præeſſe volunt, non tamen humano corruptoque more. Eſt enim ipſis non electus Rex, quod vulgus iudicio carens peſſimum ad Principatum ſæpe euexit: neque ſorte poteſtatem acquirit Rex *Regem ſibi eligunt.*

carum, quod abſurdi ſunt ſortium caſus, in extremum omnium ſæpe poteſtatem conferentes, neque ex paterna ſucceſſione in regno collocatur eorum Rex, quod hi & ineruditi, & omnis virtutis indocti, ob delicias, & adulationem quandoque comperti ſint; ſed ex natura principatum in omnes habens & magnitudine, & figura, & morum lenitate excellens Rex ipſarum conſtituitur, vt ex Baſilio in exemero, homil. 8.

TH. Eandem fere, aut non admodum diuerſam ſententiam habet S. Ambroſius, vt refert Vinc. natur. hiſt. lib. 20. cap. 83. *Apes* (inquit) *Regem ſibi ordinant, non ſorte, ſed iudicio, & quamuis ſub Rege poſitæ, tamen liberæ ſunt, quia prærogatiuam tenent iudicii, & fide deuotionis affectum, & Regem ipſum tanquam à ſe conſtitutum diligunt.* Hic autem Rex naturæ claris formatur inſignibus, vt & magnitudine corporis præſtet, & ſpecie, & quod in Rege præcipuum eſt, morum manſuetudine: nam, etſi habet aculeum, (vt Ariſtoteli videtur hiſt. anim. lib. 5. cap. 21.) eo tamen non vtitur ad vindictam. Sunt enim leges naturæ non literis ſcriptæ, ſed moribus impreſſæ, vt leniores ſint ad puniendum, qui maxima poteſtate potiuntur. Sed apes, quę legibus Regis non obtemperant, pœnitentiæ condemnatione ſeipſas mulctant, vt aculei ſui vulnere moriantur. Denique ipſum Regem ſuum ſumma protectione defendunt, & pro eo perire pulchrum putant. Incolumi Rege, iudicium mutare, & mentem flectere neſciunt: eo autem amiſſo, fidem ſeruandi muneris derelinquunt, ipſæque ſua mella diripiunt, eo quod interemptus ſit, qui principatum muneris habuit. Non Indi, non Sarmatorum populi tantam, quantam apes deuotionis reuerentiam obſeruant, vt nullæ è domibus exire audeant, nec aliquos adire paſtus, niſi Rex fuerit egreſſus, & volatus ſibi vendicauerit principatum. Adiicit iis Albertus Magnus, apes excubias cuſtodire, ſi quando examen egreditur: Regem autem, velut quodam cornu obſtrepente, euocare bis vel ter, deinde egreſſum ipſum Regem, adhuc eodem obſtrepente cornu, euolare, ac cum illo reliquas apes; ita ille anim. libr. 26. in apibus. Ambroſiana autem ſententia concinnis eſt ei, quam explicat Baſilius ead. hom. 8. cum dicit: Eſt quidem aculeus Regi apum, ſed non vtitur eo ad vltionem, ſed quæcunque apes exemplum Regis non ſequuntur, eas ſtatim temeritatis pœnitet, quia ad aculei plagam commoriuntur. Audiant Chriſtiani, quibus præceptum eſt: Noli malum pro malo reddere, ſed vincere in bono malum. Atque ita fit, vt ab apibus vniuerſum genus humanum ſiue Reipubl. bene adminiſtrandæ, tum in præſidendo, tum in parendo perdiſcant; quod etiam ſentit Seneca libro de Clementia.

PH. Plinius quoque politicæ ſcientiæ non contemnendus nobis author prædictum apum regnum magnis commendat encomiis his verbis lib. 11. cap. 17. Illud (inquit) conſtat, Imperatorem apum aculeo non vti, mira plebei circa eum obedientia, cum procedit, vna eſt totum examen, circaque eum conglobantur, cingit, protegit, cerni non patitur. Reliquo tempore, cum populus in labore eſt, ipſe opera intus circuit, ſimilis exhortanti ſolus immunis. Circa eum ſatellites quidam, lictoresque aſſidui cuſtodes authoritatis. Et mox: Cum procedit egreſſus Rex, ſi feſſum videant, humeris ſubleuant, validius fatigatum ex toto portant, vbicunque ille conſedit, ibi cunctarum caſtra ſunt. Et mox: Duce prehenſo, totum tenetur agmen; amiſſo, dilabitur, migrant ad alios: eſſe vtique ſine Rege non poſſunt. Hæc ex illo.

TH. Magnifecere igitur apes iure S. Ambroſium illum magnum Mediolanenſem

nenſem Epiſcopum, & Doctorem, quando iudicium tulerunt futurum illum & veridicum & eloquentiſſimum. Nam (vt Paulinus ſancti Ambroſii geſta conſcribens tradit) in ipſius infantis ore examen apum conſediſſe dicitur, quæ res diuinam viri eloquentiam præmonſtrabat. Nam cum Iudicum lib. c. 14. in ore Leonis occiſi apes examen confeciſſent, & fauum mellis, ſignificata eſt dulcedo doctrinæ, & ſapientiæ Chriſti morituri. Quod etſi etiam Platoni adhuc infanti contigiſſe ſcribat Plinius lib. 11. cap. 17. tamen nobis non ita viſum eſt, Platonicam eruditionem comparandam Ambroſianæ, cui cum liberalibus diſciplinis acceſſit & Chriſti fides, ſacrarumque literarum eximia cognitio, qua Platonicos errores confutauit. Et, ſi quæ vera docuerat Plato ante Chriſti aduentum, circa rerum diuinarum intelligentiam, eum non à ſe, ſuapteve ingenio perſcrutatum conſtat, ſed Hieremiæ libris, doctrinave didiciſſe Chriſto Doctore, vt ipſe idem ſanctus Ambroſius apertiſſime demonſtrauit Platonico in hac re confutando, qui ſibi pietatem Chriſtianam adſcribebat, ſuoque authori Platoni. Beatiſſimus enim ipſe Ambroſius euidenter aperuit, perſpicuumque fecit diſputans cum Platonicis, quidquid philoſophice de diuinis rebus tradiderat Plato, in Ægypto id didiciſſe ab Hieremiæ diſcipulis, quos Chriſtus ipſe, ac Spiritus ſanctus edocuerant, cum de fide illi narraſſent. Sic enim Ambroſius ipſe habet libro, quem inſcripſit de Sacramentis, ſiue de Prophetia, cuius rei meminit etiam S. Auguſtinus de doctrin. Chriſtia. lib. 2. c. 28. & Retractat. lib. 2 cap. 4. Apes igitur, ſi quid præmonſtrarunt in Platone futurum, ad eam partem ſpectat, qua humana ſapientia atque eloquentia inter Philoſophos eminere ſperabatur, vt vere excelluit. At in Ambroſio reuera longe maiora prænuntiauit illud apum examen, quod ſcilicet verbum, Spiritusque Dei, diuinarum rerum integra cognitio ei conferenda per gratiam foret, ac de Chriſto Sacramentis omnibus imbuendus tam eximia fide & facundia, vt exquiſite omnia tum verbo, tum ſcripto aperiret, adeo vt vel dæmones ipſi Mediolani apud ſanctos Prothaſium & Geruaſium Martyres expreſſo nomine ſicut defunctorum, quos eodem modo commemorabant, adhuc viuum Epiſcopum confiterentur Ambroſium, atque vt ſibi parceret obſecrabant, ipſo aliud agente, atque hoc cum ageretur, omnino neſciente, vt tradit ſanctus Auguſtinus illi neceſſarius in libello de cura agenda pro mortuis c. 17.

Apum ingens mœror in defunctum ipſarum Regem.

EQ. Tantum igitur abſunt Platonica ab Ambroſianis, quantum apes ipſæ ab homine. Sed redeamus ad apum Remp. quem enim Regem viuentem dilexerant, & cui obſecutæ fuerant, etiam defunctum non deſerunt. Plin. enim lib. 11. cap. 18. *Rege* (inquit) *conſumpto mœret plebs ignauo dolore, non cibos conuehunt, non procedunt, triſti tantum murmure glomerantur circa corpus eius; ſubtrahitur itaque diducta multitudine, alias ſpectantes exanimem luctum non minuunt: tunc quoque ni ſubueniatur, fame moriuntur.* Et ne putet quis, eas funeris officium tantum præſtare Regi, non etiam conciuibus, idem Plin. eod. c. ſic habet: *Apes, cum morbo defunctas progerunt, funerantium more comitantur exequias.* Hæc ille.

PH. Eſt igitur, quidquid de apibus traditur, ad hominum mores imitatione ſpectans; at admirandum eſt illud præcipue, tanta concordia hoſtibus ſuis pro Repub. eas bellum inferre, vt equum occidant; id enim contigiſſe teſtatur Ariſt. hiſt. anim. lib. 9 c. 40. quod etiam tradidit Plin. lib. 10. c. 18. ſed & hominem quandoque à ſcelere ad pœnitentiam adegerunt; hoc enim eſt plus quam occidere hominem. Fur enim nocturnus aluearia furabatur, erant autem iuris Eccleſiæ S. Medardi: illæ,

illæ, collecto agmine, furem aggreſſæ in fugam verterunt, aculeatis ſtimulis hominem pungentes, nec dimittentes, donec ad ipſum S. Medardum ipſe totus vulneratus perueniſſet, adhuc vndequaque apibus circumſeptus, quo cum vellet, nollet, perueniſſet, prouolutus ad S. Medardi veſtigia ſupplex ſibi admiſſum crimen dimitti poſtulauit. Medardus pro ſua clementia ignouit efflagitanti, manumque extendens benedictionem ſigno Crucis edito, vt Epiſcoporum mos eſt, ei abſolutionis ſignum impendit. Apes, velut non ignaræ Epiſcopalem benedictionem homini crimen abrogaſſe, & Eccleſiæ reconciliatum hominem non eſſe vlterius defatigandum, à moleſtia ceſſarunt, dimiſſoque homine, velut parentes Medardi iuſſis in loca ſua redierunt. Fortunatus Presbyter in vita S. Medardi apud Surium Tomo 3. At illud eſt natura in eis omnium admirabilius, eas mortuas poſſe etiam poſt horam reuiuiſcere. Sanctus enim Ambroſius ita habet, vt refert Vincen. hiſt. natur. lib.20.c.86. *Si quis apes oleo caſu perfundat, prope necantur, eo quod obſtructis poris aereum illud ſpiramen haurire non poſſunt; at continuo ſi quis acetum iis ſuperfundat, ilico reuiuiſcant, eo quod cito vis aceti poros illos, qui magis continuo olei humore obſtruuntur, aperire dicitur.* Quod Baſilius exemero hom.8. etiam tradit his verbis: *Apes oleo madefactæ pereunt, meatibus obſtructis, aceto autem ſtatim affuſo, rurſus reuiuiſcunt, tranſitibus reſeratis.* Vinc. quoque hiſt. natur. lib.20.c.74. idem recenſet miraculum. Et de his ſatis, velut de Repub. egimus.

Apes oleo madefactæ morientes, aceto affuſo reuiuiſcunt.

EQ. Id ita certe eſt, quamobrem, quia formicarum quædam admiranda quoque ſunt Reip. ſeruandæ ſtudia, non fuerit importunum de eis differere.

TH. Nollem omitti reliqua quædam apum admiranda. In Ponto albæ apes ſunt, biſque in menſe mella faciunt. Plin. lib.11. cap.18. & quod noſtro ſub cœlo apes ſylueſtres ſunt, nec facile homini familiares fiunt: tamen in Æthyopia adeo circulares ſua ſponte ſunt, vt inter hominum cubicula ſua examina conficiant. Franc. Aluarez. Quin etiam, quanquam noſtro cœlo omnes apes aculeatæ ſint, in orbe tamen nouo occiduo omnes omnino aculeo carent, noſtris etiam muſcis minores; at noſtris fertiliores, melque candidum conficiunt, vt Ouet. Sum. cap.51. In ipſaque Cumana Inſula nouo miraculo ex arboribus pendent apum examina, adeo vt mel fluat. Petr. Hiſp. p.5. cap.15.

Quod autem ceram cum melle conficiant, certe tum diuinæ res ipſæ, tum humanæ apibus magnam laudem conferunt in illuminandis noctibus: mira igitur fuit apud Liuones ſtoliditas, vt velut fecem, expreſſo melle, abiicerent ceram: verum poſtquam noſtra illis ſolertia innotuit, ſeruarunt, pretioque dignam putarunt, admiratione ducti. Krant. Vandal. lib.6. cap.9. Idem error apud Africanos erat in Mauritania: retento enim melle, cera, velut domus purgamentum, euertebatur. At Aloyſius Cadamuſtius, cum id animaduertiſſet, gentem edocuit, quod in pretio habenda eſſet cera ad rerum humanarum vſum, vnde faſſa gens illa eſt Chriſtianos nihil ignorare. Hęc Aloyſius Cadam. Certe itaque diuinarum rerum ex cera quædam humanis oculis maior maieſtas coruſcat, neque ſine ſacrilegio, diuina cum exercentur, ſubtrahi cera poteſt. Ruſticus enim quidam ex altari ceram furto cum ſuſtuliſſet, in lapideam duritiem conuerſa eſt, vnde criminis ſui culpam agnoſcens, cum confiteretur coram pluribus adſtantibus, cera amiſſa aduentitia duritie, priſtinam mollitiem recepit. Valfridus Strabus in vita S. Galli lib.2. cap.40. Surius Tomo 5. Octobri. Eſt igitur cera congrua diuinis rebus peragendis oblatio, quod vel alio miraculo compertum eſſe nemo dubitabit. Ex aluearijs apum quidam ſub-

latam

latam furto ceram offerendam detulerat Sacerdoti in æde diui Galli, mox cum offerretur, in duritiem lapideam conuerſa eſt: conſpecta ea re, qui obtulerat, mente conſternatus pœnitentiam publice confitens egit. Valfrid. Strab. in eadem vita lib. 2. cap. 7. Propterea in cera aliquid diuinum latere eſt animaduertendum, quod in eccleſiaſticis ritibus vbique fere adhibeatur: nam & Paſchalis cereus fit, & ad omnes aduerſarias poteſtates propellendas conſecratio adhibetur ei ceræ, quæ Agnus Dei dicitur, qua & maris æſtus, & fluminum inundationes cohibitæ memorantur. De iis Baro in Ann. anno Chriſti 58.

PH. Feliciores igitur (vt quod reliquum eſt de apibus dicamus) apes illæ ſunt, quibus aculeus non eſt: minus enim periclitantur morte; nam aculeata apis, ſi ſtimulata aculeum iniecerit, moritur, vt iam diximus, vt S. Ioann. Chryſoſt. ſcribit in Epiſtola ad Theſſalon. hom. 9. Tomo 4. quod & Ariſtoteles tradidit hiſt. anim. lib. 3. cap. 12. & Plin. lib. 11. c. 18. Vt ſic vel etiam homines diſcant nolle vlciſci: *Vltio enim in vlciſcentis caput recidit.*

TH. Recte ſane. Scriptum enim: Mihi vindictam, & ego retribuam. Rom. 12. quod etiam ex Baſilio paulo ante commemorabamus, cum dixit, ab apibus diſcere oportere Chriſtianos, nulli malum pro malo reddere, ſed vincere in bonum malum. Agamus igitur de formicis, cum de apibus iam ſatis ſuperque egerimus. *Ne vlciſcamur, apes nobis exemplo ſunt.*

EQ. Formicarum Reſp. non videtur ad Monarchiam ſicut apum pertinere, ſed ad eas, quæ populariter adminiſtrantur, & quarum gubernatio democratia, aut ariſtocratia nuncupatur. Nullus enim illis Rex, nullus Præſes, omnes ex æquo ciues pro opportunitate temporum aut præeſſe, aut ſubeſſe ſolent, ſeruatis inſtitutionis ſuæ Reipub. ordinibus. Attamen omnes, vt veri ciues ſolent, omnia ad communem vtilitatem agunt maxima ſolertia.

TH. Solertiam formicarum reliquorum animantium verſutiæ præferendam eſſe ſacræ ipſæ literæ conteſtantur. *Vade*, inquit Salomon Prouerb. 6. *ad formicam ô piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam, quæ cum non habeat Ducem, nec Præceptorem, nec Principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe, quod comedat.* Baſilius propterea in exemero hom. 9. ſic de ea: *Non laborabis pro te ipſo, ô homo, non in præſenti ſeculo prædepones, ac recondes requiem futuri? Ad formicæ exemplum reſpectum habeto, quæ in æſtate alimentum hyemale ſibi ipſi recondit, & non propterea, quod nondum adſunt hyemis moleſtiæ, per otium tempus transmittit, ſed diligentia quadam indeſinente ſe ipſam ad laborem intendit, donec ſufficiens alimentum in penum repoſuerit, & neque hoc ſegniter ac negligenter, ſed ſapienti quadam verſutia excogitans, quo ipſum alimentum quam diutiſſime perſeueret. Suis enim vngulis medios fructus diſſecat, vt ne enaſcentes inutiles ipſi ad alimentum reddantur; eoſdem etiam ſiccat, vbi ſenſerit ipſos madefactos, & non in omni tempore ad ventum exponit, ſed vbi perſenſerit aerem in ſerena conſtitutione conſeruari. Profecto non videas imbrem ex nubibus defluere, quo tempore frumentum à formicis expoſitum eſt.* Hæc ille. Atque hinc diſcat quisque, quanta ſit homini ratione prædito ignauia, quando ab hoc animalculo virtutem oporteat edoceri, præcipue vero œconomicam, atque etiam politicam, ciuilemque concordiam. *Formicarum prouidentiam diſcat homo.*

Eſtque hæc de formicarum concordiæ ſolicitudine contemplatio tanti momenti, vt Malchum monachum & à captiuitate Iſmaelitarum eripuerit, & ad verum monachatum reſtituerit, vti patet ex B. Hieronymo in vita eiuſdem Malchi: ſic enim ille repræſentat Malchum loquentem. Poſt grande interuallum, dum ſolus in eremo ſedeo, & præter cœlum terramque nihil video, cœpi mecum tacitus

voluere, & inter multa monachorum contubernia recordari, maximeque vultus Abbatis mei, qui me erudierat, tenuerat, perdiderat: ſicque cogitans aſpicio formicarum gregem anguſto calle feruere; videres onera maiora, quam corpora. Aliæ herbarum quædam ſemina forcipe oris trahebant; aliæ egerebant humum de foueis, & aquarum meatus aggeribus excludebant: illæ venturæ hyemis memores, ne madefacta humus in herbam horrea verteret, illata ſemina præcidebant: hæ luctu celebri corpora defuncta portabant, quodque magis mirum eſſet, in tanto agmine egrediens non obſtabat intrantibus, quin potius, ſi quam ſub faſce viderent, & onere concidiſſe, ſuppoſitis humeris, adiuuabant. Quid multa? Pulchrum mihi ſpectaculum dies illa præbuit, vnde recordatus Salomonis ad formicæ ſolertiam nos mittentis, cœpit me tædere captiuitatis, & monaſterii cellas quærere, ac formicarum illarum ſolicitudinem deſiderare, vbi laboratur in medium, & cum nihil cuiusquam proprium ſit, omnium omnia ſunt. Hæc ille. Qui poſtea breui ad monachorum cœnobia feliciter peruenit.

PH. Dicam & ego quod mihi contigit memorabile. Inambulabam aliquando corporis exercendi cauſa ſummo mane Iulio menſe extra Apuliæ oppidum, cui nomen eſt ſancti Bartholomæi, comperique quadratam trabem longam pedes octo, animaduertique ſub ea formicarum eſſe domicilium: quamobrem ſubiit mihi deſiderium ſpectandi illarum habitacula, moxque neceſſarii mei trabem tanta leuitate ſubmouerunt, vt nulla earum rerum, quæ ſuberant, facta fuerit motio, aut turbatio. Apparuit tunc in argilloſa humo vrbs quædam quadrangularis longa pedes fere quatuor, lata vltra pedem, in qua per vias velut ad negotia vltro citroque curſitare, velut ciues, ipſæ formicæ viſebantur. Admiranda erat angulorum, laterumque directa delineatio, quam artificum amuſſi, circinoque fabrefactam putaſſes, quod æqualis ſemper dimenſio longitudinis latitudiniſque ſeruaretur. Vrbis longitudinem media ſecabat via quædam directiſſima, profunditate, latitudineque digitali, quam rurſum per tranſuerſum æqualibus inter ſe ſpatiis tres aliæ viæ eadem digitali profunditate & latitudine directiſſime interſecabant, vt ita tria compita, foraque ſpectarentur. In extremis viarum angulis, velut angiportibus ſpectabamus collecta in aceruos ſeruari oua, vnde formicarum proles gignitur. Altera vrbis parte antra vidimus frumento ita oppleta, vt in vias ipſas redundarent. Mira fuit omnium viarum munditiеs, nihil in illis lapillorum, nihil pulueris, nihil feſtucarum, nihil humoris, vt deprehendas vrbem illam ab ſuis ciuibus ita curatam, vt prolis eximium ſtudium, annonæ & ſtructurarum ornatus vbique ſpectaretur, quin omnes illi ciues communi ſtudio ad Reipublicæ beneficia incumbentes, dum alii domi de rebus conſulunt, alii foris res agunt, ſumma pace concordiaque curandam Rempublicam nos docebant: ſtuduiſſe quoque iidem ciues viſi ſunt omnium incolarum incolumitati. Erat enim in vrbis longitudinis medio vnica porta Zephyro obiecta, quod ab Aquilone, Euro, atque Auſtro immunem vrbem ſua Philoſophia oportere eſſe didiciſſent. Res iſtas omnes ſpectabamus curioſe, admirabamur induſtriam eximie operantem omnia in obſcuris, cæciſque tenebris, memoriaque dignam cenſuimus, quod in plano pro opportunitate loci eam vrbem formicæ condidiſſent, haud dubie alibi inter ſaxa, inæqualiaque loca pari induſtria vrbes ſuas conſulto eas ædificaturas iudicabamus: neque adeo admirati ſumus Neapolim, quam homo rationis compos condidiſſet, ſicut eam vrbem perſpeximus, quam ratione carens animal orna-

ornate conſtruxiſſet. Hæc nobis obtigere Gregorio Decimotertio Pontifice.

Eſt etiam miraculum in formicis apud Philoſophos Phyſicos: nondum enim cognitam eſſe formicæ corporalem compaginem tradunt. Scilicet enim Baſilius epiſtola 268. putat, nullum aptius argumentum ad retundendam eorum ſuperbiam, qui Dei potentiam, & voluntatem ſcrutari adnituntur, quando vel formicæ naturam aſſequi, omni conatu adhibito, non poſſint. Sic enim ille. An ſpiritu & anhelitu vita ipſius formicæ contineatur? an oſſibus corpus diſtinctum ſit? an neruis & ligamentis compoſitio firmata ſit? an maſculorum & glandularum munimento neruorum natura contineatur? an medulla à ſincipite vsque ad caudam vna cum ſpinæ verticulis extendatur? an neruoſæ membranæ ambitus membris, quæ mouentur, concitatoriam vim immittat? an ſit in ipſa iecur, & vas fellis ſuſceptorium in iecore, renesque, ac cor, & arteriæ, & venæ, pelliculæque, ac interſepta? an nudum ſit animal, aut piloſum? ſolidipes ſit, aut multifidos greſſus habeat? quanto tempore viuat? Et quis ſit ipſis generationis modus? quamdiu geſtetur fœtus? & quomodo neque pedeſtres omnes ſunt formicæ, neque omnes alatæ, ſed aliæ quidem humi repunt, aliæ per aerem feruntur? Qui igitur rerum cognitionem iactat, interim formicæ naturam explicet: deinde ita virtutis ac potentiæ omnem intellectum excedentis naturam exponat. Si vero minutiſſimæ formicæ naturam nondum cognitione apprehendiſti, quando incomprehenſibilis Dei vim te imaginari gloriaris? Hæc ille ſapientiſſime.

TH. Rectiſſime ſane: nam ſcrutator Maieſtatis opprimitur à gloria. Prouerb. 25. Nec putandum eſt, homini aliud eſſe opportunius retinaculum, ne curioſitate ducatur quærendarum temere rerum diuinarum, quam hoc ipſum, quod vel minimarum iſtarum rerum, quas coram ſemper habet, cognitionem aſſequi non poſſit, ſicuti de illo Philoſopho traditum eſt, qui apis naturam ſcrutatus tot annis eam aſſequi non potuerit.

PH. Nos igitur non ſcrutabimur quaſi adnitentes agere quod fere ſit impoſſibile, ſed iam ſcrutata & cognita tantum referemus, atque inprimis de generatione earum. Compertum eſt, vermiculum eſſe candidum minimum, tempore coaleſcere in membra, & aſſumere nigredinem aut ruborem.

EQ. Formicarum generationem Plin. eod. libr. 11. cap. 30. ſcribit, vermiculum eſſe ouis perſimilem: ſed recentiores, qui Orbem luſtrarunt, ſcribunt, nouo quodam eas modo ibi gigni, videlicet, à parentis iam defuncti corpore fieri innumeros vermiculos, eosque miro modo viuere, donec ex habitaculis ſubterraneis iam alati erumpant. Mordaciſſimæ ſunt formicæ illæ etiam homini, euolant, & ob copiam velut nubem efficiunt. Hoc ſcribit Ioſeph Ieſuita ex Braſilia 1560. quanquam & viuentes adhuc parentes aliquando pariunt, vt ille tradit. Atque ita ſit non ſpernendum miraculum, vt genus ſeruetur vel partu, vel etiam corporis defuncti corruptione, atque ita parentum mors tametſi ſine prole ſequatur, prole tamen non carebit, quam vel parere poſſit etiam mortuus genitor.

PH. In formicis præter generationem admiror induſtriam in domibus ſibi conſtruendis: nam quod ſupra diximus de condita ab illis vrbe, noſtri cœli experimentum eſt; at in Aſia Ariſtoteles anim. lib. 9. cap. 38. dicit, formicas cellaria & promptuaria facere ordine diligenter ſeruato, nec omni tempore laborare, ſed plena tantum Luna; ceſſare vero interlunio, quaſi vel ſe Aſtrologiæ etiam peritiam habere oſtentent, quod & Plin. recolit lib. 2. cap. 41. & libr. 11. cap. 30. At in India ſe-

Formicarũ ſolertia in exſtruendis domiciliis.

cas ædificant. Ælian. hiſtor. animal. lib. 16. cap. 15. ſic habet: *Indicæ formicæ ſingulari ſapientia prædita domunculas commodas in excelſis locis conſtruunt, non in deuexis & planis, qui facilime inundari queant; adeo exaggerata eſt illorum domus, vt non alluatur, neque euellatur: nam primo rore matutino ſtabilitur. Vnde tunicam quandam tenacem & fortem induit, & in ima ſui parte alligatur cortice algoſa limi fluuiatilis, in domus ſuperficie foramen vnum, vt ingrediantur, & ſemina theſauriZant, intus vero ſinuoſis locis.*

EQ. Referunt ii, qui nouum orbem luſtrarunt, ibi formicas luteas domos ſibi conſtruere, non minores humano capite, ſphæricas, & ad eas non ingredi per foramen; ſed acceſſum prælongum parare, quaſi per exiguam fiſtulam, per quam vix illis ſit aditus in domunculam. Ingreſſæ igitur habitant, horrea conficiunt, & alimenta condunt. Vt Ouet. tradit in ſummar. cap. 52. & hiſtor. libr. 15. cap. 1. Sed & eodem ſummar. cap. 20. idem Ouetanus tradit ibi aliud memorabile; formicas ſcilicet eſſe minimas, quæ ſibi in ſoli ſuperficie domum condant non minorem vaſe modium, aut ſextarium capiente: dureſcitq; adeo lutum, quo conſtruunt, vt cum glutinis modo ſibi optime cohæreat, perinde ac calx in lapidem tranſit, nec enim ferro penetrari poteſt. Ad ingreſſum oſtium latens conſtituunt, habitant ſecuræ quaſi in aſylo aduerſus ferarum hoſtilitatem: præcipue vero aduerſus vrſum formicarium, cui hoc inditum nomen, quod formicas ignauiſſime depaſcatur. Huic igitur vrſo longe maior induſtria eſt, quam formicis: cum etenim pluuiis earum domus aliquando alluatur, ſuperueniente calore, rimulæ quædam in ea fiunt, adeo tamen exiguæ, vt vix videantur, neque in eas gladioli cuiuſuis cuſpide penetrari poſſit. Attamen vrſo eſt prætenuis, atque oblonga lingua: ille tanto ſtudio rimulis illis linguam admouet, atque humore perpetuo defluente adeo rimulas madefacit, vt ibi lutum emolliatur, paulatimque ingerit linguam, vt etiam in ipſam domum eam transmittat, quam ibi pendulam aliquo momento demittens formicæ fraudis neſciæ, & in tuto ſe eſſe putantes, ab hoſte illectæ humore, & frigiditate linguæ ſiccuti ferme omnes quotquot lingua capere poteſt, adhærent, quaſi ad paſtum. Ille vero, vbi ſenſerit onuſtam eſſe linguam, ad ſe retrahens ſtultam plebem depaſcitur ignauiſſimus vrſus. Sed de eadem re occaſio alia occurret colloquendi, cum de vrſo agemus in quadrupedibus.

TH. Ego vtriusque admiror ingenium, ſed hac occaſione in Eccleſia Dei & democratiam popularem, & optimatum ariſtocratiam damno. Plebs enim, tametſi ſolertiſſime congerendis opibus ſtudeat, concordique animo Rempublicam tueatur, nihilominus hoſtium fraudibus facilime exponitur. Plebs plerumque conſilii inops, & allecta promiſſis eſt: ac propterea Diabolus id animaduertens Monarchiam Eccleſiæ peroſus hæreticis ſuadet ariſtocratiam, vt ſic Duce ac Principe carens, diabolicis fraudibus totus Chriſti grex ſit expoſitus: Lingua enim formicæ deluduntur, quia Diaboli miniſtri, vt ſibi linguæ vſum patere, ſeque audiri animaduerterint, auditores lingua captos deuorant. Et hoc eſt, quod elegantiſſimo opere de Chriſti Monarchia adnititur Nicolaus Sanderus, vt Monarchiam ſummumque Pontificatum in Eccleſia eſſe oportere doceat, quia & Chriſtum ita docuiſſe demonſtret, non autem ariſtocratiam, aut democratiam, in quibus quaſi acephala Eccleſia conſtituatur.

EQ. Atque ita ſit, vt nihil ſit in animantibus, quod non ſit ad docendos homines idoneum exemplum: ſunt enim & formicæ fatuæ, ſicut & induſtrias eſſe iam diximus. Quin ſunt & inter formicas prædones, viarum obſeſſores, ac latro-

nes.

nes. Formicoleon etenim animal eſt, quod formicis in itinere inſidiatur, prędamq; rapit, & quod illa ſibi in alimoniam parauerat, fit huius impii latronis præda, vt habet Iſid. lib. 12. cap. 2. Eſt autem prædandi ars huiuſmodi. Eſt Formicoleon inter formicas leo ſimulque formica, & leo, animal quidem paruum, ſed formicis adeo infeſtum, vt ſe in puluere abſcondens, ſemiſphæricum ſibi velut vallum è puluere, munitionemque ædificans, formicas frumenta geſtantes aggreſſus interficiat ex inſidiis. Albert. Magnus de animal. lib. 26. in formicis. lib. de natur. rerum hęc continentur, vt Vincentius habet natur. lib. 20. c. 135. Qui non modo formicoleonem, ſed alio etiam nomine nuncupari ſcribit. Myrmicoleon (ait) vermis de formicarum genere, ſed multo maior eſt, qui dum adhuc paruus eſt, & inualidus robore, pacem ac modeſtiam ſimulat: at cum vires acceperit, priſtina conſortia deſpicit, & contra maiores turbas concitat. Itaque inualeſcens audacia formicas ad labores conuenientes fallit; laborantibus enim deliteſcens inſidiatur, aggrediturque annonam rapiens in via: & qui ſibi nihil in æſtate parauerat, in hyeme labores earum diripit.

Formicoleon formicarum hoſtis eſt.

TH. Quam eleganter, appoſitoq; modo ſubindicat hoc animantis genus hæreticorum mores, quorum ſuperbia oues Chriſti inficit, & per inſidias diripit; monarchiam adeo deſpiciens, vt libere, quidquid velit, agat; turbas, ſeditionesq; excitet, errores doceat; prædetur, dum Pontificatum non metuit. Quod ſane apibus non contingit, in quibus Pontifex, Princepsq; ſuus Rempub. bene adminiſtratam cōſeruat, neq; ibi ſuo è genere hoſtem compertum eſſe legimus, ſicut nos videmus in formicarum ariſtocratia, ſeu democratia.

EQ. Vtinam vero aliquando ita reſipiſcant formicæ, & ouiculæ Chriſti, vt quum vrſum, atque myrmicoleonem perſentiant ſibi ſemper inſidiari, eum tandem occidant, aut eiiciant, vti de eis ſcribit Olaus lib. 22. cap. 5. Formicæ etenim in Aquilonari regione plura in genera cum diuidantur, ſpecies vna comperta eſt, quæ ſibi è frondibus nidum conficiat, è pino, & abiete, in aliquo edito campeſtri loco. His inſidiatur vrſus: at illæ adeo ſolerter in eum inuadunt, vt eiiciant, quin ſi forte vnicam formicam in foueas ſuas pilis occultam intulerit, eaq; ibi forte nidificauerit, & fœtificauerit, etiam inde vrſum cum prole vniuerſa perpetuo exulem faciat. Sunt enim huiuſmodi formicæ alatæ, & grandiores. Atq; ita fit, vt hoc non ſine myſterio contingat, vt ſcilicet vel vnicus vir ſanctus valeat doctrinis ſuis hæreticorum væſaniam confutare.

PH. Grandes formicas ibi non intelligo; niſi quo modo noſtræ quoque alatæ grandiores formicæ ſunt: alioqui prægrandes, & colore albas apud Indos in regno Nigritarum tradit Aloyſ. Cadam. At maximas canum more eſſe tradit Mela lib. 3. cap. 4. his verbis: *India alit formicas, non minores maximis canibus, quas aurum penitus egeſtum cum ſumma pernicie attingentium cuſtodire commemorant.* Solinus eadem, eadem Iſidorus lib. 12. c. 2. Eadem & Vinc. natur. hiſt. lib. 20. cap. 134. & niſi Plin. lib. 11. cap. 31. eis etiam Ægyptiorum luporum magnitudinem tribueret, vidiſſeque ſe earum cornua in æde Herculis affirmaret, fabuloſum putarem; quidquid de huiuſmodi formicis traditum à ſcriptoribus eſt. Verum ſicuti ibi veſpertiliones anſeribus pares eſſe conſtat, etiam huius ſeculi ad nos allatis teſtimoniis, & hoc velut verum ſi admittemus, nobis fuerit iuſta poſt tot auctores excuſatio, licet Albert. Magn. de animal. lib. 26. putet id incertum eſſe. Huic igitur miraculo accedit aliud; nam cum à Deo inſtitutæ huiuſmodi formicæ videantur, vt aurum cuſto-

diant,& in auiditatem humani generis animaduertant,quaſi ſæptis incluſæ ad cuſtodiam videntur,quandoquidem,vt Ælian.hiſt.anim.lib.3.c.4.tradit,huiuſmodi Indicæ formicæ aurum cuſtodientes nunquam transeunt fluuium nuncupatum Campilimum ibi proximum.

Formica quandoque noxia.

EQ. Fit igitur apertum ex iis,quæ dicta ſunt,etiam formicas pernicioſas alicubi eſſe, quod & aſſerendum eſt, non ſolum in illis auri cuſtodibus, verum etiam & aliis. Nam in orbe nouo,in Baia Saluatoris ingens eſt formicarum copia quibus in ore extant velut forfices ad quæcunq; ſata,aut fruges abſcindendas: quarum etiam morſu areſcunt omnia: ſtudent tamen incolæ eas diligenter alere, vt ſaturæ agris fertilibus parcant. Hæc ſcribit Ambroſius Perez.1555.

PH. Propterea apibus non ſunt comparandæ: ſibi enim tantum ſtudent, quod apes & homini ciborum quaſi penu faciant. Eſt tamen aliud virtutis commemorandum veſtigium in formicis: nam ſi quis comparet onera corporibus earum, fateri neceſſe eſt,animãti nulli vires eſſe maiores inſpecto corpore præparuo,præſertim cum gerant onera ſolo morſu. Eſt præterea in eis præter Reip.rationem propriæ œconomiæ memoria: ſemina enim, vt iam diximus, arroſa condunt, ne rurſus in fruges exeant è terra; maiora ad introitum domorum diuidunt; madefacta imbre proferunt, atque ſiccant; operantur & noctu plena Luna, eædem interlunio ceſſant: ſilices itinere earum attritos videmus, & in opere ſemitam factam, ne quis dubitet, qualibet in re quis poſſit quantulacumque ſedulitas; & quod pietatem plurimam imitari videtur, ſepeliuntur inter ſe viuentium ſolæ præter hominem: vt apud Plin.lib.11.cap.30. Accedit & aliud, quo Romanæ Reipubl. æmulæ videantur, immo potius (quia formicæ Romanis antiquiores fuere) Romani formicarum æmuli aliquando fuiſſe videbantur: nam conſtat apud Romanos, cum ſexagenarii eſſent Senatores, de ponte conſuetum fuiſſe eos præcipitari, velut qui Reipub. vlterius curam gerere non poſſent. Id & formicis accidit: nam cum ſenuerint, velut homo canos pilos, ita illæ alas emittunt; quamobrem ab adminiſtratione Reip. deiiciuntur; nam comitantibus multis formicis (quod nos oculis animaduertimus noſtris) in eminentem vſq; locum euolant. Ipſæ velut faſtidientes terrena ad cœleſtia properari videntur, docentes hominem tum maxime niti debere ad cæleſtia terrenarum rerũ contemptu, & obliuione, cum iam grauatur ſenectute. De his alis, & euolatu Alb.lib.26.Formicæ.

Propterea ſi Cotta apud Ciceronem libro de natura Deorum tertio nouiſſet rerum omnium opificem Deum, formicamque Dei mirabilem creaturam eſſe, non dubitaſſet eam anteponendam etiam cuilibet rei inanimatæ. Cum enim ibi Cicero diceret: Num idcirco exiſtimas, ô Cotta, formicam anteponendam eſſe pulcherrimæ vrbi, quod in vrbe ſenſus ſit nullus, in formica non modo ſenſus, ſed etiam mens, ratio, memoria? Hæc ille. Ego vero non tantum eam dubitationem non admitto, verum & ingenue profiteor præferendam ſicut & muſcam, præferẽdam etiam Soli alias diſſeruimus, ex B. Auguſt. cui nec iſta Ciceronis addubitatio erat incognita. Sed de eis ſatis.

EQ. Quantum Reip. ſtudium habere apes, & formicas diſſeruimus, tantum ab eo abeſſe araneas fateri oportet; quas non niſi ſingulares vbique agnoſcimus, nulli animantium concordes, nec inter ſe quidem; quin & aliquod aranearum genus eſt, quod adeo vel ipſos parentes oderit, vt etiam eos edat. Ariſtot. id tradit hiſtor. animal. lib. 5. cap. 27. *Phalangiis araneæ generi partus admodum eſt numeroſus, cum ipſa*

ipſa proles increuerit, matrem amplexa conſumit, & eiicit, ſæpe etiam patrem, ſi ceperint: adiuuat enim fœminam incubitu, pariuntur interdum etiam trecenti eodem vtero. Id refert & Plin. lib. 11. c. 24. *Phalangium* (inquit) *in ipſo ſpecu incubat magno numero, qui vt emerſerit, matrem conſumit, ſæpe etiam patrem.* Hæc ille: Vt vel hinc diſcamus araneam nec ſibi quidem prodeſſe: propterea labor eius omnis inanis eſt, quaſi nec vita dignum ſit animal, quod in parentem inſiliat.

TH. Sane vel ipſa natura aranearum odiſſe mores conteſtatur. Nihil enim tabidius eſt aranea, atque eius tela, cum & ſolo digiti tactu deſtruatur, vt S. Auguſtin. habet ſuper Pſal. 38 Peccator enim vt digne caſtigetur, nulli animantium eq; comparatur, atq; araneæ, vt ipſis Pſalmi verbis continetur. Et tabeſcere feciſti, ſicut araneam eius peccatoris. Elucet omne genus fraudis in aranea; nam non ſolum prędatur, & conficit hoſtes, verum & hoſpites ad ſe accedentes. Pinothera etenim (vt Ariſtot. tradit lib. 5. c. 16. hiſt. anim.) in ſpongiarum cubilibus degit, aperiendo, atque claudendo piſciculos capit, aperit antequam ingrediantur, claudit & contrahit, cum ingreſſi ſunt.

PH. Nulli prorſus prodeſt inſidioſa aranea: ideoque illi natura ipſum alimentum negauit, ipſo enim ſuo ſucco viuit, atque ideo fame non moritur, ſed tabe, vt tradit liber de natur. rerum. Homini præcipuo veneno eſt. Solinus de araneis ſolfugis Sardiniæ ſic habet c. 9. Sardinia (inquit) ſerpentibus caret, ſed quod aliis locis ſerpens, hoc ſolfuga Sardis agris animal perexiguum, ſimileq; araneis forma, ſolfuga dicta, quod diem fugiat, in metallis argentariis plurima eſt, occultim reptat, & per imprudentiam ſuperſedentibus peſtem facit. Ibi fontes contra huiuſmodi venenum ſunt. Eadem habet Iſid. lib. 12. c. 2.

TH. Vel ipſo nomine animalculum vitioſum eſſe cognoſcere quis poteſt: Solfuga enim dicitur, quod lucem, velut qui male agunt, fugiat: vt enim ait Dominus: *Qui male agit, odit lucem.* Et ne liceret ei libere male agere, addidit natura fontes in veneni huiuſmodi medicinam, ne naturam pœniteret huiuſmodi animal edidiſſe.

PH. Fecit natura inſidioſum hoc animal, vt & inſidioſis reliquis inſidiaretur. Ariſt. hiſtor. animal. lib. 9. cap. 39. ſic habet. Aranei, ſtatim cum editi ſunt, fila mittunt, non intrinſecus, tanquam excrementum, vt Democritus ait, ſed extrinſecus de ſuo corpore, veluti corticem; maiora etiam animalia inuadit, irretitq; ſuis filis; nam lacertos paruos aggreſſus circumdatos & filis obducit, donec cohibeat, mox adhærens morſum defigit. Sed & Plin. lib. 11. cap. 24. tradit araneam lacertarum catulos venari, eoſq; primum tela inuoluere, & tũc demum labra vtraq; morſu apprehendere. Nec verebor dicere, eadem facere, moliriq; cuicunque accedenti animali; quantum tela ſua poſſit.

TH. Hoc vnum in hoc animalculo laudes, Geometricam quandam artem in illo elucere, filum enim textrinæ ſuæ corpore velut integro parit, vt tradit S. Auguſtin. in Epiſtola 101. Ideoque animi partus imitatur, perinde enim ac ingenii partus omnes ingenium, animumve non minuunt, ſed integrum etiam manet, ne dicam augetur: ita quod pariat fila, integrum corpus eius eſſe non deſinit. Ideoq; Ælian. hiſtor. animal. lib. 6. cap. 56. *Araneæ* (inquit) *non ſolum præclare texunt, verum & Geometriam norunt, centrum ſeruant, & quaſi circino circumducunt, & circumſcriptionem exacte ſciunt. Sed & ſarciendi artificio excellunt, ſi quid ſuæ telæ fuerit diruptum.* Accedit & aliud, quod vti huiuſmodi tela præclara arte texitur, in Cumana *Aranearũ tela.*

noui

noui orbis parte earum telæ adeo firmæ ſunt, vt nec facile diſrumpantur, perinde ac ſericum. Hiſpal. p.4. cap.15. Sed quid oportet admirari firmitatem telarum araneæ? Si Deus rationis dominus iubeat, etiam infirmæ telæ hominem protegunt. Felix enim Nolanus, cum à Tyranno quæreretur ad necem, fugiens in anguſto duorum parietum interuallo ſe occultauit: qui aditus cum repente aranearum telis prætextus viſus eſſet, nemini recentis latebræ ſuſpicionem reliquit, atque ita ereptus è periculo eſt, vt tradit Paulinus Nolanus, & Ado Treuer. 14. Ianuarii, & Beda in vita dicti ſancti Felicis apud Surium Tomo primo, Ianuario. Felices firmiſſimæque aranearum telæ Felici fuere, ferarumque ferrearum vim habuere: quin & cuſtodum etiam ſolertiam tenuere. At vbi diuinum abſit auxilium, nec ferreæ feræ, nec muri ferrei hominem includunt, ſed produnt, vti contigit Cn. Plotio ciui Romano latenti in regione Salernitana, cum nec ſeruis tortis aperiri poſſet vbi lateret, ſolo tamen odore ipſe deprehenſus eſt. Val. libro 6. cap.8, Anton. Auguſt. Epiſcopus Ilerden. in familiis Romanorum ciuium: & VRSINVS in eisdem. Sed redeamus ad admiranda aranearum. Accedit iis, eſſe etiam aquaticam araneam quandam, non quod in aquis (neque enim id fieri poteſt) telas texat, ſed quod aquas ſicco pede permeet, & percurrat, cruribus ſemper emergentibus, atque erectis, perinde ac ſi terram ipſam obambularet. Id tradit Albertus Magnus; & initio huius colloquii iam commemorauimus Tabulam nuncupari.

EQ. Duo adhuc aranearum miracula comperta commemoranda ſunt, primum quidem in Inſula Hiſpaniola orbis noui, in qua adeo ingentes ſunt corpore, vt luſoriæ pilæ computari queant; nuces vero plerunque adæquant ſoliditate ſola corporis, vt tradit Ouet. hiſt. lib. 15. cap. 3. Alterum miraculum eſt noſtratibus araneis omnino contrarium. Inſidioſas enim diximus, venari quoque, atque offendere obuia quæque: at in Breſilia eſt quidem aranearum genus prægrande, quales ſunt cancri, attamen crabro paruulus illis infenſus eſt hoſtis: inſidiatur hic araneæ tametſi longe maiori, captamq; in ſua latibula trahit, atque depaſcitur. Ita fit, vt apud Indos araneam muſca venetur, in Europa aranea muſcam. Ioſeph Ieſuita è Braſilia 1560.

PH. Sunt hæc ſane relatu digna miracula: ſed non eſt omittendum alicubi colore eas eſſe præditas, præter enim aureum colorem, quem humor ipſe ex Solis radiis in tela ſua oſtendit, viridem colorem habent æquandum viridi ſerico, in orbe nouo, vt habet Ouet. hiſt. lib.15. cap.3.

EQ. Sed vt araneis finem imponamus, ſuccurrunt non contemnenda alia. Strabo ſcripſit lib.11. in Albania araneas eſſe, quarum morſus mortem afferat; in riſum ſoluentem alios, alios in fletum. Accedit & aliud confine miraculum de aranea Appula prægrandi, illa ſi quem læſerit, peſtifer quidem eſt morſus; at muſices ſonitu ſanatur. Petr. Hiſp. Silu. p.3. cap.12. Id pluribus tradidit Alexander ab Alexandro ſuis genialibus: huic enim morſui medetur quælibet muſices, ſiue tibia ſit, ſiue cythara, ſiue lyra, aut aliud quodlibet inſtrumentum. Læſus enim cum iam audit muſicæ ſonitum, ſe dat in choream, qua tamdiu exercendus eſt, vt delaſſetur, vt veneni vis diſſipetur, qua nondum diſſipata, adhuc ſubeſt mortis periculum: ideoque perſeuerandum illi eſt, donec diſſipetur vis illa: nam & aliquando contigit læſum hominem delaſſaſſe plures ſibi ſuccedentes muſicos. Vis enim illa veneni ſenſus obſtupefacit, & perſæpe etiam mortem inducit: quin ſi euadat mortem inſenſatus

ſenſatus redditus tota vita perſeuerat, niſi muſica, vt dictum eſt, ac chorea ſibi medeatur.

TH. Nec eſt nouum muſicen mederi languoribus, quandoquidem Saul è cythara Dauidis refocillabatur, vt habetur 1. Reg. c. 16. ſic enim ibi: Quandocunque ſpiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat cytharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & lenius habebat: recedebat enim abeo ſpiritus malus.

EQ. Idem muſices remedium & Iſchiacis medetur, Tibicinum enim modulis is morbus mitigatur: Theophraſtus enim viperarum morſibus modulationem mederi ſcribit: ſed & Democritus idem ſcripſit plurimos morbos tibiarum concentu mitigari, aut etiam pelli. Aul. Gell. lib. 4. cap. 13.

PH. Omiſſo igitur venenoſo hoc animalculo, accedamus ad eius victorem Scarabeum: cuius illud primum inſigne miraculum, quod ſit maſculus tantum, careatque fœmina, gignere tamen prolem, De eo ſic habet Clemens Alex. Strom. lib. 5. *Scarabeus cum rotundam ex bubulo ſtercore effinxit figuram, eam vultu auerſo conuoluit: hoc animal ſex menſibus ſub terra, alteram autem partem anni vitam degit ſuper terram, & ſemen in globum emittit, & gignit, & non naſcitur fœmina ſcarabeo.* Euſebius quoque Pamphili libro de præpar. Euang. 3. cap. 3. *Scarabeum* (inquit) *Ægyptii ſummopere venerantur, animatam ſolis effigiem eſſe putantes; Scarabeus autem omnis virilem ſexum habet, & ſpermato in ſtercus infuſo, pila deinde confecta pedibus inuoluit, veluti Sol cœlum, & menſem lunarem expectat.* *Scarabeus.*

EQ. Accedit & Ælianus hiſtor. animal. lib. 9. cap. 16. In ſuo (inquit) genere ſcarabeorum ratio fœminei ſexus, quod ſit expers, ideo in fimi pilam ſemen emittit, quam octo & viginti dierum ſpatio & volutat, & calefacit, deinde fœtum procreat.

TH. Accedit & S. Auguſtinus, qui lib. Retract. 2. cap. 7. aſſerit ſcarabeum in pila ex fimo facta maſculum gignere, nec niſi maſculum eſſe ſcarabeum; quod etiam tradit lib. de moribus Manichæorum. 2. c. 17.

EQ. Aliud de ſcarabeo commemorandum, nam ceruus volans, qui de ſcarabeorum genere eſt, viuit diutius, & abſciſſo capite ſeorſum caput, ac ſeorſum corpus, vtrunque viuit, caput tamen diutius. Id tradit liber de natur. rerum, & Vinc. natur. hiſt. lib. 20. c. 124.

PH. Eſt hoc admirandum, ſed admirabilius, cui tanta vis vitæ eſt, vt diuiſum viuat. Roſarum tamen odore ſcarabeus, ſiue ſeruus volans moritur, vt tradit Ariſt. de admir. c. 140. Quin ſi roſaceo vnguento vnguatur, etiam moritur, vt tradit Clemens Alex. Pædagog. lib 2. c. 8.

EQ. Hoc illi iure contingit exemplo perſimili in vulture volucre, qui eodem vnguento moritur, quod cadaueribus oblectetur: ſi enim ſcarabeus in ſtercore gignitur, & ſtercora tantum amplectitur pro deliciis, æquum eſt roſas, quæ aliis habentur in deliciis, illi eſſe in mortem, ſicut ſtercora aliis ſunt in necem: præter id, quod homicida eſt: nam ſaltem viginti ſuis morſibus, aut puncturis hominem interficit, vt tradit Plinius lib. 11. cap. 21. de natur. rerum, & Vincent. natur. lib. 20. cap. 157. Si igitur homo (orbis totius deliciæ) ab huiusmodi ſcarabeo interimitur, æquum eſt, ita tantum eius crimen vindicari, vt roſa afferat ſuo odore occidenti interitum.

PH. Optarim diſſerere de locuſtis: verum quia adhuc mihi memoriæ inſidet,

Veſpæ. quod ſcarabeus diuiſus vtraq; parte adhuc viuit, ſuccurrit mihi de veſpis idem dicere ac propterea rem non contemnendam; nam præterquam quod ex equi cadauere naſcitur, vt Ælian. habet hiſt. anim. lib. 1. c. 29. ſi diuidatur, adhuc tamen ſeorſum viuit caput, ac ſeorſum corpus, vt habet Ariſt. lib. 4. hiſt. anim. c. 7.

TH. Accedit & aliud miraculum: nam Baſilius exemero hom. 8. ſi oleo infundatur veſpa moritur, aceto autem poſtea reuiuiſcit: idem quoq; tradit Vinc. natur. hiſt. lib. 20. c. 74. Quin & aliud addi poteſt, eas tanta aliquando copia ſuperabundaſſe, vt oppida deleuerint. Nam Phaſælitas veſpæ fugarunt, Ælian. teſte hiſt. anim. lib. 11. c. 28. Qua in re apertiſſime ſpectatur Chriſti virtus, & gratia, quam ſuis infudit fidelibus ſeruis, cuiuſmodi contigit Friardo Recluſo, vt quanquam Phaſælitas veſpæ fugarint, integram ſcilicet plebem, tamen vnus Friardus ſigno crucis veſparum multitudinem abegerit. Cum enim apud Nanneticam vrbem meſſores à veſparum innumerabili multitudine aculeis infixis vexarentur, Friardus oratione præmiſſa, adhibito etiam ſigno crucis abegit, vt tradit Gregor. Turon. in eiuſdem Friardi vita. Ita fit, vt iis ſolis obſint noxia animalia, qui Chriſti fide carentes humanis confidunt ſubſidiis.

Locuſtæ. PH. Agamus igitur de locuſtis, vt iam ſtatueramus; primumq; commemorandum videtur, quod contra ſcarabei naturam, qui non niſi à maſculo naſcitur, locuſta etiam fœmina abſq; maſculo gignitur. Id habet Ariſtot. quem retulit Vincent. hiſt. natur. lib. 20. cap. 140. *Locuſtam* (inquit) *vociferantem habuit mulier quædam, eamque nutriuit paruam: cum autem creuit, ipſam per ſe imprægnatam inuenit, & hoc argumentum, quod fœmina quælibet ſperma naturaliter habet.* Id affirmat etiam Alb. Magn. animal. lib. 1. tract. 1. c. 3.

EQ. Admiranda longe magis earum amplitudo corporis: nam cum noſtrates exiguæ ſint, digito nunquam maiores, ſunt in India quaternorum cubitorum longitudinis, vt Plinius lib. 9. cap. 3. at idem lib. 11. cap. 29. ternorum pedum eſſe tradit fœmoribusque, ac cruribus ſerrarum vſum præbentes, cum inaruerint: ab iis quoq; ait longinqua maria tranſiri, continuata plurium dierum (quod maxime miramur) fame, quam propter externa pabula petere ſciunt, Deorum iræ peſtis ea intelligitur: namque & grandiores cernuntur, & tanto volant pennarum ſtridore, vt aliæ alites credantur, Solemque obumbrant, ſollicite ſuſpectantibus populis, ne ſuas operiant terras. Hæc ille.

TH. Non eſt dubitandum, iram Dei eſſe hunc locuſtarum importunum aduentum: nam cum aduerſus Pharaonem ira Dei excandeſceret, nonam plagam locuſtarum immiſit Exod. 10. Induxit (inquit) Dominus ventum vrentem tota die, & nocte, & mane facto, ventus vrens leuauit locuſtas innumerabiles, vaſtantes omnia deuorataq; herba, & quidquid pomorum in arboribus fuit, nihilq; omnino virens relictum eſt in cuncta Ægypto.

EQ. Quandocumque id accidit hoc eodem exemplo iram DEI indixit: nam & Liuius decad. 1. libro 9. locuſtarum multitudinem in Africa prodigii loco habitam ſcribit, vt etiam Oroſius, & Eutropius, quin & Sanctus Auguſtinus de Ciuitate Dei lib. 3. cap. 31. *Locuſtarum* (inquit) *in Africa multitudinem prodigii ſimilem fuiſſe, cum iam eſſet populi Romani prouincia, literis Ethnici mandauerunt, conſumptis enim fructibus, foliiſque lignorum, ingenti, atque inæſtimabili nube in mare dicunt eſſe deiectam: qua mortua, redditaque littoribus, atque hinc aere corrupto, tantam ortam peſtilentiam dicunt, vt in ſolo regno Maſſiniſſæ octingenta hominum millia periiſſe*

ruiſſe referantur, & multo amplius in terris littoribus proximis. Hæc ille, quæ etiam Oroſius.

PH. Admiror eas ad nos etiam vsq; peruenire ex ipſa Africa, eiusq; rationem addit Strabo lib.17. quod ex diuturna Africæ ſiccitate ſtagna exſiccantur, illoq; luto locuſtæ pro latitudine ſtagnorum generantur: præſertim imbribus numquam ea ſtagna humectantibus.

EQ. Nec in Italiam tantum transuolant, ſed etiam Conſtantinopolim: nam ſub Comneno Alexio, vti in eo habet Zonaras, locuſtarum infinita multitudo ab occidente orta, & tanta, vt inter volandum nubibus æquipararetur, & Solem obumbraret, vrbe maxima, & finibus eius peruolatis, quieuit. Aliquando & in Germaniam, cuiusmodi contigit anno Domini 1542. vt ſcribit Surius. Illa (inquit) æſtate innumera ingentium locuſtarum turba Italiam citeriorem, & in Germania Sileſiam, Miſniamque multa clade affecit: habebant digiti longitudinem, turgida capita, ventres obeſos, & ſanie refertos. Itaque extincti intolerabili fœtore aerem corruperunt, vt etiam corui, cornices, accipitres, aliæque aues cadaueribus alioqui inhiantes ferre nequiuerint. Sed & anno 1543. idem Surius, locuſtæ illæ (inquit) quæ ab Oriente per Illyrium ſtupendis agminibus in Italiam conuolarant, maximaque paſſim damna dederant, Turcarum aduentum portendere viſæ ſunt, neq; id prorſus temere: nam & Turca Rhegium occupauit, Romæque trepidatum eſt, dum Hoſtiæ ſubſediſſet. Nicæam capit, Chriſtianorum armis abducit plus 5200. 200. ex iis ſacras virgines, & prædam ſexcentorum millium ducatorum: quam tamen iterum amiſit in freto Siculo, à Garſia Neapolitano Prorege recuperata magno Dei beneficio.

PH. Nec in Italia aut Germania tantum lues huiusmodi fuit, verum aliquando & in Polonia, cuiusmodi an. Domini 1541. teſte eodem Surio. Fuit (inquit) hoc anno incredibilis multitudo ingentium locuſtarum in regionibus Poloniæ regno finitimis. Hæ primo nullas habebant alas, ſed magnos dabant ſaltus, paulo poſt quatuor adeptæ ſunt: tantaque multitudine prouolarunt, vt duo milliaria in longum, & latum cubito tenus ita occuparent, vt Solis quoq; ſplendorem à toto illo terræ ſpatio ſua denſitate excluderent. Transuolabant aquas, arbores, ædes, & obuia quæq;. Cum alæ ſuccreuiſſent, erant magnitudine humani digiti, & tunc atrocius graſſabantur in fruges, & ea, quæ in vſus hominum neceſſario gignit humus. Tota ęſtate nulla neq; vi, neq; arte earum ſæuitia retardari potuit, ſed in Autumno denique cœlo frigeſcente, extinctæ ſunt, atro poſt ſe relicto ſemine, vnde proximo anno alii vermes orti ſunt. Fuit ea proculdubio plaga, & adnimaduerſio Dei in hominum peccata: putatęq; fuere non abſimiles fuiſſe Ægyptiis illis, quarum in Exodo fit mentio. Extiteruntq; primò in Valachia, cunctaq; in circuitu Leopolim vsq; milliaribus circiter ſexaginta ad ſolum vsque deuorarunt.

TH. Memini illo tempore ob has clades, cum Italiam vexarent, & cenſuris Eccleſiaſticis animaduerſum in hanc impiam vaſtationem turpiſſimorum animalium, datis hinc inde aduocatis, atq; patronis, vt proceſſus formula ſeruaretur, cuiusmodi conſtat in Conſiliis Hieronymi Grati. Propterea abſque dubio hominis cuiuspiam vitæ ſanctitas huiusmodi Dei iram facile auertit. Aphraates enim religioſiſſimus vir, teſte Theodoreto in Philotheo, cum in Perſide magna locuſtarum vis more flammæ omnes terræ fructus, ſegetes, plantas, & nemora, ac prata deuaſtaret, rogatus à pio quodam, vt agellum ab huiusmodi clade defenderet, vas aquæ

ferri

ferri iubet, manuq; illi impoſita, Deum rogat, vt elemento illi ſuam gratiam impartiatur: abſolutis precibus, iubet vt agelli fines aqua illa aſpergantur: quæ pro Imperio ſparſa, ſe inexpugnabile, atque inuiolabile illius agelli munimentum præſtitit. Nam cum vsque ad illius fines locuſtarum acies perueniſſet, diuinam aquæ potentiam verita, & tamquam aliquibus habenis repreſſa, retrogreſſa eſt: ſane & reliquorum agrorum ſalus eadem fuiſſet, ſi reliquorum agrorum domini à Deo eadem poſtulaſſent; ſicut in Mazania ad Sibarim, cum Iunio menſe locuſtarum multitudo nebulæ inſtar totam regionem operiret, frugesq; ac fructus omnes deuoraret, incolæ ſupplices ad Theodorum Siceorum contenderunt, vt ſuis precibus tantam calamitatem expelleret. Profectus ille cum eis ad S. Euenici Eccleſiam, ipſeq; tribus acceptis locuſtis in manu ſua, pro populo Dominum obſecrabat, atq; interim tres illæ locuſtæ in eius manu mortuæ ſunt, & gratias agens Deo dixit ad populum: Deus celeriter miſericordiam ſuam nobis oſtendet. Igitur in S. Euenici templo diuinum ſacrificium peregerunt: poſtero autem die in agros egredientes locuſtas omnes mortuas inuenerunt, & Deum collaudauerunt; vt ſcribit Georgius Presbyter miraculi inſpector in vita huius Theodori apud Lipom. Tom. 7. Sic igitur diuina bonitas diuinis placatur ſacrificiis.

PH. Locuſta igitur ſua imbecilla vi etiam ſerpentem morſu necare, & cum peperit, mori tradunt.

EQ. Id dicemus pluribus in ſerpentibus. Sed de locuſtis hactenus.

Scorpio. TH. Scorpionum quoq; multitudo venenata, quæ non fruges, ſed homines necat, equidem eſt admiranda. At noſtro à cœlo longe abeſt huiuſmodi lues. Ariſtot. de admir. cap. 26. tradit ex Suſis in Mediam proficiſcentibus ingentem adeo ſcorpionum copiam ſecundo die in itinere reperiri, vt Rex Perſarum iter faciens per triduum ibi ſit commoratus, ſcorpionumque venationem imperarit, certis præmiis conſtitutis, ſi quis plures ſcorpiones interemiſſet. Quin addit Ælian. hiſt. animal. lib. 15. cap. 26. niſi hoc fiat, locum illum tranſiri non poſſe, quod ſubter omnem lapidem, & ceſpitem abditus ſcorpius vbiq; latens maneat. Sed Dei gratia nos in Europa protegit ab huiuſmodi lue.

PH. Mira ſane in ſcorpiis eſt doloſitas iuncta veneno; ſcribit enim Clemens Alex. Strom. lib. 1. in Lybia ſcorpium, ſi ei non ſuccedat, vt hominem feriat, abire, ac reuerti cum pluribus, alterum autem ab altero inſtar catenæ dependentem, ita moliri inſidias, non obſcuro nutu beſtiis inuicem vtentibus, quod explicatius narrat Ælian. hiſt. anim. lib. 6. cap. 22, *Libyci* (inquit) *ſcorpiones doloſiſſimi ſunt: itaque Libyci ſuſpenſis lectis dormiunt. Sed ſcorpiones aliquando à tecto ita deſcendunt in lectum, vt catena videatur, dum cauda, ſeu aculeus prioris brachiis adiungitur, & tertius ſecundo, & quartus tertio, & omnes eodem quoque ordine ſeruato feriunt, dum qui momordit, alteri ſibi proximo viam ſternit.*

TH. Audio tantam eſſe huiuſmodi etiam proximæ Æthiopiæ ſcorpionum copiam, vt citra Cynamolgos Æthiopas late deſerta regio ſit à ſcorpionibus, & ſolfugis gente ſublata, vt Plinius narrat lib. 8. cap. 29. Et quod eſt admirabilius, tradit Pammenes in eo opere, quod de venenatis conſcripſit, ſcorpiones alatos in Ægypto naſci duplici etiam aculeo armatos, ſeſeq; vidiſſe teſtatur: vt habet Ælian. hiſt. anim. lib. 16. cap. 41.

EQ. Alatos in Africa teſtantur & alii; quod Plin. ſcribit lib. 11. cap. 25. Nam in Africa (inquit) ſcorpium animal volucre auſtri faciunt pandentibus brachia, vt

remigia

remigia ſubleuantes. Apollodorus plane quibusdam ineſſe pennas tradit. Quin etiam & in Polymbrota iuxta Gangem alatos eſſe ſcorpiones ſcribit Ramuſius Tomo primo. Sunt autem alati, ac longe maiores apud Seres. Strabo lib.15. & lib.17. Quin in illis ſeptem nodos eſſe in cauda teſtatur.

TH. Admirabilius quod Ariſtoteles tradit in Latino Cariæ monte à ſcorpionibus hoſpites non lædi, indigenas vero ab illis interimi. Plin. lib. 8. cap. 59.

PH. At tanto malo Deus ac natura occurrere ſtatuerunt. Scorpius enim ipſe iis eſt medicina, quos vulnerarit, vt tradit Baſilius exemero hom. 11. Nam homini icto putatur eſſe remedium ſcorpionum cinis potus vino. Plin. lib. 11. cap. 25. quanquam alii putarunt, ſi ſcorpius, qui læſerit, accipiatur, & vulneri impoſitus ibi occidatur compreſſus, vt ſic ſuccus eius medelam afferat, effuſo veneno.

EQ. Omittantur quæſo venenata hæc, & diſſeramus de cicada, quæ ſe ab omnibus cupit audiri, obeſſe nulli prorſum intendens contra id, quod ſcorpii agunt lædentes, ſeque non prodentes è latebris. Sunt etenim & ſtolidæ huic volucri inſita ſua miracula. Noſtro hoc cœlo admodum canoræ ſunt vsque ad moleſtiam: at contra in inſula Seripho naſcuntur, & viuunt mutæ; mutæ quidem ob loci poſitionem: nam ſi alio migrent, aut portentur, loquaces, & canoræ ſunt. Ælian. hiſt. lib. 3. cap. 36. Ab aeris enim & aquarum frigiditate ex Theophraſtis ſententia loquacitate carent, ſicut & ranæ ibi mutæ; alibi canoræ, ſi transferantur. *Cicada.*

PH. Sunt etiam Cicadæ mutæ in Macedonia, ob locorum frigiditatem, vel eodem Theophraſte teſte, vt tradit Ælian. hiſt. lib. 3. c. 34. Quin & in Italia quoque mutæ ſunt apud Rheginos. At Locrinæ ibi proximæ canoræ præcipue ſunt, teſte Solino c. 7. Vinc. hiſt. natur. lib. 20. cap. 125. Atque ita fit, vt non frigoris ratio ſit cauſa taciturnitatis, ſed alia quæpiam occulta. Propterea Plin. lib. 11. cap. 27. ignota quadam ratione tradit, cicadas agri Rhegini mutas quidem eſſe, at translato flumine ſtatim eſſe canoras. Strabo tamen libr. 6. cum dicat, Rheginas cicadas mutas trans flumen, iuxta Locrin loquacitate innata vti, cenſet cœlum Rheginum valde ob imbres humeſcere, atque cicadas non facile alias ad cantum commouere poſſe, cum contra ſit in Locrino agro, vbi feruentior Sol ſit.

At in cicada longe magis admiror, animal cum ſit, ore eam carere, rore victitare, nullumque excrementum illi in aluo reperiri, vt ſcribit Ariſt. hiſt. anim. lib. 4. cap. 7. Sed maxime admirari oportet, quod ſi cicadæ cantanti excidas caput, viuit adhuc, diuque canit in pectore, quandoque etiam auolat, vt ſe expertum dicit Albertus Magnus anim. lib. 26. in cicada. Hactenus de Cicadis.

EQ. Et ſi libet huic inſectorum Dialogo finem imponamus, nollem tamen omittere, quod miraculi loco habendum mihi videtur, videlicet in annulloſis, & inſectis maſculis eſſe fœmineum ſexum, fœminis maſculinum, atque ita fieri, vt fœminæ concipiant à maribus; ſed genitale ſit oblongum fœminis, quo hauriant à maſculo, ita tradit Ariſtot. hiſt. anim. lib. 5. c. 8. In inſectis (inquit) animantibus mas in fœmina genitale nullum inſerit membrum, more animalium cæterorum: ſed fœmina ſurſum in maris receptum vltimum caudæ ſuæ meatum quendam producens reflectit. Cui accedit & Vinc. hiſtor. natur. lib. 20. cap. 76. Quorundam (inquit) fœminæ maribus imponunt membrum recipiens ſemen, & hic modus inuoluitur ad inuicem in coitu longa mora. Atque ideo non fuerit abſonum, ſi quis dixerit, inſecta maris & fœminæ ſexum habere, ſed mares concipere: nam ſi membrorum forma mares efficit, fœminas vero natura formæ diminutæ edidit, conſe-

quens eſt, vt ſi quæ prægnantes fiunt in inſectis membris ornatiores ſunt compare ſuo, mares dicantur.

Pulices. Pediculi.

TH. Animantium omnium minima inſecta videntur eſſe, & inter inſecta pulices & pediculi, & in iis magna miracula: nam de pulicibus illud conſtat, etſi in duas partes diuidantur, reuiuiſcere; liber de natur. rerum. Vinc. hiſtor. natur. lib. 20. c. 152.

EQ. Et quanquam exiguum animal ſit, in Memphi tamen vrbe compertus eſt aurifex, qui aurea catenula pulicem alligarit, fueritque ob eam induſtriam donatus magnis præmiis. Leonius de reb. Afric.

TH. Pediculis ſuam vltus eſt Deus iniuriam. Nam plaga tertia, qua ciniphes diuexabant Ægyptiorum corpora ſub Pharaone, fuere pediculi. Exod. 8. Id enim atteſtatur Ioſeph. Antiquit. lib. 2. c. 13. Dionyſ. Carthuſ. de quatuor nouiſſ. art. 37. Propterea Caluinus hæreſum ſuarum culpa vltorem Deum expertus eſt hac pediculorum animaduerſione fœdiſſima mortem ſubiens, vt memorat Surius in commentario, quod etiam inter Ethnicos Syllæ accidiſſe authores perhibent.

Cochleæ.

EQ. Cochleæ quoque quanquam omnium animantium ignauiſſimæ & ſtolidiſſimæ ſint, nihilominus concordiæ inſigne exemplum præbent: inuicem enim hærere eas compertum eſt vuarum modo. Plin. lib. 8. cap. 39. Ita fit, vt cuique rei ſua ſit virtus addita.

Inſecta breuis vitæ.

TH. At pro Colophone huius Dialogi mihi videtur non prætermittendum, inſecta quædam adeo breuis vitæ eſſe, vt oriente Sole naſcantur, occidente eo moriantur, quaſi ab illo vitam habeant, donec ab eius attingantur radiis, aut lumine. Eſtque huic animalculo nomen Ephemerum, Ariſt. de ea. hiſtor. animal. libr. 1. cap. 5. *Animal, (inquit) quod à vita die vno deſcribenda Ephemerum appellatum eſt, pedibus quatuor, penniſque totidem mouetur, quod non ſolum vitæ ſuæ ratione proprium nomen merito habet, ſed etiam illud eſt in ipſo maius miraculum, vt cum quadrupes ſit, volucre quoque ſit.* Eadem quoque fere repetit hiſt. animal. lib. 5. cap. 19. *Hypanis fluuius* (inquit) *apud Cymmerium Boſphorum ſub ſolſtitio defert veluti folliculos acinis maiores, quibus quadrupedes volucres erumpunt: quod genus animalis in poſtmeridianam vſque diem tempus viuit, mox deſcendente Sole macreſcit, & languet, vnde Ephemerum, id eſt, diarium appellatum eſt.* Eadem Bocatius in Hypani fluuio, adiiciens, animal hoc infans mane eſſe, iuuentutem tenere meridie, veſpere ſenio confici, & mori.

EQ. Plinius eadem propemodum habet lib. 11. cap. 36. Hypanis (inquit) fluuius in Ponto circa ſolſtitium defert acinorum effigie tenues membranas, quibus erumpit volucris quadrupes, nec vltra diem viuit, vnde Hemerobios vocatur. Sed & Ælian. hiſt. lib. 5. cap. 43. ſic habet: Ariſtoteles ait, beſtiolam apud Hypanim fluuium vnum diem viuentem ſub lucem matutinam naſci, poſt autem Solis occaſum extingui.

PH. Idem Ælianus genus aliud Ephemeri tradit: Lib. enim hiſtor. anim. 2. c. 4. *Ephemera* (inquit) *animalia vnum diem viuunt: ex fece vini aceſcente originem trahunt, aperto dolio, vt in lucem ſuſcepta ſunt, vita excedunt.* Quod eſt admirabilius, quam ſit illud Ariſtotelis: à luce enim vitam ſumit, à tenebris mortem; hoc autem à tenebris vitam, à luce mortem incurrit.

Vitam renouantia.

TH. Excedit & hoc miraculum inſectorum illorum naturam, quæ vitam ſuam renouant, ſicut vna die ac nocte ſolet ſerpens: quod tradit Ariſtot. hiſt. anim. lib. 8. cap. 17. Nam ex inſectorum genere non pauca animantia ſunt, quæ ſibi iuuentu-

uentutem renouent, ſenectute depoſita, vt ſilpha, culex, & ea, quorum pennæ vagina continentur, vt ſcarabei, ſed & cicadæ, & cancri, qui ſæpius anno exuere ſuam ſenectutem memorantur, vt eodem loco Ariſt. memorat.

EQ. Sunt, quæ renouent iuuentutem, innumera inſectorum generis animantia, præcipue vero, quæ cruſta teguntur, vt eodem etiam loco affirmare Ariſtotelem memini: ſed renouare vitam, tranſireque rurſus moriendo in eandem vitam, priore dimiſſa, dicam quid ego aliquando in Apulia compererim. Papilionum genus eſt quoddam, non equidem candidum, ſed aut ſubalbum, aut nigrum valde; cum mori vult, ſub trabe ſeſe de cauda filo ſuo ſuſpendit, ibique capite deorſum inuerſo, diu manens moritur: deinde cum exſiccata ſit omnis cutis, intra aluum noua proles gignitur ex ipſo, eruptaque cuti, promanant vermiculi breuiſſimo tempore alas emittentes, & in papilionem euadentes etiam auolant. Id oculis conſpexi propriis. Vidi eadem in prouincia, bombyces quoſdam papilionum more euolare, deinde ſub trabibus aut tectis fuſum, folliculumque texere ſicut bombyces ſolent, in eo incluſos mori, ac poſtea erumpere, & rurſum in papilionem euadere. Is fuſus, aut folliculus ſerico perſimilis eſt forma, ſed duriore ruſticioreque lana. Vidimus etiam in eadem prouincia veſparum quoddam genus, lapillos marmoreos milio maiores manibus volantes ferre, & mutum cæmento addito exædificare, & vndecunque occludere ſibi domum, præter exiguum foramen ad egreſſum, firmitateque ſuperare marmorea ædificia.

Ad idem renouandæ vitæ miraculum non erit inconcinnis illa narratio, quæ de Alphora verme tradita eſt. Primum enim vermis eſt, poſtea in piſcem tranſit, rurſum ſi tabe aliqua conſumatur, is piſcis extra aquam ſe recipit, & etiam defluxa omni carne vsque ad caput ipſum, & oculos; ſi in aquam remittatur, corpus, quod fuerat abſumptum, carne rurſum veſtitur, velut renouatum, imo potius renatum. Mirum hoc reſtauratum corpus longe viuacius eſſe, quam ſi incorruptum ſemper fuiſſet: nam accedit illi longæuitas, cum antea breuiſſimæ eſſet vitæ. Ita fit, vt mortificatio, ne dicam mors, longæuitatis illi cauſa fuerit. Albertus Magnus tradit de animal. lib. 24. in Alphora. *Alphora vermis, fit piſcis.*

TH. Si quid eſt inter animantia, quod repræſentent nobis Chriſti verba, certe eſt hoc animal; nam cum ille dixerit: *Niſi granum frumenti cadens mortuum fuerit, ipſum ſolum manet:* hoc animante perſpicuum fit, vitam morte ſemper in melius commutari; rurſum illud Chriſti verbum nos docet: *Qui animam ſuam vult ſaluam facere, perdet eam, & qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.* Certe hoc animal id indicat, tum demum vitam longam nobis aduenire, cum breuem contemnendo mortificationem experiemur vsque ad caput, id eſt, fidem, aut oculos, id eſt, interitum propriæ conſcientiæ. Tunc enim, ſi aqua nos rurſum acceperit, id eſt, lachrymis animam noſtram alluentes immergemus, reſtituetur caro, ac vita noſtra longæuior. Sed de hac re hactenus.

AVES
COLLOQVIVM SEXTVM.
PHILOSOPHVS.

PRiusquam dies illuceſceret, audire mihi videbar auem mira loquacitate humanos quoſdam ſonos imitantem, adeo vt ipſo initio non auis loquacitatem,

ſed mulieris verba putarim: at vbi attentius animum adieci, facile dignoui picam eſſe.

Pica humana fere voce vtitur.

EQ. Pica eſt egregie docta humanas voces referre: quidquid accidit, etiam aliarum auium concentus imitatur, etiam pecudum, boum, caprarum, ſuum, equorum ſimul, & aſini, nemine illi præceptoris aut inſtitutoris officium præſtante.

TH. Iure & in auibus Dei laus inſonat: nam & benedicere Deum etiam eorum officium eſt. Pſalm.8. *Benedicite* (inquit Dauid) *omnes volucres cœli Domino, &c.*

EQ. Admirabilius in ea ſemper contemplatus ſum, adeo eſſe cicurem, omnibusque tam familiariter conuiuere, & tractari, perinde ac nihil irrationale in ea ſit: in ſyluas euolat, reliquis auibus miſcetur, redit deinde in domicilium ſuum. Quamobrem vt & ſpectaculum videamus iſtud, & vt de auium admirandis ratiocinemur, commodius progrediamur in apricum hunc proximum campum, ibi domus eſt non ignobilis, horto ſecretiore percommode conſito ornatoque. Ibi quoque auium plurimarum viuarium eſt non contemnendum, ſub porticu ibi licebit conſedere nobis, & diutius diſſerere.

PH. Rationem ſoli homini eſſe, qua & bona à malis, & vtilia ab inutilibus internoſcat, finemque, in quem actiones omnes dirigantur, cauſasque per ſcientias perdiſcit ſolus ex omnibus animantibus homo: at nihilominus, vti ſolent homines à ratione ſæpiſſime diſcedere; ita animantibus ſeſe perſimiles efficiunt, quamobrem bruta à Deo ita procreata ſunt, vt ſingulis vitiis comparentur, diſcatque inde homo ex proprio vitio, cui beluæ ſit comparandus: deinde etiam in iiſdem brutis natura quasdam virtutum inſeruit imagines, vt ex eis etiam homo ad virtutum cultum longe magis excitetur, de quibus rebus frequens offeretur occaſio in animalium proprietatibus enarrandis. Quoniam igitur auium aliquanto ſublimior natura videtur, cum ſuprema ſemper petant, cœlumque videantur inhabitare, terrenis rebus ſe longius remouentes, rationis ſymbolum aliquod videntur aues habere ſupra reliqua quæcunque animantia; propterea ſola auis ad loquendum docilis, ideo animantia reliqua muta dicuntur.

EQ. Placuit intelligere, cur animantia omnia muta dicantur, cum tamen mugiant, rugiant, hinniant, vlulent, latrent, & ſæpe etiam hominum verba referant, vt hyæna: aues autem mutæ non dicantur, quia inter eas plurimæ alienas etiam humanas voces imitentur; & id apertiſſime videmus in cornicibus, coruis & pſitacis.

Cornix loquax.

Turdi.

PH. Cornix mire eſt docilis: ſcribit enim Plinius, ſeſe vidiſſe cornicem in vrbe Roma è Bætica, exprimentem plura verba ordine contexta, & alia atque alia crebro addiſcentem. Hæc ille libr.10. cap.43. Sed admirabilius eandem turdis vim loquendi eſſe, cum omnium auium fatuitatem ſtoliditate ſua ſuperent; ex ipſis enim datus eſt prouerbio locus, *Stultos, vt turdos ſibi malum cacare*, id eſt, verbis fieri captiuos, ſicut viſco ſui ſtercoris capitur turdus. Hæc igitur auicula mire ad loquendum docilis eſt. Nam Agrippina coniux Claudii Cæſaris prima (nam nunquam antea) turdum habuit imitantem ſermones hominum, vt vidiſſe ſe teſtatur Plin. lib.10. cap.42.

Sturni & Luſcinia Græce & Latine locuti.

EQ. Plinius ibidem teſtatur, vidiſſe ſe etiam ſturnos & luſcinias apud Cæſares Græco atque Latino ſermone dociles, præterea meditantes in diem, & aſſidue noua loquentes longiore etiam contextu.

PH. Maius miraculum eſt de coruis: nam Tiberio Principe coruus ſutoris adeo mature ſermoni aſſuefactus eſt, vt omnibus matutinis euolans in Roſtra, in forum

forum verſus Tiberium, deinde Germanicum & Druſum Cæſares nominatim, mox transeuntem populum Romanum ſalutaret, poſteà ad tabernam remearet. Plin.lib.10.cap.43. *Corui ſalutatio.*

TH. Pſitacis plurimum veſtigium ineſſe rationis videtur tum è loquacitate, tum aſtu: cum etenim vereantur ſerpentum inſidias in Africano Regno Nigritarum, nidum ita conficiunt ex iunco & ſcirpo, vt quaſi è filo eum propendulum demittant ab vnico iunco è ſummis ramorum cacuminibus, palmæ aut aliarum ingentium arborum. Nidus rotundus eſt, ſphæræ modo, vt potius pila, quam nidus videatur, perexiguo foramine ſeruato, vt habet Aloyſius Cadamuſtius. Cum igitur pateat ipſorum ſolers ingenium, patere hinc etiam poteſt induſtria viſque in aniſculo admiranda ad loquacitatem, ad exprimendas non dicam dictiones ſingulas, aut verba tantum, ſed quæ ad integras etiam ſententias valent, vt Solin. ſcribit cap. 53. & vt habet Plinius lib.10. cap.42. *Humanas voces reddunt, etiam ſermocinantes. Ex Indis mittuntur, Imperatores quoque ſalutant, & quæ accipiunt verba pronunciant.* Hæc ille. *Pſitaci rationales.*

Compertumque eſt, aliquando garrulitate ſua ſalutem hominibus attuliſſe: cum etenim Baſilius Macedo Imperator filium Leonem in carcerem conieciſſet, quod mortem ſibi machinaretur, eruturus ei oculos, pſitacus, qui ſeruum quendam deplorantem vicem Leonis audiiſſet, & perpetuo clamantem, ô Leo, ô Leo, ipſe quoque ſponte vocem imitatus, clamauit, ô Leo, ô Leo, dum Imperator Senatoribus in conuiuio adeſſet: conuiuæ igitur ex ea volucris voce occaſione arrepta, pro Leone deprecaturi è conuiuio ſurrexerunt, & oppleti lachrymis dixerunt, An non iſta auis nos accuſat, cum Dominum ſuum appellet? Depone Imperator iram, & eum paterno vultu recipito. Ita mitigata ira Imperatoris, reſtitutus eſt, Zonaras in Baſilio Macedone. Hinc diſcamus, auiculam homini aliquando ſalutem afferre: pſitaci enim non ſunt aliquando maiores paſſeribus, licet aliquando etiam gallinaceis maiores ſint, vt ſcribit Petr. Martyr in ſummar. tamen omnes loquaces ſunt. *Homines quandoque ſua ſaluarunt loquela.*

EQ. Hodie multi hominum vt aues de fide garriunt, Chriſti fidem eodem modo pronuntiant quo pſitaci, quid credant neſcientes. Eſt enim admirandum ſupra omnia, quod ſuo tempore viſum teſtatur Cælius Rhodiginus lib.3.c.32. Cardinalis Aſcanii pſitacum perpetua ſerie recitaſſe Latino idiomate fidei ſymbolum, nullo penitus errore in eo recitando commiſſo.

PH. Eſt hoc certe longe admirabilius. At ad imitandum ſi non verba, ſaltem ſonum aliæ aues reperiuntur: nam anthus herbis ſi paſcatur, adueniantque equi, ipſa auolat fugiens, ſed ipſorum hinnitum apertiſſime imitatur, atque iniuriam acceptam incommodati ſibi pabuli quaſi deriſione vlciſcitur, vt habet Plinius libro 10.cap.42. *Anthus.*

EQ. Eſt & alia auis, cui in Arelatenſi agro nomen eſt Taurus, quod boum mugitus aperte imitetur, ex eodem Plinii lib. 10. c. 42. Eſt quoque memorabile, quod aliquando legi, in Braſilia auem eſſe, cui nomen Aſina eſt, aſinorum rugitum voce ſua imitantem, vt ſcribit Ioſeph Ieſuita ex Braſilia 1560. Hanc autem achantem appellari putat Albertus Magnus, nec aſini tantum, verum etiam equi vocem referri dicit anim. lib. 23. litera A. vt ita coniiciamus, achantem hanc eſſe eandem cum antho, de qua diximus ex Plinio. *Taurus.* *Aſina auis.*

PH. Huiuſmodi autem non putarim imitari aſini vocem, ſed congenitam habere: ea enim deformiſſima auis eſt ſingulis alis, tria habens cornua, atque vnum

etiam in capite. Canes inſultantes contemnit, quos, ſi propius accedant, alarum cornibus percutiens fugat, vt idem Ioſeph conſcripſit.

TH. Docilitas igitur auium longe antefertur reliquorum animantium docilitati, quoad vim eloquendi, & vocalitatis; at in reliquis rebus peragendis ad obſequendum homini etiam bruta & muta edoceri poſſunt. Sed nec huiuſmodi rebus aues quædam cedunt quadrupedibus. Cardueles enim imperata facere perdiſcunt

Cardueles. pedibus, & ore: cum enim è fune hinc cibus, hinc potus propendeat, auicula hæc fune cibum ac potum ſibi è profundo trahit alternatim laborans, quod ſenſiſſe aut vidiſſe coniicitur Plin.lib.10.c.42.at nos quotidie experimur.

EQ. Si de his rebus diſſerere libet, non deeſt argumentum ratiocinandi: nam aues quædam in Taprobana Inſula ita edoctæ pueros in aera eleuant, incolumeſque in terram reſtituunt parentibus, ſuntque cicures admodum, domique ſtudioſe etiam edocentur, vti ſcripſit Diodorus Siculus, recolit Ramuſiuſque Tomo I.

PH. Taprobanæ Inſulæ ſunt alia quoque admiranda de auibus: nam quod Amalphitanis debemus Magnetis vſum, quo nauigandi ars ad quæque loca dirigitur, etiam Septentrionibus non conſpectis, magno naturæ miraculo, vt ſcripſit Iouius hiſt. lib. 25. in fine, nihilominus abſque Magnete, cum ex illa Inſula Septentriones non videantur, Magnetiſque vſus ibi ſit incognitus, nauigaturi aues quaſdam cicures alunt, & in nauigiis ſecum vehunt, quorum volatus perinde ac dirigendi itineris magiſtros habent, vt tradit Solin. c.54. Idemque Romæ fuiſſe enarratum à Legatis Regis Taprobanæ, qui Romam miſſi fuerant amicitiæ ineundæ cauſa, explicat Plin.lib.6 c.22.his verbis: *In mari Taprobanæ nauibus vtriuſque proræ ſyderum in nauigando nulla obſeruatio Septentrio non cernitur; ſed volucres ſecum vehunt, emittentes ſæpius, meatumque earum terras petentium comitantur. Nobis diligentior notitia Claudii principatu contigit, Legatis etiam ex Inſula aduectis.* Hæc ille. In Noruegia autem horologii aues vicem implent, cum totis tribus menſibus Sol ſemper videatur, neque crepuſcula agnoſci poſſint: cornices enim conticeſcunt interdiu, deinde canentes conſuetos Solis occaſus indicant, atque ita incolæ horas eundi cubitum intelligunt. Quirinus in Naufragio.

EQ. Leonius de rebus Africis p. 8. narrat & aliud auiculæ genus officium exhibere in ſortibus peragendis, quod præſtare in Italia ſolent pueruli ad excludendam omnem fraudem propter ſimplicitatem & ingenuitatem. In ipſa enim vrbe Memphi auiculæ quædam aluntur cicures, quæ edoctæ tuto diligentique obſeruatione ab vrnis ſedulo opertis obſeratis ſingula ſyngrapha ordine extrahunt, & legenda publicandave offerunt ei, cuius id munus ſit.

PH. Columbarum non docilitas, ſed ſimplicitas longe admirabilior aliquan-

Columbæ internuntii. do fuiſſe adnotatur: nam internuntii munere defungi eas compertum eſt, vti ſcribit Iacobus Aconenſis Cardinalis, ac Vinc. hiſtor. natur. libr. 16. cap. 54. In ipſa etenim obſidione Mutinenſi Antonius & vallum & omnem cuſtodiam, etiam flumini retia adhibuerat, ne quis ex vrbe elabi poſſet, aut nuntium extra mitti. At D. Brutus obſeſſus Conſules, quorum caſtra per nuntios monere non poterat, columbis eſt vſus internuntiis, epiſtolis earum pedibus alligatis, quæ euolantes ad caſtra Conſulum peruenerunt. Teſtatur hoc Plinius libro 10. cap 37. Propterea iure M. Varro tradit, ſingula columbarum paria quingentis denariis à L. Axio Equite

Magni venditæ. Romano venditari conſueuiſſe, vti ibidem Plin. Eſt enim animal homini ſociale

fel

fel non habens; ideoque etiam in ſacris literis myſterioſum, vt habet S. Auguſt.ſuper Ioann. tract. 6. Adeo autem ſimplex animal vt beneficium, ita etiam oppidis perniciem tulit: pedibus enim columbarum ignis alligatus ab Olha Ruſcorum Regina Dreuulianorum vrbem hoſtili animo conflagrauit. Sigiſm. Baro in Ruſſia. Ramuſ. Tomo 2.

EQ. Poſtquam de internuntii officio auium mentio incidit, de ea re differere in animo eſt. Eſt inſigne exemplum, quod tradit Ælianus hiſt. animal. lib. 6. cap. 7. Marres enim Ægyptiorum Rex cornicem valde cicurem habuit, Regias literas citius, quam quiuis nuntius, volatu ſuo perferentem, nutibusque intelligentem quorſum ferendæ eſſent.

TH. Eodem internuntii munere etiam hirundines egregie perfunctæ ſunt ſimplicitate, non docilitate: nam Cæcinna Volaterranus Equeſtris ordinis, quadrigarum dominus, comprehenſas in vrbem ſecum auferens victoriæ nuncias amicis mittebat in eundem nidum remeantes illito victoriæ colore. Tradit & Fabius Pictor in Annalibus ſuis, cum obſideretur præſidium Romanum à Liguſtinis, hirundinem à pullis ad ſe allatam, vt lino ad pedes eius alligato, nodis ſignificaret, quoto die aduenien te auxilio eruptio fieri deberet. Hæc Plinius lib. 10. cap. 24. Eadem induſtria aliqui vſi ſunt, vt hoſtibus excidium per arundines attulerint. Hadingus enim Regis Gram filius, vlturus patris necem in Dania, collecta magna hirundinum copia, pedibus illigauit fungos igni accenſos; illæ euolarunt in conſuetas Dunenſium ædes, atque ita omnem Dunam vrbem incenderunt. Kran. Van. lib. 1. c. 7. *Hirundines internuntii.*

PH. Quod de hirundine recte dictum eſt, non à docilitate proficiſcitur, ſed ob id, quod memores locorum, vbi aut pullos reliquere, aut alias feliciter tempus tranſegerunt, eadem repetunt. Propterea Cæcinna, qui hoc nouerat, nuntii certiſſimum munus expectare ab hirundinibus potuit. Eſt ipſis innatum non facile ſolum vertere, niſi aduerſi aliquid à tempeſtate obtigerit. Scribit enim Ariſt. hiſtor. anim. lib. 8. cap. 16. aues, quæ ſolent ad tepidiora loca abire, ſi à tepidioribus locis longius abſint, non adniti ſedem mutare, quin eæ ſeſe condunt ibidem: iam enim viſæ ſunt multæ hirundines in anguſtiis conuallium nudæ, atque omnino deplumes.

TH. Id ita eſt: nam ſi in Germania, atque aliis Aquilonaribus regionibus, ad quas repente per æſtatem cœlo acceſſerant hirundines, frigore præueniantur, mutuo conglobantur perplurimæ, atque os ad os, pedem ad pedem, alam ad alam mutuo coniunguntur, atque ita ſe in aquas præcipitant, totaque hyeme immerſæ ita conglobatæ perſiſtunt ad vsque Ver proximum, vt tradit Olaus libr. 19. cap. 11. Quin etiam in gelu ipſo concamerato conſpiciuntur perinde, ac in vitreo vaſe, ferentes rigorem cuiuſcunque frigoris loco immobiles. Vnde fit, vt cicures nunquam conſpiciantur, ita fit, vt officio internuntii perfunctæ fuerint non volentes, ſed ignaræ.

EQ. Hirundinem docere aliquid impoſſibile homini eſt, ipſa potius hominem docet, vel Ver aduenisſe, vel medicam artem. Scribit etenim Ariſt. hiſtor. anim. lib. 6. cap. 5. pullorum hirundinis adhuc recentium oculos, ſi quis ſtimulo eos vexarit, reſaneſcere, & cernendi vim poſtea plane recipere, præcipueque id contingere in Samo, vbi albę ſunt hirundines, quarum oculos ſi quis pupugerit, ſtatim quidem excæcantur, at poſt viſum recipiunt. Tradit idem ex Ariſt. Ælian. hiſt. lib. *Hirundo medica.*

17.cap.19. Quin recepta videndi vis nihil hebetior eſt, quam antea fuerat, vt Ariſt. tradidit; quod etiam habet Plin. libro 25. capit.8. Medicam igitur hirundinem dixere, eamque hominis fuiſſe magiſtram, quod Chelidoniam herbam adinuenerit cæcitatis depellendæ cauſa. Plin. libro 8. capit.27. & libr.25.cap.8. Medicam etiam artem non hirundines ſolæ, ſed & Ibis edocuit homines rebus ipſis naturalibus. Compertum enim Ibis eſt nauem Ægyptiam roſtri aduncitate partem eam, qua excrementa emittuntur, quaſi clyſterio conſueuiſſe purgare, vnde & homini hoc imitari ſalubre fuit. Plin.libro 8. cap.27. Eſt enim auis prudens, nouitque Lunam creſcere ac decreſcere, ac vt Medicorum clyſteriis magiſtra rationem viuendi augmento Lunæ vel decremento perdidicit, & docuit. Ælian. lib. 2. cap.35. qui & libr. 10. cap. 30. addit Ibidis inteſtinum, cum ſex & nonaginta cubitorum longitudine ſit, in Lunæ defectione comprimi, & ſi pennis eius Crocodilus contingatur, immobilis redditur, alioqui etiam miraculo illuſtris, quod ore pariat, vt videtur Solino c.34.

PH. Vtrumque placuit tum de Hirundine, tum de Ibide: vt autem hirundines perſequamur, docuere etiam hominem aggeres fluminibus littoribuſque obiicere. In ipſo enim Ægypti Heracleotico oſtio hirundines euaganti Nilo continuatione nidorum molem inexpugnabilem opponunt ſtadii fere vnius ſpatio, quod humano opere perfici non poſſet, atque ita omnem humanam Regum potentiam ſcientiamque animalculum hoc ſuperat, docetque id, quod tamen homo ſua arte imitari non poſſet. Plin.lib.10.c.33.

EQ. Ibidem Plinius & aliud commemorandum ſcribit: *In eadem* (inquit) *Ægypto iuxta oppidum Copton Inſula eſt ſacra Iſidi, quam amnis vndique dilacerat. Hirundines igitur, ne eam flumen dilaceret, muniunt opere, incipientibus vernis diebus palea, & ſtramento roſtrum eius firmantes, continuatis per triduum noctibus, tanto labore, vt multas in opere emori conſtet, eaque militia illis cum anno redit ſemper. Aquam enim in puluerem important, & lutum faciunt, ac vt cæmentarii ſolent, commiſcent, atque ita murum ſtruunt: ſi igitur forte paſſer ſeptum ſuum nidum ingreditur, obſtruunt cæmento ingreſſum, vt ita ſuffocetur, ac poſtea ſuffocatum extrahunt.* Albertus Magnus etiam lib. 8. tract. 2. cap.3.

PH. Docuere etiam aues hominem multa, quæ ad humanam ſocietatem, ſed & ad politicam pertinere poſſint, vt de accipitre commemorant in Thracia. Scribit enim Ariſt.lib.de admiran.cap.113.his verbis: *Incredibile quiddam, & monſtro ſimile contingere dicunt iis, qui non viderunt antea in ea parte Thraciæ, quæ eſt ſupra Amphipolim: nam vbi pueri ex pagis locisque proximis exeunt ad aucupium, accipitres etiam aſſumere ad aucupandum aiunt hoc pacto: vbi in opportunum locum peruenerint, magna voce exclamantes vocant accipitres nomine, qui vbi puerorum vocem perceperunt, ad frutices accedentes obſtrepunt, vbi pueri baculis percutientes aues deprehendunt. Illud vero, quod omnibus eſt admirabile, cum ipſi accipitres aliquam auiculam ceperint, aucupantibus deiiciunt, ac pueri ex vniuerſa præda partem accipitri aliquam exponentes diſcedunt.* Eadem Plin.lib.10.c.8.

EQ. Hoc habet diſertioribus verbis Ælianus hiſt. anim. lib 2.c.42. Accipitres (inquit) in Thracia auditione accepi ad hanc rationem cum hominibus per paludes ſocietatem aucupandi coire: homines explicatis retibus quieſcere, accipitres vero ſuperuolantes excurrere, & aues intra retia compellere, Thraces, ſi quas acceperint aues, cum accipitribus partiri, eoſque tum ad aucupii ſocietatem fidos ha-

dos ha-

dos habere: ſin cum iis earum partem, quas ceperint, auium non communicauerint, diſſociari atque diſtrahi.

TH. Iure id fit; eſt enim contra naturæ leges ſocium fallere, præſertim non deſidioſum: præter id, quod cum carne accipitres alantur, non eſt putandum poſſe eos pane ali. Accipitrem enim panis necat, quo homo alitur. S. Auguſtin. de moribus Manich. lib. 2. cap. 8, Congruit igitur huic ſocietati auis pax alia, de qua habet Ariſtoteles de admir. cap. 114. Venetis enim (Scotiæ populi fuere) hoc accidit, vt in eorum regionem innumerabilis monedularum copia ſæpe inuolet, triticumq; ſatum comedat: hoc cum vereantur Veneti, priuſquam tempus aduolandi aduentarit, in editioribus locis terræ multiplicium fructum munera deponunt; ea niſi guſtauerint monedulæ, quaſi hoſtium impetum & incurſionem expectant incolæ. Congruit & alia rurſum pax illa, qua erga homines anates vtuntur non procul ab Auchieo vrbe Indica: concordi enim officio ad multa millia conueniunt, vt agrorum ſegetes noxiis herbis perpurgent: ac velut rationis particeps noxias tantummodo ſeligunt, non aliter, atque conducti operarii homines ſolent. Rerum ſin. p. 3. cap. 7.

PH. Sunt præterea aues quandoque etiam rerum humanarum iudices ac vindices. Quidam Lugdunenſis incola, vini mercator, vt lucra augeret, aqua miſcebat: atque non parum hac arte locupletatus eſt, cum aquam pro vino venderet. Nauigio igitur ad emporia traiiciens Ararim fluuium marſupium penes ſe pecunia oppletũ habebat: interim dum aliquid negotiatur, nummulum extrahit; marſupium vero, quod è pelle confectum fuerat, cum à miluo conſpectũ quaſi animal ob pilos putaretur, rapitur, & in ſublime fertur: at vbi miluus prędam ſibi nõ poſſe prodeſſe ſenſerat, cum carne, non ære ſaturetur, prædam dimiſit, quæ in profluentem lapſa vlterius conſpici nusquam potuit. Atq; hoc exemplo edoctus iniquus mercator lacrymabundus ſuam agnoſcens culpam dictitabat: Quo peccaui, eodem & iacturam patior, per aquam pecuniam congregaui, in aquam lucrum omne dilapſum eſt: hoc enarrat Greg. Turon. in glor. conf. c. 109.

TH. Incorruptus, & integer Iudex fuit hic miluus. Milui mores mercator eſt imitatus, igitur non niſi à miluo expectanda erat criminis huiusmodi animaduerſio. Verum ſunt & aues ſocialia iudicia Reip. modo exercentes; pſitacorum enim mira eſt ſolertia, ac prouida cõmunis tuendi boni circumſpectio. Quando etenim gregatim paſcuntur, obſeruatum eſt in Breſilia (vbi infinita propemodum copia eſt) ſemper in ſummo arboris duos, aut ad minus vnum conſedere ſpeculatorem, reliquis in humo depaſcentibus, is ex ſummo arboris cacumine quaſi ſpeculator euigilans proſpectat, ſi quid periculi ſuperueniat ſignum edit, quo reliqui poſſint euolatu ſaluti conſulere; ſin nullum cognoſcatur periculum imminere, peracto pabulo, & ipſi quoq; ſpeculatores deſcendentes depaſcuntur, vti ſcribit Ioſeph Ieſuita ex Braſilia 1560. Qua ex re optimorum paſtorum, atq; Reip. adminiſtratorum vigilantiam hinc exprimi nemo dubitabit.

Cui & aliud adiicit exemplum idem Ioſeph iisdem literis: tradit etenim auiculam quandam ibi eſſe, quæ cum pullos in nido alat, ſuperueniente aucupe, tantum abeſt, vt aufugiat, aut deſerat, vt potius eos alis contegat, ac ſe potius capi permittat. Vnde boni paſtoris exemplum trahitur, non eſſe deſerendum gregem, ſed protegendum vsque ad mortem.

EQ. Sunt & aliæ aues, quæ ſi capi permittunt ob ſummam ſtolilidatem, quæ

tamen nullo ſe periculo exponunt prolis tuendæ cauſa. In Inſula enim quadam Auſtrali vltra Æquinoctialem Africæ prorſus ſtolidæ aues cõpertæ ſunt è Veſpucio, quæ ſe tanta copia capi permitterent, vt nauigium oppleuerint, vt ipſe Americus Veſpuccius tradit. Ludouicus quoq; Barthema de rebus Æthiopicis c.3. ſcribit in promontorio bonæ ſpei aues, quantæ anates ſunt, adeo ſimplici à natura ingenio eſſe, vt accedentes homines fixo obtutu intuerentur, ſicq; capi permitterent, quin & captæ gratularentur.

TH. Vel hinc diſcenda Chriſtiana caritas, quæ & ſimplicitate polleat, & in aduerſis quaſi capta in Domino exultet iuxta Paulum: *Quare non magis fraudem patimini?* 1. Corinth. cap. 6. Tametſi aues ſilueſtres ſint, quibuſdam tamen ſanctis viris ſponte ſe cicures exhibuerunt, veluti S. Valerio contigit, in cuius manus ſponte volabant, Surius Tomo 2. quod etiam aliis contigit, vt dicemus alias opportune.

EQ. Hic bonus vir non admodum frequens hoc ſeculo fuerit, ſed vt Poeta dixit, *Rara auis in terris.*

PH. Non aliter quam rara eſt Phœnix.

TH. Poſtquam incidimus in Phœnicis mentionem, differendum de ea fuerit: nam plura tradidiſſe ſcriptores comperio.

Phœnix.

PH. Si libet à vetuſtioribus exordiri, Herodotus de ea habet lib. 2. cap. 5. quingentorum annorum vitam illi affirmans. Mela lib. 3. cap. 4. de volucribus (inquit) *Præcipue referenda Phœnix ſemper vnica, non enim coitu concipitur, partuue generatur, ſed vbi quingentorum annorum æuo perpetuo durauit, ſuper exaggeratam variis odoribus ſtruem ſibi ipſa incubat, ſoluiturque; deinde putreſcentium membrorum tabe concreſcens ipſa ſe concipit, atque ex ſe rurſus renaſcitur. Cum adoleuit, oſſa priſtini corporis incluſa myrrha in Ægyptum exportat, atq; in vrbem, quam Solis appellant, fragrantibus nardo buſtis inferens memorando funere conſecrat.* Hæc ille.

EQ. Vnde habita tanta temporis cognitio, quis id totum obſeruauit? in breui hominis vitæ ſpatio vereri oportet, hoc forte fabuloſum eſſe.

PH. Quod tot graues viri aſſeuerari auſi ſunt, veritati inniti videtur: quoniam communis ſenſus naturæ vox eſt. Solinus cap. 35. ſubſcribit his verbis: *Apud Arabes naſcitur auis Phœnix aquilæ magnitudine, capite honorato, in conum plumis aſtantibus, criſtatis faucibus, circa colla fulgore aureo, poſtera parte purpureus abſque cauda, in qua roſeis pennis cæruleus interſcribitur nitor. Probatum eſt quadraginta, & quingentis eam durare annis: rogos ſuos ſtruit cynnamis, quos prope Panchaiam concinnat in Solis vrbe, ſtrue altaribus ſuperpoſita.* Cum huius vita magni anni fieri conuerſionem rara fides eſt inter auctores, quamuis plurimi eorum magnum annum non quingentis, & quadraginta, ſed duodecim millibus 954. annis conſtare dicant. Plautio itaque Sextio, & P. Apronio Coſſ. Ægyptum Phœnix inuolauit; captusque anno octingenteſimo vrbis conditæ iuſſu Claudii Principis in Comitio publicatus eſt, quod geſtum, præter cenſuram, quæ manet, actis etiam vrbis continetur. Idem recolit Georgius Abbas apud Anaſtaſium Bibliothecarium anno Domini 50.

EQ. Si capta illa auis Phœnix fuit, ſuam reliquo tempore ſtruem conficere non potuit, cum vnica ſit; aut ſi capi tunc potuit, cur non etiam alias ab orbe condito tot ſeculis præteritis capta eſt? quæ ſi alias capta eſt, non vna fuit, cũ rurſum

ſum fuerit viſa; aut igitur Phœnix non fuit, aut non ſola. Propterea non ſine ſuſpicione fabulæ hæ audiuntur; præſertim quia Plinio videtur, iſtius auis hiſtoriæ auctorem primum fuiſſe Manilium Senatorem alioqui diligentiſſimum, atque doctiſſimum, cui vni tantam rem innotuiſſe non videtur veriſimile, quaſi reliquus totus orbis Manilio apud Deum fuiſſet inferior. Dicit igitur Plinius Phœnicem Claudio exhibitam falſam Phœnicem fuiſſe, cui & ego aſſentiendum puto. Induſtriam quoque illam Phœnicis in morte ſibi parando rogo, atque aliis non facile mihi perſuadendam vti veram puto.

TH. Sunt tamen etiam Sacrorum auctorum teſtimonia. Clemens Primus, Romanus Pontifex, & Sancti Petri Apoſtoli comes indiuiduus illo volumine, quod ſub Apoſtolicarum conſtitutionum nomine editum eſt, huius Phœnicis meminit, at non ita aſſerit, vt dubio procul probare videatur. Ad probandam etenim reſurrectionem, quam non facile gentibus perſuaderet, vtitur Phœnicis argumento, quam illi reſurgere credunt. Ille itaque gentile argumentum gentibus obiicit potius, quam reuera hiſtoriam eam probare videatur. Sic igitur ille. Aiunt Græci auem quandam eſſe ſoligenam, vberem præbentem reſurrectionis demonſtrationem, quam dicunt comparem non habere, ſolamque in mundo reperiri, Phœnicem appellant, narrantque eam poſt quingenteſimum annum in Ægyptum aduolantem, ſecumque copiam cynnamomi, caſſiæ, xilobalſami adducentem in loco, qui dicitur Solis ara, conſiſtere: ibique conuerſam ad aſpectum Solis ei, (vt aiunt) ſupplicem ſponte conflagrare, redigique in puluerem: ex cineribus autem vermem exiſtere, eumque concalefactum in nouam Phœnicem formari, alitemque factum in Arabiam, quæ eſt vltra Ægyptiacum ſaltum, aduolare. Hæc ille.

Ex quo Pontifice non mihi aperte conſtare videtur, probari hanc de Phœnice hiſtoriam, licet nec conſtet eam ab eo improbari. Sed Sanctus Cyprianus in expoſitione ſymboli, ſeu etiam is ſit Ruffinus Aquilegienſis, id, quod de Phœnice diximus, quaſi verum in hunc modum recenſet: *Quid mirum videtur, ſi virgo conceperit, cum Orientis auem, quam Phœnicem vocant, in tantum ſine coniuge naſci, vel renaſci conſtet, vt ſemper & vna ſit, & ſemper ſibi ipſa naſcendo, vel renaſcendo ſuccedat?*

PH. Sanctus etiam Auguſtinus de ea commemorat ſermone 18. ad fratres in Eremo his verbis: *Quid enim agit Phœnix, niſi quia dum ſeneſcit, ad partes calidiſſimas volat, ligna ſicciſſima congregat, & lignis congregatis, aliis ligna percutit, & ſic ignem accendit, & in eodem ſe comburi permittit: ex quibus cineribus vermiculus naſcitur, & poſtmodum Phœnix alia efficitur.* Hæc ille. Qui ſanctiſſimus Doctor probare videtur totius huius hiſtoriæ ſeriem.

TH. Magna eſt tanti viri auctoritas: nec eſt vertendum in dubium volumen ſermonum illorum ad fratres in Eremo, quaſi illius non fuerint: nam probari videtur Concilio Aquiſgrani ſub Ludouico Pio anno Domini 830. Citantur enim quædam in ipſo Concilio Aquiſgrani in cap. 112. 113. vnde fit, vt non temere ſit diſcedendum à tot probatis auctoribus, tametſi mira nimium res eſſe videatur. Præterea quoque Iſidorus lib. 12. cap. 7. eandem Phœnicis hiſtoriam quaſi veram commemorat.

EQ. Et ego non reluctabor, præſertim quoniam recentiores, qui orbem peragrarunt, id probant, inter quos Nicolaus de Comitibus. Is ſcribit in vlteriore India auem eſſe, cui nomen Semenda, trifido roſtro, ſentireq; ſe morituram: mortis igitur hora eam deferre ligna in nidum ſuum, cantillareque ſuauiter, atque alarum percuſſione incendere ligna, ipſamq; illo igne conſumi, indeq; vermiculum gigni, qui poſtea in auem creſcit.

Hic non de Phœnice meminit, neque vnicam auem eſſe, neq; tanto viuentem tempore: non ergo creditu difficile eſt ſibi mortem conſcire, & ſponte ardere, & rurſum ſuccreſcere; nam & hoc omnibus animantib. fere commune eſt generantibus: ardent enim omnia animantia concubitu, ac prope moriuntur; diſſoluuntur enim ſenſuum vires omnes, & quodam quaſi vermiculo ſuccreſcit animal. Ideoque tametſi à lignis ignem accendi nō pateat; ignis tamen eſt vrens omnis concubitus. Phœnicis igitur hiſtoria non erit vt falſa reiicienda, quandoquidem & eam probat Albert. Magn. animal. lib. 23. litera F.

PH. Ita plane eſt, nam & Hippocrates exiſtimabat coitum paruum eſſe morbum comitialem, quo omnes corporis compages, ſenſusq; paruo interuallo diſſoluantur, & velut extinguantur.

EQ. Atque ideo feliciſſima animantia eſſe illa exiſtimandum eſt, quibus generandis tanta turpitudo non exercetur. Sunt enim plurima, & auium nonnullæ etiam ſunt, quæ absque igne huiusmodi commiſtionis gignantur.

Vultur. *PH.* Vultur in primis rapaciſſimum animal eſt, neq; mas eſt, ſed omnes fœminæ ſunt: Baſilius enim in exemero hom. 8. tradit absq; coitu gigni, tamen fœtificare, centum annos viuere.

EQ. Ælianus hiſt. lib. 2. c. 46. idem affirmat: Vultures (inquit) omnes fœminę ſunt, non eſt vnquam maſculus, vento prægnantur, non nidificant, neq; oua excludunt, ſed pullos pariunt, iique ſtatim à partu volatiles ſunt.

TH. Sanctus etiam Ambroſius id aſſerit, ſcilicet eos ſine concubitu generare, & concipere. Albertus autem Magnus tradit experimento ſe didiciſſe vultures commiſceri & gignere, ita ille de anim. lib. 23. litera V. Sed & Iſidorus lib. 12. cap. 7. qui etiam addit centum annos viuere, ſicut & Baſilius ſcripſit. Eadem & Vincent. *Ætas eius.* hiſtor. natur. lib. 16. cap. 149. 152. Sed admiror illis tantam longæuitatem eſſe: cum tamen ſi vnguento roſaceo inungantur, moriuntur, vt habet Clem. Alex. prædag. lib. 2. cap. 8. Niſi forte quod cadauerum odoribus nutriantur, quaſi deliciis, ac roſa illis ob id peſtifera ſit, natura in contrarium operante: ſicut in ſcarabeo alias diximus.

EQ. Admirabilius eſt, quod de Barliathe, ſeu Berneca aue graues viri tradidere. Liber enim de natur. rerum, & ex illo Vincent. hiſt. natur. lib. 16. cap. 40. ita *Barliathes.* habet: *Barliathes ſunt aues de ligno creſcentes, quas vulgo Berneſtas, ſiue Bernecas appellat. Fertur enim, quod lignum de abiete marinis aquis incidens, quando ſucceſſu temporis putreſcere cœperit, humorem ex ſe craſſum emittit, ex quo denſato formantur paruæ ſpecies auium ad magnitudinem alaudarum; primum ſunt nudæ, deinde maturantes plumeſcunt, ac roſtris ad lignum pendentes per mare fluitant vsque ad maturitatem, donec ſe commouentes abrumpant, ſicque creſcant, & roborentur vsque ad debitam formam, harum multas & ipſi vidimus, virosque fide dignos, qui eas adhuc pendentes ſe vidiſſe teſtati ſunt: anſeribus minores ſunt, colorem habent cineritium ac nigrum, pedes vt anates, ſed nigros.* Hæc ille. His conſentit Odericus poſter. in fine, easq; aues in Scotia eſſe dicit. Recolit in Scotiæ Inſulis

ſulis Nebridibus 18.anim.mari gigni etiam Ortellius in Scotia, Bernecasq; nuncupat: qui etiam in Hibernia idem repetit adiiciens, indigenas in Hibernia eis veſci ieiuniorum tempore, velut animantibus non procreatis à ſanguine.

TH. De eiſdem egiſſe videtur Iacobus Aconenſis Cardinalis in libro Orientalis hiſtoriæ: *Arbores* (inquit) *ſunt ſuper ripas maris, de quibus aues procreantur roſtris infixis arboribus dependentes: tempore vero maturitatis ex arboribus decidunt, ac per incrementa proficientes, ſicut cæteræ aues, volare incipiunt. Veruntamen niſi decidentes cito aquas inuenerint, viuere non poſſunt; quoniam in aquis eſt nutrimentum earum, & vita.* Notandum autem, quod non in ramorum ſummitatibus, ſed in arborum corticibus, ac ſtipitibus pendent: creſcunt autem arboris humore; & roris infuſione, donec habentes plumas, ac robur vitæ corticibus abrumpuntur. De iis itaque certum eſt, ꝙ in orbe noſtro circa Germaniam nec per coitum gignunt, neq; gignuntur; ſed nec earum concubitum apud nos vllus hominũ vidit: vnde & carnibus earum in quadrageſima nonnulli etiam Chriſtiani in noſtra ætate in locis, vbi auium huiuſmodi copia eſt, vti ſolebant: ſed Innocentius Papa III. in Lateranenſi Concilio generali hoc, ne vlterius fieret, vetuit. Hæ volucres herbis & graminibus, vt anſeres viuunt, potum vero differre ſicca comedentes nullatenus poſſunt. Hęc etiam Vincent. eod. c. 40. ſe vidiſſe memorat Fulgoſus lib. 1. c. 6.

EQ. Vincentius ibi addit ex alio quopiam auctore Bernecas has ex arboribus quidem naſci in Flandriæ proximis regionibus: non habere ſuperflui humoris egeſtionem, ſicut nec arbores.

PH. Mihi videtur hoc animal valde perſimili origine naſci cum eo, de quo Pigafetta tradit in India Orientali, ſeſe vidiſſe arborem, cuius folia etiam à trunco abrupta animata eſſent, mouerique ac viuere, ſed non diu, nempe non vltra octauum diem, deficiente proprii humoris alimonia, quam ex arbore traheret: idq; ſe experimento didiciſſe tradit.

EQ. Eiſdem confine eſt, quod Olaus commemorat lib. 19. cap. 6. Scribit enim auctorem quendam Scotum rerum occultarum ſolertiſſimum ſcrutatorem ſcriptum reliquiſſe, ad Orchades Inſulas arborem eſſe, cuius fructus, ſi in mare decidant, tempore anates fieri, ſenſimque illarum creſcentibus alis, euolare in ſiluas; quod, vt mihi quidem videtur, idem animal eſt, de quo paulo ante diximus, quod & Bernecam vocauimus.

PH. Ex iis igitur fiat veriſimile, & emori Phœnicem, & abſq; concubitu reſurgere poſſe, quod in bombyce quoq; perſpicuum miraculum eſt, vt alias opportunius diſſeruimus. Præter id, quod etiam ex papilione auem gigni pennatam compertum eſt hoc ipſo ſeculo, tradit Ioſeph Ieſuita 1560. ex Breſilia. Sed de his ſatis.

EQ. Transeamus ab iis volucribus (ſi libet) quarum ignotior natura eſt, & fallere nos perfacile poteſt ſcribentium auctoritas: agamusq; de admirandis illarum auium, quarum proles, copiaque non parua cognita eſt: atque imprimis de Aquila illud miremur, generoſiſſimam auem faſtidio alendi à nido prolem ſuam abiicere in manifeſtiſſimum vitæ periculum: at oſſifragam & ipſam aquilarum ſpeciem perbenigne eiectam ſuſcipere, atq; alere, donec adoleſcat, vt ſcribit Ariſt. anim. lib. 9. c. 34. Baſilius in exemero hom. 8. *Aquila.*

TH. Hanc oſſifragæ caritatem, hoſpitalemque ad hominum pertinere exemplum docet Sanctus Baſilius in exemero hom. 8. ſed & Sanctus Ambroſius eãdem

collaudat: at non oſſifragam nuncupat, ſed fulicam, ſicut & Vincent. hiſtor. natur. lib.16. cap.76.

PH. Eſt hoc animal præ omnibus animantibus generoſum; ſed pro opportunitate valde prudens: ſi etenim incidat in multitudinem cornicum, aut pſitacorum, ab eis ſe deplumari patitur quidem vel inuita, reſiſtere non valens: at meminit iniuriæ, oblataq; poſtea occaſione, obuias perimit: hoc vidiſſe ſe teſtatur Albertus Magnus animal. lib.8. cap.2. Alioqui autem generoſum eſt animal, in ſublime ſemper tendens, infima hæc mundana faſtidiens: adeo enim in altum aſcendit volatu ſuo, vt cum ab hominibus ipſa conſpici vlterius non poſſit obtutu humano, ipſa tamen de tanta ſublimitate piſciculos natare videat, celerrimoq; lapſu ſagittæ modo eos prædatur, & in littus trahit. Iſidorus lib.12. cap.7. quod ante eum ſcripſit Auguſtinus de diuinat. dæm. cap.3. Aquila ſublimiter volans de tanto interuallo ſub fluctibus natantem piſcem dicitur peruidere, & grauiter aquis illiſa exertis pedibus, atque vnguibus rapit. Hæc ille. Propterea non eſt credendum regiam hanc volucrem, ac propemodum cæleſtem prolis ſuæ faſtidio detineri: ſed potius cenſendum eſt, virtutis hereditariæ zelo adeo exardeſcere, vt prolem abiiciat tantum degenerem. Nam id inde patere poteſt, quod vt Ariſtoteles ſcribit lib.9. cap.34. Monna præcipua Aquila, quæ clariſſima oculorum acie eſt, pullos adhuc implumes cogit aduerſum intueri Solem: tum cuius oculi prius lachrymarint, hunc occidit, reliquum educat. Hæc ille. Neque ad alendum vllam penuriam patitur; quandoquidem in vnico Aquilæ nido compertæ ſunt reliquiæ anatum 300. centum anſerum, leporum 40 & piſcium innumerabilium, vt memorat Albert. Magnus anim. lib.23. litera A.

TH. Ego & id ipſum cenſeo, nam Sancti Doctores Dei ſeruos Aquilis aſſimilandos tradunt: Sanctus enim Chryſoſtomus ſuper Matth. ad cap.24. in homil.49. ex 50. ita habet: Sancti ideo Aquilis aſſimilantur, quia ſicut filii Aquilarum ad Solem probantur, vt ſi quidem recto aſpecto intendere potuerint contra radios Solis, intelligantur eſſe legitimi: ſi autem non potuerint, cognoſcantur adulterini: ſic & filii Dei ad Chriſti iuſtitiam pleno corde ſuſcipiendam comprobantur. Iis aſſentiri videtur Sanctus Auguſtinus ſuper Ioan. tractat.36. in princip. & Iſidorus libro 12. cap.7.

EQ. Mihi quoque arridet huiuſmodi ſententia; vt degeneres ſolos interimat generoſitate, & amore virtutis, alios ſeruet: non autem vlla eam ſtimulet prolis inuidia, aut alendi faſtidium: id enim & ipſi Philoſophi cenſuiſſe putantur, vti Plinius libro 10. cap.3. & Ælianus libro 2. cap.26. qui tamen auctores hoc inter ſe differunt, quod Ariſtoteli videtur, ob lacrymantes oculos pullum eiici, Plinio ob humectantes, quod in idem recidit: at Ælianus poſt ſanctos Doctores tradit eos, qui non rectis conſpexerint oculis, ſed nictatione oculos obnubant, expelli.

TH. Eſt hoc veritati conſentaneum: nam & Clemens Alexandrinus in hortatoria ad gentes ita ſe rem hanc habere apertis verbis commonſtrat, ſic dicens: Ne euadamus mancipia, neque porcis efficiamur ſimiles, ſed vt germani filii lucis intueamur lucem, & ſurſum aſpiciamus, ne nos eſſe adulterinos deprehendat Dominus, quemadmodum Sol aquilas. Cui accedit, quod habet Sanctus Auguſtinus lib.2. de moribus Manichæorum, cap.8. *Sol, quo nihil inter viſibilia pulchrius inuenitur, aquilarum oculos vegetat, hominum ſauciat inſpectus, & tenebrat: ſed fit per conſuetudi-*

nem,

nem,vt nos quoque in eo ſine incommodo aciem figamus. Hæc ille. Vt ſic myſterium in noſtros mores recte trahatur, vt in Deum,iuſtitiæq; Solem rectam oculorum,intentionisq; aciem figamus.

EQ. Si igitur Sol vegetat aquilarum oculos, nunquid ita vegetat, vt ipſa tota renouetur: ſicut aliquando dum Pſalmos Dauidicos meditor,intelligere mihi videor ex Pſalm.102. *Renouabitur* (inquit) *vt Aquilæ iuuentus tua.*

TH. Vegetantur oculi, non corpus totum, alioquin nunquam conſeneſceret, ſi hoc ſenſu hanc rem acciperemus. At quid ſit renouari iuuentutem Aquilæ, ſic habet Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 66. quæ de renouatione vitæ Aquilæ, ſiue ſit fama potius hominum, quam veritas, veritas eſt tamen in ſcripturis, & non ſine cauſa hoc dixerunt ſcripturæ. Nos quidquid illud ſignificat faciamus, & quam ſit illud verum, non laboremus. Tu eſto talis, vt iuuentus tua renouari poſſit, ſicut Aquila: ſed & ipſo in Pſalmo 102. ſic habet; *Profecto hic aliquid latet, quod tamen de Aquila dici ſolet, non tacemus; quia non eſt ab re hoc intelligere: illud tantummodo inſinuatum ſit cordibus noſtris, non ſine cauſa dictum eſſe à Spiritu ſancto: Renouabitur ſicut Aquilæ iuuentus tua.* Hæc ille. Vnde adhuc myſterio ſolo id dictum putat, de veritate hiſtoriæ non aſſerit: niſi quod creſcente aduncitate roſtri, cum Aquila impediatur cibum attrahere, tabeſcit aut langueſcit; colliſo autem ad petram roſtro,& aduncitare nimia ſublata, cum ſibi fiat particeps, à tabe,lãguoreue curata quaſi renouatur. Quod rite ad renouationem animæ noſtræ,quæ incuruata in terra roſtro, cœleſtis cibi particeps nequit eſſe, ſed ad Chriſtum petram colliſo, aut collimata animæ incuruata aduncitate, fit anima cœleſtis cibi particeps, ac renouatur. At Albertus Magnus renouari Aquilarum iuuentutem vere putat: tradit enim eam adeo ſublime volando aſcendere,vt aereo calore plumæ accendantur, atq; ita nudatam plumis delabi magno impetu in præfrigidum fontem, ac purum, cuius frigore calor medullarum adaugetur, ac velut intrinſecus renouatur, aliquamdiu ipſa quieſcente, donec plumæ ſuccreſcant,nouam ſe reddit auem, atque interim à prole alitur. Hæc ille animal.lib.23.litera A. ex Iorath.

PH. Myſterium ſane (nec aliter eſſe id poteſt) ad hominis animam pertinens tracta ab aquilis metaphora. Animal enim hoc eſt homini ſociale; nam & amore humano afficitur aliquando. Ælianus etenim hiſtor. animal. lib. 6. cap. 28. ita habet: *Philarcus ſcribit puerum Aquilam educaſſe, mutuoque adeo ſeſe amaſſe: at cum puer ægrotaret, Aquila aſſiduitate aſſidebat, cum non ederet, ipſa pariter cibum non admittebat, poſtea vero quam is vita exceſſit, atque efferretur ad monumentum ſepulcri, eum proſequuta eſt, poſtque vbi cremaretur, in medios rogos ſe immiſit.* Quin inuentæ ſunt aquilæ prædam cum hominibus ſibi etiam incognitis partiri, velut ex ſocietate. Nam Sanctus Cuthbertus Epiſcopus Lindisfarnenſis, cum itineraretur procul valde, nec comperiret diuerſorium, vt refocillaretur cibis cum comite ſuo, iuſſit bono eſſe animo comitem, ſurſumq; proſpectans, vides (inquit) Aquilam illam in altum volantem? illa nobis hoſpitis præbebit officium. Mox in fluuium deſcendens Aquila captum piſcem permiſit Guthberto, & comiti in cibum. Reprehendit autem Guthbertus comitem, cur Aquilæ piſcatrici partem non dediſſet, iuſſit ergo illi dimidium dari: mirum Aquilæ portio ſua ceſſit, velut ſociæ: id habet Beda in vita S. Guthberti Epiſcopi cap.12. Surius Tomo 2. Martio. Non ergo homini hoſtilitatem vllam ſeruant aquilę, ita nec Æſchylo, immo vt Cuthberto

viuenti alimenti præbuit Aquila beneficium, ita & defunctis Dei nutu pietatis cuiuſdam operam præſtitere. Cum enim in ipſa ara ſacra faciens à Boles ao Polonorum Rege occiſus fuiſſet S. Stanislaus Cracouienſis Epiſcopus, de quo alias egimus, ſectumque in varias partes corpus circumcirca vrbem auibus vorandum diſpartitum eſſet, ex quatuor Viſlæ partibus quatuor viſæ ſunt Aquilæ ſuperuolantes, ſacras carnes tuentes, aues reliquas, ac feras inde abigentes anno Domini 1087. Krantz. Vand. lib. 3. cap. 14. Quo miraculo conſpecto, plures aduerſus Regem defuncti Stanislai cauſam tutati ſunt. Longinus in vita S. Stanislai apud Surium Tomo 3. Hæc tamen diuino nutu, non naturæ ductu ab aquilis ſunt. Quandoque tamen conſuetudine longa cicures homini fiunt, ac valde afficiuntur, vt de Philarco diximus.

EQ. Aſſentiamur ita eſſe potuiſſe, attamẽ Æſchylus Poeta nihil tale probaret, ſi viueret, putaſſet ſummam hoſtilitatem eſſe aquilis cum homine, quod eum Aquila occiderit.

PH. Id accidit Æſchylo nulla aquilarum hoſtilitate, ſed infortunio ſuo tantum, vt habet Plinius lib. 10. cap. 3. & Max. lib. 9. Si enim ſibi audierat imminere mortis periculum elapſuro ſuper ſe lapide, ſeſeque vt ſibi caueret, commiſerat nudo cœlo; cur homo doctus non etiam cogitarat, ſi è cœlo id futurum fuerat, aliis modis poſſe è cœlo rem demitti, qua occideretur? Et ideo diuinam voluntatem ſemper reuereri oportet, quæ nec falli, nec euitari poteſt, niſi rogata. Itaque voluit Deus Aquilam noſſe propria virtute teſtudines edi non poſſe, niſi fractas, frangi ab aue non poſſe, niſi ex alto demiſſas in ſaxa. Æſchyli igitur caput canum ab Aquila putatum eſt ſaxum. Quid errauit Aquila demittendo teſtitudinem confringendam in caput ſibi viſum ſaxeum? egiſſet prudentius Æſchylus Deum placando, quam effugiendo, fugiens enim ipſum malum incidit, quod fugiebat, in quod non incidiſſet, ſi non ab eo aufugiſſet; quod Aſtrologis omnib. contingit, & iis, qui eorum conſilia ſequuntur, vt iam exactis diebus diſſeruimus.

EQ. Recte ſane; ſed an cum quadrupedibus hoſtilitatem Aquila gerit? Vt mihi videtur, nulli vnquam viſa familiaris, ob apathiam, quod quadrupedes terræ hærent, aquilæ in ſublimi tantum verſari videntur.

PH. Africani ſane nouarum rerum multarum auctores ſunt ſemper: vt enim ibi ſemper noua animantia concubitu differentium ſpecierum gignuntur, ita vulgus ibi auſum eſt aſſerere aquilas coire lupis: id enim ex vulgi Africani ſententia tradidit Leonius p. 9. Scribit enim aquilam coire lupis, inde partum gigni, non naſci, ſed erumpere draconem roſtratum auis more, ſerpentina cauda, lupinis pedibus, ſerpentina pelle, maculatis oculis, ſuperciliis penitus grauatis; quod irridendum vti fabuloſum, nemo fuerit, qui ignoret.

Aquilæ coitus.

TH. Hoſtilitas aquilæ tota eſt cum reliquis auibus, quibus imperat: tyrannidem enim præfert in omnes, quas & depaſcitur; idque indicant vel ipſius mortuæ pennæ. Tradit enim Ariſtoteles anim. lib. 9. c. 2. aquilarum pennas, ſi quis cum aliarum pennis commiſcuerit, incorruptas, atq; integras ipſas quidem manere, & aliarum auium pennas communitatem non ferentes putreſcere. Plin. idem affirmat lib. 10. cap. 3. Aquilarum enim pennas reliquarum alitum pennis commiſtas deuorare ait.

EQ. Olaus huic rei quidpiam concinne affirmat: in eadem enim pharetra compertas ait ſagittas aquilarum pennis compoſitas, ſimul & ſagittas alias aliarum

rum

rum auium pennis ornatas; ſtetiſſe autem integras, quæ ex aquilis, deuoratas autem, quæ aliarum auium, præſertim quæ anſerinis pennis erant confectæ; ita ille lib.19.cap.4.

PH. Quam hoc admirabile ſit, nemo ſufficit excogitare, pennas ſeruare eandem tyrannidem, quam ipſum animal; ſed tamen & alia miracula referunt pennæ mortuarum auium. Nam Iſida auis, ſi eius pellis cum plumis detrahatur, parietique affigatur, quotannis plumas, ac ſi viueret, in corpore commutabit. Id tradit liber de natur.rer. Vinc.hiſtor.natur.lib.16.cap.154. & hodie adhuc Neapoli viſitur. Sed Albertus Magnus anim.lib.2.tract.3.cap.3. putat id falſum, cum tamen veriſſimum eſſe vel lippis, & tonſoribus conſtet. Putarim autem cœlo frigido id non contingere, ſed ſiccis tantum locis. Propterea Alberto frigida in prouincia Germaniæ agenti id experiri non licuit. Nam eius auis alii authores meminerunt, ſed alio quidem nomine: nam Martinetam vocant; aiunt enim, ſi ipſa iam mortua in ſicco loco ſuſpendatur, pennas eius quotannis renouari. Quin nec eius caro putreſcit ſicco in loco; locataque inter veſtes, aliasve res, à tineis immunes ſeruat. Ortellius in Hibernia. *Iſida auis.*

TH. Si ratio miraculi inueniri non poſſit, myſterium tamen inde trahemus ad hominis vitam inſtituendam. Vt enim habet S. Ioannes Apoc. cap.14. *Opera enim* (inquit) *ſequuntur illos.* Veſtimenti locum pellis tenet, opera autem hominum pennæ eius ſunt; vnde detracto homini corio, morte corporali, quis dubitabit in altera vita ita ſe habere colorem eius, ſicuti vixit, ſiue candidum, ſiue nigrum, torqueri autem alternatione pennarum, pro culparum ſuarum ratione?

EQ. Pia ſane interpretatio. Iſta igitur hominum inconſtantia operum etiam animantibus comparanda. Sunt enim homines quandoque adeo varii, vt leuitatis quotidie damnandi ſint, vti de Ecebolio diximus alias, qui tempori ſeruiens, modo fidem ſequutus, modo fidem deteſtatus, modo rediens, ita aui comparandum eum quis dubitarit? Nam aues quædam Aquilonares ſunt æſtate nigræ, hyeme autem candidæ, perinde ac cygni. Olaus lib.19.c.14.

TH. Parua eſt iſta mutatio: nam & ipſe cygnus non quidem omni anno, ſed pullus niger eſt, poſtea tranſit in candidum, ſicut coruus candidus primum, poſtea tranſit in nigerrimum. Sed illud auium genus admirabilius eſt, cui nomen Guara in Orbe nouo, quanta mergulus prima ætate plumis albis, inde in cinericium colorem transeunt; poſt temporis aliquantum redeunt albæ plumæ, tandem in egregium rutilantem, ruffumque transeunt colorem. Hanc in Braſilia eſſe ſcripſit Ioſeph è Braſilia 1560.

EQ. Nobis hæc auis non eſt cognita, ſed huiusmodi coloris homines ſæpe cognoſcuntur, quibus etiam extrema vitæ pars rutilat, aut honoribus, aut etiam vitæ diſciplina, ſed rara eſt, ſicut coruus albus.

PH. Non eſt hoc corui exemplum omnino rarum: nam in Islandia etiam gregatim reperiri albos coruos, & agnorum, ac ſuum raptores eſſe tradit Olaus lib. 4. cap.15.

EQ. Aquilonaris regio multa habet animantia colorum diuerſitate à noſtris differentia; ideo & hoc facile admittam: ſcio tamen auium ibi pennas admirandæ naturæ eſſe. Nam in Hirciniæ Germaniæ ſaltu inuſitata alitum genera accepimus, quarum plumæ ignium modo colluceant noctibus, vt inquit Plin. lib. 10. cap. 47. Albert.Mag.animal.lib.23.litera L.

PH. Solinus cap. 21. idem aſſerit paulo fuſius: *In ſaltu* (inquit) *Hirciniæ aues gi-*
gnuntur, quarum pennæ per obſcurum emicant, & interlucent, quamuis denſa nox obtegat,
& denſet tenebras, vnde homines loci illius plerumque nocturnos excurſus ſic deſtinant, vt illis
vtantur ad præſidium itineris dirigendi, prælatiſque per opaca callium, rationem viæ mode-
rentur indicio plumarum refulgentium. Hæc ille. In quo illud animaduertendum puto,
non Hircaniæ, ſed Hirciniæ corrigendum, vt patet ex Plinio.
EQ. Forſan etiam Hircaniæ fertiliſſimæ prouinciæ idem fuerit priuilegium.
TH. Iſidorus, qui diligenter de auibus ſcripſit lib. 12. c. 7. de Hercinia Germa-
niæ ſylua tantum meminit. Liber quoque de natur. rer. has aues lucidas nuncupat,
quod lucem præbeant noctu ad itinera dirigenda in Hircinio ſaltu.
PH. Eſt igitur non parui facienda auis, quæ plumis adeo proſit homini vel
mortua, ſicut iure veſpertilio deplumi, nudoque corpore nulli prodeſt: obeſt au-
tem omnibus; pudet igitur videri, ideo nec niſi noctu prodit, quoniam ignomi-
nioſam ſe nouit carentem optimo ornamento.
TH. Sunt & in mari aues implumes, ſed id perpetua in aquis vita efficit, quæ
nimio humore lenem faciat cutem, nec patiatur plumam aut pilos gigni, ſicut &
piſcibus terræ præſidio non vtentibus. Petr. Hiſpal. ſylu. p. 5. c. 25. eas autem dicit a-
ues æquandas corpore anſeribus noſtris.
PH. Non fruſtra dictum, aquam non facile permittere plumas, aut pilos ena-
ſci, quandoque tamen vt aliqui piſces villis veſtiti ſunt, ita pili auibus terreſtribus
naſcuntur. Scribit enim Marcus Polus lib 2. cap. 76. in vrbe Quetinfu Magni Cam
gallinas plumas non habere, ſed pilis veſtiri earum cutem, perinde ac feles & cat-
tos noſtrates: eas autem egregiæ magnitudinis eſſe vel inde conſtat, quod in pro-
ximis regnis, nempe in Boagala, ampliſſimas eſſe gallinas teſtatus eſt Odoardus
Barboſa.
EQ. Hoc eſt valde admirandum, animalia, præſertim volucres, quæ oua pa-
riunt, plumas non habere, veſtiri autem pilis, qui ſolummodo iis animantibus
conſueuerunt innaſci, quæ naſcantur animantia; propterea admirabilis eſt Lige-
pus auis leporinos habens pedes, & villum plumarum loco, capta mox moritur.
Ligepus auis. Alb. Magn. anim. lib. 23. litera L.
PH. Hæc eſt naturæ admiranda virtus, quæ ſe tot modis, adeoque variis rebus
& indicet & exornet, ne imbecillis exiſtimetur. Nam & in illis multa alia comme-
moranda ſunt, aberrantia à conſueto more noſtrarum gallinarum. In ipſa enim
Memphi Africæ præclariſſima vrbe pulli abſq; incubatione gallinarum procrean-
tur; excluduntur enim arte quadam: nam plus mille ouis vaſe teſtaceo incluſis ſub-
iicitur ignis lenis; poſt ſeptimum enim diem in lucem animantia prodeunt, venun-
danturque nec numero, aut pondere, ſed menſura, vt ſcribit Leonius p. 8.
EQ. His accedit, quod in Inſula vulgo del Moro ſub Rege Ternates proxi-
me regnum Geyloli commemoratur: in campis enim extat gallinarum genus æ-
quanda mole corporis noſtratibus, quanquam oua earum anſerinis ſint comparia.
Illud igitur genus ouorum non incubitu excluditur, ſed vel arena, vel molli pulue-
re condita infra quatuor vlnarum menſuram, ſoloque Solis calore fœtificant, ex-
cluſique pulli abſque matris cura nutriuntur, pariuntque tantummodo oua bina,
vt tradit Balthaſar Diaz Ieſuita 1556.
PH. Mirum eſt, adeo amplum ouum naſci ab exigua aue, ſcilicet anſerinę ma-
gnitudinis ab gallina pręparua: verum natura oui mollis eſt; attenuatur igitur dum
prodit,

prodit,natum in ſphæram ſeipſum conglobat,& dureſcit:vnde eodem redire nunquam poſſet, vnde prodiit. Verum ſi quis velut ingens ouum obduratum paruo foramine transmittere,aceto id facile factu eſt:maceratur enim,& emollitur,vnde per annulum pertranſire poſſit,vt docet Plin.lib.10.c.60.

EQ. Sunt etiam aliæ aues,quorum oua fœtificant abſque incubitu: ſcripſit ſic enim Ariſt.anim. lib.6.cap.2. *Incubitu auium fœtum excludi naturæ ratio eſt: at non ſolum iis modis oua aperiuntur. Nam & ſponte in terra,vt in Ægypto,obruta fimo pulli excluduntur. Syracuſis enim compertum eſt, oua ſub ſtoria in terra poſuiſſe aliquem, atque ita editos fuiſſe fœtus. Iam vero & in vaſis quibuſdam tepidis iniecta oua ſponte pullos deprompſere.* Hæc ille.

PH. Accedit, quod idem habet hiſt.anim. lib.9. cap.33. *Scythicæ*(inquit)*terræ incola auis eſt magnitudine otidis, quæ duos procreat pullos, oua vero non fouet incubitu, ſed condita in leporina aut vulpina pelle relinquit, atque ita obuoluta in ſummo arborum collocat: cumque à venatione vacat, cuſtodit,& ſi quis ſcandit,impugnat, & alis verberat,perinde atque aquilæ faciunt.* Hæc ille, qui non de aquilino genere auis in huiuſmodi induſtria eſt loquutus: nam qui dixere aquilam vulpino pilo nidificare, vera tradunt: at falſum eſt, aquilam in corio vulpino nidificare, vt Albert. Magn. ſcribit anim. lib. 23.litera A.

TH. Egregia ſane induſtria, noſſe ſibi prodeſſe vulpinam aut leporinam pellem, vel pilos, excludendis ouis, mihi inde perdiſcere licet, vt defunctorum pilos, ita defunctorum ſcripta,aut actionum exempla prodeſſe ingeniis humanis, vt fœtificent. Debemus enim ſcriptoribus,(vt idem Ariſtoteles ait)qui libris ſuis poſteris profuerunt, neque excludere aliquid eximium hominum ingenia valuiſſent, niſi præceſſorum labores, quibus incumbentes illi defecerunt, nobis auxilio eſſent:lepores timidi ſunt,ſed beatus eſt,qui ſemper eſt pauidus, vulpes cauta ab hoſtis inſidiis. Si lepores igitur pro contemplatiuis,vulpes pro actiuis accipiamus, vtrique nobis ſua pelle,ac pilis proſunt.

PH. Acute ſane excogitatum : ſed redeamus ad vnicum, quod mihi ſupereſt, exemplum de incubitu inſueto. Inter Molucas Meſſana Inſula eſt, in ea aues ſunt gallinarum noſtrarum magnitudine,iis in capite ſunt cornua,pariuntque oua non minora anſerinis,quæ non fouent,ſed terra condunt ad vlnas tres,ſeu quatuor,indeque opportuno tempore pulli prodeunt, vt ſcripſit Pigafet. Niſi forte idem auium genus ſit,de quo iam è Balthaſare Diaz diximus: ſed ille gallinarum ſpecie eſſe dicit,ac de cornibus nihil meminit. *Aues cornutæ.*

EQ. Cornutas aues eſſe non caret miraculo,cum id quadrupedum ſit: veruntamen apud Macrobios etiam cornutas aues reperiri ſcribit Mela lib. 3. c. 4. quod etiam ſcribit Ælian.hiſt.anim.lib.17.cap.10.vbi tradit,in Æthyopia vnicornes aues reperiri.

PH. Sed redeamus ad prudens auium ſtudium circa prolem, aut inſignem ſolertiam, qua non modo in fœtificatione vtuntur, verum etiam in ſeruando iam peracto fœtu, vel ex nidi artificio, vel alia quauis induſtria. Videtur mihi ſumme adnotandum id, quod de picis narrat Plin. lib.10. c.33. *Picæ*(inquit)*cum diligentius viſum ab homine nidum ſenſere,oua transferunt alio.Hoc in his auibus,quarum digiti non ſunt accommodati complectendis,transferendis ouis, miro traditur modo. Namque ſurculo ſuper bina oua impoſito, ac ferruminato alui glutino, ſubdita ceruice medio, æqua vtrimque libra deportant alio.* Hæc ille.

EQ. Mira ſane hæc picarum ſolertia in transferendis ouis. Aliam libet recenſere de nidis. Ii enim, qui Orbem peragrarunt, tradunt, in Orbe nouo in continenti nouæ Hiſpaniæ extare auiculam paſſerculi forma, Pintadellos nuncupant. Hos venantur catti: verum minima hæc auicula, quo prolem à cattis tueatur, nidificat, aut maris littoribus, aut fluminum ripis, ipſis arborum ramis ad ſummos apices, qui propendeant in aquas, adeo vt cattus per ramos tentans ad nidum accedere, ramos ſuo pondere onerans neceſſario in tantum inflexos efficit, vt immergantur aquis; quo fit, vt etiam nidus totus ſubmergatur, quo merſo, cattus reſilit, & à præda ita ſubmerſa abſtinet, ob indocilitatem à natura ductam, ne natandi peritiam vnquam catti habeant. Res mira, reſiliente catto, eleuatis ſublato pondere ramis, emergit & nidus ex aquis, pullis nihil aduerſi ab ſubmerſione patientibus, neque aquæ vis eos aut à nido aufert, aut lædit. Ouet. in ſumm. c.46.

Pintadelli.

PH. Conſimile conſilium aduerſus cattos natura dedit auiculæ, cui nomen paſſer fatuus, per ironiam, cum prudentiſſimus ſit. Cercopithecus prædatur has aues. Eæ, vt ſibi ab eo caueant, nidificant in arborum ramis propendulis ſummo cacumine: efficiunt autem nidum prælongum vndiquaque ſeptum præter exiguum foramen; ita fit, vt cum cattus per ramos ad nidum accedat, inflexis ramis nequeat accedere propius, aut ſi acceſſerit, manusve iniecerit, ob nidi longitudinem imum nidi nequeat pertingere ad pullos extrahendos. Ouet. ſumm. c.44. Perſimilem nidi conſtruendi induſtriam callent Oriali aues, quæ filo aut funiculo ipſis extremis arborum ramis nidum ſuſpendunt, vt ita ab omni hoſtium rapina tutus ſit. Alb. Magn. anim. lib. 23. litera O.

Halcyon auis in mari nidificat.

TH. Hæc fuere commemoratione digna; ſed maximæ ſapientiæ veſtigium aliud eſſe videtur in halcyone nobiliſſima aue, quę neque in terra, neque arboribus, aut petrarum foraminibus nidificet, hominum, animantium, ſerpentium, ſed & ipſarum auium reliquarum verita inſidias mari ſe ſuoſque pullos, nidum atque oua committit, nihil verita maritimas tempeſtates, quod optime norit tempus, quo maritimi æſtus conquieſcant tanto tempore, quod & ad oua parienda, fœtus excludendos, atque pullos ab ſe alendos, & emitttendos ſatis ſit, videlicet per dies quatuordecim. Ariſt. de hiſt. anim. lib. 5. c. 8. & lib. 9. cap. 14. Id habet & Suidas, & ſubſcribunt Ælianus hiſt. anim. lib. 1. c. 37. & diuus Baſilius exemero hom. 8. Iſidorus lib. 12. c. 7. Albert. Magn. lib. 23. litera A.

EQ. Explicari mihi velim, qui poſſit in mari nidificare, pulloſque excludere, & alere?

TH. Nidum ſuum in mari efformat fere ſphæricum, vnico atque exiguo foramine ex incognita miri glutinis materia, vt poſſit tuto ſupernatare, vndis neque in nidum vlla parte penetrantibus, quod Ælianus explicat libr. 9. cap. 17. his verbis: *Halcyon, ſeu Alcedo congregans bellonæ ſpinas, vinculo quodam incredibiliter diſpoſito nidum ſuum deuincit, ſpinaſque alias rectas obligat, alias transuerſas texit, vt mulierem dicas textrinæ peritam telam, aut pannum texentem: & quanquam nidum aliqua ex parte ſinuoſum & ſublongum velut maſſam efficit, tamen leniter in rotundam figuram ſubtexit, deinde in mare defert, vbi fluitans ab incurſantibus vndis earum opus probatur, & partes, quas aqua incurrens oſtendit, non firmas eſſe, ita ſarcit, vt ne, ſi quidem percutiatur ſaxo, rumpatur, neque ferro diſcindatur. Os nidi non plane conſpicuum & inacceſſum, ſolum illam ſuſcipere poteſt, neque per ipſum os quidquam ex mari intro influere poteſt, ibidemque pullos nutrit vndis cir-* [illegible] e. Accedit iis vetuſtior authoritas Plinii lib. 10. c. 32. Halcyonem

(inquit)

(inquit) videre rariſſimum eſt, nec niſi Vergiliarum occaſu, & circa ſolſtitia, brumam ve, naue aliquando circumuolata, ſtatim in latebras abeuntem. Paulo amplior eſt paſſere. Fœtificant bruma, qui dies halcyonides vocantur, placido mari per eos, & nauigabili, Siculo maxime. Faciunt autem ſeptem ante brumam diebus nidos, & totidem ſequentibus pariunt. Nidi earum admirationem habent, pilæ figura, paululum eminenti ore perquam anguſto, grandium ſpongiarum ſimilitudine, ferro intercidi non queunt, franguntur que ictu valido, vt ſpuma arida maris. Nec vnde confingantur, inuenitur. Putant ex ſpinis aculeatis, piſcibus enim viuunt. Pariunt oua quina. Hæc ex illo. At S. Ambroſius, & S. Baſilius in exemero, non aperte videntur aſſerere ſtructuram hanc nidi in mari fieri: putant enim, in littore eam nidificare, & oua edere. Verum conciliari iſta ſententiarum diuerſitas poteſt. Nam non alto mari nidificat, ſed in littorum ſtagnis maritimis, vt Iſidorus ſcribit lib. 12. cap. 7.

PH. Ibi ædificat igitur, vbi tuta ſit ab hoſtibus, à fortunæ euentu, & vt pabulum in promptu ſit, etiam circa nidum ipſum, nempe piſciculi, cum ipſis alatur.

TH. Videtur mihi auis hæc contemplantium hominum vitam referre, qui cum in hoc ſeculo degant, mundanum nihil ſentiunt, quaſi è ſeculo abſint, aguntque ſuos dies extra æſtus maritimos mundi, cum in mundo ſint, eius prolem, id eſt, animi contemplationes æternæ vitæ pabulum proximum habent, dum nutriuntur ſcientiis, & Sacramentis: ac in littore, aut ſaltem proxime littus æternæ gloriæ ſemper manentes.

EQ. Et hæc valde pia interpretatio eſt: at libet addere eſſe etiam aliud auium genus, quod ſemper in aquis degens & oua ibi pariat, & excludat admirabili modo. In ipſa enim Africæ ora non longe à Guinea auis eſt, cui nullus eſt egerendi excrementi locus. Fœminæ tamen oua pariunt è dorſo, & in dorſo, nullus illis eſt pes, & (vt dixi) ſemper in aquis viuunt. Vnde coniicere oportet, è dorſo etiam pullos forſan maris incubitu, aut reuerberatione caloris ſolaris excludi. Pigaf.

PH. Forſan auis hæc ea eſt, quæ Monocodiata ab Hiſtoricis denominata eſt, de qua admiranda omnes prodidere. Ea enim in aere abſque nido, abſque arbore, abſque ſaxo, aut altero fulcimento oua parit, non in proprium dorſum, ſed in dorſum maris ſui comparis, ibique fouet, & excludit; nunquam vllo loco conſidet, ſemper in aere ſubſiſtens. Hoc excedit omnem fidem. Id tradidit Maximilianus Tranſilu. qui addit, numquam viſam fuiſſe niſi mortuam, quod tunc, deficiente vitali ſpiritu, labatur in terram. Scripſit idem Pigaf. qui eam aſſerit turturis magnitudine eſſe, carere alis, ſed pennas alarum vice habere, roſtrum oblongum, caput paruum, colore quaſi ſubrufo, ac nigreſcente; atque his etiam aſſentitur Franc. Lopez hiſt. Ind. Occid. c. 96. Hanc auem non corrumpi, neque marceſcere tradit Petr. Hiſp. p. 5. c. 19. *Monocodiata in aere oua parit.*

EQ. Hanc auem, eiusque abſolutiſſimam hiſtoriam ſcribit Melchior Guillardinus Borruſius politiore ſtylo, qui quoniam & ſe vidiſſe teſtatur, & doctiſſime rem hanc enarrat; malo eius ad integrum verba omnia etſi prolixiora referre. Sic autem ille: *Memoriæ literis proditum eſt apud eos, qui integra de Hiſpanorum nauigationibus in alienum, & tot ſeculis incognitum orbem volumina condidere, in Molucchis Inſulis auiculam quandam pulcherrimam oriri, mole quidem corporis exiguam, verum pennarum ob cauſam, quæ ei ſunt ampliſſimæ, inque orbem digeſtæ, ita vt amplioris circuli de-*

ſcribant ambitum, primo reſpectu videri maximam: eam a nemine vnquam mortalium vi-
uam in terra conſpectam eſſe, ſed ſummo quandoque ex æthere exanimem in humum decide-
re, atque tunc caſu repertam ſanctiſſime ab incolis aſſeruari: quippe apud quos tanta ſit in ve-
neratione, vt etiam ſe illa Reges ipſi in bello tutos exiſtiment, quamuis ſuo more in prima acie
collocati fuerint. Cæterum appellant vernaculo ſermone, Monocodiatam, hoc eſt, auiculam
Dei, propterea, quod eam in paradiſo tantum loco ſolius Dei, vti arbitrantur, proprio, naſci
firmiter perſuaſum habeant. Auicula eſt corporis magnitudine, & pene forma coturnici ſimi-
lis, pennarum ambitu diſcolore; ſed venuſto admodum & decoro, viſuque iucundiſſimo, vndi-
que exornata, caput quale hirundinis, maiuſculum pro corporis amplitudine. Pennæ ſuperio-
rem eius partem à prima ceruicis vertebra ad roſtri vſque initium exornantes breues ſunt,
craſſæ, duræ, ſpiſſæ, coloris lutei, inſigniter ſplendentes, & auri puriſſimi modo, radiorumue
ſolarium inſtar fulgentes: cæteræ, quæ mentum contegunt, & molliores & tenuiores, atque
ex cyaneo mire equidem virides deprehenduntur, haud plane colore iis diſſimiles, quas in ana-
tum maſculorum capitibus, dum lucidiſſime obuertuntur ſideri, conſpicimus: roſtrum item,
quam ſit hirundini prolixius, pedes nulli, pennæ alarum ardeis forma pares, ſed tenuiores lon-
gioresque, colore fuſco, inter rufum & nigrum ſplendentes. At cum omnes, tum quæ alas con-
ſtituunt, tum quæ caudam efformant, in orbem extenduntur, rotæ ſimilitudine etenim cuti
animantis (veluti infixa hærent ſpicula immobiles plane) mirum videri non debet, ſponte ſu-
ſtineri, neque vnquam in terris, quoad in viuis eſt, conſpici, quando & pedibus vſus nullius in
aere exiſtentibus prorſus deſtitui (quanquam id decretis Ariſtotelis ſummi Peripateticorum
ſcholæ principis aduerſari nouimus, auē vllam pedibus carere negantis) paulo ante dictum ſit.
Cæterum exoriuntur iuxta ſingulas maiorum pennarum alas conſtituentium origines, aliæ
quoque minores, neque ſane paucæ pennulæ, quæ ſupra maiorum principia extenſæ illa obte-
gunt, dimidio quiſquiliatæ, rufæ, coccineæue, reliqua parte croceæ, & fuluo auri colore ſplen-
didæ: multum equidem gratiæ, ac venuſtatis auiculæ, ob eximiam illam & ſingularem colorum
diſparitatem conciliantes. Reliqua corporis moles tota pennis fuluis in rufum colorem vergen-
tibus obducitur; ita tamen, vt aliquid adhuc inter eas diſcriminis animaduertas. Nam quæ in
pectore & ventre collocantur, & frequentiſſimæ ſunt & pariter latiſſimæ, duorum, triumue
digitorum amplitudine, colore fuluo, & eo quidem nitidiſſimo, haud ſane alio, quam iecur i-
pſum ſplendentes: quæ vero in dorſo fixæ ſunt, rariores, neque ita frequentes eſſe aperte co-
gnoſcimus, & inſuper amplius diuiſuris hiare: pennarum omnia ardearum tergo adhæren-
tium ſimilitudine clare videmus; neque etiam ad tam inſignem latitudinem accedere aut
præſtantem illum hepatis colorem adæquare, quia puniceo potius colore, carni æmulo, obſcu-
riore etiamnum relucere pleniſſime perſpicimus. Porro pennæ hæ ſimul omnes, tum quæ a ven-
tre ſuam trahunt originem, tum quæ e dorſo enaſcuntur, caudam, cum ſint longiſſimæ, conſti-
tuunt, quia ea cæterarum auicularum more minime exornatur, neque id magnopere mirum,
quando & aliæ ipſæ diuerſa ſint ratione concinnatæ, quippe quæ in arctum contrahi, aut latum
diffundi pro animantis libito nequeant; ſed vno tantum, eodemque modo naturaliter perpe-
tuo conſiſtant. Propterea maſculi huius auiculæ dorſum omni ex parte depreſſum, inflexum-
que eſt, adeo vt ſinum quendam, foueamque efformet. In eam cauitatem oua fœminam depo-
nere ratio ipſa claro eſt argumento; quum & fœmina ventrem cauum obtineat, vt hoc pacto
oua facilius poſſit incubare, ac tandem pullos excludere. Denique adnectuntur maris dorſo fila
gemina, nigra cornuum modo vtrimque in rectum extenſa, tres, & amplius palmos longa, ne-
que rotunda exacte, neque etiam perfecte angulata, ſed figura inter quadratum & rotun-
dum media, nec craſſa valde, nec ſumme tenui, verum ſutorio filo haud plane diſſimilia; ho-
rum vſum talem eſſe cum reliquis huius ſeculi eruditiſſimis viris exiſtimo, quo nimirum fœ-

mina,

mina, dum oua incubat, mari firmius alligetur, copuleturque: cibus eis ſolidior, vti arbitror: nullus: qui enim in ſublimi æthere eſſe poßit? ad hæc ſi interiora ſpectentur, inane nihil reperitur, ſed totus venter inferior pinguedine tantum expletus conſpicitur. Hæc auiculæ ipſius integra & certa hiſtoria, cui neotericorum peritiſſimi, cuique calculum vnó ore omnes adiiciũt, præter vnum Antonium Pigafettam, qui eam roſtro prolixo, & pedibus palmi vnius longitudine falſo depingit. Etenim rem aliter ſe habere ipſemet iam bis (neque enim pluries videre contigit) oculis manibusque propriis liquidiſſime deprehendi; ac ne commentitia me dicere putes, teſtem protinus horum omnium in humanis adhuc agentem ſtatuo, virum cum doctum, tum humanitate præſtantem Cæſarem Odonem Appulum ſimplicium Pharmacorum clariſſimum indagatorem, atque eorundem in Bononienſi celeberrimo orbis terrarũ Gymnaſio Profeſſorem, in cuius ædibus, poſtquam Romæ in aula Illuſtriſſimi Principis Octauii Farneſii inclytæ Parmenſium ciuitatis Ducis præſtantiſſimi ſemel vidiſſem, iterum intueri conceſſum eſt notis iiſdem omnibus, quibus retuli. Ne igitur, ſi res, vel teſtibus eſſet comprobanda, illorum penuria laborare viderer, viri eius omni laude digniſſimi teſtimonium in medium afferre libuit; quando & honoris item cauſa tanti nominis hominem minime prætereundum cenſeo. Verum enimuero, cur hic tam admirabili, nobilique auiculæ nemo hactenus ex recentioribus nomen apud veteres ſcriptores inuenerit, mirari equidem ſatis non poſſum in tanta eruditorum frequentia. Plutarchus profecto grauiſſimus auctor in Artaxerxis Perſarum Regis potentiſſimi vita memorat, in Perſis paruam quandam auem naſci, in qua inuenitur nihil excrementi, ſed interna omnia ſumine atque adipe plena; ac proinde aere eam, atque rore ſolum nutriri cunctos mortales arbitrari, eſſe vero nomen ei Rhyntaci. Diuerſa ſit a Monocodiata nec ne, ſeuerioribus harum rerum æſtimatoribus perpendendum relinquo. Ego ſane, & non plane contendo, ita certe propenſiſſimus ſum, vt credam, quando tantum abeſt, mea ſententia, vt Monocodiata & Rhyntacis diſſideãt, vt prorſus eadẽ notæ vtriq; conueniãt; quod & Rhyntacis magna quondã in æſtimatione apud eoſdem Perſas habita ſit. Hanc Cteſias prodidit cultello altero latere veneno illito Paryſatim diuiſiſſe, dimidiam partem veneno infeciſſe, & quæ veneno intacta atque incorrupta erat, ipſam in os coniectam exediſſe, Statyrę autem venenatam partem porrexiſſe. Sed Dion ab hoc leuiter diſſentiens ait non Paryſatim, verum Melantam partitum cultello Statyræ infectam carnem appoſuiſſe; vt non Plutarchum modo, verum etiam ipſo multo antiquiores Cteſiam & Dionem Rhyntacis, hoc eſt, Monocodiatæ, ſeu Dei auiculæ meminiſſe in confeſſo ſit. Porro cum animantia cuncta, quibus cerebrum ſuppetit, ex quorum numero & Monocodiata eſt, poſt diuturnas vigilias, longaſque diei excubias quieſcere tandem, ac ſomnum capeſſere neceſſe ſit, quando, vt pertritus quoque monet verſiculus:

Differẽtia Monocodiatæ & Rhyntacis.

Quod caret alterna requie, durabile non eſt;

iure quærat aliquis optime, cum auiculam iſtam nunquam in terram deſcendere dictum ſit, quis eius quietis locus, quæve naturæ tam admiranda vis ac potentia, quod dormientem æque ac vigilantem, ſemper in ſublimi æthere conſiſtere voluerit, mortuam autem deorſum ferri, inque humum decidere haud vetarit? Diſſonum ſiquidem à ratione plane videtur, ſomno intentam poſſe ſummo in æthere pendulam ſuſtineri. Sed nec inſomnem prorſus vitam trahere putandum, quod id tormentorum omnium ſumma foret carnificina, quemadmodum nec è contra

 exiſtiman-

exiſtimandum alteri rei nulli, præterquam ſomno vacare, quod abſurdum omnino eſſe nemo ſanæ mentis ibit inficias. Equidem illud præter alia mira miror maxime, communem rerum naturam vniuerſam prouidam ſolertemque, atque omnia continentem, auiculam hanc præ cæteris admirabili, & prorſum ſuſpicienda dote exornaſſe, quippe mas fœminam dormientem dorſo excipit, ſuſtinetque, ne in ſolum prolapſa concidat, ſibi interim à ſomno temperans; feſſus mas excutit, atque tunc vice verſa fœmina ſe mari ſubiicit, ſomnoq; labentem & prope cadentem fulcit, & quam fideliſſime ſuſtentat. Hactenus Guilardin. elegantiſſime & pleniſſime.

TH. Equidem res eſt valde ſuſpicienda, ideoque mihi hæc auis Angelos præ ſe ferre videtur vita, morte autem Diabolum è cœlo cadentem, eo nunquam vlterius rediturum: quod enim in ſublimi æthere pulcherrimis ornata pennis ſubſiſtat, Angelicos homines oſtendit, quorum conuerſionem in cœlis eſſe Paulus oſtendit Philip. 3. *At vbi mors peccati hominem corripuerit, mox quaſi è ſublimi Dei gratia cadens in inferos demergitur.* Oua autem in æthere excludere (vt equidem ſentio) eſt omnem cogitatum, omnem actionem ſurſum in Deum referre, vt id fiat, quod idem Paulus docet, dicens: *Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* 1. Corinth. cap. 10. Inſomnem autem ducere vitam, aut alternatim vigilare, alterum ſuſtinendo, quid aliud eſt, quam quod Paulus habet, *alter alterius onera portate?* Gal. 6. &: *Alter alterius ſit membrum.* Rom. 6.

EQ. Sapientiſſima piiſſimaque interpretatio.

PH. Sed qua parte aeris putamus hanc auem viuere, an hac inferiori, pluuiis, niuibus, grandinibus ventisque agitata, an alia ſuperiore purioreque his rebus non obnoxia? Nam vel ipſo S. Auguſtino teſte de Geneſi contra Manichæos lib. 1. c. 15. omnes aues, etiam ab aquis creatæ ſunt. Geneſ. 1. & in aeris parte, quæ aquis particeps eſt, viuunt: in ſuperiore vero aere, vbi nulla aquarum pars eſt, viuere nequeunt, vti ſanctiſſimus Doctor tradit his verbis: *Sciant omnes iſtum aerem nubiloſum & humidum, in quo aues volant, à doctiſſimis hominibus, qui hæc diligenter inquirunt, cum aquis ſolere deputari: concreſcit enim, & craſſus efficitur exhalationibus, & quaſi vaporibus maris & terræ, & de ipſo humore pingueſcit quodammodo, vt volatus auium portare poſſit: ideo per noctes ſerenas etiam rorat, cuius roris guttæ mane in herbis inueniuntur. Nam mons ille Macedoniæ, qui Olympus vocatur, tantæ altitudinis eſſe dicitur, vt in eius cacumine nec ventus ſentiatur, nec nubes ſe colligant, quia excedit altitudine ſua totum iſtum aerem humidum, in quo aues volant, & ideo nec aues ibi volare aſſeueratur.* Hæc ille. Quæ propemodum repetit idem Sanctus lib. de Geneſi ad literam imperfecto c. 14.

Nullæ (inquit) aues adeo ab aquis remotæ ſunt, vt ne bibant quidem, niſi forte iſtum aerem terris contiguum, quoniam ſe humidum etiam ſereniſſimis noctibus rore teſtatur, aquam ſcriptura vocauit, qui & in nubem cogitur. Nubes autem aqua eſt, quod omnes ſentiunt, quibus contingit in montibus inter nubila, vel etiam in campis inter nebulas ambulare. In hoc quippe aere volare aues dicunt. Nam in illo ſublimiore atque puriore, qui vere aer ab omnibus appellatus eſt, nequeunt: non enim earum pondus tenuitate ſua ſuſtinet; in illo autem, neque nubes concreſcere aſſeruntur, neque aliud procelloſum exiſtere, vt in vertice Olympi montis. Ita ille, quæ etiam habet lib. de Geneſi 3. c. 2. An igitur puriore aere ventis non agitato viuat hæc auis, an aere iſto humido? mihi videtur illo puriore: ne agitetur, quæ non volare dicitur, ſed ibi conſiſtere: alimento etiam non egeat, cum ibi felicius leuiſſimo aere nutriatur.

TH. Recta mihi hæc videtur opinio, præſertim ſi ita eſt,ac quæ de huius auis miraculis narrata ſunt, veritati innituntur, quamquam ratio reddi non poſſit. Non tamen vacare videbitur myſterio: libet enim & alia de eadem aue adferre myſteria; nam vel eos ſignificare videbitur, qui iam ſupernas ſedes cum Chriſto regnantes incolunt, nullo ſubſidio egentes, gloria illa ſublimi perfruentes, vacua curis omnibus, hic autem à morte aliquando viſos, manereque apud nos corpora, vt vel eos ibi cœlo frui cognoſcamus; at qui cum eis adhuc eſſe non poſſimus, eorum pulueribus venerabundi imitantes, admiremur gloriam & cibum, quo in æternum nutriuntur. Vel, ſi non arrideat myſterium pertinere ad eos,qui gloria perfruuntur; apte forſan illis concinnabitur, qui terreſtrem paradyſum incolunt, cuiusmodi Helias, Enoch, & Ioannes Euangeliſta, qui ſupra nubes,extra omnem humanæ corruptionis curam, nullo egentes humano fulcimento, puriſſimum illum aerem trahunt: & ſublimi conuerſatione diuinitatis,& Angelorum participant.

EQ. Sane etiam hoc peracute dictum, ac memoria dignum eſt. Proſequamur reliquas auium naturæ facultates proprias, præcipue vero de ouis. Nam cum omnes aues oua pariant, qui fit, vt vultures pullos, non oua procreent, veſpertiliones itidem? & vberibus lacte nutriunt prolem, & amplectendo eam deferunt, vt tradit Plinius lib.10. cap.61. Sed id eſt,quoniam cum ambiguum animal ſit,videlicet neque quadrupes eſt, quia volat continuo volatu more auium, nec auis eſt, quia quadrupes, & implumis, ore, dentibus, non roſtro firmato, iure, & in parte ambigua gignendi ſpecies illi eſſe debet, ſicut vulturem iam diximus animal parere: quia cum mas inter eos non ſit, iure actum à natura eſt, vt ſolus non incubet, ſed alat; id enim facilius eſſe poteſt, non lacte,ſed cibo. At aues lac ſugere noua quadam induſtria compertum eſt in caprimulgo aue, cui nomen quoque eſt Agothilez Caprarum enim vbera ſugit in ſummam capræ perniciem: ob eam enim lactis exinanitionem capra aut excæcatur,aut certe viſus illi hebetatur. Albert.Magnus lib.23. litera A. Sed hoc non pertinet ad fœtus alimentum, ſed ad quoddam vitium caprimulgi: at vultur,& veſpertilio natura id habent ad neceſſarium alimentum.

Vultures et veſpertiliones absque ouis pariũt pullos.

PH. Æquum agit natura, vt cum animal conſueta animantium forma non conſpicitur,fœtificandi quoq; formam non habeat aliis conſimilem: vt in veſpertilione: neque enim lucem cum reliquis animantibus amat, vt nec auium, nec quadrupedum conſuetudine vtatur: tenebras colens, quando reliqua animantia quærunt latibula. In quo animantis genere, quia ſe monſtrum peperiſſe natura animaduertit, monſtroſum quoq; illi partum conceſſit. Verum non in ſolo partu monſtroſum eſt, ſed in ipſa quoq; corporis mole dentes habet, qui auibus deſunt, auriculatum caput, vt quadrupes, hoſtisque hominum præcipua auis. Sunt enim in Vrabia noui orbis vrbe magnitudine æquanda turturibus, noctu homines impetunt,venenoſumq; immittunt morſum. Petrus Martyr in ſumm. ſicut & in Athlantico monte ſunt columbis maiores. Leonius p.9. Eadem memorat Alb. Magn. anim.lib.23. litera V.

EQ. Non eſt monſtroſa magnitudo hæc: ſed ea, quam inter Moluchas in Inſula Meſſana illas eſſe ſcribit Pigafetta. Tradit veſpertiliones eſſe aquilis noſtris maiores,& in cibum ſuauem homini parari. Quin etiam admirabiliorem earum amplitudinem eſſe in Gambra regno Africano ſcribit Aloyſius Cadamuſtius. Eſſe

ſcilicet altiores tribus palmis; ſed & gallinis maiores eſſe iam antea teſtatus fuerat Marcus Polus lib.3. cap.3. Et Odericus poſterior. At quod videtur deterius venenatus morſus illis eſt: nam niſi protinus medela adhibeatur, confeſtim mors imminet. Et quia in omnibus rebus ambiguum animal eſt, veneno ſuo adhibet ambiguam virtutem: nam ſi quem momorderit, ab aliis omnino abſtinet: non tantum vice illa, aut nocte illa, ſed & aliis noctibus ad eundem alia vulnera inflictura rurſum accedit, aliis omiſſis, aduerſus vnicum ſemper hoſtilitatem ſeruat. Ouet. in ſumm.c.36. Ram. Tom.3.

Struthio-camelus.

PH. Nulli dubium eſſe debet naturam, vbi genuerit monſtrum, monſtroſas quoque actiones in illud contuliſſe, ſicut in Struthiocamelo etiam patet; quam auem dici ſuadent plumæ, roſtrum, & caput: verum quia non volat, volucrem eſſe negat Plin.lib.10.c.1. qui cum pedibus etiam ceruinis ſit, non auis, ſed potius aliud animal, feraq; videri debet. Hominem etiam imitatur, quod pedibus apprehenſos lapides in ſerpentes ingerat. Sed ſtolidiſſimum eſt animal; latere enim ſe putat, ſi collum occultauerit; at cum tam grandi corpore pateat, calore ingenito omnia deuorata concoquit. Altitudo mira illis eſt: nam Africi vel Ægyptiaci excedunt altitudinem hominis equo inſidentis. Plin.lib.10. cap.1. Oua hoc monſtrum parit: ſed vbi ea peperit, ea fouere negligit, quin proiecta in imo pulueris natura duce animantur in fœtus; pullos etiam odit, perinde ac non ſuos. Inuidum animal, nam volare non valet, ſed curſu tantum. Equi hoſtis infeſtiſſimus eſt: & vt ad curſum excitetur, ſponte ſibi axillas ſub alis pungit acutis ibi locatis aculeis, vt ſic etiam equus videri velit calcaribus excitatus. Hæc ex Bartholomæo Anglicano ordinis Franciſcani libro de proprietatibus rerum, in Struthione: viſi præterea ſunt Struthiones monſtroſiſſimi bino ſcilicet collo, & ceruice vtraque alimentum trahentes apud Magnum Cam. Oder. Poſter. Fabulātur tamen auctores de Struthione quod ferrum comedat, & quod viſu oua foueat, vtrumq; negat, Albert. Magn. anim.lib.23. litera S.

EQ. Neſcio an Struthio idem ſit animal cum eo, de quo Strabo lib.16. qui in Æthiopia elephantofagorum ſeu ſtruthofagorum auem eſſe ibi ceruorum magnitudine, quæ nequeat volare, valereq; ſolo curſu, commemorat.

PH. Abſque dubio Struthiocamelus fuerit, aut ſaltem communis ſpecies cum eo.

TH. Si igitur Struthiocamelus fera eſt, ſimul & auis, non videretur incredibile gryphes eſſe, quas & feras, & volucres eſſe ferant. Nam licet Plinius lib.10. cap.49. cenſeat fabuloſum eſſe in Æthiopia gryphes eſſe, tamen lib.7.cap.2. abſque ambiguitate tradit Arimaſpos aſſidue bellum gerere cum gryphibus feris volucri genere. Ideoque eos eſſe non dubito, quandoquidem ſacris literis ſit inſignis mentio de illis, Leuit.11. Deuteron.14. nuſquam tamen earum forma explicatur. Aues tamen eſſe ex eiſdem locis apertiſſime conſtat. Affirmat Albert.Magn.anim. lib.23.litera G.

EQ. Poſtquam incidimus in monſtra, & tam deformes formas, non videtur importunum nonnullas auium formas referre inſuetas. Nam in Braſilia prouincia tradunt aues eſſe, cui roſtrum ſit quaſi cochlea. Anton. Pigaf. quin & illis linguam non eſſe atteſtatur.

TH. Ego illis comparabo hanc auem, qui ſenſus omnes ſcripturarum inuertant, nec vnquam aliquid veritatis valeant exprimere: vel etiam iis, qui præſu-

præſunt, ignauiam in ore habere, neque corrigentes, neque loquentes.

EQ. At cui comparabimus aues illas, quarum guttur adeo eſt grande, ac rubrum, vt modii capacitatem adæquet, circa Inſulam S. Bernardi, vt teſtatur Petrus Martyr ſumm. vel aues illas, quarum guttur adeo grande eſt, vt oppletum ſi fuerit, excedat magnitudine reliquam corporis molem? vt duo corpora eſſe videantur; iiſque nomen eſt galli ſiluestres, de quibus Olaus lib.19 c.12.

TH. Quid hoc: niſi ardentiſſimam & inexplebilem ingluuiem, quæ nec ſe ipſam ferre poſſit, & miſerabilem poſſidendi auaritiam.

EQ. Quid illæ aues ſignificabunt, quibus ſerpentina lingua aut collum eſt? de quibus Ariſt. hiſt. anim. lib.2. c.2. Quam auem Plinius nuncupat lyncem, dicitque ſerpentum ſimilem linguam, in magnam longitudinem porrigere lib.11. c.47.

TH. Significare mihi videtur inuidos alienæ fortunæ ſpectatores, qui aliena facta ſerpentino veneno maledictis inceſſant. Nam Ariſtoteles, ſic eam delineatam expreſſit: *Auiculam, quam lyncem vocant, color varius, habet linguam ſerpentibus ſimilem: quippe quam in longitudinem menſura quatuor palmorum porrigat, rurſumq; contrahat intra roſtrum: collum etiam circumagit in auerſum, reliquo quieſcente corpore modo ſerpentum.* Hæc ille. Inuidus varius eſt, ridet in alienis miſeriis, deflet alienas felicitates, linguam exerit in omnia bene acta; collum auertit & caput, ne videat virtutum alienarum ſplendorem. Tales aues fuere Iudæi circa Chriſtum. *Lynx inuida auis.*

PH. Cui comparabimus auem trochylum? Eſt illa auis minima, cui etiam aliqui nomen Reguli impoſuere: ſi plumis nudata in veru paruo infigatur, igni expoſita in gyrum ſe ipſam, veruq; vertit, ac tandem aſſatur. Albert. Magn. anim. lib.23. litera C. ſe experimento didiciſſe affirmat. *Trochylus.*

TH. Martyrum voluntariam mortem ſignificat, qui rebus nudati, & mente humiles patienter omnia ferunt, & paſſioni cooperantur. Sed de hac aue plura paulo poſt ſumus dicturi.

EQ. Quid vero aues illæ ſignificant, quibus vel pedes non ſunt, cuiuſmodi in Iaua maiore Inſula, non maiores columbis, cauda oblonga, abſq; pedibus, neq; vſquam niſi in arboribus conſident, vt tradit Nicol. de Comit. *Apedes.*

TH. Deſidioſos homines ſignificare non eſt dubium, quibus omnis labor corporis tortura eſt: volant autem, quia de proximis quibuſcunque iudicant, alienas actiones mordent temerario, inconſiderato que conſilio, & vt Prouerb. c.26. *Sicut oſtium vertitur in cardines ſuos, ita piger in lecto ſuo: abſcondit piger manus ſub axilla ſua, & laborat, ſi ad os ſuum eas conuerterit, ſapientior ſibi videtur ſeptem viris loquentibus ſententias.*

PH. Ariſtoteli videtur aliquas aues apedes dici, non quia pedibus careant, ſed quia minimos habeant, vt ille habet hiſt. anim. lib.1. cap.1. quibus non contradicit Plin. lib.11. cap.47.

EQ. Ita ergo concluditur, vel eo tantum apedes aues dici, quod pedibus non vtantur, non autem quod pedibus careant. Propterea ex Braſilia ſcribit Ioſeph 1560. aues quaſdam non admodum ab anatibus differre, alas non habere ac pedes quoſdam minimos ſub cauda, neque volare eas, neque ire, ſed tantummodo natare.

TH. Deſidioſos quoq; ſignificant, quibus deliciarum tantum cura eſt; quiq; nec mente eleuari in aliquam contemplationem queant, propriis tantum delitiis ludentes. Propterea mergus rubeis plumis, & in capite cornua, pedes habens in

cauda,

cauda, quibus vt homo ſtat corpore recto, cum aquis tantum oblectaretur, beatus Maſtinus diuina virtute coegit aquam contra propriam naturam diſſerere, ac deſerta loca petere: cuius pulli ſtatim oua excluſi, etiam perdita matre, victum ſibi parare ſcribit Vinc.hiſtor.anim.lib.16.c.105. vnde vt iure ſolertia illa campis exercenda fuit, non autem aquis delicioſe viuendum; ita Chriſtiano homini labor, non deliciæ ad veram frugem viam ſternit.

EQ. Agamus nunc de auium inſtinctu: legi enim aliquando auibus ineſſe naturas, inſtinctusque admirandos, de quibus non videtur conticendum; atque imprimis agam de auibus Diomedeis, quas degere iuxta Garganum Apuliæ montem in Inſula Diomedea ferunt; clangore infeſtare Barbaros, at Græcis eos adulari miro diſcrimine, velut generi Diomedis hoc tribuentes, vt habet Plinius libro 10.cap.44.

TH. Hoc à veritate longe diſſidet; eſt enim fabuloſum, vel ipſo S. Auguſtino teſte. Libro etenim de ciuit. Dei 18.cap.18. ſcribit. Si ita aliquando feciſſe eas conſtiterit, non eſſe admirandum, quod dæmonum fiat inſtinctu ad decipiendos homines, vt Diomedem putent eſſe Deum. Quin & Seruius 2.Georg. ait ſocios Diomedis, duce ſuo ſublato, doloris impatientia in aues mutatos eſſe, & memores originis ſuæ Græcis nauibus lætas occurrere, barbaris infeſtas: atque hanc eſſe fabulæ huiuſmodi originem. Id & Viues ad Auguſt. ad lib.18. ad c.16. fabuloſum putat. Sed vt inſtinctum proſequamur, non deſunt, quæ recenſeri à nobis poſſint admiranda auium. Nam garrula auis ob indignationem ſe ipſam ſuſpendio necat collum iniiciens ligno bifurcato. Albert.Magn.animal.lib.23.litera G. Sed & niſus auis rapax pietate tamen inſigne eſt: nam raptam veſpere auiculam intra pedum articulos nocte tota retinet illæſam, vt frigeſcentes articuli calefiant: at mane mox, vbi dies illuxit, accepti beneficii memor perbenigne eam abire permittit, Albert.Magn.animal.lib.23.litera N.

EQ. Eſt aliud non ſine admiratione referendum, quod teſtatur Ælian.hiſtor. animal.lib.17.cap.32. *Apud Carpios* (inquit) *auis eſt magnitudine gallinacei, verſicolore varietate florens, eaque ſupina volat, & ſub collum extenſis cruribus, ipſum eiſdem ſubleuat, & catelli vocem emittit, neque in ſublime, ſed circum terram idcirco volat, quod in altum non queat ſeſe attollere.*

TH. Vt hæc catelli, ita aliam diximus aſini vocem imitari, vtcunq; monſtruoſum eſt: verum monſtroſam aliam auem quandam recens ex Braſilia cognitam legi, ea eſt auis non maior coruo, cuius alæ ſimul repercuſſæ tantum fragorem emittunt, vt multarum ingentium arborum caſum, & ruinam imitentur, vt tradit Ioſeph Ieſuita ex Braſilia 1560.

PH. Si admirandæ auium naturæ ſunt recenſendæ, deficiet dies, verum nonnullas tantum admirabiliores cõmemorabimus. In Aquilonari regione auis nuncupata pluuiatilis comperta eſt, aere tantum victitans; ſemper pingueſcunt viſcera eius, nullum in inteſtinis eſculentum vnquam repertum: eſt autem magna quanta perdix, varietate colorum ornata. Olaus lib.19.c.21.

EQ. Hinc conſimilis eſt alia, de qua Ioſeph è Braſilia ſcripſit 1560. Auem ibi eſſe, cui nomen Guainemba, nihil eam edere, ſolo rore victitare, eſſeque omnium auium minimam.

Guainemba.

TH. Minimam non puto illam, ſed ex minimis. Ego vero aliam puto eſſe omnibus minimam, quæ Muſcatulus paſſer nuncupatus eſt Indis; nam muſcæ maiori,

ioni, aut ad ſummum ſcarabeo comparatur: nam & cum plumis non excedit magnitudinem humani pollicis; detractis plumis, ſcarabeo non eſt maior; color eſt viridis; contigit ponderari nidum eius, & aues ſimul non exceſſiſſe grana 24. Roſtrum eius nihilo maius mulieris acu, crura, & pedes quaſi exigua ſcriptoris linea, miræ velocitatis animalculum eſt; ad nidum eius accedentibus ſtatim inſilit, atque oculos primum petit & fugit. Ouet. in ſumm. c. 48.

Minima etiam fuerit auicula illa, cui nomen caryſtia, quæ in Creta Inſula viuit, ac etiam impune in flammas inuolat, vt Solinus cap. 16. Verum inſectum eſt genere volucri, de quo opportune diximus, quando de inſectis colloquendum fuit. *Caryſtia.*

EQ. Nihil videtur admirabilius charadrio aue minima: admirandum enim in illa eſt, quod ſi quis icteritius eam acerrime intueatur, illa vero contra ſine nictatione ex animo reſpiciat, ſic affectum hominem ſuo obtutu ad ſanitatem reducit. Ælian. hiſtor. anim. lib. 17. c. 12. Sed admirabilius, quod ipſa perniciosum illum traxerit in ſe humorem, verum auolando purgatur: ſin autem ab ægroto viſum auertat, indicat illum eſſe moriturum. Albert. Magn. anim. lib. 23. litera C.

PH. Eſt perutilis auicula hæc, quæ homini reſtituat incolumitatem. At non ita contingit Indicæ auiculæ, cui Indi nomẽ impoſuere Dicæron, Græci Dicæon. Ea in rupibus altiſſimis nidificat, eſtque ea magnitudine, qua perdicis ouum: tradunt, ſi quis ex eius ſtercore tantum ſumat, quanta ſit milii magnitudo, ſolutum in poculo, eum mori ad veſperam, morsq; ſimilis eſt ſomno ſuauiſſimo, moleſtiæ vacuo. Ipſius autem auis eſus liberator eſt doloris, eſtque iucundiſſimus edentibus. Reges inter theſauros retinent. Ælianus hiſt. lib. 4. c. 40. Tolerabilius eſt hirundinis ſtercus, quod non occidit, ſed oculos tactu excæcat, vt Tobiæ accidit. Albertus Magn. lib. 23. litera D. *Dicæron.*

TH. Admirandum quoq;, quod de corace ſcribitur. Nam corax chamæleontem ſæpe oppugnat: ſi igitur chamæleontem occiderit, modicumque ex eo ederit, illico ipſa moritur: ſic victus victorem interficit. At corax ad medelam accurrit, ſumpta enim fronde laurea, recuperat ſanitatem. Solin. c. 42.

EQ. Sunt & in auiculis vires, & audacia inſignis, cuiusmodi illi, cui nomen trochylus: hæc hiantibus crocodilis in os inuolat, depurgat roſtro dentes, quo munere & ipſa alitur: crocodilus ſentiens ſecum commode agi, ei nihil nocet, ſed cum egredi autem vult, ceruicem aliquantulum mouet, ne comprimat. Ita Ariſtot. hiſt. anim. lib. 9. c. 6. & lib. de admiran. c. 7. Herodot. lib. 2. c. 5. Dicemus eadem alias, cum de ſerpentibus agendum erit.

PH. Ea auis eſt minima, quæ in Italia auium Rex, ſeu magis Regulus eſt appellatus, & hæc illi contingere cum crocodilo teſtatur & Plin. lib. 8. c. 25. & Ælian. hiſt. lib. 3. cap. 11.

EQ. Admirabilius longe, quod tradit Pigafetta de aue, cui nomen Laghane. Ea comperta eſt in regno Indico Zubut: æquatur magnitudine corniculæ, ſed & formæ, quamquam viſu pulchrior ſit. Huius igitur ingenium eſt, ſi contingat cete ore hianti, & aperto otioſum eſſe, inuolat, ſinitque ſe viuam deglutiri; penetrat deuorans vsque ad cor cete: experimentoq; compertum eſt, extracto ad littus cete, eoque exenterato, auiculas huiusmodi viuentes intra inuentas depaſci cor eius: extant in huiusmodi auiculæ roſtro tamquam dentes exigui. Eadem Petr. Hiſpal. Silu. p. 5. cap. 17. *Laghane.*

Baſiliſcus galli cantu emoritur.

PH. Ita fit, vt maxima, fortiſſimaq; animantia ab ignauiſſimis, & imbecillibus extinguantur, aut vincantur. Gallinaceus abſq; dubio viliſſimus eſt, vtiq; pauidus, at nihilominus baſiliſco omnium animantiũ ſæuiſſimo horrori eſt. Baſiliſcus enim adeo eius cantum exhorret, vt illo audito propemodum exanimetur. Peragrantes igitur Africę campeſtria gallinaceos comites vehunt, vt baſiliſcos contemnant obuios. Ælian. hiſt. lib. 3. cap. 30. Quin & leoni omnium animantium fortiſſimo & generoſiſſimo terrori eſt gallinaceus. Plin. lib. 10. cap. 21. Albert. Magn. lib. 23. litera G. Quod alias dicemus pluribus.

TH. Præcipue igitur expedit gallinaceo vocalem eſſe, ſicut vigilantia quoque Epiſcopo, ad leones perterrefaciendos, ſimul & ad baſiliſcos, alioqui galli muti virtute huiuſmodi carentes deficient. Nam gallos mutos compertum eſt eſſe in Niba loco proximo Theſſalonicæ Macedoniæ, ibi cantus ſui innati expertes ſunt, ſilentque omnino adeo, vt vulgo datus ſit locus prouerbio in rebus factu difficillimis, quod tale ſit, *vt tunc demum exigi negotium poßit, cum Nibas gallus cantabit.* Hæc Ælian. hiſtor. lib. 15. cap. 20. Adiicit ad hæc Hermes gallinaceo ſenio valde confecto illud accidere, vt carunculam oui ſpecie è poſtico emittat virulentam adeo, vt ex ea baſiliſcus progignatur. Id recolit Albert. Magn. lib. 23. litera G. Quin & gallina ipſa ſerpentum venena vincit admiranda quadam virtute. Nam ipſa die, qua ouum emiſit, à ſerpente lędi non poteſt, quin ſi quispiam à ſerpente ſit percuſſus, cuiuſmodi gallinæ carnis eſus malo medetur. Alb. Magn. anim. lib. 23. litera G. Mirum equidem adeo ſtolida animantia poſſe aſtuta ſuperare, vt ita videantur occulto quodam & Dei conſilio, & naturæ virtute ſtolidi ſapientibus ſæpe eſſe præferendi.

EQ. Optarim de Pellicano audire quid tradiderunt ſcriptores.

Pellicanus.

TH. Quamquam naturæ ſcrutatores de eo ſcripſerint, vt Ælian. hiſtor. lib. 15. nihilominus ſacrorum auctorum malo auctoritate vti. Nam in ipſis Scripturis ſacris, ac ipſo demum Dauide fit de eo inſignis mentio Pſalm. 101. Chriſti perſona relata dicentis: *Similis factus ſum Pellicano.* Scrutantur igitur ibi ſacrarum literarum Interpretes, qua ſimilitudine Chriſtus pellicano comparetur. S. Auguſtinus omnium peritiſſimus indagator ibi hæc habet. In ea regione naſcitur ſolitudinis Pellicanus, vt nobis ignota hæc auis ſit, naſcitur in ſolitudinibus maxime Nili fluminis in Ægypto. Et infra. Quod dicitur, vel etiam legitur de hac aue, id eſt pellicano, nõ taceamus; non aliquid affirmantes temere, ſed tamen non tacentes, quod qui ſcripſerunt, & legi, & dici voluerunt. Dicuntur hæ aues tanquam colaphis roſtrorũ occidere paruulos filios ſuos, eoſdemq; nido occiſos à ſe lugere per triduũ; poſtremo dicunt matrem ſe ipſam grauiter vulnerare, & ſanguinem ſuum ſuper filios fundere, quo illi ſuperfuſi reuiuiſcunt. Hæc ille. Et tametſi eximius hic Doctor ſufficere nobis videretur ob ſummam auctoritatẽ, tamen addendus eſt & Sanctiſſ. Gregorius Magnus ſuper ſeptem Pſalmos ad illa verba Pſal. 5. *Vigilaui, &c.* qui ita habet: *Ferunt Philoſophi, quod Pellicanus filios ſuos, ſtatim vt nati ſunt, interficit, poſtea vero per triduum multo dolore ſe afficit, eiſq; quodammodo naturæ affectum oſtendit: poſtea vero mater ſe ipſam vulnerat, eoſq; ſanguine ſuo reſuſcitat, per quem ſignificatus Chriſtus Ieſus.* Eadem propemodum liber de natur. rerum, vti recenſet Vinc. hiſt. natur. lib. 16. c. 127. his verbis: *Pellicanus, cum à pullis mordetur, irata eos occidit, ſed triduo dolore tãgitur, fuſoq; ex proprio pectore ſanguine, rurſum illos viuificat.* Cui etiam accedit Iſidor. lib. 12. cap. 7. & Albert. Magn. anim. lib. 23. litera P.

EQ. Ii auctores mihi ſufficere adeo videntur, vt non ſit credendum rem aliter ſe habere poſſe, quandoquidem Spiritus ſancti ductu Chriſti ſimilitudinem ſcrutati ſunt; quamquam illius auis certam cognitionem ſe non habere fateantur.

PH. Paternam hanc pellicani caritatem erga filios, quos proprio excitat ſanguine, nos hortatur, vt & filiorum erga parentes reciprocam beneficentiam perſcrutemur, cuiuſmodi de ciconiæ antipelargia traditur, quæ parentib. beneficium rependit acceptum. Ciconiæ enim fœtus ſuos ſupra omnia auium genera ſtudioſius fouent; & magnis periculis adiuuant, etiam cum proprio vitæ periculo: nam conflagrante fere toto Delphio Batauorum oppido, parentes filios adhuc ad volandum impotentes ab incendio protegentes alis illos contexiſſe, roſtro detuliſſe, ac pedibus vt eriperent, & ne officium intermitterent paternum, numquam deſeruiſſe, quin potius mortem cum illis ſuſtinuiſſe propalam viſæ ſunt anno Domini 1086. vt memorat Gregor. Bruin. in Delphio. Igitur proles illa iure parentibus beneficium rependit. Solin. autem c.43. de eis ſic: *Pythonis Come eſt in Aſia locus in campis patentibus, vbi primo aduentus ſui tempore ciconiæ aduolant, & eam, quæ vltima aduenerit, laniant vniuerſæ. Aues illas ferunt linguas non habere, verum ſonum, quo crepitant, oris potius, quam vocis eſſe. Eximia illis ineſt pietas. Etenim quantum temporis impenderint fœtibus educandis, tantum & ipſæ pullis ſuis inuicem aluntur. Ita enim impenſe nidos fouent, vt incubitus aſſiduitate plumas exuant.*

Honorandi parentes.

TH. Sanctus quoq; Baſilius in exemero hom.8. in eandem ſententiam ſcribit: Prouidentia ciconiarum circa ſenio affectos ſufficit, vt pueros noſtros, ſi animaduertere velint, ad parẽtum amorem excitent: omnino enim nullus adeo defectuoſe ſapiens eſt, vt non pudore dignum iudicet brutiſſimis volucribus virtute poſteriorem eſſe. Illæ autem præ ſenio pennarum defluuio laborantem circumſtantes propriis pennis confouent, & alimentum abunde ſuppeditantes etiam volandi auxilium quantum poſſunt, præbent vtrimque ala leniter alleuantes: vnde Græcis Prouerbio locus; *Antipelargiam ſerua.* Ciconia enim Pelargus appellatur: atq; idem ſcripſit Plin. lib.10. cap.23.

EQ. Sane ciconiæ innata eſt gratitudo, non ſolum erga progenitores, verum erga benefactorem quemcunq;, vt exemplo narrat Ælian. hiſt. anim. lib. 8. cap. 21. *Tarentina* (inquit) *mulier nomine Heracleis probiſſima viro, & eodem defuncto vidua inſignis caſtitatis, ac fidei fuit. Ciconiarum pullum contigit coram ea de alto cecidiſſe, cruſq; confregiſſe; illa miſerata eius pullum educauit, cruſq; alligauit, adeo vt conualuerit, & educatus ad ætatem volandi dimiſſus eſt. Poſt annum redeuntib. ciconiis, cum ipſa ad Solem vernũ ſiſteret, ciconia quædam leniter ad eam demiſſa eſt, quæ in ſinum eius lapidem euomuit, ac euolauit. Noctu igitur cum à ſomno excitaretur Heracleis, fulgore lapidem vidit, & radiantem domum; tamquam immiſſis facibus ex eo ſplendere: didicit inde illam fuiſſe ciconiam, quæ ſuſcepti beneficii gratiam rependerat.*

PH. Siue hæc vera, ſiue falſa narratio ſit, homini diſciplina eſt, & virtutis imitandæ argumentum.

EQ. Propterea in Theſſalia capitale fuerat ciconiam occidiſſe, eaque legibus pœna, quæ in homicidam. Plin. libr.10. cap.23. ob eam præcipue cauſam, quod in Theſſalia tanta ſerpentum copia naſcatur, vt niſi à ciconiis interimerentur, opus eſſet colonos migrare. Ariſt. de admir. cap.22.

TH. Sic legibus ſuis Theſſalonici ciconiis antipelargiam, & gratitudinem ſeruant politicam. Grues quoque ac ciconiæ eandem Theſſalonicis rependunt

accepti beneficii gratiam, ſerpentem peſtem interimentes. Concordia quoq; ciconiarum magno miraculo comperta eſt; nam ſi interceptę repentino frigore ex Europa nequeant ſedes ſuas repetere, conueniunt, ac coniunctæ velut vno globo ſeſe omnes in lacum demergunt, atque ita hyemem totam demerſæ, ac velut mortuæ tranſigunt: at vero tepente cœlo, quaſi reuiuiſcentes rurſum euolant. Repertas ita conglobatas velut mortuas in lacu Arelatenſi ſcripſit Geruaſius Tibelleſius ad Othonem 4. Fulgoſ. lib. 1. cap 6. qui adiicit eodem modo compertas fuiſſe in Lotharingia iuxta Metim aquis demerſas.

PH. Politicam præterea, vrbanamque gratitudinem, ſimul & hoſpitalitatem inuicem reddere compertæ ſunt ciconiæ & cornices, vti S. Baſilius in excmero hom. 8. *Quod* (inquit) *ciconiæ faciunt, non procul à rationali intelligentia abeſt, ſiquidem omnes iuxta vnum tempus ad noſtras regiones accedunt, ac ſub vno quaſi ſigno elato omnes diſcedunt: ſtipant autem ipſas cornices noſtræ, easque deducunt, vt mihi quidem videtur ſocietatem quandam bellicam aduerſus hoſtiles aues exhibentes, cuius rei primum ſignum eſt, quod ſub illud tempus cornix penitus non appareat; deinde quod cum vulneribus redeuntes manifeſta protectionis, & auxilii lati ſigna afferunt. Quis apud ipſas leges hoſpitalitatis deſcripſit? quis ipſis accuſationem deſertoris minatus eſt, vt nulla in comitatu, ac deductione deficiat? Audiant inuiſi hoſpitibus, & fores claudentes, & neque tectum in hyeme, & nocte aduenis impertientes.* Hæc ille.

EQ. Eidem argumento concinne eſt & aliud exemplum hoc ſeculo auditum, non antea. Ioſeph enim Ieſuita ex Braſilia 1560. commemorat ſuis literis, rapacem quandam auem eſſe, quæ ſemper in nido contineatur, numquam venatum eat, ſed ad eam non progenitores tantum alimentum ferant, verum etiam reliquæ rapaces aues: velut ad earum Regem vel Principem, cibum, munusque ferunt. Hæc ex illo. Ex quo politicum viuendi genus, cuiusmodi & apibus exemplum bene gerendæ Reipub. homini præbetur; vt & Principem alat ſuum, ne rapere cogatur: & vt domi conſiſtens non euagando prudentius conſulere poſſit rebus omnibus. *Parua enim*, inquit Cicero, *ſunt foris arma, niſi ſit conſilium domi.* Perſimile etiam exemplum eſt, quod quædam auiculæ, velut paſſeres, quaſi vrbem ac Rempubl. ſibi conſtituunt: nam ampliſſimum ſibi nidum, qui ducentis aut trecentis ſufficiat, communi labore exædificant editis locis ex frondibus, & fruſtulis ligneis, ſimul & feſtucis. Intexunt omnia arte mira intra eam molem, velut domum amplam quisque ſibi cellulam conformat, in qua & oua & pullos nutriat. Mira omnium concordia in arcendis à nido, ſeu ſua vrbe hoſtibus: nam quæcunque grandis, rapaxq; auis proxime acceſſerit, tanto impetu omnes graſſantur, vt puncturis, & explumatione defeſſa recedat, perinde ac à veſpis, aut apibus ad ſua latibula vrſus pellitur. Ouet. in hiſtor. lib. 14. cap. 5. de orbe nouo. Econtra Principum erga ſubditos manſuetudo, ac tutela habenda monſtratur ab auicula Godetz in Inſula auium noui orbis iuxta nouam Franciam: eæ facile congregantur, & innata quadam fiducia ſubeunt alas maiorum auium, ibi quaſi aſylum ſubituræ: id grato animo patiuntur maiores aues, cum tamen nulla ſint illis ſanguinis proximitate coniunctæ. Iacob. Carter. de noua Francia. Sed & Kites aues, quæ ſingulis diebus vocem cum adulatoribus mutant, parentes tamen ſuos magna pietate in nidis fouent, vt quieſcant tandem ab anteactæ vitæ laboribus. Albert. Magn. anim. lib. 23. litera K. atque ita œconomiam ſimul, & politicam aues ſeruare hominesq; docere videntur.

PH. Grues quoque præcipue politicum regnum ſeruant, in periculis cautæ, extra fidentes: nam cum ab Ægypto in Europam euolant, Duces non adhibent: at cum hinc in Ægyptum redeunt, vbi hoſtes adeſſe ſibi norunt, & Duces & exploratores adhibent. Albertus Magn. anim. lib. 7. tr. 2. c. 6. Sunt etenim politicæ gnaræ. Ariſtoteles autem de ipſarum ſoliditate vnanimi ſic ſcribit lib. de hiſt. anim. 8. cap. 12. *Grues* (inquit) *ex Scythicis campis ad paludes Ægypto ſuperiores, vnde Nilus profluit, veniunt, quo loco pugnare cum Pygmæis dicuntur.* Non enim id fabula eſt. At Solinus ſuccedit cap. 15. Manifeſtum eſt, in Septentrionalem plagam hyeme grues frequentiſſimas auolare. Fidens meatu præit cateruas, volatus deſidiam caſtigat, voceque cogit agmen. Ea vbi obraucata eſt, ſuccedit alia, concors cura omnium pro fatigatis, adeo vt ſi quæ defecerint, congruant vniuerſæ, laſſasque ſuſtollant, vsque dum vires otio recuperentur. Nec in terra cura ſegnior, excubias nocte diuidunt, vt ex ſomnis ſit decima quæque vigil: pondu ſcula digitis amplectuntur, quæ ſi forte exciderint, ſomnum coarguant, quod cauendum erit, clangore indicant. Ælianus eadem repetit lib. 3. cap. 13. qui illud explicat, tres aut quatuor ad reliquarum cuſtodiam aduigilare lapillo ſublimi pede contento, vt, ſi quando ſomnus obrepſerit, edito ſtrepitu ex lapilli caſu expergiſcantur. Eadem etiam Plin. lib. 10. cap. 23. Albert. Magn. animal. lib. 23. litera G. *Grues.*

TH. Et S. Baſilius eiusdem vigilantię & communis auxilii ſtudium in gruibus laudibus attollit in exemero hom. 8. & reliqui omnes ſancti Doctores.

EQ. Et quod ad vigilantiam ſpectat, anſeribus quidem etiam eadem cura eſt, ſed parui momenti, nec gruum eſt æquiparanda, tametſi magno beneficio Remp. Romanam aliquando affecerint. Nam, vt omittamus Hiſtoricos vulgatiſſimos, qui de hac re tradiderunt. Ælianus animantium naturarum ſcrutator egregius ſic habet lib. 12. cap. 30. *Anſeres acrius quam canes ad cuſtodiam aduigilare Romani plane explorate perceperunt. Cum enim acerrimum bellum Galli eis intuliſſent, ſimul & vi atque impreſſione intra vrbem irrupiſſent, Romamque præter arcem Capitolinam, ad quam difficilis aſcenſus erat, cepiſſent, quam etiam fidei ſuæ permiſſam cuſtodiebat M. Manlius Conſul, qui filium ſuum, etſi rebus præclare geſtis, & pugna ſtrenue pugnata, tamen quod iniuſſu Imperatoris pugnaſſet, morte mulctauit. Galli igitur clam moliti ſunt noctu ingredi, canes, obiecto cibo, obmuteſcebant; at anſeres, cum ex eorum natura ſit ad obiecta cibaria clamores tollere, & minime à ſtrepitu conquieſcere, editis clangoribus, M. Manlium & circumfuſas cuſtodias ſomno excitarunt.* Hæc ille. Nullum igitur adeo ſtolidum animal, quod in Rep. vtile aliqua ratione eſſe non poſſit. Et quod in anſeribus valde eſt memorabile, domeſticam diu ſeruant amicitiam: compertus eſt enim anſer ad annos 60. in eadem domo vixiſſe. Albert. Magn. animal libr. 23. litera A. Sed ex omnibus auibus frequentiora ſunt in anſeribus monſtra: nam bicorporei inuenti ſunt, duorum capitum, alarum quatuor, pedum quatuor, vti ſe vidiſſe teſtatur Albertus Magnus anim. lib. 8. tr. 1. cap. 6. Adiicitque, ſolo dorſo vtrumque ſibi connexum fuiſſe, & vtrumque propriis pedibus gradiendo alterum dorſo detuliſſe alterna delatione. Stoliditas autem & nimius humor monſtri cauſa fuere, ideoque garrulum præ omnibus animal eſt. *Anſeres.*

TH. Ita fit illud admirandum, loquacitatem ſcilicet anſerinam Reip. aliquando profuiſſe, coruinam ignauiam nunquam, quanquam ſibi caute viuant, & diu. Nam vt vel inde pateat, coruum nihil virtutum politicarum habere, quando nec œconomicæ virtutis particeps ſit. Is enim ſimilis illis eſt, de quibus Paul. 1. Ti-

moth.5. *Qui ſuorum,* (inquit) *maxime domeſticorum curam non habet, is fidem abnegauit, & eſt infideli deterior.* Ita ſane corui natura eſt: nam vt ait Ariſt.hiſt.anim.lib.9.cap. 31.corui ſuos pullos, cum iam iam poteſtas volandi eſt, primum nido eiiciunt, deinde regione tota expellunt. Eos autem non educare pullos tradidit S. Ioannes Chryſoſtomus in ſermone in Heliam Prophetam iis verbis: *Odit prolem ſuam coruus, & natam non educat.* Id quod Propheta Dauid in Pſal.146.inſinuans dixit: *Deum eſcam præbere pro parentibus pullis coruorum inuocantibus eum.* Quoniam enim pulli coruorum, imo omnes auium pulli recens nati infirmiores ſunt, quam vt ipſi cibum ſibi parent, vnde adhuc implumes à parentibus ſuis enutriuntur: ſed ab ea parentum cura coruorum pulli deſtituti à Deo ore hiantes auxilium petunt, quod exorant; aluntur enim miro modo. Vnde Dauid diuinam nobis miſericordiam ſubinde commonſtrans eorum educationem Deo aſſcribit: expoſitis enim ad aerem, vtpote à parentibus neglectis, obuolitant animalcula quædam diuina prouidentia ſuppeditata, quæ captantes illi creſcunt, & aluntur. Hæc ex illo.

Coruus contemptor Dei.

EQ. Sane quæ ſimilitudo virtutis vmquam in coruo eſſe poteſt? Nam qui ſibi malus, aliis qui bonus eſſe poteſt? Nam & in arca etiam beneficium Dei contempſit; emiſſus enim & beneficii ſuſcepti oblitus non rediit illectus cadaueribus, oblitus etiam comparis ſuæ. Et, ſi quid de illis recolunt authores, diuino eſt actum miraculo, ſicut quando moleſtiſſimi ſua garrulitate ſancto Cuthberto, & fratribus fuerant in Inſula Farne, & iuſſi abire omnes ab Inſula exularunt, ſancti viri præcepto parentes, diuina id virtute actum eſt. Sicut & illud, quando ex eis vnus ad eius pedes conuolans velut erroris veniam petiit, cui parcens vir ſanctus, vt in Inſula ſolus ipſe degeret cum coniuge, permiſit: nam ille mox euolans, & coniugem inuentam reduxit, & ſoli in Inſula ex omni coruorum multitudine permanſerunt, fugatis aliis non modo coruis, verum etiam reliquis auibus, quæ aut quieti monachorum, aut frugibus damna inferrent, vt memorat Beda in vita S.Cuthberti c.19. 20. apud Surium Tom. 2. qui etiam adiicit, coruum huiuſmodi raptam incolæ cuiuſdam axungiam ad Cuthbertum detuliſſe è remotiſſima regione, adeo vt ſi obſequens & humilis fuiſſe viſus eſt, miſcuit tamen vetus crimen furti.

Helias diuinitus paſtus à coruo.

TH. Ita eſt: attamen Deus in pleriſque myſteriis corui opera eſt vſus. Nam Heliam pauit per coruum, qui tamen filios ſuos non paſcit, 3.Reg.cap.17. & Antonium ac Paulum primum eremitam, vt S. Hieronymus tradit in vita Pauli eiuſdem. Nam cum antea dimidiatum panem ſemper coruus Paulo deferret, tunc propter Antonii aduentum integrum detulit. Quin etiam, quod admirabilius eſt, S. Vincentio Martyri defuncto per Dei prouidentiam aſtitit coruus: nam vt Metaph. habet in eius vita apud Lipom. Tomo 7. cum beati Martyris reliquiæ proiectæ fuiſſent, coruus ales ille quidem ignauiſſimus, & maxime ſegnis, è propinquo loco aduolauit, & ſanctum illud corpus cuſtodire cœpit, qui nigris pennis, & colore atro, tamquam pulla quadam veſte indutus quodammodo luctum præ ſe ferebat, aliaſque volucres grandiores volatu magno illuc irruentes impigre perſequens, è loco illo facile abigebat, quin imo lupum quendam repentino curſu eo venientem ita repulit, vt ille terga vertens, non corui quidem impetum, ſed iacentis illius ſancti corporis aſpectum extimeſcere præ ſe tulerit, ac ſtupore perculſus repente ſubterfugerit, & diuino iuſſu coruus ille excitatus, vt olim ad cibum Helię, Vincentio Martyri congruentem operam curamq; adhibebat. Hæc Metaphr. Eadem narrat Ado. Treuer. 11. Kal. Februarii.

EQ. Non

EQ. Non igitur è corui ingenio hæc facta, ſed diuina prouidentia innuente, quæ coruorum ſpeciem ſibi, ac proli crudeliſſimam, ſeruis tamen Dei eſſe obſequentiſſimam iuſſerit: nam & lupus à ſancto corpore abſtinuit. Didici etenim ego à veridicis teſtibus, in Arriana diœceſe in agro oppidi Montis Falconii occiſos à ſicariis Sacerdotem quendam & Laicum, expoſitosque in ſyluis iacuiſſe. Lupi laicum alioqui macilentum penitus exederant, à Sacerdote alioqui corpore bene diſpoſito abſtinuerunt, vt vel ſic indicarent, quanti ſit Sacerdoti habenda dignitas, quando vel lupi præ quadam reuerentia abſtinent ab eſculento, quod maxime appetunt. Sed de ea re pluribus agemus in quadrupedibus.

TH. Vt addamus reliqua de coruis memoranda, illud reminiſci iuuat, omnia contrario eum more agere erga parentes, quam ciconiæ agant: vt enim meminerunt, ſe, cum pulli eſſent, à parentibus fuiſſe deſertos, fameque expoſitos, ita parentes ſuos ſenio confectos deuorant, qui eos fame tabeſcere olim compulerant; iure enim edunt, qui eos non pauerunt, ſicque prouerbio datus eſt locus: *Mali corui malum ouum.* Ælianus lib. 2. cap. 41. Sed admiror tantam crudelitatem in hac aue, cum induſtria ſit, & ingenio bene valeat, tum ad loquendum edocta, vt alias diximus, tum etiam quod è vaſe fere vacuo cum bibere non poſſet, ſenſu percepit, ſi adderetur lapidum congeries, aquam emerſuram, ingeſſit lapides, aqua ſuper excreſcens illi potionem commodam fecit, vt ſcribit Plin. lib. 10. c. 43. Ælian. libr. 2. cap. 48. Sed de coruo hactenus.

PH. Vt eſt coruorum deformitas, vnde malorum morum index, ita pulchritudo animantium bonorum morum quædam pars eſt, vt vidimus in columbis, ſed præcipue in pauone id patet, contra id, quod de deformiſſimo coruo diximus. Pauo igitur omnium auium pulcherrima, & viuens admirabilis eſt, & longe magis mortua. Plin. lib. 10. c. 20. intellectu & ambitione ipſum pollere ſcribit: ſed & Ælian. lib. 5. c. 19. expreſſius de eo tradit admiranda: *Pauo* (inquit) *inaniter glorioſus pictoribus ipſum imitari adnitentibus ſui pingendi poteſtatem facit, & ſpectatorem conſpectu ſuo expleri facile patitur.* Athenis viros ac mulieres admittentes, cum primum videri cœpit, ad huiusmodi ſpectaculum, ex eo quæſtum fecerunt: atque vt in oratione contra Eraſiſtratum Antiphon. inquit, marem & fœminam mille drachmis æſtimarunt. Hortenſius homo Romanus cœnam primus Romæ cum pauone dedit. Alexander Macedo eiusmodi aues apud Indos videns earum admiratione commotus in eos, qui has occiderent, grauem pœnam conſtituit. Plin. eod. cap. 20. qui etiam addit, cauda annuis vicibus amiſſa eſſe pudibundum, & quod gloriæ deficiat cauſa pauonem latebras quærere. *Pauo.*

TH. De pauonis mortui carne admirabile eſt, quod ſcribit S. Auguſt. de ciuit. Dei lib. 21. cap. 4. Sic enim ille: Quis enim niſi Deus creator omnium dedit carni pauonis mortui ne putreſceret? Quod cum auditu incredibile videretur, euenit, vt apud Carthaginem nobis cocta apponeretur hæc auis, de cuius pectore pulparum quantum viſum eſt decerptum ſeruari iuſſimus, quod poſt dierum tantum ſpatium, quanta alia caro quæcunque cocta putreſceret, prolatum atque oblatum, nihil noſtrum offendit olfactum; itemque repoſitum poſt dies amplius quam triginta, idem quod erat, inuentum eſt; itemque poſt annum, niſi quod aliquantum corpulentiæ ſiccioris & contractioris fuit. Hæc ille.

EQ. Reliquum mihi videtur differendum videlicet de auium magnitudine admiranda. Sol. c. 32. Æthyopicis, inquit, regionibus auis eſt, cui nomen Tragopa, *Tragopa.*

aquilis

aquilis ſane corporis mole maior eſt, at cornibus arietinis armata. At Vinc. hiſt. natur. lib. 16. cap. 141. tradit, hanc auem eſſe quidem Æthyopicam, nomen illi eſſe Tragopalem, ferruginei coloris, caput vt Phœnix, excepto quod arietina cornua haber, eſſeque aquilis maiorem ſcribit. Eadem & liber de natura rerum. Albertus Magnus lib. 23. dictione Tragopalis.

TH. Recentiores, qui Orbem luſtrarunt, tradunt, in Sinarum regionibus aues tam grandes eſſe, vt quemuis magnum quadrupedem raptum attollant. Pigaf. Sed ſi animaduertamus, quod Sophronius ſcribit in prat. ſpir. c. 21. non fuerit hoc incredibile. Sic enim ille ab Abbate Gerontio: *Eramus tres ſimul* (inquit) *trans mare mortuum, ambulantibusque nobis in montem Anachoreta quidam alius circa maris littus deambulabat. Contigit autem Saracenos tranſire per loca illa, & occurrere ipſi: cum ergo præteriiſſent illum, reuerſus vnus ex eis Anachoretæ caput abſcidit, nobis de longinquo ſpectantibus; cum vero lachrymaremur triſtes propter Anachoretæ caſum, repente cernimus auem ſuperne venientem raptum Saracenum in ſublime tuliſſe, atque inde in terram illum dimiſiſſe, ex eoque lapſu Saracenum interiiſſe.* Hæc ille.

PH. Hoc veritati absque dubio innititur relatu ſancti viri; verum cum lego, quę tradit Marcus Polus, incredibile eſſe puto, quod de aue Ruch narrat, niſi quod perſonæ authoritas aliquos reddit ad adhibendam fidem valde pronos. Scribit ille, in Inſula Magaſtar, hodie ſancti Laurentii, auem Ruch aquilarum forma tantæ eſſe vaſtitatis, vt elephantem rapiat, & in ſublime eleuatum dimittat in ruinam, & ideo ob caſum elephantem illiſum mori, ex cuius carnibus poſtea alitur: qui viderunt auem huiuſmodi ferunt, non perpetuo in Inſula incolatum facere, ſed à meridiano cœlo tranſuolare: retulit quoque, expanſis alis auem illam ſexdecim paſſus in latum patere, ſingulasque longiores eius pennas extendi ad paſſus octo. Craſſities pennarum pro portione eſt. Magno Cam exploratores in ipſam Inſulam mittenti allata ab eis penna eſt longa ad palmos 40. craſſa ad vlnas duas. Ita, ille lib. 3. ca. 35. Quis huic rei fidem adhibeat?

EQ. Fides huius rei ſit penes authores. Malo diſſerere de monſtroſa aue roſtrata, quam in Hiſpaniola Inſula compertam tradunt, huic ferunt ſiniſtrum pedem anſerinum eſſe, dextrum aquilinum, viuere ex rapto æque mari ac terra: anſerino pede recta inſidet tum terra, tum aquis, dextro rapta ori admouet, & lacerat, ac deuorat. Ouet. hiſt. lib. 14. c. 8. Quo loco licet ipſe aſſerat, inauditam rem eſſe, tamen liber de natura rerum eius meminit, appellatque aurifrigium, & in Balearibus Inſulis reperiri, vt atteſtatur Vinc. hiſt. natur. lib. 16. c. 39. At eodem lib. c. 134. porphyrionem appellat ex Ariſtotele, ac Plinio lib. 10. c. 46. At Plinius addit, porphyrionem ſolum morſu bibere, omnem cibum aqua ſubinde tingere, deinde pede ad roſtrum veluti manu afferre. Albert. Mag. lib. 23. litera P.

Porphyrio.

TH. At Ælianus lib. 3. c. 40. porphyrionem auem aliam putat, ſcilicet formoſiſſimam, in puluere mira voluptate ſe volutantem, ante prandium certis ſpatiis deambulantem, quæ à nemine videri vult. Dum edit, in occulto latens edit, acerrima riualitate ardet: mulieres, quæ ſunt ſine viro, obſeruat, ſi cum matrefamilias ſtuprum fieri cognouerit, ſe ſtrangulat. Ita ille. Id ſi verum eſt, admirandum ſane omnibus, quod in aue turpitudinis alienæ impatientia comperiatur. Hoc ſoli homini competit egregie iuſtitiam zelanti, vel ſuam, vel alienam, vt in Lucretia Romana patet, aut in Chriſtophoro Bongatnero Baſilienſi, qui quoniam vxorem adulterari compererat, ſeſe ex alto præcipitem ſponte dedit doloris impatiens, vt Su-

rius tradit anno Domini 1528. Aut in filiis Nauſimenis Athenienſis, cuius vxor cum inopinato ſuperueniſſet in locum, vbi filius & filia ſtuprum committebant, tanti facinoris perculſa conſpectu obmutuit attonita: at illi ſe compertos indignati, vitæ impatientes voluntaria ſe morte ſponte vterque mulctarunt, vt Max. lib. 5. cap. 6.

EQ. Diem hunc claudendum optarim agendo de perdicis aſtu: ſicut enim cœnæ nobis obſonium præſtitura eſt, ita eius aſtus & ingenium perquirendum eſt etiam cum ſapore. Ante omnia illud meminiſſe oportet, eis in Paphalagonia bina eſſe corda, vt tradit Aul. Gel. lib. 16. c. 15. quod malitiei egregiæ inſigne eſt, vt ait Pſalmus: *In corde & corde locuti ſunt.* Et alibi Propheta: *Væ duplici corde.* Et admirabilius poſtea, cum fallax animal ſit, adeo fœcundum eſt, vt non ſolum plurimos fœtus vno incubitu emittat, verum etiam vento flante concipiat ex aduerſo mare, vt tradit Ariſt. hiſtor. anim. lib. 5. c. 5. & lib. 6. cap. 2. Solin. c. 12. & Plin. libr. 10. cap. 33. cum tamen aues raptu viuentes adeo ſteriles ſint, vt vnum aquilarum par totam regionem occupet, teſte Plin. lib. 10. c. 33. Quin & quarto fere gradu deficiunt aquilæ: nam ex aquila halietus, ab halietis phæna, ab phæna miluus, à miluo ſteriles aues, ſine prole ſeneſcentes, vt tradit ex Ariſtotelis lib. de admir. Viues ad Auguſtin. de ciuit. Dei lib. 19. ad cap. 12. Rapacitatem ergo compeſcuit Dominus numero paruo, at innoxiarum auium copiam fœcunditatemque decreuit. Nam quid poteſt audiri admirabilius cothurnicum illa multitudine, de qua Num. 21. quando obmurmuranti populo Deus à transmarinis regionibus ventorum miniſterio terram cothurnicibus oppleuit, tanto terræ ſpatio quoquo verſus, quantum vno die itineris confici poteſt, id eſt, 30. millia paſſuum? quin hodie etiam compertum eſt, in Neapolitano Regno non procul à Neapoli Epiſcopos ex cothurnicibus ſolis tantum habere emolumenti, quod ad Epiſcopalem victum ſufficiat.

TH. Eſt præterea perdici mirum ingenium: nam ſi pullos ſecum habeat, & venator inſidietur, ſe ſimulat permitti capi, vt interim pulli euadant, dum venator capturæ matris occupatur. S. Baſil. in exem. hom. 8. & in hortatoria ad Baptiſma poſt med. & hom. 52. Quin perdicem Diabolo comparari idem ſcribit ex hoc aſtu: hunc aſtum etiam ſcribit Solinus c. 12. his verbis: *Si quis hominum vbi incubant perdices appropinquabit, egreſſæ matres venientibus ſe ſponte offerunt, & ſimulata debilitate vel pedum, vel alarum, quaſi ſtatim capi poßint, greſſus fingunt tardiores, hoc mendacio ſolicitant obuios, & eludunt, quoad prouectæ longius à nidis auocentur. Nec in pullis ſtudium ſegnius ad cauendum: cum enim viſos ſe perſentiſcunt, reſupinati glebulas pedibus attollunt, quarum obtentu tam callide proteguntur, vt lateant etiam deprehenſi.* Eadem Plin. lib. 10. c. 33. *Perdix.*

EQ. Nunquid verum, perdices Bœotias ſolum ſuum egredi non poſſe?

PH. Solinus id habet c. 13. Sic enim: Cum vbique perdices liberæ ſint, vt aues vniuerſæ, in Bœotia non ſunt, nec cum volant ſui ſunt iuris, ſed in ipſo aere, quas tranſire non audeant, metas habent. Inde vltra notatos iam terminos nunquam exeunt, nec in Atticum ſolum transmeant. Hoc Bœotiis proprium. Hæc eadem Plin. lib. 10. c. 29.

EQ. Perdix igitur cum adeo libera ſit, & aſtuta, numquid non fit cicur?

TH. Fit ſane: nam egregia id probatur hiſtoria apud Caſſianum coll. patr. libr. 2. collat. 24. cap. 21. Fertur (inquit) beatiſſimus Euangeliſta Ioannes, cum perdicem manibus molliter demulceret, quendam ad ſe habitu venatorio venientem ſubito conſpexiſſe, qui miratus quod vir tantæ opinionis ac famæ ad tam parua & humilia ſe

lia ſe oblectamenta demitteret: Tu ne es (inquit) ille Ioannes, cuius fama inſignis atque celeberrima, me quoque ſummo deſiderio tuæ agnitionis illexit? Cur ergo oblectamentis tam vilibus occuparis? Cui beatus Ioannes? Quid eſt, quod manu tua geſtas? At ille, arcus, inquit. Et cur, ait, beatus Ioannes non eum tenſum vbique circumfers? Cui ille reſpondit: Non conuenit, ne iugi curuamine rigoris fortitudo laxata molleſcat, ac depereat, & cum oportuerit, vt fortiora in aliquam feram ſpicula dirigantur, rigore per nimietatem continuæ intenſionis amiſſo, violentior ictus non poſſit emitti. Nec noſtri, inquit beatus Ioannes, animi te offendat, ô iuuenis, tam parua hæc breuisque laxatio, quæ niſi remiſſione quadam rigorem intentionis ſuæ interdum releuet, ac relaxat, irremiſſo vigore venteſcens virtuti ſpiritus, cum neceſſitas poſcit, obſecundare non poterit. Hæc ibi. Sed ſanctis Dei omnia animantia fiunt familiaria, quamuis fera & ſylueſtria: nam ad ſanctum Guthlacum Confeſſorem inhabitantem horridam Inſulam circa Angliam, cuiuscunque generis aues eremi alacriter accedebant vocatæ. In primo igitur hirundinum aduentu, cum veluti blande eum primo ſalutaſſent, certa nidificandi loca ſingulis aſſignauit. Illæ vero eius humeris familiariter inſidentes quodam gratulationis applauſu ſancti viri humanitatem prędicare videbantur. Cumque ab illo ſciſcitaretur vir quidam, vnde eſſet tanta illarum auium confidentia, & intrepida apud ipſum habitatio? Reſpondit: Qui toto corde fugit conſortia hominum, ei non ſolum feræ, & volucres, ſed cætera quoque omnia ſolatio ſunt, atque ei inſuper numquam deerit blanda conſolatio Angelorum. In vita ſancti Guthlaci peruetuſti auctores apud Surium. Alicubi tamen perdices gregatim hominem ducem ſequi viſæ ſunt, etiam ſublime volantes. Nam iuxta Trapezuntem perdices adeo cicures viſæ ſunt, vt ductorem hominem habeant ipſæ volantes, ſi ille quieſcat, & illæ ipſi circumſiſtunt: ita enim eas in Regiam deducit, ac poſtea reducit dimiſſis Imperatori, quæ videantur ad eſum neceſſariæ. Oder. lib. 1. in princ. Sunt tamen perdices alioqui doloſæ: nam aliena oua furantur, & fouent; ac vbi fœtus adoleuerint, euolant ab ea tamquam alienum parentem relinquentes. Qua re ſignificantur diuites fraudulenti, alienis rebus locupletati, deſerti tandem à rebus ipſis ſunt, quum è vita excedunt, vt docet S. Hieron. in comment. 3. ſuper Hieremiam ad c. 17. Tom. 4.

EQ. An autem domeſticæ natura aues poſſunt ſylueſtres fieri?

TH. Poſſunt, nec abſque miraculo. Nam ante terræmotum quendam Syracuſanum ſub Victore Tertio Papa, contigerat aues domeſticas ſponte fieri ſylueſtres. Platina in Victore III. Aues fuere gallinæ, columbæ, anſeres, pauones & conſimiles.

QVADRVPEDES COLLOQVIVM SEPTIMVM.

EQVES.

Leporaria hodie nobis inuiſenda ſunt: in iis enim plurima ferarum genera interpoſitis parietibus incluſimus: ac ne hoſtilitate naturæ mutuo ſæuiant, ſepta cuicumque generi ædificauimus valde ſpatioſa, vt libere alantur, ac fœtificent. Nobis autem non eſt opus ingreſſu ad ſingulas ſpecies ſpectandas. Turrim enim hanc

hanc contiguam cum ampliſſimo xyſto ereximus, vnde ſepta omnia ac vniuerſas feras proſpectare liceat: quæ ne cum ab homine ſe proſpectari aduerterint, ob feritatem ſecedant in latibula, ſpeculas, ac xyſtum omnem cancellis obteximus, vt ſæpe, diu ac tranquille cuique oblectari liceat ſpeculando, non modo ipſa corpora, verum & mores, quibus libere vtuntur, cum ſe à nemine videri exiſtimant. Leones igitur intra priora ſepta concluſimus, quos hinc percommode perſpiciemus.

PH. Rogo interim, cum hæc viuaria leonum, vrſorum ac tigridum ſint, cur leporaria dixiſti? Numquid inter animantia præcipuum leporem duxiſti poetico forſan illo perſuaſus carmine?

Inter quadrupedes gloria prima lepus.

EQ. Si de gulæ delitiis ageremus, forſitan Martiali carminis auctori credidiſſemus: ſed cum frugalitati magis nobis ſtudendum ſit, leporis huiusmodi gloriam nauci facimus. Non abſurdum tamen putamus, vt antiquitas leporaria nuncupauerit, quod lepores ſeptis incluſos aſſeruaret, vt cum res poſtularet, quaſi ex penu in promptu haberi poſſent; ac poſtea etiam ad reliqua animantia, retento nomine, translata fuerunt, vti ex M. Varrone de re ruſtica lib. 3. aliquando me didiciſſe memini: *Leporaria* (inquit) *accipienda non ea, quæ tritaui noſtri dicebant, vbi ſoli lepores eſſent, ſed omnia ſepta, ædificia, villæ, quæ ſunt, & habent incluſa animalia, quæ paſcuntur.* Sed non leporaria tantum, & viuaria nuncupata ea loca ſunt, verum etiam roboraria à tabulis roboreis, quibus fierent, vti Scipio puriſſimæ eloquentię vir in oratione contra Claudium Aſellium appellauit, Aulo Gellio teſte noctium Atticarum libro ſecundo cap. 20. Nos vero noſtra dici roboraria noluimus, quandoquidem optimis parietibus omnes ſpecies interclusimus.

TH. Longe ornatiora ſunt, ſimul & tutiora, ac diuturniora hæc lapidibus extructa, quam roboreis tabulis: nam præter id, quod perplura in Italia ſunt, illud eſt apud Ticinum eximie conſtructum à Mediolanenſibus Ducibus, pluribus diuiſum parietibus, ac vno perpetuo viginti millium paſſuum muro, quadranguli forma circumdatum, infra quem ambitum, inſigniſſimum extat Carthuſianorum cœnobium, quaſi quoddam Orbis miraculum. Sed proſpectemus leonem regium omnino animal.

EQ. Quamquam ſeptis omnes, quos videtis, leones incluſerimus, nihilominus ex eis perplures ſunt natura mitiſſimi, quos potius ignobiles ac degeneres appellauerimus. Aduecti fuere partim ex Mauritania, partim ex Indico nouo Orbe. Qui è Mauritania ſunt, nec lædunt, niſi læſi, & fugæ, ſi poſſunt, ſe dant potius, quam vt vlciſcantur: pueri ac mulieres eos facile perterrefaciunt, ac ſolis minis abiguntin Africano agro iuxta Atlantem montem, & iuxta vrbem Aglam ad Guarga flumen, vti memorat Ioannes Leonius de rebus Africanis p. 3. *Leo.*

PH. Hæc ante Leonium ſcripſit Ælianus hiſt. nat. libr. 3. cap. 1. tradit enim, pueros infantes, ſimili æqualique victus ratione, vno eodemque tecto, vt catulos leonum ali: quare leones Mauriſias voces intelligere putat. Nam ex eodem fonte cum homine bibunt: ſi alicuius domum ingrediantur, pulſari extra vti canes ſolent, imo & mulier illos obiurgat, & quantauis fame laborent, miteſcunt mulierum verbis, quæ plerumque ſunt huiusmodi: Non te pudet, cum ſis leo omnium animalium Rex, ad hoc tuguriolum diuertere pabuli tibi conciliandi cauſa? mulieri ſupplicatum venire, viceque hominis corpore male affecti, in muliebres

 manus

manus reſpicere ? & quem decet venari animalia , miſericordiam muliebrem exquirere canum more? His enim verbis verecundo afflictoque animo diſcedere.

EQ. Ignauum hoc leonum genus in iam dictis Africæ oris frigidiore cœlo compertum eſt, at feruentiore idem Leonius parte nona tradit, audaciſſimos ac ferociſſimos in Africa eſſe: qua frigoris ratione in nouo Orbe in continenti leones Mauritanis perſimili ignauia reperiri tradit Ouet. in ſummario hiſtor. capit. 14.

PH. Ego autem in hac re ita ignauiam leonum huiusmodi pernicioſiorem eſſe, quam feritatem puto: nam degeneres cum ſint, indociles quoque fuerint, & nullam ad rem vtiles; ſed quorum ferocitas natura inſignis eſt, ſi leniter exerceantur, dociles fient, & manſuetiſſimam vitam ducent. Propterea Hanno Carthaginenſis ferociſſimum leonem tanta arte perdomuit, vt eo vteretur ad vectiones ſarcinarum, vnaque cum Berenice manſuefactus leo viuebat, linguaque eius faciei blandiebatur, leniter abſtergens, ac complanans rugas demulcebat, cum ea quoque in menſa conuiuebat humaniter, & apte comedens, ſicut & Onomarchus Catanæ Tyrannus leones etiam habuit conuictores. Hæc Ælian. hiſtor. nat. lib. 5. cap. 39.

EQ. Non ad vectiones tantum perdomiti leones memorantur, ſed etiam iugo ſubdidit eos primus Romæ ad currum iungens Antonius, & quidem ciuili bello, cum dimicatum eſſet in Pharſalicis campis, vt habet Plin. lib. 8. c. 16.

TH. Hæc memoranda quidem ſunt, ſed longe memorabiliora, quæ à Chriſto nato contigere Dei ſeruis, & eius vere fidelibus: maiore enim miraculo per virtutem Dei miteſcere inuenti ſunt leones, & feciſſe, quæ ſoli homini ratione vtenti congruunt. Sanctus enim Sabbas, cum à Ruba ad Iordanem proficiſceretur, obuium habuit leonem pede ſaucium, cui medelam cum adhibuiſſet, etiam habuit famulantem. Nam cum illi aſinum commendaſſet, leo capiſtrum ore accipiens, & mane ad veſperam vsque ducens ad paſcua, veſpere ducens ad aquam, domum reducebat. Metaphr. in vita ſancti Sabbæ apud Surium Tomo 6. Decembri. Iuxta eundem Iordanem accidiſſe aliud tradit Sophronius Sophiſta in prato ſpirituali cap. 107. hunc in modum de leone quodam ad vectandas ſarcinas edocto. Vno (inquit) fere milliario diſtat à Iordane monaſterium, quod Abbatis Geraſimi dicitur: hic Abbas quadam die ambulans ſuper Iordanis ripam, obuium habuit leonem valde rugientem, ſuſpenſo pede, cui infixus erat ex calamo aculeus, adeo vt ex hoc pes ipſe intumuiſſet, & ſanie plenus effectus eſſet. Cum igitur vidiſſet leo ſenem, oſtendebat illi vulneratum ex infixo aculeo pedem, flens quodam modo, & obſecrans, vt illi curam adhiberet. Senex ſedens apprehendit eius pedem, aperiensque vulnus aculeum eduxit, cum reliqua putredinis copia, depurgatoque vulnere ac panno alligato dimiſit eum. Leo cum ſe curatum vidiſſet, noluit ſenem deſerere, ſed vt charus diſcipulus, quocunq; pergeret, magiſtrum ſequebatur, vt admiraretur ſenex tantam feræ gratitudinem. Igitur ex tunc ſenex nutriebat eum, mittens ante illum panem, & infuſa legumina: habebat autem ipſum monaſterium aſinum vnum ad ferendam aquam; conſuetudinem autem fecerat ſenex, vt curam paſcendi aſini leo haberet. Itaque abiens cum illo iuxta Iordanis ripas paſcentem obſeruabat. Quadam autem die, dum paſceretur aſinus, leo ſe ab illo longiuſcule auertit; cum ecce camelarius ex Arabia veniens inuentum aſinum abduxit. Leo vero amiſſo aſino rediit in monaſterium triſtis valde, &

Leo famulans.

deiecta

deiecta facie, ac ceruice ad Abbatem ſuum. Abbas igitur Geraſimus putauit, quod aſinum leo comediſſet, ait illi: Vbi eſt aſinus? Ille vero quaſi homo ſtabat tacens, & deorſum aſpiciẽs. Dicit ei ſenex: Comediſti eum? Benedictus Dominus, quidquid faciebat aſinus, amodo facies tu. Ex tunc igitur leo, iubente ſene, portabat canthelium capientem amphoras quatuor, ferebatque aquam in monaſterium. Die vero quadam venit miles quidam ad ſenem benedictionis gratia, qui cum videret leonẽ baiulantem aquam, didiciſſetq; cauſam, miſertus eſt eius, proferensque tria numiſmata dedit ſenibus, vt emerẽt aſinum ad ipſius aquæ miniſterium, vt eo labore leo liberaretur. Breui autem transacto tempore, poſtquam à labore fuerat liberatus leo, camelarius ille, qui abduxerat aſinum, veniebat, ferens triticum vt illud venũdaret in ſancta ciuitate, habens & aſinum ſecum: & cum tranſiſſet Iordanem, accidit, vt occurreret leoni; quo viſo, dimiſit camelos, & fugit. Leo autem, cognito aſino, cucurrit ad eum, & ore, vt ſolebat, eius capiſtrum mordens traxit eum cũ tribus camelis, & gaudens ſimul, & rugiens, quod perditum aſellum reperiſſet, venit ad ſenem. Senex autem putabat, quod aſinũ leo comediſſet, tum vero didicit, quia inſidias paſſus fuiſſet leo. Impoſuit autem leoni nomen Iordanem. Egit itaque leo in monaſterio cum fratribus plus quam quinque annos, nunquam recedens à ſene. Cum autem migraſſet ad Dominum Abbas Geraſimus, & a patribus ſepultus eſſet, per diſpenſationem Dei leo tunc in monaſterio inuentus non eſt. Poſt modicum vero venit leo in monaſterium, & quærebat ſenem ſuum. Abbas autẽ Sabbatius Cilix, qui & diſcipulus fuerat Abbatis Geraſimi, viſo illo, dixit ei: Iordane, ſenex noſter dimiſit nos orphanos, & migrauit ad Dominum: ſed accipe, & comede. Leo autem comedere nolebat, ſed iugiter huc atque illuc ſe vertens circumſpiciebat, quærens videre ſenem ſuum, ac rugitu magno ipſius abſentiam ſe ferre non poſſe ſignificans. Abbas autem Sabbatius, & ſenes reliqui fricantes eius ceruicem, dicebant ei: Migrauit ſenex, & dimiſit nos. Ille vero ex voce, facie, & oculis mœrorem oſtendebat, quem habebat non videns ſenem. Tunc ait illi Abbas Sabbatius: Veni mecum, duxitq; eum, vbi illum ſepelierant, diſtabat autem ab Eccleſia quaſi paſſibus quinque, & ſtans Abbas Sabbatius ſupra ſepulcrum, dixit leoni: Ecce, hic ſenex noſter ſepultus eſt, & inclinauit genua ſua Abbas Sabbatius ſupra ſepulcrum ſenis. Cum ergo leo vidiſſet proſtratum Sabbatium & flentem, tunc ipſe proſtrauit ſe percutiens in terram caput ſuum vehementer, & rugiens: atque ita continuo defunctus eſt iuxta ſepulcrum ſenis. Hoc autem totum factum eſt, non quia animam rationalem habuiſſe leo putandus ſit; ſed quod Deus voluerit glorificantes ſe glorificare, non ſolum in vita hac, ſed etiam poſt mortem: & monſtrare nobis, qualem primo homini habuerint ſubiectionem beſtiæ, priuſquam inobediens eſſet mandato, & antequam excideret a paradiſo deliciarum. Hactenus Sophronius. Cui perſimile eſt illud quoque, quod ferunt Sanctum Hieronymum ad onera ferenda parentem habuiſſe leonem, quem pede quoque debilitatum ipſe curauerat, vt Fulgoſus habet lib. 5. Sed Reuerendiſſimus Cardinalis Baronius nil tale putat accidiſſe Hieronymo, ſed hanc hiſtoriam fuiſſe eius nomine euulgatam ſimilitudine quadam nominis.

EQ. Perſimilia quædam narrarunt Ethnici de leonis gratitudine; ſed, vt fatear ingenue, accepti tantũ beneficii in leone memoria inſignis fuit, in ipſa Ethnicorũ hiſtoria. At in hac Sophronii elucent quædam alia ſuperantia ferarũ naturã, maxime erga defunctũ illa affectio, vt mori maluerit, quã benefactori ſuperuiuere.

 TH. Opta-

TH. Optarim audire exemplum illud Ethnicum, vt collatione facta, humana à diuinis internoſcantur.

EQ. Id habent Aulus Gellius noct. Att.lib.5.cap.14. & Ælianus hiſt. nat. lib. 7.cap.43. qui auctores vna hac ſola re differunt, quod hominem, cui hæc contingere, Gellius nuncupat Androdum, Ælianus Androclem, ſed ea res parui momenti eſt. Recenſenda igitur ſunt Gellii verba, quæ ſic habent: Appion (inquit) Polyhiſtor plurima, atque varia ſcientia vir ſe in vrbe Roma vidiſſe oculis ſuis confirmat hæc, quæ ſequuntur. In Circo maxima (inquit) venationis ampliſſimæ pugna populo dabatur. Eius rei (Romæ cum forte eſſem) ſpectator fui. Multæ ibi ſæuientes feræ, magnitudine beſtiarum excellentes, omniumq; inuſitata aut forma erat aut ferocia: ſed præter alia omnia leonum immanitas admirationi fuit, præterque omnes cæteros vnius. Is vnus leo corporis impetu, vaſtitudine, terrificoq; fremitu, & ſonoro, toris, comisq; ceruicum fluctuantibus animos, oculosq; omnium in ſeſe conuerterat. Introductus erat inter complures cæteros ad pugnam beſtiarum Dacus ſeruus viri Conſularis: ei ſeruo Androdus nomen fuit. Hunc ille leo vbi vidit procul, repente quaſi admirans ſtetit, ac deinde ſenſim atq; placide, tamquam noſcitabundus ad hominem accedit: tum caudam, more atq; ritu adulantium canum, clementer & blande mouit, hominisq; ſeſe corpori adiungit, curaque eius, & manus prope iam exanimati metu lingua leniter demulcet. Homo Androdus inter illa tam atrocis feræ blandimenta amiſſum animum recuperat paulatimq; oculos ad contuendum leonem refert. Tum quaſi mutua recognitione facta, lætos, & gratulabundos videres hominem & leonem. Hæc ille. Ea re prorſus tam admirabili maximos populi clamores excitatos dicit, accerſitumq; à Cęſare Androdum, quæſitamq; cauſam, cur ille atrociſſimus leonum vni parciſſet. Androdus rem mirificam narrat, atque admirandam. Cum prouinciam (inquit) Africam Proconſulari Imperio meus Dominus obtineret, ego ibi iniquis eius, & quotidianis verberibus ad fugam ſum coactus, & vt mihi à Domino terræ illius Præſide tutiores latebræ forent, in camporum & arenarum ſolitudines conceſſi, ac ſi defuiſſet cibus conſilium fuit mortem aliquo pacto quærere. Tum Sole medio rapido, & flagranti ſpecum quendam nactus remotum latebroſumq; in eum me penetrans recondo: neq; multo poſt ad eundem ſpecum venit hic leo debili vno & cruento pede gemitus edens, & murmura, dolorem, cruciatumque vulneris commiſerentia: atque illic primo quidem conſpectu aduenientis leonis territus & pauefactus animo fui: ſed poſtquam introgreſſus leo in habitaculum illud ſuum videt me procul deliteſcentem, mitis, & manſuetus acceſſit, & ſublatum pedem oſtendere mihi, & porrigere, quaſi opis petendæ gratia viſus eſt. Ibi ſtirpem ingentem veſtigio pedis eius hærentem reuulſi, conceptamque ſaniem vulnere intimo expreſſi, accuratiusque ſine magna iam formidine ſiccaui penitus, atque deterſi cruorem. Ille tunc mea opera, & medela leuatus, pede in manibus meis poſito recubuit & requieuit, atq; ex eo die triennium totum ego, & leo in eodem ſpecu, eodemque victu viximus. Nam quas venabatur feras, membra opimiora ad ſpecum mihi ſuggerebat, quæ ego ignis copiam non habens Sole meridiano torrens edebam; ſed vbi me vitę illius ferinæ iam pertęſum eſt, leone in venatum profecto, reliqui ſpecum, & viam ferme tridui permenſus, à militibus viſus, apprehenſusq; ſum, & ad Dominum ex Africa Romam deductus. Is me ſtatim rei capitalis damnandum, dandumq; ad beſtias curauit. Intelligo autem hunc leonem quoq; me tunc ſeparato captum, gratiam núc

Mira leonis familiaritas cum homine.

mihi

mihi beneficii,& medicinæ referre. Hæc vbi Cæſari dixiſſet Androdus,cunctis petentibus, dimiſſus eſt,& pœna ſolutus,leoque ei ſuffragiis populi donatus. Poſtea Androdus, & leo loco tenui reuinctus vrbe tota circum tabernas iere; donabatur ære Androdus,floribus ſpargebatur leo,omnesq; fere obuii dicere audiebantur: *Hic eſt leo hoſpes hominis, hic eſt homo medicus leonis.*

TH. Egregium equidem hoc gratitudinis exemplum fuit,ſed aliud nihil pręterea in hac hiſtoria,cum alia plura in Geraſimi leone eluceant cuiusdam quaſi rationis veſtigia: at deinde ſæpe Chriſti Dei Martyribus pepercere leones, non hac beneficii accepti rependendæ gratiæ cauſa; ſed vt ſe homini Deo dilecto ſubeſſe oſtenderent,neq; licere in eum ſæuire.Nam & Diuus Paulus Apoſtolus,& Thecla eius diſcipula, ſanctiſſimaq; virgo leonibus obiecti fuere vterq; intacti, ceruiceq; humili miteſcere viſi ſunt leones,adorare veſtigia potius,quam in eos ſæuire: cum nullum neq; à Paulo,neq; à Thecla beneficium accepiſſent,aut expectarent. Cuiusmodi Elpis Samius,quando naue in Africam delatus eſt,ac leonem patente hiatu conſpiciens in arborem aſcendit: nam leo,quod in dentib.os infixum eum cruciabat, hiatu patenti auxilium ab homine implorabat, depulſo metu, eduxit os Elpis,& diu illo in littore leonis gratiam eſt expertus; nam quotidiana ex venatione alebatur. Plin.lib.8.cap.16.

EQ. Memorant præterea Ethnici leoni ineſſe aliquando miſericordiam, ſed id à magnanimitate deprehenſum eſt retenta ferocitate naturæ: at cum ſeruis Dei famulati ſunt,aut pepercere,depoſita feritate, manifeſtiſſima cauſa fuit ſola reuerentia,ac Dei voluntas,quæ(vt diximus)glorificantes glorificat.Nam Danieli leones obliti vrgentiſſimæ famis pepercerunt, hominem venerati Dei vtiq; ſeruum: eos autem,qui,vt Daniel in lacum mitteretur, omnem nauarant operam, in momento leones iidem deuorarunt. Dan.14. Nam quod Solinus habet cap.29.eſt quidem memoratu dignum; tradit enim quosdam Africæ leones,qui alternis diebus cibum,alternis potum capiunt: & cum concoctio non eſt inſequuta ſolitæ cibationi ſuperponunt diem, proſtratis parcere,in viros potius, quam in fœminas ſæuire, infantes non niſi in magna fame perimere: quum(vt ipſe inquit) nec à miſericordia ſeparantur: aſſiduis enim exemplis patet eos peperciſſe, cum multi captiuorum aliquot leonibus obuii intacti repatriarint. Getulæ etiam mulieris nomen Iubæ libris comprehenſum eſt,quæ obteſtata occurſantes feras impunis rediit; quod apertioribus verbis Plin.lib.8.cap.16.enarrauit: *Leoni*(inquit)*tantum ex feris clementia in ſupplices: proſtratis parcit,& vbi ſæuit,in viros prius,quam in fœminas fremit,in infantes non niſi magna fame.* Credit Lybia intellectum peruenire ad eos precum. Captiuam certe Getulæ reducem audiui, multorum in ſiluis impetum à ſe mitigatum alloquio, auſæ dicere ſe fœminam profugam, infirmam, ſupplicem animalis omnium generoſiſſimi, cæterisque imperantis, indignam eius gloria prædam.

PH. Recte ſane dicerem leonem ſibi potius miſericordem,quam alii, quando non niſi ſine fame parcat infantibus; vacuus à fame quid virtutis eſt, ſi hominem non edat?Non eſt igitur admirandum;nam,vt Ariſtoteles habet hiſt.animal.lib.9. cap.44. *Leo, quamuis in edendo ferociſſimus ſit, tamen paſtus, & fame iam vacans, facilis, mitisque maiorem in modum eſt, nihil hic ſuſpicatur, nullius ſuſpicioſus eſt, feſtiuus, ludibundus, beneuolus admodum ſuis cum ſociis, & familiaribus eſt.* Hactenus Ariſtoteles. At non ita cum miteſcunt homini Chriſtianæ pietatis obſeruatori, etiam fame-

lici

lici irati, cuiusmodi de Daniele iam memoratum eſt, ac de Paulo & Thecla, atque aliis innumeris. Dei etenim agentes iuſſa, atq; accepti beneficii cauſa, neque accipiendi muneris ſpe, reuerentur Dei ſeruos: nam (vt vidimus) Geraſimum defunctum leo adhuc amauit, mortui ſocium ſe faciens ſpontanea morte, vt viuenti etiam ſodalis erat fideliſſimus.

EQ. Si non eſt admirandum hominem à leone non perimi, cum non vrgeat fames, adnotanda tamen res eſt, non lædi ab irato: admirabile honorari viuentem, admirabilius mortuum. Nam quando Paulus Primus Eremitarum iuxta Thebaidem in vaſtiſſima eremo degens in antro defunctus à Sancto Antonio compertus eſt, cum ſarculum, quo terram foderet, ad illum ſepeliendum non haberet; duo leones ex interioris eremi parte currentes directo curſu ad cadauer Beati ſenis ſubſtiterunt, adulantibusq; caudis circa eius pedes accubuere fremitu ingenti rugientes prorſus, vt intelligeres eos plangere, quomodo poterant. Deinde haud procul cœperunt humum pedibus ſcalpere, arenamq; certatim egerentes vnius hominis capacem locum foderunt, ac ſtatim quaſi mercedem pro opere poſtulantes, cum motu aurium, ceruice deiecta ad Antonium perrexerunt manus, pedesque eius lingentes, quaſi benedictionem ab illo precantes, ac quaſi muta quoque animalia Deum eſſe ſentirent, manu annuente illis Antonio, vt abirent, vti imperanti parentes receſſerunt. Hæc S.Hieron.in vita S.Pauli primi Eremitæ.

TH. Irrationalia animalia (vt videtis) obſequuntur ſemper intelligentiæ non erranti: egere ii leones defuncti ſepulcrum, quod ſolius Dei curæ Paulus commiſerat: egere ſine vlla accepti beneficii memoria, nihil præterea à mortuo ſperantes. Adeo enim erga Dei miniſtros bene afficiuntur animantia ipſa, vt, ſicut diximus, quaſi benedictionem ab Antonio poſtularint.

EQ. Eſt ſane res relatu digna, vt à mutis quoque animantibus piorum hominum pietas etiam agnoſcatur, vnde beneficia ſe habitura ſperent, memini aliquando legiſſe me in libro, cui titulus Vita Sanctorum Patrum, parte 3. de conuerſione monachorum Ægyptiorum capit. 8. Leenæ quinque catuli luminibus carebant, nulla arte medicabili cæcitate. In eadem eremo degebat Anachoreta inſigniſſimæ ſanctitatis, ad quem inuiſendum tum duo ex Nitria monachi venerant, quibus comitatus cum per eremum progrederetur, leenam ad ſe venire cõſpiciunt: beſtia licet tribus repertis iis patribus non ignara quem peteret, Anachoretæ pedibus aduoluitur: ac præiens, & in eos intendens facile eos mouit, vt intelligerent eam velle, vt quo illa ducebat, Anachoreta ſequeretur. Sequuntur, & ad beſtiæ ſpeluncam peruentum eſt, vbi illa adultos quinque catulos male fœta nutriebat, qui vt clauſis luminibus ex aluo matris exierant, cæcitate (vt diximus) perpetua tenebantur: quos ſingulos de rupe prolatos ante Anachoretæ pedes mater expoſuit. Tunc demum Sanctus aduertit, quid beſtia poſtularet, inuocatoque Chriſti nomine, contrectauit manu clauſa lumina catulorum, ac ſtatim cæcitate depulſa, apertis oculis beſtiarum, diu negata lux patuit; vt ſic teſtibus adhibitis Chriſti gloria non lateret. Hæc ibi.

Leo vt beneficii ita & iniuriæ memor.

PH. Rependunt igitur Sancti etiam belluis gratitudinem, iisque iure beneficium, vt cum ſunt diuinæ voluntatis miniſtri leones in diuinis perſæpe rebus, ita & iram illius exercent, cum crimen expoſtulat. Natura enim leonis vt accepti beneficii memor eſt, ita etiam iniuriæ nõ obliuiſcitur: nam vulneratus obſeruatione mira percuſſorem nouit, & in quantalibet multitudine appetiit; eum vero, qui tel quidem

quidem miſerit,ſed tamen non vulnerauerit,correptum, raptumque ſternit, nec vulnerat,Plin.lib 8.c.16. Ariſt.hiſt.anim.lib.9.c.44.

EQ. In id cuiusq; rei enarrat exemplum Ælian. hiſt.anim.lib.7.c.9.his verbis: *Leo*(inquit)*vti beneficiorum,ita iniuriæ memor eſt, admirabili quadam arte. Nam etiam poſt annum vindicaſſe repertus eſt:in exercitu enim Iubæ Mauri (fuerat is pater alterius Iubæ pueri, qui Romam in triumphum fuerat adductus) adoleſcens leonem leui ictu percuſſerat venando,poſt annum in reditu exercitus per eadem loca leo exercitum penetrauit, neminem prorſus lædens,niſi illum vnum adoleſcentem diſcerpens, nec vllis auxiliis tot hominum valuit defendi.*

PH. Vt igitur proprias vlciſcitur leo iniurias;ita multo magis diuinas;nam vt libris ſacris continetur lib.4.Reg. c.17.*cum Iſrael idololatriæ ſeſe dediſſet ſub Ieroboam Rege,immiſit Dominus leones,qui interficiebant eos.*

TH. Huic rei ſuffragatur, quod habet lib.3.Reg.cap.13. Mirificus enim erat quidam Propheta Hieroſolymis, nam in Bethel Regis Hieroboam manum areſcere miraculo fecerat, ac rurſum oratione ſua incolumen reſtituerat; iuſſerat autem Dominus ei, ne in Bethel aquam, panem, aut quidquam aliud in cibum contingeret: rogatus tamen ab alio Propheta,quaſi ex Angelica viſione, vt comederet panem,& aquam biberet,quia præcepto Domini non paruit,cum rediret, inuenit eum leo in via,& occidit. Tradidit enim eum Dominus leoni,qui de eius cadauere non comedit,nec de aſino, quo Propheta vehebatur. Et quod magis miror, hunc Prophetam occidit,non aſinum,nec Prophetam illum,qui hunc ſeduxerat:nam& ibi vbi leo cadaueri aſſidebat, adfuit Propheta,qui inuitauerat,qui & inobedientię eius cauſam præbuerat.

EQ. Ni fallor,quamquam in ipſis ſacris literis huius occiſi Prophetæ nomen taceatur, tamen beatus Petrus Damianus in ſermone de Sancto Ruffino Martyre meminit fuiſſe ei nomen Abdo, quem viuentem leo potuit quidem occiſurus inuadere, ſed cadauer eius nequaquam permiſſus eſt aliquatenus violare. Apud Lipom.Tom.8. Sed de his rebus hactenus.

PH. Vt autem ad leonum naturam redeamus, audaciſſimum hoc animal minimis rebus afficitur etiam metu. Plinius enim lib. 8.cap.16.& lib.10.cap.21. *Leonem rotarum orbes circumacti* (inquit) *curruſque inanes, & gallinaceorum criſtæ, cantuſque etiam terrent,& maxime ignes.* Quod & Ælianus habet lib.5.cap.50.& Albert.lib.23.litera G. *Leo meticuloſus.*

TH. Id ita eſſe etiam Sancti Patres affirmauerunt. Nam Sanctus Ambroſius in exemero lib.6.id habet,& Albert.Magn.in volumine de animalib. à ſe conſcripto memorat longe magis metuere conſpecto albo gallinaceo.

EQ. Aſſentiuntur etiam recentiores auctores: nam hæc habet Petr.Hiſpal.in Silu.p.2.& quo ad ignem ſpectat,etiam Ariſt.tradit lib.9.c.44. Mirari igitur oportet,quomodo qui vel ſola voce omnibus animantibus terrori eſt, Baſilio teſte in hom.9.exemero,leuia hæc poſſit pertimeſcere.

PH. Forte quæ leoni aduerſa contingunt, iure ob id illi obueniunt, quod dum naſcitur, matris ventrem diſcerpit: id enim vulgo ita ferri affirmat Plin.lib.8. cap.16.

TH. Non ſolum id vulgus affirmat,ſed & apud ſanctiſſimos Patres pro comperto habetur,vt eſt apud Baſilium in exemero hom.9. atque ideo cenſeo pœnas eum commiſſi in matrem criminis luere, præter id, quod ipſa origine natiuitatis

velut attoniti leones eduntur in lucem, triduoque velut mortui dormiunt, deinde parentis rugitu excitantur. Origen poſt homilias ad Pſalm.38.de benedictionibus Patriarcharum. Præterea peperit ei natura æmulum animalculum, à quo perfacile occidatur, leontophona nuncupari conſueuit, aliis leonicida. Ariſt. de admirandis

Leonicida.

etenim lib.c.142.ſic habet: *Naſcitur quoddam animal in Syria quod leonicida appellatur: moritur enim leo, ſicut patet, cum illud comederit, quod quidem non facit ſponte, ſed animal illud deuitat. Verum cum venatores id comprehendunt, aſſant, farinisq; albis conſpergunt, ſicut alia aſſata animalia, atq; illud guſtatum repente leonem interimit. Coniicit idem animal vrinam in leonem, quæ ſi contigerit, illi fert exitium.*

PH. Auget miraculum, quod leotophona paruum hoc animal alibi non naſcitur, quam vbi leo gignitur, in eius necem, vt ſic mortuus hoſtis incolumem, vincentemq; hoſtem occidat. De eo Solin.c.29.& Plin.lib.8.c.38.

EQ. Habet leo ſuos quoq; æqualis ferocitatis ipſa natura hoſtes: nam in Perſide Indica ad Regem Aſſambra allatum animal fuiſſe memorant, cui nomen Bar-

Barbuth hoſtis leonum.

buth leoni perſimile: Verum tamen leonum hoſtis infenſiſſimus eſt; cauda illi eſt leonina, rufo toto corpore, maculoſo, etiam facie albis maculis, nigrisq; diſtincta ventre candido: conſpecto leone, mox in iram accenditur, inq; humeros corpus erigit, & caudam eadem forma, qua feles cum canibus conſpectis, iraſcuntur. Ioſaphat Barbarus, in itinerario p.3.c.10. Atq; ita fit, vt leo & minima exhorreſcat, & æqualia quoq; timeat, nusquam ſuo principatu ſecurus, quod Tyrannorum eſt proprium. Habent leones etiam canes, quos timeant. Sed id mox dicemus, quando de ipſis canibus mentio inciderit.

TH. Propterea quia varia eſt leonum fortuna, cum ignaui alii, alii audaces, voluit quoq; natura colores albos, atq; alios illis imponere: fuluo quandoque, ac plerunq; ſunt, præſertim Africani: at in Regno Coulam in Aſia Orientali, vlterioreq; India prorſus nigro pilo ſunt, teſte Marco Polo lib.3.cap.25. in Syria quoque eodem nigro pilo veſtiuntur. Plin. lib. 8.cap.17. Nigros quoque & quanti ſunt in Italia grandes bubuli Indiæ vrbem Taua gignere memorat Odericus poſterior in princ. Sed quod admiror plurimum eſt, oſſa leonum eſſe concreta, parumq; in eis eſſe medullæ, ignemq; ab eis excuti, ſicuti à ſilice. Id habet Ariſtotel. hiſt. anim. lib. 3.cap.7. & Ælianus lib.4.cap.3. Quod Tyrannorum proprium eſt, vt propterea ſitiant alienas medullas, quoniam in ipſis nihil ſit, aut parum. Sed de leonibus hactenus nimium.

PH. Satis, ſuperq; de leonibus. Verum non ſunt prætermittenda duo eius adnotanda naturæ priuilegia: primum quod ſagaci iudicio nobiles ab ignobilibus viris diſcernat, degeneres à generoſis ſolo conſpectu. Eius rei periculum fecit Henricus cognomento Ferreus Comes Holſatiæ, cum ei militanti ſub Anglorum Rege gens illa ignobilitatem exprobraſſet: nocte enim frementem leonem illi nihil tale ſuſpicanti obiecerunt. Leo autem de hominis nobilitate, velut teſtis eius pedibus proſtratus eſt, vt Krantzius memorat.

TH. Id fabuloſum eſt vel ipſo Krantzio teſte Saxon.lib.7.cap.8. At ſane leonis nobilitas vel ipſa eius munditie deprehenditur, quandoquidem eius etiam defuncti corium non modo viuentis munditiam ſeruat (nullis enim tineis leo fœdatur) verum etiam veſtes à tineis protegit, ſi inuolutæ eius corio ſint, quod Alb.Magn. de animal. tradit in leone lib.23.

EQ. Conuertamus igitur ſermonem à ſilueſtri hoc animali ad domeſticos, ac

de ca-

de canibus numquam fere noxiis loquamur, iungemusque caniculam leoni, ſicut hoc tempus ab vtroque nomen accepit. Et ii leonum ſæpe infenſiſſimi hoſtes, & virtute illis pares. Solinus enim lib.1.cap.20. Apud Albanos (inquit) illos populos, qui albo crine naſcuntur, & qui plus nocte quam die vident, canes naſcuntur, qui feris omnib. anteponuntur: frangunt tauros, leones perimunt, detinent quidquid obiectum eſt. Quibus ex cauſis meruerunt etiam Annalibus tradi. Legimus petenti Indiam Alexandro à Rege Albaniæ dono duos miſſos: quorum alter ſues ſibi, & vrſos ablatos vsque adeo ſpreuit, vt offenſus degeneri præda, ignauo ſimilis diu accubaret, quem per ignorantiam, velut inertem Alexander extingui imperauit. Alter vero monitu eorum, qui donum proſequuti erant, leonem miſſum necauit. Mox viſo elephanto, notabiliter exultans belluam primum aſtu fatigauit, deinde cum ſummo ſpectantium horrore terræ affixit. Hoc genus canum creſcit ad formam ampliſſimam, terrificis latratibus vltra leones rugitibus inſonans. Hactenus Solin. Nec admodum diuerſa narrat Strabo lib. 15. Eadem prorſus habet Plin. lib.8.cap.40.

PH. Exiſtimatum eſt canes huiusmodi à tigribus gigni. Ariſt. enim hiſt. anim. lib.8.c.28. tradit ſicut vulpe, & cane gigni Laconici canes comperti ſunt, ita tigri & canes cui Plinius accedit lib.8. cap.40. quod quomodo fiat, & quantis poſtea ſint viribus. Ælianus narrat hiſtor. animal. lib.8. cap.1. *Indici* (inquit) *canes ferociſſimi: nam fœminæ alligantur arboribus, vbi tigres habitant. Si contingat tigres Venere manſueſcere, & coire, gignuntur adeo mirabiles canes, vt leonibus ſint virtute pares.* Nam ſumma Indus nobilitate homo Alexandro Philippi Regis filio horum roboris canum ſic periculum fecit, vt primo ceruum emitteret. Canis ex eo loco, vbi quieſcebat, eum deſpicatiſſimum habens, nihil ſe commouit, ſicut nec apro immiſſo, ac eiusmodi aliis feris obiectis. Ad extremum cum leonem protuliſſent in medium, vt vidit, cum ira exarſit, ac profecto tamquam iuſtus hoſtis in certamen deſcendiſſet, ſine mora intrepidus inuaſit: atque acerrima comprehenſione leonem conſtrictum tenens, illius fauces premebat, & ſuffocabat. Tum Indus, qui hoc ſpectaculum Regi præbebat, quique probe ſciebat, eius robur & animi conſtantiam, primum huic caudam abſcindi iuſſit, is præ ipſo leone, quem mordicus tenebat, ſibi caudam facile abſcindi patiebatur: deinde etiam crus ſuffringi imperauit: is vero æque, vt à principio vrgebat, & perinde nihil remittebat, quaſi alienum crus, & ad ſe nihil pertinens ſuffringeretur; poſt alterum, vnde is quoque nihil commotus arcte tenebat; tum tertium incidi præcepit, is ſimiliter, vt ante, nihil ſe relaxauit à retinendo leone; tum etiam quantum crus abſcindi voluit, is nihilo remiſſior factus, nihilque minus leonem retinens maximo robore ad eius perniciem incumbebat: denique etſi caput à reliquo corpore abſciſſum erat, illius tamen dentes ex illa leonis parte, in quam primum defixi fuiſſent, pendebant ſimul: & quamuis is, qui eos in initio defixiſſet, iam mortuus eſſet, eius tamen ipſius etiamnum ex leone appenſum caput ſublime ferebatur. Doluit tum Alexander mortem canis, quare alios quatuor illi Indus donauit, cui, vt Alexandrum decebat, gratiam rependit. Hæc ab Æliano, qui etiam lib.4.cap.18. de eisdem Indicis canibus ſic habet: Ferociſſimi ſunt canes Indici, & fortiſſimi, ac canum maximi, reliqua animalia contemnunt, contra leonem pergunt, & inuadentem ſuſtinent, rugienti oblatrant, mordentem mordent, & poſtquam multis malis leonem affecere, & læſere, non niſi morte vincuntur, ac ſi leo victus fuerit, tamen canis mordens fortiſſime

Indici canes.

Certamen canis cum leone.

eum retinet,nec morſum remittit,etiamſi enſe eius crura abſcindas, nec niſi mortuus relaxat morſum.

TH. Ii igitur canes ſunt, quos Sanctus Iſidorus meminit lib.14. leonibus dicens eſſe fortiores, ſed Albanos eſſe dicit, Indos autem è Polymbrota ampliſſima vrbe proficiſci, quæ iuxta Gangem ſita eſt; tradit Ramuſius in ſcholio ad Iambuli itinerarium Tomo 1.

EQ. Quanquam Plinius lib.6.c.32. dicat in Canariis Inſulis canes eſſe miræ magnitudinis,tamen Indicos omnibus eſſe grandiores affirmat lib.7. cap.2. quod & Marcus Polus tradit lib.2.c.37. præcipue in regno Thebeth validiſſimos eſſe, & aſini magnitudine aduerſus feras omnes dimicare. Vnde fortitudo haud dubie proficiſcitur, ſicut & audacia. Nam ſilueſtres, agreſteſq; eos gigni oportet, ne familiari conſuetudine nimium miteſcant. Propterea Indici præualent omnibus, ꝙ ibi ſilueſtres ſponte reperiantur in montibus quibuſdam intimis, ad quos eam ob cauſam videtur hominum acceſſus eſſe perdifficilis, vt Ælianus memorat libr.16. cap.20. Horum igitur catulos ab indigenis aſportatos, & enutritos facile coniicio tantæ eſſe ferocitatis.

TH. Id facile & ego puto: nam domi familiarius aliti animo eneruātur. Compertum eſt enim apud Tartaros Septentrionales, vbi ingentes glacies viget, cum incolæ trahis ſeu curribus vtantur, prægrandes canes aſini magnitudine domi familiarius alitos ſubire iugum docent, & trahas vehere, cuiuſmodi boues ſolent. Marcus Polus id narrat lib.3.c.43. binoſq; eos iugo ſupponi memorat.

TH. In canibus non admiror vires,quæ tigribus etiam,atque aliis feris multis communes ſunt; ſed inſitas quaſdam quaſi virtutes ſolis ipſis proprias. Nam Baſilius in exemero homil.9. Dialecticen quanqam canibus ineſſe diſſerit iis verbis: Rationis quidem expers eſt canis, æquiualentem tamen rationi ſenſum habet: quæ enim per multæ vitæ otium deſidentes mundi ſapientes vix inuenerunt,ſyllogiſmorum,inquam,plexus, ea ſe à natura edoctum oſtendit canis. Veſtigium enim feræ perſcrutans, vbi inuenerit ipſum multiformiter fiſſum, digreſſiones quocumque diuertentes ſingulatim rimatus tantum, non ſyllogiſticam vocem per ea, quæ facit,edit,aut hac (inquit) fera diuertit, aut illac, aut in hanc partem: Atque neque hac, neque illac, reliquum igitur ipſam hac digreſſam eſſe, & ſic per deſtructionem falſorum verum inuenit. Quod magis eximium faciūt, qui in Mathematicis figuris deſignandis reuerenter, & cum graui auctoritate deſident, & puluerem lineis inſculpunt & tribus depoſitionibus tollentes,& deſtruentes duas, & in ea, quæ reliqua eſt, veritatem inuenientes: Hactenus Baſilius, qui & aliud addit. Porro (inquit) memoria beneficii huius animalis, quem non ex ingratis erga benefactores pudefacit? Cum ſane multi canes etiam occiſis Dominis ſolitudine commortui eſſe commemorantur. Iam vero quidam in recenti adhuc facto, & affectione etiam viæ duces iis, qui occiſores inquirunt, facti ſunt, & ad pœnam rapi malefactores fecerunt: cui perſimile in Epiro contigiſſe memorat Plin. lib. 8.cap.40.

Canis animal fideliſſimum.

EQ. Quod anguſtioribus verbis Baſilius & Plinius ſubindicarunt, apertioribus S. Ambroſius explanauit: Nullum (inquit) animal tam tenax eſſe beneficii poteſt, vt canis,& memor gratiæ,quandoquidem pro domino ſuo & latrones inſilire,& extraneos nocturnos acceſſus nouerit prohibere,mori pro dominis,&commori dominis ſunt parati; ſæpe etiam illatæ necis euidētia canes ad redarguendum reos

reos indicia prodiderunt. Nam Antiochiæ, in remotiore vrbis parte, ferunt virum necatum, qui canem ſibi haberet adiunctum: hunc enim quidam miles prædandi ſtudio interfecerat, & in alias partes ceſſerat. Iacente autem cadauere inhumato, frequens ſpectantium vulgus aſtabat. Canis autem vultu lachrymabili ærumnas domini ſui deflebat. Is vero, qui necem intulerat, ingenii verſutia, quo præſumptam fidem aſciret innocentiæ, ad illam circumſpectantis populi coronam quaſi miſerans acceſſit. Tunc canis, ſequeſtrato paululum doloris queſtu, audaciam vltionis aſſumpſit, & apprehenſum tenuit, ac velut epilogo quodam miſerabile carmen immurmurans vniuerſos in lachrymas conuertit, fidemque probationi attulit, quia ſolum eum ex plurimis tenuit, nec dimiſit. Refert eadem prorſus Vinc. hiſt. lib. 19. c. 13.

PH. Excitauere alii quoque canes ſuis latratibus iudicia publica in facinoroſos, adeo non ſolum perſonæ domini, verum honoris, & rerum curam canis geſſiſſe repertus eſt. Nam cum è templo Æſculapii Athenis ornamenta furto ſublata fuiſſent, canis ſemper eſt latronem inſequutus adlatrans, non abſtinens, nec lapidum ictibus nec buccellis pinguibus, idque indicio ſufficere viſum eſt, vt inquireretur in latronem adlatratum, qui comprehenſus & tortus, faſſus eſt, & ſupplicium ſumptum de eo: cani vero publice decreta alimonia. Id habet Ælian. hiſt. anim. lib. 7. c. 13.

EQ. Eadem cura cani comperta eſt circa domini res à furibus ablatas Eupolidi Poetæ Comico. Nam illi Augeas Eleuſinus munere canem donauerat forma præſtantem, quem Eupolides etiam Augeam appellauit. Cum igitur Ephialtes ſeruus domino Eupolidi furtum faceret, canis inſultans in furem, mordicusq; comprehendens interfecit. Eupolide poſtea in Ægina defuncto, canis & vlulatu prælongo & mœrore, inediaque extinctus eſt. Æl. hiſt. ani. li. 9. c. 42.

TH. Vt rerum, ita & honeſtatis domini curam canes gerere comperti ſunt. Catellus enim Siculus adultero infeſtiſſimum ſe præbuit: nam etſi adulteræ familia omnis corrupta faueret admiſſo adultero, repentino mariti reditu, neceſſarium fuit certo quodam loco adulterum occludere. Catellus ſolus fidelis numquam ceſſauit oſtium illud adlatrare, pedibusque fores conuellere adnitens, marito indicium fecit, aliquid ibi latere mali: reſerato oſtio, inuentus eſt adulter armatus, vt maritum futura nocte occideret, adulteram ducturus. Ex Æliani hiſt. anim. lib. 7. c. 21.

EQ. Fides non abſimilis, ſed inhoneſtior in cane Peruſino fuiſſe memoratur: nam vt domini rebus incumberet, furibus adlatrabat; ſed adeo addictus erat dominæ ſuæ amaſiis, vt absque latratu noctu eos admitteret. Cumque catulus is obiiſſet, memini me legiſſe diſtichon à Poetis tunc compoſitum his verbis:

Latrabam ad fures, ſed amantum furta tacebam,
Vt placui domino, ſic placui dominæ.

TH. Sane hæc canis turpiſſima taciturnitas videtur illi comparanda, quam in Sacerdote populorum vitia conniuente exprobrant ſacræ literæ. Eſaias enim c. 56. *Canes* (inquit) *muti non valentes latrare videntes vana, dormientes & amantes ſomnia, & canes impudentiſſimi neſcierunt ſaturitatem, ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam, omnes in viam ſuam declinauerunt.* Hæc Eſaias, vt paſtorum infidelitatem corriperet, qui poſiti vt doceant, & criminoſis obſiſtant, nihil horum agant, quaſi neſcientes

 latrare,

latrare, fœdari criminibus domum Dei permittunt. Sed de iis rebus non eſt præſens negotium.

Canis mutus.

PH. Mutos canes reuera eſſe non eſt nouum, quibus natura latratum negauit: nam in Inſula Hiſpaniola noui Orbis omnes prorſus canes neque latrare ſciſſe, neque potuiſſe, quin etiam percuſſos non clamare, nec gemitum edere tradit Ouet. ſumm. hiſt. cap. 26. & lib. 12. c. 5. Quod vero Plin. habet lib. 30. c. 16. canes muteſcere, ac non latrare in eum, qui membranam ex ſecundis canis habeat, aut leporis fimum vel pilos teneat, nulla ratione firmari poteſt: ſuperſtitioſum enim magis, quam naturale puto. Sed redeamus ad canum fidem erga dominos.

EQ. Darius, qui extremus regnauit apud Perſas, in ea pugna, quam contra Alexandrum ſuſcepit, & commiſit, cum à Beſſo multis vulneribus confoſſus eſſet, & iaceret ſtratus, omnibus mortuum relinquentibus, canis ab eo educatus ſolus permanſit fidelis, eumque tametſi non amplius ſuum altorem, ſicut tamen adhuc viuentem, ſeruauit. Ælian. hiſt. anim. lib. 6. c. 24. qui & alius exemplum ibi mox addit. Lyſimachi enim Regis canis (inquit) cum ſe ſeruare quiret, non inuitus eadem, qua ſuus morte dominus defungi voluit; quod & Plin. habet lib. 8. cap. 40.

PH. Habet idem Ælian. lib. 7. c. 33. & 35. non ſpernenda quædam. Polus enim tragœdus, cum defunctus cremaretur, canis eius alumnus in medios rogos ſe miſit, viuusque cum altore ſuo exuſtus eſt. Theodori quoque fidicinis præſtantis, cum ſepulchro iniiceretur, canis Militeus in ipſius ſepulchrum ſeipſum proiecit, & ſimul ſepultus eſt.

EQ. Memorabilia videntur ea, quæ profert Plinius libr. 8. c. 40. Garamantum enim Regem canes ducenti ab exilio reduxere, præliantes contra reſiſtentes. Propter bella & Colophonii, itemque Caſtabalenſes cohortes canum habuere, quæ primæ dimicabant in acie numquam detrectantes. Sed & noſtræ Chriſtianæ fidei temporibus Rhodienſium militum canes ea Inſula ita educati fuiſſe memorantur, vt cum noctu vagarentur, Turcos ita à Chriſtianis ſolo odore diſcreuerint, ac illos latratibus atque etiam morſibus proſciderint; his autem blandirentur. Bergo anno Domini 1308. de initio Rhodienſium militum. Sed & ii, qui Orbem nouum perluſtrarunt, referunt, in Hiſpaniola Inſula canes compertos, qui dimicantibus copiis ſeſe in conflictum immiſcuerint potiſſime hoſtes morſibus lædentes, quin & captiuos Indos tanta ſolertia aſſeruaſſe commendatos, vt qui aufugiſſent etiam multitudini admiſtos internoſcentes trahentesque reduxerint: noctu autem effugientes, ſiue etiam interdiu, tametſi iam ad multa paſſuum millia dilapſos, nutu dominorum, odoreque inſequentes inueniſſe, dentibus abreptos dextera fortiſſime retenta ad reditum compuliſſe, reluctantes diſcerpſiſſe; ideoque intra militum catalogum fuiſſe conſcriptos, duplicique ſtipendio donatos memorat Ouet. hiſtor. lib. 16. c. 11. Subiicit autem Plin. libr. 8. c. 40. rem plane memoratu dignam de canis fide & gratitudine, vt qui à domino alitus, domini, quem putaret fame affligi, allatum panem ori obtulerit. *Noſtro* (inquit) *æuo actis populi Romani teſtatum Appio Iunio, & P. Silio Coſſ. cum animaduerteretur ex cauſa Neronis Germanici filii in T. Sabinum, & ſeruitia eius, vnius ex his canem nec à carcere abigi potuiſſe, nec à corpore receſſiſſe, abiecto in gradibus Gemoniis mœſtos edentem vlulatus, magna populi Romani corona circumſtante, ex qua cum quidam ei cibum obieciſſet, ad os defuncti tuliſſe: innatauit in Tiberim cadauere abiecto ſuſtentare conatus, effuſa multitudine ad ſpectandum animalis fidem.* Eadem Zonaras in Tiberio.

Canis fides & gratitudo erga dominum.

PH. Agno-

PH. Agnouere canes etiam dominorum pericula aliqua, quibus pro ſuis viribus ſuccurrere adnixi ſunt: habet enim Ælianus lib.1. cap.9. in hunc modum: *Nicias venator, cum in fornacem imprudens incidiſſet, canes eius & circumcurſabant auxiliaturi, & veſtem apprehendentes extrahebant, quin huiusmodi canum adnixus indicarunt reliquis hominibus ibi Niciam aduri, cum id nemo hominum aduertiſſet.*

EQ. Et illud eſt memorabile: *Gelon Syracuſanus canem amiciſſimum habuit, cum igitur dormiens ſomniaret ſe vehementer percuti, ideoque etiam clamaret, canis impetu in lectum ſe coniecit, & circumcurſitans latrabat, quaſi auxiliaturus domino, ſed excitato Gelone, quod inſomnium erat, euanuit, fidesq; canis apparuit.* Hæc Ælian. lib.6.c.61.& lib.7.c.10.

TH. Et rerum domini curam habuiſſe canes, ne deperderentur, compertum eſt. Nam mercator Colophonius ad nundinas profectus eſt cum ſeruo & cane: ſeruus à via diuertens marſupium ibi oblitus eſt, vbi ſe ſpoliauit; canis, viſo marſupio, ibi cuſtodiuit, donec in nundinis dominus ac ſeruus ſe pecuniam perdidiſſe animaduerterunt. Hi igitur in reditu cum repetiiſſent locum, vbi per obliuionem marſupium permanſerat, canem cuſtodem reperiunt, qui tunc expirauit inedia lætitiam præ ſe ferens. Ælian. hiſt. lib.8.c.30. *Cura.*

PH. Mira quoque in canibus eſt docilitas: nam quæ ab hiſtrionibus in foro agi videmus per canum induſtriam, quanquam id mirabile videatur, quando hominum mores internoſcere videntur, non niſi docilitas eſt canum, qui nutus domini ſui norunt, nemine alio id animaduertente; innuunt enim domini digitis, aut bacillo, poſtquam de moribus locuti ſunt, ita vt canis nutu percipiat, de quo loqui dominus videatur; atque ita fit, vt recta ad demonſtratum eat, ſiue meretricem, ſiue vſurarium, ſiue ſicarium, aut etiam virum optimum, quæ res ſpectatoribus miranda videtur, quaſi canis verborum ſenſum intellexerit, cum tamen tantummodo nutum acceperit. Propterea quod Zonaras in Iuſtiniano miraculi loco habet, paſſim in Italia, quaſi tritiſſima res cernitur. Sic igitur ille: *Iuſtiniano Imperatore, quidam canem mirificum in vrbem adduxit, ad quem ſpectandum confluente populo, multi ſuos annulos in vnum aceruum congeſtos ante canem poſuerunt, quos, domini iuſſu, cuique ſuum citra errorem ore attulit. Idem rogatus, quis ex iis, qui adeſſent, diues eſſet, quis pauper, qua mulier meretrix, quæ vidua, quæ vxor, & id genus alia, ea quoque omnia absque omni errore demonſtrauit, veſte cuiusque ad quæſtionem ore prehenſa.* Hactenus Zonaras, cui accedit Nauclerus Gener.19. qui & ruffum canem fuiſſe memorat, quod autem cæcum putat, falſum eſt: omnis enim canis induſtria illa ab ſolertiſſimo obtutu pendet, cum ipſe totus pendeat ab obſeruatione digitorum domini. Sed id neque Græci, vt Zonaras, neque Germani, vt Nauclerus, nouerunt, cum Italis res huiusmodi vbique ſit notiſſima. Eandem hiſtoriam etiam recenſuit Theophanes iis omnibus vetuſtior, vt eſt apud Anaſtaſium Bibliothecarium anno Domini 536. *Docilitas.*

TH. Sancti quandoque docuere agere quædam canes, in quibus miraculum, non natura, valuit, cuiusmodi quando beatus Petrus Apoſtolus cani Simonis Magi iuſſerat, vt Simoni deferret, aduenisse Petrum Apoſtolum: nam reuera id effecit canis locutus, omnibus ſtupentibus, quanquam etiam Simon ſuis præſtigiis idem quoque efficere videretur, vti ex antiquis ſcriptoribus memorat Mucius Iuſtinopolitanus hiſtor. ſacr. lib.1. c.20. quod etiam conſtat apud Clementis Recognitionum libros.

EQ. Memini me legiſſe etiam apud Sophronium in prato ſpirituali c.157. cum monaſterii Subenarum Syrorum, quod iuxta Iordanẽ ſitum erat. Abbas nuntium

tium non haberet, quem ad monaſterium Charembe longa intercapedine loco-
rum diſtans mitteret, oblationis cuiuſdam cauſa, ſoluſque ſibi adeſſet canis, cum
extraneo quodam fratre itinerum in tanta eremo prorſus ignaro, dixit Abbas cani:
Vade cum fratre iſto vſque ad monaſterium Charembe, vt nuntiet eis, quæ nun-
tianda ſunt. Abiit canis cum fratre, donec ſtatuit illum iuxta monaſterii ianuam.
Hæc Sophronius, qui & canem ſe vidiſſe teſtatur.

TH. Quandoque edocti ferre ſarcinulas velut aſini, implentes officium exi-
mie confecerunt; imo paſſim id eorum munus eſt in Orbis noui plaga, vt memorat
Petr. Hiſpal. p.5. c.24. Adiicio ex Alberto Magno de animalibus lib.8. tract.6. c.1.
canem edoctum in menſa conuiuis lumen brachiis ſtabili veſtigio tenuiſſe, donec
perdurarent epulæ. Ad hæc accedunt canes cæcorum Romanæ vrbis, qui per vr-
bem ad omnes Eccleſias, ad omnes Principum ciuiumque domos loro ligati per-
ducunt dominos eleemoſynæ petendæ gratia: norunt enim ii catelli locum, quo
veniendum fuit, ibique ſubſiſtunt, atque ita cæcus dominus & ipſe ſubſiſtit; auget
miraculum, quod ii cæci die Lunæ pro defunctis oraturi quaſdam habent domos
ciuium, vnde eleemoſyna petenda ſit, alias die Martis Angelorum ob memoriam,
alias die Sabbathi ob B. Mariæ Virginis commemorationem, & ad has diuerſas, di-
uerſorum quoque dierum domos catelli cæcos dominos ſuos abſque vllo errore
perducunt. Et cum quadrageſimali tempore quotidie adeo diuerſis locis indul-
gentiæ ac ſtationes indictæ ſint, ad omnes tamen, qualibet ſint vrbis parte, aut et-
iam extra vrbem, abſque vllo vnquam errore dominos ſuos prorſus orbatos per-
ducunt: quæ res, quoniam luce meridiana Romæ manifeſtior eſt, non eſt longiori-
bus verbis memoranda.

Hoc igitur præcipue nobis eſt cordi, canes Dei miniſtros ſæpe fuiſſe. Redu-
ctus eſt Tobias cane ſemper comite, eiuſque ad domum paternam reditus à præ- *Canis miniſter Dei.*
currente cane parentibus magnam ob expectationem mœſtis renuntiatus eſt. To-
biæ 11. At ad Dei iram exercendam iuxta ſanctorum Prophetarum prædictionem
fuere miniſtri: cum enim prædixiſſet Regi Achab Helias futurum, vt canes ali-
quando ſanguinem eius lingerent, 3. Reg. c. 21. id breui poſtea eſt inſecutum; vul-
nerati etenim Achab Regis ſanguis profluens è curru à canibus lambebatur in
pugna aduerſus Galaaditas, 3 Reg. 22.

Regina quoque Iezabel cum vineam Naboth concupiuiſſet, & abſtuliſſet, e-
iuſdem Heliæ prædictione à canibus deuorata tota eſt, præter caluitiem & pedes, &
ſummas manus, 3. Reg. c.21. & 4. Reg. 9.

EQ. In eandem rem occurrit mihi memorabilis hiſtoria: Anachoreta qui-
dam Galata, cum prius ouium paſtor eſſet, contempſerat pauperem prætereuntem
peregrinum, qui ſub dio degens, à canibus deuoratus eſt, cum tamen illi commo-
dum fuiſſet excipere, & ſeruare ſuo tugurio: factus poſtea Anachoreta hac de re
conſcius, forſan ob huius criminis atrociſſimi pœnitentiam ſeſe à canibus deuo-
randum per Dei reuelationem didicerat. Ad eum igitur noctu incogniti leones
accedebant cum ipſo cubitantes, nihilque lædentes: at poſt triennium, quod ſæpe
prædixerat, euenit; nam à canibus diſcerptus eſt, cum leonum rabiem impune ſæ-
pe euaſiſſet. Hæc à Sophronio in prato ſpirituali c.167.

PH. Deuorare canes humanam carnem, cui tantopere (vt diximus) obſe-
quuntur, non eſt abſurdum, quandoquidem in rabiem præ cæteris omnibus ani-
mantibus efferantur, vt ſæpe felicius ſit ab eis deuorari, quam morderi. Rabioſus
enim

enim canis, ſi mordens plagam inflixerit, pernitiem affert: primo enim aquæ metum iniicit ei, qui mediocriter ſe habere videtur; deinde ingraueſcente rabie, in dolorem exardeſcit, & latrat, denique moritur: cum autem veſtem, quam rabidus canis laceraſſet, ſarcinatrix mordicus, vt eam ſarciret, tenuiſſet, in rabiem acta periit. Ælianus hiſtor. animal. libro 9. cap. 15. Præſtat igitur Euripidi Poetæ, vt canum laniatu mox interierit, quando in Macedonia ab Archelai Regis cœna domum redibat, quam ſi morſus tantum fuiſſet ob periculoſam rabiem. Maximus lib. 9. *Rabioſus canis homini valde noxius.*

EQ. Vt video, nulla animantium ſpecies tot formas habet, atque canum.

PH. Id ita eſt. Nam & cornutos reperiri in Helleſponto ſcripſit Marcus Aurelius Imperator in epiſtola ad Lambertum Helleſponti Præfectum, recenſeturque in vita eius lib. 3. c. 48. 49.

EQ. Memorant & ii, qui nouum Orbem perluſtrarunt, quædam canum noua genera ibi reperta, quorum & forma & natura noſtris nihil fere commune habeat, quidam appellarunt canem agilem, quod omnium pigerrimus ſit: toto enim die ad quinquaginta paſſus non progreditur, caret cauda, ſunt illi pedes quidem quatuor, digitis quaternis concretis auium more, magnitudine canum domeſticorum noſtratum, præparuo eſt ore, arborum ſtudioſiſſimus, quas lentiſſimo motu conſcendit, noctu tantum canit, ſex tantum edens tonos, illos præcipue, qui ſunt totius muſices rudimenta: putatur non edere, ſed ali ſuo pingui; cum etenim in ſummo arborum peruenerit, quindecim ac pluribus diebus ibi moratur abſque vllo cibo, ſemper ore (vt diximus) præparuo hiante, vnde ſpiret aura, neque mordere poteſt, color illi ſubcinericius. Id habet Ouet. in ſumm. c. 23.

Alii appellarunt animal hoc pigritiam, ſeu mauis ignauiam: fœmineam illi faciem eſſe tradiderunt, frondibus ali viſum, adhærereque arboribus tanta pertinacia, vt non niſi mortuus auelli poſſit, arborem denſiſſimam foliis prorſus nudat. Hæc Ioſeph Ieſuita ex Braſilia ſcripſit anno Domini 1560.

TH. Memini apud eoſdem auctores, qui de nouo Orbe conſcripſerunt, aliud in Peruaco, Paria ac Braſilia animal compertum vulpi perſimile; (nam & vulpes inter canes adſcribuntur) corpore igitur, capite & rictu vulpi par eſſe videtur: poſteriores tamen pedes cercopithecis conformes, anteriores plurimum hominum manibus ſimiles, aures nudatas pilis habet, quales ſunt veſpertilionibus, habet ſub ventre extraneam quandam pellem, vti peram, in quam partus iam enixos, etiam ſi plures ſint, recondit: nam catulli paſcuntur vagantes in ſyluis; at cum metus obuenerit, in illam peram confugiunt omnes, atque introrſus etiam ſugunt vbera lactentia, feruntur que à matre quocunque à nemine prorſus viſi. Petr. Mart. in ſummario rerum Indicarum occidentis. Aluarus Nunez & Corteſii alumnus, quorum ſcripta recenſet Ramuſ. itinerationum Tomo 3.

EQ. Poſtquam vulpium incidit mentio, non contemnenda de eis commemorantur: præcipue fraude valent, qualibet actione cautas ſe præſtant. Nam in Thracia locis rigentibus, amnes gelatos, lacusque non niſi ad paſtus ituræ, redituræque transeunt, obſeruatumque, eas aure ad glaciem appoſita coniectare craſſitudinem gelu. Plin. lib. 8. c. 28. *Vulpes.*

TH. Vt pullos gallinarum voret, mortuam ſe fingit lingua exerta, ad eam accedens propius pulli rapiuntur, qua arte in campis quoque vtitur auibus decipiendis, Olaus rerum Aquilonarium libr. 18. c. 31. quo loco etiam illud adiicit, eam mi- *Aſtuta, fallax.*

rum in modum deſiderio teneri cancrorum edendorum: piſcium quoque auiditate moueri: vt caute igitur expiſcari à littore maris, aut à fluminis, lacusque ripis poſſit, caudam tantummodo aquis immergit, vbi ſenſerit, cancros aut piſciculos accedere, repentino ictu caudam retrahit in littus, piſciculis aut cancris ſimul eiectis.

EQ. Veſparum quoque auida eſt vulpes, quas vt commode voret, hac arte vtitur. Retrorſum accedit ad veſparium, immiſſaque cauda, omne earum habitaculum concutit, tum refertam vndique veſpis caudam parieti aut arbori illidit, quo ictu facile perimuntur, & illi in cibum vertuntur, idque tam ſæpe agit, donec vniuerſum deuorauerit veſparium. Ælian. hiſt. anim. lib. 4. cap. 38. & Olaus lib. 8. cap. 31. Piſcium quoque appetentius eſſe quoddam vulpis genus iuxta vrbem Belfa orientalis Indiæ tradunt. Nam cum ore toto, ac collo, anterioribus pedibus illa vulpes ſit, poſteriores illi pedes ſunt anſerini, mittitur in mare fune collo alligato, venatur ore piſces, captosque in cymbam littusve defert, ipſaque bene ſatur redit tandem in cymbam littusve ad dominum, cui ſeruit. Oder. poſter. in med.

Herinacius. PH. Herinacii quoque hoſtis infenſiſſima eſt, quod vterque vuarum eſum appetat, vnde æmulatio gignitur. Herinacius mox viſa vulpe os contrahit, pedesque comprimit, & ſe totum in globum format. Illa autem, cum hunc ſic in arctum conſtrictum comprehendere nequeat pungentibus ſpinis armatum, in eum vrinam reddit, vnde fit, vt vel ex contractione, vel ex vulpis fraude ſpiritu intercluſo ſuffocetur. Ælian. hiſt. anim. lib. 6. c. 64.

EQ. Pulicibus vexata eſt homine prudentior in illis excutiendis: fœnum etenim aut leuiſſimam ſtipulam ore tenet, aquam ingreditur, ac paulatim genua, mox ventrem, humeros ac collum ſubmergit; pulices interim omnes iam ad caput conuenere, tum illa ſenſim quoque caput ipſum mergit, donec pulices omnes ſeſe in ſtipulam aut fœnum recipiant, quod vbi illa factum animaduertit, totam ſe aquis propere demergit, illis prorſus libera. Iorath, & ex illo Alb. Magn. in vulpe, libro de animal. Olaus lib. 18. c. 31.

TH. Ægrota quoque ſui prouida medica eſt; nam lachryma pini incolumitatem recipere eam ſcribit B. Baſilius in exemero hom. 9.

EQ. Et quanquam ſylueſtre animal ſit, nihilominus Caſpiarum vulpium tanta multitudo eſt, vt non modo accedant ad ſtabula agreſtia, ſed etiam in vrbes ingrediantur, & domos ſubeant, non vt feræ rapaces, ſed velut domeſticæ, & adulantes Caſpiis, vti apud nos canes. Ælian. hiſt. anim. lib. 17. c. 17.

PH. Colores earum pro cœli ſitu ſolent immutari: nam apud Tartaros Hyperboreos penitus nigras eſſe ac prægrandes, meminit Marcus Polus libr. 3. c. 43. ſed & apud Lapones nigræ ſunt, vt Krantzius habet in Noruerg. in præfatione. In Borealibus aliis quoque regionibus non ſolum nigras prorſus, verum & prorſus albas eſſe Olaus ſcribit lib. 17. in præfatione. Rufas quoque plurimum cum cruce in dorſo effigiata eodem cœlo reperiri; idem Olaus memorat lib. 18. c. 30.

TH. Hæc non adeo mirari oportet, ſed illud me afficit, cum lego Iſidorum libro 11. cap. 3. ſcribentem, ex equa aliquando vulpem natam. Sed quia eius rei nulla ratio eſſe poteſt, prodigii loco habendum eſt.

Sunt enim & vulpes iræ Dei aliquando miniſtræ: nam cum Sampſon Dei nutu Phyliſthæorum agros ſegetesque vaſtaturus eſſet, trecentas vulpes cepit, atque caudas earum ſimul colligans, ignitis faſcibus appoſitis, dimiſit in agros, vnde & ſegetes

getes, vineta & oliueta comburerent. Iud. 15. Econtra vero quandoque Dei beneficio obſequuntur. Cum etenim ſanctimonialis cœnobii Wimbrunenſis in Britannia claues Eccleſiæ, oratorii, ſacrarii, ac reliquiarum amiſiſſet, (erat enim cuſtos) cum illæ partim aureæ eſſent, partim argenteæ, partim ferreæ, conſilium initum eſt, vt ad orationem confugerent reperiendarum cauſa. Orantibus igitur ante oratorii fores conſpecta eſt vulpecula mortua, in cuius ore claues omnes colligatæ compertæ ſunt. Rudolphus in vita S. Liobæ apud Surium Tom. 5. Septembri. Nunc ad ſimias vertamur.

EQ. Sunt omnium quadrupedum vbique ſolertiſſimę ſimiæ, ſed in Praſiis Indis humanis quaſi ſunt ſenſibus, comam ac barbam habentes, caudamque leoninæ ſimilem, capite, & extrema cauda flauæ ſunt, reliquo autem corpore albæ, ſylueſtres quidem ſunt, & feræ, verum natura cicures: nam ad ſuburbium Latageæ vrbis frequentes proficiſcuntur, quibus coctam oryzam Rex comedendam obiicit, ac quotidie eis cibaria proiiciuntur, expletæ in domeſticas ſedes ſylueſtres cum magna moderatione redeunt, neque obuium quidquam lædere dicuntur. Ælian. hiſt. lib. 16 cap. 10.

Hinc illa ſtulta Indorum de ſimiæ dente religio in Inſula Zeilan. Indigenæ enim vt numen ſimiæ dentem etiam noſtro ſeculo coluerunt, qui cum ad Portugalenſium manus ex præda perueniſſent. Rex Pegu redemptionis nomine obtulit centies mille aureos. Reb. Sinar. p. 4. c. 20.

Dens ſimiæ inſtar numinis habetur.

Ne vero quis putet raras eas eſſe, ſcribit Clytarchus, tantam in illa India variamque ſimiarum multitudinem eſſe, vt Alexandrum magnis copiis ſeptum ſimiæ frequenter perterrefecerint, quod arbitraretur ſe ſibi inſidiantem exercitum videre. Nam cum Alexandro ſe oſtenderunt, caſu excelſo, & recto corpore erant. Ælian hiſt. anim. lib. 17. c. 24.

PH. Mirum in hoc animanti ingenium eſt. Quæ referunt auctores, plura ſunt, ſed libet referre, quid ſimia aſtute egerit, quę alebatur in Iulii II. Pontificis aula. Neceſſarii, & qui erant à cubiculo, ſæpe intempeſta nocte caſtaneas prunis concoctas edentes ſe reficiebant, dum tantiſper tempus expectarent, quo cubitum iret Pontifex. Aliquando igitur, dum omnes incumberent aliis miniſteriis, relinquerant prunis, cineribusquę obtectas caſtaneas. Simia occaſionem ſe nactam animaduertens, dum omnes abſunt, caſtanearum auida quidem, ſed ignem cauens, ne digiti adurerentur, memorque conſueuiſſe aulicos aut ferro, aut ligno, cineribus eruere caſtaneas, cum ſibi talia inſtrumenta non ſuppeterent, excogitauit admirandum conſilium. Aderat felis quædam, hanc arripit vna manu, ſinuque obſtrictam detinet, altera manu felis dextrum brachium capit, ita vt quidquid à cubitu ſupereſt ad vsque extremos felis vngues, articulosve ſibi pro ligno eſſet ad eruendas è prunis caſtaneas. Ad eiulantem felem, quod prunis articuli comburerentur, accurrerunt aulici, portionem ſuam quisque cum ſimia ſortitus eſt. Hæc quidem hoc ſeculo. At Plinius earum ſolertiam conſcribit ipſis pernicioſam eſſe, viſcoque inungi, laqueisque calceari imitatione venantium. Id ipſe habet lib. 8. c. 54. Sed id apertius explicat Solin. cap. 29. iis verbis: *In Libya, Ægypto ac Æthyopia plebs ſimiarum in iis eſt, quas paſſim videmus non ſine ingenio æmulandi, quo facilius in manus veniunt: nam dum auidæ venantium geſtus affectant, relicta conſulto viſci vnguilla; quod mendacio factum vident, oculos ſuos obliniunt, ita viſu obducto pronum eſt eas corripi.* Hęc ille. Vnde iure dici poteſt, ſua ſe arte captiuam facere ſimiam: capiuntur enim præcipue,

pue, dum induunt calceos, ſicut dum viſco pro aqua liniunt oculos. Ælian. hiſt. animal.lib.17.c.24. Venandi enim modum apertioribus explicat Strabo lib.15.

TH. Audiui mira eſſe docilitate ſimiam, ac aurigæ munus obiuiſſe, habenasque rexiſſe, ac remiſiſſe, cum opus eſſet, flagelloque vſam vidiſſe ſe Ælianus teſtatur hiſt. anim. lib. 5. c.26. Sed illa ſimiarum docilitas aliquando homini ipſi perniciosa fuit. Cum enim peruerſiſſimum quoque animal ſimia ſit, aduertit aliquando ex eminenti loco nutricem lauare in pelui infantem, & faſciare: ita ea clam eadem omnia repetiit; nudatum enim infantem in feruidam aquam iniecit, & interfecit. Ælian.hiſt.anim.lib.7.c.18.

PH. Ad hæc adiicit Mutianus, ſimias etiam latrunculis luſiſſe fictis cera, nuces viſu diſtinguere; eſſe præterea illis aliquid cum Luna commune meminit: nam Luna caua triſtes ſunt, & quibus in eo genere cauda ſit, nouam exultatione adorant; namque defectum ſyderum & cæteræ pauent quadrupedes. Simiarum quoque generi præcipua erga fœtum affectio, geſtant catulos, quos manſuefactæ intra domos peperere, omnibus demonſtrant, tractarique gaudent ſimiles gratulationis intelligentes. Itaque magna ex parte complectendo necant. Plin. lib. 8.c.54. Oſtentant igitur prolem ſuam velut pulcherrimam. Alb. Magn. in ſimia libris de animalibus.

Simiæ caudatæ fortiſſimæ.

TH. Quibus cauda eſt, obſeruatum ineſſe ſolertiam, ſimul & vires inſignes: nam in Braſilia prælonga cauda ſunt, in eaque vis magna; ex arbore etenim in arbores tranſeunt, tametſi non contiguas, alteri etenim cauda hærent, in alteram prorepunt, adultæ iunioribus, quæ ex arbore in arborem nequeant tranſire, viam ſternunt: nam alterius arboris ramum arripiunt cauda, manibus vero arboris alterius ramos, atque ita vtraque arbore retenta, quaſi quodam peracto ponte iuniores ſimiæ ſeu ſtrata via pergentes tranſeunt. Id ſcribit Ioſeph Ieſuita ex Braſilia an. Domini 1560. Sed & in Inſula Cumana eiuſdem Orbis extat Aranata animal, quales ſimiæ, pedibus, manibus, ipſoque ore humanis, barbatum capræ more, prorſusque homini perſimile gregatim viuit, & arbores conſcendit, vlulat. Petr.Hiſp.p. 5.cap.15. Eodem quoque Orbe catti ſunt, qui Mauritani hominis faciem prorſus referant. Idem Petr.p.5.cap.25. Et hæc omnia animantia ad ſimiarum genus pertinere puto.

EQ. Puto ita eſſe; præterea enim referunt, qui noui Orbis eiuſdem res conſcripſere, caudatas etiam ſimias ibi reperiri cæteris grandiores, viriumq; in ea tantum eſſe, vt compertum fuerit, obuium aprum ſimiam aggreſſam eſſe, caudaque collum illius obuoluiſſe, & ſtrictiſſimo ſimul amplexu ſuffocaſſe. Id memorat Pet. Mart. in itinerario rerum Indicarum occidentalium.

TH. Reperiri ſimias ampliſſimas, & quæ erecto corpore hominem altitudine adæquent, tradit Marcus Polus lib.3. cap.25. Præterea toto corpore albas meminit apud Orſeos eſſe. Plin.lib.8.cap.21.

EQ. Erecto corpore non ſolæ è quadrupedibus ſimiæ proficiſcuntur, ſed præ omnibus animantibus vrſi paſſim conſpiciuntur. Erit igitur opportunum, poſtquam de eo mentio incidit, vt de vrſo diſſeramus, non deerunt, quæ digne commemoremus, exordirique libet ab ipſorum ortu. Coeunt vrſi non itidem, quo quadrupedes aliæ, ſed apti amplexibus mutuis velut humanis coniugationibus copulantur. Vterum trigeſimus dies liberat, vnde euenit, vt præcipitata fœcunditas informes creet partus, carnes pauxillulas edunt, quibus color candidus, oculi nulli;

nulli; & de feſtina immaturitate tantum rudis ſanies, exceptis vnguium lineamentis, has lambendo ſenſim figurant, & interdum ad pectora fouent, vt aſſiduo incubatu calefactæ, animalem trahant ſpiritum. Solin. cap. 28. cui conſenſiſſe videtur Ælianus hiſt. lib. 2. cap. 19. *Vrſarum* (inquit) *pariendi ratio permira videtur; nam nemo à partu videns tam informem, tamque rudem fœtu vrſam edidiſſe, vitalem partum iudicaret: ſimul enim ac in lucem hæc edidit, ſtatim carnem illam nulla vitalis figuræ veſtigia, nullamque animalis effigiem retinentem amore complectitur; catulum agnoſcit ſuum, ac eum in ſinu, gremioque fouet, & lingua ſua paulatim in conformationem quandam ſic effingit, vt aſpicienti iam catulus vrſæ hic eſſe videatur.*

Vrſarum partus.

PH. Bilis nimia pręcipitem vrſum reddit, propterea & pręcocem partum edit; rabie perſæpe afficitur, ſed inter omnes Numidici & forma, & rabie, & villis profundioribus præſtant, Solino teſte cap. 28. ineſſe quoque illis ob ſummam rabiem venenum ſcriptores prodidere: Ariſtoteles etenim de admirandis lib. cap. 140 *Dicunt* (inquit) *genus eſſe quoddam vrſarum albarum in Myſia, quæ cum venatores inſequuntur, talem emittunt anhelitum, vt canes putreſcant, & reliquas pecudes eſui faciant minime aptas. Si quis autem magis etiam cogat, & appropinquarit, plurimam pituitam ex ore, vt patet, effundit, quæ ita intumeſcere facit canum, & hominum ora, vt ſuffocentur, vel certe obcæcentur.* Hactenus Ariſtoteles.

EQ. Albos vrſos reperiri ſæpius legi, præcipue vero in Aquilonari plaga, quod ſcribit Olaus lib. 4. cap. 15. & in Præfatione decimi ſeptimi, & apud Lappones albi ſunt. Krantz. Nouerg. in Præfatione. Quin in templo Sancti Olai in Noruegia ſub Archiepiſcopatu Trundunēſi in baſi Pontificalis ſedis ad ornamentum, & ad munimen ſedentis pedum expanſum eſt vrſi corium, quemlibet candorem ſuperans albedine ſua, cuius amplitudo porrigitur ad pedes quatuordecim. Meminit eius rei Petrus Quirinus Venetus, cui accedit Marci Poli hiſtoria: qui ſe apud Tartaros vidiſſe albos vrſos meminit prægrandes, ac viginti vlnis longiores. Ita ille lib. 3. cap. 43. Cuius rei etiam Olaus meminit lib. 18. cap. 20. Hos autem albos vrſos etiam aquis obſeruari, demergique incolumes vt aquatilia ſolent, ac in imo mari piſces venari tradit Albert. Magn. de animal. in vrſo. Id etiam recolunt ſæpe alii.

Vrſi albi veſcuntur piſcibus.

PH. Quod in vrſo admiror, eſt iſta docilitas, & induſtria etiam piſcandi. Sebaſtianus enim Gabottus Venetus, cum Occidentalia & Aquilonaria maria perluſtraret, Baccalaos gentem repererat, apud quos vrſi innoxii hominibus comperti ſunt. Ii ſibi per ſummam induſtriam & luctam, victum parant ex piſcibus. Eſt ibi piſcis Baccalaus maximus, ipſis vrſis maior, frequentat ille littora, in quibus arborum foliis decidentibus alitur. Vrſus in littore latens vbi Baccalaum littori proximum conſpicit, in eum ruit, & amplexatur: ille enititur, huc, illucq; per fluctus ſeſe agitat, vrſum amplexantem, nihil prorſus remittit. Vterque autem hac atque illac actitantur, & fluctuant, modo ſubmerguntur, modo emergunt, ſemper amplexu piſcem vrſo retinente: tandem defatigatur piſcis tum pondere, tum labore, cedit, fitque vrſo eſca; extractum enim in littus vorat. Id tradit Petr. Mart. in itinerario rerum Indicarum Occidentalium, quod etiam in piſcibus occaſione alia repetemus. Huic rei ea ratione fidem adhibui, quod legerim apud Olaum lib 18. cap. 20. vrſos in Islandia albos piſcium auidiſſimos eſſe: quibus tametſi gelu obſtet, nihilominus glaciem vnguibus adeo perforant, vt ad ipſius aquæ ſuperficiem penetrent, in quam demerſi piſces capiant, tum in proprium, tum in ſuorum catulo-

rum alimenta, quos etiam ſumma arte eandem piſcandi induſtriam docent, vt eo loco Olaus memorat.

Vrſorum chorea.

TH. Vrſorum docilitatem inſignem aliquando me legiſſe memini; nam Lituania, ac Ruſſia miranda leuitate perdiſcunt choreas ducere tibiarum modulatione deliniti, erectiq; corpore: ſpectatoribus, qui choreis interfuere, ſtrenam, aut munuſcula petunt, oblato vaſe, aut pileo, aut qualibet re, in quam pecunia immitti poſſit, qui ſi ſibi exiguum aliquid offerri animaduerterint, abnuunt, vt augeatur. Id memorat Olaus lib. 18. cap. 27.

PH. Eſt etiam vrſus valetudinis ſuæ Medicus; nam vt apud Baſilium legi exemero homil. 9. *Vrſa herba ſuis medentur vulneribus.*

EQ. Compertum tamen vrſorum genus eſt ignauiſſimum, quod ſolis formicis victitet in orbe nouo, & canibus virtute cedant, atque bacillis, à quouis percuſſi aufugiant: Quomodo vero formicis victitent, iam pluribus egimus formicarum naturam proſequentes; immittunt enim longiſſimam ac peracutam, quam habent linguam in formicarum habitacula, quæ illæ conficiunt valde capacia: ad cuius humorem, frigiditatemque illæ occurrentes adhærent: ipſe autem ad ſe attracta lingua formicis onuſta epulatur. Eſt autem ignauiſſimus huiuſmodi, nullumque caudæ veſtigium habet, vt memorat Ouetan. in Summ. rerum Indicarum Occidentalium.

TH. Sunt igitur vrſis & vires, & ignauia pro diuina diſpoſitione, ſed perſæpe miniſtri Dei fuere, ac criminum vindices: *Cum etenim Eliſæus Propheta in Bethel aſcenderet, pueri parui egreſſi de ciuitate illudebant ei dicentes, Aſcende calue. Qui cum reſpexiſſet, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: egreſſique ſunt duo vrſi de ſaltu, qui ex eis quadraginta duos pueros lacerarunt.* 4. Reg. 2. At contra iis, qui Deo corde vero famulantur, nec feritas vrſi obeſt, quin potius cedit. Nam aduerſus Theclam ferociſſimi emiſſi vrſi ab illa prorſus abſtinuerunt illæſam relinquentes, Ado Treu. 9. Kal. Octob. Dauid quoq; puer obuium vrſum gregem deripientem baculo perſequebatur, & apprehenſo eius mento, etiam occidebat, quod nulli hominum accidiſſe vmquam legi. 1. Reg. cap. 17.

Grande nephas deridere ſenes.

EQ. Dei ſeruos iniuſſu Dei nullum, quamuis ferum animal, nec Tigris quidem offendit, animal omnium ferociſſimum. Peccati noxia in hominem omnia conuertit, &, vt læderent, effecit: non tamen (vt ſæpe diximus) ſæuiunt ſemper in ſeruos Dei, quibus ita parent feræ, vti dominis: nam vt de vrſa loquamur, S. Gregor. Dialog. lib 3. cap. 15. tradit: Cum S. Florentius prope Nurſiam habitaret in eremo, & quinque illis oues eſſent, vrſo feræ iuſſit, vt eas curaret educens & reducens ad paſcua hora ſexta, ſemper reuerteretur, ieiunii vero diebus hora nona. Vrſus præcepti obſeruantiſſimus tum officium cœptum, tum tempus diligentiſſime obſeruabat Quandoque etiam præferenda eorum manſuetudo efferatis hominibus videtur, quos commiſſi criminis nulla pudefacit verecundia. Irrationale autem hoc animal aliquando ſi culpam admiſerit, adeo ſanctorum virorum præceptis paruiſſe compertum eſt, vt velut impoſitam pœnitentiam peragendam videretur profiteri. Cum etenim Maximini Treuerenſis Epiſcopi Romam pergentis aſinum ſarcinas ferentem ſilueſtris vrſus exediſſet, eiuſdem Maximini iuſſu adactus eſt ſe ſequi, vt aſini vicem ad ferendas ſarcinas ſubiret; paruit, mutata feritate, bellua, aderatque huic miraculo Sanctus Martinus nondum Epiſcopus, eius peregrinationis comes. Ex vetuſtiſſimo auctore Surius, Tomo 3. in vita S. Maximini

Piis vſq; feræ obediunt etiam famulando.

Maximini cap.6. Perſimile omnino huic illud fuit, quod Diuo Corbiniano Epiſcopo Friſingenſi accidit, cuius clitellarium equum ſarcinas ferentem cum ſiluestris vrſis depaſtus fuiſſet; quando ille Romam peregre proficiſceretur, Corbinianus, adhibito flagello, vrſum in mitiorem naturam conuertens ſarcinas ferre iubet, obſequutus eſt ille, vt tradit Aribo Friſingenſis Epiſcopus in S. Corbiniani vita apud Surium Tomo 5. menſe Septembri. Adeo igitur humanum genus vrſus non abhorret, vt putarint aliqui etiam virginis complexum adamare, & aliquando coiiſſe, ac humanam prolem genuiſſe. Id memorat Saxo Gramm. reb. Dan. lib.10. Tradit enim in agro Suetico vrſum virginem rapuiſſe, atque in ſpecum, qui inuiis paludibus perplexa ramorum ſerie tegebatur, omnibus incognitum locum protraxiſſe, reddidiſſeque prægnantem, peperiſſe puerum, cui nomen Vluo fuit, qui perinſignis inſtruendis fraudibus poſtea fuit. Diu virgo eo loco delituit vrſi præda victitans, ac tandem caſu à conuicinis ſpecus inuenta eſt, & paterfamilias in ea degens vrſus, mater, & proles. Sed huius rei fides ſit penes auctores. Nunc de tigride.

PH. Cum igitur paulo antea inciderit tigridis mentio, & de illa licet ratiocinari; nam memoranda auctores de illa tradidere; velociſſimum animal, & impatientiſſimum memorant. Solinus etenim cap.21. *Hyrcanæ* (inquit) *tigres nihil tam longum eſt, quod non breui penetrent: nihil adeo antecedit, quod non illico aſſequantur. At maxime potentia earum probatur, cum maternis curis incitantur, cum catulorum inſiſtunt raptoribus. Succedant ſibi equites licet, & aſtu quantolibet amoliri prædam velint, niſi in præſidio maria fuerint, fruſtra eſt auſum omne. Notantur frequentiſſime, ſi quando latrones, furis aſportatis catulis, renauigantes vident; in littore irritata rabie ſe dare præcipites, velut propriam tarditatem voluntaria caſtigantes ruina: quamquam de fœtu vniuerſo vix vnus queat ſubtrahi.* Hæc ille. Tigris.

Pernicitatem autem illarum, & indefatigabiles ad curſum vires Pomponius Mela libro tertio, capite ſecundo ſic enarrat: Scytharum (inquit) ſiluæ alia quoque dira animalia, verum & tigres ferunt, vtique Hyrcaniæ ſæuum ferarum genus, & vsque eo pernix, vt illis longe quoque progreſſum equitem conſequi, nec tantum ſemel, ſed aliquoties etiam curſu, vnde cœperit, repetito ſolitum, & facile ſit. Cauſa ex eo eſt, quod vbi ille interceptos eorum catulos cœpit auehere, & rabiem appropinquantium fruſtraturus aſtu, vnum de pluribus emittit: hæ proiectum accipiunt, & ad cubilia ſua referunt: rurſumque & ſæpius remeant, atque idem efficiunt, donec ad frequentiora, quam adire audeat, profugus raptor euadat. Eadem Plin. libro octauo, capite decimo octauo, qui addit tigribus numeroſum eſſe fœtum, maribusque ſobolis curam nullam eſſe. Strabo vero adiicit Scythas tigres adeo grandes, vt ſint leonibus duplo maiores, ac raptum mulum trahunt, ita ille libro decimo quinto. Sed & in Palymbrota vrbe vlterioris Indiæ eadem magnitudine eſſe memorat Ramuſius itinerationum, Tomo primo, in Scholio ad Iambulum. Qua autem arte omnes prorſus eius catuli tuto à venatore poſſint abduci, docet Albertus Magnus. Adhibendum eſt ſpeculum vitreum: cum enim ſeſe in eo proſpexerit, catulum adeſſe putans, etiam vbera offert: diſtenta igitur ibi diu tigri, venator longius pergit. Si igitur tigris aut fracto ſpeculo, ſibi illudi animaduertat, alio loco illud ſpeculum adhibēdum, ad alias moras nectendas, ita fiet, vt tandem venator cum omni fœtu elabatur. Ita ille lib. 2. in Tigri.

Boues, vaccæ.

TH. Rogo vos, intermittamus ſermonem hunc de animantium ſæuitia, agamus vero de mitioribus, cuiusmodi boues ſunt.

EQ. Habent & boues, vaccæque ſua miracula. Nam Ælianus libro ſeptimo, capite primo. *Audiui* (inquit) *Arithmeticæ non expertes eſſe Suſidas vaccas; & ſermone hominum peruulgatum eſt, Suſis Regi ſingulas quotidie centum cados ad irrigandos hortos haurire: quem quidem laborem, ſiue quod eis ſit certus, & fato iniunctus, ſiue etiam quia diu, multumque in eo ſe exercuerunt promptiſſime obeunt, & vt earum nullam laboris inertia ad hoc penſum conſtitutum remolleſcere videas, ita ad alterum ſupra, quam diximus, cadum hauriendum, nec verberibus, nec blanditiis inducere poſſis*, vt (inquit) Cteſias. Hactenus ille.

TH. Ego huic rei facile aſſentior, meminique legiſſe iuxta regionem Nili bouem hoc labore perpetuo exerceri. Illo etenim libro, qui vita ſanctorũ Patrum inſcribitur, parte tertia, capite ſexto ſic habetur: Ego vbi primam partem eremi ingreſſus ſum, duodecim fere à Nilo millibus paſſuum, habebam autem vnum ex fratribus ducem locorum peritum, peruenimus ad quendam ſenem monachum ſub radice montis habitantem. Ibi, quod in illis locis rariſſimum eſt, puteus erat: bouem vnum habebat, cuius hic erat totus labor, impulſa rotali machina, aquam producere. Nam vere mille, aut amplius pedum profundum putei ferebatur. Hortus illi erat multis oleribus copioſus: id quidem contra naturam eremi, vbi omnia arentia exuſta Solis ardoribus, nullius vnquam ſeminis vel exiguam radicem ferunt reperiſſe. Verum hic Sancto illi labor cum pecude communis, & propria præſtabat induſtria. Frequens enim irrigatio aquæ tantam pinguedinem arenis dabat, vt mirum in modum viuere, atque fructificare hortuli illius olera videremus: ex his ergo vna cum domino ſuo bos ille viuebat. Hactenus oculatus ille teſtis recolit, & Vincent. hiſtor. lib. 18. cap. 14. ex Poſthumiano Seueri; nam & is liber potuit Poſthumiani eſſe, vel ex translatione, vel quod inde multa deſcripſerit.

EQ. Præ omnibus fere animantibus homini vtile eſt bubulum genus, laboreque ſuo mirum in modum ſubleuat humanam induſtriam: nam in Cambaia in Cheul boues edocti ferẽdo oneri clitellis adhibitis aſinorum, ac multorum vicem referunt, vti memorat Odoardus Barboſa in itinerario Indico Orientali. Quin addit incerti nominis auctor in itinerario ad Orientales Indos in vrbe Diu, quę eiusdem prouinciæ eſt, boues exiguos quidem prægrandibus, ac rectis cornibus, ſed præter oneris ferendi induſtriam etiam ſub freno currere, & equitare dociles eſſe equorum gradariorum more. Ramuſius id habet itinerationum Tomo, poſt itinerarium Nearchi.

TH. Quid oportet externa, adeoq; remota reminiſci? Tridenti vrbe Italiæ incolæ bobus, vaccisq; vtuntur mulorum, aſinorumq; vice, onerariiq; equi munus implent. Cumq; regionis illius iuga montium inacceſſa fere videantur, plauſtra onuſta ab iis percommode in ipſa vsq; iuga trahuntur nullo maiore labore, quam per plana campeſtria. Res ipſa omnibus patet.

EQ. Nec oneri ferendo tantummodo comperti ſunt apti boues, verum & curſus pernicitate plurima valere. Id enim apud Indos memorat Ælianus hiſtor. lib. 15. cap. 24. In bubulo (inquit) pecore, quod incitato curſu valet, Indi curam ponunt: & ſimul de eorum velocitate Rex, & permulti Principes decertant: neque turpe ducunt pro huiuſcemodi animalium genere auro, argentoue ſponſionem

facere

facere. Currendi meta bobus hæc conſtituta, vt inter ſe nexi, ac iugati triginta ſtadia currant, æquales & pares boues equis currunt, neque velocitate boues ab equis internoſcas. Et mox: Sunt item apud Indos alii boues, qui maximos hircos magnitudine nõ ſuperare videantur. Ii coniugati velociſſime currunt, nec minus ſtrenue quam Getici equi curſum conficiant.

PH. Animaduertere interim iuuat, quam varia inter ſe differant magnitudine boues: nam hos, quos modo commemorauimus, exiguos, hircis pares, audiuimus: alibi noſtris Italis octimeſtribus vix pares, cum ſenuerint: habentur in Gelata monte, vt Leonius habet de rebus Afric. p.3. Alibi vero Elephantum comparantur altitudini, vti apud Indos Orientales, & apud Phœnices. Scribit enim Marcus Polus libro 2. cap.45. in Bengala Prouincia, quæ Indis finitima eſt, boues (ſi non corporis mole & craſſitie) altitudine tamen elephantes æquare: quin libro primo, capite quinquageſimo memorat Tartarorum in prouinciis Erginul, in vrbe Singui ſilueſtres boues elephantum proceritate conſpici, pilo pertenui, ac leni, ac prorſus albo, aut prorſus nigro; qui in humeris leonum more, prælongus eſt non minus pedes tres, mira mollitie perinde ac ſericum. Quibus concinne eſt, quod Ælianus hiſtor. libro decimo ſexto, capite trigeſimo primo memorat his verbis: *Phœnicum libri teſtantur indigenas vaccas ea eſſe magnitudine, vt vel proceriſſimi paſtores, dum mulgent, ſtare, aut in ſcabellum aſcendere habeant neceſſe, vbera vt poſſint pertingere.*

TH. In Perſidis quoque regione, cui nomen Reobarle, boues ſunt maximi, prorſus albi, pilo quoque pertenui, ac molli, breuiſſimis cornibus, obtuſa acie, in humeris gibbum habent duos pedes prominentem, onere ferendo percommodum: dum onus ſubeunt, etiam cameli more ſe ſubmittunt in vrbe Comandu in Perſide, id tradit Marcus Polus libro cap. 14. Ælian. hiſtor. animal. libr. 12. cap. 33. Gibbum in humeris ad ferenda onera, anterioraque villis prælongis obtecta habere boues in Quiuiria orbis noui prouincia tradit Petrus Hiſpal. p. 5. cap. 24. atque Odoardus Barboſa affirmat in Eubæa boues fere omnes albos naſci.

EQ. Miranda in bobus varietas tanta: nam & cornuum in illis genera, & adeo colores varii ſunt, vt tot ſint differentiæ fere, quot loca vbi naſcuntur. In Magni Indica prouincia Orientali boues ſilueſtres criniti ſunt equorum prolixiore iuba, quæ ad pedes vsque protenditur; quorum cornua ab occipite in ſpinam tanta longitudine extenduntur, vt eleuato capite, cornibus attingant caudam: ſunt autem grandia cornua, vt incolæ amphorarum loco illis vtantur. Cauda quoque illis eſt, quam equis elegantior. Nicolaus de Comitibus in itinerario, qui eodem lib. memorat in Cambaia quoque idem boum genus eſſe. *Criniti caudatiq; boues.*

PH. In Africa in Pretoiannis ditione paſſim è boum cornib. vaſa fiunt menſis ad pocula, vinaque apponenda, quæ quinque ſexue metretas ſingula capiant, vti Franciſcus Aluarez tradit in itinerario Æthiopiæ cap.19. Tres amphoras bouis cornu continuiſſe memorat Ælian. lib.3. cap.33. illudq; ex India Ptolemæo Secundo allatum tradit.

TH. Habet memorabilius aliquid Ælianus hiſt. lib.16. cap.8. his verbis: *In Libya boues ante oculos cornua habent, & quæ ante pedes ſunt, videre non queunt: hinc fit, vt dum paſcũtur, retrorſum verſus ad caudam retorqueantur. Ariſt. ait Leuctricorum boum cornua, atque aures ex vna ſtirpe cognata, & ſimul contexta eſſe.* Hæc Ælianus. Quinetiam

memorat Ludouicus Barthema in itinerario felicis Arabiæ vidiſſe vaccas Sultano munere oblatas ſilueſtres, quibus eſſent cornua ceruorum, eoque nigro colore fuiſſe: at præterea rufas alias vaccas ſe vidiſſe ait, quibus vnicum in fronte cornu ad ſpinam reflexum. Ita ille in Arabiæ itinerario c.15.

EQ. In Syria boues nodos ſcapularum flectunt, vt cameli. Ariſtoteles hiſtor. animal. lib.8.c.28. At in Zecla vrbe Æthiopica vaccæ nigræ ſunt, quarum cornua vti ceruorum, & vaccæ rufæ, vnico in fronte bipedali cornu, cuius tamen acies vergitur in dorſum. Ludouicus Barthema in itinerario Æthiopiæ c.15.

PH. At Solin.c.53. ita habet: *Indicis bobus contingit quandoq; vnicornes, quandoque tricornes eſſe, ſolidis vngulis, nec bifidis*, quod & Plin.lib.8.c.21.

EQ. Alibi prorſus abſq; cornibus boues ſunt: nam Ædea regno Æthiopico ſub Pretoiannis ditione vaccæ pili albedine niuea camelis proceriores, auribus grandibus propendulis, cornibus prorſus mutilæ ſunt, vt Franciſcus Aluarez annotat in itinerario Æthiopico, cap.119.

Boues carẽtes cornib.

PH. Tantę rei rationem, cur ſcilicet deſint cornua bobus, tradidere nonnulli: Nam Ælian. hiſt. anim. lib.11.c.19. Boum (inquit) genus quoddam idcirco cornibus mutilum eſt, quod vniuerſum caluariæ os nullas commiſſuras habeat; nihilq; humorum confluentium propter duritiem reſiſtentem capiat. Et venæ per hoc ipſum os pertinentes propterea graciliores ſunt, quia minus alantur. Itemq; eorundem, qui à cornibus nudi ſunt, eo ſicciorem ceruicem, ac minus fortem eſſe neceſſe eſt, quod ipſorum pertenues venæ ſint. Arabicæ igitur vaccæ propter alentium humorum confluxum, qui permultum generoſæ propagationis nutrimẽtum cornibus præſtat, eiſdem excellunt.

EQ. Erit igitur totus humorum confluxus, & venarum vigor in humeris bobus illis, qui apud Neuros gignuntur. Ariſtot. enim dicit in Neuris populis cornua in humeris boues gerere, vt ſcribit Ælian. hiſt. anim. lib.5.c.27.

PH. Propterea apud Myſios boues cornuum expertes ſunt: at non ita in Scythia, vbi minime cornibus mutuli boues ſunt, etſi aliter in Scythia Herodotus putet. Ælian. hiſt. anim. lib.2.c.52. Hippocrates quoque tradit Sauromatas boues ob cœli frigiditatem carere cornibus.

TH. Quid de illis bobus cenſebimus, quos nonnulli tradunt cornua quidem habere, ſed mobilia, quæ remittantur interdiu, interdiu erigantur, obdureſcantque.

PH. Id admittere nos oportet, nam præclari auctores id tradidere. Ariſtot. hiſt. anim. lib.3 c.9. *Cornua* (inquit) *adhærent cuti potius animalium, quam oſſi: vnde fit, vt in Phrygia & alibi boues ſint, qui cornua perinde, vt auriculas moueant*: Plin. quoq; lib. 8.c.21. India alicubi atrociſſimos habet tauros ſilueſtres maiores agreſtibus, velocitate ante omnes, colore fuluos, oculis cæruleis, pilo in contrarium verſo, rictu ad aures dehiſcente, iuxta cornua mobilia; tergori duritia ſilicis omne reſpuens vulnus; feras omnes venantur: ipſi non aliter, quam foueis capti, feritate ſemper intereunt. Cui accedens Solinus id quoq; affirmat capite quinquageſimo tertio, qui cornuum flexibilitatem illam arbitrio eſſe tradit vt circumferat, vertatque qua malit.

Cornua boum mobilia.

EQ. Ælianus quoque hiſt. animal. lib.2.c.20. Erithræos ſcribit boues mobilia habere ſimiliter cornua, vt aures. Quin idem lib.17.c.41. Tauri (inquit) Æthiopici duplam habent magnitudinem Græcorum boum; rufis pilis veſtiuntur, veloces corpore:

corpore: cornua autem mobilia habent, ſicut & aures; ſed in pugna adeo recta manent, vt flecti nequeant: tergora neq; ſpiculis, neque telis penetrari poſſunt. Armenta autem omnia in Phrygia, ſicut aures, ita & cornua habere mobilia meminit Plin. lib. 11. c. 37.

TH. Longe magis admiror, quod Ariſtot. habet hiſtor. anim. lib. 2. c. 15. genus quoddam boum reperiri, quod ſuo in corde oſſiculum contineat, idq; non ratione, ſed peculiari quaſi priuilegio naturæ eſſe factum aſſerunt: ſicut & illud priuilegii inſignis loco in bobus habendum eſt, vt cum prægrandes ſint, in Aquilonari plaga noui orbis mari viuant, & terra: quibus & duo dentes prominent ab ore elephantum more, vt tradit Iacob. Carterius in noua Francia apud Ramuſ. Tom. 3.

EQ. Commemorantur autem de bobus quædam prodigii loco habẽda. Nam Ariſtot. hiſt. anim. lib. 3. c. 1. narrat, taurum exciſum teſtibus aliquanto initio protinus actu progeneraſſe; ſed & lib. hiſt. anim. c. 50. *Si bos* (inquit) *à recenti caſtratu ineat, procreare poteſt.*

PH. Huic rei abſque prodigii ſuperſtitione credo. Ariſtotelis enim plurima auctoritas eſt: at certe prodigii loco habere debet, quod bos ad ſacrificium adductus paulo ante Hieroſolymitanum excidium agnum pepererit, vt memorat Zonaras Tomo 1. In Sicilia quoque bouem locutum, alium in Latio Annibalis bello pendente, & Q. Fabio Maximo, & M. Marcello Coſſ. recolit Liuius, & ex illo Auguſtin. de ciuit. Dei lib. 1. c. 31. Fulgoſ. quoq; lib. 1. de prodigiis teſtatur prodigii loco haberi debere, quod vitulus biceps in Sabinis natus memoratur Calixto III. Pontifice. Bonfin. dec. 3. lib. 8. Palmer. Sed de hiſce rebus ſatis, nunc de vris. *Bos loquẽs.*

EQ. Vros ac biſontes, ego crediderim inter boum genera adſcribi poſſe: quocumque enim loco de eis auctores tradidere, ad boues eos mox retulere: deque eis memoranda conſcripſerunt. Solinus igitur c. 23. In omni (inquit) Septentrionali plaga biſontes frequentiſſimi, qui boues feris ſimiles ſetoſi, colla iubis horridi, vltra tauros pernicitate vigentes, capti aſſueſcere manu nequeunt. Sunt & vri, quos imperitum vulgus appellat bubalos, cum bubali pene ad ceruinam faciem in Africa procreentur. Iſtis porro, quos vros dicimus, taurina cornua in tantum protenduntur, vt dempta ob inſignem capacitatem inter Regias menſas potuum gerula fiant. Cui Iſidorus lib. 12. cap. 1. ſubſcribere videtur, cum dicit vrorum cornua Regum menſis ob multam capacitatem offerri. Eadem, quæ Solinus iam ſcripſerat Cæſar comment. lib. 6. quo loco tradit vros magnitudine paulo infra elephantos eſſe, eorumq; cornua ſtudioſe conquiſita auro, atque argento ab labris circumcludi, & pro poculis in Regiis menſis vſui eſſe; eaque capere binas vrnas. Memorat idem Plin. lib. 11. c. 37. *Vri.*

PH. Plinius hos omnes à bobus non putat multum differre: ſic enim ille lib. 8. cap. 15. Scythia (inquit) gignit inſignia boum ferorum genera, iubatos biſontes, excellentiq; & vi, & velocitate vros, quibus imperitum vulgus bubalorum nomen imponit, cum id gignat Africa, vituli potius, ceruiue quadam ſimilitudine. Addit autem Alb. Magn. de animal. lib. 22. in vris tantam ineſſe in ceruice vim, vt equum, in eoque ſedentem ſimul hominem cornibus abreptum in ſublime mittat, & rurſum cornibus excipiat cadentem. Cui eiuſdem propemodum ſpeciei ſuccedere animal tradit, cui Zumbra nomen eſt, corporis mole prælonga ad cubitos quindecim, cui etiam trium cubitorum cornua ſunt quorum virib. equum ſedentemque ſimul hominem ſæpius in altum mittant, & cadentem ſæpe iis recipiant. *Vri fortitudo.* *Zumbra.*

donec frequenti repercuſſione velut attritum, & prorſus colliſum, & peremptum dimittant. Deinde vero venatores, caneſq; ſe infeſtantes mirum in modum obſtupefaciunt, redduntq; inutiles; ſtercore etenim ſuo emiſſo id accidit, præcipue vero ſi ventris quoque crepitus emiſerint. Alb. lib. 22. de anim. in Zumbrone.

TH. Quamquam autem hæc omnia animantia ſibi perſimilia videantur, tamen Laurentius Surius Carthuſianus putat errare eos, qui vros, biſonteſq; vnum animalium genus eſſe credant. Nam in Commentario rerum ſuo tempore geſtarũ ann. Domini 1501. in fine ſic habet: Sunt in Lituania biſontes; vri, & alces: errant quidam, dum vros vocant biſontes; cum tamen biſontes ab vris bouinam formam habentibus differant; quando biſontes iubati ſunt, & villoſi circa collum, & in armos barba à mente propendente, pilis moſchum redolentibus, capite breui, oculis grandioribus, & toruis, quaſi ardentibus, fronte lata, cornibus plerumque adeo diductis & porrectis, vt in iis tres bene corpulenti homines inſidere queant. In tergo extat gibbus elatior priore: & poſteriore corporis parte humiliore. Vros ſola Mazouia Lituaniæ contermina habet, qui ſunt boues ſilueſtres; nec à domeſticis differunt, niſi quod omnes nigri ſunt, albicante commiſtim linea dorſum obtinente. *Alces.* Alces vero animal eſt ceruo procerius, auribus & naribus prominulis, cornibus à ceruis nonnihil diuerſis, colore item magis ad albedinem tendente; currit mira pernicitate, non tamen vt cætera animantia, ſed gradarii inſtar. Hactenus ille. Cui accedunt, quæ Bonfinius de reb. Vng. habet dec. 1. lib. 8. in princ. *Apud Saxones* (inquit) *mons Regius eſt, in quo biſontes animalia tantæ magnitudinis capi ſolent, vt vnius pelle* (veluti Paulus auctor eſt) *homines fere quindecim cubare queant.* At Marc. Crom. lib. 1. Polon. deſcript. addit biſontes magnis & leniter incuruis cornibus armatos eſſe, quibus equũ cum ſeſſore correptum in ſublime iactant, & arbores mediocri craſſitudine euertunt; magnitudinis autem eorum illud eſt argumentum, quod in capite eorum inter cornua duo, aut etiam tres homines conſident: habent villoſum corium, & ſub mento palearia. Hęc à Cromero, qui etiam adiicit biſontes hos panno rubro maxime efferari, linguæ eorum contactum vitandum maxime qua longius exerta attrahunt ad ſe hominem, ſi vel extremam veſtis eius oram cõtingant: eſt enim ſcabra. Hæc ex Cromero.

EQ. Poſtquam de alce mentio incidit, videntur auctores tum veteres, tum noſtrates plurimum in ea deſcribenda diffidere. Olaus Magnus lib. 11. c. 29. alcem putat ſilueſtrem eſſe aſinum, famem, ſitim, laboremque patientiſſime diu perferre, vnicaque die ac nocte ad ducenta milliaria Italica abſque cibo, potuque curſu perpetuo perficere.

PH. Ii, qui nouum orbem perluſtrarunt, tradunt & ibi alcem eſſe, trifariamque illi diuiſas eſſe pedum vngulas, crinium habere gibbum loco, ſeu ingens tuber carneum ab humeris ad frontem vſq; protenſum, eoq; quaſi cornu inter vepres ac ramos vti, vt ſibi viam paret, interdiu quieſcere nocte errare. Ioſeph Ieſuita ex Braſilia anno Domini 1560.

EQ. Vincentius Beluacenſis hiſt. nat. lib. 19. cap. 2. ex vetuſtis auctoribus longe aliter ſcribit, quã reliqui omnes, ita enim ille: *Alces eſt animal in ſilua Hercynia; conſimilis eſt capris figura, & varietas pellium, ſed magnitudine paulo antecedit, mutila eſt cornibus & crura ſine nodis, articuloſque non habet, nec quietis cauſa procumbi, neque cum afflicta caſu ceciderit, erigere ſeſe, aut ſubleuare poteſt: ſunt ei arbores pro cubili, ad eas ſe applicat, atque ita paulum reclinans quietem capit, cuius ex veſtigiis* [illegible] *aduerſo à ve-* [illegible]

natoribus fuerit, quo ſe recipere loco conſueuerit, eo loco à radicibus ſubruunt, aut abſcindunt arbores, tantum vt ſumma ſpecies vel ſtirps earum ſtantium relinquatur. Hic cum ſe conſuetudine declinauerit, infirmas arbores pondere affligit, atque vna ipſa concidit. Hæc ille, quæ omnia Cæſaris verba ſunt Comment. lib. 6.

PH. Hæc aſſentiri videntur iis, quæ ſcribit Solinus cap. 23. Alces (inquit) mulis comparandæ in Septentrionali plaga ſunt adeo propenſo labro ſuperiore, vt niſi recedentes in poſteriora veſtigia paſci non queant. Scandinauia Inſula è regione Germaniæ mittit animal quales Alces, ſed cuius ſuffragines, vt Elephantis flecti nequeunt: propterea non cubat, cum dormiendum eſt. Tamen ſomnolentum arbor ſuſtinet, quæ prope caſura ſecatur, vt fera, dum aſſuetis fulcimentis innititur, faciat ruinam. Ita capitur, alioqui difficile eſt eam manu capi. Nam in illo rigore poplitum incomprehenſibili fuga pollet. Plinius autem hoc Inſulanum animal Machlin appellat, Alci ſimile, ſuffraginum nullo flexo vtens, paſcua capiens retrogreditur. Hæc lib. 8. c. 15.

EQ. Paulus Iouius his aſſentiri etiam videtur: nam de rebus Moſcouitarum agens c. 2. ceruina ſpecie Alcem eſſe memorat rictu amplo, ac nares proboſcidis habere ſpeciem, cruraque illi eſſe oblonga absque incuruatione genuum.

PH. Adhuc & inter boues Cæſar Commen. lib. 6. aliud animal adſcribit memoratu dignum. *Bos* (inquit) *ceruifigura, cuius à media fronte inter aures vnum cornu exiſtit excelſius, magisque directum iis, quæ nobis nota ſunt, cornibus. Ab eius ſummo ſicut palmæ ramique late diffunduntur. Eadem eſt fœminæ marisque natura, eadem forma magnitudoque cornuum.* Hactenus Cæſar.

EQ. Admirandum & inter vaccas animal aliud adſcribitur ab iis, qui noui Orbis loca luſtrarunt. Ferunt vaccę magnitudine, imo etiam ampliore eſſe animal, cuius corium & villi hircino corio perſimiles ſint craſſitudine digitali. Eſt autem illi in fronte cornu ad pectus retrorſum, ac deinde in rectam cuſpidem ſe vertit, tantaque vis in eo eſt, vt quæque obuia penetret aut confringat. Marcus Nicienſis in itinerario nouæ Hiſpaniæ in dictione Ceuola.

TH. Sunt ergo quadrupedes multæ vnicornes, quantum colligere licet ab iis, quæ diſſeruimus.

PH. Præter has vnicornes feras compertum eſt animal ſingulari hoc titulo inſignitum, Monoceros dictum ſiue Monocornu. Plin. de eo ſic lib. 8. c. 21. Monocerotem (inquit) aſperrimam feram, reliquo corpore equo perſimilem, capite ceruo, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu graui, vno cornu nigro media fronte cubitorum duûm eminente: hanc feram viuam negant capi. *Monoceros.*

EQ. Ælianus hiſt. anim. lib. 16. cap. 20. explicatius de ea tradit. Monoceros (inquit) in Indiæ quibusdam montibus inacceſſibilibus reperitur, ad confirmatæ ætatis equum magnitudine comparatur, iubaque ac pilis fuluus eſt, pedibus celer, digitis vt elephantum indiuiſis. Apri caudam habet, at inter ſupercilia cornu vnum, idemque nigrum, non leue, ſed verſuras quasdam naturales habens, quod deſinit in acutiſſimum mucronem, omnibus aliis beſtiis ad ſe accedentibus manſuetus, ſuo generi, ſiue mari, ſiue fœminæ, ſemper pugnax.

PH. Vetuſtiores hæc quidem tradiderunt, at recentiores longe aliter habent. Paulus Iouius rerum curioſiſſimus indagator hiſt. libr. 18. cum de ortu Nili loquatur, paulo poſt ſic habet: Monoceros animal vnicorne à noſtris appellatum, pulli equini forma, colore cinereo, iubata ceruice, hircina barba, bicubitali cornu arma-

tam frontem præfert, quod leuore candoreque eburneo, & pallidis diſtinctum ipi-ris ad obtundenda hebetandaque venena mirificam poteſtatem habere dicitur. Cornu enim immiſſo, & per lymphas circumducto, fontes expiare perhibet, vt ſalubriter bibat, ſi inde virulentæ beſtiæ præpotarint. Id viuo animali non detrahi, cum vllis inſidiis intercipi nequeat. Cornu tamen ſponte deciſum in deſertis reperiri, vt in ceruis accidere videmus, qui & ſenectæ vitiis renouante natura, vetus cornu exuunt, venantibusque relinquunt. Hoc cornu regiis impoſitum menſis toxica, ſi qua ſint epulis indita, emiſſo ſtatim admirabili ſudore conuiuis prodere narrat. Ex his vidimus bicubitales brachiali fere craſſitudine, primum Venetiis, quod poſtea Senatus Solimanno Turcarum Imperatori dono miſit, alterum pari prope magnitudine, ſed præciſa cuſpide argenteæ baſi inſertum, quod Clemens Pontifex Maſſilia profectus pro inſigni munere ad Franciſcum Regem detulit. Cæterum de vi tantę dotis in hoc animante nihil plus affirmauerim, quam quod euulgata fama credentibus ſuadet, cum antiquorum auctorum nemo, quod legerim, præter vnum Ælianum Græcum, quidquam de hac Monocerotis admiranda poteſtate memoriæ prodiderit. Hactenus Iouius. Verum Nicolaus de Comitibus Venetus venenatis rebus remedio cornu iſtud eſſe memorat in prouincia Mangi orientalis Indiæ. Ita ille in itinerario.

Monocornu.

EQ. Aliis non paucis locis Monocornu reperiri proditum eſt à nonnullis: Marcus enim Polus lib.2.c.43. apud Tartaros in regno Mien. in ſyluis Monocerotes compertos eſſe memorat, compertos quoque eſſe in regno Guzzerat, quod confine eſt Indico regno Malabar teſtatur lib.3.cap.28. præcipue vero haberi in regno Baſma Iauæ maioris, tradit lib.3.c.12. Frequentiſſimos eſſe autem in regno Lambri eiusdem Inſulæ meminit eod. libr.3.c.15. eorumque formam in hunc conſcribit modum. Primum quidem Monocerotes Elephantis minores ſunt, villo à Bubalorum non diſſimili, elephantinis pedibus, vnico in fronte cornu armati, quo neminem vnquam lædunt, eſt illis apri caput, ſemperque in terram pronum, in volutabro luti ſuum more oblectatur, deformeque animal eſt, cornu neminem prorſus petit, lingua tantum exerta, quæ pinnis armata eſt, lædit, ac genibus obuia petit, & ſubſtrata premit, neque vti fabula eſt credendum, ait, quæ ignarum vulgus putat à ſolis virginibus capi: falſum enim id omnino eſſe. Hæc ex illo cap.12. Attamen Albert. Magn. de animal. lib.22. in Vnicornu affirmat, virginem hoc animal adamare, eaque re velut eſca capi. Memorat quoque Romæ à Pompeio ad ſpectacula exhibitum, eodemque cornu ad ſaxum limato, etiam Elephantem lædit. Hæc ex illo. Sed vereor eum de Rhinocerote potius ſenſiſſe, quandoquidem is eſt, quem Pompeius exhibuit, vt mox dicemus.

Ludouicus autem Barthema, qui & ipſe orientalem Indiam omnem perluſtrauit, & Africanas oras etiam adnauigauit, ſimul & Perſidem, meminit & Monocerotis, ſed villos eius ſubfuſco colore eſſe tradit, cornu longitudinem tricubitalem habere affirmat, ceruinum caput illi breuibus, ac perraris crinibus, cruribus ceruinis, quorum poſteriora admodum villoſa, vngula pedum caprina paululum in ſumma anteriore parte diuiſa, mite animal videri, vidiſſeque duos teſtatur in Arabia ex Æthyopia illo miſſos. Hæc ex illius itinerario c.17. Sed de iis hactenus.

PH. Monocornu igitur intermiſſo, agamus de rhinocerote: nam & ipſum animal vnicorne eſt, de illo Strabo lib.15. at Plin. ſic habet: Pompeii Magni ludis viſus rhinoceros vnius in nare cornu, alter hic genitus hoſtis elephanto, cornu ad ſa-

xa limato, præparat ſe pugnæ, in dimicatione maxime aluum petens, quam ſcit eſſe molliorem, longitudo ei par eſt, crura multo breuiora, color buxeus.

EQ. Ii, qui Indicas orientis regiones perluſtrarunt, alia conſcribunt forma rhinocerotem. Nicolaus enim de Comitibus Venetus in Mangi prouincia haberi ſcripſit in hanc ſententiam: In Mangi prouincia rhinoceros ſuillo capite, bouina cauda, in fronte cornu geſtat, non breuius bipedali longitudine, elephantino eſt colore, cum quo illi perpetuum bellum. Cornu huiusmodi apud omnes in pretio eſt, quod venenatis rebus remedio eſſe cenſeatur. Ita ille in itinerario ſuo ad Indos.

PH. Ego cenſuerim hunc monocerotem potius eſſe, quam rhinocerotem: nam & Ælianus hiſt.anim. lib.17.c.40. Rhinoceros (inquit) in ſumma nare cornu gerit, cuius mucro acutus exiſtit, illudque ſaxis acuit, & limat pugnaturus cum elephanto, quem ſub aluo transfigit, huius pellis tanta exiſtit firmitate, vt ægre iaculo penetrari queat; attamen elephantus eam dentibus traiicit.

TH. Pugnam hanc elephantis & rhinocerotis hoc ſeculo in Europa viſam meminit Laurentius Surius in Commēt. ſui temporis anno Domini 1515. Hoc anno (inquit) Luſitaniæ Rex Emanuel Vlisbonæ dedit inſigne ſpectaculum elephanti cum rhinocerote certantis. Eſt vtrumque animal immani corporis vaſtitate, ſed longiora crura ſunt elephanto. Naturale autem illis ineſt odium alterius in alterum, idque propter meliora paſcua, vt quidam ſcribunt, quæ ſibi inuicem præripere nituntur. Rhinoceros, teſte Pauſania, duo habet cornua, alterum inſigni magnitudine de naribus extans, alterum, quod ſuperne erumpit, exiguum quidem, ſed validiſſimum: fuit eiusmodi beſtia viua allata Regi Portugalliæ Emanueli 1513. ex India colore buxeo, ſiue vermiculato, teſtis clypeatis tecta, omnique ex parte armata. Cum autem certamen initura eſſet rhinoceros cum elephante, cui genitus eſt hoſtis (vt inquit Plinius) cornu ad ſaxa limato, aluum maxime petit, quam ſcit ſuis ictibus peruiam eſſe. Porro elephantus dentibus maximis & fortiſſimis cutem rhinocerotis, quantumlibet duram, & vix iaculo peruiam validiſſimo ictu lacerat, dentibusque dilaniat. In eo certamine, quod hoc anno (vt diximus) Vlisbonæ fuit, elephantus ſuccubit.

EQ. Poſtquam incidit elephantis mentio, opportuniſſimum fuerit de illo differere: eſt enim argumentum valde delectabile, & admiratione digna ſunt plurima, quæ de illo tradidere auctores. *Elephas.*

TH. Sane omnium animantium nullum propius accedit ad humanorum ſenſuum vires: quædam enim in illis ſunt quaſi venerationis rerum cœleſtium veſtigia. Cœlum enim mirantur, & luminaria illa maiora ſuſpiciunt, & velut venerabundi pro ſua belluina capacitate illa agnoſcunt ſupra ſe eſſe: nam quod ad Lunam pertinet, ab interlunio recreſcente Luna ob quædam ſibi indita naturæ recondita ex ſylua primum, vbi gregatim paſcuntur, decerpunt ramos, eosque deinde ſublimes ferunt, atque eosdem ipſos ad Lunam ſuſpicientes leniter mouent, tamquam ſupplicationem quandam Lunę prętendentes, quemadmodum ſolent, qui ſibi ſuperiora propitia eſſe velint, vt memorat Ælia. hiſt ani. lib. 4. c. 9. Quin etiam ad Solem orientem ſeſe venerabundos conuertere tradit idem Ælian. lib. 7. cap. 39. quod ante Ælianum etiam Plinius ſcripſit lib 8. c. 1. Nam in Mauritaniæ ſaltibus ad amnem, cui nomen eſt Amilo, niteſcente Luna noua, greges eorum deſcendunt, ibiq; ſolemniter aqua circumſperguntur, ſalutatoque ſydere, in ſyluas reuertuntur.

Viſi

Viſi quoque ſunt, cum feſſi ægritudine fuerint, herbas ſupini in cœlum iacere.

EQ. Politicam quoque erga optimates obſeruationem norunt: nam Regem adorant, genua ſubmittunt, coronas porrigunt, eodem Plinio auctore lib.8.c.1. ex Ariſtotele hiſt.anim.lib.9.c.46. Idem & Albert.Magn. tradit de animal.lib.8.tract. 5.c.2. Quin etiam vt fateantur ſe Regum Imperio ſubeſſe oportere, vigilias & excubias per vices illi ſeruant, vt tradit Ælian.hiſt.anim.lib.13.c.22.

PH. Noſſe etiam moralem, ethicenque pluribus veſtigiis compertum eſt: morum etenim ac iuſtitiæ ſtudium aliquando in eis eluxit. Nam cum vxorem ſui domitoris & altoris ſtuprari manifeſto deprehendiſſet, ambos, & eum, qui ſtuprum inferebat, & eam, qua cum id faciebat, cornibus transfigens interfecit, ac in ſtragulis conſtupratis, & lecto adulterato iacentes reliquit. Vt vero primum elephanti rector veniſſet, & manifeſto nefarium facinus & huius vindicem cognouit. Hoc quidem factum ab India huc ad nos manauit. At Romæ aliud ſimile eueniſſe audio, præterquam quod addunt, ibi elephantem vtrumque non modo occidiſſe, ſed & ſtragula veſte eos texiſſe, & nutritio adueniente ſtragulam reieciſſe, & retexiſſe, & proxime inter ſe iacentes demonſtraſſe. Ita ille tum facile iniuriam illatam ſibi fuiſſe intellexit, tum etiam maxime facinus ei liquebat, vbi cornu, quo ipſos confixiſſet, cruentum perſpexit. Hæc Ælian.hiſt.anim.lib.11.c.15.

TH. Malos etenim quantum auerſentur elephanti, & ſceleratos deteſtentur, hoc, quod enarrabimus, exemplo manifeſtum fiet. Cum cicuris elephanti moderator coniugem, non illam quidem amabilem, ſed ſane diuitem haberet, amoris oculos primum ad alteram adiecit: deinde iam vxorem ducere ſtudens alteram priorem ſtrangulauit, ac prope ab elephanti præſepi homo præcipiti conſilio non defodit modo, ſed alteram, quam amaret, in matrimonium duxit. Elephantus autem, cum tanti facinoris conſcientia incitatus, tum vero ſuapte natura à malis abhorrens, nouam vxorem eo perduxit, vbi humata altera iaceret, cadauerque dentibus refodiens, & denudans, quæ dicere nequiret, ex ipſis operibus hæc mulieri oſtendere conabatur, eam edocens, quibus eſſet moribus præditus is, cui ipſa nupſiſſet. Ælian.lib.8.cap.16. Quo loco elephantos tradit eſſe caſtos pudicosque: nam ſemel in vita coire putat, cumque vxorem impleuerit, eam amplius non tangit. Ariſtotele teſte lib.9.cap.46.de hiſt.anim. Neque in oculis aliorum coeunt, ſed ſecedentes, & intra denſitatem arborum ſe occultant, aut in concauum locum, aut profundum: quod & Plinius memorat lib.8.c.5. Atque ideo numquam illis propter fœminas prælia ſunt.

EQ. Morigeratos igitur in Republica eſſe omnes volunt, vel ipſi elephanti ſcelerum vindices, ac iuſtitiæ quodammodo cultores: tradunt enim auctores, elephantem bonæ fidei cultorem fraudes illatas vindicaſſe, & quoad illi licuit, ſcelus conformi pœna etiam mulctaſſe. Cum enim is, qui ipſi hordeum admetienti procurationem habebat, hordei partem ſubtraxiſſet, illiusque in locum lapidibus ſuppoſitis, ipſi debitam tamen menſuram cumulate ſeruaſſet, vt dominum vtriusque, ſi quando vidiſſet, falleret, elephantus videns eum, qui ſibi debitum fraudabat, polentam coquere, primo promuſcide ſabulum collegit, deinde in ollam infudit, ſicque ſolerter iniuriis iniurias ſibi illatas vltus eſt. Ælian.hiſt.anim.lib.6.c.51.

PH. Mirum quam hoc animal iuſtum ſit, vt probos amet, improbos deſpiciat, vel in cauſa propria ſuum cuique ius reddat. Petrus enim Gillius Albienſis vir eruditus, Æliani translator, & naturalium rerum longis peregrinationibus exi-

mius ſcrutator, admiranda animaduertit in elephanto, cuius curam ipſe per longiſſima itinera habuerat: memorat enim ignotos homines, leues, inſolentes, petulantes ad ſe accedentes internouiſſe à moderatis & grauibus, quos libentius intueri videretur.

Idque ipſe ſuis ſe deprehenſiſſe oculis aſſerit, quanta cum iuſtitiæ obſeruatione ſe cum ſociis gerat. Quam iuſtum (inquit) ſit animal Elephas, cum ex aliis illius actis deprehendi, tum ex eo, quod non ſemel vidi. Cum equi vicini auenam & fœnum ediſſet, poſtea ex ſacco, quem forte in angulo ſtabuli inuenit, promuſcide auenam iterum, & ſæpius deportauit, equoque obiecit edendam, ſimiliter fœnum ſibi datum promuſcide comprehendens equo obtulit, ſenſimque gradiens, ne equum terreret, equique fœnum oblatum comedentis ſupra dorſum promuſcidem poſuit, ei blandiens. Hæc Gillius ad Cardinalem Armaignacum in Elephanti deſcriptione in præfatione, &c. cap. I.

TH. Ad antidora beneficia ſe debere, gratitudineque detineri ob acceptam gratiam Elephantem agnoſcere, ea ex re planum fit, quando Elephas ductoris ſui & altoris curam geſſit, quod Ælianus habet lib. 3. cap. 44. Indorum Rex ab Indo quodam ſibi munere mitti Elephantem popoſcerat, is cum eum miro amore diligeret, negauit ſe daturum, ac vna cum Elephante perfugit in deſertiſſimam regionem. Rex ferens iſtud ægre ad eum inſequendum miſit, qui beſtiam Indi auferrent; aggreſſi igitur, qui miſſi fuerant, vt comprehenderent, homo quidem lapidibus eos appetebat, elephantus vero, vti inſigni iniuria accepta, impetum illorum repellebat; occumbente tandem ictibus altore & ductore ſuo, Elephantus more hominum armis ſe acerrime tuentium pro ſuo nutritio pugnauit, tum etiam ex inuadentibus partem occidit, partem in fugam dedit, atque nutritium promuſcide circumplexus, ad ſtabula portauit, ac tamquam amicus permanſit fidelis amico etiam defuncto.

EQ. Quid ſupereſſe poteſt ad amplificandum Elephantis ingenium, quando etiam ipſi morigerate modeſteque publice ſe gerant, & clementiam exerceant? Nam cum Bocchus Indorum Rex triginta Elephantos in triginta homines, in quos ſæuire decreuerat, obieciſſet, numquam ii adduci potuerunt quibusuis prouocationibus, vt in eos ſæuirent alienæ crudelitati ſeruientes. Plin. lib. 8. cap. 5. Præterea Elephas homini obuio & ſimpliciter oberranti clemens placidusque etiam demonſtraſſe viam traditur. Plin. lib. 8. c. 4.

PH. Quid vero amplius de Elephante prædicari poteſt? quando etiam arandi, vehendi aut pugnandi artes perdiſcat, vt Strabo tradit lib. 15. Nam & lapidem ad intentionem iacere, & armis vti, & optime natare eum ediſcere ſcribit. Quin & linguas idiomaque intelligere, atque etiam ſcribere perdiſcit. At Plin. lib. 8. c. I. tradit, maria tranſiturum Elephantem non antea nauem voluiſſe conſcendere, quam ſibi iureiurando à rectore promitteretur de reditu. Cui Ælianus lib. 4. c. 23. accedit. Elephantos (inquit) Indi cum ceperint ætate infirmos & teneros, ciborum illecebris ac blandiloquentia manſuefaciunt: nam indigenarum hominum linguam Elephanti intelligunt, & vt ſummatim dicam, perinde eos quaſi infantes pueros, tum eis cibaria largientes, tum diſciplinas tradentes, alunt. Hæc ex illo. Qui etiam libro eodem II. tradit, eos ad numerum ſaltare, tibia ſonorum differentiam intelligere, curſum tardare ad ſoni tarditatem, ſeque remittere ad remiſſionem, rurſus cum acute ſonans impellit feſtinare, & quod admirabilius eſt, cum Tiberii Cæſaris

nepos Germanicus gladiatorum ſpectaculum edidiſſet Romæ, apparatiq; eſſent in Theatri arena lecti ornatiſſimi, pocula, & argentei crateres, ac menſæ magnificæ pane, ac carnibus extructæ, intromiſſi ſunt ſex mares Elephanti virili veſte induti, totidemque fœminæ ſtola muliebri ornatæ, qui decore epulis accubuerunt, ac in menſam promuſcides, tamquam manus porrexerunt, ſummaque cum modeſtia epulati ſunt, neq; ex ipſis quiſquam viſus eſt vorax, neq; maioris partis rapax. Cum eſſet bibendum, vnicuiq; crater exhibebatur, & hi quidem promuſcidibus potionem haurientes moderate bibebant, deinde circumſtantes leuiter & feſtiue ſine contumelia aſpergebant. Hactenus Ælianus. Qui & aliud admirabilius ſeſe vidiſſe ibi commemorat his verbis: Ego recte & ordine in tabula quadam Latinas literas vidi Elephantos ſcribere, verumtamen docentis manus ſubiiciebatur ad literarum figuram, & liniamentum inſtituens animal. Cumque Elephantus ſcriberet, eius oculos immotos & deiectos eſſe perſpexi, vt Grammaticum quendam dixiſſes. Hæc ille.

EQ. Auget huius ſcriptionis fidem, quod Mucianus ter Conſul ſcriptum reliquit, Elephantem literarum ductus Græcarum didiciſſe, ſolitumque perſcribere eius linguæ verbis; Ipſe ego hæc ſcripſi, & ſpolia Celtica dicaui. Cui auctori ſubſcribit Plin.lib.8.c.3 & Cęlius Rhodogin. Antiquit.lib.3.c.3.

Eſt autem in tanta corporis mole admiranda agilitas, quando etiam funambuli officium exhibeant publicis ſpectaculis. Nam Nerone in honorem matris ludos Romæ faciente, introductus eſt Elephas in theatrum, isq; conſcendit in ſummum fornicem, atque inde etiam cum ſeſſorem rectoremque ſuum humeris ferret, paratum ibi funem, omni ſpectante populo, inambulauit, vti fuerat edoctus, non aliter atque inambulent homines, quos funambulos appellamus, vt memorat Dion Caſſius in Nerone. Illud eſt, dum funem inambulat, Elephanto difficile, quando pronus è fune deſcendit: facilius autem aſcendit, vti memorat Plinius lib.8.c.3.

TH. Sunt præterea in Elephante corporeæ quædam dotes: nam quod turres armatas ferat, admiratur Baſilius exem. hom. 9. idque haud dubie collegit à libro Machabæorum primo cap. 6. Antiochus enim iunior aduerſus Iudam ingenti comparato exercitu, Elephantos etiam præparauerat: *Erant* (inquit) *turres ligneæ ſuper Elephantos firmæ protegentes ſuper ſingulas beſtias, & ſuper eas machinæ, & ſuper ſingulas viri virtutis triginta duo, qui pugnabant deſuper, & intus magiſter beſtiæ.* Hæc ibi. Et vt miracula miraculis addantur, ex eodem loco conſtat, ſummas vires ſæpe ſua ſe virtute conficere: *Eleazar* (inquit) *vidit vnam de beſtiis loricatam loricis regiis, & erat eminens ſuper cæteras beſtias, & viſum eſt ei, quod in ea eſſet Rex, & cucurrit ad eam audacter in medio legionis, interficiens à dextris, & à ſiniſtris, & iuit ſuper pedes Elephantis, & ſuppoſuit ſe ei, & occidit eum, & cecidit in terram ſuper ipſum, & mortuus eſt illic.* Hæc ibidem. Nec triginta duos tantummodo ferre viſus eſt Elephas, vt hic Machabæorum liber explicat, ſed vsque ad quadragenarium numerum, vt Albertus Magnus memorat de animal.lib.22.in Elephante.

EQ. Ita fit, vt homo animal imbecillum adeo immanem beſtiam interficiat: eſt enim omnium terreſtrium animantium maximum Elephas. Ælianus enim tradit, Indicorum Elephantorum altitudinem eſſe cubitorum nouem, latitudinem vero quinque. Ita ille lib.13.c.8. Sed Solin.c.54. affirmat, Taprobanam Inſulam Indicam ferre maiores multo Elephantos, quam ferat in continente India. Gillius ad Cardinalem Armaignacum memorat, menſum ſe eſſe Conſtantinopoli Elephan-

phantis altitudinem quindecim pedum, & ſemipedis, ab oculo ad extremum tergum vndecim pedes, ab oculo ad extremam promuſcidem octo pedes, quo loco cuiuslibet partis menſuras exponit.

PH. Viuit igitur diu præ cæteris omnibus quadrupedibus: Ariſtoteles enim lib.9. c.46. hiſt. animal. putat viuere annos centum viginti, quandoque ducentos, floridam autem illi ætatem annorum ſexaginta. *Elephantis ætas.*

TH. Propterea hanc in Elephante ſupra hominum longæuitatem miratur S. Ioannes Chryſoſtomus in epiſt. ad Corinth. hom.17. Tomo 4.

PH. Imo in Elephante vix quidquam video aliis animantibus commune: omnium enim animantium monſtrum præcipuum eſſe videtur; nam vt ait Ariſtoteles hiſt. animal lib.2.c.6. linguam perquam exiguam habet, atque introrſus poſitam, quam ſit in cæteris quadrupedibus: vix enim videri poteſt.

Deinde longiſſima illis naris contra omnium reliquorum animantium formam, vtitur que illa quibuscunque manuum officiis: ea namque cibos tam ſiccos, quam humidos capit, & ori admouet, inde bibit, edit, homini offert, quomodo manus in fidem homo homini offert. Sed & eadem nari arbores proſternit, fructus ac folia colligit, ſi aquis immergatur, naribus tantummodo emergentibus enatat; inde enim tota illa reflatio & reſpiratio. Ariſt. hiſt. anim. lib.1.c.11. & lib.2. c.1. Pedibus omnibus digiti ſunt, ſed indiuiſi, ac leniter figurati, vngues omnino non ſunt. Hęc nulli animali contingunt. Ariſt. hiſt. anim. lib. 2. c.1. & lib. 3. c. 9. Mirum quod illi dentes prominentes comperti ſint longi quandoque ad palmos 12. pedes illi lati diametro, palmum cum dimidio, ambitu palmos quatuor. Aloyſ. Cadam. quin eius dentem vnum pondo fuiſſe 325. memorat apud Taprobanem Ludouicus Barth. rerum Ind. lib.3. *Nari inſtar manus vtitur Elephas.*

TH. Tantæ monſtroſitatis cauſas ac rationes explicat Sanctus Baſilius exem. hom.9. ac omnes eius fere corporis partes ſingulares admiratur. Quid ſibi (inquit) vult proboſcis Elephanti? quia magnum animal, & ex terreſtribus maximum, ad perterrefacientes occurrentes productum, carnoſum eſſe oportebat, corporeque completo. Huic ſi collum magnum & pedibus adæquatum additum eſſet, intractabile eſſet ob ſuperexcellentem grauitatem, ſemper deorſum vergens. Nunc autem caput quidem per pauca ceruicis verticula ad ſpinam connectitur. Habet autem proboſcidem colli vtilitatem, & vſum implentem, per quam & cibum adducit, & potum ſubuehit, ſed & inarticulati ſunt ipſi pedes, & velut columnæ iunctæ onus ſuſtentant: ſi enim laxi & flexibiles artus ipſis ſuppoſiti eſſent, frequentes ſane articulorum emotiones, ipſo ſe inclinante & exurgente contingerent, onus leuare non potentium. Nunc autem breuis talus pedi Elephantis ſubiacet, neq; tamen in talum, neq; in genu articulatus eſt. Articulorum enim lubricitas non ſuſtentare poſſet animantis carnoſitatem multam adeo ipſi circumfuſam, & circumtrementem. Vnde neceſſarius naſus ille fuit vsque ad pedes demiſſus. Non vides in bellis, quod velut turres quędam animatę aciem pręcedunt? aut colles quidam carnei intolerabilem impetum habentes hoſtium conſtipatum agmen diſcindunt? quibus ſi non correſponderent ad propoſitionem infernæ partes, ad nullum tempus animal ſufficeret, neq; duraret. Nunc autem tradunt aliqui, trecentos annos & plures adhuc viuere Elephantem propter hanc artium compagem, nullos articulos habentem. Cibum autem, velut diximus, proboſcis illa de terra in altum ſubleuat, ſerpentinæ exiſtens, ac flexibilioris naturæ. Hoc tamen animal tanta ma-

gnitudine præditum ſubditum nobis Deus conſtituit, vt, etſi doceatur, intelligat,
etſi percutiatur, excipiat ac ſuſtineat, euidenter nos edocens, quod omnia ſubiecit
nobis,propterea quod ad imaginem conditoris facti ſumus.

PH. O quam erudite, quamque pie ac ſapienter omnia differit magnus ille
Baſilius! præcipue vero, quod ibidem mox ſubiicit: *Non magis* (inquit) *admiror Ele-
phantem ob magnitudinem,quam murem,qui horrendus eſt Elephanti.*

EQ. Audiui perſæpe hoc ipſum, ſcilicet tanto animanti Elephanto murem
exiguum imbecillumque animalculum terrori eſſe, ſicut & ſues grunnitusque il-
lorum,ac ignis quoque,quę ex Æliano paſſim haberi poſſunt.Ideoque vbi Elephas
degit, ſemper cuſtodes cattum conuiuantem habent. Sed quia de Elephanto iam
ſat ſuperque diximus,mentio murium nos inuitat,vt de eis loquamur.

PH. Libenter id faciemus: nam de eis quoque narrantur admiranda, hoc v-
num de Elephanto adhuc dicere licet.Reſpiratio eius ac ſpiratio à promuſcide ma-

Reſpiratio Elephanti longiſſima.

gno ſonitu ac longo fit, cum dormit: nam eius ſpiratio tam diu permanet, vt tri-
ginta vocabula proferre poſſis, totidemque à fine aſpirationis ad initium reſpira-
tionis repetere valeas, vt Gillius eodem loco ſe commemorat animaduertiſſe.
Nunc igitur de muribus.

Mures.

EQ. Et ortu ipſo & obitu admirationem inducunt mures. Ariſtoteles enim
hiſt. anim. lib.6. c.37. *Murium* (inquit) *generatio mirabilis præter cætera animalia maio-
rem in modum eſt, tum numero,tum celeritate. Iam enim fœmina prægnante in vaſe milliario
aliquando occupata, paulo poſt reſerato vaſe, muſculi numero centum & viginti reperti ſunt*;
cui & Plinius aſſentitur lib. 10. c. 65. Eodem etiam loco Ariſtoteles memorat, in
Perſide quandam murem fœminam reſciſſam, fuiſſeq; in eius aluo fœtus fœmini-
nos prægnantes, idq; effici potuiſſe, quod aliquorum ſententia ſit, mures, ſi ſalem
lambant,impleri ſine coitu,fieriq; grauidas,quod & Plin. habet eod.lib.10.c.65.

PH. Admirabilius, quod Ælianus habet lib.2. c.56. *In Thebaide* (inquit) *cum
grandine pluit,mures in terra apparere audio, qui partim etiamnum cœnum limoſum,partim
iam caro exiſtunt.*

TH. Aſſentiri videtur S. Baſilius in exemero hom.9. his verbis: *Alia animantia
ex ſucceſſione eorum,quæ prius exiſtunt,producuntur,alia vero adhuc etiam nunc ex ipſa ter-
ra in animal generari oſtenduntur: non enim ſolum cicadas in pluuioſis tempeſtatibus remit-
tit,ſed etiam mures & ranas iam ex ſe profert, cum ſane circa* Thebas *Ægyptias,vbi in æſtati-
bus large pluerit, ſtatim arualibus muribus regio compleatur.* Cui rei perſimile illud eſt,
quod Olaus habet libro decimo octauo,capite decimo ſexto. Et Iacobus Zieglerus,
alioqui impius, memorat in Noruegia his verbis: Leem (inquit) beſtiola quadru-
pes magnitudine ſoricis,pelle varia:hæ enim per tempeſtates & repentinos imbres
decidunt,incompertum adhuc vnde,an ex remotioribus Inſulis huc vento delatæ,
an ex nubibus fœculentis temere natæ deferantur. Id compertum eſt,ſtatim atque
deciderint, reperiuntur in eorum viſceribus herbæ crudæ, nondum concoctæ: hæ
more locuſtarum depaſcuntur omnia virentia,& quæ morſu tantum attigerint,e-
moriuntur virulentia. Viuit hæc peſtis, donec non guſtauerit herbam renatam.
Conueniunt quoque gregatim quaſi hirundines euolaturæ.Sed ſtato tempore aut
moriuntur, cum lue terræ aceruatim, ex quarum corruptione aer fit peſtilens, &
afficit incolas vertigine & ictereſi,aut ab aliis beſtiis Lefrat conſumuntur.Hęc ille,
vt ita murium pluuia videri poſſit vento delata, quod & in Ægypto fieri,vt Baſilius
dixit,ita alii quoque referunt.

PH. Ac-

PH. Accedit Ælianus lib.6.cap.40. *In Ægypto* (inquit)*vt primum pluit,perparuulis guttis mures naſci ſolent, qui longe lateque,totis aruis vagantes maxima calamitate ex ſpicarum circumroſione, & ſucciſione ſegetes afficiunt.* Hæc ille. His quoq; Macrobius aſſentitur,vt de terra,& imbre animantia perfecta naſcuntur,præcipue vero in Ægypto mures. Ita ille Saturn.lib.7.cap.16. *Mures è pluuia naſci.*

EQ. Sunt & mures pro cœli regionibus miræ diuerſitatis. Ariſt.hiſt.anim.lib. 6.cap.37.tradit Ægyptiis muribus prædurum fere atque erinaceis pilum eſſe. Plin. autem id affirmat,in Cyrenaica regione ſcilicet mures eſſe erinaceorum genere, pungentibus pilis.Ægyptiis quoque muribus durum eſſe pilum,ſicut erinaceis,hęc tradit lib.8. capite quinquageſimo ſeptimo,& lib.10.c.65. At Ælianus hiſtor. animal.lib.15.cap.26. addit in Cyrene mures naſci,leporum ſimilitudinem gerere,ſpinas acutas habere.

TH. Albos naſci muros omnes Ponticos Plinius teſtatur lib.8.c.37. Sed Olai verba aut ridicula ſunt,aut plus nimio augent admirationem: tradit enim mures diu zaccaro alitos effectos albos; cum ceſſarit zaccari alimonia,priſtinam nigredinem repetiſſe. Ego autem putarim potius ſenectute incanuiſſe, quam albentes factos zaccari vſu.

EQ. Memorabile quidem eſt,mures erectos ire quaſi bipedes: nam id habet Ariſtot.hiſt.anim.lib.6.c.37. ea ratione,quod poſteriora crura prælonga,anteriora habeant breuia: id etiam affirmat Plin.lib 10.c.65.

PH. Ælianus etiam id teſtatur lib.15.c.26. *In Ægypto* (inquit) *audio bipedes mures eſſe maximos,& prioribus pedibus,tanquam manibus vti. Vicini illis Lybici ſunt,qui recti gradiuntur,duobus pedibus nitentes, cum ab inſequentibus vrgentur, ſaliunt.* Hæc ille ex Theophraſto. Alexandri quoq; teſtimonio conſtat in India mures, quantæ ſunt vulpes, magnitudine eſſe,quod Albert.quoq; Magno probatur de animal. lib. 22. in muribus:ſed & Oderico,qui Indiam perluſtrauit,etiam probatur: id enim videri præcipue in Taua Indiæ vrbe teſtatur ipſe Oder.poſter.

EQ. Accedit iis Ariſtot.hiſt.anim. lib.8.cap.28. *Mures*(inquit) *in Arabia multo ſoricibus auctiores, quibus crura priora vel palmi menſuram, poſteriora ad primum digiti nodum habentur.* Petrus autem Gillius ad Cardinalem Armaignacum cap.11.ſic de Arabicis muribus habet: Capti (inquit)in monte Synæo colore ſunt ſubrufo,& plane vaccino,alii colore badio,omnes à natura cauda priuati ſunt,vt illi,quos vulgus appellat cuniculos Indicos,gerentes potius murium ſimilitudinem,quam cuniculorum,maiores igitur illi ſunt,quam magnæ feles; ii erecti vt homines gradiuntur, pedibus poſterioribus ſolis,nitentes ſaltant,anterioribus pedibus cibum capiunt, veluti manibus.

PH. Habet & hoc animalculum miram ſolertiam. Nam Amyntas ſcribit in Caſpiis montibus murium eſſe multitudinem,eosque intrepide fluuios præcipites tranare: cauſas enim inter ſe mordicus tenentes transmittunt flumina: Ælianus hiſtor.anim.lib.17.cap.17.

TH. Oportet gregatim eos viuere, ſi tam longam teſſem ducunt, vt flumina coniuncti tranent.Sed de murium multitudine non eſt dubitandum:ſuperat enim omnes fere quadrupedum ſpecies fœtu, vti iam ab Ariſtotele didicimus. Nec immerito id à Deo factum crediderim, quandoquidem ad hominum ſcelera corrigenda ſæpe mures in immenſum creuere numerum. Nam ex Gyaro Cycladum Inſula incolas à muribus fugatos Varronem auctorem eſſe teſtatur Plin.lib.8.cap.29.

Et cum ob fœderis arcam Azotii iram Dei experirentur, nati in eorum regione mures in tantam copiam ſuper excreuerunt, vt confuſio mortis magnæ in eorum ciuitate apparuerit 1.Regum c.5. Ælianus quoque lib.17.c.38. tradit de patriis ſedibus quoſdam Italiæ populos fuiſſe incurſione murium depulſos; mediam quoque regionem ob multitudinem murium ab omni cultore fuiſſe derelictam, vaſtantibusque omnia muribus.

EQ. Non dubitarim iram Dei excandeſcere, quando mures in aliquem ſæuiunt, cuiusmodi de Archiepiſcopo quodam Moguntino auctores prodidere. Sifridus enim Presbyter libro Epitomes primo, anno Domini 923. memorat Attonem Moguntinum Archiepiſcopum à muribus fuiſſe deuoratum, nec in cōtinenti, nec in Inſulis vlla ratione potuiſſe ſeſe ab eis eximere; quanquam auctor chronologicæ compilationis ſub anno Dom.914. non muribus id tribuat, ſed dæmonibus infeſtantibus, & vtrumq; verum eſſe poteſt, vt à dæmone (ſic Deo permittente) infeſtatus muribus vitam exegerit.

Attonem Epiſ. mures deuorarūt.

TH. Fuere & alii, qui murium infeſtatione animam exhalarint. Ioannes enim Nauclerus Gener.36. anno Domini 1071. *Quidam* (inquit) *præpotens vir, dum ad menſam ſederet in conuiuio, repente à muribus circumuallatus ab ipſis pene eſt conſumptus, reliquis menſæ conuiuis ſine læſione dimiſſis: verum vbi à ſuis in mare proiectus fuiſſet, inſecuti mures nauem ipſam conſcenderunt, ipſumq; cadauer mortui vſq; ad aquæ introitum corrodebant. In terram igitur poſitus à muribus eſt integer comeſtus & dilaceratus.* Simile per omnia de Principe quodam Poloniæ Martinus recitat: Hactenus Nauclerus. Quod & Wernerus in faſciculo tradidit ſub Nicolao II. Pontifice. Fateor equidem hæc Dei iram præſignificare: at aliquando etiam ſanctiſſimi viri, & Chriſti Martyres murium inuadentium mortem experti ſunt, vti Caſſadorus in hiſtoria tripartita meminit lib.10.c.30. Gororanes Perſidis Imperator cum in Chriſtianos deſæuiret, præter id, quod exquiſitis varii generis tormentis omnes affligeret, fodiens lacus, & eos vndiq; obturans ſoricum maiorum greges in eas miſerat, atq; in eorum pabulum Chriſti athletas dedit, ligatis manib. ac pedibus, ne liceret à ſe beſtias huiusmodi abigere. Hæc ex illo.

PH. Inſana profecto cogitatio in conquirendo tot beſtiolas, præſertim vero in necem piorum hominum; propterea penes hiſtoricos omnes deridetur Eliogabalus Imperator, quādo decem millia tum murium, ſoricumue, tum muſtelarum colligenda curauit, vti Platina memorat in Vrbano I. Romano Pontifice.

EQ. Fecit hoc ſtulte, ſed minus ſtulte feciſſet, ſi obſidionem paſſus hanc copiam coegiſſet: ditari ſane potuiſſet in illis vendendis homo ignauiſſimus. Si legiſſet Annibale obſidente Caſilinum, murem vnicum venditum ducentis nummis, eumque qui vendiderat, fame mortuum, emptorem ſuperuixiſſe, vt Annales tradidiſſe memorat Plin. lib 8.c.57.

TH. Quid ſi prudenter feciſſe Eliogabalum in conquirēdis tot murium millibus defendamus, ne illi contigeret à murib. interfici, vt ſic ſibi contra eorum impetus proſpiceret, prius illos occidens, & expellens, quam ab illis occideretur?

EQ. Fruſtra hoc illi conſilium, quando oportebat militum ſeditione mori, & interfici ſimul cum matre, oportuerat potius alio ſaniore vti conſilio, ſi mures timuiſſet. Si quis etenim metuat murium moleſtias, tradit Plinius fugari ab ea domo, ſi vnus caſtratus emittatur, ita ille lib.30.cap.16. Satius igitur illi fuiſſet hoc vti conſilio: ſi autem collegiſſet murium muſcatulorum multitudinem, feciſſet vtilius &

lius, & honorificentius, quandoquidem Regium quendam odorem exhalant in ipſo ſtercore. Ipſe enim ille mus, cum ſciat homini ſtercoris ſui odorem pergratum eſſe, velut pretioſum aliquid congerit, vt Albert. Magn. tradit de anim. lib. 22. tract. 2. c. 1. in litera G.

PH. Nunc de exitu murium agamus, quoniam initio, cum de illis agere cœpimus, dixeramus, vt admirandus eſt illorum ortus, ita quoq; & eorum exitus eſt; ſupereſt, vt eorum obitum commemoremus. Mures Libyci, ſi biberint, moriuntur: nam in Africa maior pars ferarum æſtate non bibunt imbrium inopia, ob hanc igitur cauſam capti Libyci mures, ſi biberint, moriuntur. Plin. lib. 10. c. 73. Alb. Magn. de animal. lib. 7. tract. 2. c. 4.

EQ. Inſignius eſt, quod Ælianus tradit lib. 12. cap. 10. Mures (inquit) non ex inſidiis, ſed ſua ſponte moriantur, defluentibus membris è vita paulatim excedunt, vnde profectum id, quod eſt in Prouerbio: Iuxta muris interitum: cuius Menander meminit in Thaide. At quidquid de muribus diſſeruimus ignorat Scotiæ regio Argadia: nam nec ibi naſcitur, nec illatus ibi vllus mus viuere poteſt, vt memorat Ortellius in Scotia. Sed de muribus hactenus.

TH. Non omittamus muſtelas muribus affines, nam memorabile eſt, quod in Mauritania non longe ab ortu Nili prægrandes ſunt, ac quantum noſtri feles, vti tradit Strabo lib. 17.

EQ. Memorabilius de muſtela eſt, quod maximis animalibus vel præteriens metum iniicit. Ælian. hiſt lib 5. cap. 50. Nam omne iumentum muſtelam reformidat. Ælian. lib. 6. c. 21. *Muſtela.*

PH. Nec vacat miraculo; quod baſiliſco muſtelarum virus exitio eſt, auctore Plinio lib. 8. cap. 21.

EQ. Muſtelis omiſſis, redeamus ad quadrupedes maiores, inter quas camelus adnumerari poteſt. De illo ſane memoranda plura ſunt. Nam ſi generationis morem inquiramus, auerſi coeunt, ſunt enim illis genitalia non ſub imo ventre, vt reliquis maribus, ſed poſteriore corporis parte prominent, atq; extant. Vinc. hiſt. natur. lib. 18. c. 25. quod & Ariſtoteles cenſuit hiſt. anim. lib. 2. c. 1. *Camelus.*

PH. Forma in illis corporea, & viuendi, morum quoq; ratio ab aliis quadrupedibus longe diſtat. Ariſt. hiſt. anim. lib. 2. c. 1. ſic de illo: Camelus in dorſo tuber habet ſolus, differuntq; ii, qui in Bactriana naſcuntur ab Arabicis: iſtis enim bina ſunt tubera, illis ſingula. Sunt etiam omnib. ſingula parte ima, quale in dorſo, tubera, quibus incumbat reliquum corpus, quoties in genua inclinantur.

TH. Solinus c. 50. plura quam Ariſtoteles, ideo recenſendus: Bactri (inquit) populi camelos fortiſſimos mittunt, licet Arabia plurimos gignat: verum hoc differunt, quod Arabici bina tubera in dorſo habent, ſingula Bactriani. Nunquam pedes atterunt: ſunt enim illis reciprocis quibusdam pulmunculis veſtigia carnulenta: vnde ea contraria eſt labes ambulantibus nullo fauente præſidio, ad viſum inſiſtendi. Plinius autem lib. 8. cap. 18. addit tuber aliud in pectore, cui præcipue incumbat. Rurſum ex Solino loco eodem. Sitim cameli etiam in quatriduum tolerant. Verum cum occaſio bibendi data eſt, tantum implentur, quantum & ſatiet deſideria præterita, & in futurum diu proſit. Lutulentas aquas captant, puras refugiunt. Denique niſi cænoſior liquor fuerit, ipſi aſſidua conculcatione limum excitant, vt turbetur: durant in annos centum, niſi forte tralati in peregrina inſolentia incitati aeris morbos trahant. Eadem Plin. lib. 8. capite decimo octauo. Et

certe

certe qui Persidem, Arabiamque perluſtrarunt,id affirmant etiam noſtrates, præſertim in illis duplicem gibbum eſſe,non procul à mari rubro, vt Ramuſius teſtatur Tomo primo,in ſummar.rerum Orientalium.

EQ. Ii, qui Africanas, Libycasque regiones,ſimul & Arabicas perluſtrarunt, memorant, non in quartum tantummodo diem ſitim perferre, verum etiam in quintum decimum. Ita enim tradit Ioannes Leonius de rebus Africis p.8.

PH. Fel non eſſe camelo tradit Plin.lib.11. c.38. Vnde illud admirandum, & illi rabiem accidere,vt idem Plin.lib.8. c.18.

EQ. Leonius iram, rabiemque camelis accidere putat ob Venerem,qua quotannis hyberno tempore exſtimulantur,quod illis in quadrageſimum tãtum perdurat diem,poſtea prorſus miteſcunt,ita ille de rebus Afric.p.8.

Iracundia cameli. PH. Eo loco Leonius rabiem camelos afficere putat;non ob riualitatem tantum, quod in omnibus animantibus eſt, verum exiſtimat etiam iram illis accendi ad vlciſcendas iam diu acceptas ab homine iniurias. Cum etenim flagris aliquando à doctoribus, dominisq; cædantur, extra illa furoris ſui tempora cum furunt, meminere iniuriæ,ideo vlciſcuntur ſæuum in modum. Nam dentibus correptum in ſublime trahunt, ac deinde in terram illidunt, conculcatione pedum vehementiſſima ſuperaddita. Hæc ex illo eadem p.8.

TH. Ei facile aſſentior,quandoquidem B.Baſilius in exemero hom.8.memoriam iniuriarum,iræque grauitatem,& ad vlciſcendum conſtantiam camelis attribuit. Percuſſa enim aliquando bellua hæc,longo (inquit) tempore iram reponit, & vbi occaſionem nacta fuerit,malum retribuit. Quin idem Beatus auctor hoc ad humanos cohibendos mores tradit his verbis: *Audite vos, qui grauiter iraſcimini, qui memoriam iniuriarum velut virtutem colitis,cui ſimiles eſtis,cum offenſam contra proximũ, velut ſcintillam quandam in cinere occultatam tamdiu ſeruatis,donec materiam adepti velut flammam iram reaccendatis.* Hæc ille.

EQ. Ita igitur in camelo eſt,tametſi felle careat,& ita perſuaſum habeo : illa enim celeritas greſſuum, ac feſtinatio, diuturnique laboris perduratio ſpiritus magnitudinem,phlegmate tamen repreſſam ad tempus indicãt. Quotidianis etenim itinerationibus ſexto,ac ſeptimo die confeciſſe nongenta milliaria Leonius ead.8. parte tradidit, ſecutus ſententiam Iſidori lib.12.cap.1. quæ veritati innixa oſtenditur, quandoquidem in ſingulos dies centena millia paſſuum perficere camelum tradit,quod ante eum tradiderat Philoſtratus in Apollonio: eos autẽ currere plusquam Niſæos illos equos (velut ventus eſt) velociſſimos atteſtatus eſt Ariſtoteles hiſt.anim.lib.9.cap.vlt. Propterea Gulielmus Eiſengrenius putat Magos ad Chriſtum breui tempore perueniſſe. Centur.prima.

Docilitas. PH. Eſſe autem docile animal,vel hoc argumento conſtat,quod freno reguntur à ſeſſore in præliis. Plin.lib.8.c.18. Quod & Leonius habet p.8.

EQ. Docilitatem alio argumento Leonius eo loco indicat: tradit enim eos ad tympani ſonitum choreas ducere doctos, eosq; hæc doceri induſtria commemorat. Includitur iunior camelus, vbi pauimentum præcalidum fit, vt alternatim pedes attollat, dum calor vrget: idque frequentiſſima alternatione facit, dum hunc, dum illum pedem attollit pungente calore. Atque interim ſemper ad fores tympanum à doctore percutitur. In ſchola huiuſmodi ſcholaſticus hic exercetur ad annum circiter, vſu igitur confirmato hac diuturnitate, quotieſcunque tympani ſonitum audierit, eadem pedum alternatione, eodemque loco perſiſtens, dum

inſonet

inſonet tympanum, choreæ ductum ſpectatoribus præ ſe fert. Eſt etiam in camelo commemorandum, quod muſica ac modulatione plurimum ille oblectatur, quandoquidem etiam feſſus longo itinere, ſi ſubſiſtat ductor, non flagris, aut verberibus ad progrediendum eum ſtimulat, ſed ſonitu, cantuque demulcet, alioqui ageret fruſtra: quoniam & in onere, & itineris menſura terminum præfixum inuertibiliter ſeruat camelus; vt non maius ſolito onus, nec longior itineratio ab illo ſuſcipiatur, Plinio teſte eodem c.18. Cum igitur paulo vlterius progrediendum fuerit, quam conſuetudo eius ferat, tametſi (vt dixi) feſſus ad progrediendum ſponte excitatur, cum ductor cantilenam, aut aliam muſices melodiam inceperit. Id eodem loco habet Leonius.

PH. Mira in illo cibi abſtinentia quoque eſt; in tanto etenim itinerationis quotidiano labore vix veſpere herbarum aut frondium aliquid depaſcitur, vti Leonius memorat: ſed quod in illo eſt memorabilius, pudicitia inſignis cognoſcitur, quando hyeme tãtum Venere vrgeatur in quadrageſimum (vt iam diximus) diem. Incæſtum adeo refugit, vt tanti criminis, ſi deluſus commiſerit, & in ſeipſum, & in auctorem ſæuiſſimus vltor habeatur. Ariſtoteles id narrat lib. de admirandis cap. 2. *Camelos* (inquit) *qui ſunt in Arabia, matres non conſcendere fama eſt, quod ſi quis compellat, minime poteſt induci: atque commemoratur armentarius aliquando, cum non adeſſet admiſſarius, pullum contexiſſe: cum vero rem Veneream tunc conſcendens is abſoluiſſet cum matre, paulo poſt morſibus armentarium interimit.* Eadem ipſe Ariſtot. hiſtor. animal. lib. 9. cap. 47. Albert. Magn. de anim. lib. 8. tract. 5. cap. 2. At Ælianus, qui lib. 3. cap. 45. eandem hiſtoriam recenſet, addit ipſum camelum ſponte in pœnitudinem admiſſi incæſtus ſeſe dediſſe præcipitem, atque ita mortem occubuiſſe. Sed eam mortem fuiſſe equi æquali odio incæſtum deteſtantis tradit Plin. lib. 8. c. 42. Sed de camelo hactenus.

EQ. Agamus nunc de camelopardale: inuitat enim nos ad hoc animal nominis ſimilitudo: vulgus eam Giraffam appellitat. Recentiſſime Petrus Gillius, quem ſolertiſſimum harum rerum inueſtigatorem longa quoq; peregrinatione ad conquirendas res huiuſmodi attritum iam alias diximus, de hoc animanti conſcripſit ad Cardinalem Armaignacum cap. 9. Giraffam (inquit) Græci & Latini vocant camelopardalem, vidi in vrbe Cayra tres, duo cornicula ex fronte eminebant circiter ſex digitos, in fronte media tuberculũ exiſtebat, velut tertium cornu, altũ circiter duos digitos; collum longum ſeptem pedes cum caput extollit, ſexdecim pedes à terra effert, illius longitudo à cauda ad capitis verticem eſt duo de viginti pedum; tibiæ tam altæ poſteriores, quam priores, at femora anteriora longe altiora poſterioribus, nimirum dorſum à cauda ad ſummum capitis verticem velut ſcala, velutque tectum carinatum attollitur; totum corpus grandibus maculis diſtinguitur, coloris ceruini, obquadratis, ſed in collo, magisq; in corpore quoquo verſus latis circiter dodrantem; at clauſula macularum alba digiti latior; itaque totum corpus reticulatum eſt; neque tamen vt pardalis maculas habet rotundas, ſed aut obquadratas, aut oblongas. Pes bifidus, vt bubulus; labrum ſuperum longe eminet ſupra inferum: cauda tenuis & exigua in cacumine piloſa; ruminat vt bos, edit fœnum, & cætera, quæ boues edere ſolent. Iubam habet vt equus, à dorſo ad capitis verticẽ: in gradiendo claudicare videtur, nunc dextris, nunc ſiniſtris non modo cruribus, ſed etiam lateribus. Cum ex terra cibum aut potum capere habet neceſſe, crura latiſſime diſtendit priora, non enim niſi late deductis, longæque diuaricatis tibiis cibum ex terra capere poteſt. Hæc Gillius. *Giraffa.*

 TH. Recte

TH. Recte quidem expreſſit; nam memini aliquando apud Marcum Polum huius animantis me legiſſe formam lib.3.c.36. at non adeo exacte rem ipſam oculis ſubiicit, atq; Gillius. Scripſit ante hos omnes formam eius Strabo lib.16.

PH. Ioſaphat quoq; Barbarus Venetus, cum de itineratione ſua in Perſidem agat cap.10. iisdem propemodum lineamentis effigiat camelopardalem: hoc autem vnum adiicit à Gillio omiſſum, eſſe illi linguam bipedalem ſubobſcuri quaſi violacei coloris, teretem ſicut anguillis eſſe ſolet, qua ramos, frondes, herbasue carpit, mira celeritate in os trahens, vt vix ab attento ſpectatore videatur. Hæc Ioſaphat. Vt ſic camelopardalis lingua officium impleat manuum, ſicut promuſcis elephanti. Eſt igitur in hoc animanti nullum aliud memorabile, niſi forte, quod de Oraſio tradit Vincentius hiſt.natur.lib.19.c.97. Oraſium enim (vt puto) camelopardalem nuncupat: eandem enim effigiem conſcribit, quam modo diximus: adiicit autem tantæ animal eſſe pulchritudinis, vt vix penicillo imitari eadem elegantia poſſit, ipſam autem ſuæ tantæ venuſtatis non eſſe ignaram: nam cum circumſtantes ſpectatores viderit, vertit, & inuertit ſeſe in quamlibet partem, vt omnium obtutus in ſui admirationem conuertat. Suis quoque temporibus in Europa viſum hoc animal meminit; quandoquidem Sulthanus Babyloniorum Rex dono miſerat ad Fridericum tunc temporis Imperatorem Romanum. Hæc ex Vincentio, cui aſſentitur Albert. Magn. lib.22.tr.2.c.1. litera O. Nam & ipſe Oraſium nuncupat.

Oraſius animal mire pulchrum.

EQ. Agamus modo de pardali, vnde & partē nominis ſumpſit animal, de quo diſſeruimus, quæ & Panthera dicitur. Pantheram iis verbis Solinus eſſe memorandum animal nos docet c.20. *Pantheræ* (inquit) *numeroſæ ſunt in Hyrcania minutis orbiculis ſuperpictæ, ita vt oculatis ex fuluo circulis vel cærulea, vel alba diſtinguatur tergi ſupellex. Tradunt odore earum, & in contemplatione armenta mire affici, atq; vbi eas perſentiſcāt, properato conuenire, nec terreri, niſi ſola oris toruitate: quam ob cauſam pantheræ, abſconditis capitibus, quæ corporis reliqua ſunt, ſpectanda præbent, vt pecuarios greges ſtupidos in obtutu populentur ſecura vaſtatione.* Hæc Solin. eadem fere omnia. Plin. lib.8.c.17.

Panthera.

PH. Ita fit, vt quod inter aues eſt pauo, hoc inter quadrupedes pardalis, niſi ꝙ in pauone deformiſſima pars ſunt pedes, in pardali deformiſſima, imo horrida pars eſt caput. Odoriferum præterea animal eſſe Ælianus lib.5. c. 40. memorat his verbis. Admirabilem quandam ſuauitatem olet pardalis, quam bene olendi præſtantiam diuino munere donatam cum ſibi propriam plane tenet, tum vero cętera animalia hanc eius vim præclare ſentiunt. Hæc autem hoc modo venationem capit, cum horum, quæ ad victus opus ſunt, eget, ſeſe vel in loca arboribus conſita, vel foliis veſtita ita occultat, vt inuentu difficilis tātum reſpiret; hinnuli, dorcades, capræ ſilueſtres, atq; alias eiusmodi animalia ſuauis odoris illecebra attrahuntur, & proxime accedunt, illa tum quam mox de latebra exiliens ad prædam ſe rumpit, atque eam comprehendit.

TH. Tyrannica ſane iſta fraus eſt pantheræ, quæ in plebis exitium tota conſtituitur. Tyrannorum enim eſt proprium populis leges, edictaue proponere ſuaueolentiam quandam præſeferentia, licet inde curari publicam vtilitatem, inde pacem vrbium, at tandem non alia hac cauſa ea fiunt, quam vt fiſcus augeatur, atque ita fit, vt plebis totius ſanguis, & caro in Tyranni vſum cedat, quod egregio carmine doctiſſimus Andreas Alciatus in Emblematum numero conſcripſit hoc titulo.

Quod

Quod non capit Chriſtus, rapit Fiſcus.

Exprimit humentes, quas iam madefecerat ante,
Spongiolas cupidi Principis arcta manus.
Prouehit ad ſummum fures, quos deinde coercet,
Vertat vt in Fiſcum, quæ male parta, ſuum.

Propterea pardalim hominis infenſiſſimum eſſe ſuapte natura animal commemorat S. Baſilius in exemero hom. 10. his verbis: Homo deludit feras crudeliſſimas, eludit enim pantheras, cum chartam erigit in homine effiguratam, & hæc quidem chartam dilaniat, homo vero infra chartam iacens ſtultitiam feræ deridet, quod tamen expreſſius tradit homil. 50. Vidi ego (inquit) ſæpenumero in ſtadiis infeſtiſſima homini animantia, aut vidi, aut audiui, ſecurus enim nobis permittatur ſermo. Veruntamen ipſæ pardales naturalem quandam habent aduerſus hominem iram, & ſolent maxime oculis hominum inſilire: qui itaque inſaniæ ipſius beſtiæ illudunt, è charta imaginem, velut hominem oſtendant, illa vero præ nimio impetu, nulla reputatione facta, chartam velut hominem dilaniat, atque illic odium erga hominem declarat. Hæc ille. Cum igitur ex Baſilio nobis conſtet, adeo homini infenſum hoc animal, duo nobis commemoranda ſunt opera Dei in pardali ad hominis gloriam. Sed ea Philoſophus dignabitur ſuis verbis diſſerere.

PH. Libentiſſime veſtrum laborem ſubleuabo in hac re de pardali, quam iam Tyranno comparauimus. Sæuit in hominem, quando ſibi expedit, at ſi homine egeat, fit erga eum mitiſſima. Plin. enim lib. 8. cap. 17. hæc habet: Memorandum de panthera tradit Demetrius Phyſicus, iacentem in media via hominis deſiderio repente apparuiſſe patri cuiusdam Philini, affectatoris ſapientiæ; illum pauore cœpiſſe regredi: feram vero circumuolutari non dubie blandientem, ſeſe conflictantem mœrore, qui etiam in panthera intelligi poſſet. Fœta erat, catulis procul in foueam delapſis. Primum ergo miſerationis fuit non expaueſcere, proximum ei curam intendere: ſecutusq; qua trahebat veſtem vnguium leni iniectu, vt cauſam doloris intellexit, ſimulque ſalutis ſuæ mercedem exemit catulos; eaque cum iis proſequente, vsq; extra ſolitudines deductus, læta atque geſtiente: vt facile appareret gratiam referre, & nihil inuicem imputare, quod etiam in homine rarum eſt. Hæc Plinius. Alterum autem, quod in gloriam hominis diuina miſeratio in pantheram contulerit, eſt, quod cum panthera hominis nobiliſſimam deſpiciat effigiem, humanum ſtercus non ſolum magnifaciat, verum etiam ad retinendam incolumem vitam, illo egeat, ſtudioſeque conquirat, & comedat. Solinus enim c. 20. *Hyrcani* (inquit) *pardales veneno aconito occidunt: at illæ aduerſus hoc virus excrementa humana deuorant, & ſuopte ingenio peſti reſiſtunt:* eadem diſertiorib. verbis habet Plin. lib. 8. c. 27. *Pantheras* (inquit) *perfricata carne aconito (venenū id eſt) barbari venantur, occupat illico fauces earum angor, quare pardalianches id venenum appellauere quidam. At fera contra hæc excrementis hominis ſibi medetur, & alias tam auida eorum, vt à paſtoribus ex induſtria in aliquo vaſe ſuſpenſa altius, quam vt queat ſaltu contingere, iaculando ſe, appetendoque deficiat, vt poſtremo expiret.* Hæc Plinius ab Ariſtotele deſumpſit libro de admirandis c. 6.

Panthera aduerſus venenum aconitum medicina ſunt hominis excrementa.

EQ. Quæro interim, medela hæc, quæ pantheræ incolumitatem reddit, an in vno hoc tantum veneno aconiti valeat, an etiam aliis venenatis herbis, vt ſit neceſſe tantum monſtrum egere vbique nobiliſſimæ humanæ creaturæ adiumentis,

 nam

nam videtur ſentire de quibuſcunq; venenatis herbis. Ælianus lib.4.cap.48. *Pardalis* (inquit) *anterioribus pedibus quinque digitos habet, poſterioribus quatuor eius generis fœmina maiore, quam mas, robore prædita eſt. Ea ſi venenatam herbam à gentili angore ſuo appellatam imprudens comederit, confeſtim exquirit hominis ſtercus, eoque inuento, ex veneno ſeruatur.*

PH. Ælianus nõ de alio veneno loquitur, quam de aconito: nam Græci venenum huiuſmodi appellauere pardalianchem, vt Ariſtoteles meminit de admirandis.c.6. Ideo venenum pardali peſtiferum nuncupat, per circumlocutionem aconitum ſubindicans.

TH. Monſtroſum hoc animal, fœmina præcipue ſuæ culpæ pœnas ob illam in humanum genus hoſtilitatem luit. Semel enim tantum tota vita parturit: eiusque cauſa manifeſta eſſe deprehenditur. Nam cum in vtero matris coaluere catuli, maturiſque ad naſcendum viribus pollent, oderunt temporum moras: itaque oneratam fœtibus vuluam tanquam obſtantem partui vnguibus lacerant; effundit illa partũ, ſeu potius dimittit dolore cogente. Ita poſtea corruptis & cicatricoſis ſedibus, genitale ſemen infuſum non hæret acceptum, ſed irritum reſilit. Nam, Plinio teſte, animalia cum acutis vnguibus frequenter parere non poſſunt: vitiantur enim intrinſecus ſe mouentibus catulis. Hæc doctiſſime Iſidorus ethymolog. lib. 2.cap.2.

PH. Vincitur tamen ſæuiſſima hæc beſtia amicitiæ vinculis. Nam pardalis tametſi carnium præcipue hædorum vorax ſit, tamen ſi cum hædo aſſueſiat, domeſticitatis, & amicitiæ iura non violabit: nam contigit pardalim cum hædo ſimul educatam, patronum hædum occidiſſe, fameque pardalim afflixiſſe, numquam tamen oblita eſt amicitiæ, vt hædum amicum ederet, vt memorat Ælianus lib.6.cap.2.

TH. Etiam ſæua quandoque miteſcunt beneficiis & amore. At eſt hoc animal ſæuum quidem, ſed ſæuitate vincitur ab hyęna maioris induſtriæ monſtro in enecando & perſequendo homine. Et quanquam mortua vtraque hæc ſint, adhuc tamen mutuo ſæuiunt vel ipſorum pili; vtrumque animal homini infenſum eſt, ſed ſe mutuo infenſius oderunt. Si etenim vtriusque corium, aut pelles ſuſpendantur, decidunt pili pardalis. Id habet Plin.lib.28.cap.8. *Hyænæ* (inquit) *præcipue pantheris terrori eſſe traduntur, vt ne conentur quidem reſiſtere, & aliquid de corio earum habentem non appeti, mirumque dictu, ſi pelles vtriusque contrariæ ſuſpendantur, decidere pilos pantheræ.* Atque hic finis diſſerendi de pardali, ad hyænam opportune vertenda eſt oratio noſtra.

Hyæna hermaphroditus putatur.

EQ. Hyęna tanto omnibus reliquis animantibus deterior eſt ad hominis exitium, quanto expreſſius hominis vocem, verbaq; imitatur, & neq; maſculus, neq; fœmina eſt; ſed vtrumq;, & nunquam ſimul vtrumq;, ſed modo mas, modo fœmina, vti Philoſophus diſſeret nobis copioſius.

PH. De hyæna multa protulere hiſtorici. Ariſt. hiſt. anim. lib.6. cap.32. Hyęnæ mari genitale virile, ſicut in lupis & canibus: quod vero fœmineum eſſe videtur, ſub cauda poſitum eſt, figura ſimile genitali fœminæ, ſed ſine vllo meatu, ſub hoc meatus excrementorum eſt. Quinetiam fœmina hyæna præter ſuum etiam ſimile vt mas habet ſub cauda ſine vllo meatu, à quo excrementorum meatus eſt, atq; ſub eo genitale verum continetur. At vero Plin.lib.8.c.30. ſic habet: *Hyænis vtramq; eſſe naturam, & alternis annis mares, alternis fœminas fieri, parere ſine mare vulgus credit. Ari-*

ſtoteles

ſtoteles negat. Rurſum lib. 28. c 8. permutationem ſexus fieri annuis vicibus hyænæ aperte memorat, ſed ego non facile ei aſſentirer, niſi meminiſſem, doctiſſimum & ſanctiſſimum Clementem Alexandrinum aliquando id dixiſſe Pædagogiæ lib. 2. cap. 10.

TH. Nemo doctus vnquam id dixit, neque Ariſtoteles, neque Plinius id affirmauit, neque Clemens Alexandrinus, ſed vulgi tantummodo retulere opinionem. Quin imo Clemens Alexandrinus, cum hanc vulgi ignari ſententiam recenſuiſſet illo decimo capite, paulo infra principium, Ariſtotelis iam recenſitam à nobis ſententiam explicat his verbis: Nequaquam (inquit) credendum eſt hyænam vnquam mutare naturam: idem enim animal non habet ſimul ambo pudenda, maſculini & fœminini, ſicut nonnulli exiſtimarunt, Hermaphroditos prodigioſe narrantes, & inter maſculum & fœminam, hanc ex viro, & fœminam conſtantem naturam innouantes. Valde autem falluntur, vt qui non animaduerterint, quam ſit filiorum amans omnium mater & genitrix natura: quoniam enim hoc animal hyæna, inquam, eſt ſalaciſſimum, ſub cauda ante excrementi meatum adnatum eſt ei quoddam carneum tuberculum fœminino pudendo figura perſimile. Nullum autem meatum habet hæc figura carnis in vllum vſum deſinens, vel in matricem, inquam, vel in rectum inteſtinum; ſolam autem habet multam concauitatem, quæ inanem excipiat libidinem, quando auerſi fuerint meatus, qui in concipiendo fœtu occupati ſunt. Hoc ipſum autem & maſculo & fœminæ hyænæ adnatum eſt, quod ſit inſigniter pathica: maſculus enim viciſſim & agit, & patitur, vnde etiam rariſſime inueniri poteſt hyæna fœmina; non enim frequenter concipit hoc animal, cum eis tuto redundet ſatio præter naturam. Hactenus ille.

PH. Arridet multum tanti viri ſententia, quam non adeo diligenter inueſtigaram ego, homo nimium profanis auctoribus deditus. Sed vt cætera proſequamur, hyæna fraudulentiſſimum animal eſt, lucem odit, tenebras amans.

TH. Propterea homines, quos diuinarum rerum viderimus oſores eſſe, amantiſſimos vero tenebrarum huius ſeculi, recte hyænas nuncupamus, vel ipſarum ſcripturarum exemplo, quando Sacerdotes impios habitare hyænæ ſpeluncas exprobrat Hierem. 12. quo loco ſecundum ſeptuaginta ſpeluncam hyænæ Eccleſiam Dei factam Dominus conqueritur. Illam igitur ſcripturam Diuus Chryſoſtomus vt explanet, ſuper Marcum hom. 13. Tomo 2. his verbis vtitur: *Hyæna nunquam videtur in die, ſed ſemper in noctibus, nunquam videtur in luce, ſed ſemper in tenebris: & hanc naturam habet, vt effodiat corpora mortuorum, & ipſa edat. Denique ſi quis negligenter ſepelierit mortuum, effodit nocte, & tollit corpus, & comedit: vbicunque ſepulchra ſunt, vbicunque oſſa ſunt, ibi cubile hyænæ eſt. Et hanc naturam habet, maxime canibus delectatur, quos rapit, & deuorat. Hyæna beſtia ſanguiuora, beſtia, quæ corporibus delectatur, beſtia, quæ ſemper in nocte, nunquam in die eſt: non delectatur niſi cadaueribus mortuorum & canibus, quos vult occidere, qui ſeruant domum. Hyæna & hanc dicitur habere naturam, quia ſpinam vnam habet, quæ flecti non poſſit. Denique ſi vertere ſe voluerit, tota conuertitur, non poteſt ſe flectere, ſicut cætera animalia.* Hactenus Chryſoſtomus, cui ſententiæ concinne eſt, quod D. Hieronymus ſuper Iſaiam ad cap. 65. & ſuper Hierem. ad cap. 12. Accedunt & quæ Plin. lib. 8. c. 30. vbi inflexibilem illi eſſe ſpinam, & collum commemorat.

PH. Quoniam vero ſepulchra refodere hyænam dixit beatiſſimus Chryſoſtomus, & id naturalis hiſtoriæ ſcriptores quoque retulere, ſi ea non inueniat, mira

Hyæna lucifuga.

arte, vt cadauera ſibi acquirat, ſuapte natura vtitur, tum in canes, tum in homines, Ælian.lib.7.c.18. *Hyæna*(inquit)*ad ſtabula noctu profecta humanum vomitum aßimulat, eamvt canes exaudierunt, ad illam ipſam, tanquam ad hominem adeunt, ſic eos vorat.* Eadem Plin.lib.8.c.30.

At Ariſtoteles hiſt.anim.lib.8.c.5.Hyęna(inquit)quam alii glanum appellant, molitur inſidias homini: canes enim vomitionem hominis imitando capit, & ſepulchra effodit humanæ auida carnis, & eruit.

EQ. Vincentius hiſt.natur.lib.19.c.61.Hyęna(ait)ſequitur ſtabula paſtorum, aſſiduoque auditu perdiſcit ſingulorum nomina, quæ exprimit ſcite ad humanæ vocis imitationem, vt nocte in hominum ſuo nomine accitum ſæuiat. Hæc ille ex Plinio lib.8.cap.30. De hyæna mira(inquit)traduntur, ſed maxime ſermonem humanum inter paſtorum ſtabula aſſimulare, nomenque alicuius addiſcere, quem euocatum foras laceret.

PH. Ariſtoteles de admiran.lib.cap.141.addit hęc:In Arabia(ait)genus quoddam hyænarum eſt, quæ cum aliquam vel feram, vel hominem præuiderit, ita obſtupeſcere faciat, atque ita conſiſtere, vt corpus mouere non valeat, atque ita excedit eos. Aſſentitur Vinc.hiſt.natur.lib.19.cap.61.

EQ. Longe maiora iis memorat Ælianus lib.6.cap.13.Hyęna ſicut Ariſtoteles tradit, dextra in manu vim ſopiendi habet, & ſuo tactu ſolo ſomnum conciliandi & ſæpenumero in ſtabula ingreſſa, cum dormientem aliquem deprehenderit, & pedetentim ad illum progreſſa fuerit, ſoporiferam (vt ita dicam) manum eius naribus admouet, ſicque eas opprimit, vt hic ſine ſenſu eſſe videatur, ac tantum terræ ſuffodit, quantum ſit ad eum ipſum obruendum ſatis; guttur vero ſupinum & nudum relinquit, in quod incumbens ſomno oppreſſum ſuffocat, poſteaque in latibulum abſtrahit. Iam cum Lunæ Orbis plenus eſt, retro poſito Lunę fulgore, ſuam canibus vmbram iniicit, quos ſtatim mutos reddit, & tanquam veneficio quodam eorum ſenſus perſtringit, deinde & elingues abducit, & optatis fruitur. Hæc Ælianus, cui, quoad vmbram pertinet, conſentiunt, quæ Plin.lib.8.c.30. habet. Adiicit Albert.Mag.lib.de anim.22.in hyæna, viſa hyænæ vmbra, quæque animalia hærere veſtigio.

Hyæna partus.

TH. Peſſimum hoc animal igitur eſt, quando vel ſola vmbra plurimum obſit, gignit peſſimam prolem, etiamſi à regia nobiliſſimaque Leæna eam ſuſcipiat: crocutam enim gignit patris perſimili in omnibus malitia. Plinius enim lib. 8. cap.30. Hyænæ coitu Æthyopica Leæna parit crocutam ſimiliter voces imitantem hominum pecorumque: acies ei perpetua in vtraque parte oris nullis gingiuis, dente continuo, qui, ne contrario occurſu hebetetur, capſarum modo includitur. Cui Ælianus lib.7.cap.18. accedens ſic habet: Crocuta callida eſt, primum enim ſeſe in denſas ſyluas occultans materiarios fabros nominatim inter ſe appellantes auſcultat, illorumque cuiuſpiam nomen addiſcit, deinde ſumma humani ſermonis aſſimulatione comparans inſidias, quod audiuit nomen, humana voce appellat, ad eam accedit appellatus, retro vero illa cedens, rurſum appellat, idem iterum, ſæpiusque, ille ad humanam vocem accedit, vbi autem eum à ſociis ſeduxit, & iam ab auxiliatoribus nudum conſtituit, correptum interimit, ex eoque, quem voce pellexit, ſibi inſtruit & conficit cibum.

PH. Plinius tamen memorat crocutam etiam à canibus lupiſq; gigni, omnia dentibus frangentem, protinusque deuorata conficientem ventre; lib.8.c.21.

EQ. Et

EQ. Et Leucrocutam reperiri meminere Plinius ac Solinus ille lib. 8. cap. 21. *Leucrocuta* (inquit) *ferociſsima fera aſini fere magnitudine, cruribus ceruinis, collo, cauda, pectore leonis, capite melium, biſulca vngula, ore ad aures vſque reſciſſo, dentium locis oſſe perpetuo.* Hanc feram humanas quoque voces tradunt imitari. Eadem Solinus cap. 53. & ex eo etiam Vinc. hiſt. natur. lib. 19. c. 77. *Leucrocuta.*

PH. Sed & manticoram imitari humanas voces compertum eſt. Plinius id habet libro 8. c. 30. Hominum ſermones imitari & manticoram in Æthyopia auctor eſt Iuba.

EQ. Manticoræ huius formam quaſi penicillo conſcribit Ælianus lib. 4. c. 20. Apud Indos (inquit) naſcitur immenſo robore præditum animal, cui Indorum lingua manticoræ nomen eſt, magnitudinem maximi leonis, colore rubrum, canis modo villoſum, facie eadem prope, quæ hominis; dentium triplici vtrimq; ordine mucrone acutiſſimorum caninis maiorum, auribus hominis ſimilibus, niſi quod hæ & grandiores, & villoſiores, oculis cæſiis, & his non diſſimilibus hominis, pedibus & vnguibus eisdem, qui leonis ſumma cauda illi ſcorpionis modo tereti aculeo plus, quam cubitali armata, reliquum caudæ vtrimque aculeis cuſpiditatum exiſtit, quos tanquam tela, ſi qui inſequantur, eminus iaculatur, aculei, ſi quem attigerint, lethales emiſſiones habent. Cum in anteriorem partem verſus iaculatur, caudam intorquet, ſin retro verſus aculeos emittit, tum extentiſſime caudam porrigit, aculei, quos iaculatur, pedali magnitudine, & funis craſſitudine ſunt. Cteſias Indos ſibi affirmaſſe ait, locis emiſſorum aculeorum alios ſuccreſcere, vt ſit huius peſtis perpetua ſucceſſio. Humanis, vt idem affert, carnibus maxime delectatur: quocirca complures homines interfecit, nec duntaxat ſingulos homines inuadit, ſed plures collectos vel ipſe ſolus interimit. Eadem eſt, qua perniciſſimi cerui, corporis velocitate, eius pullos aculeatis nondum caudis armatos venantur, caudasque eorum ad ſaxum elidunt, atque crebris ictibus confringunt, ne aculeos poſtea producere queant: vocem edunt proxime accedentem ad fiſtulæ ſonum, tubæque concentum. Cteſias apud Perſas hoc animal ſe vidiſſe teſtatur ex India Regi Perſarum munere miſſum. Hæc Ælianus: cui conſentiunt quæ habet Ariſtoteles hiſt. anim. libro ſecundo, capite primo, qui addit, nulla arte poſſe vnquam hoc animal miteſcere. Conſentiunt & quæ Plinius habet libro octauo, capite vigeſimo primo, & quæ Solinus capite quinquageſimo tertio, qui addit, pedibus hoc animal ſic vigere, ac ſaltu ſic poſſe, vt morari eam nec extentiſſima ſpatia, nec obſtacula latiſſima poſſint. *Manticora.*

PH. Non igitur ſoli hiſtrici hoc contingit, vt ſpinas eminus iaculetur: Solinus enim ſcribit capite trigeſimo ſecundo, hiſtricem in Æthyopia erinacio ſimilem frequentiſſimam, ſpinas dorſi, vt libet iaculari, quibus canes vulneret, ſed in Africa naſci memorat Plinius libro octauo capite trigeſimo quinto. At Ælianus libro primo, capite trigeſimo ſecundo addit etiam crines, qui ſpinis conſtat, tanquam tela iaculari, & non alio eos eiectos euolare modo, quam ſi neruo quodam fuiſſent expulſi.

TH. Poſtquam incidimus in mentionem monſtrorum, libet diſſerere de variis monſtris quadrupedibus. Tarandus magnitudine eſt bouis, capite maiori ceruino, nec abſimili, cornua habet ramoſa, vngulam bifidam, villum magnitudine vrſorum, color ſimilis aſini. Tergori tanta duritia eſt, vt thoraces ex eo fiant, mutat colores ſingulari quadam natura, cum pilis veſtiatur, quod ipſi ſoli contingit, in Scy- *Tarandus.*

in Scythia naſcitur. Sed idem accidere Lycaoni in India, cuius iubata eſt ceruix, memorant: colorem igitur Tarandus omnium arborum, fructuum, florum, locorumque reddit metuens, in quibus latet; ideoque raro capitur. Admiranda quidem res eſt animal tot mutare colores, vt chamæleonti nuda cute contingit, ſed admirabilius eſt hoc contingere habenti villum adeo magnum. Hæc ex Plinio libro octauo, capite trigeſimo quarto. Eadem Ariſtoteles de admirand. cap. 29. Eadem Ælianus lib. 2. cap. 16. & Solinus cap. 32.

EQ. Monſtruoſum eſt etiam animal, ac nobis commemorandum, cui nomen Eale, de quo Plinius lib. 8. cap. 21. Apud Æthyopas naſci ſcribit hac forma, magnitudine equi fluuiatilis, cauda Elephanti, colore nigro vel fuluo, maxillas apri, maioraque cornua habere cubitalibus, eaque eſſe mobilia, quæ alterna pugna ſiſtit, variatque in recta aut obliqua, vtcumque occaſio tulerit. Solinus cap. 53. eadem & Vinc. hiſtor. natur. lib. 19. cap. 37.

Catoblepa ſolo intuitu interficit aſpicientes.

PH. Monſtroſior eſt Catoblepa, & pernicioſioris naturæ: ſolis enim oculis necat, ſicut Baſiliſcus; nullo enim impetu aut morſu aliquem lædit, vti Pomponius Mela memorat lib. 3. cap. 4. naſci autem iuxta Nigrim fluuium tradit Plinius libro octauo, capite vigeſimo primo, & Solinus capite trigeſimo ſecundo. Nemo tamen expreſſius eam delineauit, quam Ælianus libro ſeptimo, cap. 6. Catoblepontem fert Africa: tauro eſt ſimilis, truculentus, terribiliſque aſpectu, alta ei, & denſa ſunt ſupercilia, oculi non perinde quidem magni, vt bubuli ſubiiciuntur, ſanguine ſuffuſi, non directe, ſed ad terram verſus intuetur. A vertice incipiens iuba equinæ ſimilis per eius frontem promittitur, quæ ſi vsque ad faciem pertinet, formidabiliorem eum reddit. Mortiferas depaſcitur herbas, ac ſimul, vt taurino aſpectu conſpexit, ſtatim horret, & iubam erigit in excelſum, ac apertis labris per guttur quiddam vehementer acutum & horrendum emittit, vt aer ſupra caput obducatur & inficiatur. Animalia autem appropinquantia, quæ hoc cœlum hauriant, grauiter affliguntur, & vocis vſum amittunt, in lethaleſque conuulſiones incidunt, tum etiam homo ſi inciderit, hæc mala ſubit. Nouit ſuam vim hæc fera, ſed nouerunt etiam animalia, itaque quam longiſſime poſſunt, aufugiunt. Hæc Ælianus. Sed non adeo illud expreſſit, vt ſolo viſu interimat videntes, quod Mela, Plinius, Solinus, & alii prodiderunt, & inter recentiores & Ludouicus Viues ad Auguſtini libros de ciuitate Dei lib. decimo octauo, capite decimo tertio. Qui etiam memorant, cum nouerit ſolo obtutu interfici conſpicientes, ideo in terram oculos ſuos defigere. Conſentit Albertus Magn. anim. lib. 22. in Catoblepa.

Bonoſus.

EQ. Nec prætermittendus eſt Bonoſus, de quo Ariſtoteles hiſt. anim. libro nono, cap. quadrageſimo quinto. Bonoſus (inquit) gignitur in Pæonia monte Meſſapo, qui Pæoniam à Media diſterminat, magnitudine eſt tauri, equina iuba, ſed molliore villo. Vocem ſimilem boui emittit, cornua adunca in ſe flexa, & pugnæ inutilia gerit magnitudine palmari, amplitudine non multo arctiore, quam vt ſingula ſemiſextarium capiant nigritie proba, tergus illi contra ictus præualidum. Cum percuſſus eſt, fugit, niſi defatigatus nuſquam conſiſtit, & proluuiem alui vel ad quatuor paſſus proiiciens, quo adeo inſectantes canes adurit, vt illis pili prorſus abſumantur, quæ vis tum in fimo illo eſt, cum bellua excitatur, & metuit, alioqui nil vrit. Prius autem, quam fœtum ſuum edant, excremento alui circiter eum locum, in quo pariunt, ſe quaſi vallo circumdant & muniunt. Eſt enim excrementi in hoc animanti maxima copia. Conſentiunt Ariſtoteli, quæ tradidit Plin. libro octauo,

octauo, capite decimo quinto, quæ Solinus capite quinquageſimo ſecundo, & quæ idem ipſe Ariſtoteles de admirandis capite primo, & libro ſecundo capite primo, quibus locis, aut Bolinthum, aut Menepum, aut Bonoſum nuncupat. Ælianus vero, qui Monopem Pæonicum appellat, dicit venatores hoc ſtercore contactos interire: ita ille libro ſeptimo, capite tertio. Aſſentitur & Alber. Magn. de animal. libro vigeſimo ſecundo, in Bonoſo, quin & in litera D. in Durau animanti quadrupede ac monſtro ait, ineſſe eandem ſtercoris vim, vt eo à venatoribus ſe expediat.

TH. Commemorandus quoque videtur Pœfagus. Indicum animal eſt duplo quam equus maior, ſpiſſiſſima cauda & nigerrima præditus eſt: humani pili ſubtilitatem eius ſetæ vincunt, quæ ad bina cubita ſingulæ longitudine procedunt, quibus & mulieres ſua ornent capita, propriis permiſtis crinibus, ex vna radice triginta ſimul exoriuntur. Omnium animalium timidiſſimus eſt: nam ſi à quopiam ſe inſpectum ſentit, è veſtigio quanta poteſt celeritate ſeſe coniicit in fugam, in quam magis ſtudioſe quam celeriter ſe impellit, ac ſi, cum inſequentibus canibus & equis ad currendum promptiſſimis vrgetur, intelligat ſe appropinquare vt comprehendatur, prius occultata cauda ſtans venatores intuetur, ſimul & ex magno timore colligit ſe, & quadam fiducia nititur; neque enim iam cauda abdita putat ſe amplius viſum iri, aut quæri, quod præclare ſcit, in cauſa caudam eſſe, quamobrem tantopere appetatur. Occiſo, ſola cauda & pellis detrahitur. Ælian. lib. 16. cap. 11. Videre hinc licet, quanta ſtoliditas in Phaſiano, in Struthio, atque in hoc animante perſpecta nobis ſit. Aues illæ abdito capite tantummodo, latere reliquum omne corpus putant, hoc ſtolidiſſime præ illis exiſtimat, latente cauda, reliquum corpus non videri. *Pœfagus.*

EQ. Ichneumon etiam monſtroſus nobis commemorandus eſt. Petrus Gillius ſolertiſſimus (vt ſæpe diximus) animalium inueſtigator, cicurem hunc habuit: nam ad Cardinalem Armaignacum ſcribens capite vndecimo ſic habet: Ichneumonem ad te mitto, quem murem Pharaonis, alii Ægyptiacum vulgo nominant, dimidio maior eſt, quam Meles, ſed longior, & pilis diuerſus, longis, duris, colorem habentibus proprium, multis animalibus Europæis communem, quem declarare non poſſum. Cauda teres & longa eſt, roſtrum ſuillum, aures ſemper erectæ, oculi acerrimi & viuaciſſimi. Hic ille eſt nobilis Ichneumon, qui Crocodilum interficit, cum tamen manſuefacto nihil mitius, nihil ludicrius, aſſiduis colluſionibus gaudet, ſemper ad ludicra paratus, neque vt cæteræ huiuſmodi feræ, nunc triſtis, nunc hilaris. Cum frigus nocturnum ſentiebat, iuxta pectus meum dormiebat, quem dum recipere nolebam, ibat ad Pantheras, quæ eadem naui ex vrbe Caira Alexandriam vehebantur, interque Pantherarum femora nocturni frigoris fugiendi cauſa ſe abdebat: ac ſi ligatus eo penetrare nequibat, ſe vt Erinacius in pilam contorquebat, capite abdito intra ſua genitalia, quæ magno afflatu anhelandi incalefaciebat. Dum cibum capit, aſſidue fremit, ringit, nihil eo volucrius, nihil animoſius, vt maxima inuadere audeat, vt Equos, Camelos, Elephantos, Serpentes maximos, vt nihil mirum ſit, ſi inuadit Crocodilum dormientem & oſcitantem. Eius figura ſculpta eſt in baſe Coloſſi Niliaci extantis in Vaticano horto cauda erecta, & capite elato inſidians Crocodilo dormienti. Hæc Gillius. *Ichneumon.*

PH. Ichneumonem Crocodilum interimere non eſt ambigendum, id habet Strabo lib. 17. Plinius etiam memorat lib. 8. c. 25. Solin. c. 34. Crocodilum ore hiantem, dum auicula trochilos dentes illi ſcalpit, ſomno preſſum conſpicatus Ichneu- *Ichneumon Crocodilum interficit.*

 mon

mon per fauces, vt telum aliquod, immiſſus erodit aluum. Eadem habet Euſeb. Cæſ de præparat. Euang. lib. 2. c. 1.

EQ. De Ichneumone Ælianus auditu digna memorat lib. 10. c. 48. Ichneumoni vtriusque ſexus participi à natura tributum eſt, vt & ſuo ſemine grauiditatem & partum afferat, & ipſe quoque ventrem ferat, & ex ſe pariat; qui in pugna, quam inter ſe pugnant, victi fuerint, ea bellicæ offenſionis nota inuruntur, vt in viliorem ſexum cenſeantur, & muliebria patiantur: contra ii, qui ex bello ſuperiores euaſerunt, victos ſubigunt, & ſimul ſuo ſemine implent, ac victi ex ea male à ſe pugnata pugna hoc præmio afficiuntur, vt & partus dolores ſufferant, & ex patribus, qui iam ante fuiſſent, matres reddantur. Cum homini infeſtiſſimis beſtiis aſpide, & crocodilo inimicitias gerunt. Hæc ille. Cicero autem de natur. affirmat, Ichneumonem muris ſpeciem eſſe. Sed de hoc ſatis.

PH. Lyncem (vt modo ad luporum genera homini infenſiſſima transeamus) libet recenſere. Solinus c. 7. ita habet: *In luporum genere numerantur & lynces, quarum vrinas coire in duritiem pretioſi calculi fatentur, qui naturas lapidum exquiſitius ſunt perſecuti. Lapidi iſti ſuccini color eſt, pariter ſpiritu attrahit propinquantia, dolores renum ſedat, medetur regio morbo.* Cui accedit & Ælian. lib. 4. c. 16. qui memorat, lapidem ad ſculpendum eſſe accommodatum, & ſimul ad muliebrem mundum expetitum eſſe.

Comptus mulierum ridiculus.

EQ. Ridicula ſane ſæpe ſunt muliebria ornamenta lyncis vrina, & moſchi, ſeu catti ſtercus, & bombycis excrementa toti Orbi in ornamentum ceſſere, vt non pudeat iis rebus ſummo ſtudio, ſumma auiditate inhiare, cum putidiſſima animantium excrementa ſint, non animaduertentes homines culpa amiſiſſe diuina, vt belluinis excrementis exornentur. Quin ſtudio maiore, quam aurum quærunt iſta: nam quoad moſchum, ſeu cattum, eiusque ſtercus zibettum, ſiue id natibus poſterioribus purulentia ſit, ſunt nobiles quidam in Vlyſſipone, quorum totus annus cenſus conſtat ex hoc ſtercore, ſeu purulentia: nam ad mille quingentos annuos aureos aſcendit ipſe hic ex ſtercore fructus, vt ita præſtet, ſtercus hoc colligere, quam ſerere frumentum. Id memorat Grannata Aloyſius in inſtructione ad ſymbolum.

Zibettum ſtercus pretioſiſſimũ.

PH. Plinius addit, lyncem prænoſcere ſuæ vrinæ vim, atque inuidia ductam eam terra operire. Ita ille lib. 8. c. 38.

TH. Atque ita deprehendere poſſumus, pudere vel ipſam lyncem, vt homo omnium creaturarum nobiliſſimus excrementa quadrupedum ad ſui ornatum conquirat.

EQ. Quæ de lyncis viſu traduntur, ego vereor eſſe fabuloſa: nam ex vetuſtis auctoribus Vinc. hiſt. natur. libro 19. cap. 79. tradit, præcipuam videndi vim in lynce inditam eſſe, vt ſolida corpora penetret, tantamque illi videndi aciem eſſe, ac perſpicaciam, vt à diophanis rebus præcipue lædatur vsque ad excæcationem, ſed de iis rebus nulla apud fide dignos auctores mentio eſt. Si quid norit lynx trans ſolida corpora, aut trans parietes, non à viſu id conſequitur, ſed ab olfactu, quo præcipue quoque fera illa valet: quod à diophanis ob transparentiam lædantur oculi, non eſt mirum; nam & qui homines viſu plurimum valent, inſpicillis nequeunt vti: refranguntur etenim viſus ipſius radii, ideoque læduntur, ſi diu refrangantur, ſed breuiſſimo obtutu nulla eſt læſio.

Lupi.

PH. Et ego eadem fabuloſa puto: ſed de lupis reliqua proſequamur. Plinius lib. 8. cap. 22. In Italia creditur luporum viſus eſſe noxius, vocemque homini, quem

priores contemplentur, adimere ad præſens. Id quoque Solinus habet capite ſeptimo. Habet & S. Ambroſius in exemero: rationem autem eius rei eſſe infectionem aeris è venenato lupi ſpiritu, quem trahit homo ad fauces iam ſe à lupo viſum animaduertens, quod non accidit, ſi videat prius ipſe lupum. Sylu. in aurea Roſa in præambulis cap. 5.

EQ. De lupis alia produnt auctores. Nam Æthyopicis lupis proprium eſt, quod in ſaliendo ita niſus habent alitis, vt non magis proficiant curſu, quam meatu: homines tamen nunquam impetunt, Bruma comati ſunt, æſtate nudi, Thoas vocant. Id Solinus habet cap. 32.

TH. Olaus quoque hos Thoas lupos in Aquilonari regione eſſe meminit, intra Suetiam ſcilicet & Noruergiam, nihil lædere homines, & hyeme villoſos eſſe, æſtate eſſe prorſus nudatos. Ita ille lib. 18. c. 11. *Thoas lupus.*

PH. Thoas tradit Plinius luporum quidem eſſe genus, ſed procerius longitudine, breuitate crurum diſſimile, velox ſaltu, venatu viuens, innocuum homini, habitum, non colorem mutare, per hyemem hirtos, æſtate nudos. Ita ille libro 8. c. 34. Propterea illa Aquilonaris regio aliud quoque luporum genus habet, quod candido prorſus ſit pilo, vti Olaus tradit lib. 17. c. 7.

TH. Lupis ineſſe ingenium induſtriamque meminit Ælianus: nam vt flumina ingentia traiiciant, caudas inuicem mordicus tenent, reſiſtuntque ad perferendos fluctus, nulloque negotio tutiſſime tranant. Ita ille lib. 3. c. 6.

PH. Admirari libet, quod Ariſtoteles ipſe admiratur hiſt. anim. libr. 9. cap. 36. Apud Mæotidem paludem lupos eſſe piſcatorum familiares, & niſi partem ſuam à piſcatoribus acceperint, retia, cum in terra expanſa reſiccentur, lacerare, quod & Plinius memorat lib. 10. c. 8.

TH. Hoc forte id eſt, quod Marcus Aurelius Imperator in epiſtola ad Lambertum Helleſponti Præfectum ſcribens narrat, in Helleſponto lupos paſſim familiares hominibus eſſe, & naſci, vti in vita eius recenſum eſt lib. 3. c. 48. 49.

EQ. Et ſi paſſim familiares ſunt ibi, aut alibi quoque, vt iam diximus, id ex cœli benignitate fit, verum ibi infenſi ſunt ſuapte natura hominibus, ſi forte comperiantur homini alicui mites eſſe, non caret miraculo, quando antea ſylueſtres fuerint. Ego enim didici, ſicuti alias vobis enarraui paucioribus, intra contermines Apuliæ montes, cum à ſicariis duo homines in ſylua fuiſſent occiſi, & eodem loco frondibus ſimul contecti, quorum alter laicus, alter presbyter eſſet, lupi comperta illa corpora, quaſi nutu quodam diuino diſcreuerunt: presbyterum etenim viſi ſunt quodammodo venerari, quando ab eius carnibus prorſus abſtinuerunt, cum & pinguiores, & luporum voracitati longe aptiores eſſent, laicum vero prorſus exederunt, tametſi minus appetibili carne, nempe macilentiore; id contigiſſe nulli dubium eſt anno Domini 1582. in diœceſi Arianenſi, oppido Monteſalconio, cum proximi ei loco ad quinque paſſuum millia degeremus, reſque omnibus innotuiſſet.

TH. Id ita eſſe fateri oportet, admirantur omnes belluæ viros Dei: cui enim propitius Deus eſt ob fidem & opera, nihil eſt quod obſit viuo vel defuncto, quin potius belluæ obſequuntur miteſcentes; nam non longe à Nilo in magna eremo ſylueſtris lupa Anachoretæ cuidam ſanctiſſimo ſemper adſtabat cœnanti pro foribus tugurioli, donec cœnatus reliquias porrigeret: illa vero lãbens illi manus, quaſi deoſculans, in ſuas redibat ſylueſtres latebras, quin cum aliquando abſente Ana- *Sanctis Dei belluæ obediunt.*

choreta ingreſſa Lupa tuguriolum fame vrgente panes è ſporta abſtuliſſet, furti pœnitens per dies plurimos pudore ducta non rediit, tandem rediens, verecundeque ad tuguriolum accedens, luminibus in terram verſis, pudere ſe criminis, faterique videbatur, vt ſi hominem bellua confunderet, quādo culpis multiplicandis indulget impœnitens, contempta ratione, ac diuini luminis illuſtratione neglecta. Hæc à libro, cui titulus Vita ſanctorum Patrum, p.3.c.7.

PH. Si de Lupis licet diſſerere, qui pietatem in homines exercuerunt, non deerunt exempla memoratu digna. Lupi enim cum omni ſacra ſcriptura in homines gregemque Dei hoſtilitatem gerere dicantur, ſæpe tamen depoſita diuino miraculo feritate, homini obſecuti maiore pietate, quam reliqui homines conſpecti ſunt. Sanctus enim Odo Cluniacenſis Abbas, cum per eremum orandi cauſa ad Diui Martini monumentum noctu incederet, vulpes non paucæ eum aggreſſę vndique dilacerabant morſibus: interim lupus rapidiſſimo curſu adueniens illas profligans, comitem ſe illi præbuit ad reliquum iter. Id tradit Ioannes Monachus Odonis vitæ ſcriptor peruetuſtus apud Surium Tom.6. menſe Nouembri.

Cadauer regium à lupo conſeruatum.

EQ. In eandem rem memorare opportunum eſt, quod ſancti Eadmundi Angliæ Regis cadaueri contigit iam ante annos fere ſeptingentos. Cum etenim ſanctiſſimo Regi à Barbaris ob Chriſti fidem caput amputatum fuiſſet, vnde martyrii coronam longe Regia præſtantiorem acceperat, abiectumque inter vepres eſſet, compertus eſt immanis lupus ſacrum illud caput inter brachia complexus, procumbere humi, excubias impendere Martyri, ne ab vlla bellua læderetur, vt ſcribit Abbo Floriacenſis Abbas apud Surium Tom.6. menſe Nouembri.

Infans raptus à lupo matri ſua ab eodem redditur.

TH. Nec prętereundum, quod circa B. Bernardi tempora contigiſſe compertum eſt: Sancto enim Roberto Abbate Moliſmenſi iam recens defuncto, mulier quædam ad eius tumulum peregrinata, nocte ſuperueniente cum duobus puerulis filiis in ſylua coacta eſt pernoctare, foco accenſo, media nocte lupus adueniens iuniorem puerum abripiens aufugit. Mulier excitata id aduertens precibus ad beatam Mariam & ſanctum Robertum fuſis, crebro puerulum repetebat, bellua ſuæ ferocitatis oblita, cui proprium eſt vorare, de ſylua procedens, & innoxio ore puerum deferens eum incolumem reddidit matri ſuæ, vti narrat is auctor, qui ipſius Roberti vitam conſcripſit apud Surium Tomo 2. menſe Aprili. Et dum tempus permittit, aliud memorabilius referam. Nortbertus Archiepiſcopus Magdeburgenſis cuidam puero ouium paſtori petenti ſibi gregis cuſtodem canem dari, reſpondit: Cum lupus aduenerit, rapueritque ex grege aliquid, iubeto ei noſtro nomine, ne quid attingat. Simplex puer obſequens mandato ſecure degebat. Contigit interim lupum ouem rapere, puer memor præcepti, poſt lupum accurrens clamitabat, vt domini ouem dimitteret, ſic dominum præcipere. Lupus (ô admirandam Dei benignitatem) ouem illæſam dimittit. Id memorat Hugo Præmonſtratenſis Abbas, qui illius vitam conſcripſit cap. 37. apud Surium Tomo 3. menſe Iunio, quo loco & aliud adiicit, lupum de raptore gregis factum cuſtodem, eodem, quo etiam canes ipſi more cuſtodiunt, ac de manu pueri panem velut mercedem accepiſſe. Ita fit, vt lupus omnium peſſimum animal & Dei gloriam aliquando indicet, & homini etiam proſit. Attamen quæ illi natura indita cum oue hoſtilitas eſt, tanta eſt, vt etiam defunctum vtrumq; ſequatur. Confectæ enim fides ex luporum viſceribus, ſi permiſtis aliis fidibus ex ouium viſceribus percutiantur, quæ ex ouibus factæ nihil reſonabunt. Tympana quoque ex corio lupi

inſur-

inſurdant audientes, & alia tympana coriis aliorum animalium cōfecta crepantur. Albert. Magn. lib. 2. in lupo. Id iterum dicemus mox ex Alciato.

Sæpe etiam lupi Dei vindices fuere: nam vnicus lupus in territorio Gebennenſi animi, & corporis magnitudine aliis longe præſtans plures quam triginta diuerſi ſexus, & ætatis occidit anno Domini 1148. Rob. de Monte eius temporis auctor. At anno Domini 1400. in Caſtro Weruoffe, cum in illud, villasq; proximas ingrederentur, etiam de domibus pueros parentibus aſtantibus rapuerunt. Hiſt. Lantg. cap. 144. Propterea turba luporum ſecura per vrbes vagari comperta eſt. Nam magnæ facundiæ B. Auitus refert in quadam homilia, quam de Rogationibus ſcripſit, eas ante aſcenſionis Dominicæ triumphum celebratas fuiſſe à Mamerte earum auctore Viennæ, quoniam vrbem illam præter terræmotus, quibus concutiebatur, ceruorum ac luporum feritas portas vrbis ingreſſa nil metuens ſecura oberrabat annum fere integrum. Gregor. Turon. hiſt. Franc. lib. 2. cap. 34. Pariſios quoque crebro lupi ingreſſi memorantur, atque octingenta ad vtriusq; ſexus tum ibi, tum per agros voraſſe: vnde lata lex, qua præmium offerretur lupum occidenti. Guag. lib. 10. Sed illud omnem fidem excedit, vt puerum lupus domi velut à ſe natum educauerit: triennis puer à lupo in antrum ſuum tractus non modo illæſus manſit, verum potius à lupo præda educatus eſt: quadrupes & ipſe incedens ſaltare, currereque ab illo edoctus, dum vixit; tandem inuentus ab incolis magno labore recto corpore incedere valuit: oblatusq; eſt Henrico Haſſiæ proſpectādus, in cuius ditione hoc contigerat. Deinde anno Dom. 1344. alter puer à venatoribus inter feras inuentus, & captus eſt, velut fera viuens, deinde aſſuetus hominum conſuetudini vixiſſe memoratur ad annum octuageſimum. Mirum priorem illum puerum ſæpe conteſtatum, gratiorem ſibi fuiſſe conſuetudinem luporum, quam hominum. Appendix ad Schafnaburgenſem. Sed de his hactenus.

Puerū lupus trieniū aluit illæſum.

EQ. Adhuc de lupis illud digne quærendum puto: comperti enim lupi feruntur adeo obliuioſi, vt præſentium etiam obliuiſcerentur, an vero id fabuloſum eſt?

PH. Plinius id affirmat lib. 8. c. 22. & Solinus cap. 7. *Lupi* (inquit) *quos ceruarios dicimus, quamuis poſt longa ieiunia repertas ægre carnes mandere cœperint, vbi quid caſu reſpiciant, obliuiſcuntur, & immemores præſentis copiæ, eunt quæſitum, quam reliquerunt ſatietatem.*

EQ. Adhuc ſupereſt aliud, luporum veſtigia quodammodo locum inficere, nam Plinius lib. 28. cap. 10. *Lupi* (inquit) *veſtigia calcata equis afferunt torporem*, quin eodem libro cap. 20. equos tradit rumpi, ſi veſtigia luporum ſub equite ſequantur. Verum quia hæc nullo experimento didicimus, omiſſa faciemus. Felix igitur ea regio eſt, vbi lupi non ſunt, velut Sardinia, in qua etiam nullum venenoſum eſt animal. Quoniam cœli illius clima illis aduerſarium eſt. Leander. Felices quoque Septentrionales Inſulæ illæ, quæ vltra Scanziam Inſulam, vltra Sarmatas & Sydras magno ſunt numero: ad quas congelato mari datur iter perinde ac terra. Cum igitur lupi ad eas peruenerint, oculis breuiſſimo tempore priuantur. Vrſperg. anno Domini 377. de Gottis. Propterea felicem Angliam putat Ortellius, quod in ea regione quæ Cambria dicitur, nullus lupus viuat: vnde ſecure diu, noctuque greges, armentaque omnia peruagentur. Quæ vero de transformatione in lupos multi tradidere, ad ea confugiendum eſt, quæ primis dialogis tradidimus.

PH. Vt opportune nunc diſſeramus poſt lupos, occurrit ouis: nihil enim adeo ſibi

Ouis.

eo ſibi inuicem, ſuapte natura odio eſt, atque oui lupus: idque adeo verum, vt vel vtriusque mortua cadauera hoſtilitatem ſeruent. Tympanum ex ouis pelle nil inſonabit, inſonante tympano ex lupi pelle, vti iam diximus, confecto. Id enim egregio carmine expreſſit Alciatus inter emblemata inſcriptione,

Vel poſt mortem formidoloſi.

Cætera muteſcent, coriumque ſilebit ouillum,
Si confecta lupi tympana pelle ſonent:
Hanc membrana ouium ſic exhorreſcit, vt hoſtem,
Exanimis quamuis non ferat exanimem.
Sic cute detracta Ziſchas in tympanaua verſus
Boemus potuit vincere Pontifices.

Ziſchas enim impius hęreticus Boemus pugnando factus cęcus, rurſum pugnaturus aduerſus Catholicos iuſſit, ſi occumbere ei obtigiſſet, vt detracta ſibi pelle, tympanum fieret, quo reliquum bellum peragereturu, vti Albertus Krantzius memorat in Vandalia lib.11.c.9.

Ziſchas è pelle ſua tympanum fieri iubet.

TH. Veri ſunt lupi hæretici, ferino prorſus animo, in ſe ipſos quoq; iniquiſſimi & infenſiſſimi hoſtes hominum in vrbibus, & agris longe pernicioſiores humano generi, omnique Reip. quam lupi ipſi, qui ſola deuorant corpora. Agamus igitur de ouibus: verum quia earum familiariſſimus apud nos eſt viſus, admirari nihil licet: de exteris tamen aliquid ſuppetit recenſendum. In Peruaco enim præcipua noui orbis parte ſylueſtres oues ſunt, quæ altitudine bobus comparantur, præcipua quadam villi albedine; eas autem indigenæ inſtruunt ferendis oneribus, vti nos mulos, hæc qui vidit, tradit Ioſeph Ieſuita ſcribens ex Braſilia anno Domini 1560.

Sed & in eadem prouincia in Atabalipæ regno aſinorum vicem oues tenere memorant, qui regiones illas perluſtrarunt, vt eſt apud Ramuſ. Tom.2.lib. de Peruaci rebus, ab incerti nominis auctore conſcripto.

PH. De ouium ortu multa auctores prodidere memoranda: primum eſt illud, Abydenas oues omnes nigras naſci, albam nullam. Ælianus lib.3.c.31. quod & in Budianorum regione tradidit fieri. Nicomachus Ariſtotelis filius eodem Ælian. teſte lib.11.c.29. ac lib.16.c.31.

TH. Id forſan à cœli aut aquarum temperie eſt, alioqui aut alterius quoque coloris, aut etiam dicolores gignerentur, nec adnotaſſent ii, quos commemorauimus, id velut aliqua commemoratione dignum: reliquæ igitur regiones, nulla lege colorum ſeruata, oues procreant, vel ex paterno, maternove vellere, vel aliqua etiam arte. Iacob enim, quod alias diximus occaſione alia, vi. gas populeas virides, ſed & amygdalinas, atq; etiam ex platanis, atq; ex parte detractis corticibus, vt ligni candor partim appareret, partim corticis manentis viriditas, in canalibus, vbi biberent oues & arietes permiſti etiam coirent, virgas illas dicolores ob oculos ouium coeuntium expoſuerat, quarum conſpectu varius quoque color in fœtu inuentus eſt. Geneſ. cap.30. Ea igitur ars in Abydena regione, & Budiana Iacobo nil prorſus profuiſſet.

EQ. Colorem futuri fœtus tradunt animaduerti poſſe in arietis patris, non ex ipſius villi colore, ſed qui ſub lingua, in vena eius reperiatur color. Id habet Plin. li. 8.c.47. & ante illum Ariſt. hiſt. anim. lib.6.c.19.

PH. Mares ne, an fœminæ gignantur oues, etiam memorabilis cauſa eſt à

ventis.

ventis. Auſtro enim flante, fœminas gigni, Aquilone, mares tradidit Ariſtot. hiſt. anim.lib.6.cap.19. Plin.lib.8. cap.47. Sed & aquis id effici, vt vel mares, vel fœminæ naſcantur, eod.cap.19. meminit Ariſtoteles.

EQ. Sed admirabile eſt, quod ſtatim cornigeri gignantur arietes in Africa; id enim Ariſtot. tradidit hiſt.anim.lib.8.c.28. Nam in Nubia Africę regione oues pariunt agnos cornutos, ibiq; non modo mares, ſed & ipſæ oues cornua gerunt. Alb. Magn. de anim.lib.7.tract.2.cap.4.

PH. Æquandum huic miraculum eſt, quod in eadem Africa oues quarto tantum die bibant. Plin.lib.11.c.54.

EQ. Et aliud commemorabile eſt, veruecem compertum octo cornuum, id habet Olaus lib.17.c.1. Nam quatuor cornua Arieti fuiſſe pro admiranda re habet Albert. Magn. qui etiam alia duo in cruribus eundem habuiſſe tradit lib. anim. 18. tract.1.c.6. Sed in Italia quadricornes frequentiſſimi ſunt arietes.

PH. Nec minus eſt memorandum, oues quarum proprium hoc eſt, vt lana, tegantur præcipue, lanam in Æthiopia non habere, ſed pilos camelorum modo hirſutos. Id tradit Dinon. & ex eo Ælian.lib.17.cap.10. *Oues Æthiop. lana carentes.*

TH. Arietes quoque crinitos vsque in terram tradit Ludouicus Barthema in itinerario felicis Arabiæ cap.15. quo loco etiam addit illis ouibus caudam 26. pondo eſſe. *Arietes criniti.*

PH. Si caudarum ouium mentio hodie habenda eſt, non deerunt, quæ digne recenſeantur, caudam ouilem ad octoginta pondo memorat ſe vidiſſe Leonius in Aſiot vrbe Æthiopica, ſed & centum quinquaginta extitiſſe refert, tantæq; amplitudinis, vt huiuſmodi oues reliquum corpus ob ſolius caudæ pondus loco mouere nequeant, de rebus Afric.p.8. Longitudinem autem ouilis caudę tradidit Herodotus Arabicis ouibus trium eſſe cubitorum, atteriq; eas terra, & exulcerari, niſi paſtorum induſtria muniantur: ſed & aliud genus ouium caudam habere latitudine cubitali idem memorat, quæ etiam Ælian. refert lib.10.c.4. *Oues caudata.*

EQ. Huic rei facile aſſentiri poſſum, quandoquidem apud Indos ouium caudæ cubitali latitudine eſſe perhibentur Cteſia teſte, Ælian. lib. 2. cap. 3. Quod ante eum Ariſtoteles etiam ſcripſit in Syria ouibus contingere hiſtor. anim. lib. 8. cap.28.

TH. Contra accidit veruecibus, qui in nouo orbe comperti ſunt, in prouincia Cæuola: iis etenim tametſi grandia ſunt cornua, ipſique ſint proceritatis equinæ, vt Petrus Hiſpal. habet p.5. tract. 24. nihilominus perexiguas caudas habent, vt tradidit Franc. Vasquez apud Ramuſium Tomo 3. At caudatos plurimum verueces carentes cornibus eſſe in Arabia tradit Ludouicus Barthema in itinerario lib.2.c.9. Nec vacat myſterio arietib. cornua non eſſe, eſſe aũt caudas ingentes. Id quidem meo iudicio videtur ſignificare, Prælatos eos cornibus carere, ne quemquam corripiant criminoſum: caudas autem profuſiſſimas ii habent, quandoquidem ſucceſſionem filiis, nepotibusve locupletiſſima parata hereditate præparant. Cornua enim & arieti, & Prælato in ornamentum, ac munimen ſunt, vt ouibus ſuis aduerſantes etiam (ſi res ferat) percutiant: de cauda autem, ac ſucceſſore ſibi in hereditate minimum ſtudium gerant, vere paſtorum eſt officium: propterea & oues: & agni fidelem plebem ſignificant. Ideoque aliquando prodigioſe agni locuti ſunt, vt maiore miraculo quæ dixiſſent, haberentur: apertis enim verbis in Ægypto Bochorum Regem futurum optimum agnus cõteſtatus eſt, vt Euſeb. tradit, & *Agni locuti.*

dit, & Fulgoſ. lib.1. de prodigiis. Quod vero agnus humano capite Fruſinone ſit natus C. Aurelio, & P. Sulpitio Coſſ. vt Fulgoſus tradit lib.1. de prodigiis, indicat illo ſeculo plus humanæ rationis veſtigii ſupereſſe ſimplicibus hominibus, quam feris, & bello valentibus: aut tum Romanos facie tenus homines fuiſſe, re vera imbelles & timidos.

Capra medica.

PH. Et de capris poſt oues licet diſſerere, nam & ſuppetunt commemoratione digna quædam: eas etenim medicas eſſe Ariſtot. meminit, illas præſertim, quæ in Creta ſunt: quæ ſi ſagittis fuerint transfixæ, dyctamũ herbam agnoſcunt, eiusq; eſculenti auxilio ſagittam eiiciunt. lib. de admirandis c.4. & hiſt. anim. lib. 6. cap. 4. Theophraſt. lib.9. c.26. Virg. 12. Æneid. Dioſc. lib.3. c.31. ſicut etiam ceruis hoc Plin. tribuit lib.8. c.27. & lib.25. c.8. Valer. Max. lib.1. c.6.

TH. Capram ſilueſtrem, quam ibicem dicunt, medicam eſſe tradidere Ægypti monachi. Erat Anachoreta iuxta Syenem, qui herbarum vires neſciens paſſim paſcebatur obuiis quibuſcunq; tametſi virulentis. Edentis igitur viſcera ſæpe virus contorquebat, excitatoque vomitu, quandoque animam efflare videbatur: quamobrem abſtinere omnibus animo conſtituerat. Cumque iam ſeptimum diem ieiunus peregiſſet, propediem vita exceſſurus, ad ſe ibicem venientem conſpexit illi Anachoreta herbarum faſcem ibi abiectum obtulit: Fera igitur, quæ virulenta erant, ore diſcutiens, quæ innoxia nouerat, eligebat. Ita vir Sanctus eius exemplo quod edere, quod reſpuere oporteret edoctus, & periculum famis euaſit, & incolumitatis ſeruandæ modum adinuenit. Hæc ex illo libro, qui inſcriptus eſt, vita S S. Patrum parte 3. cap.9. Atque alias occaſione alia de hac re agemus iterum.

PH. Eſt in capris ſolertia quædam indita, quam ſe conſpexiſſe Mutianus prodidit. Erat pons prætenuis, duæ capræ ſibi inuicem fuere obuiæ è diuerſo: cum igitur ambas anguſtiæ pontis non caperent nec reditum longitudo pontis admitteret in exilitate cæca, torrente rapido minaciter ſubterfluente, altera accubuit, atque ita altera proculcans, ſupergreſſaque tranſiit. Recolit Plinius lib. 8. cap. 50.

EQ. Forma earum pro cœli poſitione mirum in modum varia eſt: nam vento Auſtro gignuntur fœminę, Aquilone mares, etiamſi ſuapte natura fœminis gignendis tantummodo fuiſſet mater idonea; Aquilone mares parit Ariſt. teſte hiſt. animal. lib. 6. cap. 9. Ac præterea Caſpiæ capræ albiſſimæ ſunt, & cornibus mutilæ; & ad maximorum equorum magnitudinem accedunt, earumq; villi penitus molles ſunt. Ælian. lib.17. cap.34. Libycæ quoque capræ pectori appenſa habent cornua, vti idem Ælian. memorat lib.16. cap.31. Inuentasque capras, quibus cornua eſſent in cruribus, tradit Ariſtoteles; & idipſum quoque habet, vt diximus, Albertus Magnus lib.28. tr.1. cap.6. Sed id non ex ipſa caprarum ſpecie, aut forma, ſed ex prodigio, ſicut aliquando viſus eſt hircus biceps, ſolos habens anteriores pedes, moreque ſtruthionum obambulans, corpus regens, non trahens, nec terræ permittens hærere. Id memorat Albertus Magnus animal. lib.18. tract.1. cap.6. Itaque quantum ad ſpeciei varias formas pertinet, memorabiles ſunt capræ, quas Inſula Paros Ægæi maris gignit, multas equidem, & aliarum maximas, viſuque ſpectabiles: nam ceruis quidem ſunt colore perſimiles, ceruis autem maiores magnitudine. Eſt autem eis cornu longum ad duodecim palmos, non vt ceruorum ornatum ramis, & adnatis propaginibus, ſed totum rectum, & quod vnum ſolum habet

habet porrectum ſtipitem. Metaphraſt. in vita S. Theoctiſtæ Lesbiæ, apud Surium Tomo 6. Nouembri. Hæc libenter de capreis recenſuimus, quæ capris ipſis cognomines ſunt.

PH. Capræ præterea, vt Valer. Max. habet lib. 1. cap. 6. in Cephalonia Inſula cum omnia vbique pecora hauſtu aquæ recreentur, in ea pecudes maiore ex parte anni ore aperto ex alto ventos recipientes ſitim ſuam ſedant, quod & ante illum prodidit Ariſtot. lib. de admiran. c. 8. Ideoque Theophraſtum ferunt dixiſſe, capras has Cephalenidas ſex menſibus non bibere, vti memorat Ælian. lib. 3. cap. 31. Quod & Ariſtoteles ſcripſit. Sed & capras natas in Mymante etiam ſex menſes non bibere, ſed dumtaxat in mare intueri hiantes, aurasque illinc excipere tradit Alexander Myndius, vti refert Ælian. lib. 5. c. 27.

TH. His capris perſimilis illa videtur caprea, quam Africa gignit in Getuliæ prouincia, vbi nulla prorſus aqua reperitur, ipſo beato Gregorio teſte: mira eſt animantis huius forma & proprietas, eſt ei nomen oryx: pili eius omnes vertuntur ad caput, quod contra videmus in reliquis quadrupedibus. Deinde vero, vel ut non egeat potu, in veſica aquam continet, quæ mirum in modum longam ſedat hominis ſitim, non modo in præſens, verum etiam diu in futurum, quamuis modice ſumpta: qui igitur eam percurrunt regionem, aut ſumptam ab hoc animanti aquam, aut ipſum animal itineris comitem habent. Albertus Magn. anim. lib. 22. in orige: quod antea Plinius recoluit lib. 10. cap. 73. Hoc autem animal abipſis ſacris literis memoratur inter munda, & homini ad eſum apta. Deuter. cap. 14. Tradunt viſum aliquando Romæ in Theatro: Ægyptium enim eſt etiam animal, ac vnicorne biſulcum, vt Plin. habet lib. 11. c. 46. Commodus Imperator in Theatrum expoſuit, eiusque corium ſagitta ipſe transfixiſſe traditur à Lampridio: referuntque de hoc orige illud maxime memorandum, quod orientem Solem ſtans proſpectet, & velut adorans cum ſternutamento. Plin. lib. 2. cap. 40. Sed redeamus ad capras.

EQ. Capris etiam in Syria auriculæ ſunt menſura palmari, & dodrantali, ac nonnullæ ita demiſſis ſunt, vt ſpectent ad terram. Ariſt. hiſt. anim. lib. 8. cap. 28. Illyricis quoq; capris vngues pedum indiuiſos eſſe ex eodem Alexandro Myndio memorat Ælian. lib. 5. c. 27.

Deinde Indicæ quædam capræ in vrbe Tarnaſſari Indiæ orientalis miro modo quaternos fœtus vno partu edunt, vt memorat Ludouicus Barthema in itinerario Indico lib. 3. c. 7. Sed & iuxta promontorium, cui caput viride nomen eſt, Africanæ cuiusdam Inſulæ capræ ternos, & quaternos vno partu edunt. Incerti nominis auctor Luſitanus. Ramuſ. Tomo primo. Attamen in Europa prodigii loco habitum eſt, quod vno fœtu capras ex hædo emiſerit. Liuius Dec. 4. lib. 5. Sed de capris hactenus.

PH. Diſſeramus nunc de ceruis, quorum natura, mores, & forma etiam ſæpe adnotatione ſunt digna. Longæuitas illis inter omnia animantia præcipua eſt: nam ad eorum dignoſcendam ætatem Alexander Magnus torqueis plurimis ceruis innexuit, qui poſt annum centeſimum capti necdum ſenii indicium præferebant, vt memorat Solin c. 21. & Plin. lib. 8. c. 32. *Ceruorum ætas.*

TH. Feciſſe idipſum & Cæſarem putarunt. Nam circa ſchiſma Clementis Septimi Pſeudopontificis contra Vrbanum Sextum annis iam abhinc exactis ſupra ducentos, cum Carolus Gallorum Rex Siluanectum ſe contuliſſet, canum latra-

tibus in fugam excitatus ſeruus æneam torquem collo gerens inuentus eſt, quem ferro appeti Rex vetuit, tandem retibus captus eſt; erat in torque literis Latinis ſcriptum: Hoc me Cæſar donauit, interpretantibus nonnullis id de C.Iulio Cæſare intelligi non poſſe, alii reſponderunt, quod vltra mille annos eius cerui ætas fuiſſet protenſa, quod longiſſime abeſſet à veriſimili. Alii igitur Imperatori id adſcribendum fuit. Ex eo itaque tempore Carolus ceruum allatum auream coronam colle geſtantem pro inſigni habuit, & regiis inſignibus, quæ liliis aureis tribus conſtant, hinc, atque hinc cerui duo adiici conſueuerunt, vt Guagninus adnotat lib.9.

EQ. Soli ceruo cornua omnibus annis ſtato Veris tempore decidunt, initio à bimatu, vti Ariſt. tradit hiſt.anim.lib.2.c.1. cui accedit Plin.lib.8.c.32. Ne autem excidant, caſtratio impedit, quando iam cornigeri caſtrantur, ſeruantque cornuum ſuam magnitudinem. Verum ſi ante ętatem emittendi cornua caſtrati fuerint, perpetuo cornibus carent. Ariſt.hiſt.anim.lib.9.c.50.

Eſt tamen ceruorum genus Aquilonare, cui triplex cornu eſt, quorum vnum ad quindecim ramos propagatur, collo crinito equorũ more, pedibus fiſſis, cui illud genus eſſe videtur perſimile, de quo Vinc.hiſt.nat.lib.18. Eſt in ſylua (inquit) Hercynia animal cerui figura, cuius media fronte inter aures vnum cornu exiſtit excelſius, magiſq; directum, hiſq; nobis nota ſunt cornibus, ab eius ſummo ſicuti palmæ, ramiq; diffunduntur. Eadem eſt fœminæ, mariſq; natura, eadem forma, magnitudoque cornuum.

TH. Nouo in orbe ceruorum genus compertum eſt prorſus abſq; cornibus, colore albo; perhibetur autem vitare ſyluas, oblectari apertis campis. Ioſeph Ieſuita ex Braſilia anno Domini 1560.

EQ. Cum cerui ſylueſtres plerunq; ſint, admirandũ eos cicures in Helleſponto naſci. Id enim tradit M.Aurelius Imperator in Epiſtola ad Lambertum Helleſponti Præfectum, quæ recenſetur in vita eius lib.3.c.48.49. In orbe quoq; nouo in regione Chicorariorum adeo cicures ſunt, vt eorum greges habeantur perinde ac apud nos caprarum, educuntur ad paſcua, & reducuntur: lacte eorum, quo etiã caſeum conficiunt, cenſus non paruus habetur, vt memorat Petr.Hiſpal.p.5.cap 6. Sed adhuc hoc illis ceruis, qui in Helleſponto naſcuntur, ſingulare eſt, vt altera illis diffiſſa ſit auris, vt memorat Ælian.lib 6.cap.12. Achainis quoq; ceruis fel in cauda continetur, vt Ariſtoteli videtur hiſt.anim.lib.2.c.15.

Caſei è lacte ceruino confecti.

PH Ceruos dociles, & induſtrios eſſe rebus variis compertum eſt; Ptolemæus enim Secundus, quem etiam Philadelphum appellãt, cerui hinnulum munere accepit, qui linguæ Grecæ innutritus ſic ad Grecum ſermonem aſſuefactus eſt, vt loquentes intelligeret, cum tamen ante hunc ipſum creditum eſſet, ſolam Indorum linguam ceruos percipere. Ælian.lib.11.c.25.

Docilitas cerui hinnuli in lingua Græca.

TH. In rebus quoq; diuinis mirum in modum cerua edocta, probe munus ſuũ implere inuenta, miraculo magis, quam docilitate: nam cerua Athenogenis Euangelicæ lectionis tempore in diuinis ſacrificiis hinnulum ſuum Eccleſiæ offerre conſueuerat. Metaph. in ipſius vita Lipomannus Tom.6.

EQ. Ethnici autem aſtu à ceruis, velut à quodam numine, ad impoſturam aliquando ſua conſilia pendere confixerunt. Id præcipue accidit Sertorio duci, & feliciter: nam per eum modum doloſe amicos ſibi ad obſequẽdum adegit. Erat illi cerua alba eximiæ pulchritudinis, & viuaciſſimæ velocitatis à Luſitano ei quodam dono

dono data. Hanc ſibi oblatam diuinitus, & inſtructam Dianæ numine, colloqui ſecum, monereque & docere quæ vtilia facta eſſent, perſuadere omnibus inſtituit: ac ſi quid durius videbatur, quod imperandum militibus foret, à cerua ſeſe monitum prædicabat; id cum dixerat, vniuerſi tanquam Deo libenter parebant. Ea cerua quodam die, cum incurſio eſſet hoſtium nunciata, feſtinatione ac tumultu conſternata in fugam ſe proripuit, atq; in palude proxima delituit, & poſtea requiſita periiſſe credita eſt: neq; multis diebus poſt inuentam eſſe ceruam Sertorio nuntiatur. Tum qui nunciauerat, iuſſit tacere, ac ne cui palam diceret, interminatus eſt: præcepitque, vt eam poſtero die repente in eum locum, in quo ipſe cum amicis eſſet, immitteret: admiſſis deinde amicis poſtridie viſum ſibi eſſe ait in quiete ceruam, quæ perierat, ad ſe reuerti: & vt prius conſueuerat, quod opus eſſet facto prędicare. Tum Sertorio, quod imperauerat, ſignificante, cerua emiſſa in cubiculum Sertorii introrupit. Clamor factus & orta admiratio eſt, eaque hominum barbarorum credulitas Sertorii in magnis rebus magno vſu fuit. Memoriæ proditum eſt ex iis nationibus, quæ eum Sertorio faciebant, cum multis præliis ſuperatus eſſet, neminem vnquam ab eo deſciuiſſe, quanquam id genus hominum eſſet mobiliſſimum. Hæc Aul. Gell. lib. 15. c. 22. Iſta igitur Sertorii non ceruæ ſolertia, doloſitasq; fuit: at in cerua Athenogenis ipſa induſtria, docilitasque, ac diuinus quidam afflatus eius intima ad id Euangelicæ lectionis tempus, quo Miſſarum celebratio fieret, excitabant, nulloq; prorſus humano adiumento.

PH. Induſtriam ceruis eſſe præſertim in re medica omnes memorant: nam ipſi dictamum liberam inuenire, qua vulnerati ſibi medentur, Iſidor. lib. 12. cap. 1. Plin. lib. 25. c. 8.

EQ. Aliam cerui docilitatem vel inde deprehendere licet, quod iugum ferentes bini currum trahunt, per ampliſſimas niues ac glacies, Olao teſte lib. rerum Aquilonarium primo, cap. 5. quanquam Rongiferos eos appellari ab incolis cōpertum ſit. Nam ceruis valde ſimiles ſunt: illis in ſummo vertice tres cornuum ordines extant, vt Albert. Magn. tradit lib. 22. in Rongifero, quem curſu ceruos ſuperare aiunt; expedireq; horis 24. milliaria 150. quæ ſunt ſcheni triginta, ſunt autem ſcheni ſinguli complectentes milliaria quinq;, id tradit Iacobus Zieglerus, alioqui impius, in Laponia.

PH. Rurſum ceruorum induſtriam vel inde deprehēdimus, quod in Amano, Libano, & Carmelo Syriæ montibus cerui naſcuntur, qui cū in Cyprum transmittere volunt, gregatim ad littora perueniunt, ibiq; tamdiu ſecundos ventos præſtolantur, dum in pacatiſſimum quietem belle ſibi flare ſenſerint, tum fidenti animo ſeſe traiicere mari ingreſſi, & ordine natant, & vere in antecedentium tergo ſubſequentes capita reponunt, ac nimirum dux idcirco retrocedit, quia non habet vbi nitatur, & poſt omnes clunibus proxime antegradientis nitens ex labore quieti ſe dat, ſimul & extremum agmen ducit. Eodem modo Epirotici cerui in Corcyram, quæ contra Epirum eſt, mare transeunt. Ælian. lib. 5. cap. 56. Eoq; res hæc fit notabilior, quod huiusmodi grex, dum traiicit mare, non videt terras, ſed in odore earum natat. Plin. lib 8. c. 32. Solin. c. 21.

TH. Sanctus Auguſtinus id ad diuinum trahit myſterium, de verbis Apoſtoli ſerm. 23. Tomo 10. *In iis ceruis* (inquit) *cum ad Inſulas tranant, ſicut neceſſe eſt vnum eſſe, qui cæteros præcedens non ante ſe habeat, cui caput inclinet, vicibus dicuntur id agere, ille, qui præcedit, poſt omnes redeat, & ei ſuccedat, cuius ferebat caput, cum ipſe præiret:* ita

Chriſtianum oportere hominem docet Auguſtinus cum proximo agere: *Nihil enim*(inquit) *ſic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio.* Eadem fere idem S.Auguſtin.ſuper Pſalm.41.

Serpẽtium mors à ceruo.

EQ. At cum ſerpentibus pugnare ceruos, eosque necare perſpicuum eſt, inueſtigant autem cauernas, nariumque ſpiritu extrahunt retinentes. Plinius lib.8. cap.32.

TH. Et hoc ad myſterium trahit idem S.Auguſtin.ſuper Pſal.41. *Serpentes necat ceruus, & poſt ſerpentium interemptionem maiore ſiti inardeſcit, peremptis ſerpentibus, ad fontes acrius currit: Serpentes vitia tua ſunt, conſume ſerpentes iniquitatis, tunc amplius deſiderabis fontem veritatis.* Hæc ille.

PH. Accidiſſe autem ceruis, vt virens hedera cornibus hæſerit, meminit Ariſtot.hiſt.anim.lib.9.c.5. captum enim ceruum memorat, cuius cornibus innata erat hedera virens, quæ cornu adhuc tenello inſerta, quaſi ligno viridi coaluerit. Eadem Plin.lib.8.c.32.

EQ. Accidiſſe ridiculoſius referam. Vincentius enim Beluacenſis ex perueruſtis auctoribus recolit ceruo ad ætatem grandæuam veniente; oſſe capitis ſub oculo terebrato, veſpas concreuiſſe, ac conformatas fuiſſe ex humore ſuperfluo, vt alii voluerunt ex medulla prodiiſſe euolantes: aliquando etiam è naribus concreuiſſe, & conformatas veſpas in ceruo proditum fuiſſe, idem Vincent. tradit hiſt.natur.lib.18.cap.39.

TH. Quid mirum nobis videatur ceruum adeo ſenectute defectum, vt cadauer potius videatur, quam animal, tot inſecta generare, aut genitis locum concedere, quando etiam iuueni, & valenti ceruo vermes in capite ſuboriantur, Ariſtotele teſte anim.lib.cap.15.

Mirum videri debet, ceruam quæ errare conſueuit per nemora, & campos, vt viuat, alere hominem. Ægidius enim Athenienſis, cum in Gallia ad B. Cæſarium Arelatem contendiſſet, ſeceſſiſſetq; poſtea in eremum, vbi diutius herbarũ radicibus victitabat, cerua ſtatis ad eum horis veniens vbera porrigens lacte eum pauit; quin in ſequentib. quodam die canibus Regiis, cum in antrum Ægidii cõfugiſſet, Galliæ Regem impulit ab eo ſummis precibus petere, vt in loco ſpeluncæ monaſterium extrui pateretur, quod effectum eſt. Hæc Calend. Septembris ab vniuerſa Eccleſia commemorantur. Sed de ceruis ſufficiat.

Cerua lactans hominem.

PH. Illud vnum adhuc ſupereſt, quod compertus ſit homo ceruis conuiuere. Quidam enim Sardenſis mente captus, elapſus à parentibus diu more ceruorum vixit gradiens pedibus manibusque, & veſcens eorum pabulo. Tandem cum Rex Sardiniæ Inſulæ venaretur, captusque ille cum ceruis aliis fuiſſet, parentibus agnitis nihil reſpondit, ſed nec appoſitum panem vel vinum guſtauit, contentus herbis, inde nocte media clam parentum manibus elapſis rediit ad ceruos, nunquam deinceps viſus. Ex Abben. Ezra, in 4.Danielis. Genebr. in Alexandro III.

EQ. Quid de caſtore credendum nobis eſt? numquid ſeipſum caſtrat dentibus?

PH. Caſtor, cui etiam nomen fiber, quod inſectatus à venatoribus abiiciat teſticulos ſuos à ſe dentib. ſponte abſciſſos, quod nouerit ſe eorum cauſa peti, tradidere Plinius lib.8.cap.30. Solin.c.18. Ælian.lib.6.cap.33. Sed Albert. Magn. illis in veritate iſta inueſtiganda non inferior id falſum putat lib. de anim.22. in caſtore.

Sed

Sed admirabilis eſt horum induſtria in ſuis extruendis latibulis. Frequentiſſimum hoc animal eſt in Septentrionali plaga, ob denſiſſimas vaſtiſſimasque ſyluas, quibus abditi hominum veſtigia longius vitant: vt latibula igitur conſtruant, hac ſolertia vti eorum ingenium eſt. Gregatim eunt ad exſcindendos arborum ramos, ſecurisque vicem dentes obtinent: exciſos igitur vt domum vehant, cum curru ſit opus, aut clitellario iumento, hæcque illis omnia deſint, animaduertunt ex ipſorum numero, qui ſit ignauus, aut ſenio iam confectus, labori inutilis, hunc correptum cogunt iacere in terra ſupinum, inter femora ac anteriora crura exciſos ramos componunt, non beſtiali ordine, ſed probe, perinde ac artifices; curru vehiculoque ita compoſito, atque onuſto, hærent omnes, ac trahunt vsque eum in locum, vbi conſtruenda ſunt latibula, idque toties repetunt, quoadusque materia operi ſufficiat. Hac autem forma conſtruitur ædificium: cum etenim vereantur, ne illuuionem aliquando patiantur fluminum, aut imbrium, ſolaria conſtruunt bina, aut terna, vt ſuperiora ipſi inhabitent, inferiora ſint ad aquarum pericula tantummodo excipienda. Eſt illis prælonga cauda, ſquammis piſcium more obtecta, ſicut & poſteriora crura: quamobrem, tametſi hoc animal terreſtre ſit, & vere caro terreſtris, nihilominus huiusmodi crura ieiuniorum diebus ad eſum conceduntur. Hæc Olaus memorat lib. 18. c. 4. Cui accedit Albert. Magn. de animal. lib. 22. in Caſtore. Martin. Crom. lib. 1. Polon. deſcript. qui adiicit, Caſtorem caudam ſemper natantem permittere, reliquo corpore in ſicco manente.

Mirandum Caſtoris artificium in ædificandis ſibi latibulis.

TH. Tantæ forſitan frigiditatis illorum crurium caro eſt, vt quemadmodum terreſtris teſtudo in ieiuniis, ita hæc quoque admittatur. Sed de Caſtore ſatis.

EQ. Quod in Caſtore ſibi teſtes abſcindere, vt vitam redimat, diximus, tametſi forte eſt id obſcurum; tamen aſinum per inuidiam, etiam propriæ proli abſcindere teſtes magis perſpicuum eſt: nam filiis adimere eos dentibus aſinum tradit Iſidorus lib. 12. cap. 5. Idq; Africanis onagris contingere ipſe ibi ſcribit, & ex eo Vinc. hiſt. natur. lib. 19. c. 95.

PH. Poſtquam de aſinis occurrit hæc mentio, non perdemus operam, ſi de eis commemoremus adnotatione digna quædam. Primum illud, quod cum frigidiſſimum animal ſit, frigoris eſt impatientiſſimum; quare in regione Pontica & Scythica ob vnam hanc frigoris cauſam nullus omnino aſinus habetur. Ariſtotele teſte lib. 8. c. 25. Deinde cum immundiſſimus ſit, nullamque munditiem curet, tineis tamen ita caret toto corpore, vt ab omnibus vermiculis pediculisque pili eius ſint immunes, vt Ariſtoteles tradit hiſt. animal. lib. 5. cap. 31. Plinius lib. 11. cap. 35. Ælian. lib. 3. cap. 7.

Aſinus.

TH. Sed quod ego admiror, illud eſt, preferri hominibus aſinos: conſtat enim aſinum aliquando venditum tanti, quanti quadringenti homines venditi fuere. Aſinum emptum quadringentis nummis à Q. Axio Senatore memorat M. Varro, quod & Plin. habet libr. 8. cap. 43. cum tamen in excidio Hieroſolymitano, & ſub Mauritio Imperatore homines ſinguli ad ſingulos nummos ſubhaſtati perhibeantur; & certe ſub Radagaſio Gotti ſingulis aureis publicati ſunt, vt Oroſius memorat lib. 7. c. 37. Et quod miraculum auget, etiam illud addam, ferme ſterile hoc animal eſt, modicæque ſaltem fœcunditatis, magno tamen lucro dominis fuiſſe memoratur. Comperta eſt aſina, quæ omnium prædiorum fertilitatem ſuperarit, quandoquidem in Celtiberia compertum eſt, ſingulas aſinas quadragenis millibus nummorum fuiſſe enixas, vt habet Plin. lib. 8. c. 43. Eſt preterea aſinus modici ſum-

Plurimi venditus.

ptus, valdeq; vtilis eſt, vel etiam mortuus: nam ſi ex eius corio fiant pedum calceamenta, ex ea parte, qua onera portauit, nunquam conſumentur, tametſi lapidibus ſcabris iter peragatur, expertum ſe tradit Albert. Magn. anim. lib. 22. in aſino.

Diuerſiſſimæ formæ.

PH. Aſininas formas adeo varias edidit natura, vt mirari libeat: primum quidem adnotandum, Indicos, Aſiaticos & Africanos propemodum omnes eſſe feros, vt Plinius tradit lib. 8. c. 15. de iis, & Vincent. hiſt. natur. lib. 19. cap. 95. Formæ eorum hac varietate ſunt, ſylueſtres in Suetia ſunt tantæ proceritatis, vt ſummo dorſo æquent menſuram hominis porrecti in brachia elata. Iacobus Zieglerus in Suetia. Nam in Scythia cornibus præditi naſcuntur, ſingularique naturæ priuilegio cornua illa Arcadii fluminis Stygis mortiferas aquas continere valent, cum aqua huiusmodi tranſmittat cætera vaſa, etſi ex ferri materia ſint. Hæc cornua à Sopatro aſportata fuiſſe aiunt Alexandro Macedoni, & illum audio admiratum miſiſſe Delphos, vt Ælianus habet lib. 10. c. 41. Quin etiam idem Ælian. lib. 3. c. 39. memorat, eorum Indicorum Aſinorum etiam cornua ſingulari virtute contra venena antidotum eſſe. Terram enim Indicam gignere equos, atque etiam aſinos, quorum è cornibus pocula conficiuntur, in quod venenum mortiferum coniectum ſi quis biberit, nihil graue patietur, quod cornu repellat malum tantum.

E cornibus pocula aduerſus venenum.

EQ. Eſt illi aſino Indico noua corporis forma: nam vnicornis eſt, ſolipes, ſolique Indicorum animalium talum poſſidet, vt Ariſtoteles habet hiſt. anim. lib. 1. cap. 1. cui accedit Plin. lib. 8 cap. 37. ſed & Vinc. hiſt. natur. libr. 18. cap. 15. Sunt autem ſylueſtres, veloces, audaces, pugnaces, equorum magnitudine, purpureo capite, reliquo tamen corpore albi, nigris oculis, & (vt dictum eſt) cornu in fronte, cuius ſuperior pars punicea, inferior alba, media nigra eſt. His cornibus Indici nobiliores, tanquam armillis, & auro exornant brachia, his etiam bibunt tuti ab inſanabilibus morbis, neque ibi bibentem poſſe veneno lædi, neque comitiali, quin epoto veneno per hoc ſanari compertum eſt. Ælian. lib. 4. c. 51.

PH. In vrbe Memphi aſini egregie apti ſunt ad equitandum, perindeque commodo greſſu, atque ipſi gradarii equi: nam & freno reguntur, ſtratique ephippiis, reliquis etiam ornamentis in vſu ſunt, tantaque docilitate præditi, vt conductitii vbique exponantur. Leonius id tradit de reb. Afric. parte octaua. Quibus accedunt Mauriſii aſini, qui primum vt ſe in viam dederunt, incredibiliter, incitata celeritate, iter conficiunt, vt euolare, non excurrere videantur: ſed feſſi immobiles adeo fiunt, vt pedum dolore lachrymentur, oporteatque eos equis alligari, vt ita trahantur potius quam incedant. Ex Æliano lib. 14. c. 9.

TH. Falſum igitur & ineptum prouerbium videtur, quo conſueuimus vti ad eius indocilitatem exprimendam, *Aſinum ſub freno currere doces*, cum hoc Memphi non videatur accidere; ſed cum dicitur, *Aſinus ad lyram*, certe congruum rei prouerbium eſt; ſed, *Aſinus ad tribunal*, non adeo incongruum, quandoquidem circiter Iuliani Apoſtatæ tempora in oppido Piſtorienſi prope horam tertiam, ſpectantibus multis tribunal aſcenſo, audiebatur deſtinatus rugiens aſinus, creditum eſt ſignificaſſe, Terentium arte piſtorem ex humili genere præfectum futurum vrbis. Hæc Marcellinus Ammianus lib. 27. circa princ.

EQ. Sed numquid, cum Balaam aſina locuta eſt, id ex docilitate contigit?

Aſina loquens.

TH. Abſit hoc à fide: nam cum locuta eſt Num. 22. & linguam, & os, & palatum, ac reliqua corporea organa tantummodo diſpoſuit Deus, vt quę Angelus per eam diceret, illa eadem, quę primum erat ignorantia, exprimeret, eadem irrationali

reten-

retenta natura, eademque indocilitate, vti apertiſſime docuit ſanctus Aug. de Geneſi ad literam libr. 11. cap. 29. & de Mirabilib. 21. cap. 34. Quamobrem, cum legimus, Sanctos aſinis locutos, & eos mandatis paruiſſe, non ita accipiendum eſt, vt illis rationis intellectusque vſus ſuperuenerit, ſed obſecuti ſunt, ſicut percutiente baculo obſequuntur, vt eant, operante quandoque etiam ipſo Domino in illis admiranda. Cum enim S. Helenus onere feſſus, & itineris labore onagrum per campos vagantem aduocaſſet, venit mox ad eum, præbuitque humeros viro Dei, vt & inſederet, & ſarcinas imponeret, ad reliquum viæ conficiendum, auctor vitarum SS. Patrum p. 1. de ſancto Heleno.

Sed & ſanctus Germanus Altiſiodorenſis Antiſtes cum Rauennam ad Valentinianum & Placidiam aſino vectus acceſſiſſet, dum conuiuio aſſiderent, defunctus eſt aſinus, cumque Placidiæ iuſſu pararetur egregius equus ſubſtituendus aſini loco, eum reſpuit B. Germanus, accedensque eum ad locum, vbi aſini cadauer erat expoſitum, ſic illum alloquitur: *Surge, reuertamur ad hoſpitium, ſtatim aſellus rediuiuus ſurrexit, & Germanum reuexit*, vt tradit Hieronymus Rubeus lib. 2. hiſt. Rau. recolit Surius in vita S. Petri Chryſologi Tomo 7. menſe Decembri. Non intellexit aſellus quid ſibi dictum, quin nec ſenſu audiit, ſed in eo id operatus eſt Dominus, per ſancti ſui Germani verba. Propterea quod tradit Volaterranus ex Suida lib. 13. Anthropologiæ, aſinum animalium omnium ſtupidiſſimum fuiſſe auditorem attentiſſimum doctrinæ Ammonii præceptoris Origenis, eſt certe res commemoratione digna. Recolit enim id etiam in Biblioth. Sixtus lib. 4. in Ammonio: quod enim Menphitici aſini dociles plus cæteris ſint, etiam Ammonio domino ac præceptori obtemperabat.

Rurſum cum legimus apud Sophronium in prato ſpirituali cap. 158. aſini quandam ſolertiam ad mandata Sanctorum, in illo potius Dei opus eſt, quam aſini ratio vlla, vel intellectus, vt iam diximus. Sic igitur ille narrat: *Mons eſt circa mare mortuum, quod Martes vocatur, excelſus valde: in eo monte Anachoretæ commorantur; eſt autem illis & hortus ad radicem montis ſexto ferme lapide ab eis diſtans, circa maris labium. Proinde habent Anachoretæ & illic miniſtrum: quacumque ergo hora volunt ad hortum pro oleribus mittere, ſternunt aſinum, & dicunt ei: Vade in hortum ad miniſtrum, & affer nobis olera; qui mox ad hortulanum ſolus vadit; ſtansque ante ianuam capite pulſat: ſtatim igitur egreſſus hortulanus ipſum oleribus onerat, onuſtumque dimittit, videreque eſt aſinum quotidie ſolum aſcendentem & deſcendentem, & miniſtrantem ſenibus tantum, alii vero nulli obſequentem.* Hæc ille. Propterea etiam Dei miniſtri ſunt aſini in rebus quandoque, vbi humana ſolertia deficit. B. etenim Iſaacius intima eremi penetrans latitabat, ne à fratribus reperiri poſſet, verum aſini indicio velut Dei miniſtri inuentus eſt. Vita SS. Patrum p. 2. cap. 21. Ideo recte adagium huic congruit: *Aſino conſpecto, & non ad aſinum Luciani*, vt Eraſmus putat. Sed de aſinis hactenus.

EQ. Agamus igitur de aſini prole illegitima, nempe de mulis: nam & de illis Hiſtorici tradidere commemoratione digna, ſpeciem negant eſſe, quandoquidem inter reliquas quadrupedes ab initio die creationis non fuerit creata, ſed vti Iudæi aſſerunt, Anas abnepos Eſau greges equarum aſinis in campis proſtituit, vt inde præter naturam nouum quoddam quadrupedum genus naſceretur, vt memorat Iſidorus lib. 12. c. 1. & ex eo recenſet Vinc. hiſt. natur. lib. 18. c. 65. *Muli.*

TH. Speciem equidem non habere mulus videtur, cum inter ſe ad prolem non coeant, neq; inde ſeruetur ipſorum ſpecies, vt S. Auguſtin. de ciuit. Dei lib. 15.

cap. 17. ſenſiſſe videtur, cum reliquis quadrupedibus non fuiſſe mulos mulasve in
Noe arca, quod fruſtra ibi fuiſſent ſeruati, exiſtentibus equis & aſinis, vnde genus
ſuum perſeueraturum foret.

PH. Sunt tamen alicubi mulæ parientes: nam vt Ariſtoteles habet lib. de ad-
miran. cap. 68. in Cappadocia fœcundas eſſe, ſicut & in Creta, compertum eſt,
Theophraſto teſte.

EQ. Plinius non ad mulas ex equis & aſinis natas id pertinere putat, ſed a-
liud alteriusque generis animal aliquod eſſe, vt ſcribit lib. 8. cap. 44. nam & mu-
las peperiſſe compertum eſt; at id prodigii loco eſt habitum, quod ibi Plinius at-
teſtatur:

PH. Nec id ego diffiteor. Nam Ariſt. hiſt. anim. lib. 1. cap. 6. *Syria* (inquit) *fert*
animalia, quæ ſimilitudine quadam nomen mularum acceperunt: quamquam non omnino ea-
dem, qua mulæ ſpecie continentnr; coeunt enim, & mutua inter ſe ratione progenerant. Quin
idem Ariſtot. hiſt. anim. lib. 6. cap. 24. & 36. mulam iam factam grauidam fuiſſe me-
morat, ſed non quoad perficeret, atque ederet prolem. Et in Syria ſuper Phœ-
nicem mulas coire, & parere omnes repetit, ſed id genus diuerſum eſſe, & diſ-
ſimile.

EQ. Qualecunque id animal ſit, & longæuitate, & aſtu plurimum valet:
nam octoginta annis vixiſſe, & in Athenienſium monumentis contineri memorat
Plinius lib. 8. c. 44. Vinc. hiſt. natur. lib. 18. cap. 65. & quod admirabilius eſt, mulæ
vngula ſola Stygias aquas peſtiferas valet continere, vt Plinius tradit libro 30. ca-
pite 16.

TH. Mulorum aſtus humanis quaſi ſenſibus quandoque accedit. Nam Tha-
les Mileſius id deprehendit, vt memorat Ælian. libr. 7. cap. 37. Malitioſe (inquit)
factum muli Thales Mileſius manifeſto deprehenſum ingenioſe admodum vltus
eſt. Cum enim ille ſale onuſtus fluuium aliquando transmitteret, vſu forte euenit
vt & caderet, & ſarcina euerteretur, ſal autem aqua profuſus liquefieret, is ex eo,
quod iam ab onere ſolutus & liber factus eſſet, magnam lætitiam voluptatemque
cepit, & ſimul, vt quantum inter laborem & otium intereſſet, cognouiſſet, in reli-
quum tempus fortunam iam ſibi magiſtram ſtatuens, quam primo labens, & caſu
inuitus feciſſet, deinde ſumma cum voluptate prudens & ſciens admittebat, &
ſponte cadens ſe exonerabat. Hoc quidem ipſum Thales vbi intellexiſſet, ſapien-
tia vlciſcendam illius malitiam arbitratus, pro ſale eum ſpongiis & lana onerari
præcepit. Mulus inſtructarum ſibi inſidiarum ignarus ex veteri conſuetudine in
caſum voluntarium ruit: cum autem aqua completum onus eſſe grauius ſenſiſſet,
atque aſtutiam in detrimentum ſibi verſam percepiſſet, ex eo tempore ſine fraude
& moleſtia flumina tranſiens ab omni lapſu tibias ſuſtinebat, & ſalem ab eo in-
commodo integrum conſeruabat.

PH. Sunt equidem doloſi & pertinaces muli; vt ego interim non omittam
mulos Dei miniſtros inuentos, & in rebus plane diuinis locutos. Cum enim ex
Hieroſolymis Chalcedonem reliquiæ ſancti Stephani protomartyris veherentur,
aſtante clero, ac populo Epiſcopoque eius tum vrbis Metrophanæ, Conſtantino-
polim vsque iam delatæ fuerant, ſubſtiterunt mulæ, currumque trahere vlterius
detrectarunt, neque vllis flagris loco moueri potuerunt. Tandem vna in hæc ver-
ba prorupit, omnibus audientibus: *Quo vsque ô homines laboratis, oportet hic Sanctum*
deponi, ibi igitur perſtitere reliquiæ. Quin Conſtantinus Magnus, qui tum impera-
bat,

bat,eo ipſo loco templum exædificauit. Metaph.apud Lipom.Tom.6. 11. Auguſti.

Quandoque etiam magis rationis pietatiſque veſtigia præ ſe fert mulus, quam hæreticus homo. Cum enim inter hæreticum Sacramentarium, ac diuum Antonium Vlyſponenſem de veritate ſacroſanctæ Euchariſtiæ diſceptaretur, hæreticus,vt ſuam impietatem tueretur,coram populo dixit:Si iumentum meum(mulus is erat)oblatam ſibi hoſtiam conſecratam abhorruerit,tum fatebor, quod Catholici aſſerunt. Antonius diuina ope confiſus aſſenſus eſt. Obtulit igitur diuinum ſacrificium Antonius, hoſtiam vnam in id experimentum ſeruans: adductus eſt famelicus mulus, iuſſit Antonius, vt ſuo creatori ibi in hoſtia exiſtenti ita exhiberet reuerentiam, quam pro ſua irrationabilitate poſſet. Mulus mox accedens genua in terram demittit, reuerenter capite demiſſo in terram. Obſtupeſcens hæreticus Catholicam fidem amplectitur. Surius in vita S. Antonii Vlyſponenſis Tomo 3.cap.19. vt ita doctore proprio mulo hæreticus reſipuerit. Sed hactenus de mulis.

EQ. De ſuibus igitur agamus: nam & ii domeſticis rebus,tametſi ſordidiſſimi ſint, plurimam afferunt vtilitatem, deque eis plurima Hiſtorici memorarunt relatu digna. Nam cum noſtrates importuniſſimis vocibus tædio omnibus ſint,felices putamus Macedoniæ in Emathia regione incolas, vbi ſues omnes muti ſunt, Theophraſto teſte,vt meminit Ælianus lib.3.cap.34. Idque illis hoc contingere ob cœli frigiditatem iidem auctores prodidere, quod & apris Macedonicis contingit, vt muti ſint. Plin.lib.11. cap.11. Qua ratione ibi etiam vngulas integras habent non diffiſſas. Ariſt.de admirand.c.67. *Sues ſordidiſſimi.*

PH. Solidis vnguibus non in Macedonia tantum, verum etiam Illyrici & Pæonici ſues ſunt,vt Ariſt.tradit hiſt.anim.lib.2.c.1.quod & Plin.habet lib.11.c.46. Et nouo in Orbe idem eſſe tradit Ouet.in ſumm.cap.19.

TH. Forte infeliciores nobis ſunt Indi populi, vbi nullum ſuillum genus viuit, nec agreſte, nec domeſticum, vti retulit Cteſias; cui accedit Ælian. lib. 9. c.3. Plin.autem lib.8.c.52.in Arabia idem eſſe commemorat.

PH. Si hoc ſordidiſſimo carent animanti incolæ Indi, longe elegantiora habent, quibus iam ſæpe diximus nos carere: parui enim momenti res hæc eſt carere ſuibus.

EQ. Nec carere,nec poſſidere ſues laudi aut vitio eſt dandum, ſed quibus ſordibus poſſideantur eſt cogitandum: non enim ingenui hominis eſt adeo ſtudere ſuibus, vt ſordidato ingenio totus ab illorum contemplatione pendeat, alendis millibus, non paucis, venundare, actores deputare, nundinas explere huiuſmodi grunnitu, & quod ridiculoſius eſt, per emporia nomen, imo nobilitatem ex ſuum numeroſitate affectare, hæc minuunt, non augent hominis exiſtimationem; attamen noſtro hoc corrupto ſeculo vidi, qui gloriarentur Illuſtres viri, ſuum multitudini vehementer occupari.Sed de hac re alias.

PH. Proſequamur igitur varias ſuum formas, maſculum & fœminam vnum vidiſſe viuentem in Braſilia noui Orbis memorat Ioſeph Ieſuita inde ſcribens anno Domini 1560. Carere autem cauda ſues in Darien noui Orbis memorat Petr. Hiſpal. p.5. cap.11. Sed & in Inſula Cubagua vngues ſuum excreſcunt in altum ſemipedali menſura, vt idem Petrus Hiſpal. tradit p. 5. capite 15. de rebus noui Orbis.

EQ. In Æthyopia ſues habere cornua ſcribit Agatharchides, vti annotauit Ælia- *Sues cornuti.*

Ælianus lib.5.cap.27. Quin eos quadricornes eſſe meminit Dinon, quod Ælianus habet lib.17.c.10.

PH. In noua Hiſpania, Vraba & Portu veteri noui Orbis, ſuibus in dorſo ſupremo vmbilicum eſſe memorat Alumnus Ferdinandi Corteſii apud Ramuſium Tomo tertio, quod etiam ſcriptum reliquit Ouet. in ſummario cap.19. Pet. Hiſpal. p.5.c.34.

EQ. Apros in vrbe Scaſſem in Perſide frequentes eſſe, qui eminus iaculentur ſpinas in venatores ac canes, tradit Marcus Polus lib.1.c.24. Sed & adeo grandes eſſe commemorat, vt bobus comparentur, quorum molaris dens aliquando compertus eſt pondo quatuordecim, ita ille lib.3.c.35.

Capite humano nati.

Non habenda ſunt hęc prodigii loco, cum ita pro climatum diuerſitate ſpecies oriantur: at cum legimus ſues humano aliquando naſci capite, cum id non ab vllius ſpeciei forma contingat, horrendum in modum prodigioſa res eſt, id accidit in Sinueſſa Campaniæ vrbe T. Q. Flaminio, & P. Sulpitio Coſſ. vt Fulgoſus tradit lib.1. de prodigiis: ſed & in Belgis Leodienſi agro porcus capite effigieque prorſus humana natus memoratur, portendens ſchiſma proximum inter Burdinum & Calixtum Pontificem Romanum. Fulgoſ. lib.1. de prodigiis.

TH. Memorat Ioſeph Ieſuita, in nouo Orbe ſuillum animal eſſe terra mariq; viuens, herbiſque ali, leonino fere colore, ſed leporinis dentibus: molares autem eius dentes partim in mandibula ſuperiore, partim palato affixos; carere autem cauda, cicurem fieri, domo egredi ad paſcua, ac ſponte regredi canum more, ita ille anno Domini 1560. Sed de ſuibus hactenus.

Equi.

EQ. Elegantior ſane eſt equorum conditio, & ingenuo homine dignum animal; propterea diſtulimus quidem de eis diſſerere, ſed ſuauitas argumenti ſubleuabit iam tædium ex reliquis animantibus memoratis conceptum. In primis compertum eſt, equas vento concipere, & fœtum edere ipſorum paſtorum teſtimonio,

Equæ è vento grauidæ.

Ariſtotele quoque id affirmante, qui ipſas dicit Venere ſtimulatas ad Boream aut Notum aufugere, Ælianus lib.4.cap.5. Ludouicus autem Viues tradit, equas Hiſpaniæ ad Tagum amnem, qui Luſitaniam interluit, plurimorum opinione Fauonio impletas parere, ex Varone lib.2. de re ruſt. Columella, Plinio & Solino: at fœtus huiuſmodi plus triennio non viuere.

TH. Sanctus Auguſtinus de Ciuit. Dei lib.21. cap.5. id ipſum in Cappadocia contingere memorat, & quod eo loco Viues adnotauit, Plinius habet lib.8.c.42. in hæc verba: *In Luſitania circa Olyſſiponem oppidum, & Tagum amnem, equas Fauonio flante obuerſas animalem concipere ſpiritum, idque partum fieri, & gigni perniciſſimum ita, ſed triennium vitam non excedere.* Hæc ille: cum tamen reliquis ex mare conceptis equis vitam aliquando in ſeptuaginta annos productam conſtet ex Solino cap.46. & ex Vinc. hiſt. natur. lib.18.c.54.

EQ. Propterea forte prouerbium illud in vſu hac ex re eſt, cum dicimus, *Equos velut ventos currere.*

PH. Hyperbole illa eſt. In equis ſane magna eſt in currendo pernicitas, ſed admirabilior eſt curſus diuturnitas. Sarmatæ enim longinqua itinera acturi inedia pridie præparant eos, exiguum tantum potum impartientes, atque ita per centena millia & quinquaginta continuo curſu euntibus inſident. Plin. lib.8.c.42. In Arabia quoq; equas tantæ eſſe pernicitatis memorat Ludouicus Barthema, vt citatiſſimo curſu diem ac noctem integram nūmquam ceſſent. Ita ille in itinerario c.7.

EQ. Me-

EQ. Memorant Hiſtorici, Probo Imperatori fuiſſe equum omni memoria dignum. Nauclerus enim gener.10. ſic habet: Probus, dum adhuc Dux eſſet, vicit quandam gentem, vbi equus repertus eſt non decorus, non ingens, qui centum milliaria ſingulis diebus currere poſſet, & decem dies perſeuerare. Probus, ne putaretur equum magnifacere, vt ad fugam aptum ſibi ſeruaret, militibus, forte miſſa, dono dedit: at nihilominus rurſum ſors in ipſum Probum rediit, qui reſpuens dono dedit, cui maluit militi. *Inaudita equi in currendo velocitas.*

TH. Audio Iulio Cæſari fuiſſe equum humanis anterioribus pedibus, neque alium dorſo excepiſſe. Suetonius, Plutarchus & Plin. lib. 8. c. 42. & Solin. c. 46. mira illum celeritate ex Italia in Belgas profectum tradunt.

EQ. Forſitan & Probi & Cæſaris equi erant Arabici: nam Regis Zambei equi diem ac noctem perpetuo curſu indefeſſi exigunt nuſquam interim quieſcentes, aut edentes, verum id in fœminis præcipuum eſt. Ludouicus Barthema lib. 1. cap. 17.

Et ipſa quoque forma equi ſunt ſæpenumero admirandi. Nam Franciſcus Aluarez, qui diu apud Pretoiannem legatione Chriſtiana eſt functus, memorat, ei Principi ex Ægypto miſſos triginta equos Elephantorum magnitudine, idque ſe ſpectaſſe teſtatur ſuo in Itinerario c. 117.

TH. Aliis equis ferunt eſſe cornua, ſed id deridet Strabo lib. 15. At nihilominus auctores ſunt, qui id affirment, cuiusmodi Ælianus habet libr. 3. cap. 39. *Terram* (inquit) *Indicam equos vno cornu præditos procreare ferunt, quorum è cornibus pocula conficiuntur, in quæ venenum mortiferum coniectum ſi quis biberit, nihil graue patietur, quod cornu repellat malum ipſum.* Hæc ille: niſi forte (quod verius puto) iubatum aliquod animal ſit, quod equi magis ſimilitudinem referat, cum vere equus non ſit. Sunt autem & in equis monſtroſæ prodigioſæque formæ: nam ſenis pedibus & cruribus apud magnum Tartarorum Cam ſeſe vidiſſe memorat Odericus poſterior poſt medium.

Humano autem capite prodigioſe viſus eſt equus in Veronenſi agro anno Domini 1315. vt tradit Fulg. lib. 1. de prodigiis. Sed cum id ad miraculum prodigioſum ſpectet, non eſt noſtri propoſiti: membra enim eorum, quæ natura valent, nobis colloquendi anſam præbere debent, aut inſitum ingenium eorum.

PH. Fuere etiam equi hermaphroditi ſimul mares & fœminæ. Neronis enim principatu id contigit primum. Oſtentabat ille hermaphroditas, ſubiuges carpento ſuo equas in Treuerico agro Galliæ repertas ceu plane viſenda res eſſet, Principem terrarum inſidere portentis. Plin. libr. 11. cap. 49. Et quod etiam eſt memoratu dignum, in Ponto equas nigro eſſe lacte, indigenasque eo ali. Plinius lib. 2. cap. 103. *Equi hermaphroditi.* *Lac equarum nigrū.*

Vnguibus validiſſimis, ac præ reliquis totius Orbis veloces fuiſſe equos tradunt in Balaxia vrbe Perſidis: nam adeo validis vnguibus ſunt equi, vt ferreo munimento non egeant, tametſi per ſaxa concitatiſſimo curſu ſit properandum. Marcus Polus lib. 1. c. 25.

EQ. Equorum autem docilitas inſignis eſt: nam & Muſica oblectari, & ea inſtrui ad ludicra quædam, perinde ac canes, in Inſula Elandiæ proditum eſt: ſunt autem ibi equi omnium totius Orbis minimi, ſed (vt diximus) perdociles. Olaus lib. 2. cap. 21. Sunt tamen in Corſica Inſula equi paulo ſupra oues magnitudine, quorum armenta vagantur paſſim, vt Procopius tradit Got. bell. lib. 3.

Ex Equorũ choreis bellum enatum.

PH. Eſſe equum docilem vel illud argumento ſit, Sybaritas Italiæ populos,
qui delitiis ſupra modum ſtuderent, cęterarum rerum omnium cura omiſſa, equos
docuiſſe ſaltare ad tibiam conuiuii tempore, quod intelligentes Crotoniatæ bel-
lum Sybaritis intulerunt, tubam quidem canentem bellicum non ſumpſerunt, ſed
tibias & tibicines, qui commiſſo iam prælio cecinerunt cantilenam ſaltatoriam;
quam audientes Sybaritarum equi memores domeſticæ diſciplinæ, excuſſerunt e-
quites, & exultantes, & ſaltantes ordinem perturbarunt, & victoriam hoſtibus de-
derunt. Diod. lib. 12. Ælian. lib. 16. cap. 23. Plin. lib. 8. cap. 42.

Bucephalus neminem præter quam herum ſuum ſeſſorem recepit.

EQ. Quod autem magis in equo admirandum videtur, eſt erga dominum fi-
des & induſtria tanta, vt quandoque humanis ſenſibus accedere videatur. Buce-
phalus enim Alexandri Magni equus ſexdecim talentis emptus ex grege nemi-
nem, quam Alexandrum dorſo recepit, alios paſſim reiiciens. Plin. lib. 8. c. 42. Solin.
cap. 46. Quin etiam ob dolorem amoremve conlachrymari equos compertum eſt.
Iſid. teſte, lib. 12. cap. 1.

PH. Eſt egregia equorum fides erga dominos. Interfecto etenim Rege Scy-
tharum ex prouocatione dimicante, hoſtem cum victor ad ſpoliandum veniſſet,
ab equo eius ictibus morſuque confectum legimus. Plin. lib. 8. cap. 42. Sed & An-
tiochi equus, vt dominum ſuum vlciſceretur, Gallo nomine Centoarati, qui An-
tiochum in pugna interfecerat, necem intulit. Ælian. lib. 6. cap. 43. quod ante illum
Philarcus tradiderat, & Plin. lib. 8. cap. 42. Necem autem quomodo intulerit, ibi
explicat Plinius: *Gallus* (inquit) *victor cum equum aſcendiſſet ouans, equus indignatione ac-
cenſus, domitis frenis ne regi poſſet, præceps in abrupta abiit.*

TH. Erga dominos adeo equi ſunt affecti, vt apud Scythas etiam fame la-
borantes dominos paſcant, venis inciſis ſanguine: nam id ſibi fieri patiuntur, vt
ſcilicet aperiatur ferro vena, & dominus ebibat ſanguinem, nil aliud poſſidentes,
quod domino rependant, quam proprium ſanguinem. Clem. Alex. pædagog. lib. 3.
cap. 3.

Malum ingens ſuſpicio, peſſimum zelotypia.

EQ. Propterea abſque freno ac fune aliave re ſponte dominos ſequuntur e-
qui Nigritarum, non alia beneuolentia proſecuti dominos, quam canes conſueue-
rint. Strabo lib. 17. Adeo autem affici amore compertum eſt erga dominos tum
mares, tum fœminas, vt luxuriæ ſuſpicionem induxerint, cuiusmodi de Socle A-
thenienſi prodidit Ælianus, qui, vt ſuſpicionem aboleret, equum vendidit, qui a-
cerrima inedia voluntariam ſibi conſciuit mortem. Ita ille lib. 6. cap. 43. eandem-
que in ſuſpicionem incidiſſe Semiramidem, Iuba auctor eſt, & Plin. memorat lib.
8. cap. 42. Quin & pullos zelotypia matrum teneri compertum quoque eſt aduer-
ſus cuſtodes. Nam, vt Eudemus ſcribit, armentarius familiarius cum equa agens
conſpectus eſt ab equæ pullo, id ægre paſſus pullus, impetu facto, virum interemit,
atque cum obſeruaret, vbi humaretur, eo profectus refodit, omnibus ſuppliciis ca-
dauer iam nullum ſenſum habens vexans afflixit. Ælian. lib. 4. cap. 7.

TH. Haud dubie eſt equis erga matres veneratio, neque enim patiuntur cum
illa fœdari. Ariſt. enim hiſt. anim. lib. 9. cap. 47. *Ferunt* (inquit) *Scytharum Regi fuiſ-
ſe equam egregiam, ex qua mares generoſi omnes gignerentur, quorum vnum, qui præſtantior
haberetur, cum vt ex matre procrearet, placeret, admiſſum omnino recuſaſſe, opertam deinde
latuiſſe matrem, vt imprudens ſuperueniret. Verum vbi ab opere patrato faciem matris de-
tectam agnouerat, fugam properaſſe, atque ſeipſum præcipitem interemiſſe.* Plin. idem li-
bro 8. cap. 42. Et Albert. Magn. de animal. lib. 8. tract. 5. cap. 2. At Ælianus non
ſolum

ſolum filium ſe præcipitem dediſſe narrat, ſed & ipſam quoq; matrem, quod tanti inceſtus flagitium cum filio commiſiſſet, exhorruiſſe. Ita ille lib. 4. c. 6.

PH. Sicut omnia animantia, quæ multo afficiuntur amore, ſæpe rabiem ſentiunt, quod experimur in canibus, ita hoc etiam equis contingit: nam efferari, inflammatosq; rabie, quum biberint equi ex Coſſinito flumine Thraciæ, qui defluit in agrum Abderitanum, memorat Ælianus lib. 15. cap. 25. quo loco etiam tradit idem accidere equis, qui de Phontine biberint, qui non longe abeſt ab vrbe Thebis. *Amor inſanis.*

EQ. Propterea recentia omnia ac ſubfrigida equis aptiſſima ſunt, vnde etiam piſcibus veſci apud Herotas, & Gedruſios fama eſt, fœniq; loco eos habere: ſed & Celtas etiam piſcibus equos alere, atq; etiam Macedonas & Lydos memorat Ælianus lib. 14. cap. 25.

TH. Diſciplinam quoque ſubditis equis ſeniores præferre memorat Ariſtoteles de admirand. libro capite nono, tradit enim in Syria ex agreſtibus equis vnum armento præeſſe, ſicut apis rex eſt: non pati autem eum, vt iuniores equi fœminas conſcendant, ſed corrigere; quod ſi quis oberrauerit, tamdiu enim inſectari tradit donec arreptum in terram flexum ore exſcindens pudenda caſtrauerit.

EQ. Memorantur præterea quædam equis obtigiſſe relatu digna, quando etiam ludentes ſummam exercitibus perniciem attulere: nam cum Conſtantinus Leonis Philoſophi filius, ac eius mater Zoes, imperarent Conſtantinopoli, ac Simeonem Bulgarum induſtria Phocę legionum domeſtici inſigni victoria ſuperaſſet, ob defatigationem: & ſudorem Phocas equo deſcendens ad fontem quendam ſe recreauit. Interea equus miniſtri manibus elapſus in planitie caſtrorum ſine ſeſſore exultabat: qui cum inſignis eſſet, tantum errorem incuſſit exercitib. Phocam cecidiſſe ratis, vt & pugna, & perſecutione hoſtium abſtinerent: quod cum Bulgarus hoſtis è ſpecula quadam vidiſſet, ſuos cohortatos contra Romanos ducit, ſubitoq; in perturbatos impreſſione facta, vniuerſos in fugam conuertit, in qua alios Bulgari aſſecuti occiderunt, alii in vicem conculcati perierunt. Id narrat Zonaras in ipſo Conſtantino Leonis Philoſophi filio.

PH. Quandoque etiam in equis quædam veſtigia quaſi humani ſenſus comperta ſunt: nam cum Clodoueius Rex Alaricum Viſigottorum Regem proſtrauiſſet, ac perſoluendi cauſa equum, quo victor inſediſſet, Beato Martino Turonis obtuliſſet, actum eſt, ne equus Eccleſiæ relinqueretur, ſed Regi, & Eccleſiæ commodius futurum, ſi pecunia redimeretur. Clodoueius igitur centum aureos ſolidos obtulit, equus paruo ſe æſtimari animaduertens immobilis extitit, neque reduci ſe paſſus eſt. Cum autem Clodoueius pretium duplicaſſet, quaſi æquiore ſe pretio æſtimatum equus nouiſſet, in viam ſe dedit, & reduci paſſus eſt. Id memorat Gregor. Turon. & ex eo Vinc. hiſt. lib. 22. c. 13. Naucler. Gener. 17. Krantz. in Suetia lib. 3. cap. 16.

TH. Id non longe diſſimile eſt ab eo ſenſu, qui in equo, cui Ioannes primus Papa inſederat, eſt conſpectus: proficiſcebatur hic beatiſſimus Pontifex ad Iuſtinū ſeniorem Conſtantinopolim. Corinthi ſubſiſtens: mitem equum nobilis ciuis illi obtulit (erat is equus ad vxoris tantum vſum comparatus) Ioannes igitur cum ad deſtinatum locum perueniſſet, equum remiſit: vxor pro more, cum equum conſcendere aliquando conſtituiſſet, nulla arte, nullis minis, nullis illecebris adduci

equus potuit, vt olim dominam admitteret: iniquum exiſtimans, vt qui Summum
Pontificem vexiſſet, muliebre corpuſculum vlterius ferret: quod cum maritus pru-
denter animaduertiſſet, ad Ioãnem equum mittit, rogans, vt dono acciperet, quem
& hilariter ſuſcepit. Ex Gregorio Magno Dialog. lib.3.c.2.

EQ. Simillimum ei, quod Clodoueo accidit, contigit poſtea ſub Pipino Gal-
lorum Rege. Nam quidam nomine Willimarus, graui infirmitate depreſſus voto
promiſit oblaturum ſe equũ Eccleſiæ B. Galli Confeſſoris. Incolumitate recepta,
voti immemor non perſoluit: verum forte fortuna, cum Birthlonem virum nobi-
lem comitaretur eques, ad B. Galli Eccleſiam peruenere: recedentibus omnibus e-
quus Willimari ſubſtitit, neq; à foribus Eccleſiæ vllis conatibus auelli potuit. Pu-
dore tandem ductus Willimarus, dilatæq; voti ſatisfactionis compunctus aſtanti-
bus omnibus rem aperuit, atque ita equum Eccleſiæ obtulit. Id narrat Walfridus
Strabus in vita Sancti Galli lib.2.c.6. apud Surium tom.5. menſe Octobri. Egit igi-
tur equus quoddam quaſi prophetantis officium, ſicut Balaam aſina: conſcientiam
domini mortuam miraculo excitauit, & quod nemine loquente dederit, actu per-
egit, haud dubie ſic diuina diſpoſitione operante.

Olim meminiſſe iuuabit.

TH. Propterea vt creata omnia homini ſeruiunt, & belluæ ipſæ, ita præcipue
& equi: nam etſi inter delicias equum habeamus; nihilominus cum neceſſitas po-
ſtulat, ſi abſit voluptatis ſtudium, equis vti nulla ratione prohibemur, nec officit
hominis ſanctitati. Quin etiam addo equos ſanctorum hominum commoditati
deſeruiuiſſe, vt nullo domitore fuerit opus, quando ſedentis ſanctitas id expoſtu-
lauit. Sanctus enim Malachias Epiſcopus cum aliquando Eboracum perueniſſet,
comitumque ſuorum cauſa plurima vrgeret equorum neceſſitas, oblatus eſt illi
indomitus equus, duriſſime quemlibet ſeſſorem portans. Malachias oblatum per-
benigne accipiens ſibi ſternendum mandat, quo adeo commode eſt vſus, vt peri-
te domitum mox conuerſum inuenerit, eoque ad nouennium, id eſt, reliqua tota
vita ſit vſus, vt memorat Sanctus Bernardus Abbas Clareuallenſis in Sancti Ma-
lachiæ vita. Propterea ſi quando ſtudioſius quam par eſt, clerici equis alendis, &
domitandis ſe dedunt, diuinis rebus poſtpoſitis, vltionem diuinam breui aliquan-
do perdidicere. Nam Theophylactus Conſtantinopolitanus Patriarcha, adole-
ſcens adhuc electus contra decorum & officium, equas plurimas alebat, vnam ve-
ro inſigniorem ſacro magno quinto die peperiſſe ſacra celebranti nuntiatum eſt.
Lætitia elatus diuinoque ſacrificio properanter abſoluto, ad pullum recens na-
tum feſtinauit; ac deinde in Eccleſiam reuerſus reliqua ſanctæ paſſionis Seruatoris
peregit. Mortis vero eius cauſa fuit equitatio, qua audaciſſime vti ſolebat, adeo vt
alliſo corpore, ſanguinem per os reiecerit, vnde accedente aqua intercute, diem
clauſit extremum. Zonaras poſt imperium Romanum Lecaponi, in Conſtantino
Leonis filio, recuperato Imperio.

PH. Sæpe id ita contingit effrenatis hominib. equis abutentibus: nam vt me-
morat B. Petrus Damianus ad Deſiderium Abbatem, de quibusdã miraculis, Deus
per equos hominum vitia vlciſcitur. Clerico enim cuidam Burgundo indiſciplina-
to, ac mundanis rebus prorſus dedito equa erat inſignis, cui plurimum ob curſum
confideret; armatorum collecta manu, diuinis contemptis verbis, factioni ſtude-
bat, & æmulationi; dimicaturus igitur cum aduerſario audaciorem ſeſe exhibuit.
Caſu autem, imo Deo diſponente, contigerat, vt præcedente nocte equa ſoluta e-
greſſa ſtabulum per domum erraret, aceruumque ſalis inueniens ex eo plurimum
come-

comediſſet; atque ideo ſiti plurima affligeretur. Dum inſidens clericus obuium æmulum in agro aggreditur, equa proximum præſentiens riuum extortis de manu ſeſſoris habenis, ad aquas accurrit, vbi tum hoſtili manu occiditur, tum aquis demergitur occiſus. Et ſane non ſine cauſa datus eſt locus Prouerbio: *Equum habet Seianum.* Cum infelices non paucos fuiſſe compertum ſit, qui illum equum poſſediſſent. Aulus enim Gellius noct. Att. lib. 3. c. 9. id iis verbis memorat. Caius Baſſus, & Iulius Modeſtus de equo Seiano tradunt. Cneum enim Seium quempiam ſcribunt fuiſſe, habuiſſeq; equum inſignem. At Marcus Antonius Triumuir hūc Seium capitis damnatum miſerando ſupplicio affecit. Eodem tempore Corn. Dolabella Conſul, cum equi fama commotus magno eum pretio redemiſſet, in Syria bello ciuili obſeſſus interfectus eſt. Mox C. Caſſius aduerſarius equo potitus eſt, ſed fuſo exercitu ſuo, miſeram quoq; ipſe mortē oppetiit. Antonius parta contra Caſſium victoria, eodem equo potitus eſt; ſed victus poſtea, ac deſertus, deteſtabili exitio interiit. Hæc origo eius prouerbii.

EQ. Sed vt de equis tandem orationem claudamus, pro colophone libet adiicere rem valde admirandam. Equorum, ſcilicet, pilos, ſi ponātur in aqua ſtagnante, non putreſcere, ſed vitam, & ſpiritum accipere, & ſponte moueri: idque ſe ſæpe expertum tradit Albert. Magn. animal. libro vigeſimo ſexto in animanti, cui nomen ſeta, quod nunquam augetur vltra capilli magnitudinem, licet ſit longitudine cubitali.

Eſt autem illud valde memorabile, quod accidiſſe memorant inſignes auctores apud Conſtantinopolin ante ſacellum Deiparæ virginis. Media enim nocte, cum nullus ibi equus adeſſet, pictus tantummodo: ille omnium terrore magno bis hinnire auditus eſt: vti iam idem acciderat ante annos plus minus quinquaginta: id autem accidit Clemente V. Romano Pontifice, vt narrat Nicephorus Gregor. lib. 8. Genebr. in Clemente V.

Quod vero paulo ante diximus, exultantem equum Phocæ toti exercitui attuliſſe perniciem, dum totus perturbaretur ordo, fecit idem timidiſſimum animal lepus, propterea ab equorum curſu, ad leporum ſermonem hac occaſione conuertemus. Nam ſub Formoſo Romano Pōtifice, cum Arnulphus Imperator Formoſi tuendi cauſa Romæ extra Leoninam vrbem caſtra metatus fuiſſet, factio ciuium, qui tum contra Formoſum mœnia tenebantur, renitebatur: contigit interim lepuſculum terroribus exterritum curſum in Vrbem direxiſſe, tum (vt fieri à multitudine ſolet) clamatum eſt ad leporem illum, turbaque non parua eundem inſequitur; ea re factioſi contra Formoſum Romani commoti, putarunt hoſtem muros ingreſſum irrumpere; quamobrem mœnibus derelictis, ad tuendam introrſus reliquam vrbem deſcendunt. Ii autem, qui Formoſo fauebant, occaſionem nacti, arietibus portam impetentes Arnulphum introducunt, vti Luitprandus Ticinenſis hiſtoricus ſcribit, quod etiam Segebertus Gemblacenſis habet. *Lepus.*

PH. Sunt & in lepore etiam naturæ miracula: nam duo habere iecinora in Biſaltarum Gaſtroneæ regione Ariſtoteles memorat de admirand. capite 117. quod & Aulus Gellius affirmat Noct. Attic. lib. 16. cap. 15. Cui & aliud accedit commemoratione dignum, quod cum toto æſtiuo, vernoque tempore lepores in Aquilonari plaga proprium colorem ſeruent, poſt Autumnum, poſt primæ niuis caſum villos fuſcos mutant in albos, vt tradit Olaus libro decimo octauo, c. 8. Ortellius in Liuonia.

EQ. Præ-

EQ. Præterea illud quoque adiicere libet memoratu dignum, mares lepores vno, eodemque tempore tum alios implent, tum ex ſe pariunt, tum nutriunt, nempe qui ſint vtriusq; ſexus participes: quin mas ſemimortuus captus inuentus prægnans tres lepuſculos ad matricem continebat: ii primum extracti fuere immobiles, deinde à Sole intepeſcentes reuixerant; ac linguam porrigentes, vbiq; deſiderio os aperientes, lac admotum excepere, atq; aliti ſunt. Ælian. lib.13.c.12. Sed de lepore hæc ſufficiant.

Erinaceus absq; cibo annum degens.

PH. Nunc libet quædam animantia commemorare, quorum aliquid eſt aut in forma, aut in ratione vitæ relatu dignum. Erinaceus, qui & echinus primus occurrit: is toto corpore hirſutus ſpinis contegitur, vt in hyemem cibum paret, ingreditur loca, vbi pomorum acerui ſint, ſeſeq; inuertit in cumulum, hac atq; illac prorepens, atq; ita aculeatis ſpinis poma transfigit, vnde totus pomis contectus apparet; eaq; omnia absq; pera in latibulum portat, ſeruatq; in hyemem. Ex Æliano lib.3.c.10. Quin idem animal compertum eſt annum absq; cibo viuere, Ariſt. teſte de admirand. cap. 64.

TH. Admirabilius, quod Ioſeph Ieſuita ex Braſilia ſcribit anno Domini 1560. tradidit enim animal ibi compertum echino perſimile, cuius ſetæ prælongæ, ac prædura ſunt, colore pallido, ſed aculeatæ; ſumma cuſpide nigræ, mirum in illis ſetis natura recondidit. Cuicumque enim rei cuſpis eius admoueatur, etiam poſtquam ab animantis cute eſt diuulſa, occulta virtute, cum à nemine vrgeatur, ſponte penetrat carnem præcipue. Mulieribus enim in vſu eſt ad perforandas auriculas ad inaurium vſum. Perforatio autem prorſus fit nemine impellente, quaſi viuat ſeta huiusmodi. Experimento compertum eſt vnius noctis interuallo ſetam huiusmodi craſſiſſimo corio admotam cuſpide ſponte corium totum perinde, atque acus hominis impulſa manu transmittitur penetraſſe, id ſe vidiſſe Ioſeph ipſe conteſtatur.

Colũ instar elephanti bibit.

EQ. Colum animal ſic dictum eſt & ipſum mira forma. Hoc fert Sarmatica regio, magnitudine propemodum cerui, villo eſt candido, pernicitatis plurimæ, bibit ſolis naribus ſorbens, attractamque aquam multam in capite ſeruat, vt elephas in proboſcide, in multorum dierum vſum, quando bibendi facultas ſuppetit, qua carere ſolet. Strabo id habet lib.7.

Taxi.

TH. Taxi mira arte vtuntur in conficiendo latibulo Aquilonari regione. Efficiunt ea ſubterraneis locis gregatim ſuppetias mutua afferentes. Ignauum inter ſe proſternunt, ſupinumq; reddunt, egeſtaq; humo è latibulis, ventrem inter clunes ac crura iacentis reſupinati onerant, onuſtumq; reliqui arreptis cruribus trahunt, & in remotum locum euerſa humo toties repetunt onus, quoad & probe totus ſit purgatus locus, & tota humus egeſta. Olaus libro decimo octauo, capite decimo octauo.

Vt ita taxi videantur artem hanc didiciſſe à caſtoribus, de quibus, iam antea egimus: aut forſan à taxis ipſi didicere caſtores.

Lutra piſcatrix.

PH. Lutra quadrupes eſt, ac proportione lõgior, adeo cicur fit in Suetia, præſertim vero ad coquorum miniſterium, vt ſolo coqui nutu piſcatum eat, atque ingreſſa piſcinas eius magnitudinis piſces captos, quos coquus iuſſerit, ad eum perfert: idq; toties, quoties coquo videatur ſatisfactum. Olaus lib.8.c.12.

Sariguea.

EQ. Eſt memorabile animal Sariguea in nouo orbe, & in India Orientali adinuentum: eſt catti, ſeu felis magnitudine; poſteriores, ac priores pedes pellicula interpo-

interpoſita coniunguntur, velut anſerib. in pedibus eſt pellis, aut qualis eſt veſpertilionibus: Vbi hoc animal adnititur, aliquantulum euolat eius pelliculæ præſidio, ſed pondere corporis perfacile laſſatum redit in ſolum, qua ex laſſitudine ſæpenumero captum eſt. Euolat in arbores, & ex arbore in arborem auium more. Nicolaus de Comitibus in itinerario Indico, apud Ramuſ. Tom. 1. at de nouo orbe, & ex Braſilia ſcripſit Ioſeph Ieſuita anno Domini 1560.

TH. Cuniculi commemorandi ſunt nobis eo nomine, quod tāta ſępe fœcunditate ſint, vt immenſum multiplicato fœtu, omnia ſuffodiant, atque oppida in ruinam impulerint, huiusmodi in Hiſpania contigiſſe memorat Plin. lib. 8. c. 29. ex Marco Varrone; quin & populos Minoricæ, Maioricæq; Inſularum eiectos fuiſſe memorat Strabo lib. 3. *Cuniculi fœcundi.*

EQ. Quod mihi ſupereſt commemorādum, omnem fidem videtur excedere. Narrat enim Aloyſius Almeida ex Iapone ſcribens anno Domini 1566. in regno Goto extare ſyluam, in qua tantum gignitur animal canis magnitudine, cruribus breuioribus, ad eſum humanum percōmodum, aureo eſſe colore, præmolli etiam villo. Cum ſenuerit hoc animal, dimiſſa terra ſponte mare ingreditur, ibique paulatim transformatur in piſcem, ac per ſingulares corporis partes, certo quodam temporis interuallo, mutata re vera quadrupedis forma ac natura, tranſit in piſcem. Idq; adeo verum eſſe obteſtatur auctor, vt aliquando contigerit piſcem huiusmodi captum inuentum nondum omnibus corporis quadrupedis, partibus prorſus transformatis, nondum videlicet opportuno elapſo tempore, quo omnia piſcis membra effici potuerint: pars enim adhuc permanebat quadrupedis, pars altera iam ſquammis, & pinnis formata videbatur: adiicit fabuloſum id non eſſe, ſed compertiſſimum iam fuiſſe; veritatiq; huic adſtipulari indigenarum omnium conſenſum.

PH. Sunt & quadrupedes in Aquilonari regione, ſumma induſtria flumina traiicientes, doſſos enim appellat Olaus lib. 18. c. 14. Horum induſtriam explicat in tranandis fluuiis. Lignum pedibus tenent, caudam, quæ villoſa, patensque eſt, erigunt, expanſamque velorum modo præferunt, donec in aliam partem peruenerint, vt quibus natandi peritia à natura negata eſt, ceu nauigandi fuerit conceſſa.

TH. Monſtroſum animal eſt etiam, de quo meminit Ioſeph Ieſuita ſcribens ex Braſilia anno Domini 1560. Tamandrua nomen illi eſſe tradit, canis maximi magnitudine, ſed ob breuitatem crurium nullius eſſe pernicitatis: nam curſu ab homine anteuerti poteſt. Setoſum eſt animal, vnde ſe tuetur; eſt autem illi adeo durum tergus, vt vix ſagittis ſit penetrabile, collo eſt oblongo, capite exiguo pro corporis portione, os ſine hiatu, rotundum, annulo, quo in digitis vtimur, non latius; linguam inde exerit trium fere pedum menſura; exerit autem præcipue iuxta formicarum latibula, ad quam imprudens formicarum grex accurrit, totamq; ipſam linguam obrepit, quam vbi prorſus contectam formicis ſentit, ad ſe eam retrahit, atq; ita formicarum exercitus illi cedit in cibum: anteriora crura adeo ingētia ſunt, vt ſuperent hominis femora: vexatus ſedet, atq; fortiſſimis anterioribus pedibus pugnat. Id ſe vidiſſe Ioſeph ipſe teſtatus eſt. *Tamandrua.*

EQ. Et illud monſtroſum eſt animal, de quo Ouetenſis ſum. c. 22. nomen illi eſſe Bardatum ſcribit; magnitudine eſt canis: cauda illi, ac reliquum corpus cartilagineum; quāquam ſit quadrupes, obtegitur teſta, corticeve perinde ac crocodili, *Bardatum*

obduro, ſquammoſo, color illi albus, ſubobſcurus; tegumentum illud cataphracti equi armaturæ perſimile eſt, è tegumento eminent cauda & pedes, collum & aures; ſubterranea inhabitat cuniculorum more.

Gulo animal vorax.

PH. Supereſt poſtremo nobis commemorandus Gulo apud Olaum denominatus; animal eſt canis prægrandis magnitudine, capite atq; auribus catto perſimilis, vulpina cauda: tantæ eſt voracitatis, vt diſtento, plusquã capere poſſit, ventre repleatur; ac ad anguſta properet, vt compreſſa aluo cibus egeratur, ac celerius ad iterandum voracitatem recurrat, idq; ſæpiſſime repetit: pellis illi perpulchra eſt variis figmentis effigiata; tantaq; eſt illarum pellium mollities, vt paſſim lecti ſternantur; verum hoc admirabile contingit cubantibus, vt ſomnient ſe deuorare etiam feras. Præterea qui pelles huiusmodi induunt, voraciſſimi quoq; fiunt. Olaus lib.18.cap.6.

TH. Pro colophone rerum à nobis cõmemoratarum meminiſſe libet ex Eudemo in Libya animal, cuius nomen nondum eſt cognitum; illi eſt numerorum cognitio, cum enim venatu viuat, in vndecim partes prædam ſemper diuidit, decẽ quidem comedens, vndecimam relinquit. Id memorat Ælian. lib.4.c.52. vt hinc pateat Libycis feris deteriores eſſe, qui in agro decimam non dimittant in vſum Eccleſiæ, pauperumq; diſtribuendam.

EQ. Adhuc & aliud commemorandum eſt, cui numerorum non ſolum cognitio eſt, verum etiam nobis horarum diurnarum leges primum pręſcripſit. In Ægypto enim memorat Hermes Trimegiſtus quadrupedem fuiſſe duodecies parib. omnino interuallis emittentẽ vrinam. Vnde obſeruatum horologii vicem animal præſetuliſſe, ideoque per horas duodecim tum primum diem diuidi ipſe Trimegiſtus coniecit, vt memorat Polyd. Virg. de inuent. rerum lib.2.c.5.

PH. Animal huiusmodi Hermetis forſitan erat plus æquo bibax, vt toties lotium redderet; aut forte totum in phlegma tenue defluebat: nam qui parum bibunt, phlegma habent tenacius: nam quædam animalia comperta ſunt, quæ nunquam bibant. Eſt in Africa animal quadrupes lacertæ fere perſimile, ſed altius, & craſſius, imo & longius, nunquam hoc bibere tradunt. Sed vereor hoc animal potius inter ſerpentes adnumerari, quam inter quadrupedes, ideo tunc recenſebimus pluribus

SERPENTES.

COLLOQVIVM OCTAVVM.

EQVES.

OLitor noſter, cum ex agro rediret, narrauit commemorandam locuſtæ de ſerpente victoriam: apprehenderat illa ſerpentis guttur atque ita beſtiam extinxit absque pugna: mirum ſane imbecillum animal ſuperare fortiſſimum, fatuum vincere aſtutiſſimum.

PH. Hoc præcipuum eſt in locuſtis naturę miraculum, vt ſingulæ ſerpentem, vt libet, necent, faucibus mordicus apprehenſis. Id enim tradit Plinius lib.11.c.29. Propterea & ipſa locuſta etiam, faucibus obſeſſis, moritur: matres enim cum pepererint certum eſt eas mori, vermiculo ſtatim circa fauces innaſcente, qui eas ſtrãgulat, quod ibi etiam adnotauit Plinius.

EQ. In-

EQ. Incidit igitur hanc ob rem opportunitas,argumentumque vt de ſerpentibus diſſeramus. Propterea, vt de eis agamus commode, optarim nos conſcendere in colliculi huius verticem, ibi conſeſſuri ſub amœniſſima aliqua lauro, aut, ſi magis libeat, ſub picea: ex pluribus enim eligenda fuerit, quæ ex toto ordine magis ſit opaca. Sunt enim ibi perpetuæ ſedes ligneæ immobiles ad huiuſmodi colloquia paratæ.

TH. Si de ſerpentibus diſſerere in animo eſt, de re agemus per ſe admiranda: ſerpentum enim tot ſunt venena, quot genera, tot pernicies, quot ſpecies, tot dolores, quot colores, vt Iſidorus memorat lib.12.cap.3. Illud autem erit in hac ſermocinatione pręcipuum, quod reminiſcemur, in quam foueam ſerpens genus humanum omne ipſius orbis conditi initio impulerit, quanquam non ipſe ſerpens irrationalis tunc hominem læſerit, ſed in illo locutus diabolus, ſicut in aſino Balaam Angelus, vt ſcribit Sanctus Auguſtinus de Geneſi ad literam, libro vndecimo capite decimo nono: *Diabolus enim ipſe fuit, qui ſuaſione ſua hominem perpulit ad caſum.* Vnde illi ſerpentis cognomentum, vt in Pſal.90. & ſuper Ioan.tr.10.idem Doctor tradit: *De ſerpente igitur Diabolo nihil diſſeremus, auerſate beſtiam ſtimulis eius, conſiliisve nullam vnquam fidem adhibentes: lædere enim non poteſt, niſi volentem: ſubeſt enim etiam hodie imperio hominis. Nam & ipſum animal ſerpens hoc ſuapte natura conteſtatur, reueritus hominem velut dominum: illum enim nudum in Paradiſo nouit ante lapſum; propterea nudum hominem etiam hodie non audet attingere.* Iſidor.lib.12.cap.4.in fin.Vinc.natur. lib.20.cap.14.

EQ. Iure id facit: nam ſi Pythagoræ ſententia vera eſt, ex medulla hominis mortui putreſcentis gigni ſerpentes, odiſſe non poterunt, vnde gignantur. *Serpentes vnde.*

PH. Non ſolius Pythagoræ fuit illa ſententia ab humanis medullis gigni ſerpentes: fuit enim aliorum quoque: Ouidius enim id cecinit.

Sunt qui, cum clauſo putrefacta eſt ſpina ſepulcro,
Mutari credant humanas angue medullas.

Quod Iſidorus etiam ſcribit eodem cap.4. Quin antea etiam Plinius tradidit lib.10.cap.66. iis verbis: *Anguem ex medulla hominis ſpinæ gigni accepimus à multis.* Sed & Ælian. lib.1.cap.53. *Hominis* (inquit) *mortui ſpinæ medullam putreſcentem in ſerpentem conuerti aiunt, exoririque feram, & ſerpere animantem immaniſſimam ex manſuetiſſimo.*

TH. Eſt certe hoc valde admirandum, hominem cœlum ore ſemper ſpectantem, & eo etiam tendentem toto animi niſu ſerpentem gignere; ſed illud ad myſterium trahitur. Si enim irrationali vita viuens tantummodo in terra ſerpit, venenoſis afflatibus humanam ſocietatem corrumpens, tortuoſis cogitationibus dolos machinando, in latibulis turpitudinem ſemper exercens; æquum iudicium eſt, vt defuncta caro, quales fuerunt ſerpentini mores, tale animal gignat. Ideo reuera, naturaque ipſe nec ſerpens, nec aliud vllum animal cum homine hoſtilitatem habet: Sed quia per peccatum Deo omnium Domino ac conditori iniuriam irrogarat homo, ab omnibus lædi ac contemni, quin & plecti oportuit, vt perſancte ſcripſit beatus Gregorius homil.35.ex 40. *Quoniam in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur,* vt impleatur quod dictum eſt Sap.5. *Et pugnabit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos.* Hæc ille. Initio igitur orbis conditi nihil horrificum erat in ſerpente, erat potius mitis ille ac manſuetus, nec ad vllum hominis terrorem in terra prorepebat, ſed altus ſuper pedes gradiebatur homini obſequuturus, vt Baſilius

tradit in ſermone de Paradiſo. Et id re vera fuit, cum quæ creaſſet Deus, eſſent o-
mnia valde bona. Gen.1. Nulli erant noxia, antequam homo noxam ipſe contra-
xiſſet; à tempore vero peccati noxia quæq; apparuerunt, præcipue vero venenata,
quæ non inutiliter fuiſſe creata, imo potius vtiliter conſtat; quandoquidem mul-
ta ab iis, præcipue à ſerpentibus bona conſequi poſſumus, eodem Baſilio doctore
exem.hom.5. vbi de venenatis herbis agens ſic ait: *Horum nihil otioſe, nihil inutiliter*
generatum: nam aut alicui brutorum generi alimentum exhibent, aut etiam nobis ipſis à
medica arte in aliquod malorum ſolatium inuenta ſunt. Hæc ille. Nam & viperæ car-
nibus theriaca homini ſalutaris fit, vt ſcribit Gregorius Nazianzenus in Mono-
dia: vipera enim & reliqua noxia homini adhuc ſeruiunt. Ioan. Chryſoſt. Tomo 1.
in Pſalm.76.

Prudētia à venenatis animalib.

EQ. Niſi venenata eſſent, inutilis homini fuiſſet indita prudentia, quæ à ve-
nenatis excitatur, vt ab eis, noxiiſque omnibus caueat: quin nullum adeo venena-
tum natura eſt, cui non ſit & venenatum contrarium: hac re excitata quoq; homi-
nis eſt ſolertia, vt diſceret, quæ venenata aliis eſſent velut opportuna remedia: ac
præterea etiam ipſa venenata perſæpe indita habent contra ſuum virus ſalutarem
medicinam: nam qui à viperæ morſu læſi fuerint, ſi eam exuſtam, in cineremque
redactam læſæ parti adhibuerint, vim veneni propellunt. Lactantius de ira Dei,
cap. 13. cuius verba libet depromere: *Academici contra Stoicos diſſerentes ſolent quæ-*
rere, cur, ſi Deus omnia hominum cauſa fecerit, etiam multa contraria, & inimica, & peſti-
fera nobis reperiantur, tam in mari, quam in terra? Quod Stoici veritatem non reſpicicientes
ineptiſſime repulerunt. Aiunt enim multa eſſe gignentibus, & in numero animalium, quo-
rum lateat vtilitas. Sed eam proceſſu temporum inueniri, ſicut iam plura prioribus ſeculis
incognita neceſſitas & vſus inuenerit: quæ tandem vtilitas poteſt in muribus, in blattis, in ſer-
pentibus reperiri, quæ homini moleſta & pernicioſa ſunt? An medicina in his aliqua latet?
quæ ſi eſt, inuenietur aliquando, nempe aduerſus mala, cum id illi quærantur eſſe ob ma-
lum: viperam ferunt exuſtam, in cineremque dilapſam mederi eiuſdem beſtiæ morſui:
quanto melius fuerat eam prorſus non eſſe quam remedium contra ſe ab ipſa deſiderari? Bre-
uius igitur, ac verius reſpondere potuerunt in hunc modum. Sicut bona innumerabilia data
ſunt homini, quibus frui poſſet, ſic etiam mala, quæ caueret. Nam ſi malum nullum ſit, peri-
culumq; nihil denique quod lædere hominem poſſit, tollitur omnis materia ſapientiæ, nec erit
homini neceſſaria. Hæc ille.

TH. Eleganter ſane Lactantius pro more ſuo, cui ſuffragatus mihi videtur
inſignis etiam Philoſophus Euſebius Cæſarienſis, qui præparat. Euang. lib. 8. cap. 5.
Serpentes (ait) & venenata animalia multos ad morbos, & maxime pernicioſiſſi-
mos remedia conferre ſaluberrima Medici perhibent; videbiſque, ſi diligenter
attendere volueris, in magnis theriacis nonnulla membra eorum accuratiſſime
ſumi. Deinde à Deo iſta eſſe parata in peccatores, ſicut eculeos & alia tormenta
in iudiciis præparata videmus. Hæc ille. Quibus eam quoque ſententiam adden-
dam puto. Hæc omnia, tametſi venenata, ad ſummam Dei indicandam potentiam
& ad augendam illius gloriam fuiſſe procreata, ne aut imbecillitas, aut imminu-
ta hac parte gloria videretur. Inde enim homini, qui ad diuina contemplanda
conditus eſt, cœleſtis contemplationis, diuinæque pietatis præbetur occaſio, vt ve-
nenatorum; in quibus omnibus aliqua elucent virtutis veſtigia, ſibi proponat ex-
empla etiam imitanda. Nam quod ad ſerpētes pertinet, in iis Chriſtus nos erudiit
ineſſe prudentiam, eamque nobis eſſe imitandam, cum diceret: *Eſtote prudentes*
ſicut

ſicut ſerpentes. Matth. 10. Ex hoc vero venenatorum genere diuinam quoque contemplandam virtutem etiam Moyſes docuerat Iſraeliticam gentem in deſerto: eos enim, qui ipſorum morſibus fuerant ſauciati, ſanari alio antidoto non poſſe dixerat, niſi in æneum ſerpentem, quem illis in ſummo ſtipide contemplandum propoſuiſſet, fixis oculis proſpectaſſent; ſolo igitur proſpectu eos ſanatos res ipſa edocuit. Num. 21. Nemo igitur diuinum intellexiſſet myſterium, ſummum ſcilicet illum Chriſtum, quem nos colimus, à diabolo ſauciatis nobis ſalutis afferre remedium, ſi venenata illa non fuiſſent, & niſi fixis mentis oculis in eum corda noſtra dirigerentur. Per venenata igitur vt animi ægritudines ſignificatæ ſunt, ita eſſe ea oportuit ad hominis exercitationem, & ad excitandum eum, vt alta cœleſtiaque contempletur, Chriſtumque ipſum, vnde ſalutem expectet. Ioan. 3. Iure igitur ab hoc venenato animanti etiam nos ediſcere prudentiam Chriſtus edocuit, qui ſeipſum etiam illi comparauit.

EQ. Sæpe optaui noſſe, qui fieri poſſit, vt à ſerpente prudentia nobis eſſet perdiſcenda?

TH. S. Ioannes Chryſoſtomus id expreſſit hom. 34. in Matthæum Tomo 2. his verbis: *Serpentis prudentiam imitari nos Dominus cohortatur, vt quemadmodum ſerpens totum ſeipſum tradit, nec minimum curat, ſi corpus inciditur, donec caput ſuum integrum ſeruet: eodem tu quoque modo præter fidem cætera perdere non cures, profundas vniuerſam tuam pecuniam, tradas corpus, vitæ ipſi, ſi opus eſt, minime parcas, dummodo fidem ſerues, quæ caput & radix eſt.* Hæc ille quidem ſapientiſſime; ſed pluribus id explicat S. Auguſtinus ſerm. 4. ad fratres in eremo: Serpentis (inquit) aſtutia in quatuor diuiditur partes. Prima eſt, quod totius corporis venenum in gutture colligit, & ibi prudenter, docente natura, ſeruare ſtudet, vt ibi, ſi aliquando neceſſe fuerit, in promptu habeat, vnde ſe defendere poſſit: ſed in hac parte ſerpens quoque decipitur. Muſtela enim ſemper ſerpenti aduerſatur, & ante foramen cauernæ ſerpentis ſe ponit, vt eum prouocando tamdiu vmbra caudæ ſuæ ſolerter illudat, donec ipſum egredientem agnoſcit: tunc vero muſtela deſuper aſcendit inſidias tendens, vt, cum ſerpentis caput viderit, capitalem vindictam ſumat de hoſte, quem numquam diligere potuit. Prouocatus itaque ſerpens extra cauernæ foramen caput emittit, & cum nihil deorſum videat, verſo gutture, reſpicit ſurſum; ſed muſtela cernens tempus optatum dentes imprimit circa venenum, ſicque absque periculo inimicum occidit. Secunda prudentia eſt in ſerpente, quod quando in aquam deſcendere cupit, venenum reponit in loco tutiſſimo, ſed recedens ab aquis iterum reſumit. In hoc enim imitari debemus ſerpentem, quia venenum, id eſt, malitiam deponit, ſed non in eo, quod illud reſumit. Tertia prudentia eſt ſerpentis, quod veterem pellem per ſingulos annos exuere didicit, quam depoſiturus anguſtum foramen inquirit, per quod tranſiens cum dolore pellem derelinquit, ſciens quia pelle depoſita pulchrior apparebit, exemplo noſtro, vt vitiorum pellem deponamus. Quarta ſerpentis natura eſt, quod dum lædi quæritur in capite, vt vitam conſeruet, totum corpus ad percuſſionem exponit, quia licet corpus percutiatur, ſi caput illæſum ſeruare poterit, damna mortis non patitur: ſic & nos cuncta nobis aduerſantia amore capitis Chriſti ſuſtinere non timeamus, vt cum illo in beata vita quieſcere valeamus. Hæc ex illo. Et quamquam deliria hæreticorum aduerſentur iis ſermonibus, tamen (vt alias diximus) ex illo numero ſermonum ad fratres in eremo, patres, qui ſub Ludouico Pio apud Aquisgranum Synodum celebrarunt anno Domini 830.

Quadruplex ſerpentis aſtutia. *I.* *II.* *III.* *IV.*

Antoninus Chron.tit.16.cap.2.
nonnulla recenſuerunt cap.112.113.acceditque
P.H. Ex iis igitur perſpicuum factum eſt, venenatorum ſerpentum creatio-
nem fuiſſe perutilem, vel illa ſola S. Auguſtini ratione, vt ab eius pellis exuuio nos
quoque renouari quotannis coram Deo perdiſcamus; ne vero cuique ambiguum
forte ſit, ſerpentem exuere quotannis pellem, Ariſtotelis promemus teſtimonium
animal.lib.8. cap.17. Vna enim die ac nocte huiusmodi innouationi ſe dedunt ſer-
pentes; id ipſum & Plinius tradit lib.8.cap.27. *Anguis*(inquit) *hyberno ſitu membrana*
corporis obducta, fœniculi ſucco impedimentum illud exuit, nitidusque vernat: exuit autem à
capite primum, nec celerius, quam vno die ac nocte replicans, vt extra fiat membranæ, quod e-
rat intus. Hæc ille. Atque ita ex hoc animante diſcimus virtutis exempla, oportere
ſcilicet nos veterem exuere hominem, ſemperque bonis operibus reniteſcere, at-
que adoleſcere; quin & incolumi ita ſpiritu vegetari. Nam S. Auguſtinus recolit in
exuenda pelle anguem & incolumitate donari, & ſenectutem deponere, atque ad
iuuentutem redire. Hæc ex illo de Ciuit. Dei lib.8.cap.15. perutilis igitur fuit huius
venenati procreatio.

E.Q. Noſtræ igitur culpæ eſt, atque ideo imbecillitatis, quod nos lædunt ſer-
pentes ſummo Dei conſilio procreati.

P.H. Quandoque tamen lædendi vim amittunt, non noſtro certe merito, ſed
diabolica arte, vt corporibus illęſis, virulentius lædant animas, velut incantantium
arte fit, eiusque artis integros populos compertos conſtat, hi ſunt Ophiogenes,
Pſylli ac Marſi, hos non lædunt ſerpentes. Docet enim Diuus Auguſtinus incan-
tationibus deuinci ſerpentes ab iis, & diabolum quoque ea in re aliquid operari,
vt ſcribit de Geneſi ad literam lib.11.cap.18. præter id, quod iis populis ater quidam
inditus eſt odor, quo quaſi peſtifero ipſi ſerpentes fugantur, Plinio teſte lib.8. cap.
25. Vnde fit, vt quaſi obſtupentes illis noxii eſſe non poſſint. Plin.lib.21. cap.13. lib.
25.cap.10.lib.28. cap.3. Quin in Pſyllis neſcio quid eſt admirabilius, vt Agathorci-
des ſcribit: iis enim non modo ſerpentes nihil obeſſe, ſed nec quælibet venenata a-
nimantia poſſunt; cum enim venenatum aliquid ad eos acceſſerit, vel eorum cor-
pus attigerit, vel aliquem odorem exhauſerint, veluti ſoporiferam potionem bi-
biſſet, ſopitur, ac tandem debilitatur, quoad ab eo Pſyllus receſſerit, Ælianus lib.16.
cap.27. Callias quoque libro 10.hiſtoriæ, quam ſcripſit de Syracuſano Agathocle,
tradit, ſeraſtas ſerpentes peſtiferum morſum infigere, ſed Pſyllos ſaliua dolorem
ægrotanti auferre, aut hauſta inter dentes aqua abluto ore ex ea tradere in pocu-
lum ægrotanti, & ægrotanti nudo nudus incumbit, & proprio ſuo odore morbi
vim frangit, & malo hominem liberat, ad quod probandum amplus teſtis eſt Ni-
canger Colophonius. Hæc Ælianus lib.16.cap.28. Nec erit nouum odore aduerſa-
rio ſerpentes fugari, quandoquidem ceruorum cornua ſi adurantur, fugiunt. Plin.
lib.8.cap.32. libr.10. cap.70. Ruta quoque aduſta, fugantur odore illo, Plinius li-
bro 20. cap. decimo tertio. Quin & ipſum lapidem gangitem ſi ſenſerint, fugiunt.
Strabo libro decimo ſexto, qui id in Meſopotamia animaduerſum ſcribit. Præ-
terea quoque plurima loca ſunt, in quibus ſerpens non naſcitur, inuectus mo-
ritur, vnde non fuerit incredibile, Pſyllos, Marſos & Ophiogenes à ſerpentibus læ-
di non poſſe.

T.H. Sordidum eſt ac deteſtandum medicinæ antidotive genus harum gen-
tium: honeſtum vero, ſuaue atque admirandum illud eſt antidotum piorum Dei
ſeruorum, quo feruenti in Chriſtum fide omnium venenatorum noxas ſuperant

nullo

nullo labore. Chriſtus enim ipſe (Marci 4.) credentium omnium ſignum eſſe dixit, quod ſerpentes tollant, mortiferumque ſi quid biberint, non eis eſſe nociturum. Quin & Lucæ 10. his ad Apoſtolos vſus eſt verbis: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit*; quod reuera poſtea euentu probatum eſt. Paulus enim Apoſtolus, qui huic promiſſioni non interfuerat, fide munitus cum apud Meliten Inſulam viperæ morſum in manu fuiſſet paſſus, atque iam ab incolis obiturus putaretur, excutiens beſtiam nihil mali paſſus eſt, Act. Apoſt. c.28. Idem poſtea plurimis aliis Chriſto famulantibus contigit ob ſummam in Chriſtum fidem. Nec fuerit importunum, ſi aliqua depromamus exempla: ſunt enim innumera. Inprimis recolam de ſancto Pachomio, cuius tanta fuerat in Deum fiducia, & tam magnus erat in fide animus, vt ſæpe ambularet ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & permaneret illæſus. Hæc Metaphr. 14. Maii. Iulianus quoque Saba iter faciens cum ab ingenti dracone inuadi ſe, ac prope ad mortem ſe eſſe animaduertiſſet, Dei ope implorata, crucisque trophæo digitis draconi obiecto, beſtiam interfecit. Theodoretus in Philotheo in ipſo Iuliano. Marcianus etiam Cyrrus ingentem alium draconem eodem crucis ſigno in partes diſiecit. Eodem in Philotheo. Quin & Donatus Eureæ in Epiro Epiſcopus eodem ſigno draconem interfecit nihilo illis minorem, quos India gignit. Sozom. hiſt. lib. 7. cap. 25. Niceph. lib. 12. c.45. Quibus accedit, quod tradit Gregorius dialog. lib. 3. cap. 35. Amantium ſanctum virum eodem ſigno obuios quoslibet ſerpentes interemiſſe, foraminaque, quibus illi ſeſe incluſiſſent, eodem ſigno obſignaſſe, atque inde eos non niſi mortuos fuiſſe egreſſos.

EQ. Nobilior certe ars hæc eſt, qua mortifera animantia comprimantur. Erit nobiliſſimum opus, ſi homini famulari compellantur eadem fide magiſtra, ſuppetunt autem de ea re exempla. Marcus enim ſanctus in monte Marſico (non eſt is ex Marſica gente ad ſerpentium incantationem perita) diuina ope adiutus in ſuam ſpeluncam cum ſerpens aliquando ingrederetur, ipſe oratione non intermiſſa, cicurem adeo reddidit, vt ſeſe humiliatum proſterneret, eoq; progreſſa eſt familiaritas, vt cum ipſo etiam cubaret, in illius quoq; os manum pedemve immittebat, nihil veritus, atque huic hoſpiti triennium conuixit, donec ipſe ſerpens ſponte abiit, Gregor. Dialog. lib. 3. c.16. Nec hoc tantum, vt familiariter conuixerint ſanctis ſerpentes inuenti ſunt, ſed etiam vt iuſſa perceperint, & fuerint obſequuti. Fur enim hortulum quendam conculcauerat, ac furto quædam abſtulerat. Monachus hortulanus, comperto loco, quo fur ingreſſus eſſet, ſerpentem quæſitum his verbis affatus eſt: *Sequere me.* Sequentem in eum ipſum locum deduxit, quo fur ingredi conſueuiſſet, ibique in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti iuſſit beſtiæ, ne cuſtodito loco quempiam inde ingredientem deinceps admitteret: paruit illa, ac ſe tranſuerſam exhibens omnem aditum occupauit, cumque nocte adeſſet fur ingreſſurus, adeo magnum in modum abſterritus eſt, viſa beſtia, vt præceps reſiliens in ſentes ſit lapſus, quibus implexus, neque ſe extricare valens egredi, nec ingredi potuerit, donec mane à Monacho increpatus dimiſſus eſt. Greg. dialog. lib. 1. c. 3. Ammon quoque vir ſanctus ſerpentibus duobus maximis iuſſit ſe ſequi, & conſtituit cellulæ ſuæ cuſtodes aduerſus latrones: ii igitur cum eo acceſſiſſent, admirantes, & pœnitentia ducti ſanctiſſimi deinceps fuere. Vita SS. Patrum p.1. de ſancto Ammone Abbate. Sed hæc ex innumeris ſufficiant diuina miracula.

TH. Quos modo recenſuimus, cicures ſerpentes non ipſa natura aut aſſuefactio-

factione fuere, ſed Dei virtute: attamen in Africana prouincia Numidiæ in monte Ziz tradunt ibi omnes cicures eſſe, vt domos permeent, perinde ac conſueuerunt apud nos catti & canes, micasque de hominum menſis comedunt, nemini prorſus noxii, vt memorat Leonius p.3. Quin & in oriente Indica Inſula Malucco cum ingentes adeo ſint ſerpentes, vt capram ſuemque deglutiant, prorſus tamen ſunt mites atque innoxii homini, quem numquam lædunt, niſi forte fame nimia adacti in obuium quodlibet furant. Balthaſar Diaz Ieſuita ex Malucca anno Domini 1556. Propterea ne vnica eſſe Dei virtus in ſerpentibus putaretur, vt aut venenata omnia, aut homini inimica etiam omnia putarentur, ſine virulentia eos eſſe voluit, quin neque vbique eos eſſe, aut inueniri conſtituit: quandoquidem in Laponia Aquilonari regione non modo non inueniuntur, verum ibi viuere non poſſunt, vt Iacob Zieglerus vir alioqui impius tradit in ſua Laponia, quod equidem à cœli ſolique natura eſt; at aliquando ipſi, quos ſæpe memoramus, ſancti Dei regiones ſerpentibus vacuas reddiderunt, inde expellentes, finesque ac locorum metas illis conſtituentes, vltra quas, ne progrederentur, iuſſerant. Fecit id Diuus Hilarius in Inſula Gallinaria, quæ cum ſerpentibus eſſet refertiſſima, crucis ſigni virtute, fixa in terram virga, metam quam, ne illi excederent, conſtituit, paruere illi, neque aſſignatos fines vmquam præteriere. Fortunatus in eius vita libro primo apud Surium Tomo primo, Ianuario. Sed de formis variis ſerpentum videretur modo agendum.

EQ. Antequam de illis agamus, optarim edoceri, ſi rebus iſtis exerceatur incantatio, aut vt obſtupefiant ipſæ beſtiæ, aut vt obſequentes reddantur; idque ſi fiat, num liceat Chriſtiano homini? vt ita ambigam, permouet me Pſalmus quinquageſimus ſeptimus: ſapientiam enim nuncupat huiusmodi incantationem, cum hæc verba contineat: *Furor peccatoribus ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.*

TH. Non omnia, quæ in ſcripturis ſacris ad aliquam ſimilitudinem commemorata ſunt, probari & laudari videntur, ſed ita accipienda ſunt, vt per auctoritatem diuini verbi ex earum erudiamur ſimilitudinibus rerum, quas illæ recolunt. Similitudo enim ſæpe, non autem res ipſa, nos erudit. Sanctus enim Auguſtinus illum Pſalmi locum de incantatione ita interpretatur, vt incantatio damnetur, ſimilitudo nos erudiat; audiamus igitur eum: *Aſpis ideo ſurda, quia obturat aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium. Audiuimus* (inquit) *quod & homines dicunt, qui ea, quæ potuerunt, hæc cognitione didicerunt: ſed tamen quod ſpiritus Dei multo melius omnibus hominibus nouit; non enim fruſtra hoc dixit, niſi quia fieri poteſt, vt verum ſit etiam illud, quod audiuimus de aſpide. Aſpis, cum cœperit pati incantatorem ſuum Marſum, qui eam quibusdam carminibus propriis euocat, ſicut ſunt multa etiam magica, audite quid faciat. Sed interim in hoc attendite fratres: hoc enim proloquendum eſt, ne quisquam veluti hæſitans audiat.*

Non vndecumque datur ſimilitudo à ſcripturis, laudatur ipſa res, ſed tantum inde ſimilitudo trahitur; non enim iniquum laudauit Iudicem, qui nolebat audire illam viduam, qui nec Deum timebat, nec homines reuerebatur. Et tamen inde ſimilitudinem traxit. Nec illum laudauit pigrum, qui tres panes non propter amicitiam dedit petenti, ſed tædio victus, & tamen inde ſimilitudinem dedit: & de rebus ergo non laudandis trahuntur, ſecundum quendam modum nonnullæ ſimilitudines; aut ſi propterea putatis eundum eſſe ad Marſos, quia hoc audiſtis in ſcriptura Dei,

Dei, eundum eſt & ad ſpectacula Theatri, quia dicit Apoſtolus: Non ſic pugilor, quaſi aerem cædens; pugilari enim eſt Pancratium facere iam, quia hinc data eſt ſimilitudo, ſpectacula iſta delectare nos debent; aut quia id dixit, qui in agone contendit, ab omnibus abſtinens eſt. Propterea agoniſtica iſta vana & ludicra debet affectare Chriſtianus? Attende quid tibi dicatur ad ſimilitudinem, quid admoueatur ad prohibitionem: ita ergo & hic data eſt quædam ſimilitudo de Marſo, qui incantat, vt educat aſpidem de tenebroſa cauerna, vtique in lucem vult educere; illa autem amando tenebras ſuas, quibus ſe inuoluta occultare dicitur, quod cum exire noluerit, recuſans tamen audire illas voces, quibus ſe cogi ſentit, allidit vnam aurem terræ, & cauda obturat alteram, atque ita voces illas, quantum poteſt, euitans non exit ad incantantem. Huic ſimiles dixit ſpiritus Dei quoſdam non audientes verbum Dei, & non ſolum non audientes, ſed omnino vt non valeant audire facientes. Hactenus ille, cuius quoque ſententiam eſt ſequutus Iſidorus lib. 12. c. 3.

EQ. Explicatum eſt, quod quærebam admirabili ſapientia, nec vllus ſupereſt hæſitandi locus. Fecere igitur patres, de ſerpentibus quidquid libuit, ſola Dei permiſſa poteſtate, nulla incantationis arte accedente. Et vt video, ſolius aſpidis eſt in obturandis auribus doloſitas, atque ingenium longe peſſimum, quo ſignificantur ii, qui cum male agant, lucem oderunt, Ioan. tertio. Et eorum quoque refert ſimilitudinem, qui vt bene agant, nolunt intelligere, Pſalmo trigeſimo quinto. Eſt tamen aſpis valde grata etiam homini ſibi beneficium præbenti. Nam in Ægypto alebatur aſpis, eratque cicur: at cum accidiſſet Domini puerum ab ſuis catulis venenari, atque occidi, indignata mater in filios beneficii immemores & ingratos ſæuiens illos ipſa peremit. Albert. anim. libro vigeſimo quinto in aſpide: quo etiam loco adiicit, aſpidi impoſſibile viuere abſque ſua compare, altera igitur mortua, altera quoque breuiſſime diem ſuum obit.

PH. Odit autem aſpis lucem, mauultque in tenebris degere, quam captiua incantatoris fieri: attamen mirandum in modum Solis eſt amantiſſima aſpis, eiusque oculi aquilarum comparantur, vti ſcribit S. Auguſtinus lib. 2. c. 9. de moribus Manich. Tomo 1. *Aſpis lucifuga.*

TH. Si aquilarum oculis comparantur aſpidis oculi, videbuntur pręferendi oculis baſiliſci.

PH. Illa oculorum comparatio ad id pertinet, vt recto intuitu Solem non aliter aſpis proſpectet, atque aquila ſolet, nihil nictans, ſicut in auibus diſſeruimus: at baſiliſci oculi nec Solem vnquam reſpiciunt, ad id tantum efficaces memorantur, vt quæque viſa inficiat, imo etiam ſolo viſu animantia interimat, quin & ſeipſum quoque viſu proprio interimit; armatus enim homo ſeſe ſpeculo contectum exhibet baſiliſco, ille ſeſe proſpectans reflexu radiorum ſuorum perimitur. Viues ſcholio ad ſanctum Auguſtinum de ciuitat. Dei libro decimo octauo, capite decimo tertio.

Nec ſolus baſiliſcus viſu occidit: eſt autem eadem perimendi vis ex viſu in Armena ſerpente, quin etiam ſibilo occidit, atque etiam necat ſibi appropinquantes ſine morſu; at à baſiliſco perimi ipſa poteſt. Alb. anim. lib. 25. A. & B.

EQ. Baſiliſci formam optarim explicari.

PH. Ante omnia inſigne illi caput eſt diademate ac corona regia exornatum, perinde ac latronum Reges coronis exornari conſueuerunt, quod latrocinandi *Deſcriptio baſiliſci.*

arte præfulgeant: iure igitur cum præ omnibus virulentiſſimum hoc ſit animal,
impietatis coronam illi deberi vel ipſa docuit natura; de illo igitur ita Solinus capi-
te vigeſimo nono: *Ægyptus baſiliſcum creat malum in terris ſingulare. Serpens eſt pene ad*
ſemipedem longitudinis, alba quaſi mitrula lineatus caput. Nec hominum tantum, vel aliorum
animantium exitio datus, ſed terræ quoque ipſius, quam polluit, & exurit, vbicumque ferale
ſortitur receptaculum. Denique extinguit herbas, necat arbores, ipſas etiam corrumpit auras,
ita vt in aera nulla alitum impune tranſuolet infectum ſpiritu peſtilenti. Cum mouetur, me-
dia corporis parte ſerpit, media arduus eſt, & excelſus. Sibilum eius etiam ſerpentes alii per-
horreſcunt. Et cum acceperint, fuga quæque, quoquo poſſunt, properant, quidquid morſu eius
occiditur, non depaſcitur fera, non attrectat ales. Muſtelis tantum vincitur, quaſi illinc homi-
nes inferunt cauernis, in quibus deliteſcit. Vis tamen ne defuncto quidem deeſt. Denique baſili-
ſci reliquias amplo ſeſtertio Pergameni compararunt: & vt Ædem Apollinis manu inſignem
nec araneæ intexerent, nec alites inuolarent, cadauer eius reticulo aureo ſuſpenſum ibidem lo-
carunt. Hæc ille. Accedit & Iſidorus lib. 12. c. 3. Adiicit autem Albertus anim. lib. 25.
B. ſi argentum baſiliſci cineribus fricetur, accipere auri ſplendorem, pondus & ſo-
liditatem; eſſeque fabulam ipſum gigni è gallinacei ouo.

TH. Solertiſſime explicauit hoc animal Solinus, ſed ne vni credere videamur,
tametſi locupletiſſimo teſti, exaggerabimus aliorum quoque verbis virulentiam
eius animantis. Plinius tradit libro vigeſimo nono, capite quarto, alias omnes ſer-
pentes fugere baſiliſcum: alios enim olfactu necat, hominem vero, etiam ſi tantum
aſpiciat, interimit. Sed libro octauo, capite vigeſimo primo, explicatius de illo ſcri-
bens: *Cyrenaica* (ait) *baſiliſcum generat prouincia, duodecim non amplius digitorum magni-*
tudine, candida in capite macula, vt quodam diademate inſignem. Sibilo omnes fugat ſerpen-
tes, nec erectus in medio incedens. Necat frutices non contactos modo, verum & afflatos; exu-
rit herbas, rumpit ſaxa. Talis vis malo eſt. Creditum quondam, ex equo occiſo haſta, & per
eam ſubeunte vi, non equitem modo, ſed equum quoque abſumptum. Huic tali monſtro (ſæpe
enim erectum concupiſcere Reges videre) muſtelarum virus exitio eſt. Adeo naturæ nihil pla-
cuit eſſe ſine pari. Hæc ille. Cui accedant, quæ Ælianus libro ſecundo, cap. 5. *Baſiliſcus*
(inquit) *magnitudine eſt dodrantali, tamen ſerpentium vel maximus non longo interuallo,*
ſed ſtatim baſiliſcum intuens exſiccatur baſiliſci ſpiratione, ac ſi baculum quiſpiam teneat, il-
le momorderit, baculi dominus necatur. Hæc ille, qui & libro eodem, capite ſeptimo, in
Africa (inquit) mulos vel cæſos, vel ſiti animo deficientes Archelaus, ait, pleroſque
mortuos humi iacere proiectos, eoque magnam ſerpentium vim influere ad eo-
rum cadauera depaſcenda, eaſque baſiliſci audito ſibilo ſe ſtatim in cauernas infra-
ve arenas abdere.

Illum vero eo profectum in tranquilla permultæ pacis libertate prandere,
poſtea vero quam pranſus ſit, ſibilo repetito latitantibus ſerpentibus ſignificare, ſe
iam pranſum ex cadaueribus abire. Præterea vero, quod alias diximus in auibus,
baſiliſcus horret gallinacei cantum, imo propemodum emoritur: ita per Africam
viatores gallinaceos gerunt, ne metuant baſiliſcos. Hæc ille lib. 3. c. 30. Iure igitur
gallinaceos metuit hæc beſtia, tum quod ipſa auis corona redimita eſt longe am-
pliore ac pulchriore, nobilioreque, tum quod etiam leo quadrupedum Rex volu-
crem eandem velut regiam veretur.

Serpens regulus.

EQ. Non deſunt aliis ſerpentibus diademata, quæ etiam regium ſtatum
quempiam indicant. In aquilonari enim plaga ſerpens eſt, cui ſoli criſta præcandi-
da in capite patet: hanc reliquæ ſerpentes ſpeciei eiuſdem quaſi ducem ſequuntur,
aut

aut prudentiorem, aut forſitan etiam virulentiorem. Olaus lib. 21. c. 30. Nondum tamen compertum eſt animantis nomen.

PH. Iure incognitum adhuc eſt animantis nomen, quod nulla inſigni naturæ prærogatiua polleat, nihil præter diadema gerat, commemorandum. At baſiliſcus adeo illuſtris eſt, vt etiam Regulus non paucis Hiſtoricis ſit nuncupatus, de quo tamen omnis vis tum excidit, cum Chriſti nomen fidemque ſequentes aduerſus illum intrepide inſurrexerunt. Leonis enim Quarti Pontificis tempore Romæ inuentus eſt Regulus, qui ſuo halitu venenoque multos mortales perimeret: at Leo ipſe ſuis orationibus ac ſigno crucis è fornice ſanctæ Luciæ virginis in Orthea illum extinxit. Platina in ipſo Leone IV. Ita fit, vt ſeruorum Dei inuulnerabilis vis eſſe videatur, quos nec baſiliſcus lædat, imo potius ab ipſis perimatur, non vt à muſtelis virulentia, non vt à gallinaceis cantu, ſed ſolo crucis ſigno orationeque. In regulo enim vere vis quidem eſt, vt anhelitu aerem inficiat, & ſuperuolantes aues exanimet. Eſaiæ cap. 14. & ibi S. Hieronymus ad illa verba: *Ne læteris, &c.* Tradit & Auicenna, &c. Bartholomæus Anglicus libro de rerum proprietatibus, titulo de halitu: *At nihilominus rite in Chriſtum credentes eam aeris infectionem non modo ſuperant, verum etiam expurgant, virulentiam pellunt, ipſaque noxia animantia diuina quadam vi conficiunt. Abbas enim Ammon, cum in deſerto hauriret aquam, baſiliſcum obuium habuit: at fide eximia adiutus iactans ſe in faciem ſuam dixit: Domine, aut ego moriturus ſum, aut iſta beſtia. Mox baſiliſcus per virtutem Dei extinctus eſt.* Hæc ex libro de vita Sanctorum patrum p. 2. c. 201. Sed redeamus ad reliquas ſerpentum formas.

TH. Amphisbena admirabili eſt forma, neque vllum vnquam animal illi aliqua eſt ſimilitudine comparandum. Extremis enim corporis partibus capita ſingula habet, ita vt præter conſuetum caput in extrema quoque cauda aliud habeat, de ea ita Solinus capite vigeſimo nono: *Amphisbena* (inquit) *ſerpens conſurgit in caput geminum, quorum alterum in loco ſuo eſt, alterum in ea parte, qua cauda; quæ cauſa efficit, vt capite vterque ſexus nitibundo ſerpat tractibus orbiculatis.* At Plinius libro octauo, capite vigeſimo tertio, geminum huic caput eſſe miratur, quod ex vtroque fundat venenum. Eademque habet Ælianus libro nono, capite vigeſimo tertio. Sed libro octauo, capite ſeptimo illud ex Nicandro auctore recolit: *Amphisbenæ* (inquit) *pellis bacillo circumiecta omnes ſerpentes pellit, & alia animalia, quæ etiamſi non momorderit, ſi tantum tetigerit, interficit.* *Amphisbena.*

EQ. Eſt equidem ſingulare hoc monſtrum tum forma, tum veneni præſentanei efficacia: ſed illud beſtię pręterea inditum eſt, vt præter reliquarum ſerpentium naturam frigus vincat, non torpeſcat ab illo; amat enim illud, atque præ ſerpentibus omnibus à cauerna emergit, etiam ingruente frigore, vtiturque vtroque capite, vtro ambulet, totum cum illo progreditur corpus circulari motu. Iſidorus lib. 12. c. 3. Olaus lib. 21. c. 28.

PH. Bicipitem hanc ſerpentem paucis eſſe conſpectam putarim; ideo eſſe Amphisbenæ duo capita negat Albertus, ſed ad duas vergere partes æquali motu, inde coniectatum, duo eſſe capita. Alb. anim. lib. 25. in Amphisbena. At alios eſſe bicipites ſerpentes, aliaque forma conſtat, & vtrumque caput vna ceruix colligat; id Ælianus habet lib. 17. capite quadrageſimo primo, ex Pamene auctore. Tradit enim bicipites eſſe, ac binis pedibus ad caudam in flumine Argade, quod ad Perſicum Pſittacen eſt.

EQ. Eſt vero inter hæc animantia admirabilius aliud quiddam, de quo Dio-

dorus Siculus meminerat, vt eſt apud Ramuſium Tomo 1. in ipſa enim Taprobana Inſula repit ſerpentis quoddam genus quadrangulari ferme forma, nec ad plenum rotunda, ſicut teſtudinibus teſtam eſſe videmus. Sunt huic animanti quatuor capita, eo ordine, vt aliud Orientem, Occidentem aliud, Meridiem & Septentrionem alia ſemper ſpectent. Quo ſe vnum gradiendo dirigit, eo reliquum corpus ſequitur, nulla corporis conuerſione: multipedum enim animal eſt, ac cuique capiti ſuus oculus. Mirandum autem eſt, quod illi indidit natura, vt veneno quidem careat, atque omnibus animantibus ſit maxime ſalutare: nam ſi cui ſint diuiſa diſſectaq; membra, eius ſanguine conſolidantur etiam in homine, vt eodem loco Diodorus tradit.

PH. Sed nunquid his generibus ſerpentum elici quidpiam poteſt ad myſterium pertinens?

Hypocrita optime Amphisbena comparatur.

TH. Poteſt: Amphisbenam iis compararim, qui ancipiti ſunt ſemper animo, neq; in fidei certa ratione conſtant, quiq; in corde ac corde loquuntur, vt 11. Pſalmus adnotat; deinde in vtramq; partem claudicant, ac modo Catholico viuunt ritu, modo hæretico, modo aliquem ſequuntur magiſtrum fidei, modo illo contempto, hæreticum quempiam ſibi proponunt ſequendum, quod Ecebolio viro Græco accidiſſe alias commemorauimus, quem ſæpe Catholicum, ſæpe hæreticum diximus ex Socrate libro tertio, capite vndecimo. Hoc igitur genus hominum non modo morſu reliquos inficit, verum etiam ſolo tactu, vt Amphisbena. At Taprobanæ Inſulæ animal, cui quatuor ſunt capita & oculi, hominem pium ſubindicat ad omnes virtutes amplexandas paratum iuſtitia, fortitudine, modeſtia, prudentia, in Deum ſemper toto niſu tendentem qualibet Orbis parte: tantum autem abeſt ab omni ſchiſmate diſſidiove, vt pro ſua virtute ſchiſmata conciliet, componat diſſidia, cum omnibus, quoad fieri poteſt, pacem ſeruans ſanguine, laboreq; ſuo diuiſa, diſſectaque membra conſolidans. Quæ ſimilitudo eo magis augetur ad myſterium, quod in ipſo animantis dorſo crucis ſignum rutilat: Diodorus enim ipſe conteſtatur duplices per omne dorſum duci lineas rubentes, alteram quidem è latere in latus, alteram eidem eſſe transuerſam, vnde crucis figura exprimitur.

Propterea aliud ſerpentis genus, quod cancri modo ſerpit, cui duo capita ſunt, alterum adeo amplum, vt toti corpori adæquetur, alterum vero pro portione corporis ſit, vt Ioſeph Ieſuita ſcribit ex Braſilia anno Domini 1560. optimum ſignificat futurum illum Principem, qui & conſilio & prudentia tanta polleat, vt ſubditos omnes ſuperet, dum publicam perſonam gerit: refert autem & aliam perſonam, qua ſibi ſoli caput eſt, vt rectis moribus ſibi congruat, & meditetur ſe eſſe vermiculum, vt Dauid dixit, & ſe vnum ex gente conſideret, etiamſi ſit rector populi, vt literæ ſacræ docent. *Poſuerunt & rectorem in populis, noli extolli, ſed eſto ſicut vnus ex illis.*

EQ. Appoſitæ equidem, at quod legimus præterea, aliquando ſerpentibus etiam plurima fuiſſe capita, ſeptemque vno ordine, veluti vna ceruice coniungi, ſicuti in prouincia Indica Malabar compertum eſſe auctores ſunt, qui præterea memorant, iis ſerpentibus alas quaſdam eſſe ex membranulis veſpertilionum more: corpus autem omne non eſſe longius bipedali menſura, vt tradit Nicolaus de Comitibus; nunquid autem hæc ſerpentum forma ad myſterium poterit aliqua ſimilitudine pertinere, ſicut de quadripartitis capitibus diſſeruimus?

TH. Huiuſmodi formę ad monſtrum pertinent, cum vni corpori tot ſunt capita,

pita, ob vafritiem, ac doloſitatem, quæ inde deprehenditur, deque ea reſunt ipſius ſacræ Scripturæ teſtimonia. Eccleſiaſtici cap. 2. *Væ duplici corde, & labiis ſceleſtis, & manibus malefacientibus, & peccatori ingredienti terram duabus viis.* Erunt igitur multo monſtroſiora animantia, quibus ſeptem extent capita: totidem etenim illi capitalia vitia dominantur; vt enim membra capiti ſeruiunt, ita homo peccatis. Ioan. 8. Capitalibus igitur ſeptem peccatis ſubeſſe hominem ſignat; huicque monſtro comparabitur, quisquis talis fuerit. At illud, cui crucis ſignum in dorſo eſt, cui indita eſt illa vis reſtituendi abſciſſa membra, ad pietatis myſterium ideo retulimus, quod diuinum opus ſit ſolidare disiecta: neq; alia vi, quam cœleſti id perfici poteſt: quod opportune hiſtoria quadam pia, quam alias occaſione alia cōmemorauimus, faciemus perſpicuum. Occiſo enim Bolislai Polonorum Regis iuſſu S. Stanislao Cracouienſi Epiſcopo, neq; ita conquieuiſſet efferatæ gentis rabies, in ſexcentas diuiſa ſunt partes membra, atq; in diuerſa loca procul abiecta: fecit tamen diuina clementia, vt à neceſſariis Epiſcopi collectæ vndecumq; partes funeris cauſa componerentur; repente nullo humano ſtudio aut arte, ſola autem diuina virtute redintegrato corpore, omnia reſtituta ſunt membra. Hæc igitur cum diuinam illam ſummam indicent vim, iure in illo animanti, quod diuiſa ſolidat membra, pium myſterium poſſumus interpretari: tametſi ipſum multorum ſit capitum. Scripſit hiſtoriam, quam de Stanislao retulimus hoc loco, atq; alias etiam commemorauimus, Ioannes Longinus Canonicus Cracouienſis in vita S. Stanislai, cap. 24. Surius Tom. 3. Præterea Ioannis Damaſceni manus à Tyranno abſciſſa, vt alias diximus, & in foro ſuſpenſa, ac poſtea priſtino loco reſtituta, atq; integrata, cum ſuperet omnem captum hominis, nonne ad diuinam vim referemus? Ergo iure illius animantis vis ad membra diuiſa conſolidanda, ad piam ſimilitudinem æquius eſt referenda: Sed de ea re hactenus.

EQ. Quoniam diximus ſeptem capitum animantia etiam membranulas alarum loco habere, opportunum eſt de ſerpentibus alatis agere.

PH. Reperiri alatos ſerpentes, & volare ſunt frequētia apud auctores teſtimonia. Ariſtoteles id habet anim. lib. 1. cap. 5. *Angues* (inquit) *circa Æthiopiam membranis volare narrantur.* Hæc ille. Cui accedit Strabo lib. 15. Alas autem veſpertilionum modo apud Seres in Palimbrota, eorumque volantium demiſſum lotium mortiferum eſſe iis, quos cōtigerit, memorat Ramuſius in ratiocinatione de Lambuli nauigatione Tomo 1. Sed veterum verba proſequemur. Mela lib. 3. cap. 4. ſic habet: *Non procul à Nilo, vbi Pygmæa gens viuit, multa ſerpentum genera, de quibus memorant, maxime quos paruos admodum, & veneni præſentis certo anni tempore ex limo concretarum paludum emergere in magno examine volantes Ægyptum tendere, atque in ipſo introitu finium ab auibus, quas Ibidas appellant, aduerſo agmine excipi, pugnasq; confici traditum eſt.* At Solinus cap. 34. *Quæcunque* (inquit) *Arabicæ paludes pennatorum anguium mittunt examina, quorum tam citum virus eſt, vt morſum ante mors, quam dolor ſequatur ſagacitate, qua ad hoc valent aues excitatæ, ſcilicet ibides in procinctu eunt vniuerſæ, & priusquam terminos patrios externū malum vaſtet, in aëre occurſant cateruis peſtilentib. ibi agmen deuorant vniuerſum.* Quibus plurimæ auctoritatis addo Ciceronem lib. 2. de natura Deorum diſertiſſime ita ſcribentem: *Ibides maximam vim ſerpentum conficiunt, cum ſint aues excelſæ rigidis cruribus, corneo, proceroq; roſtro, auertunt peſtem ab Ægypto, cum volucres angues ex vaſtitate Libyæ vento Africo inuentas interficiunt, atque conſumunt.* Hæc ille.

Serpentes alati.

 TH. Nec

TH. Nec id ſolum tradidere profani, verum & S. Doctores, inter quos præci-
puus S. Auguſtinus de Geneſi ad literam lib.3.cap.9. *Dracones* (inquit) *ſine pedibus,*
& in ſpeluncis requieſcere, & in aerem ſuſtolli perhibetur, qui quanquam non facile noti ſint,
literæ tamen non tantum noſtræ, ſed etiam gentilium nequaquam de iſtorum animantium
genere tacuerunt: ſed & lib.3.c.vlt. de ciuitat. Dei volaſſe ſerpentes teſtatur, quod &
Herodotus in Euterpe longe antea ſcripſerat, vt eo loco Viues in Scholio affirmat:
vt in auctorum numero iam fulta eſſe ſententia videatur. Pręterea recentiores, qui
orbem perluſtrarunt, tradunt monte, qui interiacet Narſingæ Regno & Malauar,
ſerpentes volare viſos, qui ſolo halitu lædant, ac ſolo conſpectu propemodum in-
terimant. Odoard. Barboſa apud Ramuſ. Tom.1.

EQ. Iam res in comperto eſt: Nam & Iouius in deſcribēdis locis ſolertiſſimus,
cum Nili ortum deſcriberet, etiam de huiuſmodi ſerpentibus meminit hiſtoria-
rum, lib.18. *Loca* (inquit) *inacceſſa homini, luſtra, cubiliaque ſunt ferarum & belluarum*
omnis generis: nam iubatis leonibus, pantheris, tigribus, vrſis, & apris ſcatens; campis autem,
qui radicibus ſubſunt, elephantum greges inerrant: aſſerunt quoque Gogiani Regni incolæ,
his in vallibus dracones gigni alatos, qui anſerinis pedibus gradatim humi ſerpant; repeririq;
camelopardalim, quam Giraffam noſtri appellant. Hæc ille. Sed & Ælianus non eſt prę-
termittendus è numero veterum, is enim lib.16. c.42. tradit alatas in India ſerpen-
tes noctu proficiſci, non interdiu; tum eas vrinam reddere, quæ id ſtatim corpus,
in quod defluxerit, putrefacit, vt Megaſthenes ſcripſit. Propterea Herodoto o-
mnium vetuſtiſſimo, qui valles extare eorum ſerpentum oſſibus oppletas, qui vo-
lantes ibidibus bellum inferunt, verum ſcripſiſſe aſſentiri poſſum; ſcripſit id ille lib.
2.c.2. Lucianus quoq; ſerpentum aereum, & volatile genus alis tenuibus, cartila-
gineisq; veſpertilionum modo in Libya naſci ſcripſit inacceſſibilemq; ob ea ani-
malia eſſe regionem. Lucian. in dipſadibus.

TH. Anſerinis pedibus viſas ſerpentes teſtatur etiam Plinius lib. 11. cap. 47.
quibus aliæ deformiores inuentæ ſunt, velut Thebanæ ſerpentes: eæ in pedibus
cornua habent, quod Ægyptii tradidere ſcriptores, & ex illis Ariſtoteles anim. lib.
2.cap.1.

EQ. Eſt certe hæc admiranda monſtroſitas; ſicut & in aliis multis: nam in ca-
pite velut galeam oſſeam ineſſe tortucæ memorat Albertus anim. lib.25. armato
deinde dorſo veluti perſimili teſta, quin & ventre quoq;. At quibusdam ſerpentib.
cornua eſſe tolerabilius eſt: non equidem vt lædant, ſicut ſunt feris, ſed vt fallant:
Ceraſtes enim ſerpens, vt tradit Solinus, cap.29. *profert quadrigemina cornicula, quorum*
oſtentatione, veluti eſca illita, ſolicitatas aues perimit: nam reliquū corpus de induſtria arenis
tegit, nec vllum indicium eſui præbet, niſi ex ea parte: qua inuitatis dolo paſtibus necem per-
petuam aucupetur. Hæc ille: qui quamquam quadrigemina cornicula dixit, non
tamen id omnibus ceraſtis contingit. Plinius lib. 8. cap. 23. *Ceraſtis enim ſcribit e-*
minere cornicula ſæpe quadrigemina, quorum motu reliquo corpore occultato, ſolicitat ad
ſe aues. Hæc ille: ſæpe enim non ſemper dixit; propterea etiam Ælianus id ſenſit
lib.1. cap.59. *Ceraſtes* (inquit) *ſerpens ferum animal colore album gemina ſupra frontem*
gerit cornua cochleæ cornibus ſimilia, Pſyllos Libycos ſtatim occidit. Eſſe autem in Orien-
te ſerpentes cornutas arietum modo, & iis homines occidere tradit Albert. anim.
lib.25. litera S.

PH. Sunt præterea monſtroſi ſerpentes in lingua: nam bifidas illis tradit Ari-
ſtoteles anim. lib.2. cap.17. *Serpentibus* (inquit) *ſumma eorum lingua bifida eſt, tenuiſ-*
ſimiſq;

ſimiq; quibusdam capillamētis diſcreta vibratur: Quin eiſdem etiam tripartitas eſſe Plinio videtur lib.11.c.37. & Iſidoro lib.12.c.3. quo exemplo impiorum vafrities falſiſſimæq; verborum expreſſiones longiſſime ab eo, quod intus in corde latet, ſignificantur: Eccleſiaſt.c.5. *Omnis enim (*inquit*) peccator probatur in duplici lingua.* Et Parab. c.8. *Os bilingua deteſtor.*

EQ. Et ad monſtri formam etiam pertinet, vt ſerpens ſit duplici cauda: nam Auſtrali quadam Inſula vltra æquinoctialem circulum ſtellionibus duas eſſe caudas tradit Americus Veſpucius apud Ramuſium Tomo 1. Et quod monſtroſius eſt, in nouo orbe animal eſt ſerpens, quod à Breſiliis Boiuningo nuncupatur, cui in cauda tintinnabulum natura impoſuit: ille igitur cum ad lædendum ſuum virus parat, tintinnabulo edit ſonum: immittitque venenum adeo præſentaneum, vt vbi hominem pupugerit, mox illi obſtupeant ſenſus omnes, ne videat, ne audiat: motuſque omnis ac greſſus adeo inhibeatur, vt horis 24. etiam expiret, id ſcribit Ioſeph Ieſuita ex Braſilia anno Domini 1560. Eadem refert Petr. Hiſpal. p.5.cap.16.

PH. Quod aliorum animantium rationem excedit in ſerpentibus eſt varium amplitudinis genus, aliquando enim ſunt omnium minimi, aliquando omnium maximi, breues aliquando, atque alii longiſſimi. De amplitudine auctores ſunt, qui fabuloſum putauerint ingentes quaſdam ſerpentes reperiri. Strabo enim lib.2. irridet Megaſthenem, quod ſcripſerit ſerpentes eſſe, qui boues aut ceruos deuorent. Attamen recentiores id à ſe compertum prodiderunt; nam Romæ D. Greg. Magn. Pontificatu duo acciderunt: primum equidem, vt ſerpentum incredibilis multitudo Tyberis exundatione deuehi viſa ſit: & in iis draco non minore amplitudine, quam trabes ſint, quibus domus fulciuntur: eamque tantam colluuiem ſerpentum deuectam in Mediterraneum fuiſſe, & ſalſas aquas, maritimoſque fluctus non ferentem extinctam, in littuſque repulſam etiam aerem infeciſſe, tetrumque odorem adeo ingentem emiſiſſe, vt inde lues profecta fuerit. Recolit id Ioannes Diaconus lib.1.c.36. de Gregorii vita: quod & illo vetuſtior tradidit Gregorius Turonenſis Gall.hiſt.10. c.1. quæ multitudo niſi pelago fuiſſet demerſa, forſitan Romanæ vrbis incolas abegiſſet; ſicut in Italia Amycla vrbs altera ſerpentum multitudine deleta eſt. Plin.lib.8.c.29. Sed & circa Theſſaliam niſi à ciconiis interimerentur, colonos migrare oporteret, vt tradit Ariſt. de admir.c.22. Quin etiam recētioribus temporibus incolas oppidi S. Viti in Gargano monte ſerpentum multitudo adegit alio migrare, vt memorat Leander.

Romæ peſtis propter ſerpentū multitudinem exorta.

TH. Vtrumque eſt admirandum in ſerpentibus, multitudo, atq; amplitudo: ad multitudinem coercendam non modo aduerſarias volucres natura cōdidit, verum alia aduerſaria quoque ſerpentum genera, vt mutuis bellis ſeſe conficerent: veluti obtigiſſe in pago Vraccarenſi apud Tornacum Segebertus tradit an. Dom. 1059. Viſi ſunt enim ceu duo ſerpentum exercitus, velut inſtructa acie, dimicare: vbi altera pars ſe deuictam animaduertit, qui ſuperfuerant à necibus ſerpentes pauci truncum arboris excauatum ſubiere, velut in tutum locum ſeſe recipientes. At amplitudo ſerpentum ſemper prodigioſa fuit, hominum perniciem, exitiumq; afferens: ſed variæ ſunt huiuſmodi amplitudines. Plin.lib.31. c. 2. Troglodytarum lacum ſcatere ſerpentibus albis vicenum cubitorum tradit: at Solinus c.55. ſcribit, in quibuſdam Inſulis Arabicis innominatis hydros marinos reperiri vicenum cubitorum longitudine. In ſinu quoque Perſico circa quatuor Inſulas ibi poſitas hydros

Serpentum pugna.

dros marinos vicenum cubitorum reperiri, & adnatantes terruiſſe claſſem teſtatur
Plin.lib.6.c.23. Hodie vero in Inſula Hiſpaniola orbis noui angues comperti ſunt,
viginti pedum longitudine, craſſitie etiam pro portione. Ouet.ſumm.cap.56. Pro-
pterea ſerpentes ad quatuor cubita longas, nõ eſt quod quisquam miretur, niſi ob
aliud forſitan, veluti Cteſias ſcribit: in Perſide cõperiſſe ſe tradit quatuor quidem
cubitorum, ſed capite albo, ac reliquo corpore nigro; vt Ælianus memorat lib. 16.
cap.41. Fuerit autem illa amplitudo digne commemoranda, quæ eſt apud Scyratas
Indiæ populos, qui naribus ſimi ſunt inuenti: ſerpentes enim ibi ſunt, qui armen-
ta rapiant & deuorent, ac præterea ſanguinem exſorbeant, vt Solinus ſcribit cap.22.
Æquali miraculo ſunt ſerpentes illi apedes, qui in Inſula Cuba noui orbis inuenti
ſunt palmari craſſitie, longitudine pedum triginta, ignauiſſimi omnium. Ouet.
hiſt.lib.17.c.6.

EQ. Adiicere poſſumus & de ſerpentibus in Malabar, qui ad ſex vsque cubi-
tos longi ſunt, absque pedibus, ipſo quidem viſu horrendi, ſed mites ſunt, nemi-
nemque lædunt: quin oblectantur puerorum conſpectu, ſponteque accedunt in
conſuetudinem hominum: caput illis eſt anguillis perſimile, dorſum vero profert
vultum hominis variis diſtinctum coloribus. Nicolaus de Comitib. Qui adii-
cit, alias quoque ibi ſerpentes quadrupedes eſſe amplitudine noſtrorum ca-
num, variis coloribus appictos: at quantus ſit homo grandes ſerpentes, lon-
gosque ad ſex cubitos paſſim eſſe in prouincia Mangi tradit Nicolaus de Co-
mitib.

PH. Magnos ſimul verſicolores, ſexdecimq; cubitorũ gigni in India teſtis eſt
Clearchus: alios quoq;, qui neq; ſpeciem, neq; formæ ſimilitudinem vllam aliorũ
ſerpentum gerant: quanquam illis multo magnitudine inferiores, colore tamen
vario, ac velut pigmentis diſtincto, etiam ferunt. Vittas enim à capite ad caudam
pertingentes habere, atque alias velut æreas, alias velut argenteas, nonnullas ru-
bras, aliquas velut aureas, atq; peſtifero morſu celerrime perimere recolit Ælianus
lib.17.cap.2.

EQ. Iſtis longe maiores repertos priſci tradiderunt. Mela enim lib. 1. cap. 6.
non longe à Propontide circa Rhyndacum flumen Olympo monti proximum
angues repertas ait adeo immanes; atque etiam admirabiles, quod vbi in alueum
eius æſtus, ſolemque fugerunt, emergunt, atq; hiant, ſuperuolantesq; aues, quam-
uis alte, perniciterq; ferantur, abſorbent: quod etiam ex Magaſthene affirmat Pli-
nius lib.8. cap.14.

PH Solinus vero cap.53. in India tradit in ſerpentibus tantam reperiri enor-
mitatem, vt ceruos, & reliqua animantia illis paria integra oris hiatu excipiant;
quin & Oceanum Indicum totum percurrunt, Inſulasque magno ſpacio à con-
tinenti ſeparatas pabulandi gratia petunt. Teſtatur præterea Plinius ex Mega-
ſthene ſolidos non modo ceruos, ſed tauros fuiſſe ab iisdem hauſtos. Hæc ille
lib.8. cap.14.

EQ. Iſtis accedunt, quos recenſet Ælianus lib.17.cap.1. In nauigatione enim
rubri maris Alexandri Magni relatu ſerpentes ab eo viſi ſunt longitudine quadra-
ginta cubitorum, & craſſitie pro portione longitudinis. Propterea iure poſſumus
Marco Polo fidem adhibere, qui in prouincia Carazam tradit eſſe ſerpentes bipe-
des longitudine paſſuum decem, craſſitudine vlnarum etiam decem: pedes illis
non in ventris imo, ſed capiti proximos, hiatum autem oris adeo patere, vt inte-
grum

grum hominem mox deuorent: eſſe autem horrendam vel ſolo aſpectu beluam: capi tamen hac induſtria, ſi pali terræ figantur, quorum ſumma capita ferreis, peracutisq; clauis ſint munita, & arena abdita, incautus igitur dum ſerpit, illis configitur, detineturque. Marcus Polus lib.2.c.40.

PH. Ita fit, vt etiam recentioribus fides adhiberi poſſit: ſcribit enim Aloyſius Cadamuſt. in regno Senega compertas ſerpentes, quæ capram deglutiant. Sed & Ioſeph Ieſuita ſcripſit ex Braſilia anno Domini 1560. adeo ibi ingentes ſe comperiſſe ſerpentes, non modo in continenti, ſed & mari, vt ſolidum ceruum, quin etiam maiora glutiant animantia, dentibus carere, longitudine autem atque craſſitie æquari poſſe ingenti nauis malo. Addit idem tapuram maximam dici ſerpentem voraciſſimam, quæ cum ſolidum aliquando animal glutierit, nec illud valeat aluo concoquere, ſemimortuam iacere vsque ad ipſius etiam alui putrefactionem, adeo, vt ſuperuenientes volucres & aluum, & quæ in ea computruerint, exedant. Euacuato igitur velut exenterato ventre (mirum) eius partis caro in priſtinam redit ſoliditatem, ac reſumptis cum incolumitate viribus, beſtia rurſum vagatur. Hæc ille.

EQ. Eadem quoq; fides præſtabitur Balthaſſarri Diaz, qui ſcripſit anno Domini 1556. in Malucco Inſula in ditione Ternatis Regis adeo ingentes viſas ſerpentes, quæ & capram, & ſuem deuorent, hominibus tamen eſſe innoxios, vt iam antea diximus: at de earum partu varia memorarunt tum Balthaſſar, tum Ioſeph iidem. Ex Malucco enim ſcribit ille, fluuiatiles eſſe ſerpentes ingentes quidem, at campeſtribus locis oua parere. At Ioſeph ex Braſilia ſcribens memorat, ſerpentes animantia parere, non oua, fœtusque ad 40. numerari: quin ſi cædatur parentis aluus, ipſaque necetur, fœtus nihilominus ipſos viuentes ſponte prodire in lucem.

PH. Hæc quidem omnia apud Indos inuenta: at noſtro Europæ cœlo non contemnenda quędam memorantur: ſcribit enim Olaus in Noruegia Septentrionali plaga ſerpentem viſum 200. pedes longum craſſumque, ad 40. annos, ſues, vitulosque vorantem. Hæc ille lib.21.cap.27. quo loco etiam addit, eſſe ſerpentis genus quoddam, quod ſeſe in circuli modum contorqueat, circularemque velut formam ſuo ex corpore conficiat, ac quinquaginta cubitorum longitudinem excedere omnium iudicio exiſtimatum. Aliam præterea ſerpentem, non adeo tamen ingentis magnitudinis, quæ curuato graditur corpore, circularemq; in formam ſe totam contorquens ſe ipſam vibret longius, ſpatiumque excedere pedum decem. Hæc ille lib.21.c.30. Sed de ſerpentibus hactenus.

EQ. De draconibus quæ feruntur, non ſunt prætermittenda: quæ quamquã videantur fidem excedere, ſcriptorum tamen auctoritas ſuadere videtur, vt fides præſtetur, ipſi enim Ariſtoteli credimus atteſtanti in Africa miram anguium eſſe magnitudinem, vt viſa ſint boum oſſa exeſa, quos angues ipſi peremiſſent: ac ſpectatores, qui tum in littus ex triremibus deſcenderent, perterrefactos ad triremes properaſſe: ſed inſequentibus anguibus etiam naufragium perpeſſos, quod illi triremem ſua vi euertiſſent, vt memorat anim.lib.8.cap.28. Certe ob hæc non fuerit nobis incredibile, quod de ingentibus draconibus auctores aliquot idonei tradiderunt: propterea à Strabone libet exordiri. Scribit is ex Poſſidonio lib.16. in Macra iuxta Iordanem viſum draconem longum nihilo minus iugero, altumq; adeo, vt equites duo hinc inde poſiti ſe mutuo conſpicere non poſſent: ſquammas eius *Dracones.*

non minore latitudine fuiſſe militaris ſcuti; oris eius hiatum equitantem homi-
nem admittere potuiſſe. Hactenus ex illo. Qui quanquam huiuſmodi frequenter
ſoleat irridere, tamen ſcriptorum numerus, & probata auctoritas non paruam
hiſce rebus aſtruet fidem, ipſoque iterum ad fidem vtemur auctore, libro enim 15.
fatetur in India dracones viſos, quorum alterius longitudo ad cubita octoginta
porrigeretur, alterius ad centum quadraginta, è qua dimenſione facile coniectari
poteſt craſſities, ac reliqua amplitudo: Eodem tamen libro irridet Arthemodum
ſcribentem compertum draconem ad trecenta cubita longum; ſed de draconibus
vbique prodita ſunt multa, neque ambigendum veris falſa permiſceri: promenda
ſunt igitur nobis pleraque.

Boa.

TH. Exordiar à vulgatiore, cui Boa nomen eſt, naſcitur in Italia, quo loco ob
cœli frigiditatem in enormem amplitudinem excreſcere nõ valet, vt apud Indos,
vbi cętera animantia magnitudine longe noſtra excedunt. Et tamen in Calabria
Boa in immenſam molem coaleſcit, captatq; greges bubulos, & quæ plurimo lacte
rigua bos eſt, eiùs ſe vberibus innectit, ſuctuq; continuo ſaginata longo ſeculo ita
funebri ſatietate vltimo extuberatur, vt obſiſtere magnitudini eius nulla vis queat;
poſtremo depopulatis animantibus, regiones, quas obſederit, ad vaſtitatem cogit.
Denique D. Claudio Principe in loco, vbi Vaticanus ager eſt, in aluo occiſæ Boæ
ſpectatus ſolidus infans. Plin. lib. 8. c. 14.

TH. Aſſentiri hiſce rebus facile quiſque poteſt: quanquam perraro in Italia
huiuſmodi beluæ adeo ingentes videantur: at aliis cœli climatibus maiores fuiſſe
narrantur. Nam S. Auguſtin. in Pſalm. 148. *Dracones* (inquit) *circa aquas verſantur,
de ſpecubus procedunt, feruntur in aera, concitatur propter eos aer: magna quædam ſunt a-
nimantia, imo maiora animantia non ſunt ſuper terram.* Hæc ille, qui ſenſiſſe videtur
etiam elephantorum magnitudinẽ dracones excedere. Verum audiamus etiam S.
Hieronymum, grauiſſimũ ſimul atq; doctiſſimum: ille etenim in vita S. Hilarionis
ſic habet: *Draco miræ magnitudinis, quos Boas vocant, eo quod tam grandes ſint, vt boues glu-
tire ſoleant, omnem late vaſtabat prouinciam Epidauri Dalmatiæ: non ſolum armenta, & pe-
cudes, ſed & agricolas quoque, atq; paſtores tractos ad ſe vi ſpiritus abſorbebat. Hilarion, ora-
tione præmiſſa, extingui & concremari iuſſit.* Hæc ex illo: Vnde pateat, quæ nullis ho-
minum viribus ſuperari beluæ poſſunt, ſolo crucis ſigno ab iis edito, qui rectam fi-
dem tenent, vinci & extingui.

EQ. Commemorat ad hæc Zonaras in Imperatore Baſiliſco, cui etiam ſub-
ſcribit Egnatius in Conſtantinopolitana Bibliotheca, in qua centum viginti mil-
lia librorum repoſita erant, fuiſſe draconis inteſtinum longum pedes centum vi-
ginti: cui aureis literis Homeri Poemata tam Ilias quam Odyſſæa inſcripta erant.
Huius & Malchus in eiuſdem Baſiliſci Imperatoris hiſtoria meminerat. Hæc ille.
Propterea Solino fides adhiberi poteſt, qui cap. 33. hæc habet: *In Æthiopia à meridia-
na parte mons editus mari imminet ingenito igni per æternum feruidus & inquietus, iugis
flagrantibus: inter quæ incendia iugis æſtus draconum magna copia eſt: porro draconibus ora
parua, & ad morſus non dehiſcentia, ſed arctæ fiſtulæ, per quas & trahunt ſpiritus, & linguas
exerunt: quippe non in dentibus vim, ſed in caudis habent, & verbere potius quam rictu nocent.*
Hæc ille noue certe; quandoquidem mirum eſt feruentibus locis gigni draco-
nes, quos, vt ex Auguſtino didicimus, aquis vicina loca inhabitare, frigidiſque ſpe-
cubus abdi conſtat, atque ita deprehendimus feruore quidem in immenſum auge-
ri dracones, ſed æſtus vitandi cauſa aut aquis mergi, aut antra ſubire: idque ni ſup-
petat,

petat, errare, vt ferarum ſanguinem frigidiorem ebibant. Plinius enim lib. 8. cap. 12. ſic tradit: *Elephantis ſcilicet frigidiſſimum eſſe ſanguinem, ob id æſtu torrente præcipue à draconibus expeti: quamobrem in amnes merſos inſidiari bibentibus, auremque infixo morſu arripere: ipſos autem dracones eſſe adeo ingentes ait, vt totum elephanti ſanguinem capiant: itaque elephanti ab illis ebibuntur, ſiccatique concidunt, ipſi vero dracones inebriati & oppreſſi etiam commoriuntur.* Hæc ab illo, qui eodem libro cap. 11. ſic de eadem re ait: *In India cum elephantis bellantur dracones perpetua diſcordia; tantæ autem magnitudinis ſunt, vt & ipſos circumflexu facili ambiant, nexuque nodi perſtringant: commoritur ea dimicatio, victusque corruens elephantus complexum elidit pondere:* at lib. 8. cap. 13. amplitudinem his verbis enarrat: *Gignuntur in Æthiopia dracones Indicis pares vicenum cubitorum: ferturque in maritimis eorum quaternos, quinosque inter ſe cratium modo implexos erectis capitibus, velificantes ad meliora pabula Arabiæ vehi fluctibus.* Hæc ex illo.

PH. Alii plura addunt draconum naturæ miracula: & in his præcipuus eſt Ælian. lib. 15. cap. 21. *Alexandro* (inquit) *apud Indos viſus eſt draco, qui cum exercitus ſtrepitum ſenſit, quod ſit animal tum audiendi, tum videndi acerrimo atque acutiſſimo ſenſu præditum, maximo ſibilo, & ſummo afflatu edito, omnes exterruit, & perturbauit; ſeptuaginta cubita longus eſſe exiſtimabatur, neque enim eis totus apparuit, ſed illius ſolum caput ex antro eminuit. Eius oculi ad clypei Macedonici magnitudinem exceſſiſſe videbantur; non occidit rogatus ab impiis ac ſuperſtitioſis ſacerdotibus.* Hæc Ælianus, qui & lib. 16. cap. 39. ſcribit: *Inquit Oneſicritus Aſtypalæus duos in India dracones fuiſſe, alterum ſex & quadraginta, alterum octoginta cubitorum, eosque Alexandrum ardenter videre expetiuiſſe. Regnante etiam Philadelpho, alii duo delati, quorum alter magnitudine quatuordecim, alter tredecim cubitorum. Euergetis etiam temporibus duos quoq; fuiſſe, vnum nouem, alterum ſeptem.* Hæc ille.

EQ. Iſta hæc amplitudo exigua eſt; nam Poſſidonius eſt teſtis prope Damaſcũ draconem inuentum, qui hominem equo ſedentem deuorarit, ſeſeq; vidiſſe teſtatur, fuiſſeq; longum pedes 240. id recolit Fulgoſ. lib. 1. c. 6. Quin & Diodorus ſcribit, Alexandriam vrbem draconem Ptolemæo II. fuiſſe perductum viuum lõgum cubitos 30. & eo amplius. Fulgoſ. lib. 1. *Equitem Draco deglutiuit.*

PH. Eſt ad hæc addendum illud inſigne de draconibus monumentum, quod Aulus Gellius memorat lib. 6. cap. 3. in hæc verba: *Tubero in hiſtoriis ſcriptum reliquit, bello primo Punico Attilium Regulum Conſulem in Africa caſtris apud Bagradum flumen poſitis, prælium grande, atque acre feciſſe aduerſus vnum ſerpentem in illis locis ſtabulantem inuſitatæ immanitatis; eumque magna totius exercitus conflictatione, baliſtis, atque catapultis diu oppugnatum, eiusque interfecti longum corium pedes centum & viginti Romam miſiſſe.*

TH. Narrauit eadem ante illum Plinius lib. 8. cap. 14. Sed neuter rem omnem prodidit, ſicut Oroſium lib. 4. cap. 8. explicatius enarraſſe comperimus, cuius verba libet recolere, ſic enim ille: *Regulus* (inquit) *bellum Carthaginenſe ſortitus, iter cum exercitu faciens haud procul à flumine Bagrada caſtra conſtituit, vnde cum plurimos militum aquandi neceſſitate deſcendentes ad flumen ſerpens miræ magnitudinis deuoraret, Regulus ad expugnandam beſtiam cum exercitu profectus eſt; ſed cum nihil in eius tergo proficientibus iaculis, & omnium telorum irritu impetu, quæ per horrendam ſquammarum cratem, quaſi per obliquam ſcutorum teſtudinem, labebantur; mirumq; in modum ne corpus læderent, ipſo corpore pellebantur: inſuper magnam multitudinem morſu communi & impetu*

proteri, halitu etiam peſtifero etiam exhalari viderent, baliſtas deferri iuſſit, per quas molare
ſaxum ſpinæ eius incuſſum compagem totius corporis ſoluit; nam ſerpens conſtitit, & ſquam-
mis inſtructus, & à qualibet parte corporis ictus, non niſi ex ſpina ſolueretur, per quam coſta-
rum motus, & pedes, ac totum corpus agebantur: vnde etiam hic ſerpens, qui tamdiu tot ia
culis inuulnerabilis obſtitit, ad vnius ictum ſaxi debilis ceſſit: ac mox circumuenta te-
lis facile beſtia oppreſſa eſt. Corium autem eius Romam deductum, quod fuiſſe 220. pe-
dum ſpatio ferunt, & aliquamdiu cunctis miraculo fuit. Hæc Oroſius. Sed de draco-
nibus ſat, ſuperque.

Crocodili. *EQ.* Non fuerit importunũ orationem ad crocodilos conuertere: nam & ipſi
ſunt naturæ ingens miraculum, & cum ampliſſimi ſint, ſæpe tamen tanta eorum
multitudo comperta eſt, vt incolæ vrbibus fuerint pulſi, alioque migrare coacti
fuerint: id accidit vrbi in Africa, cui Manflor nomen eſt. Leonius p.8.

PH. Præcipuos crocodilos habet Ganges Indiæ fluuius: ibi enim duo genera
procreantur, quorum alterum innoxium, alterum inexorabili, atque immiſeri-
cordi voragine voraciſſimum eſt cuiusuis carnis: & in eorum roſtro quiddam, tan-
quam cornu eminet: iis ipſis adminiſtris ad vlciſcendos maleficos turpiſſimis in-
diciis conuictos Indi vtuntur, vt Ælianus ſcribit libro duodecimo, capite trigeſi-
mo octauo. Crocodilos autem ſolo viſu oua fouere quidam teſtati ſunt: pulli au-
tem excluſi quandoque à parentibus aufugere: ſed parentes ob id eos non eſſe in-
genuos animaduertentes inſequuntur, captosq; deuorant. Vinc. natur. lib. 30. c. 91.
Eſt autem crocodilis inditum, vt catulos experimento internoſcant, ſpurium ſci-
licet à legitimo: nam ſimul atq; aliquis excluſus eſt, aliquid rapuerit, in reliquum
tempus in crocodili generis numero, locoque à parentibus ducitur: ſin ignauia
eum ipſum tardauerit ad comprehendendum aliunde aut muſcas, aut lacertulas,
eum parens tanquam à ſe degenerantem, nihilq; ad ſe pertinentem lacerat, atque,
tanquam ad ſolis radios aquilæ ingenuitatem experiuntur, ſic crocodili celeri ala-
critate prædam capiendi ſuos probant. Hæc Ælian. lib. 9. cap. 3. Sed Plin. ſic habet:
Crocodilum habet Nilus quadrupes malum, & terra pariter, ac flumine infeſtum: vnum hoc
animal terreſtre linguæ vſu caret: verum ſuperiore mobili maxilla imprimit morſum: nec a-
liud animal ex minori origine in maiorem creſcit magnitudinem, magnitudo excedit plerum-
que duodeuiginti cubita. Hæc ille lib. 8. c. 25.

PH. Maiorem amplitudinem ſcripſit Philarchus: viſum enim fuiſſe tradit vi-
ginti quinque cubitorum ſub Pſammatico Rege Ægypti; alium ſex & viginti cu-
bita ſub Amaſide etiam Rege. Ælianus lib. 17. cap. 6. Recentior autem Leonius
ſcriptor Africanus p.9. tradit, iuxta Nilum ſe conſpexiſſe plura crocodilorum ca-
pita adeo ingentia, vt hiatu vaccam commode glutiiſſent. Mirum hoc animal,
quantum ſit homini infeſſum, ſcribit enim Phiſiologus, & ex eo Vincentius natur.
lib. 17. cap. 606. inſidiari homini, atque depaſci corpus omne: at caput ob oſ-
ſis craſſitudinem non edere: verum cum perſentiat ſubeſſe medullam, nouit
ſuarum lachrymarum vim, qua etiam oſſa diſcindantur: propterea lachrymas in
humanum caput effundit, quorum vi disiecto oſſe, medullam quoque cerebri
depaſcitur.

EQ. Non ex miſericordia illę lachrymæ, ſed ab immaniſſima crudelitate, pro-
pterea inde iure datus eſt locus Prouerbio, vt cum miſereri ſe ſimulat crudelis quiſ-
piam, *crocodili lachrymæ* eius eſſe dicantur.

PH. Quidquid in crocodilo eſt, pernicioſum experimur: nam vnguib. necat,
dentibus

dentibus conterit, lachrymis diſſipat etiam duriſſima oſſa; halitu autem ſoloque ore hianti hirundines ſuperuolantes deuorat, quarum multitudine refectus poſtea ad littus egreditur Solis radios intuens, vnicæ auiculæ Trochilo innoxius.

EQ. Innoxius ob acceptum beneficium: nam cum dentes carnibus repletos, quæ facile poſſunt putreſcere, auicula dormitanti ore hianti depurget, pro magno præmio ſæuiſſimum animal exiſtimat, ſi nihil eam lædat. Hoc ſane latronis officium eſt, vel Cicerone teſte, putare ſe beneficium contuliſſe, cum iniuria abſtinuerit. Eget autem illo trochili obſequio crocodilus: nam cum lingua ipſe careat, qua ad purgandos dentes cætera animantia vtuntur, iure trochili roſtro ad id munus eget, vt Herodotus memorat libro ſecundo, capite quinto. Plinius lib. 8. c. 25. Ælian. hiſt. natur. lib. 3. c. 11.

PH. Tyrannorum is mos eſt, innocentibus exprobrare ſalutem iure conceſſam. Hęc auicula trochilus auium in Italia appellatur regulus, vt Plinio videtur eodem c. 25. dignaturque crocodilo ſeruire: inuitat enim ad hiandum beſtiam hanc, os primum, deinde dentes, & intus fauces quoque repurgat, adeo vt dulcedine captus crocodilus ſomno prematur; idque ante Plinium ſcripſerat Ariſtoteles anim. lib. 9. c. 6. accedit & Solinus c. 34. *Trochilus.*

EQ. At vt obſequentem Tyrannus hic habet trochilum auem, ita animalculum, cui Ichneumon nomen eſt, quadrupedem velut perduellionem, hoſtemque inſidiatorem, aut, quod verius eſt, tyrannidis vindicem experitur. Cum etenim crocodilus voluptate purgantis trochili fuerit oppreſſus ſomno, ore adhuc hiante, ichneumon, quem alii enchydrum appellarunt, de quo alia occaſione egimus in quadrupedibus, os illius ingreſſus, in ipſa vſque viſcera decurrens penetrat, vbi ea corrodens etiam beſtiam exanimat; deindeque eroſa etiam aluo ſecurus egreditur, Strabo libro decimo ſeptimo, Solinus capite trigeſimo quarto, Plinius libro octauo, cap. 25. Euſeb. præparat. Euang. lib. 2. cap. primo. Ita fit, vt nunquam mali Principes tantis ſtipati obſequentium cateruis ſecuri ſint, quum & inſidiatores nuſquam deſint.

Sunt tamen auctores, qui ichneumonis nomine etiam hydram ſerpentem vocent, quæ etiam crocodili hiantis aluum ingreditur, viſcera arrodit & exilit. Alb. anim. libro vigeſimo quinto, litera I. ſed verius ichneumon muris ſpecies eſt, ipſo Cicerone teſte de natur. Deor. quod multis comprobauimus in quadrupedibus. Hydrum autem etiam Ichneumonem dixerunt, quod Ichneumonem imitetur in perimendo crocodilo.

PH. Quanquam autem voraciſſimum animal ſit crocodilus, mirum tamen eſt, quotannis illum ſexaginta diebus ſine vllo cibo in latibulis quieſcere: propterea longa illi vita annorum ſexaginta, vt Herodotus memorat libro 2. c. 5. & Plin. lib. 8. c. 25. Ælianus lib. 10. c. 22. cui illud accedit admirabilius, vt tota vita ſemper creſcat, Plinio teſte eodem c. 25. Nullum autem illi excrementorum egerendorum locum, quod longe eſt admirabilius, vt arborum naturam imitari videatur, memorat Ouet. hiſt. lib. 15. c. 6. *Crocodili ætas.*

TH. Vt autem hæc omnia commemoratione digna fuere, ita admirabilior fuerit hominis vis, qui cum ſit imbecillum animal, hoc ferociſſimum indocileque velut habenis frenoque domet equorum modo, vt terra marique illis inequitando inſideat. Strabo enim lib. 17. dicit, Tentirites Nili Inſulæ incolas crocodilos non aliter atque equos domare, inequitare, mareque ac flumina tranare illis inſidentes.

Quin cum aliquando crocodili Romam fuiſſent aduecti, etiam magiſtri eorum adfuere, iique eos Romæ in naumachia ſpectaculi gratia obequitarunt. Seneca autem natur. libro quarto, capite ſecundo: Tentirites, ait, crocodilos non generis aut ſanguinis proprietate ſuperare, ſed contemptu & temeritate: vltro enim inſequuntur, fugientesque iniecto laqueo trahunt, plerique pereunt, quibus minus præſens animus ad perſequendum fuit. Addit autem Plinius libro vigeſimo octauo, capite 3. Tentirites tanto eſſe crocodilis terrori, vt vocem quoque eorum fugiant: quin etiam libro octauo, cap. 25. Tentiritas tradit non ſolum crocodilorum dorſo equitantium modo inſidere, verùm etiam in os eorum clauam imponere dextra, ac læua tenentes extrema eius vtrimque, & vt frenis in continenti agitant captiuos, ac voce etiam ſola territos cogunt euomere recentia corpora ad ſepulturam. Itaque vni ei Inſulæ crocodili non adnatant, olfactuque eius generis hominum, vt Pſyllorum ſerpentes, fugantur. Solinus eadem capite 34. At Plinius tradit, Marcum Scaurum primum ſuæ ædilitatis ludis crocodilos oſtendiſſe: ita ille lib. 8. c. 26. At admirari mihi magis libet eorum, qui Chriſto conſtanter fidentes, eiusdem virtute crocodilos edomitos, & præcepto obedientes in traiiciendis fluminibus inequitarunt: id accedit Beato Pachomio Abbati; vt enim ille ambulauit ſuper ſcorpiones & ſerpentes ſemper illæſus, crocodilorum quoque opera vſus eſt in traiiciendis fluuiis, ii vero celerrime iubenti obſequuti memorantur. Habitauit autem Pachomius proxime Tentirites, eorumque Epiſcopi perfamiliaris fuit, quin apud illos lectoris eccleſiaſticum munus geſſit, Metaphr. 14. Maii apud Lipom. Tomo 6. Quin etiam Beatus Helenus tanta Dei gratia polluit, vt crocodilum obequitarit, & is euocatus ſemper aderat traiiciendo flumini, vt recenſum lego in eo opere, cui titulus, Vita SS. Patrum, de ſancto Heleno. Sed de crocodilis hactenus, reliqua Leonius in rebus Africanis.

EQ. Numquid lacerti ad crocodilos pertinent?

Lacerti. PH. Nihil cum illis commune præter extrinſecam quandam formæ ſimilitudinem, ſed tamen de illis quoque multa narrantur memoria digna. Ariſtoteles enim anim. libro octauo, capite vigeſimo octauo tradit, lacertos Arabicos ad duorum cubitorum magnitudinem accedere; quod etiam Ælianus ab ipſo mutuatus ſcripſit libro decimo ſexto, capite trigeſimo ſecundo. Propterea etiam memorabiles illi ſunt, quos Inſulæ Fortunatæ gignunt, præcipue vero Cambariæ: nam eſſe enormes, & maximum in numerum ibi viſas eſſe tradit Solinus capite quinquageſimo octauo. Sed has omnes excedunt, quorum meminit Plinius libro octauo, capite trigeſimo nono: *Lacerti* (inquit) *Arabiæ cubitales, in Indiæ vero Nyſa monte in longitudine pedum viginti quatuor ſunt colore fului, aut punicei, aut cærulei.* Hæc ille: ii ob tantam longitudinem, ſi ad crocodilos pertinerent, iam crocodili apparerent, ſed cum diuerſa ſint genera, lacertorum nomine nuncupati ſunt. Propterea in Inſula Magalante maris occidui cum lacerti corporea mole crocodilis æquentur, lacertorum tamen nomen gerunt, vt Petrus Martyr ſcripſit: cui rei accedit quoque, quod Ioſeph Ieſuita tradit ex Braſilia ſcribens ann. Domini 1560. Lacertos enim ibi eſſe ait tantæ amplitudinis, vt hominem glutiant, verſarique aquis & terra, eſſeque in delitiis apud incolas, perinde ac ſapidiſſima quæque caro eſt, quandoquidem moſchum redolent, præſertim teſtes. Hæc ille. Eſſe autem ad 24. pedes longos in India tradit Albertus, bifidasque eſſe lacertis linguas, & in lingua dentes habere: ita ille lib. 25. in lacertis.

TH. Hæc ad lacertorum amplitudinem pertinent, at de illis multa alia naturę narrantur miracula: facile enim amputata illis cauda renaſcitur, vt Ariſtoteles tradit animal. libro ſecundo, capite decimo ſeptimo. Sed quid miramur caudam renaſci? Illud captum hominis ſuperare videtur, quod ſi fortuito quis, ſeu etiam conſulto in caluaria lacertum percuſſerit, mediumque virga diſciderit, neutra partium moritur, ſed ſeorſum altera ab altera & graditur, & duobus adrepens pedibus viuit: dein ſi coitio vtriusque cum altera fiat, conſenſione quadam tacita, & naturali colligatione velut conſeruntur connectunturque, atque ex ſeparatis duabus partibus vnus atque idem rurſus efficitur lacertus. Et tametſi loci prius affecti veſtigium cicatrix indicet, tamen & vitam priſtinam retinet, & ei quoad cætera perſimilis eſt, qui talia nunquam perpeſſus ſit, ita fit vt diuiſa ſenſibilis anima, qua vtraque portio repebat, viuebatque, rurſum ad vnam animam reuertiſſe videatur. Ælian. lib. 2. c. 23.

EQ. Eſt certe hoc valde inſigne: at aliud eſt naturæ miraculum in animanti, quod in Arabia naſcitur, cui Dub nomen eſt, lacertisque perſimile; eſt equidem cubitali menſura: nunquam autem bibit, (vt alias de eo diſſeruimus) imo quolibet aquæ quamuis modicæ potu ſtatim emoritur; ipſum autem omni veneno caret, ſanguine quoque carere videtur, mirum, ſi occidatur, etiam poſt triduum, ſi igni applicetur, perinde mouetur, ac ſi viueret, cum ſit mortuum, neque vllus in illo vitalis ſpiritus perſeueret. Leonius p. 8.

Dub biben do moritur.

PH. Sunt & alia de lacertis miracula. Iorath enim, & ex illo Vincentius natur. libro vigeſimo, capite quinquageſimo quinto, ita habet: *Lacertæ* (inquit) *cum ſenuerint, obſcurantur oculi, & excæcantur, tunc contra Solem ad eius radios intendit, oculosque ſuos aliquandiu tempore matutino per foramen dirigit, quouſque redeat viſus eius, ac perfecte videat, vti prius.* Hæc ille, quæ Iſidorus illo vetuſtior ſcripſit libro duodecimo, capite tertio. Albertus anim. libro vigeſimo quinto. Nec videtur hoc incredibile, quandoquidem oculis ſerpentum laceratis ſubnaſci alios, ſicuti amputata cauda alia renaſcitur, iam compertum eſt: hirundinum enim etiam ea vis eſt, vt pullis obcæcatis viſus reſtituatur, propterea etiam ſerpentibus id commune eſſe poſſe aſſentiri poſſumus ex Ariſtotele animal. libro ſecundo, capite decimo ſeptimo. Plinius libro decimo, capite trigeſimo ſecundo. Qui non omnibus id tribuit ſerpentibus: ſolis enim ſerpentum catulis putat id accidere, vt eruti oculi renaſcantur. Albertus animal. lib. 25. c. 1.

EQ. Lacertæ quoque nulla eſt memoria: ideo non incubat, oblita quidem in uo loco ſit enixa: per ſe enim erumpunt catuli. Plinius libro decimo, capite ſexaeſimo quinto. Propterea perſæpe irriſi permutationem lacertarum, vt maluerint rere memoria, id eſt, theſauro rerum perſpectarum, vt alia membra conſequentur, hoc eſt, duplicem caudam, linguamque bifidam ac piloſam, vt tradit Plinius libro decimo, capite trigeſimo ſeptimo. Vincent. natur. lib. 20. cap. 55. Facit ea bilis memoria lacertarum, vt res fixius admirantes ſpectent: pulchritudinem igir hominis, cuius amantiſſimæ ſunt, fixo intuitu contemplantur, neque facile initum declinant, dum licet proſpectare, id non eget teſtibus, perſpectiſſima enim s eſt. Sed de lacertis ſatis.

Lacerta obliuioſa.

PH. Agamus de chamæleonte: eſt enim lacertis ſimilimum animal; eſt illud æterea lacertæ magnitudine, niſi quod crura habet excelſa & recta, eſtque monum inſigne. Eminet illi roſtrum ſimile ſuillo, cauda prælonga in tenuitatem deſinens,

Chamæleon ſolo aere viuit.

ſinens,& implicans ſe viperinis orbibus:eſt illi motus tardior,vt teſtudini,aſperum
corpus, vt crocodilo, habet oculos corpori concolores,numquam eos operit. So-
lus animalium nec cibo, nec potu alitur,nec alio, quam aeris alimento. Latet hye-
me, vt lacerta. Plin.lib.8.cap.33. quod ante illum tradidit Ariſtoteles anim. libro 8.
cap. vndecimo, quo loco hoc adiicit naturæ miraculum: *Mutat* (inquit) *colorem*
ſuum inflatus adeo magnum in modum,vt oculi quoque ipſi immutentur,fiantque reliquo cor-
pori concolores, cauda quoque ipſa eiusdem fiat coloris. Cui etiam Solinus accedit cap.32.
Adiicit autem Plinius lib. 8. c.33. reddere quippe eum quæcumque proxime attin-
gat,præter rubrum & candidum.

EQ. Chamæleon igitur adulatorum refert naturam, qui in omnium trans-
euntes ſententias, omnibus idem ſe velle, idemque nolle, cum ſimulent,omnium
colores videntur aſſumere, ſed rubrum candidumve nequaquam, quod in eorum
animis nulla ſit ſynceritas candorve,nullus ſit pudor, qui rubro ſignificatur. Pro-
pterea Andreas Alciatus,vt adulatorum perfidiam exprimeret,chamæleontem ef-
finxit hoc carmine:

Semper hiat,ſemper tenuem,qua veſcitur,auram
Reciprocat Chamæleon.
Et mutat faciem,varios ſumitque colores,
Præter rubrum & candidum.
Sic & adulator populari veſcitur aura,
Hiansque cuncta deuorat.
Et ſolum mores imitatur Principis atros,
Albi & pudici neſcius.

TH. Egregia ſane hæc eſt comparatio: nam adulator hiſtrionis perſonam ge-
rit,omnibus applaudens,omnium colores induit. Propterea Ælianus lib.2.cap.14.
hiſtrioni chamæleontem comparem facit his verbis: *Chamæleon animal non vno, at-*
que eodem colore ſpectatur, ſed & ſeſe furtim ſubducit, & videntium oculos velut perſtringit:
nam nigro colore ſi eum offendis, mutat ſe ipſe, & aliud coloris genus inſtituit, ac ſe cito in vi-
riditatem inuertit, & quaſi mutatione veſtium facta, alium rurſus albeſcentem colorem, tan-
quam aliam perſonam veſtemve, velut hiſtrio induit naturam ementitus.

EQ. Iure equidem hiſtrionis varias veſtiendi mutationes repræſentat chamæ-
leon. Nam etſi leni ſit corpore ac cute,perraram tamen quandam quaſi lanam,ſiue
lanuginem leuiſſimam gerit, ſed ea admirabili prædita eſt naturæ priuilegio: cum
enim ex ea lanugine redacta fila, contextaque telam quampiam effecerint, iniecta
in ignem non vritur,ignem omnium corruptorem ſuperans,vt ex Phiſiologo me-
morat Vincent.natur.lib.20.cap.58.

PH. Nec ob iſta ſola admirandus eſt chamæleon,ſed & ob alia non pauca. So-
linus enim cap.42. *Chamæleontem* (inquit) *corax ſi interficiat,victorem ſuum perimit in-*
teremptus chamæleon: nam ſi vel modicum ales ex eo ederit, ilico moritur. Sed corax habet
præſidium ad medelam, natura manum porrigente: nam cum afflictum ſe intelligit, ſumpta
fronde laurea,recuperat ſanitatem. quod & Plinius ſcripſit lib.8.c.27.

TH. Plura de chamæleonte feruntur ſuperſtitioſa à Græcis præcipue: nam
Democritus illud effutiit, ſi caput gutturque chamæleontis roboreis lignis incen-
dantur, imbrium tonitruumque facere concurſum, quod pari ſuperſtitione etiam
retulit Plinius libro 8. cap. 8. Fabuloſum vero illud etiam fuerit, quod idem De-
mocritus ſcripſit: tantam enim vim huic animanti ineſſe affirmat, vt accipitres

aues

aues rapidiſſimæ, ſi illo humi reptante ſuperuolent, detrahantur, & cadant in terram, ac ſponte ſe lacerandum tradere cæteris animantibus. Quis non animaduertat id eſſe fabuloſum? Nam & ipſe Plinius id quoque ſenſiſſe videtur eodem cap. 8. ſed apertius ea omnia damnat Aulus Gellius noct. Att. lib. 10. c. 12.

PH. Ego vim iſtam non eſſe tribuendam cenſeo chamæleonti, ſed ſicut accipitres ac corui facile ad conſpecta animalia ſeſe præcipites dant, ruuntque ad illa, ita ad chamæleontem quoque, quem ſi forte occiderint, aut partem ederint, pœnas luunt. Non fuit ea vis chamæleonti, vt illas aues ad ſe detrahat, tametſi hians ſuperuolantes eas conſpexerit, quæ res fabulæ cauſam dedit. Eſt autem illud compertiſſimum in hoc animanti, vt præ cæteris omnibus ſit pauidum, ideo irruente accipitre, & horreſcens, nihilque audens, iam inops conſilii certe lacerandum ſe hoſti permittit.

At in chamæleonte illud præ cæteris omnibus animantibus eſt, vt maiore ſit reſpiratione. Ea enim ſola viuit, aliturque: eſt enim pro portione corporis pulmo illi maximus, ac præterea nihil aliud intus, vt Plinius memorat lib. 11. cap. 37. vt ſic dici iure poſſit: *Chamæleon totus pulmo, vnde illi pauor incredibilis, & omnium colorum immutatio*, ex Plinii lib. 28. cap. 8.

EQ. Ferunt tamen, eius aliquando ſpectatam induſtriam ad ſerpentes perimendas, non pugna, aut viribus, ſed aſtu ex alto. Leonius enim rerum Africanarum ſcriptor memorat, ſibi compertum eſſe, chamæleontem Solis radios adeo perpetuo proſpectu ſequi, vt quoquo illi vertantur, ipſe quoque oculorum aciem vertat. Conſcendit ſæpe in arbores repens, ac cum venenatorum ſerpentum ſit infenſiſſimus hoſtis, virus in eorum necem à natura inditum ſecum gerit, ſaliuam ſcilicet. Serpens igitur ſi ſub arbore lateat, ita ſe componit in arbore chamæleon, vt ex ore emiſſam ſaliuam curet recta linea in caput ſerpentis deſcendere, non guttæ cadentis modo, ſed viſcoſitate velut prælongo filo, cuius ſolo contactu vti præſentaneo veneno ſerpens interimitur. Vtitur enim velut perpendiculo, vt recta ea ſaliua in ſerpentis caput dirigatur, pedesque ita componit, reliquumque corpus & oculos, vt rectam illum agnoſcere lineam animaduertas, id ſibi ſpectatum Leonius ſcribit p. 8. nunc ad alia. *Saliua chamæleontis ſerpens necatur.*

PH. De terreſtribus teſtudinibus plura dici poſſunt: nam & ipſæ vere ſerpentes ſunt, præter quod teſta prædura includuntur. Illæ igitur in primis oua pariunt centena auium ſimillima, oculisque fixis ſpectando ea fouent. Plin. lib. 9. c. 10. qui adiicit etiam excludi operta puluere. *Teſtudines.*

EQ. Oua non tantum centena, ſed quinquies centena comperta in vnius teſtudinis aluo, quantaque ſunt gallinacea, in orientalis oceani Inſula del Moro ſcripſit Balthaſar Diaz ex Malacca anno Domini 1556. Eaque non oculorum vi excludi aſſerit, ſed humi: defoſſa enim ad quatuor palmos profunda fouea, iniecta oua aggreſta terra operit, concaleſcentibus ſimul omnibus, vis naturæ animalem ſpiritum indit, atque ita excluduntur: ſed admirandum eſt de hoc animanti, quod tametſi ſtupidiſſimum ignauiſſimumque ſit, in re tamen medica eſt ſibi ſapientiſſimum; nam ſi veneno icta ſit teſtudo, herbam nouit, qua ſibi medendo veneni vim extinguit. Baſilius exem. hom. 9. Eſt autem admirabilius, quod Ælianus recolit lib. 4. c. 28. *Caput* (inquit) *teſtudinis abſciſſum non continuo moritur, ſed & videt, &, ſi ante oculos ei manus obuerſetur, eos claudit, & paulo etiam propius ſi manum admoueas, mordet, & diu habet oculos fulgentes, quorum pupillæ candidiſſimæ ac ſplendidiſſimæ cum exiſtant, eruun-*

ruuntur, vt vel auro includantur, vel monilibus imponantur. Hæc quidem Ælianus, ſed de
marina teſtudine.
TH. Sunt & forma & amplitudine teſtudines ſæpe inſignes. Plinius enim libr.
nono, c.10. tradit, apud Troglodytas eas eſſe cornigeras, ſicut in lyra, adnexis cor-
nibus latis, ſed mobilibus, quorum in natando remigio ſe adiuuant. De amplitudi-
ne vero, vt fides maior adhibeatur, plurimorum auctorum teſtimonia profere-
mus, primum velut vulgatius erit ex Æliano lib.17.c.3. *Nymphes* (inquit) *librorum,
quos de Ptolomæis ſcripſit, nono dicit, in Troglodytide teſtudinum tegumenta ea eſſe magnitu-
dine, vt ſex modios Atticos ſingula capiant.*
EQ. Maior fuerit amplitudo, quam Leonius rerum Africanarum p. 9. ex ve-
tuſtis annalibus recolit. In Libyæ ſcilicet deſertis terreſtres teſtudines adeo grandes
compertas, vt dolio compares ſint: narrat præterea, cum aliquando primo noctis
crepuſculo teſtudo quieſceret in ſe tota collecta, viator quidam acceſſerat, velut ad
terræ cumulum quendam, aut ad ſaxum, ſuper eam obdormiit; at poſt aliquot no-
ctis horas teſtudo locum mutatura ſeſe in viam dedit, ſomno oppreſſo viatore,
eumque nil ſentientem ad tria paſſuum millia transportauit non expergefactum,
ob illos lentos teſtudineos greſſus. Ramuſ. Tomo 1.
PH. Et veteres & recentiores nil ambigunt de teſtudinum amplitudine: ſunt
autem plures. Solinus cap. 54. iuxta Taprobanem teſtudines tanta magnitudine
eſſe teſtatur, vt earum teſtæ domum efficiant, & numeroſam familiam non arcte
recipiant: quod & Plinius habet lib.9. cap.10. *Tantæ* (inquit) *magnitudinis teſtudines
mare Indicum emittit, vt ſingulorum ſuperficies habitabiles caſas integant, atque inter Inſu-
las rubri præcipue maris his nauigent cymbis.* Quin & lib.6. cap.22. in Taprobane piſcari
maximas teſtudines, quarum ſuperficie familiæ habitantium contegantur, ſcripſit:
eo quoque libro capite 24. *In Carmaniæ* (inquit) *angulo ſunt Chelonephaſi teſtudinum
ſuperficie caſas tegentes, carne vero veſcentes.*
EQ. Adiicit Ælianus libro 12. capite 38. idem in Gange fluuio accidere, vt quæ
ibi naſcuntur teſtudines, maiores ſint, quam dolia noſtra amphorarum viginti;
quin & lib.16.c.12. *In mari* (inquit) *Indico teſtudinum tegumentum quindecim cubita lon-
gum, etiam ſeptem latum eſt.* Eodem quoque libro c.14. *Teſtudinis* (inquit) *Indicæ, &
fluuiatilis teſta non minor eſt, quam ſcapha vaſtæ magnitudinis, decem enim leguminum mo-
dios capit*; at libro 16.c.17. *In Taprobana* (inquit) *tecta domorum ex integumentis maxi-
marum teſtudinum, quæ in eo mari procreantur, vniuscuiusque ſuperficies integrum tectum
præſtare poteſt: nam ſingulæ teſtæ ad quindecim cubitorum magnitudinem procedunt, vt ſub
eis non pauci habitare queant. In Gange Indiæ flumine teſtudines naſcuntur, quarum teſta
non minori magnitudine eſt, quam dolium capax viginti amphorarum.* Hæc ab illo. Recen-
tiores igitur nihil fabuloſum prodiderunt, qui iis ſimilia comperta narrarunt: in
Inſula enim Cuba noui Orbis adeo eſſe grandes teſtudines ſcribunt, vt decem ho-
mines è mari vnicam nequeant educere, tegumentum excedere palmos ſex. Ouet.
ſum.c.8.& c.84. & hiſt.lib.13.c.9. Adiicit idem inter Inſulas Acranias, ſeu ſcorpio-
num compertam fuiſſe teſtudinem, cui vni inſiderent ſeptem viri, quos vna com-
mode ipſa quaſi plauſtrum ferret. Ouet. hiſt. lib.20.c.11. Sed hactenus de teſtudine.
PH. De venenis ſerpentum videtur agendum ſolertius, quandoquidem quæ
diximus plus æquo pauca fuere. Igitur hoc vnum animantium genus venenum à
natura habet inditum, eoque velut armis ad lædendum hoſtem vtitur, aſtu indu-
ſtriaque emittens, ſæpeque nullo remedio medicabile vulnus infert. Propterea de
acon-

acontia exordiemur, quæ & cherſydris dicitur, lædit interimitque non modo ſua virulentia, ſed ſolo tactu. Apollodorus enim in libro de Theriaca tradit, ſi quis eam imprudens conculcauerit, etiam non morſum cum morte vitam commutare, quod eius tactus quiddam omnino tabificum dicatur habere: quin & is, qui curare remediumque afferre morienti tentauerit, communicata tabe, ex ſola tactione puſtulas ſua in cute exorientes patietur. Ælian. lib. 8. c. 7. At vero alibi: *Hic* (inquit) *omni animantium generi inſidias molitur, cuius ea cautio in ſtruendis inſidiis: ſecundum vias ſe abdit, ſæpeque etiam correpens in arborem conſcendit, ſeque in orbem contorquens ac concludens, caputque in ſpiram occultans expectat prætereuntes, qui mox vt proximi ſunt, tacitus ex occulto irruit, ſeſeque iaculatur, ac morſu percutit, non modo homines, ſed & beſtiam quamlibet: valet adeo tum ſaltu, vt viginti cubitorum ſpatium tranſilire queat, protinusque ad ea, quæ ſaltu appetit, inhæreſcit.* Hæc Ælian. lib. 8. c. 13.

EQ. Horum ingenium referunt etiam ſerpentes, qui iaculi ob eam rem nuncupantur, ſubeunt ii arbores, propendentque ex abdito inter frondes, & quodcunque animal obuium fuerit, vi maxima turbinati penetrant, vt Solinus tradit cap. 29. Plin. lib. 8. c. 23. Ideo igitur dicti iaculi à iaculatione ſui. Ælian. lib. 6. cap. 17. Iſidor. lib. 12. cap. 3. Hodie etiam in Hiſpaniola noui Orbis Inſula comperti ſunt perexigui viridi colore ſerpentes, qui ſola cauda arborum ramis hærentes propendent reliquo corpore, ac ſine iaculatione ſui incautos prætereuntes deſuper mordent, ſuntque virulenti admodum Ouet. hiſt. lib. 12. c. 8.

PH. Contrarius huic eſt ſcythale ſerpens ignauiſſimus, qui cum tergi varietate præfulgeat, notarum gratia videntes retardat in admirationem ſui, ac quoniam reptando pigrior eſt, quos aſſequi nequit, miraculo ſui captat ſtupentes. Solinus cap. 29. Iſidor. lib. 12. cap. 3. Sed hoc, quod dicam, longe admirabilius fuerit, quam ſint iam dicta. Ariſtoxemus enim quodam loco ſcribit, virum, qui ſerpentem, cuius nomen adhuc incognitum eſt, interfeciſſet, nullo morſu ab eo affectum, ex ſolo tactu vitam amiſiſſe, illiusque veſtem, quam eo tempore, quo ſerpentem interimebat, geſtaret, non ita multo poſt computruiſſe. Ælian. lib. 8. c. 7.

Vir quidam ſolo ſerpentis tactu periit.

EQ. Scatent igitur naturæ miraculis ſerpentes præ cæteris omnibus animantibus: nam & illud eſt admirabile. In Meſopotamia enim Syriæ regione, & in Iſtronte exigui quidam ſerpentes naſcuntur, qui indigenas non mordeant, at in externos magnopere ſæuiant. Ariſtot. de admir. capite 145. ſed & capite 146. affirmat, iſtud ipſum circa Euphratem præſertim compertum eſſe: nam cum multi ſerpentes iuxta ripam fluminis conſpiciantur, & in vtramque fluuii partem transeant, in altera tantum fluminis ripa poſiti Syros dormientes non mordent, Græcis minime parcunt; cui aſſentitur Plinius libro octauo, capite quinquageſimo nono. Quædam inquiens animalia indigenis innoxia, aduenas interimere, ſicut ſerpentes parui in Tyrinthe, quos terra naſci proditur. Item in Syria angues circa Euphratis maxime ripas dormientes Syros non attingunt, aut etiam ſi calcati momordere, non ſentiuntur maleficia, aliis cuiuscunque gentis infeſti auide, & in cruciatu exanimantes, quamobrem Syri non necant eos. Hæc ille: vt diſcamus, etiam ſerpentibus ineſſe ingenium vimque diſcernendi nationes.

Serpentes quasdam nationes diſcernere nec lædere.

PH. Eſt certe ſerpentibus ingenium, quod ſæpe diximus, & poſtea quoq; opportune dicemus: nam quo acriore ſunt veneno, acriore quoque ſunt ingenio. Eſt vero inter cæteras omnes ſerpentes acri veneno dipſas, exigua quidem, & quæ ſæpe calcatur ab homine id non animaduertente, at in maximam ipſius calcantis

Dipſas ſerpens.

perniciem: quem enim momorderit,ille ſiti moritur;eius enim venenum ante ex-
tinguit, quam ſentiatur, nec imminentis mortis triſtitia afficitur : eſt autem eidem
nomen ſitula,vt Iſidorus tradit lib.12.cap.3. Sed cum ille paucioribus ſe expedierit,
recenſenda ſunt alterius vetuſtioris auctoris verba, qui omnia habet explicatius,is
eſt Lucianus in dipſadib us: *Omnium*(inquit)*quos arena nutrit ſerpentum, nocentiſſima*
eſt dipſas ſerpens non admodum magnus,viperæ ſimilis, violento ictu,veneno craſſo,dolores ili-
co inducens intolerabiles: ardores enim immittit inextinguibiles, & putredines, & totum
corpus adurit incendio. Et qui ab illa icti fuerint, clamant non ſecus atque illi, qui in ignem
coniecti ſunt: quod autem illos omnium vehementiſſime affligit, & torquet, illud eſt, nempe
cruciatus ſerpenti reſpondens cognomine. Eius enim morſum mox ſequitur bibendi ſitis inex-
plebilis, & vltra modum ſitiunt, & quod maxime admirandum eſt,quanto plus biberint,tan-
to magis potum expetunt; ac ſubinde magis atque magis potando creſcit bibendi deſiderium,
neque illorum ſitim extinxeris, tametſi totum Nilum aut Danubium epotandum præſtiteris,
verum irrigandi ſedulitate morbum incendis, quemadmodum ſi quis oleo ignem conetur ex-
tinguere. Eam vero incurabilis morbi cauſam adferre ſolent Medici, venenum dipſadis cum
craſſum eſſe conſueuit,poſteaquam potu rigatum fuerit,continuo mouetur, atque incenditur,
atque etiam humidius,vt par eſt,redditur,& per omnia membra diffunditur. Hæc ille.

EQ. Exigui ſerpentes alii præterea in Orbe nouo inuenti memorantur longi
ad octo pedes, ſanguineo colore,dum dies elucet, at nocturno tempore emicant i-
gniti carbonis modo; ſuntque admodum venenoſi. Ouet.ſumm. cap. 56. Sed quid
commemoramus paruas ſerpentes virulentas? nonne vipera exigua, & tamen o-
mnium peſtilentiſſima eſt? Ea eſt admirabilis coitu, admirabilior partu, ac longe
magis exhorreſcenda veneno. Complexum cum murena habet piſce: id memorat
Vipera. Baſilius exem. hom. 7. *Vipera* (inquit)*ſæuiſſimum omnium reptilium ad marinæ murenæ*
nuptias accurrit, & vbi ſibilo præſentiam ſuam indicauit, euocat ipſam ex alto ad nuptialem
complexum: hæc vero obedit, & cum venenum iaculante beſtia vnitur. Hæc ille. At Alber-
tus Magnus,viperam coire murenę,& venenum euomere,fabuloſum putat,anim
lib.28.in murena. Omnibus tamen hæc Baſilii ſententia probata eſt.

PH. Eſt admirabilior vipera in partu & conceptu, cum compari copulatur.
Plinius de conceptu habet lib.10.cap.62. At Æliani verba recenſebimus: *Vipera in*
coitu maſculi caput abſcindit, mala amoris ſignificatione: ſed ſic grauida facta,cum fœtus ex-
creuerint, matris aluum diſtrahunt, & lacerant, indeque egredientes quaſi patris vindices
ſunt. Hæc ille lib.1.c.25. quod & Iſidorus tradit lib.12.cap.3. adiiciens ex hac re fieri,
vt vterque pereat,maſculus in complexu,fœmina cum parit.

TH. Rem in controuerſiam verterem, niſi Diuus Baſilius egregius etiam
Philoſophus idipſum probaret exem. hom.9. Scribit enim, viperam enaſci, eroſa
matris aluo; quamobrem tametſi Ariſtoteles & Theophraſtus in hac re diſſen-
tiant, poſſunt ad vnam concordem trahi ſententiam, ſi vtriusque verba perpen-
dantur. Theophraſtus enim,vt ſcribit Ælianus lib.14.cap.16.ſic habet:*Viperæ catuli*
parentis vterum non exedunt,atque conficiunt,neque ſane, vt quiddam ludens dicam, foribus
effractis, obſtructum exitum perrumpunt, ſed fœmina vteri anguſtiis compulſa non parit, ſed
diſrumpitur. Hæc ille. At Ariſtoteles ita anim.lib.5.cap.34. *Vipera* (inquit)*è ſerpenti-*
bus vna animal edit, cum intra ſe oua primum pepererit, parit catulos obuolutos membranis,
quæ tertia die rumpuntur: euenit interdum, vt, qui in vtero adhuc ſunt, abroſis membranis,
prorumpant, ſingulos diebus ſingulis parit, pluresque quam viginti. Hæc ille. Cui & Plinius
accedit libro decimo, capite 62. *Viperæ, ait, filios poſteriores in naſcendo per impatien-*
tiam

tiam rodere, & ſingulos diebus ſingulis edi. Hæc ille. Cum igitur poſteriores fœtus ſint ſemper moræ impatientes, tantaque ſit temporis in pariendo diuturnitas, affirmare poſſumus, viperam ſemper partu perire: Diuus autem Chryſoſtomus in 3. cap. Matthæi homilia 12. & inter Sanctorum homilias in Matthæum homil. 3. apertis verbis viperam, vt in vitam iſtam veniat, aluum maternam erodere affirmat, myſterioq; id eſſe adnotat, cum gens peruerſa Sanctorum dogmata peroſa ſpirituales proſequitur ac necat.

PH. Nulla tanta eſt in quolibet animanti aſtutia, quæ non à compare vincatur, aut vino: virum enim fortem aut interficiet pari fortitudine vir, aut vino vincetur, quod Alexandro Magno accidit à nemine deuicto quam à vino: hoc quoq; accidit viperæ; quæ cum vini ſit appetens, vino captatur. Venatores enim vino fictilibus diſpoſito venantur: ebriæ enim capiuntur, ſicut reliquæ vini cupidæ ſerpentes. Ariſt. anim. lib. 8. c. 4.

Par aut pari, aut vino ſæpe ſuccũbit.

EQ. Iure equidem aſtus vini fit præda: cum vino etenim quiſquis luctatur, ſuccumbit. Plautus enim eleganter ſententiam tulit: *Vinum* (inquit) *doloſus luctator eſt: primum captat pedes.* At perſæpe venenum veneno diſcutitur; vinum enim aliquando venenum eſt: iure ergo viperæ venenum vincit, aut captiuam illam facit. Reuera viperæ vinum ſugunt, ſed illud reddunt veneno infectum, quandoquidem in illud prius venenum euomunt, poſtea venenatum bibunt. Quin ſi forte ipſa ſerpens auidius in vini vas irruerit, ibiq; demergatur, veneno infectum eſt vinum, vt memorat Albertus anim. libro vigeſimo quinto, capite primo. Ex quo potu contigit multos obiiſſe: quanquam ad Dei iudicium id etiam ſpectaſſe fateri cogamur. Ex vaſe etenim occiſi ii ſunt, qui Sanctum Charitonem in vrbe Iconio Lycaoniæ prouinciæ prædando & latrocinando in vincula coniecerant: eam iniuriam vlta eſt vipera, imo potius per viperam vltus eſt Deus. Illi enim ad prædas intenti agros, viasq; oberrantes obſidebant: interim dũ nefario labori incumbunt, domi dimiſſa lagena vino plena à vipera bibente venenata fuit. Illi domum defeſſi ac ſitibundi redeuntes ad lagenam accurrentes vitam efflarũt ob hauſtum vipereum venenum. Fecit ea res, vt liber à vinculis Charito latronum domum in Eccleſiam conuerterit. Metaphr. in vita S. Charitonis vigeſimo octauo Septemb. apud Surium Tom. 5. vt diſcant impii ac male viuentes, exiguum animal eſſe ſcelerum vindicem, quando Magiſtratus, quæ debent, iudicia in maleficos nõ ferant: At ipſa ſibi quoque vipera exitio ſæpe eſt, quandoquidem cum momorderit hominem, tanta ſiti æſtuat, vt quam celerrime ad conquirendam aquam procurrat, qua epota incolumis viuit: at ſi non inuenerit, illo ardore perimitur, vt memorat Chryſoſtomus inter Sanctorum homilias in Matthæum homil. 3. Quod myſterio habendum eſt, vt qui mortiferis peccatis obnoxii ſunt, aut Baptiſmi aquis purgentur, aut ſi baptizati ſint, aquas pœnitentiæ bibant, ſi neutrum agant, mortui prorſus ſunt.

PH. Eſt certe vipera exiguum animal in Europa, ac proximis regionibus. At Ælianus libro decimo ſeptimo, capite tertio, eſſe incredibilis magnitudinis tradit: Nymphes (inquit) librorum, quos ſcripſit de Ptolomæis, nono, viperas dicit in Troglodytide, ſi cum aliis conferantur, ingenti naſci magnitudine, decem & ſeptem cubitorum exiſtere: quod certe mea ſententia probari poteſt: nam & Strabo libro decimo quinto tradit viperas extitiſſe longas cubitos ſexdecim.

Hiæna hermophroditus eſt.

EQ. Sed quid de hyæna dicemus? nam vt inter quadrupedes,ita quoq; inter
ſerpentes hyænas eſſe legi. Eſt certe admirandum animal, idemque non ſemper
mas, neque ſemper fœmina: id iis verbis explicat Ælianus libro primo, capite vi-
geſimo ſexto. *Hiænam* (ait) *ſerpentem ſi videris nunc quidem marem, nunc quam mox vi-
debis fœminam: ſi vero nunc fœminam, poſtea marem, vtriusque enim ſexus particeps eſt.
Eundem marem, cui antea nupſerat, vxorem ducit, quotannis autem genitalia immutat.*
Hæc ille. Sed quoniam ſalacitatis tantæ cauſa eſt naturæ innatus nimius calor,aga-
mus de nimium frigidis.

Salamandra.

PH. Salamandra certe frigidiſſimum animal eſt, & admiranda de illa hæc Ari-
ſtoteles anim.lib.5.cap.19. *Salamandra* (inquit) *claro documento eſt, quæ, vt aiunt, per
ignem inambulans eum extinguit.* Et quanquam Dioſcorides lib. 2. capite quinquage-
ſimo ſexto, & Galenus libro tertio, de temp. capite quarto, contradicant, Pli-
nius tamen libro decimo, capite ſexageſimo ſeptimo, Ariſtoteli adhæret his ver-
bis: *Salamandra animal lacerti figura ſtellatum, nunquam niſi magnis imbribus proue-
niens, & ſerenitate deficiens. Huic tantus rigor, vt ignem tactu extinguat, non alio mo-
do quam glacies. Eiusdem ſanie, quæ lactea ore vomitur, quacumque parte corporis humani
contacta toti defluunt pili, quod contactum eſt, colorem in vitiliginem mutat.* Sed & capi-
te ſexageſimo octauo, *Salamandræ* (inquit) *nihil gignunt, neque eſt in illis genus ma-
ſculinum, fœmineumve, ſicut nec in anguillis.* Hæc ille: Eam igitur in igne viuere cum
Ariſtotele ac Plinio ſenſit etiam S. Auguſtinus de ciuitate Dei libro vigeſimo pri-
mo, cap. 4.

EQ. Eſt hoc profecto valde admirandum, at non minus illud, quod tradunt
cuiusdam rationis, intellectus, extimationisque veſtigium præſeferre. Plinius e-
nim libro vigeſimo nono, capite quarto, *inter omnia* (inquit) *venenata Salamandræ
ſcelus maximum eſt: cætera enim ſingulos feriunt, nec plures pariter interimunt: vt omit-
tam, quod perire conſcientia dicuntur homine percuſſo: neque amplius admitti ad terras.* Hęc
ille. Vnde egregium trahi exemplum poteſt, de homicidarum iuſta vindicta, vt iu-
re ab hominum conſuetudine profugi relegentur in exteras regiones, id initio or-
bis conditi accidit Caim fratricidæ. Egreſſus enim à facie Domini habitauit pro-
fugus in terra ad Orientalem plagam Eden, Geneſ.4. Ita in Salamandra inditum
naturæ hoc miraculum, vt læſi hominis ducta conſcientia vltro abeat in exilium
perpetuum.

PH. Sunt & alia Salamandræ miracula; populos enim improuidos ipſa necarę
poteſt. Nam ſi arbori irrepſit, omnia poma inficit veneno, & eos, qui ederint, ne-
cat frigida vi, nihil ab aconito diſtans: quin imo ſi contacto ab ea ligno, vel pede
cruſta panis incoquantur, idem veneficium eſt; vel ſi in puteum cadat, quippe cum
ſaliua eius quacunque parte corporis, vel in pede imo reſperſa, omnis in toto cor-
pore defluat pilus. Hæc Plin.lib.29.c.4. Iſidorus lib.12.c.3. Propterea in maiorem
admirationem huius animantis dixit Ælianus, eam contra ignem ire audere, & il-
lum etiam extinguere, aut ne accendatur, etiam contra fabrorum manticorum in-
flationem reluctari. Hæc ille lib.2.c.31.

Salamandra Sole ſerenitateq; moritur.

TH. Augentur miracula: nam cum ignem extinguat, non vratur, aut extin-
guatur ipſa, Solem tamen non patitur, quin ſerenitate moritur. Eſt equidem hoc
admirandum, feruidum, efficaciſſimumque calorem ab Salamandra extingui, te-
pentem vero, & lenem ferri non poſſe, cum tamen omnia Sole vegetentur, quæ
huius rei eſſe ratio poteſt?

PH. Ea

PH. Ea forſitan fuerit, quod cum imbribus ipſa gignatur ſummo frigiditatis gradu, ignem ſuperat, externa cute, ne viſcera patiantur, obſiſtente, humectatione frigidiore vim ſuam ſubminiſtrante. At Sole, ſerenitateque ſuccedente, humoris, frigidiq; vis remittitur: vitaliaque ob eam cauſam debilitantur, præcipue vero cor, cui & Solis & ſiccitatis vis, vim minuunt frigidam, vnde Salamandra viuit: breui igitur deficit potius Sole interiora exſiccante, quam igne, cuius eſt adurere primum exteriora: ſed cum aduſtio frigido humore vincatur, interficere nequit Salamandra.

Propterea nocturno tempore hilariores ſunt, canuntq; perinde ac ranæ in nouo orbe in Inſula Cumana. Petr.Hiſp.p.5.c.15.

EQ. Legi quaſdam ſerpentes & cæcas naſci, & permanere: nunquid eſt id verum?

PH. Id ita eſt, eamque ob rem ei nomen cæcula, quod paruum ſit animal abſque oculis, vt Iſidorus tradit lib. duodecimo, capite tertio. Eius egregium eſt miraculum, quod cum vterus intumuerit ob fœtuum multitudinem, non parit: ſed vterus disruptus dehiſcit; egeſtis autem fœtibus, aluus rurſum coaleſcit. Plinius libro nono, capite quinquageſimo primo. Quod contra diximus in vipera oculatiſſimo ſerpente. Sunt autem & alii ſerpentes, & quidem ingentes, quibus aluus dehiſcit maturis fœtibus, hique erumpunt, reddita poſtea matre incolumi, reſtitutoque ventre: edique ad quadraginta fœtus in modum recolit Ioſeph Ieſuita ſcribens ex Braſilia anno Domini 1560. quod antea diximus. Propterea adiicit adeo innumeram eſſe ſerpentum in ea regione multitudinem, vt obſideant vias, diſcriminoſumque ſit illac iter facere.

TH. Felix igitur regio Europæ ſub benigno certa cœlo conſtituta, quæ raros patitur ſerpentes: ſed feliciſſimi ii, qui Ebuſum inter Baleares Inſulas incolunt, vbi nullus ſerpens eſt, quin cuius terra alio illata eos fugat. Solinus id habet capite vigeſimo quinto. Confirmantur autem ex Melæ verbis libro ſecundo capite quinto. Inſulam Colubrariam tradit inhabitabilem, quod ſcateat multo, ac malefico ſerpentum genere; attamen (inquit) ingreſſis eam intra id ſpatium, quod Ebuſitana humo circumſignauerunt, ſine pernitie & tuta eſt ab eiſdem illis ſerpentibus, qui ſolent obuios appetere, aſpectum eius pulueris procul etiam cum pauore fugientibus. Felix etiam Athanatos Britanniæ proxima Inſula, nullo enim ſerpitur angue, atque apportata inde terra quoquo gentium inuecta ſit, agues necat. Alb. animal.lib.25.cap.1. Solinus cap.24. qui etiam cap.31. adiicit, Gaulam Inſulam ſerpentes non habere, neque naſci ibi, aut inuectos viuere poſſe. Propterea iactum quouis gentium puluerem arcere angues, ſcorpiones ſuperiactum illico perimere. Felix quoque Laponia Aquilonaris regio illa, quam antea ſerpentibus carere diximus.

EQ. Ad idem argumentum ſpectat, quod ſerpentes Libyci in Creta ſtatim moriuntur, & tacto Cretenſi puluere, etiam alibi deficiunt. Ideo præſtigiatores, vt mira facere videantur, in ipſa Creta Libycam terram ſubſternunt ſerpentibus: ſed ſi excedant huiusmodi terram ſubſtratam, tactu alienæ moriuntur. Hæc Ælianus lib.5.cap.2.

TH. Quod valde admiror, illud eſt, quod legi apud Ieſephum Ieſuitam ſcribentem ex Braſilia anno Domini 1560. aliquorum ſerpentum morſus geminatos minus obeſſe quam vnicos: vt ſic nouo quodā felicitatis genere ſint expetendi ſecundi

Venenum veneno medetur.

cundi

cundi ſerpentum morſus, quum primum iam ſentientes timeamus: ſcribit igitur ille ſerpentis quoddam genus eſſe, cuius ictu homo horis 24. interimatur, at ſi contigerit non mori, ſi poſtea iterato ab eodem ſerpente mordeatur, nihil læditur, quę fuerit eius rei ratio?

PH Quod ab aſſuetis non fiat paſſio: primum venenum, quod hominem nō interemit, iam effecit corpus ſolidius, & aſſuetum veneno illi, à quo poſtea velut familiari lædi ſecundo non poſſit.

EQ. Eſt ergo & illud admirandum, quod anguis calamo, aut arundine ſemel percuſſus moriatur: at iterum percuſſus cōfirmatur in vita, id tradidit S. Hieronymus, aut, ſi is non eſt, æque antiquus auctor fuerit tom. 9. Epiſt. 29. de cereo Paſchali ſub finem: ſed & in regulis monachorum Hieronymianorum eodem tom. 9. de laude religionis idem habetur: quod etiam Petr. Hiſp. memorat p. 2. c. 34. Sed eius rei, quæ ratio adſcribi poteſt? vt vulnus vulneri ſit medela?

PH. Fuerit perdifficile id ratione aſſequi, coniicere tamen aliqua parte licet. Vulnus vulneri medela eſſe certe non poteſt, ſed potius maioris mali incremētum. Hac tamen in re eſt animaduertendum, arundinis percuſſione priore anguem in iram accendi, atque ideo virus per corpus omne diffundi ex nimio furoris motu: propterea etiam percuſſa pars, iam læſa per virulentiam affecta mortem affert: at ſi ſecundo percutiatur, iam refrigeſcente corpore, excitatur alius purior & frigidior in anguis ſanguine motus, in quo non eſt vlla veneni materia, qua etiam per omne corpus diffuſa, venenum extenuatur, etiam illa in parte, quæ percuſſa eſt, vnde paulatim deficiente vi veneni, incolumitas ſuccedat neceſſe eſt: prima enim læſio ideo mortifera, quia veneno infecta, ſecunda vero ſalutaris, quia veneni vim extenuat. Sicut enim viperæ morſibus vipera ipſa mortua pro remedio eſt, & ſcorpius ipſe ſcorpii morſibus: ita effuſo veneno anguis per omne corpus percuſſione prima, erit ipſius anguis noua illa indignatio, & materiæ motus ob ſecundam percuſſionem ſibi ipſi ſalutaris. Quæ omnia ita accipienda ſunt, niſi percuſſio ſit aliquo ferreo aut lapideo, perſimiliue inſtrumento: nam nimia illa vis, & primus ictus iam moribundum reddit anguem, & ſecundus inauget, acceleratque mortem. Leuiſſimus igitur vt primus ictus arundinis hæc, quæ diximus, efficit: & ſecundus non diſſimilis eſſe debet: propterea admirabile eſt valde illud, quod de murena tradunt: quæ ſi fuſte percuſſa ſit, non moritur: at ſi ferula, quæ leuiſſima eſt, percutiatur, protinus interimitur. Plin. lib. 32. c. 2. Iſidorus, & ex illo Vinc. natur. lib. 17. c. 71. Sed id forte ob eam cauſam eſt, quod ictu ferulæ leuiſſimo excitatur audacia, inflammaturq; animus murenæ: nam fele ob indignationem excitato, & virulentiam per corpus effundente, læſa pars infecta etiam ipſam necat: at in fuſtis grauiore percuſſione animus, & audacia murenæ tota opprimitur à magno metu abſorpta: vnde non excitata eſt in ipſa vlla virulenta indignatio: ſed ob metū nimium tota refrigerata eſt, oppreſſa vi felis, obſtructisque omnibus ob metus rigorem, ac frigus partibus; percuſſa pars non inficitur, propterea abſcedente metu, recuperatoq; naturali calore, illius virtute læſa pars, cum non ſit infecta, ſanatur: cum in ictu ferulæ læſa pars iam ob virulentiam infecta ſolo naturali calore non poſſit expurgari adeo breui. Hæc ex coniecturis, ſed re vera affirmari non poſſunt.

EQ. Nox ingruit, redeundum eſt igitur in ædes.

PISCES

PISCES.

COLLOQVIVM NONVM.

EQVES.

HOdierna dies nobis tranſigenda eſt iuxta viuarium; ſunt enim in eo celebratiſſimi piſces. Non eſt anguſta piſcina; patet enim ouata eius forma vniuerſo ambitu pedes fere mille, vndique variis marmoribus, mutuliſque circumducta. Supereminet ei etiam egregie concamerata porticus, vnde & proſpectentur cicures quidam piſces, & æſtus euitetur, dum colloquimur.

PH. Admirandum ſane hoc eſt, animal ſcilicet piſcem, adeo ab humana natura alienum & loco, & rebus omnibus diſſitum ac remotum affici poſſe erga hominem, vt docile cicurq; fiat, vt vocatum veniat, & de manu etiam cibum ſumat; cum cętera animantia erga hominem ex conuictu afficiantur. *Piſcis.*

TH. Eſt equidem piſcis alienum ab hominum quolibet commercio animal, aquas ſemper innatans aeris velut expers. Attamen primum omnium animãtium ante hominem, ante aues & quadrupedes creatum eſt. Gen.1. Propterea ſacris literis maiora circa piſces myſteria comperta ſunt, quam circa aliqua animantia. Ac, quod maxime memorabile eſt, nunquam maledicto ſubiecta fuere aquatilia omnia. Sanctus enim Auguſtinus de mirabilibus Scripturæ id apertiſſimis verbis tradidit lib.1.cap.4. *Vniuerſa* (inquit) *quæ in aquis viuere poſſunt, diluuii plaga non tetigit, quæ terrena tantum mortificauit.* Hæc ille: adiicitque eius rei rationem; dixerat enim diuinum Oraculum: *Maledicta terra in opere tuo*, &c. Qua in re (inquit) notandum, ipſa animalia, quæ maledictam terram manducauerunt, expertia maledictionis eſſe non poſſe, præſertim cum terra cum ſuis animalibus maledicta erat.

EQ. Quomodo autem maledicta terra non etiam aquæ maledictæ ſunt, cum ipſæ terræ viſceribus contineantur, & terram ambiant? ac propterea etiam piſces maledicto ſubiecti ſint, cum & ipſi terram comedant?

TH. Huic quæſtioni eodem capite reſpondet Auguſtinus: Quare Deus etiam aquis in Adæ maledicto non maledixit? Facillime reſpondetur, quod non aquam contra interdictum Domini bibit, ſed de terrę fructu homo comedit. Exceptis iis quoq; rationibus, aquis à maledicto Adæ Deus pepercit, quoniam per aquam diluere illam maledictionem parauerat, quod in diluuio eſt factum, & nunc per Baptiſmum intelligitur. Nam in aqua & ſpiritu cuncta humana corporalia crimina ſimul & ſpiritualia purgãtur. Aquatilia enim maledicto vindictæ non ſuccumbunt, quia in maledictionis participatione non ſunt; ac per hoc & Dominus cum mortis humanæ maledictum reſurgendo depoſuerat, non terreſtrium, ſed aquatilium carnem animalium comedebat, cum ad confirmationem reſurrectionis coram diſcipulis piſcis aſſi partem, & fauum mellis accipiens manducauit. Auguſtinus igitur vt quæſtionem abſoluit, ita etiam adiicit cenſeri hoc ipſum & de illis piſcibus, qui etiam in terra verſantur; quoniam eorum victus præcipuus in aqua ſit. Ipſa quoque Scripturæ verba idipſum indicant, aquatilia ſcilicet maledicto Adæ non fuiſſe damnata. Geneſ. enim cap.7. *Conſumpta* (inquit) *eſt omnis caro, quæ mouebatur ſuper terram volucrum animantium, beſtiarum, omniumque reptilium, quæ reptant ſuper terram: vniuerſi homines, & cuncta, in quibus ſpiraculum vitæ eſt in terra, mortua*

ſunt: & deleuit Deus omnem ſubſtantiam, quæ erat ſuper terram ab homine vſque ad pecus, tam reptile, quam volucres cæli, & deleta ſunt de terra. Hæc ibi. Vt igitur piſces diluuio non fuere interempti, ſed proprio loco ſeruati, ita quoque maledicto non fuerant ſubiecti, ſicut neque aqua, quam inhabitabant. Si enim aquis terra, & quæ in terra degunt, deleta ſunt, aquæ ipſæ deleri dignæ non habebantur, per quas cæteræ delerentur. Huic igitur priuilegio acceſſit aliud in aduentu Chriſti magno quoque myſterio, vt qui primi ad Apoſtolatum euocarentur, ex aquis & arte piſcium ad hominum procurandam in terra ſalutem accerſerentur, vt qui piſcium primum fuiſſent, poſtea hominum fierent piſcatores: & per aquam Baptiſmatis ipſi, & per ipſos alii expiarentur.

PH. Elegans ſane, & albo lapillo adnotanda ratiocinatio: ideo optarim edoceri, cur ſacris literis, cum de piſcibus agitur, myſteria magna eluceant? nunquam tamen in ſacrificium oblati memorentur?

TH. Si à maledicto immune animal piſcis fuit ſimul cum aquis, quas inhabitat, neque deleri neque offerri illum oportuit: ſanguinem enim profundere piſcem ad expiationem, vt cætera animantia, legibus ceremonialibus neque inſtitutum eſt, neque neceſſarium videbatur: cætera enim omnia ſub maledicto animantia, ſi munda eſſent, offerri ad expiationem peccati hominis oportuit in eam criminis ſignificationem, quæ animanti congruebat, piſcem maledicto carentem non oportuit. Propterea vbicunque ſacris literis de piſcibus actum eſt, ingentia latent myſteria: exordiemur à piſce Tobiæ iunioris, quando è Regis Medorum vrbe rediens pedes loturus in Tigridis fluminis ora immanem piſcem, qui ſe voraturus videretur, obuium habuit. Angeli enim conſilio cum occidiſſet, cor, fel, & iecur eius ſeruauit ad plurima rerum humanarum remedia. Tob. cap. 6. Exuſto enim corde, è carbonibus fumo exhalante, dæmones domo expulſi ſunt. Felle vero obliti oculi Tobiæ patris videndi vim priſtinam receperunt: vt ita cuiq; perſpicuum fiat, piſcem illum Chriſtum Dominum portendiſſe, cuius Paſſione & dæmones ab orbe pulſi ſint, & humano generi reſtituta mentis illuſtratione, per gratiam cæcitatem fuiſſe ſublatam.

EQ. At Ionæ piſcis myſterium numquid huic eſt comparandum?

PH. Ego equidem ita cenſeo, quod ingens in illo conſpiciam miraculum, quo deuoretur homo nihil læſus, poſt triduum in littus reddatur incolumis: vt Ionæ c. 2. continetur. Quod autem ea in re myſterium contineatur, nihil vltra nobis expetendum eſt. Eſt nobis interpres veritas ipſa Chriſtus, cum dixit: *Vt in cæti ventre triduo ſeruatus eſt Ionas, ita ſe quoque tertia die à morte ſurrecturum.*

TH. In hoc Ionæ piſce non vnum tantum eſt miraculum, ſed plura, quæ beatiſſimus Ioannes Chryſoſtomus paucis verbis ediſſerit in Epiſtola ad Coloſſenſes homil. 5. tomo 4. circa finem: *Quomodo* (inquit) *beſtia Ionam in ventre habuit, & tamen illum non perdidit, non rationis expers eſt? non temere mouetur? quomodo perpercit iuſto? Quomodo illum calore ſuo non ſuffocauit? quomodo non corrupit? Si enim in profundo duntaxat eſſe inexplicabile eſt, in viſceribus eſſe, & calore illo multo inexplicabilius eſt. Si aerem illic reſpiramus, quomodo ſuffecit duobus animantibus reſpiratio? quomodo vero illum euomuit illæſum? quomodo etiam loquebatur? quomodo apud ſeipſum erat, & precabatur? Iſta itaque incredibilia ſunt, & ſuſpecta, ſi ratione ea diſcuſſerimus, ſi vero fide, vehementer certa ſunt, & firma.* Hæc ille: qui vt miracula ſingula adnumeret, etiam alibi tradit, cæte, tametſi Ionam vorauerit, Ionæ deſeruiſſe. Ipſe enim ſuper

Pſalm.

Pſal.96.tom.1. *Cæte*(inquit)*vt omnia cætera animantia homini ſeruit commiſerando: Ionæ enim ſeruiuit cæte, neq; enim eum traxit, quo voluit, nec de eo egit, quod ſolet huiusmodi animal de reliquis voratis agere, ſed ſeruiuit & reduxit vt ſubiugalis.* Hæc ille.

Ad alia igitur myſteria piſces in Scripturis cõmemorati ſunt, vt ipſi etiam Deo, per quem creati ſunt, ſeruiant; quod contigit in multiplicatione illa duorum piſcium. Matth. 15. & in captura piſcium, quibus rumpebatur rete in ſtagno Genezareth, quando nauicula præ nimio pondere pene mergebatur. Luc. 5. & quando in alia expiſcatione numerati ſunt centum quinquaginta tres magni piſces: iis enim exemplis magna Euangelicæ prædicationis fœcunditas myſterio ſignata eſt, qua fidelium numerus maximum in modum inaugendus erat, vt ita veri Dei cultores piſcibus comparati viderentur. Illud autem præ cæteris inſignius eſt, quando in vrbe Capharnaum Dominus iuſſit Petro, vt miſſo in mari hamo, piſcẽ expiſcaretur, è cuius ore pecuniam inuentam Publicanis perſolueret. Matth. 17. quo exemplo indicaſſe videtur Chriſtus, ſe quidem vere pauperem, quod ita vellet; diuitiasq; Eccleſiæ in promptu eſſe, cum ipſe iubeat; vt ita fidelium oblationibus, velut piſcibus offerentibus, qui præſunt, humanæ vitæ ponderibus ſubleuentur, & humana ſuperent impedimenta.

EQ. Hæc ſunt à Scripturis exempla deſumpta: ſed quid dicendum, cum profanis hiſtoriis quædam fortunarum exempla è piſcibus ſubminiſtrantur, erunt ne ad diuinum conſilium referenda? Erit exordium à Policrate Samiorum Tyranno: qui cum omnium votorum ſemper fuiſſet compos, fortuna ſibi ſemper & vbique arridente, vt vel inuita fortuna aliquid triſte experiretur, pretioſiſſimum, cæterisq; rebus omnibus gratiorem annulum vltro in mare abiecit: ſed voratus à piſce eſt, qui etiam captus effecit, vt Tyranno annulus forte fortuna fuerit reſtitutus, vt ita, etiamſi Policrates vellet, mœſtus eſſe non poſſet, niſi cum numen felicitati finem tandem imponendum ſtatuiſſet. Diuino enim conſilio actum memorant, vt ab Oronte Darii Regis Præfecto crucis ſupplicio in ſummo Mycalenſis montis vertice tandem mulctaretur: id vbi accidit, certe omnes ſecundi euentus vno caſu compenſari viſi ſunt: nam putres eius artus, & tabido cruore manantia membra vrbs Samia amara ſeruitute aliquamdiu preſſa liberis ac lætis oculis aſpexit: Valer. Max. lib. 6. Sane is piſcis Dei miniſter fuiſſe mea ſententia videtur, qui Policratem admonuerit, reſtituto annulo, aduerſam fortunam homini non eſſe quærendam, ſed aduenientem fortiter eſſe perferendam.

TH. Recte equidem: nam & in Sanctorum hiſtoriis compertum eſt, piſces quædam reddidiſſe, vnde hominum paci ac quieti conſultum fuit, & velut diuino iudicio edocti homines reſipuere. Maurilius enim Andegauenſis Epiſcopus, dum expectatur, donec Miſſale ſacrificium peragat, interim, quem baptizaturus erat, vita defunctum comperit, ſuæque id negligentiæ imputans vsque adeo doluit, vt relicta Eccleſia, nauim conſcendens clam effugeret. Forte ſanctuarii claues ſecum tulerat, quibus de manu in mare elapſis, exiſtimauit eo indicio ſe prorſus Epiſcopatu indignum, atq; inde iam propoſuit numquam ſe in ſedem ſuam reuerſurum, niſi inuentas quis ad ſe retuliſſet claues. Tranſmiſſo mari, veſte ſeculari indutus cuidam principi viro operam ſeruilem locauit olitor eius factus: ſeptennio ſic peracto, à clericis inuentus, & cognitus nolebat cum illis redire propter clauium illarũ caſum: ipſi ergo quas Epiſcopus requirebat, claues in medium proferunt, eas autem in itinere capto piſce, & exenterato inuenerant. Itaque iam manifeſtæ Dei

voluntati contradicere non auſim cum alacritate ſecum reducunt, quem paulo ante earundem clauium argumento in mari periiſſe ſuſpicati fuerant. Marul. lib. 4. Eborenſ. de pœnit. Fortunatus in vita Sancti Maurilii apud Surium Tomo 5. Septembri.

EQ. Vt hic Epiſcopus ad priſtinum rediit munus piſce occaſionem præbente, ita inuenti quoque ethnici ſunt, qui ad Chriſti fidem perſimili exemplo properarint, id à Sophronio recolemus in prat. ſpir. c. 185. Gentilis enim quidam in Nibi vrbe Chriſtianæ mulieri copulatus pecuniam fœneraturus piæ vxori credens pauperibus Chriſti omnem erogauit, velut apud nummularios, qui centuplum reddituri eſſent. Lapſo tempore, cum nihil reciperet, iam non parum de re ſua cepit conqueri apud vxorem, illa hominem deliniebat, Chriſtumq; pro omnibus tandem erogata & compenſaturum & multiplicaturum affirmabat: at non ita hominis cupiditas extinguebatur. Tandem itaq; empto ad obſonium piſce, inuenta in illo eſt maxime gemma pretii, quæ ſexies & eo amplius pecuniam pauperibus erogatam ſuperabat; ille tanto miraculo admonitus effectus eſt Chriſtianus, Deo perpetuas gratias agens.

PH. Iſta certe fuere memorabilia à piſcibus ſuſcepta beneficia, propterea ſæpe cicures piſces facti ſunt, vel vt proſint piis viris, vel vt aliquorum ſtultitiam perſpicuam facerent: aut, quod verius eſt, vt nullius mentis animal homini beneuolentiam quandam, velut Domino oſtenderet.

PH. Cicures piſces, ac qui velut mutuam cum homine beneuolentiam præſetulerint, humanas imitati amicitias, perplures inuenti ſunt: in ipſis etenim Cæſaris piſcinis genera piſcium ad nomen veniebant, quidam etiam ſinguli. Plin. lib. 10. cap. 70.

EQ. Ælianus hiſt. lib. 8. c. 4. de cicuribus piſcibus eleganti ſtylo narrat: *Piſces* (inquit) *ad hominum conſuetudinem manſueſcunt, & cum appellantur, intelligunt; & è manu largientium cibos capiunt, vt murena Craſſi Romani omnium prædicatione celebrata, ſic in auribus & gemmis diſtincto monili, tanquam ſane eximia formæ pulchritudine puella ornabatur, & appellantis vocem Craſſi agnoſcebat, atq; ad eum adnatabat: cumq; ei quidpiam porrigebat, gaudio exiliens prompto & parato animo accipiebat. Hanc ille mortuam fleuit vberius, atq; honore ſepulturæ affecit. At enim cum aliquando aſpere & acerbe Domitius in hunc dixiſſet: Stulte, Craſſe, murenam fleuiſti mortuam, ad hæc reſpondens Craſſus: Equidem (inquit) de beſtiæ morte fleui, tu vero nullum nec ex trium quidem vxorum interitu, quas ad ſepulturam dediſti, luctum percepiſti.*

Luctus Craſſi ob defunctam murenam.

PH. Paulo aliter, niſi forte alia ſunt, narrat Plin. lib. 9. c. 55. *Apud Baulos* (inquit) *in parte Baiana piſcinam habuit Hortenſius Orator, in qua murenam adeo dilexit, vt exanimatam fleſſe credatur. In eadem villa Antonia Druſi murenæ, quam diligebat, inaures addidit, cuius propter famam nonnulli Baulos videre concupiuerunt:* Hæc ille, nihil de Craſſo memor. Verum Macrobii verba Æliano magis conſentiunt, maluit enim à Macrobio quam à Plinio deſumere, ſic igitur Macrob. lib. 3. c. 15. *Craſſus* (inquit) *vir Cenſorius cum Cn. Domitio Cenſor fuit, cum ſupra cæteros diſertus haberetur, eſſetq; inter clariſſimos ciues Princeps, tamen murenam in piſcina domus ſuæ mortuam audiens tanquam filiam luxit; neq; id obſcurum fuit: quippe collega Domitius in Senatu hoc ei quaſi deforme crimen obiecit, neq; id confiteri Craſſus erubuit, ſed vltro etiam, ſi Diis placet, gloriatus eſt Cenſor piâ, affectuoſamque rem feciſſe ſe iactans:* Hæc ille, vt ita multorum ſtultitiam murenæ indicarint Hortenſii, Craſſi & Antoniæ, ſimul & ſuperſtitionem.

EQ. Su-

EQ. Superant murenas delphini: nullum enim prorſus animalium apud auctores beneuolentius erga hominem ſe geſſiſſe inuentum conſtat, vt hoc regium certe animal: afficitur etenim erga hominem perinde ac alter homo; & ne fabuloſam de Arione citharœdo narrationem promere videamur, erunt nobis auctores eruditionis & fidei non contemnendæ. Eſt igitur delphinus Muſices amantiſſimus, vt hoc ſeculo noſtro Olaus Magnus Archiepiſcopus memorat lib.20.c.12. ſe ſe oculis ſpectaſſe, pulſante quodam è naui citharam, ſimulque etiam canente, accurriſſe perplures delphinos, ſtetiſſeque ad horæ interuallum auditores immobiles, adiicitque, ſeſe tum animaduertiſſe, non fuiſſe eos diſceſſuros, niſi ęquoris procella fluctusque, qui iam inualeſcere cœperant, eos fremitu abegiſſent. Ita deprehendere licet, inde natam Arionis fabulam, cui ſi quid veri fuit, mendacia dein plurima acceſſere: vt autem homini eſt ipſa natura beneuolum animal delphinus, ita ex euentu fit illi acerrimus hoſtis. Nouit is olfactu hominem, qui ex delphini carne guſtarit, vbi id deprehendit, illum deuorat. Albertus Magnus id tradit animal.lib.24.in delphinis.

PH. Vbi hæc ceſſat hoſtilitas, admiranda eſt eius cum homine familiaritas: recolemus aliqua ex Plinio lib.9.cap.8. Delphini (inquit) nomen Simonis omnes miro modo agnoſcunt, maluntque ita appellari. Delphinus non homini tantum amicum animal, verum etiam muſicæ arti, mulcetur ſymphoniæ cantu, hominem non expaueſcit, vt alienum, obuiam nauigiis venit, alludit exultans, certat etiam, & quamuis plena præterit vela. Diuo Auguſto Principe, Lucrinum lacum inuectus pauperis cuiusdam puerum ex Baiano Puteolos in ludum literarium itantem cum meridiano immorans appellatum eum Simonis nomine ſæpius fragmentis panis, quem ob id ferebat, allexiſſet, miro amore dilexit. Pigeret referre, ni res Mecœnatis, & Flauiani, & Flauii Alfii, multorumque eſſet literis mandata. Quocumque diei tempore inclamatus à puero, quamuis occultus atque abditus, ex imo aduolabat, paſtusq; è manu præbebat, aſcenſuro dorſum pinnæ aculeos velut vagina condens, receptumque Puteolos per magnum æquor in ludum ferebat, ſimili modo reuehens pluribus annis, donec morbo extincto puero, ſubinde ad conſuetum locum ventitans triſtis, & mœrenti ſimilis, ipſe quoque (quod nemo dubitaret) deſiderio expirauit. Alius inter hos annos in Africo littore Hipponis Diarrhyti ſimili modo ex hominum manibus veſcens, præbensque ſe tractandum, & alludens natantibus, impoſitosque portans vnguento perunctus à Flauiano Proconſule Africæ, & ſopitus (vt apparuit) odoris nouitate, fluctuatusque ſimilis exanimi, caruit hominum conuerſatione, vt iniuria fugatus per aliquot menſes, mox reuerſus in eodem miraculo fuit. Ante hæc ſimilia de puero in Iaſſo vrbe memorantur, cuius amore ſpectatus longo tempore dum abeuntem in littus auide ſequitur, in arenam inuectus expirauit. In eadem vrbe Iaſſo Egeſidemus ſcribit, & alium puerum Hermiam nomine ſimiliter maria perequitantem cum repentinæ procellæ fluctibus exanimatus eſſet, relatum, delphinumque cauſam lethi fatentem non reuerſum in maria, atque in ſicco expiraſſe. Hoc idem & Naupacti accidiſſe Theophraſtus tradit. Eadem Amphilochi & Tarentini de pueris delphinisque narrant. Hæc ille. Cui accedit & Albertus Magnus anim.lib.24.in delphinis. Ariſtoteles quoque eadem ante omnes tradidit anim. lib. 9. cap. 48. niſi is forte ſit, quem Plinius citauit ſub Theophraſti nomine. At Hipponenſem, cuius antea meminimus, hiſtoriam explicatius pleniusque recolit iunior Plinius Epiſtolarum lib. 8. ad Caninium, vbi

Delphinus.

cum illuſtrius ab illo multa narrentur, iure nobis recolenda ſunt. Eſt (inquit) in Africa Hipponenſis Colonia mari proxima. Puer ibi quidam audentior cæteris natandi peritia in vlteriora maris tendebat. Delphinus aliquando incurrit, & nunc præcedere puerum, nunc ſequi, nunc circumire, poſtremo ſubire, deponere, iterum ſubire, trepidantemque perferre primum in altum, mox flectit ad littus, redditque terræ. Serpit per Coloniam fama, concurrere omnes, ipſum puerum tamquam miraculum aſpicere, interrogare, audire, narrare, reſpondere: poſtero die obſident littus, proſpectant mare, natant pueri, inter hos ille, ſed cautius. Delphinus rurſus ad tempus, rurſum ad puerum fugit, venit puer, fugit ille cum cæteris delphinis, quaſi inuitet, & reuocet: exiliunt, mergitur, variosque orbes implicat, expeditque hoc altero die, hoc tertio, hoc pluribus, donec homines innutritos mari ſubiret timendi pudor, accedunt, & alludunt, & appellant, tangunt etiam, pertractantque præbentem: creſcit audacia, & experimento maxime. Puer, qui primus expertus eſt, adnatanti inſilit; ergo fertur referturque. Pueri quoque dextra læuaque ſimul eunt, hortantes monentesque ne timeat, id quoque mirum. Delphinus alius tantum ſpectator & comes: nihil enim ſimile aut faciebat, aut patiebatur, ſed alterum illum ducebat reducebatque, vt puerum cæteri pueri. Delphinus igitur geſtator, colluſorque puerorum in terram extrahi ſolitus, arenaque exſiccatus vbi incaluiſſet, in mare reuoluebatur, placuit tandem ipſum occulte interfici. Hæc Plinius iunior.

EQ. Sed vnde coniicere licebit, id delphino magis ineſſe amoris ſtudium erga hominem, quam cæteris animantibus, cum aquatile ſit animal, & ideo frigidius?

Delphini ætas.

PH. Ineſt delphino vigor naturæ maximus, ideoque feruentius amat, quo innatus color eſt maior: viuit enim Ariſtotele teſte ad annos 110. vt recolit Vincent. hiſtor. natur. lib. 17. capite 109. quin aliquando etiam 140. vt ex libris de naturis rerum idem Vincentius tradit eodem libro 17. cap. 110. Propterea quæ de eius amoribus tradita ſunt, non dubitarim affirmare, accidere iis, qui iam adoleuerint, adaucto calore, & velut longo rerum vſu. Quę autem narrauimus, vt aliis quoque auctoribus confirmentur, libet Auli Gellii verba recenſere, quæ habet noct. Attic. lib. 7. c. 8. Explicatius enim narrat Puteolanam de delphino hiſtoriam, quam Plinius. Sic enim ille ex Appione ſcriptore: *Apud Naupactum Theophraſtus tradit, amatores flagrantiſſimos delphinos cognitos & compertos; neque ii amauerunt, quod ſunt ipſi, genus, ſed pueros forma liberali, in nauiculis forte, aut in vadis littorum conſpectis miris, & humanis modis arſerunt.* Verba ſubſcripſi Appionis eruditi viri ex Ægyptiacorum libro quinto, quibus delphini amantis, & pueri non abhorrentis conſuetudinis luſus, geſtationes ac aurigationes refert, eaque omnia ſeſe ipſum multosque alios vidiſſe dicit: Et quidem (inquit) nos vidimus apud Puteolos delphinum amantem mire puerum, inclamatum à puero acciri, quin etiam adnatans dorſo puerum admittebat, ita vt pinnæ aculeos velut vagina conderet, ne dilectum ſibi corpus laceraret, receptumque equitis modo inſidentem per magnum æquor per ducenta ſtadia deferret. Roma igitur, omniſque Italia confluebat, vt piſcem amoris cauſa vectorem pueri ſpectarent. Ad hæc adiicit rem non minus mirandam: Poſtea (inquit) idem ille puer delphino amœnus morbo affectus obiit ſuum diem; at ille amans vbi ſæpe ad littus ſolitum adnatauit, & puer, qui in primo vado aduentum eius operiri conſueuerat, nuſquam fuit, deſiderio tabuit, exanimatuſque eſt, & in littore iacens inuentus ab iis, qui rem cognouerant, in ſui pueri ſepulchro humatus eſt.

Hæc

Hæc Gellius. Ælianus autem plura commemorat, lib. enim 2. c. 6. Leonida (inquit) Byzantius in vrbe Pleroſclino nuncupata ſe, cum Æolida nauigando præteruheretur, delphinum in illius portu vrbis habitantem, ciuibusque eius tamquam hoſpitibus ſuis vtentem vidiſſe confirmat: idemque affert, hunc delphinum de manu aniculę cuiuspiam, & eiusdem mariti educari ſolitum fuiſſe, plenosque inuitamentis cibos illi ab eisdem ſuppeditatos extitiſſe, neque tamen puer cum eis eſſet infans pariter alendus illum alere deſtitiſſe, ſed ambos educaſſe, ex quo conuictu delphinus puerque mutuum inter ſe amorem conciliarunt; & quod prædicandum, virtutisque plenum videtur, inter eos mutuus amor charus, in pretioque erat. Extra portum in altum progreſſus delphinus ex prædis, quas caperet, partem ſibi ad prandium habebat, partem ſuis educatoribus afferebat. Vnde fiebat, vt vehementer lætarentur, ab eoque illud vectigal acerrime ſibi & puero expectarent. Nomen ſimiliter delphino vt puero impoſuerunt. Puer ex illa viuendi cum delphino conſuetudine hanc collegerat fiduciam, vt è crepidine locisque è mari eminentibus illum auderet appellare, facileque ad ſe leui appellatione euocaret, ac ſiue ille remigationem quandam contenderet, ſiue cum aliis gregatim errantibus luſione aliqua delectaretur, totum gregem præ ſtudio feſtinandi venire ad puerum deſaltaret, ſiue multa fame preſſus venaretur, illum tamen puer tanta celeritate reuocabat, vt vehementi impetu more nauis pleniſſimis velis impulſæ inferretur, atque ad puerulum appropinquans ad illum luderet, & adſiliret, nunc circa illum adnatans, nunc illum ipſum velut prouocans. Hæc ille. Libro præterea 6. cap. 14. explicatius, quam de Iaſſo ſupra diximus, recolit: Ad Iaſſum (inquit) vrbem cum pueri in littore lauarentur, delphinus proxime ad puerum quempiam acceſſit, primoque exterruit, poſt vero conſuetudine vterque in alterius amorem ſe inſinuans beneuolentia coniuncti fuerunt, atque inter ſe firmam amicitiam fecerunt: nam in delphinum ſubnatantem puer aſcendens, & audacius exultans ſedebat, quod quidem facinus Iaſſentium & hoſpitum admirationem habebat. Enimuero delphinus longius in mare puerum vehebat, ac quam longe puero placeret, quæ res diu ſæpeque feliciter acta eſt. Tandem cum incautus puer in delphinum inſiliret, in dorſi ſpinam incidit, ſicque transfoſſo vmbilico defunctus eſt, quem delphinus reſtituens littori, conſpiciens ſaucium & ſanguinolentum, ac defunctum, animi defectu ipſe quoque expirauit, ibique Iaſſenſes vtrique ſepulchrum ſtatuerunt. In vrbe Alexandria, Ptolomæo Secundo regnante, amore delphinus flagraſſe fertur. Hæc ille. Quæ recenſuiſſe libuit, repetita hiſtoria, vt de veritate nihil ſupereſſet ambigendum. Quod vero ſpiritu ſuo animali plurimum præ cæteris animantibus delphinus valeat, Ariſtoteles anim. lib. 9. c. 48. hæc habet: *Omnium velociſſimum animal eſſe delphinus creditur, tum aquatilium, tum terreſtrium: ſuperſiliunt enim malos nauigiorum, quod tum potiſſimum euenit, cum piſces in imum fugientes longius perſequuntur, locum ſpirandi quærentes ſe eiaculantur in aerem.* Hæc ille. Solinus autem c. 17. *In Boſphoro* (inquit) *delphinis nihil velocius habent maria, ſic vt plerumque ſalientes transuolent vela nauium. In 30. annum viuunt, quod exploratum eſt, in experimentum caudis amputatis. Certum habent vocabulum, quo accepto vocantes ſequuntur: nam proprie Simones nominantur. Voces hominum Aquilonis flatu celerius hauriunt, contra Auſtro ſpirante auditus obſtruuntur.* Hæc Solin. qui tamen de delphini ætate aliter, quam antea diximus, ex aliis auctoribus.

Firmiſſima Delphini cum puero amicitia.

TH. Multa nobis adhuc commemoranda ſunt, vnde delphinorum natura fiat illuſtrior. Sanctus Baſilius in exemero hom. 7. *Delphini* (inquit) *etiam recentes*

adhuc

adhuc & teneros catulos ex aliqua cauſa conſternatos rurſus ventre ſuſcipiunt, ac complectuntur. Hæc ille. Sed quid mirum parentes filios ſeruare, piſcemque ventre piſces excipere? maiore miraculo habendum cenſeo, reperiri in delphino, qui homini nulla conſuetudine aſſueuerit, pietatem, vt viuenti periclitanti ſuccurrat, & defuncto officium exhibeat. S. Martinianus cum fugiendæ muliebris illecebræ cauſa apud Cæſaream Palæſtinæ in mare ſeſe dimiſiſſet, mox adfuere duo delphini, qui illum velut cympa impoſitum trans mare in aliud littus detulerunt. Metaphr. in eius vita. Surius Tomo 1. Februario. Deinde vero cum Caliſtratus Martyr ſub Diocletiano ſacco inſutus in mare fuiſſet abiectus, disrupto per Dei diſpenſationem ſacco, ſicut & Ionas è mari ſeruatus eſt. Duo etenim delphini tamquam iuſſi adnatantes cum Sanctum tergo excepiſſent, ſublime tollunt, deinde ad littus accedentes ſenſim & caute eum deponunt in terra laudantem & glorificantem Dominum: quo miraculo cohors militum in Chriſtum credidit. Metaphr. 27. Septemb. Maximiano præterea in Chriſtianos ſæuiente, cum Lucianus conſtantiſſimus in fide Martyr, lapide ad dexteram alligato, in mare fuiſſet deiectus, quinto decimo poſt die delphinus ingens aſcendens è mari, extenſusque ſuperficiem valde ſpumabat, & ad terram contendebat, eratque circa ipſum multa ſpuma, & murmur fluctuum, qui ab ipſo ſcindebantur. Ferebat autem extenſum beatum Martyrem Lucianum mortuum, tamquam in lecto iacentem, eratque ſpectaculum admirabile ſuper corpus adeo lubricum & rotundum quiete manens mortuus, & nec à ſuo pondere, neque à vi fluctuum deuolutus ab eo, quod ipſum portabat, vehiculo. Cum autem delphinus fuiſſet prope continentem, fluctu ſublimi fuit ſublatus, & terræ id appulit, ſtatimque expirauit. Neque quiſquam exiſtimet corpus mortuum à delphino caſu fuiſſe allatum, neque id factum forte fortuna, cum multi, qui illo fuerunt tempore, eius rei fecerint mentionem, quin etiam ipſe quoque ſcio ab ineunte ætate de illo cani ſolitum hoc, cuius hæc eſt pars extrema:

In terram dorſo portans ex æquore delphin
Expirauit.

Hæc tradit Metaphraſtes 15. Octob. Et de delphinis hactenus.

EQ. Poſtquam de cicuribus piſcibus cœpta fuerat ratiocinatio, libet vt orationem proſequamur. Tradunt, qui nouum Orbem luſtrarunt, circa Hiſpaniolæ Inſulæ littora piſcem compertum, cui nomen Manato eſt: creſcit is in amplitudinem pedum 15. craſſitie vero vlnarum octo, neque oua parit, ſed animal, vt Ouetanus memorat hiſt. lib. 13. c. 10. Eſt quidem maritimus piſcis, ſed captus, & educatus à Caramatexio Regulo fuerat in lacum coniectus, Indicoque pane alebatur. Quià diuturna alimenti conſuetudine adeo cicur factus eſt, vt vocatus adueniret, cibumque de manu porrigentis acciperet, tractarique ac palpari ſeſe permittens, ac ob tantam corporis molem multos trans lacum dorſo equitantes equorum more transferret. Petr. Mart. ſumm.

Phoca. *PH.* Phocas, ſiue lupos, ſiue vitulos marinos appellemus: (iis enim omnibus nominibus piſcis idem nuncupatur) mirandum in modum cicures fieri conſtat, in eodem Orbe nouo, vt Ouetanus teſtatur lib. 13. c. 10. vt in noſtro quoque Orbe. Fit enim hominis amiciſſimus, etiamſi fœtus ſuos alat. Eſt ei lingua bifida, vt Ariſt. tradit anim. lib. 2. cap. 17. præter conſuetudinem piſcium eſt docilis, voceque ac viſu populum ſalutat, nomine vocatus etiam reſpondet. Pellis eius etiam detracta corpori ſenſum maris retinet, ſemperque æſtu æquoris recedente inhorreſcit. Plin. lib. 9.

lib.9.c.13. Quod & in Orbe quoque nouo obſeruatum eſt. Corium enim eius cum & villoſum ſit, ſi ex eo corrigiæ aliudve fiat, pilus ipſe & lenis & hirtus apparet, ſi mare aut quieſcat, aut ferueat, etſi abſit à mari quantolibet terrarum ſpatio. Ouetan.hiſt.lib.13.c.6. Propterea Olaus lib.20.c.4. tradit, vituli huius pellem in caſtris aut papilionibus haberi, ad fulminis vim declinandam: vt enim aquila inter aues à fulmine immunis memoratur, ita inter aquatilia hoc quoque. Veſtire autem ait nonnullos has pelles, vt à pilo leni aut hirto æſtus maris deprehendant in Septentrione: ita ille cap.5. Adiicere autem ex diuo Baſilio illud libet hom.7. *Phocas ſuos recentes adhuc catulos & teneros ex aliqua cauſa conſternatos rurſum ventre ſuſcipere ac complecti.*

EQ. Memorantur in Orbe nouo & alii cicures piſces maiore emolumento, quam illi, quos iam commemorauimus. Iuxta etenim Hiſpaniolæ Inſulæ littora compertus eſt piſciculus non multo longior hominis vlna, hunc à paruulo domi marinis aquis oppleto vaſe alunt, fitque adeo cicur, vt & tractari palparique gaudeat. Audax animal eſt, adeoque excelſo animo, vt in eo vigere putes aliquod rationis veſtigium. Fit egregius piſcium in mari ad domini ſui commodum venator: funiculis etenim retis modo obuoluitur, ne in mare miſſus diſpereat, deinde prelonga illigatus fune, perinde ac canis per mare hac atque illac vagatur, obuium quemque quamuis maximum piſcem teſtudinemve aggreſſus latera primum morſu vulnerat, neque prius prædam deſerit, quam mordicus tenet, quam fune vterque in littus trahatur, aut in nauigium. Ouet.hiſt.libr.13.cap.10. vt in Summ.cap.8. Pet. Mart.Summ.

PH. Aut is idem piſcis, aut alius illi ſimilimus venator exiſtit iuxta Inſulam Cubam: eſt illi anguillæ forma, cartilaginem tenuem gerit in capite ingentis marſupii modo; eſt enim firmiſſima, obuiis piſcibus primum iactat in caput cartilaginem, quam pro arbitratu dilatat, ac contrahit: obuolutus igitur velut cauea ſaccove incluſus captus piſcis fit huius piſciculi præda nihil videns, neque inde vlla ſe ratione valens extricare. Venator igitur omnia ad domini commodum peragens prædam nunquam deſerit, donec in littus nauigiumve, ac manu domini præſentis & ſuſcipientis detineri animaduerterit: ita enim edoctus eſt. Petr.Hiſp.p.5.c.9. Sed de cicuribus piſcibus hactenus.

EQ. Sunt & piſces alii cicures, ſed fraudulenti, quanquam aliqui aduerſus homines doloſi non ſunt. Nam Faſten piſcis eſt, in cuius ore maritima ſalſaque aqua mox fit dulcis, qua dulcedine illecti accedentes piſces ab illo deglutiuntur, vt Iorath tradit de animal.lib. apud Vinc.lib.17. cap.54. Vt inde quiſque diſcat mellitos ſermones adulantium deuitare, aut meretricum, aut aulicam doloſitatem, quandoquidem blandi ſermones ſæpe incautos in ſummam trahunt perniciem. Perſimilis huic piſcis eſt alius, cui circulus in capite eſt, hunc aliqui Britannicum vocitant: tradunt homini alludere, vt accedat, accedentibus ſimulat beneuolentiam, at proximum iam factum rapit, ac deuorat. Albert.Magn.anim. libr.24.M. Ex libro de naturis rerum Vincent.natur. lib.17. cap.120. Huic quoque accedit Arotanus piſcis, quem gignit Arotan in Inſula Zeiliam fluuius: is enim aſtu ſeſe capi permittit, verum capiens mox ipſe febri arripitur, nec deſinit morbus, donec piſcis dimittatur. Nicolaus Comit.in fin. Nec deſunt huius generis aſtus homines, qui ſe falli in re parua permittant, vt fallentem maiore exitio afficiant: ita fit, vt animantium mores homini ſint diſciplina. At ſine dolo damnove cicures ſunt natura ipſa piſces,

Faſten piſcis.

Arotanus.

ſces, qui Eloro Siciliæ caſtro in ſtagnis gignuntur: porrectum enim è manu cibum ſecuri capiunt, capi ſe non verentes. Plin. lib. 32. c. 2. & Leander. Sed optarim noſſe, ſi aliquod ſymbolum ſit cum homine piſcibus, quando cum illo familiariter agunt, aut cum eius vultum referunt.

PH. Nihil prorſus eſt homini commune cum piſcibus, nec aer quidem. Sed cum omnia homini iuſſu Dei ſeruiant, veluti domino famulantur: eſſe autem piſcibus os humanum, nihil ad rem humanam pertinet. Conſtat autem, vultus in piſcibus humanos inuentos, id iis verbis explicat Ælianus lib. 16. cap. 18. *Mare*(inquit) *quod Taprobanen circumfluit piſces procreare ferunt habentes Satyrorum ſpeciem ſimilitudinemque, ac cæte exiſtere muliebri facie, eique pro crinibus ſpinas eſſe.*

EQ. Recentiores auctores non pauci ſunt, qui id præter omnem controuerſiam affirmant, humana facie piſces eſſe: Theodorus enim Gaza vir apprime doctus de hac re, quam ipſe oculis ſpectauerit, ſcriptum reliquit; cum enim aliquando ſuſpenſo ob ſtudia animo maritimum in Græcia littus inambularet, vidit è mari emitti in littus piſcem quendam Nereidum ſimilitudine, abſolutiſſimam hominis faciem referentem vſque ad femora, reliquum autem corpus deſinebat in anguillæ caudam. Fluctibus igitur eiectus vti in alieno ſolo palpitabat, quibusdamque gemitibus angi ſe præ ſe ferebat. Theodorus acceſſit, conſpectumque diligentius in ipſas vſque aquas eum traxit: is vbi ſe inter vndas iam eſſe perſenſit, natandi vi illapſus eſt in altum; id ita enarrari ex Theodoro etiam affirmat Petr. Hiſp. p. 1. c. 22. Georgius autem Trapezuntius vir æque doctus affirmat, ſeſe propriis ſæpe proſpectaſſe oculis è mari emergentes ventre tenus piſces integram humanam formam referentes, crebroque è mari proſiliiſſe. Verum vbi animaduerterent ſe viſos, ilico aquis ſeſe abdidiſſe, non ſine magna ipſius Trapezuntii admiratione, à quo didiciſſe ſe teſtatur Petr. Hiſp. eod. cap. 22.

PH. Sunt & alii ex recentioribus, qui ſimilia affirment: nam in littore Æthyopico vltra bonæ ſpei promontorium tradunt compertum fuiſſe piſcis cadauer homini perſimile, homine tamen longe magis procerum, erat illi cutis ſquammis contecta, capilli obduriſſimi: creditum eſt, marinum fuiſſe piſcem hominis effigiem referentem. Ramuſius nauigationum Tomo 1. in ratiocinatione de Hannonis Carthaginenſis nauigatione in fine. Propterea in flumine Cholcam vrbis Cochin haud dubie piſces humana forma maxima copia expiſcantur, noctu accenſo lumine in littore aut igni; ad ipſa enim hæc ſponte accurrunt. Nic. Comit.

TH. Olaus Magnus lib. 21. c. 1. tradit, in Noruegiæ Oceano marina quædam monſtra eſſe, quibus ſit humana facies ſimul cum monachorum cuculli quadam ſimilitudine: adiicit autem in hoc piſce admirandum. Si captum eum forte piſcatores in cymbam trahant, obſtupefieri omnium manus, qui in nauigio eodem fuerint, adeo vt nec retia, nec hamos, remos, aut vela ipſa poſſint inſtruere, ob ingentem reliquorum eius formæ piſcium ſtrepitum ac fremitum; cateruatim enim ii piſces vagantur circa nautas. Eſt igitur neceſſe piſcatoribus piſcem captum in priſtinam libertatem dimittere, alioqui nauigium ipſum periclitaturum eſt. Vbi igitur, qui captiuus erat, abire permiſſus in mare eſt, conquieſcit totius eius gregis furor. Hæc ex illo.

EQ. Vnde humana forma piſcibus? numquid forte aquatiles homines comperiuntur aquis geniti, aquis vitam degentes?

PH. Non vera eſt in iis piſcibus hominis forma, ſed quæ propius accedat ad homi-

hominem, quam ad reliqua animantia: at homo aquis neque gigni, neque ibi degere ſemper poteſt, niſi longiſſima forte conſuetudine. Verus enim homo ratione atque anima pollens, terra compoſitus terram incolit: ſunt tamen comperti, qui aquis degerent, in ſolo deficerent; in hac re recolemus Plinii verba lib. 9. cap. 5. Tiberio (inquit) Principi nunciauit Olyſſiponenſium legatio ob id miſſa, viſum auditumque in quodam ſpecu concha canentem Tritonem, qua noſcitur forma & Nereidum (falſa non eſt) ſquammis modo hiſpido corpore, etiam qua humanam effigiem habent: namque hæc in eodem ſpectata littore eſt, morientis etiam gannitum triſtem accolæ audiuere longe. Et diuo Auguſto Legatus Galliæ complures in littore apparere exanimes Nereidas ſcripſit. Auctores habeo in Equeſtri ordine ſplendentes, viſum ab iis in Gaditano oceano maritimum hominem toto corpore abſoluta ſimilitudine, aſcendere eum nauigia nocturnis temporibus, ſtatimque degrauari, quas inſederit partes, & ſi diutius permaneat, etiam mergi. Tiberio Principe contra Lugdunenſis prouinciæ littus in Inſula ſimul trecentas amplius belluas reciprocans deſtituit oceanus miræ varietatis & magnitudinis, nec paucio res in Santonum littore, interque reliquas elephantos & arietes candore tantum cornibus aſſimilatis, Nereidas vero multas. Hactenus Plinius.

EQ. Hæc, quæ Plinius narrat, cur non & alias contigerunt, aut cur numquam alias viſi Tritones, aut Nereides? Nam aut fabuloſa, aut ſuperſtitioſa fuere, velut dæmoniacæ illuſiones: ipſi etenim Plinio Syrenes, quibus ſuperior pars hominis ſit, inferior piſcis, fabuloſæ videntur, lib. 10. c. 49.

TH. Platina de Syrenibus putat vera tradi in Sabiniano Primo Pontifice: ſcribit enim, apud Delon Inſulam duo marina monſtra omnino humanam ſpeciem habentia viſa eſſe, Syrenesque fortaſſis fuiſſe. Verum neque Platina, neque alius conſtanti ſententia affirmat, conſpectas vmquam Syrenes fuiſſe: fateri tamen poſſumus, piſces compertos, quibus aliqua humani corporis portio referatur; at hominem mente vlla pollentem impoſſibile eſt piſcem & inter piſces eſſe, cuiusmodi de Syrenibus Poetæ fabulantur. Cenſeo equidem hæc monſtra in mari prolata eſſe, & populis in notitiam deferri, vt Deum iratum ſicut cætera in terra monſtra oſtendunt, cum tanta populi carnis luxuria diffluunt, vt piſcium incognitum coitum ſuperare videantur, aut mollitiem aquatilium animantium præferre.

PH. Recentioribus tamen nonnullis præcipuæ eruditionis viris viſum eſt Tritones marinos reperiri. Alexander enim ab Alexandro libro tertio Genialium cap. 8. in Epiro Tritonem marinum hominem compertum tradit, de qua re iam alias egimus, affirmatque id ipſum ex eodem Petr. Hiſpalenſi pag. 1. capite vigeſimo ſecundo. Petrus quoque Gillius ſuis de animantibus libris, quod & alias diximus, teſtatur, ad Renatum Regem allatum fuiſſe marinum hominem, vt idem Hiſpalenſis eodem loco recolit, quæ ſi vera ſunt, veri ii piſces fuere hominis formam referentes, non homines.

TH. Fateri tamen poſſumus illud præter controuerſiam, compertos aliquando fuiſſe homines, qui ob longam maritimarum aquarum conſuetudinem, quibus vitam degerent, magis quam in ſolo ac continenti, ſalubrius ac delectabilius in ipſis vixiſſe, quam in ſolo, vbi viderentur ęgre reſpirare piſcium more, velut inſueto elemento. Propterea opportune recolendus videtur ille homo Apulus, qui ante annos ſupra ducentos inter belluas in mari adeo viuere aſſuetus fuit, vt pro piſce ob eximiam natandi peritiam, & in mari perpetuum fere incolatum, piſcis fuerit

nuncupatus, & habitus· cum tamen Chriſtianus ex baptiſmo Nicolai nomen accepiſſet, poſtea Colapiſcis cognominatus eſt, vti iam pridem meminimus ex Alexandro ab Alexandro, Hiſpalenſi & Bugato libro tertio, qui cum eum dicat vixiſſe Gregorio Nono Pontifice, putarim reſtituendum locum ſub Bonifacio Nono, vt ita cum Volaterrano conueniat. Opportunum quoque in eandem rem eſt, ac pro vero admitti poterit, quod iam pridem ex Viue commemorabamus libro ſecundo, de ver. fid. Chriſt. quando narrauit ætate ſua apud Batauos marinum hominem viſum à plurimis, & ſupra duos annos ibi detentum mutum fuiſſe, & iam incepiſſe fari, ſed in mare reſiliiſſe gaudentem. Erat igitur forte hic verus homo: nam fari incipiebat, mente igitur pollebat; ſed diuturna aquarum conſuetudo non permittebat hominem in ſolo ſalubriter verſari poſſe, quam angeret aerea leuior reſpiratio.

EQ. Is Colapiſcis, cuius tot auctores meminere, forte is eſt, quem Alexander ab Alexandro, vti pluribus iam egimus alias, piſcem Calanum nuncupat genialibus libris, quando narrat in Siciliæ regno hominem compertum tanta à puero adnatandi conſuetudine mari aſſuetum diu noctuque, vt ſi aliqua elaberetur dies, qua natando non fuiſſet exercitatus, corde plurimum angeretur, ſimul & animo. Vnde illi nomen Piſcis Calanus. Hoc igitur quotidiano exercitamento tantam vim roburque fuerat aſſecutus, vt quingenta, & eo amplius ſtadia perpetua natatione præterflueret dies ac noctes integras ſemper maritimos fluctus obuerſans, procellis contemptis: occurſabat nauibus, ibique perbenigne ac comiter conuiuans redibat ad fluctus, tandem ab Alfonſo Rege aureo cratere in præmium vrinatoribus propoſito, certaturus infelix Calanus hic maris ima petens vlterius non eſt viſus, lapſus forte in antrum aliquod ſub imo mari aut alio quopiam inſcrutabili ſibi contingente diſcrimine obiiſſe putatus eſt, recolit etiam Pet. Hiſp. p. prima, capite 21. ex Alexandri Genial. libro 2. capite 21. Qua ex re illud adnotandum cenſeo, natandi peritiſſimos aquis mergi, ſicut volandi peritum Icarum, & Simonem Magum volatu periiſſe: quod etiam eruditiſſimis viris accidit, vt ſua eruditione in præceps errantes labantur, quando plus ſapere ſtudent, quam ſapere oporteat. Tot igitur teſtibus, tantæque auctoritatis viris, qui de hominibus mari degentibus tradiderunt, non putarim eſſe refragandum. At reliqua marina monſtra, aut etiam fluuialia, quæ præter hominem referunt omnia animantium genera, iure proſequenda putamus. Agemus de omnibus, ſed adhuc ſuperſunt quædam de iis piſcibus, quos diximus referre hominis formam. Eugenio enim Quarto Pontifice apud vrbem Sibinicum in Illyrico captus memoratur marinus homo, qui ad mare puerum trahebat. Is ab accurrentibus, qui rem inſpexerant, lapidibus fuſtibusque vulneratus in ſolum retractus eſt, eius effigies pene humana, niſi quod cutis anguillæ ſimilis erat, & in capite duo parua habebat cornua, manus quoque duorum tantum digitorum formam exprimebant: pedes autem in duas veluti caudas deſinebant, à quibus ad brachia alæ vt in veſpertilione extenuabantur. Fulgoſ. libro primo, capite 6. In Ægypto quoque in Nilo Mena Præfecto vna cum populo deambulante in loco, qui dicitur Delta, Sole orto, animalia humanæ formæ perſimilia apparuere in fluminis medio, vir ſcilicet & mulier viſebantur, vir quidem pectore ingenti, vultuque terribilis, rufa coma, vsque ad lumbos denudatus, mulieri mammillæ erant, cum fœmineo prorſus vultu ac cæſarie prolixa, viſa feruntur vsque ad horam nonam ab omni populo: deque ea reſcri-

Medium tenere conducit.

reſcripſit ad Mauritium Imperatorem Menas, vt Theophanes Iſaurus Abbas illi tempori non multis ſeculis inferior ſcriptum reliquit in Chronologia, interprete Anaſthaſio Bibliothecario Romano anno Domini 592. Romæ id accidiſſe etiam memorat Bonfin. Dec. prima, lib. 8. Nec ſola ſunt exempla, quæ iam recenſuimus, ſed longe plura, quæ recolere in animo eſt. Anno enim Domini 1403. capta in Hollandiæ lacu marina mulier fuit, eo è mari reiecta. In Harlemum igitur vrbē delata, cum nuda eſſet, paſſa eſt ſe veſtibus indui, panis, lactis, & cæterorum vſum admiſit; didicit quoq; fila è colo deducere, & obſequi rebus multis muliebri more, ſimul & Chriſto crucifixo genua flectens venerabunda, docilis ad omnia, quæ mandaret patrona. Nunquam tamen locuta eſt, ſemper muta annos multos ibi viuens. At anno Chriſti 1526. in Phriſia captus marinus vir barbatus ac capillatus pilis valde ſetoſis paucos annos viuens, ſemper mutus, tandemque peſtilentia interiit. In Balthico mari anno Domini 1531. prope Elepochum Noruegiæ oppidū captus eſt vir marinus, qui Epiſcopum Infulis ornatū corporis habitu penitus exprimebat: dono datus Sigiſmundo Poloniæ Regi triduo tantum vixit: deque eo Gilbertus Horſtius & Cornelius Amſterodamus Romā ſcripſere: & de hiſce Tritonib. plura ſcribit Damianus Goes in Olyſſiponis enarratione: & non procul à Lunæ promontorio Ferdinandus Aluarus domus Indicæ ſcriba viſum adoleſcentem marinum in littus prodeuntem, piſcatorumq; piſces furantem, & crudos edētem narrat. Et quoniam res tanta in Hiſpania illuſtris erat, habebaturq; copia illo mari Syrenum ac Tritonum, adhibita eſt fides. Nam cōperiuntur in antiquis Luſitaniæ regni archiuiis de ea re monumenta, cum ea monſtra ad ſe pertinere tum Rex, tum Magnus Magiſter S. Iacobi contenderent; translatione autem lis illa dirempta eſt, decretumq; non Magiſtro Ordinis, ſed Regibus deberi vectigal Syrenum, aliarumque beluarum marinarum, quæ in littoribus Magiſtri caperentur. Hæc equidem pluribus Damianus, quæ etiam recolit Georgius Bruin in Harlemo.

Syrenes capti fœmin. & vir.

TH. Hæc ſi ita viſa ſunt, diuino acta ſunt conſilio deterrendi generis humani cauſa, vt reſipiſcat: ſicut maiore miraculo accidit Theodoſio iuniore imperante. Cum enim ille in Daonium perueniſſet, muliercula peperit animal piſcem: nam & oculis carebat ac palpebris, manibusque, ac brachiis, ac lumbis, cauda autem piſcis, quod monſtrum vbi vidiſſet Imperator, iuſſit occidi, vt idem Theophanes tradit anno Dom. 582. Nunc ad reliqua monſtra.

Mulier piſcē pariens.

EQ. Et conſtans omnium auctorum eſt ſententia, in aquis plerorumque animantium formas referri. Et Ælianus id præcipue habet lib. 16. cap. 18. Leonum inquit, arietum, pantherarum, equorum effigies in piſcibus in Taprobanæ mari conſpici.

PH. Si libet pluribus de hac re diſſerere, dies certe deficiet; ſunt enim nō modo quadrupedum plerorumque in piſcibus formæ, ſed & auium atque etiam rerum aliarum; ſunt arborum; ſunt rerum arte confectarum ſimilitudines, velut rotæ, gladii, ſerræ, acus, pugillares: quin & cœleſtes quoque res referre videntur lunam ac ſtellas. Cum igitur longe plures ſint piſcium ſpecies, quam auium, aut quarumlibet terreſtrium beſtiarum, & copia quoque maior ſit, ita formæ adeo variæ fuere illis natura inditæ, vt res alias imitari oportuerit: de rebus igitur nomina ipſa ſumpſere, quarum referunt ſimilitudinem. Exordiemur igitur nos quoque de præcipuis acturi, primumque à cœleſtibus, veluti eſt Luna. Luna enim piſcis

Luna piſcis

 comper-

compertus eſt, & de eo piſce hæc recolit Ælianus lib.15. cap. 4. *Piſcis* (inquit) *Luna nuncupatus, cum pinnas ſuas molles quidem & lenes in natando explicat, ad ſimilitudinem lunæ ſemicirculum efficit. Idemq; demonſtratus tradit Cyprios piſcatores dicere, piſcem hunc luna plena ipſum impleri, & implere arbores, ſi ex iis illum appenderis: at decreſcente luna, ſi illum ad plantas admoueris, eas marceſcere & euaneſcere: ſi iam plena luna in id aquæ, quod in perfoſsis puteis reperitur, quis hunc piſcem iniecerit, aquam iugem & perennem fore: ſin extrema luna, aquam exareſcere: quod ſi hunc eundem in fontem ſcaturientem conieceris, quomodo dixi de puteo, is ad rationem lunæ modo exareſcet, modo implebitur.* Hæc ille.

TH. Huic perſimilis eſt alius in Aquilone piſcis, qui hemicycli formam gerit, refert enim formam arcus, aut ſoleæ ferreæ, qua equorum pedes muniuntur. Nili natura continet memorabile, niſi quod incolis gratiſſimus eſt in cibum. Olaus lib.20.cap.19.

Stella piſcis in mari.

EQ. Poſt lunam recenſendæ ſunt ſtellæ: nam inter piſces etiam Stellæ nuncupantur quidam ſimilitudine formæ: de eis Plinius lib.9.cap.60. *Claros* (inquit) *ſapientiæ auctores video mirari ſtellam in mari. Ea figura eſt parua admodum caro intus duriore callo: huic igneum feruorem eſſe tradunt: vt omnia in mari contacta adurat, omnem cibum ſtatim peragat.* Hæc ille, qui etiam lib.9.cap.22. adiicit in hæc verba: *Stellæ* (inquit) *maximæ cruſta intecta oſtreis tam crudeliter inimicæ ſunt, vt hæc ipſa exedant & conficiant.* Ratio inſidiarum, quas eis moliuntur, eiuſmodi eſt. Cum teſtaceas ſuas patefaciunt conchas, vt & refrigerentur, & ſi quid, quod pertineat ad victum, inciderit, compreſſis conchis exceptant; eæ ſuo pede intra teſtas inſito eas claudi prohibente, oſtreis explentur.

PH. Ante Ælianum ac Plinium Ariſtoteles de hoc piſce ſtella tradiderat anim. lib.5. cap.15. Stella (inquit) piſcis adeo natura calidus eſt, vt omnia contactu protinus decoquat; detrimento etiam ſummo echinis Euripi & Pirrheni eundem eſſe confirmant. Forma eius ſtellis, quæ pinguntur, ſimilis eſt. Eadem Albert. animal. lib.24. in Stella.

EQ. Poſt lunam igitur ac ſtellas ordo expoſtulat, vt ad ea piſcium genera accedamus, qui auium formas referunt, quæ aere, cœloque oblectantur: ſunt enim piſcibus & auium nomina & volatus: nam loligines, accipitres, pelagiæ hirundines comperiuntur: id apud Ælianum ita legi lib.9. cap.52 *Volant* (inquit) *piſces, cum timent & exiliunt è mari loligines, & accipitres marini, & hirundines pelagiæ. Loligines auxilio pinnarum longiſſimum ſaltum ſaltant, & ſeſe in ſublime attollunt, & gregatim auium more efferuntur. Hirundines humiliori, & non ita ſublimi volatu vtuntur. Accipitres paulo ſupra ſummam maris aquam tolli ſolent, vt ad iudicandum ſit difficile, natent ne, an volent?* Hæc autem adiicit de loligine Albertus, eam quinque cubitis eſſe longam in Sixo flumine Mauritaniæ, & iuxta Oceanum volitare ſagittæ modo, tantamque in vna ſocietate reperiri multitudinem, vt naues mergant: pedibus anterioribus ſibi ad os cibum porrigunt. Hæc ille anim. lib. 24. in loligine. Hirundines autem alas habere ibidem tradit, & volare, in hirundine. Plinius autem lib.32. cap.2. eadem tradiderat quæ recoluiſſe diximus Albertum; nauigia ſcilicet demergi loliginum inuolantium multitudine.

Piſces volatiles.

TH. Loligini iam commemoratæ accidit memorabile illud, vt ſolo tactu manum obſtupefaciat, Olao teſte lib.21.cap.10. Verum quo ad volatum piſcium, referunt ii, qui orbem luſtrarunt, circa Africæ littora non longe à Guinæa grega-

tim,

tim, tantaq; copia ſimul piſces euolare, vt procul conſpicientibus Inſula quæpiam ſpectari videatur. Anton. Pigaf. ſed & iuxta Magelanicum fretum tradit idem colondrinos piſces vlnæ menſura longos apprime volandi facultate valere, iisq; acerrimos hoſtes eſſe oratas, reliquos quoq; piſces, in concurſu igitur frequens cum illis intra aquas pugna eſt. Colondrini imperium hoſtium vitantes è mari exiliunt, volatu ſibi ab hoſte cauentes: hoſtes, quibus nulla volandi vis eſt, intra aquas volantium vmbras perſequuntur; celerrimo curſu, illo ſenſu, inſtinctuque, vt cum volare illi deſierint (non enim diu volare poſſunt) in mare recidentes fiant ipſorum præda. Anton. Pigaf.

PH. Volant auium more etiam pectines: iactant enim ſe ex aqua, iaculanturque ſagittæ modo, vti prodit Ariſtoteles anim. lib. 4. cap. 4. Sed & miluus non aliter atque hirundo pelagia volare traditur. Plin. lib. 9. cap. 26. Miluago quoq;, & ipſe piſcis volat, vt Albert. tradit anim. lib. 24. ſi tamen procella non ſit: nam quoties cernitur extra aquam volitans, tempeſtates mutari Trebius Niger auctor eſt. Sunt autem aliquibus piſcibus magis ſaltus, quam volatus: nam de ſulmone piſce proditum eſt, vt apprehenſa ſibi mordicus cauda, quælibet tranſilit loca, quandoquidem & ſurſum aſcendit, occurrens caſui fluminum; idq; compertum ſibi in Bothnico mari tradit Olaus lib. 20. c. 3.

EQ. Arborum quoque ramoſitatem, ſimilitudinemq; piſces quandoque referunt. In Gaditano enim Oceano arbor piſcis in tantum vaſtis diſpanſa ramis, vt ex ea cauſa fretum numquam intraſſe credatur. Plin. lib. 9. c. 4. qui etiam libro trigeſimo ſecundo, cap. 11. de eisdem piſcibus arboribus memorat, affirmatq; compertos eſſe. *Arbor piſcis.*

PH. Sunt & herbarum in piſcibus nomina, quod vim illarum imitentur: nam vrticæ ac paſtinacæ nuncupantur. Vrticarum admiranda natura eſt: hæ enim cum ſaxis adhæreant, quoties libet inde abſoluuntur, paſtumq; noctu eunt. Mirum in illis, cum alantur, nullum tamen eorum apparet excrementum, vt Ariſtoteles tradit anim. libro primo, capite primo, ac libro quarto, cap. ſexto. Vrtica (inquit) animal aquatile adhæret ſaxis more nonnullorum inſectorum, & interdum ſaxis adiuncta vagatur; nulla huic teſta, ſed corpus omni ex parte carneum præ ſe fert: ſentit, & manum admotam corripit, adhęreſcitq; perinde, ac polypus ſuis brachiis ita vt caro intumeſcat. Os medio in corpore continet, & de ſaxo, quaſi de teſta viuit, & prænatantes piſciculos excipit, retinetq;, ſicut manu admota hominis agi dictum eſt, deuoratq; in hunc modum quæcunq; nacta eſt eſculenta. Abſolui etiam ſaxis genus quoddam vrticę notatum eſt, & quod echinos, & pectrunculos, in quos offendit, corrodit. Excrementum nullum in vrtica eſſe videtur, qua in re ſimilis eſt ſtirpibus. Hæc ex illo. *Vrtica piſcis.*

EQ. Explicat de Vrtica Plinius aliquid magis, lib. 9. cap. 45. Vrticæ (inquit) noctu vagantur, noctuque mutantur, vis pruritu mordax, eademque, quæ terreſtri vrticæ: contrahit ſe quam maxime rigens, ac prænatante piſciculo, frondē ſuam ſpargit, complectenſq; deuorat. Dum admoueri ſibi manum ſentit, colorem mutat & contrahit: tacta vredinem mittit: ora ei in radice eſſe traduntur. Hactenus de vrtica Plinius.

PH. Paſtinaca & ipſa in piſcibus comperta eſt, ſed peſſimo opere. Nullum enim (inquit Plinius) execrabilius vſquam animal, quam marinus radius, quam noſtri paſtinacam appellāt quincunciali magnitudine. Arbores infixas radices necat, *Paſtinaca.*

arma

arma vt telum perforat vi ferri & veneni malo. Hæc ille lib.9. c. 48. cui aſſentitur S.Baſilius exemer.hom.7.eadem Albert.anim.lib.24.

TH. De eodem piſce plura explicat Ælianus. Ex omnibus(inquit) animantibus infeſtiſſimo ac periculoſiſſimo aculeo paſtinaca prædita eſt,cuius rei teſtimonio eſt,ſi eum in arborem virentem & florentem infixerit, non longo interuallo emarceſcere differt,ſed potius eueſtigio exſiccatur: idipſum facit in animantibus: nam ſi quod contigerit,necat. Hæc ille lib.2. cap.trigeſimo ſexto, at libro octauo, capite vigeſimo quinto: Paſtinaca (inquit)marina cum natandi eſt cupiditate affecta,natare poteſt,cum rurſus volandi ſtudio tenetur,ſurſum verſus ſublimis volat. Aculeum mortiferum habet,vt vel celeriter non modo homines, ſed etiam animalia perdere queat. Si ad maximam arborem & vegetam, & ſumme virentem aculeum admoueat & defigat,non multo poſt amittit folia, quæ poſtquam defluxerunt,totus truncus ſimilis eſt arboribus ſolis ardoribus exſiccatis æſtate, cum eſt maxima ſiccitas Hæc ille.

PH Quadrupedum, terreſtriumque beſtiarum etiam in piſcibus formæ,aut ingenia comperta ſunt: nam ſi de equo homini cognito exordiri libet, tum mari, tum fluminibus inueniri non eſt ambigendum. Solinus erit nobis auctor cap. 34. *Hippopotamus*(inquit) *in Nilo ac ſolo naſcitur, equino & dorſo, & iuba, & hinnitu, roſtro reſupino, vngulis bifidis, aprinis dentibus, cauda tortuoſa: noctibus ſegetes depaſcitur, ad quas pergit auerſus aſtu doloſo, vt fallente veſtigio, reuertenti nullæ ei inſidiæ præparentur.* Hæc ille: adiicit præterea, cum plus æquo fuerit exaturatus,ſeſe in inciſas arundines volutare,adeo vt ſaucius fiat, lutoque inungere vulnera. At Plinius explicat plura. Scribit enim aduectum fuiſſe Romam hippopotamum à M.Scauro,additque huiusmodi animal, cum nimis fuerit exaturatum, acuto arundinum ſtipite ſe ipſum vltro in crure vulnerare,ac vena quadam profluuio ſanguinis releuari,rurſumque plagam limo obducere. Hæc libro 8.cap.26. At lib. 8. cap.25. de eodem piſce ſic tradit: In Nilo belua Hippopotamus editur vngulis bifidis, quales bubus,dorſo equi, & iuba, & hinnitu,roſtro reſimo,cauda & dentibus aprorum aduncis, tergoris ad ſcuta galeis impenetrabilis, præterquam ſi humore madeat. Depaſcitur ſegetes deſtinatione ante,vt ferunt,determinatas in diem, & ex agro ferentibus veſtigiis, ne quæ reuertenti inſidiæ comparentur. Adiicit ad hæc Albertus, equum piſcem hunc Nili nauigia ſuo pede euertere & alteri inſidere: eſſeq; illi cutem cubitum vnum craſſam. Hæc ille anim.lib.24.in equo.

Hippopotamus equus marinus.

TH. Ælianus adiicit ad hæc: Hippopotami cum auerſis veſtigiis ex agro, vbi depaſti ſunt, ad Nilum reuertuntur, properare celerrimo greſſu, eo conſilio, vt ſi agricolæ ſeſe inuaſerint,hoſtes aduerſo corpore,non à tergo excipiant, adiicitque ſumme impium animal eſſe, quod parentem ſuum exedat & conficiat, ipſe poſtea filiorum futurus eſca. Hæc ille lib.5.c.53. & lib.7.c.18. Ii autem,qui nouum orbem perluſtrarunt,tradunt in Aquilonari eius plaga equos aqua terraq; vitam agentes fuiſſe compertos: eſſeq; innumeros in nouæ Franciæ littoribus.Iacobus Carterius de noua Francia apud Ramuſium tom.3.

Simia piſcis.

PH. Et ſimiæ piſces comperti ſunt. In mari enim rubro beſtia cartilaginea, & velut ſquammarum expers,eaque ipſa non magna, colore eſt terreſtri ſimilis:aſpectu quoque ſpeciem, ſimilitudinemque eiusdem terrenæ ſimiæ gerit non piſceo tegmine,reliquum corpus circumueſtitur, ſed cuiusmodi teſtudinis inuolucrum eſt: ſimiliterque vt terreſtris roſtrum reſimum gerit: reliquum vero corpus inſtar torpedi-

torpedinis latum, vt dicas auem eſſe alas explicantem: cum natat, volare videtur: cum terreſtri partim conuenit, partim differt: os autem non habet in ſummo roſtro. Ælian. lib. 12. cap. 25.

TH. Et Mullus inter piſces eſt, & in pretio habitus: venditus enim aliquando memoratur longe pluris, quam hodie centum inſignes equi, mulliue, vt Macrob. tradit Satur. lib. 3. c. 16. *Aſinius* (inquit) *Celer vir Conſularis, vt Hammonicus refert, mullum vnum ſeptem millibus nummum mercatus eſt. In qua re luxuriam illius ſeculi eo magis liceat æſtimare, quod Plinius Secundus temporibus ſuis negat facile mullum repertum, qui duas pondo libras excederet: at nunc & maioris ponderis paſſim videmus, & pretia hæc inſana neſcimus.* Hæc ille. *Mullus.*

EQ. Recolit de Mullo memorabile Albertus Magnus: vnde non admiror hodie adeo vili ipſum vendi, tanto autem pretio vigente Romana virtute fuiſſe coemptum: tradit ille eos, qui veſci conſueuerint mulli carne, ad libidinem refrigeſcere, eam enim extinguit; tantaque vi homini vim ſuam comedendi infundit, vt ipſum quoque olere ſentiatur. Illud præterea in hoc animante eſt, vt ſi vino necetur demerſus, ex eo vino quisquis biberit, vini tædium habebit; quanquam id quoque contingit anguilla vino necata: Hæc Albert. anim. lib. 24. in Mullo. Sed & Iſidorus iam pridem tradiderat lib. 12. cap. 6. Seneca autem Mulli piſcis obitu recolit mirandum quippiam, natur. lib. 3. cap. 17. *Mullo* (inquit) *expirante nihil formoſius ipſa colluctatione animam efflanti rubor primum, deinde pallor ſuffunditur.* Hæc ille.

TH. Sunt & lepores marini, ſed contra id, quod terreſtribus illis accidit: ſunt terreſtres nobis in delitiis, marini vero & viſu & tactu exitiales. Hæc de ipſis Plinius. *Lepus* (inquit) *in Indico mari etiam tactu peſtilens eſt, vomitum, diſſolutionemq; ſtomachi protinus creat; in noſtro mari colore tantum lepori ſimilis: in Indis & magnitudine & pilo duriore tantum viuus ibi capitur.* Hæc ille lib. 9. c. 48. Verum alibi alia: nam lib. 32. cap. 1. tradit leporem hunc marinum aliis piſcibus mortem afferre viſu tantum: quando etiam addit mulierem prægnantem hunc aſpicientem abortum agere: at ſi homo leporem huiusmodi manducet, veneno efficaciſſimo mori: ſin autem tantum tetigerit, lepus ipſe moritur. Hæc ex illo. Eadem Albert. anim. lib. 24. in lepore. *Lepores marini noxii.*

EQ. Propterea veriſimile eſt, quod Olaus tradit lib. 20. c. 19. Leporem piſcem ſolo viſu reliquos piſces fugare: eſſe autem hoc animal præſentiſſimum venenum homini edenti affirmat Baſilius exem. hom. 7.

PH. Sunt & leones piſces: Martino etenim Quarto Pontifice Februario menſe ex vrbe veteri Romam delatus perhibetur villoſa cute, breuioribus pedibus, leonina cauda, capite, auribus, ore ac lingua; ſpectatusq; eſt ab omni vrbana multitudine. Eductus mari velut vlulatum emiſit, propterea ad Martinũ eſt miraculi cauſa delatus. Martin. Chron. Bergom. anno Domini 1280. Ap. Vinc. hiſt. Eodem anno in vltima Iutiæ, Scagen vocant, captum alium etiam leoni perſimilem memorat Krantzius Vandal. lib. 7. c. 38. *Leo piſcis.*

EQ. Quin & monocerotes piſces comperti: quorum cornu in fronte rectiſſimum, acutiſſimumq; naues etiam perforare poteſt, cum ipſum ſit ignauiſſimum animal. Ex libro de natur. rerum. Vinc. natur. lib. 17. cap. 120. Albert. anim. lib. 24. in monocerote. *Monoceros.*

PH. Et humanos mores piſces imitati nomen ſunt ſortiti, velut ſunt paraſiti,

 otioſum

otioſum atque inutile piſcium genus, ex alieno victitans: ſequuntur ii delphinum Regiam Maieſtatem ſeruantem, ac velut aſſeclæ illi ſunt in obſequio frequentiſſimi. Nihil prorſus venatur ignauus hic piſcis omni ingenio, induſtria, arteq; deſtitutus, ſed alienis opibus epulatur, velut in Principis aula, vt Ælianus tradit libro 9. cap.7. *Piſcis* (inquit) *paraſitus, qui & pedunculus, quæ delphinus ceperit, deuorat, itaque ex eius præda, tanquam ex locuplete menſa refertus pingueſcit: eo nimirum delphinus tantopere delectatur, vt cum ipſo libenter, quæ comprehenderit, communicet.* Hactenus Ælianus.

Paraſitus piſcis.

Sunt & in piſcibus alii velut Reip. duces & principes. Id narrat Ælian. lib.14. c. 8. Ichthiophagi (inquit) vrbem Indico nomine Porimuda incolentes, margaritas, vnioneſue, retibus comprehendunt; Margaritiferæ conchæ magnorum turbinum ſimilitudinem gerentes gregatim natant; & quemadmodum apum examina duces, ſic eæ Regem habent, tum formæ pulchritudine, tum magnitudine præſtantem: ſumma autem contentione vrinatores ideo certant ad capiendum gregis ducem: quod eo capto, cunctum gregem rectore orbatum non loco ſe mouentem aſſequuntur: quamdiu Rex fugiendo elabi poteſt, ſapienter eas regit & conſeruat. Hæc ille.

EQ. Et domeſtica pleraque inſtrumenta, ne Regibus ſupellex ex piſcibus deſit, etiam inuenta ſunt: nam & rotę ſunt: *Apparent* (inquit Plinius) *& rotæ appellati piſces à ſimilitudine, quaternis diſtinctæ radiis, modiolos earum oculis duobus vtrinq; claudentibus.* Hæc ille lib.9.c.4.

Xiphia gladius marinus naues perfodit.

PH. Sunt & enſes ac gladii, ſpatæve: id ita Plin. lib.32.c.2. Xiphia (inquit) id eſt, gladius roſtro mucronato eſt, ab hoc naues perfoſſæ merguntur Oceano ad locum Mauritaniæ, qui Cotta vocatur, non procul à Lixo flumine: ſed Ælianus plura. Xiphia (inquit) gratus tactu piſcis ſub naſo, ex quo reſpirat, & fluctus ipſi in branchias diffluit, in mucronem roſtrum procedit, & rectum porrigitur, ſenſimq; & leniter in longitudinem & craſſitudinem augetur. Et cum ad cætaceam magnitudinem peruenit, illius mucro triremis roſtro ſimilis eſt, piſceſq; cibi gratia occidit, ac maxima cæte vlciſcitur. Sed & contra nauem mucronem in eam defigentes venire audent: quidam gloriantur ſe ſpectauiſſe nauem Bythiniæ in littus expulſam, in eam gladii caput infixum inſpexiſſe, cuius, cum in nauem mucronem ſuum defixiſſet, & nullis viribus ipſum extrahere quiuiſſet, corpus colli neruis retentum fuit, & roſtrum infixum, vt à principio inciderit, remãſit. Capitur in mari & Danubio, quod & ſalſa, & dulci aqua delectetur. Hæc ille lib.14.c.22.

EQ. Recentiores de eodem meminerunt ſub enſis nomine; nam in noui orbis pelago cõpertum tradunt tantæ amplitudinis, vt nec iuga boum eum traherẽt, ſuperioremq; mandibulam ei fuiſſe ſcribunt in enſis formam in lõgum porrectam hinc atq; inde dentatam pectinis modo, ac quidquid offenderit, penetrare. Ouet. hiſt. lib.13.c.4. Quanquam etiam alio nuncuparunt nomine, ſcilicet Violam. Ouetan. ſumm. c.84. In Hiſpaniæ quoq; nouę littoribus tradunt ſpatam piſcem mucronem in capite prælongum gerere vtrinq; denticulatum ſerræ modo ad pedes quatuor porrectum; creſcit autem is in tantam molem, vt binis boum iugis non trahatur. Ouetan. ibid. Hoc animal vidiſſe ſe, ac contrectaſſe memorat Albertus. dicitq; gladium illum eſſe piſcis naſum, lib.24. in gladio.

Serra piſcis.

TH. Et ſerram piſcem habent maria: nam & ipſe in amplam molem augetur. Eſt illi ſerratum caput, in ſummo etenim vertice oſſeo ac ſerræ modo dentato, vniuerſa vis illius continetur. Subit enim nauigia, ſecatque ex induſtria: id ſuo

opere

opere expectans, vt naufragio ſibi eſcam conſequatur. Olaus lib.11.cap.10. Alber. anim. lib.24. in ſerra.

EQ. Et acus gerunt maria, de iis ita Plinius. *Acus* (inquit) *vnus piſcium dehiſcente propter multitudinem vtero parit, à partu coaleſcit vulnus.* Hæc ille lib. 9. cap. 51. Sed fuſioribus Ælianus: *Marinæ* (ait) *acus, quod ſunt pertenues, minime tortuoſum & ſinuoſum vterum, fœtuumque capacem habent, idcirco ſuorum filiorum ſuſtinentes incrementum dirumpuntur: non igitur pariunt catulos, ſed expellunt atque eiiciunt.* Hæc ille lib.9.cap.60.

TH. Et lucernas gignit mare: Subit (inquit Plinius) in ſumma maria piſcis ex argumento appellatus lucerna: linguaq; eius ignea per os exerta tranquillis noctibus relucet. Attollit mari ſeſquipedanea fere cornua: quæ ab his nomen traxit. Hæc ille lib.9.cap.27. *Lucerna piſcis.*

PH. Lucendi è mari vis aliis præterea piſcibus ineſſe comperta eſt, ipſo eodem Plinio auctore. Concharum è genere dactyli ſunt ab humanorum vnguium ſimilitudine appellati: his natura in tenebris, remoto lumine, alio fulgore clarere, & quanto magis humorem habeant, lucere in ore mandentium, lucere in manibus, atque etiam in ſolo, atque veſte, decidentibus guttis, vt procul dubio pateat ſucci illam naturam eſſe, quam miremur etiam in corpore. Hæc ille lib. 9. cap. 6. Quin in ipſo quoque Noruegiæ mari ingentis magnitudinis piſces conſpiciuntur, quorum oculi procul eſſe ardentes ignes noctu à piſcatoribus crediti ſunt. Olaus lib.21.cap.5.

EQ. Ex iis igitur iam perſpicuum factum eſt, mari omnem orbem contineri, in quo & lunam & ſtellas, aues, quadrupedes, venatores, aucupes, paraſitos, enſes, gladios, ſerras, acus, lucernas, arbores, atq; alia, quæ commemorata ſunt, reperias. Vt ita præcipua orbis artificia moresq; tum boni, tum mali, haud dubie mari contineri videantur; velut mare ipſum alius per ſe orbis piſcium ſit. Et quanquam nauigia lignea ſint in illo, voluit tamen & piſces habere, qui & nauigii vicem, aliosq; remigum præferant. Quis enim vnquam nauta peritior eſſe nautilo piſce poterit? Nautilus enim peritiſſimus eſt non modo natator, ſed in naui regenda nauta. Ex Plinii lib.9. cap.29. hæc collegimus: Inter præcipua (inquit) miracula eſt, qui vocatur nautilos, ab aliis pompilos. Supinus in ſumma æquorum peruenit, ita ſe paulatim ſubrigens, vt emiſſa omni per fiſtulam aqua, velut exoneratus ſentina facile nauiget. Poſtea duo prima brachia retorquens, membranam inter illa miræ tenuitatis extendit: qua velificante in aura, cæteris ſubremigans brachiis, media cauda vt gubernaculo ſe regit. Ita vadit alto, Liburnicarum ludens imagine: & ſi quid pauoris interueniat, hauſta ſe mergit aqua. Hæc ille; ita fit, vt ipſe vnus nauis, veli, gubernaculi, & remigiorum officium præſtet ſibi: Albert. anim. lib.24. in nautilo.

PH. Ælianus non admodũ diuerſa habet, ſed paulo explicatius lib.6.c.33. Nautilus piſcis genere polyporum concha vnica prȩditus, cum ex ima maris ſede ad ſummam aquã effertur, inuertit & mutat concham dorſum verſus, vt ne hauſta aqua demergatur: vbi ad ſummũ æquoris peruenit, quieſcente mari, concham ſupremã vertit, ac quaſi ſcapha vtitur. Brachiis enim duob. in vtrũq; latus remigat; ſed ſi flet ventus, brachia, quibus prius vt remis vtebatur, conſtituit gubernacula, cȩtera brachia leuiora in remigando exercens: inter quæ media eſt membranula pertenuis, ea expanſa & intenta pro velo vtitur. Si inſtet à beluis periculum, concham aqua

complet, & ſimul ex pondere in imum fertur, donec alias ſupernatandum fuerit. Hæc ille.

EQ. Eſt & nauplus piſcis ſepię perſimilis nautæ officio peritiſſime fungens; de illo Plin. lib. 9. cap. 30. Nauigeram (inquit) ſimilitudinem in Propontide ſibi viſam prodidit Mutianus. Concham eſſe acatii modo carinatam, inflexa puppe, prora roſtrata: in hac condi nauplium animal ſepiæ ſimile, ludendi ſocietate ſola: duobus hoc fieri generibus. Tranquillo enim mari vectorem demiſſis palmulis ferire, vt remis. Si vero flatus inuitent, easdem in vſu gubernaculi porrigi, pandique concharum ſinus auræ. Huius voluptatem eſſe, vt ferat, illius, vt regat: ſimulque eam deſcendere in duo ſenſu carentia, niſi forte triſti (id enim conſtat) omine nauigantium humana calamitas eſt. De eodem nauplo ita nauigante Albert. animal. lib. 24. in litera C.

TH. Quid vero obliuiſcimur pugilares, vnde omnis literatura, omne etiā negotium, vt ſeruetur, memoriæ pendere videtur? Pugilares mare, vt optimus artifex perficit. Sunt enim piſces pugilares atramento rite oppleti. Sepia inter eos præcipua eſt, digna quæ commemoretur. Ea parit omnib. anni temporibus, perſeueratque in edendo ouorum fœtu dies quindecim; quoties autem ediderit, mas eueſtigio ſequens atramentum ouis ſuperfundit, atq; ita efficitur, vt ſolideſcant. Ariſtot. hiſt. anim. lib. 5. c. 12. Addit autem lib. 9. c. 37. Molium aſtutiſſimam ſepiam eſſe. Sola enim hæc (inquit) ſuo vtitur atramento, non modo cum metuit, verum abſcedendi cauſa, & cum progreſſa paululum ſe oſtenderit, redit in atramentum. Illudq; illi quoq; mirabile accidit, vt ſimilem ſibi contrahat colorem è loco in quo verſatur, qua re & ſic piſces piſcatur. Hæc ex illo.

EQ. Aliud eſt ſepiæ miraculum naturæ, ſi etenim lucerna, qua ſit infuſum eius atramentum, accedantur, aſtantium vultus Æthiopicos videri facit, Anaxilao auctore tradit Plin. lib. 32. cap. 10. & Iſidorus memorat lib. 12. c. 1. recolit etiam Albert. anim. lib. 24. in ſepia.

PH. Libet de ſepia recolere, quæ Ælianus tradit breuibus: Sepia (ait) cum ſe à peritis piſcatoribus captari cognoſcit, ſuum atramentum emittit, quo circumfuſa ab oculis piſcantium remouetur, eorúmque perſtringit oculos, cum ſit in eo purum oculis. Quam ſepiæ induſtriam etiam memorat Plin. lib. 9. c. 29. quo loco putat ſepiæ atramentum pro ſanguine eſſe.

TH. Vtitur ſepia atramento ſuæ conſulens ſaluti: at homo vafer veluti hæreticus eſt, atramento veritatem aſpergit: cum enim conuinci ſe animaduerterit, nebulas, nugasque, ac tenebras offundit, ne conuinci videatur. At atramento homines per orbem iure vtuntur, vt perpetuæ ſeruentur memoriæ non modo ſcientiæ ipſæ, verum etiam res geſtæ, & quæ accidunt, dum ſcriptis commendantur. Neque enim præteritorum vlla nobis ineſſet cognitio, niſi atramento cum ſculptura ac pictura perpauca continere potuiſſet. Sed vt omnia, quæ proficiunt homini bono, malus etiam peruertit, ita atramento doloſitas, vafritiesq; in orbem ſerpere viſa eſt: dum falſa ſcriptis mandātur, ſuperſtitiones diſſeminantur, vitia aperiuntur, errores oſtentantur, hæreſes euulgantur, ac falſa quæque hominum mentibus inſtillantur, vt neſcias, plura ne fuerint ex atramento beneficia, an maleficia ſcriptis, atque impreſſioni commendata. Sed certe ſatius eſt, non carere rebus bonis, tametſi in malum ſæpe retorqueantur, quam, vt careamus malis, etiam res bonæ depereant.

PH. Id ita inſtituit natura, vt quæ bona acta ſunt ad ſalutem etiam animantibus indita ſint, vt atramento vtantur, non vt fallant, ſed ne fallantur ipſi, vt ea ex re damnabilior quisque homo ſit, dum innatum ingenium ita exercet, vt fallat magis, quam ne fallatur, aduertat; cum homini ideo prudentiam inſeruerit Deus, vt caute agat, ne fallatur, neque fallat, quæ ſunt prudentiæ propria. Atramentum igitur, quod homini perſæpe ad vitium vertitur, animantia ad ſalutem ſeruant: ſunt enim perplura animantia, quibus ineſt atramentum pro ſanguine. Loligo & Polypus idem habent, vt Ariſt. tradit anim. lib. 2. cap. 1. quo vtuntur vitandi periculi cauſa, ſi metus incutiatur, velut in latibulis ſeſe in repentino caſu abdentes; id etiam ipſe explicat lib. 9. cap. 37. Polypus (inquit) atque Loligo atramentum pro metu mittunt, ſed accreſcit denuo, poſtquam miſerunt, vt numquam copia deſit, at mutatione coloris facile venatur ipſe Polypus piſces. Trahit enim ſibi colorem ſimilem iis, quibus appropinquarit ſaxis. Hactenus ex Ariſtotele. Solinus quoque idem affirmat cap. 32. Sed Plinius quidpiam etiam addit lib. 9. cap. 29. Cum Polypus (inquit) alioqui brutum habeatur animal, vt quod ad manum hominis adnatat, in re quodammodo familiari callet, colorem mutat ad ſimilitudinem loci, & maxime in metu, brachia illi eduntur à congris, ſed renaſcuntur, ſicut lacertis cauda: aſſentitur iis Braſilius exem. hom. 7. & Olaus lib. 21. c. 21. *Polypus.*

PH. Polypo alios aſtus natura inditos teſtatur Trebius Niger: auidiſſimus enim eſt concharum. Verum quia dum ſe occludendo conchæ polypi brachia præſcindere poſſe putant, vnde piſcator ipſe captus expiſcatus eſſet, vt ſibi caueat polypus, apertis conchis lapillum lignumve iniicit, vnde rurſum occludi nequeat concha, ipſe vero carnes vorat, ex Plinio lib. 9. cap. 30. Albert. lib. 24. qui adiicit etiam, homines rapere de naui, & ſponte ſua ſibi brachia edere, quæ tamen renaſcuntur, lib. 24. in Polypo.

EQ. Quod vero de polypo tradit Ariſtoteles, memorabile valde eſt: ſcribit enim, locuſtis marinis tanto terrori eſſe, vt cum eodem reti locuſta perſenſerit adeſſe polypum, ſtatim moriatur; ita ille anim. lib. 8. cap. 2. cui ſubſcribit Plinius lib. 9. cap. 62. & Ælianus lib. 10. cap. 39. Alb. anim. lib. 24. in locuſta.

PH. Nil mirum, locuſtæ imbecilli animanti polypum afferre exitium, quando etiam aquilam animantium omnium generoſiſſimam deuincat, & occidat, quando etiam hominem ipſum: ſcribit enim Ælian. lib. 7. cap. 11. *Polypus* (inquit) *ſe in ſaxi colorem facile vertit, ſi velit, non vertitur, ſi nolit: vult autem, cum inſidiari vult piſcibus. Contingit aliquando eum colorem mutaſſe, atque aquilam ſummo impetu deuolaſſe, at ipſe circumplicata aquila pertinacibus brachiis, & cirris aquilam interfecit trahens illam in pelagus.* Hæc ille, qui & natantem hominem brachiis circumplicaſſe memoratur, interemiſſeque ſanguinis è pectore ſuctu. Plin. lib. 9. cap. 30.

EQ. Quod in polypo admirabilius eſt, illud memoratur, quod in tantam amplitudinem aliquando creuiſſe compertus ſit, vt cæto æquari poſſet: erit nobis Plinius auctor lib. 9. cap. 30. deinde alii inſignes viri, vt Fulgoſ. Lib. enim 1. Cum in Hiſpania (inquit) piſcatores, qui tynnos condiunt, ſingulis noctibus aliquid iis, quæ iam parauerant, ſubtrahi animaduerterent, & propterea diligentius rem obſeruarent, non ſine ingenti formidine cum latratu ſuo canes ad rem inſpiciendam inuitarent, proſpexerunt vaſtam terribilemque belluam ingenti ſpiritu, brachiiſque canes à ſe abigentem, ad quos defendendos accurrentes, qui aderant, variis inſtructis armis, magno labore tandem feram confecerunt, cognoueruntque poly-

pum eſſe, qui eiuſmodi cibi auidiſſimus ſuperioribus noctibus, quod piſcatores deeſſe ſibi querebantur, rapuerat. Huius belluæ caput immenſum horrendumque fuit, quod Lucius Lucullus, qui illud inſpexit, putauit quindecim amphorarum, quæ in nauticis rebus bottæ dicuntur, menſuram continere. Brachia autem ingentia, adeo vt vix hominis complexu cingi poſſent, internodiaque crurum magnæ ollæ amplitudinem complere. Eius autem reliquiæ in miraculi teſtimonium ſepoſitæ fuere, ſeptingentarumque librarum pondus exceſſerunt. Hæc Fulgoſus, haud dubie mutuatus à Plinio, qui Carteiæ hoc contigiſſe narrat, & beſtiæ brachia ad pedes triginta longitudine fuiſſe porrecta, Trebio nigro, qui ea ſcripſit, teſte oculato. At de altero polypo etiam ſcripſit Ælianus lib.13. *Temporis* (inquit) *longinquitate polypi adeo magni euadunt, vt ad cæti magnitudinem accedant, cætaceique generis numerum obtineant.* Puteolis oppido Italiæ auditum eſt, polypum, cum inuſitata ad corporis molem facta progreſſione ad maximam magnitudinem perueniſſet, egregio ſpreto & neglecto maritimo victu, in continentem proceſſiſſe, & terrena pleraque vaſtaſſe, & per ſubterraneum ſpecum Puteolanas ſordes in mare transmittentem in maritimam domum aſcendiſſe, vbi mercatorum res, ſalſamentaque in magnis vaſis eſſent, brachiorum circumplexione primum vaſa ſtricte comprimente corrupiſſe ac depopulatum fuiſſe. Stupentibus mercatoribus, vnde tanta ſalſamentorum iactura fieret, conſilium captum eſt prædonem nocturnum obſeruandi: repetente igitur conſueta pabula polypo, accurrit magna hominum multitudo, à qua vix interemptus eſt. Atque ita contigit nouum digne commemorandum, vt in terra piſcis fuerit expiſcatus, non in mari. Eius corium ſe vidiſſe teſtatur Ælianus ibi. Hactenus de Polypo, cuius pertinacia, vbi adhæſerit, tanta eſt, vt ſi forte ſaxo hærentem quis velit auellere, potius carnis partem amittit, aut ſaxi partem ſecum trahit, quam vt auellatur, vt memorat S. Gregorius Nazianzenus Monod. quamquam ibi non polypum, ſed polypodum appellet.

PH. Quoniam incidit mentio de piſcium amplitudine, fuerit præopportunum de varia magnitudine eorum diſſerere, quandoquidem ſuper omnia animantia piſces corporeę molis incrementum accipiunt, adeo vt vnicus piſcis in littus detractus, ſublata carne, exſiccatiſq; prorſus oſſibus, ampliſſimas domus, aulas, cubiculaque ad habitandum percommoda ſuppeditaſſe memoretur, detracta ipſius pelle, ac reddita tecti vicem præbente, vt Olaus tradidit libro 21. capite 16. *Maritima* (inquit) *monſtra Aquilonaris cœli adeo ingentis molis ſunt, vt in littus abiecta exeſis prorſus eorum carnibus, mundatiſque oſſibus, quaſi quædam naues optime lignis compactæ videri poſſint: quin etiam ſi pronum iaceat piſcis cadauer, amplæ domus vicem tenet ſuperne confectis feneſtris hinc atque inde cubiculis diſpoſitis, portis etiam fabrefactis, & occluſis ex ipſius piſcis maxillis, tanto totius inhabitantis familiæ commodo ſeparatis habitaculis, vt ſuperſit & gallinis ſuibusque, atque equo alendo locus. At inhabitantibus accidit quiddam admirabile: quicunque enim ſub hoc naturæ magis quam artis tecto obdormierit, perpetuis inſomniis vexatur, quaſi maritimis procellis iactetur, immineatque naufragium, ac merſio, aut ſaltem huc atque illuc per pelagus actitari euagarique ſe putat.* Hæc ex Olao.

Inſtar nauis & integra domus piſces reperti.

EQ. Hanc piſcis amplitudinem facile admitto, quandoquidem etiam Strabo ipſe lib.15. atteſtatur, compertos fuiſſe piſces, quorum oſſibus domus contignarentur, portæ obſerarentur; quod & Plinius affirmat lib.9.c.3.

PH. Sunt hęc immanium piſcium corpora quibuslibet Oceani partibus: nam vt de proxima nobis Africa agamus, piſcis ambara longus ad brachia 25 comper-

tus

tus eſt. Ex illo manat inſignis ille odor, quem *Ambracan* vulgus nuncupat. Leonius p. 9. Sed & circa Bonæ Spei promontorium piſces viſi ſunt, quorum amplitudo mediocribus domibus æquari poſſit. Ludouicus Barthema in calce operis.

TH. Excreſcunt longe magis in Aquilone piſces, quam reliquo mari, vt iam ex Olao libro vigeſimo primo, capite nono diximus. Teſtatur is anno Domini 1532. ſeſe piſcem vidiſſe longum pedes 90. cuius craſſitudo ab imo ventre vsque ad ſummum dorſum eſſet pedum octodecim: oris autem hiatum patuiſſe tradit ab imo in ſummum recta linea pedes vndeuiginti, maximas trium pedum craſſitudine, oblongas ad duos ſupra viginti pedes, coſtas ſingulas craſſitudine ſeſquipedali, longas ad pedes duodecim. Adiicit præterea, tres illi fuiſſe in vtero ſpecus ingentes, in gutture ſinus triginta: pinnas ſingulas (duæ etenim tantummodo erant) pedum quindecim, quas nec quinque boum iuga traxiſſent, linguam ad viginti vnum pedes longam, interuallum, quod interiacet oculis, octodecim, caudæ extremum patebat pedes vnum & viginti ſerratum. Carebat hæc bellua dentibus, at in palato obduræ erant ſquammæ. Hæc ex Olao oculato teſte, vt ita libeat aſſentiri Alberto Magno, qui vidiſſe ſe teſtatur piſcem, cuius ſingulorum oculorum fouea viginti hominum capax eſſet, id ipſe ſcribit anim. lib. 24. in cæte: propterea non idem cæti genus eſt, de quo traditum habuiſſe dentes quatuor cubitorum longitudine. Alb. lib. 24. in litera B.

EQ. Qui Orbem luſtrarunt tradunt, in ſinu Orotigna noui Orbis compertum aliquando piſcem, cuius capitis amplitudo in altum fuerit ad pedes quindecim, latitudine longe maiori, reliquo corpore vltra 30. Eius pinnas fuiſſe grandes vti ingens dolium, longas pedes 20. Ouet. hiſt. lib. 13. cap. 2. Adiicit præterea, viſum in eodem ſinu piſcem è mari recta exerentem caput, cum duabus anterioribus pinnis, & iis ſolis exertis partibus altitudinem malorum nauium ſuperaſſe, frequentius ſeſe demerſiſſe, & merſiſſe erecto ſemper corpore, & longa maris ſpatia deturbaſſe tradit Ouetan. hiſt. lib. eodem.

TH. Surius Carthuſianus vir pius in ſuo commentario ſub anno Domini 1531. tradit, apud Harlemum inſigne Hollandiæ oppidum piſcem longum pedes ſexaginta octo, craſſum triginta inuentum, tantaque oris vaſtitate fuiſſe, vt pateret pedes duodecim.

PH. Hæc, quæ recentiores memorarunt, augent fidem iis, quæ priſci ſcriptores tradiderunt, præcipue vero de innominatis piſcibus: nam de vero cæte poſtea agemus. Plinius igitur lib. 9. c. 5. non erit contemnendus, cum ſcribit in hæc verba: Turanius prodidit expulſam belluam in Gaditana littora, cuius inter duas pinnas vltimæ caudæ cubita ſexdecim fuiſſent, dentes eiusdem 120. maximi dodrantium menſura, minimi ſemipedum. Belluæ alterius oſſa Romæ apportata ex oppido Iudææ Ioppe oſtendit inter reliqua miracula ædilitate ſua M. Scaurus longitudine pedum 40. altitudine coſtarum Indicos elephantos excedente, ſpinæ craſſitudine ſeſquipedali; quod & Solinus memorat cap. 36.

At piſcium ingentium, quibus nomina ſunt plura, apud auctores recenſitæ ſunt amplitudines, nec fuerit importunum recolere. Extat, cui nomen eſt phyſeter, quem Strabo lib. 3. tradit in Turditania Africæ ora apparere, eminereq; plurimum ſuper mare ingentis columnæ modo, euomereque aquarum fluuios. Solinus quoq; cap. 53. Sunt (inquit) quos phyſiteras nuncupant, qui enormes vltra morem ingentium columnarum ſuper antennas ſe nauium extollãt, hauſtosq; fiſtulis flu-

ctus

ctus ita eructant, vt nimboſa aluuie plerumque deprimant alueos nauigantium. Hocque naufragandi periculum etiam affirmat Olaus libr. 21. c. 6. qui illud etiam adiicit, vinci expellique procul ipſum phyſiterem tum tubis, tum æneis tormentis, fragore magis, quam ictu ipſo. Plin. lib. 9. c. 4. eadem de phyſitere memorat. Albertus addit, non modo nauigia aquarum vomitu demergere, ſed adeo ipſum ingentem fieri, vt molem ſuam trecenta iuga boum non trahant: ex eo manare odorem illum, cui *Ambracan* nomen eſt. Hæc ille lib. 24. in B.

Phyſiter aquarum vomitu demergit naues.

Balena.

EQ. De balenis igitur, quæ paſſim traduntur, admitti poſſunt. Veteres enim, inter quos Nearchus ſcriptor fuit, tradidere multa: ſcribit is, à ſe viſum in Perſico littore cæte longitudine cubitorum 50. ſquammis obtecta cute, craſſitudine cubitali, conchis, oſtreis herbiſque marinis deſuper enatis. Perſimilis quoque piſcis Strabo meminit lib. 16. Dicit enim, à ſe viſum iuxta mare rubrum longum cubita 50.

PH. De balenarum ampliſſima mole Plinius etiam tradidit libro 9. c. 3. aliquando quaternum iugerum fuiſſe; quod & Solinus memorat c. 53. Verum lib. 32. c. 1. hæc habet Plinius. Iuba in his voluminibus, quæ ſcripſit ad C. Cæſarem Auguſti filium de Arabia, tradit, cæte ſexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum ſexaginta latitudinis in flumen Arabiæ intraſſe. Hæc ab illo ſcripta, quamquam humanam fidem exceſſiſſe videantur, tamen diuus Baſilius aliquando ſcriptum reliquit, cæte ſæpe etiam montibus æquales fieri, exem. hom. 7. quod paulo poſt proſequemur pluribus. Ælianus autem & ipſe ſtudioſiſſimus rerum huiusmodi inueſtigator digna quædam de cæti amplitudine memorat libro 16. cap. 12. *In mari* (inquit) *Indico cæte, cuius coſtæ 20. cubitorum longitudine procedunt, & quintuplo eſt Elephantis maior.* Hæc ille. Sed & libro 17. c. 6. Ad Syrtim, Theocles ait lib. 4. cæte procreari triremibus maiores. Oneſicritus & Orthagoras ſcripſerunt, cæte longitudine dimidii ſtadii, & latitudine pro rata longitudinis portione augeri.

Cæte inſtar montis.

TH. Sacri ſcriptores aliquot iis fidem aſtruunt: nam præter id, quod beatus Baſilius, vt diximus, in exemero hom. 7. commemorat, cæte aliquando viſum maximis montibus ſimile, & adæquari, etiam ſæpe Inſularum magnitudinem exhibere, ſi quando in aquæ ſuperficiem enatarint, tradit ſanctus Ambroſius exemero, quod etiam teſtatur Vincentius natur. lib. 17. cap. 41. Sed & ſanctus Auguſtinus ſuo quoque tempore meminit in publico Carthaginis foro admirandæ amplitudinis cæte oſſa miraculi cauſa proſtetiſſe, ita ille Epiſtola 49. At vero oſſa coſtarum ibi viſa ſunt tanta amplitudine, vt curua equeſtrem hominem pertranſeuntem admittant. Leon. p. 2. Propterea illud ad hæc iure commemorandum eſt, quod accidit ſancto Maclouio Britanno Epiſcopo: cum enim aliquando in Inſulam Iman perueniſſet, viſo colle peragendis ſacris myſteriis percommodo, in illum ſe contulit cum omni comitatu, peregitque diuinum ſacrificium. Cum autem ad Dominicam orationem perueniſſet, totus is locus commotus eſt. Erat autem cæte, qui collis putabatur, ſuper quem ob temporum diuturnitatem iam plurimus aggeſtus puluis erat, herbæque enatæ. Iam igitur qui aderant, cum eſſe cæte animaduertiſſent, dimiſſo ſacrificio in fugam ſe dabant ad nauigia properantes: pleroſque tamen Maclouius adhortatione ſua, ne deterrerentur, confirmauit, conteſtatus dum Miſſæ perageretur ſacrificium, nemini prorſus belluam nocituram; atque ita integrum abſolutum eſt ſacrificium, atque inde ad ſua quiſque nauigia illæſus properauit. Vinc. hiſt. lib. 21. cap. 98. & ante illum Segebertus Gemblacenſis in vita S. Moclo-

Mocloüii, c. 7. qui memorat, tum miraculo affuiſſe centum octoginta viros; quæ etiam apud Surium Tomo 6. Nouembri menſe.

EQ. Zonaras Græcus auctor & de cæte admiranda narrat in Iuſtiniano in hæc verba: *Hoc Imperatore cæte ille captus eſt, qui ByZantiis vltra quinquaginta annos moleſtus fuit, quem Torphirium appellabant, non ille quidem ſemper apparens, ſed ex interuallis. Cæterum quoties apparebat, cum multas naues demergebat, tum multis hominibus exitium afferebat: qui cum multis machinis peteretur, eæque omnes eſſent irritæ, tandem in proſequendis delphinis captus eſt; qui cum prope terram confugiſſent, ille impetum non inhibuit, donec proxime terram prouectus in vliginem & profundum lutum incidiſſet, vnde emergere non potuit, quo accolæ cognito marinam illam belluam ſecuribus & bipennibus confecerunt, & funibus, qua craſſior erat, alligatis boum iugis in terram pertraxerunt. Eius longitudo triginta cubitorum fuit, latitudo decem.* Hæc ille ex Procopio Cæſarienſi bell. Gottor. lib. 3. Accedunt iis, quæ Olaus tradit lib. 21. c. 5. Circa Noruegiæ littora ait conſpici balenas, quarum vel ſolus intuitus ingentem hominibus pauorem incutiat, quadratum illis caput eſt vndique ſpinis refertum, cornibus peracutis ac longis radicum ingentis arboris modo: ſingula enim cornua denos atque duodenos cubitos excedunt, oculi ſinguli ambitu cubitis decem ſunt ampliores. Noctu ii coruſcant ingentium flammarum modo: procul enim viſi à piſcatoribus ignes eſſe grandes putantur. Superciliorum pili atque etiam menti ad barbam frequentiſſimi ſunt nihilo minores calamis anſerinis. Tanta illis eſt vis, vt naues euertant; idque teſtatur ex Epiſtola Archiepiſcopi Nidroſienſis, qui de huiusmodi bellua Leonem Decimum Romanum Pontificem reddiderat certiorem anno Domini 1520. Eodem etiam libro cap. 8. memorat, viſum fuiſſe cæte, cuius hiatus pateret ad pedes duodecim, dentibus hincinde diſpoſitis aprorum elephantorumque perſimilibus, tam vaſtis oculis, vt intra ſingulorum ambitum viginti homines percommode inſidere poſſent: circumcirca oculos ac ſupercilia pro pilis cornua numerabantur ducenta quinquaginta, eaque obdura, proinde ac reliquorum animantium cornua, porrigebanturque ſingula ad longitudinem pedum ſeptem, reliquum corpus ab hac capitis vaſtitate deprehendi poteſt. Hæc ex illo, qui eodem libro capite ſeptimo memorat, cæte viſum trecentos pedes longum. His concinne eſt, quod Albertus tradit, piſcium ſupercilia extare in longitudinem octo pedum, numerarique ad 250. Hæc ille anim. lib. 24. in balenis. Adiicit autem, tantam illi vim ineſſe, vt in Phriſia, cum in arenam inſequens alios irruiſſet, funibusque ac palis ibi ligatus infixusque fuiſſet, redeuntibus fluctibus ſeſe extricauit in altum relapſus. Alb. libro 24. in cęte. Sed de amplitudine cæti hactenus.

PH. Balenis plurima accidunt memoratu digna: primum quidem circa formam capitis; nam Plinio videtur, baleni ac cæti os eſſe in fronte, ideoque ſumma aqua natantes in ſublime nimbos efflare. Hæc ille libro nono, capite ſexto. Deinde circa vitæ progreſſum, cum plurimum adoleuerit, ob ingentem ſuperuacaneamque pinguedinem hebetantur illi oculi, vt etiam cæcutire videatur, quamobrem ductore eget. De ea re ſic Ælianus libro ſecundo, capite decimo tertio: Omne fere (inquit) cætarium genus duce ad ſibi moderandum eget, illisque ducibus ad videndum vtitur; is autem dux eſt, quemadmodum harum rerum periti teſtantur, longus piſcis, colore albo, capite prælongo, anguſta cauda: nam hic ſeparatim numquam ab illo nauigat, ſed ante huius caput antecedens ipſius dux, ac quaſi temo exiſtit. Etenim cuncta illi & prouidet & præſentit, caudaque extrema pręmon-

ſtrat, ſingula tum horribilia formidoloſaque inhibet, tum cibaria conciliat, inſi-
diasque à piſcatoribus poſitas ſigno quodam oſtendit, atque quem locum propter
magnitudinem illum adire non oporteat, præſignificat: ob nimiam enim pingui-
tudinem cæti oculus efficitur ad videndum ineptus, quod ſi is piſciculus, quoad
neceſſaria vtitur, perit, illi quoque pereundum eſt. Hactenus ille. Quin illud quo-
que accidit balenis memorabile, vt prolem ſuam, cum pauor aliquis ſuperuenerit,
ore excipiant, ob nimiam erga illam beneuolentiam. Olaus libro vigeſimo primo,
capite duodecimo. Inter balenas piſcis certe videtur commemorandus ob ampli-
tudinem. Indicus eſt piſcis, hunc aliquando ducenum cubitorum compertum tra-
dit Plin. lib. 9. c. 3. de eo Albertus lib. 24. Sed de hiſce rebus hactenus.

EQ. Cur autem vermes omittimus? nam aliqui piſcibus annumerantur, & incredibili amplitudine ſunt: cum etenim nihil verme ſit vilius, elucet tamen in eo aliquando admiranda naturæ vis; nam præter id, quod in Aquilone inuenti ſunt longitudine cubitorum quadraginta, etiam tactu ſolo noxii adeo ſunt, vt manus lædantur, & intumeſcant, ii comperti ſunt circa Noruegiæ littora. Olaus lib. 21. cap. 24.

PH. Longe admirabilior eſt cœruleus vermis, quem gignit Ganges fluuius, de quo alias egimus, diximusque illi brachia eſſe bina, cubitorum ſex longitudine, quibus correptum in ripa elephantem in imum trahit, atque exedit, ex Solino & Plinio.

EQ. Anguillis etiam innata admiranda naturæ vis eſt in eodem Gange: nam Solinus capite quinquageſimo tertio tradit, ibi tricenum pedum longitudine ex-
creſcere, quod & Plinius affirmat libro nono, capite tertio. Alb. anim. lib. 24. in an-
guillis. Quin vt de anguillis noſtratibus agamus, memorandum eſt, illis natura in-
ditum in Italia in lacu Benaco Veronenſis agri, vt autumno adeo mutuo glome-
rentur, vt globus vnus mille continuiſſe repertus ſit. Plin. lib. 9. c. 22.

PH. Admirabilius eſt in anguillis, quod nullius ſint amoris participes, cum
adeo mutuo glomerentur. Non enim coeunt, neque mutuis complexibus gig-
nunt, quandoquidem illis nullus ſexus ſit, vt Plinius memorat libro decimo, capite
ſexageſimo octauo, neque vlla eſt inter eas fœmina, teſte Ariſtotele anim. libro o-
ctauo, capite trigeſimo. Cum igitur non pariant, neque coitu ipſæ procreentur, vt
Ariſtoteles tradit anim. libro ſexto, capite decimo ſexto, facile credi poteſt, mille in
vnum globum glomerari poſſe, vbi nulla ſit æmulatio, nullus ob ſexum zelus. Pro-
pterea Diuus Baſilius in exemero hom. 9. admiratur, anguillas nouo quodam mi-
raculo abſque parentibus procreari. Albertus tamen dubitat, in anguillis eſſe ſe-
xum, cum viderit in Germania duas, ex quarum vteris albæ multæ ederentur ani-
mæ, libro vigeſimo quarto in anguillis. Adiicit autem illud, anguillas neque in Da-
nubio flumine viuere, neque in aquis in illum influentibus. Ibid.

EQ. Vt anguillis nulla eſt fœmina, ita murenis nullus eſt maſculus: cum igitur
omnes fœminæ ſint, poterat natura inſtituere, vt anguillis murenæ eſſent vxores,
& murenis anguillæ mariti: ſed certe admiranda eſt inter vtrumque hunc ſexum
abſtinentia, cum tamen vtriuſque forma non admodum ſit diſſimilis. Eſſe omnes
murenas fœminas tradit Plinius libro nono, cap. vigeſimo tertio. Sed vt deprehen-
do, fœmineum omne genus magis ad adulteria procliue eſt, quam mares conſue-
uerint, quod à murena deprehenſiam recolo libenter, quæ malit terreſtris animan-
tis, eiusque deterrimi ſerpentis viperæ complexus, & ex illo gignere, quam ex opti-
mo ſi-

mo ſibi perſimili piſcium genere concipere, ac procreare, vti diſſerebamus in ſerpentibus ex Diuo Baſilio, in exemero hom. 7. vbi tamen aliquid ad pium matrimonii vſum rite ſeruandum docet ex iſtis ſerpentis viperæ & murenæ moribus. Sic igitur ille: *Viri diligite vxores, etiamſi externi & extortes inter vos eſtis, ad nuptiarum ſocietatem conueniſtis: naturæ vinculum per benedictionem iugum ſit vnio diſtantium. Vipera ſæuiſſimum omnium reptilium ad marinæ murenæ nuptias accurrit, & vbi ſibilo præſentiam ſuam indicauit, euocat ipſam ex alto ad nuptialem complexum. Hæc vero obedit, & cum venenum iaculante beſtia vnitur. Quid vult mihi hic ſermo? quid? ſiue aſper ſit, ſiue ferus moribus maritus, neceſſe eſt ferre coniugem, & ex nulla occaſione admittere, vt vnio diuellatur. Percuſſor eſt, aut vir ebrioſus eſt, at vnitus ſecundum naturam. Aſper eſt & implacidus, at membrum iam tuum, & membrorum præſtantiſſimum. Audiat autem vir admonitionem ipſi conuenientem: Vipera nuptias reuerita venenum euomit, tu naturæ crudelitatem & inhumanitatem non deponis ob reuerentiam vnionis? Aut fortaßis etiam aliter commodat nobis viperæ exemplum, quod adulterium quoddam eſt viperæ & murenæ complexus; diſcant igitur alienis nuptiis inſidiantes, quali reptili ſint ſimiles.* Hæc ille. Albertus tamen, vt alias diximus, fabulam putat murenam coire ſerpenti vlli, qui venenum euomat; ita illi anim. libro 24. in murena, ſed ſentire cum magno Baſilio præſtat.

Coniugii maximum decus.

PH. Ad idem etiam argumentum doctiſſimus Andreas Alciatus carmen edidit, iure commemorandum, ad legitimum vſum nuptiarum:

Cum furit in Venerem, pelagi ſe in littore ſiſtit
Vipera, & ab ſtomacho dira venena vomit.
Murenamque ciens ingentia ſibila tollit,
At ſubito amplexus appetit illa viri.
Maxima debetur thalamo reuerentia, coniux
Alternum debet coniugi & obſequium.

TH. Poſſet non inconcinne viperæ & murenæ complexus ſubindicare matrimonia illa, de quibus Beatus Paulus ad Corinth. 7. *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam, & ſi qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum: ſanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem.* Hæc ille, quod nos iam antea etiam recenſuimus, cum de muliere apud Niſibim diſſereremus, cuius induſtria vir ethnicus & à fœnore & à gentiliſmo reuocatus eſt, inuenta in piſce gemma, quæ longe maius lucrum attulerat, quam quodlibet ingens fœnus potuiſſet.

EQ. Murena tamen, vt Baſilius expreſſit, ad adulteram mulierem pertinere iure poteſt: nam & illi accidit, quod adulteris mulieribus inſipientibus, quæ in capite ſenſu omni carere videntur, ſenſum omnem in inguine conſtituentes. Nam murenæ anima, vitare non in capite, ſed in cauda eſſe videtur: nam icto capite non moritur, ſed læſa percuſſaque cauda interimitur. Plin. lib. 32. cap. 2. Iſidorus lib. 12. cap. 6. Deinde in adultera illud animaduertimus, vt nulla diſciplina, nullis periculis, nullis aduerſis deterreatur, ſola adulteri, vnde voluptas illi eſt, indignatio eam conficit, & ſæpe perimit: ita murenæ accidit, vt fuſte percuſſa difficile perimatur, ferula vero, quæ leuiſſima eſt, ſi percutiatur, mox exanimatur, quod etiam diximus in Colloquio de Serpentibus, vt Iſidorus tradit lib. 12. cap 6. ex Plinio. Sed de hiſce rebus hactenus.

Murena adulteram denotans.

PH. Quibus comparabimus aquatilia illa, quæ cum aquis gignantur, inde-

que & vitam & alimentum ſumant, terræ tamen adhærent, ibique ſedent, cuiuſmodi oſtrea, ſpongiæ, pinnæ, vngues?

TH. Malis ea comparabimus Chriſtianis, qui Baptiſmo quidem initiantur; attamen eius ſanctificationem poſtea contemnentes vitę ac morum fœditati ſe dedunt, terrenis affectibus prorſus illigati, vnde vix auelli poſſint, & auulſi dolore torqueantur.

Oſtrea. *PH.* Recte equidem. De oſtreis igitur primum agamus, quibus plura accidunt memoratu digna: ſexum non habent, ſicut nec reliqua animantia, quæ ſaxis adhærent. Plin. libr. 10. cap. 68. Augentur tamen aliquando in tantam amplitudinem & copiam in Indico mari, vt credi vix poſſit: vnius enim caro ad librarum viginti quinque pondus comperta fuiſſe perhibetur, auctore Antonio Pigafetta, quin etiam ad libras quadraginta ſeptem in regno Burneo aſcendiſſe memorat Maximilianus Tranſiluanus apud Ramuſium Tom. 1.

EQ. Ex oſtreis eximia purpura cum conficiatur, mirum ibi adeo eſſe ingentia oſtrea, vbi nemo purpura induitur. In Europa vero, vbi frequentiſſimi ſunt, qui illa vtuntur, adeo tenui carne ſunt, vt vix humanum digitum excedant. Id certe fert humanarum rerum conditio, vt, vbi res quæritur, abſit, adſit autem vbi contemnitur. Nam aurum apud Indos arenæ ac lapidum more inuentum nihili habebatur: quod in Europa cum tanti fiat, nuſquam compertum, niſi illatum. Conficitur autem purpura ex oſtreis, ſi ſanguis eius colligatur, quod præcipue fieri legimus in Inſula Iamboli Indica, vbi plurimus illis eſt ſanguis. Iambolus eſt auctor apud Ramuſium Tom. 1. Vniones quoque pretioſiſſimi in iisdem oſtreis nati comperiuntur, & maximi, quandoquidem in Inſula, cui ob id vulgus nomen indidit Italicum, *Delle perle*, repertus eſt vnio, quanta eſt nux iuglans, coemptus aureis nummis ducentis ſupra mille: vbi enim maturuerint in vtero, eos edunt, pariuntque oſtrea, perinde ac oua gallinacea edi ſolent, retentis immaturis, vt tradit Petrus Martyr Summ. Ind. Eſſe autem frequentes tantæ amplitudinis & ipſe teſtatur, & Ouetanus ſeſe vidiſſe affirmat hiſt. lib. 19. cap. 8.

PH. Eſt in oſtreis ſua quoque ſolertia: nam præter id, quod contacta foribus occluſis ſæpe mures captiuos fecere, & epulata ſunt, vt carmine Alciatus memorat; nam dominorum, quibus furta multa illi fecerant, vindictam exercuerunt. Sic igitur ille:

Regnatorque penus, menſæque arroſor herilis
Oſtrea mus ſummis vidit hiulca labris.
Queis teneram apponens barbam falſa oſſa momordit:
Aſt ea clauſerunt tacta repente domum.
Deprenſum & tetro tenuerunt carcere furem,
Semet in obſcurum qui dederat tumulum.

Et quod maioris œconomiæ eſt, quibus nec pedes, nec manus, aures oculiue vlli ſunt, domi alunt ſolertem hoſpitem: nam oſtreis ſociatur animal minimi cancri forma, à quo monentur, ſi quid extraneum forte obfuturum ſuperueniat, vt concham occludant; id habet Alb. anim. lib. 5. tract. 2. cap. 2. Mirum hoc eo magis, quod cancer oſtreis inſidiatur, & exeſt: nam cum apertam videt oſtrei concham, ne occludi poſſit, lapillum aut ſignum interponit, atque ita illud depaſcitur, vt Baſilius exemero tradit. Qua etiam arte polypus edendis iisdem vtitur, vt eodem capite 2. memorat Alb. & in polypo iam diximus. Admirabile igitur eſt, vt oſtreis is cancer,

cer, quem diximus, ſtudioſus tuendis inuigilet. Erit igitur ille cancerculus cancrorum hoſtis: ita enim accidit, vt animantia hoſtilitatem cum iis gerant plerumque, quos formæ ſpecie imitantur. Formicis hoſtis eſt formicoleon, fucus apibus, lupus canibus, atque alia aliis vel degenerando virtute, vel inuidendo, æmulandoue moribus. Sed de oſtreis hactenus.

TH. Pertinacioris naturæ eſt ſpongia, & doloſitatis quoque habitaculum: domi enim latronem fouet, qui piſciculos per inſidias enecat. Mirum igitur in ſpongia marina ineſſe ſenſum, cum tamen inter plantas & animalia medium eſſe videatur, ſic enim de ea Ariſtoteles anim. lib. 1. cap. 1. *Spongia* (inquit) *ſenſum habere aliquem creditur, argumento, quod multo difficilius abſtrahitur, niſi clanculum agatur, vt referunt auulſores.* Hæc ille, quod & Plin. habet lib. 9. c. 45. *Spongiis* (inquit) *intellectum eſſe conſtat, quia vbi auulſorem ſenſere, contractæ multo difficilius abſtrahuntur; hoc idem fluctu pulſante faciunt, circa Toronem ex relictis radicibus recreſcunt.* Hæc ille. At Vincentius natur. lib. 5. cap. 79. tradit: *Spongias marinas quædam eſſe corpora inter plantas & animalia, quoniam & radicibus aluntur, vt plantæ, & tactu ſentiunt, vt animantia, eorumque principia eſſe vapores, vnde prius per ſe oriuntur; plantæ vero ex ſeminibus pluuia mediante.* Hæc ille. Sed Ariſtoteles anim. lib. 8. c. 1. tradit perſimiles eſſe plantis. Viuunt igitur aliquo ſenſu ſpōgiæ, ſed peſſimo Reip. exemplo ac pernicie. Sunt illis domus latebroſæ, multis finibus impenetrabiles, vt ibi quæque mala & fieri, & abdi poſſint facinoroſi; latronem enim & inſidiatorem alunt, cuius latrociniis ipſæ quoque ditentur. Ariſtoteles etenim tradit naſci in cubilibus ſpongiarum beſtiolam araneæ perſimilem, cui nomen eſt Pinothera. Degit hæc intra ipſas ſpongiarum latebras, & aperiendo, claudendoq; piſciculos capit: aperit, vt ad ingreſſum inuitentur, claudit cum ingreſſi fuerint, ne redeant. Hæc ille anim. lib. 5. cap. 15. ſed pluribus id explicat Ælianus lib. 8. cap. 15. Spongiam (inquit) dirigit puſilla beſtia, non ſpecie quidem cancro, ſed magis araneis ſimilis, neq; enim inanima hæc eſt, nec ſanguinis expers, ſed partus maris animans: quemadmodum in ſaxis innaſcitur, & cætera animalia motu prædita ſunt, ſic hæc ipſa ſuum quendam motum habet: veruntamen animalculo ad ſe ſenſu afficiendum, & vt ſit animata eget. Nam propter quandam caritatem ingenitam, & mollitudinem pertuſam non ſe commouet, ſed cum quidpiam in ſua foramina inciderit, & ab eo beſtiola, quam dixi araneo ſimilem, excitata id comprehendit & exedit: cum autem ad euellendum eam è ſaxis homo acceſſit, ipſa ab eo ipſo animali conuictore ſuo ſtimulata inhorreſcit, & contorquens ſe arctiſſime contrahit, quæ cauſa hercle eſt, cur piſcatori plurimum negotii faceſſat. Hæc ille ethnicus, qui latronem caritate præditum eſſe putauit, qui alieno ſanguine victitet. Sed de ea re hactenus.

Spongia.

EQ. Sunt & alia piſcium genera, quæ cum terræ adhæreant, iure ambigunt auctores, ſint ne animantia: id ita tradit Ariſtoteles anim. lib. 8. cap. 1. Sunt (inquit) maris nonnulla, quæ ambiges, animalia ſint, an plantæ: hærent enim & detracta complura id genus intereunt, velut ſunt pinnæ, & vngues euulſi viuere nequeunt. Deniq; genus vniuerſum eorum, quæ teſta integuntur, plantæ ſimili reſpectu gradientium animalium eſt: quin & vis ſentiendi ita habetur, vt aliqua nullum eius indicium præbeant: alia leuiter & perobſcure ſentire videantur: nonnullorum natura corporis carnoſa eſt, vt eorum, quæ tubera appellantur. Hæc ille. Verum de Pinna Plinius lib. 9. cap. 42. his verbis eius admiranda narrat: *Concharum generis & Pinna eſt: naſcitur in limoſis ſubiecta ſemper, nec vnquam ſine comite pinnophilace: is eſt*

Pinna.

 ſquilla

ſquilla parua. Pandit ſe pinna, luminibus orbum corpus intus minutis piſcibus præbens:
aſſultant illi pretinus, & vbi licentia audacia creuit, implent eam, hoc tempus ſpeculatus
index morſu leui ſignificat, illa ore compreſſo, quidquid includit, exanimat, partemque ſo-
cio tribuit. Hæc ille, quod & ad lenonum, & aliorum impiorum domos ſpectare
poteſt, in quibus largiſſimus omnibus ingreſſus eſt, ſed pauci pedem reuocant ſe-
curi tum corpore, tum rebus, tum moribus, tum fama; hæc enim omnia ibi con-
ſumuntur.

TH. Admiranda certe ſocietas, vt qui oculis valet, eum ducat doceatue, qui
ſolis pedibus, manibusve aut ore valet, & qui cœcus eſt, ſuum ductorem vectet: id
enim contigit claudo, infirmoq; pedibus, qui ſolis valeret oculis: inita enim ſocie-
tate cum cæco beneualente pedibus communem vitam tranſigebant mutuo hu-
iusmodi beneficio, quod eleganti carmine cecinit Alciatus:

Loripedem ſublatum humeris fert lumine captus,
Et ſocii hæc oculis munera retribuit.
Quo caret alteruter, concors ſic præſtat vterq;
Mutuat hic oculos, mutuat ille pedes.

PH. Nunc ad alios piſces: natat, hæret, cũ vult, plus cæteris piſcibus echineis,
Remora piſcis. ſeu remora: cuius adeo admiranda vis eſt, vt hærens nauigio ſiſtat aduerſus remi-
ges, aduerſus ventos, de qua Albert. anim. lib. 24. de echeneide ex Ariſtotele hiſtor.
anim. 2. cap. 14. Recolemus igitur primum Æliani verba lib. 1. cap. 27. *Remora* (in-
quit) *hic piſcis dictus, quod naues remoretur, quibus adhæſerit.* Hæc ille. Ariſtoteles au-
tem anim. lib. 2. cap. 14. Remoram (inquit) errore nonnulli pedes habere prodide-
runt, expes enim omnino eſt, ſed quoniam pinnas habeat pedibus ſimiles, hinc fit,
vt pedibus inſtare videatur: piſciculus quidem ipſe eſt ſaxis aſſuetus, in cibos non
admittendus, nomen à remorandis nauibus adeptus. Hæc ille: Plin. autem lib. 9. c.
25. Eſt (inquit) paruus admodum piſcis aſſuetus petris, echeneis appellatus, hoc ca-
rinis adhærente, naues tardius ire creduntur, inde nomine impoſito. Trebius Ni-
ger pedalem eſſe, & craſſitudine quinque digitorum naues morari tradit; præterea
hanc eſſe vim eius aſſ:ruati in ſale, vt aurum, quod deciderit in puteos altiſſimos,
admotus extrahat. Hæc Plinius.

EQ. Quod hoc loco de remora tradit Plinius, perparum eſt: ac plura ſunt, quę
commemorat lib. 32. cap. 1. Paruus admodum (inquit) piſciculus echeneis, ruant
venti licet, & ſæuiant procellæ. imperat furori, viresque tantas compeſcit, & cogit
ſtare nauigia, quomodo non vincula vlla, non anchoræ pondere irreuocabili ia-
ctæ. Infrenat impetus, & domat mundi rabiem nullo ſuo labore, non retinendo,
aut alio modo, quam adhærendo. Hæc tantilla eſt ſatis contra tot impetus, vt vetet
ire nauigia, ſed armatæ claſſes imponunt ſibi turrium propugnacula, vt in mari
quoque pugnetur, velut è muris. Heu vanitas humana? cum roſtra illa ære, ferroq;
ad ictus armata ſemipedalis inhibere poſſit, ac tenere deuincta piſciculus. Fertur
Actiaco bello tenuiſſe Prętoriam nauim Antonii properantis circumire & exhor-
tari ſuos, donec tranſiret in aliam; ideoque Cæſariana claſſis impetu maiore proti-
nus venit. Tenuit & noſtra memoria Caii Principis ab Aſtura Antium remigan-
tis, nec longa fuit illius moræ admiratio, ſtatim cauſa intellecta, cum è tota claſſe
quinqueremis ſola nõ proficiſceretur, exilientib. protinus, qui id quærerent, circa
nauim inuenire adhærentem gubernaculo, oſtenderuntque Caio indignanti hoc
fuiſſe, quod ſe reuocaret, quadringentorumque remigum obſequio contra ſe in
tercede-

terccderet. conſtabat peculiariter miratum, quomodo adhærens tenuiſſet, nec idem polleret in nauigium receptus. Qui tunc, poſteaq; videre, eum limaci magnæ ſimilem eſſe dicunt. Hæc Plinius.

TH. Priusquam plura audiamus, optarim noſſe, qua nauis parte adhæreat, vt eam remoretur echeneis.

PH. Plinius teſtatus eſt circa gubernaculum hoc loco, quem recenſuimus, at circa puppim Ælianus tradit: Echeneis (inquit) pelagius piſcis, aſpectu niger, longitudine cum mediocri anguilla æquandus, nomen à rebus, quas agit, habet; ab inhibendis nauibus echeneida Græci ſcientes appellant. Naui ſecundo vento, & velis plenis impulſæ extremam puppim mordicus premens tanquam indomitum, atque effrenatum equum freno robuſto inhibens, violentiſſime ab impetu reprimit, fruſtraque ventis vela dantur, fruſtra venti afflant, quæ res vectores angit. Hæc ille.

TH. Supeſtitioſum id aliquando putaſſem, adeo ab humana abhorrent fide, quæ de remora perhibentur, niſi Diuus Baſilius in exemero hom. 7. idem affirmaſſet his verbis: *Si audieris, quod maximas naues, paſſis velis, ſecundo vento vtentes minutiſſimus piſciculus remora ita facile ſiſtit, vt immotas diutiſſime ſeruet, velut in ipſo mari radices egiſſent: nonne in paruo hoc eandem potentiæ conditoris ſignificationem accipis? non enim ſolum gladii, & ſerræ, & canis, & balenæ, & libellæ horrenda ſunt, ſed & paſtinacæ marinæ, aculeus eius quoq; mortuæ, & lepus marinus non minus horrenda ſunt, celerem & inuitabilem interitum inducentia.* Hactenus Baſilius. Debent igitur etiam Regum corda humiliari ſub potenti manu Dei, quoniam Romanorum Cęſarum vires piſciculus vnus ſua vi à Deo collata potuit impedire.

Humillimi & magnates ſunto.

PH. Id ita eſt: ad retundendam enim hominis ſuperbiam, ne ob diuina, quibus præditus eſt, dona ſe efferat, ex omnib. animantib. nudus naſcitur, vt ſua induſtria veſtiatur: imbecillus, vt ab omnibus ſe lędi poſſe pertimeſcat; quin etiam minimis animantibus vim quandam Deus omnipotens contulit, qua vel fortibus, prudentibusque viris, & damnum ingens, quandoque etiam exitium inferatur. Sunt autem inter piſces multa eiuſmodi animantia homini exitialia: exordiemur primum à torpedine, quæ cum ſit noxia, mirum cur tanta fœcunditate ſit prædita; de illa Ariſtoteles anim. lib. 16. cap. 10. tradit fœcundiſſimam quidem eſſe, & intra ſe ipſam & emittere & recipere fœtus ſuos, qui quandoque circiter octoginta comperti ſunt. At libro nono, cap. 37. Torpedo (inquit) piſcis, quam appetit, afficit ea ipſa, quam in ſuo corpore continet, facultate torpendi; atque ita retardata animantia præ ſtupore capit, iiſque veſcitur. Abdit ſe in arena, & limo, tum piſces, qui adnatantes obtorpuerunt, corripit; quam rem plerique conſpectam à ſe retulerunt. Hunc piſcem ſic viuere argumentum adduci poteſt, quod ſæpius in ventre habens mugilem, capit velociſſimum piſcem, cum tardiſſimus ipſe ſit. Torpedinem igitur piſcem etiam hominibus inſpirare torporem certum eſt. Hæc Ariſtoteles: adiicit Albertus experimento ſe didiciſſe, ſummo digito tangenti cuipiam brachio toto per ſemeſtre immobili laboraſſe: propterea ait, ſi diutius tangantur, etiam hominem perimere, eandemque vim obſtupefaciendi ineſſe halitui, & auræ ipſius torpedinis, nam & haſtæ contactu idem accidit. Hæc ille anim. lib. 24. in ſtupefactore & torpedine, & lib. 8. tract. 3. c. 1.

Superbire propter animi dotes hominem dedecet.

Torpedo piſcis.

EQ. Plinius quoq; affirmat homini eum torporem inducere, & piſcibus doloſe imponere: ſic enim ille lib. 9. cap. 42. Nouit (inquit) torpedo vim ſuam, ipſa nō

torpens,

torpens: merſaque limo ſe occultat, piſcium, qui ſecuti ſupernatantes obtorpue-
re, corripiens. At lib.32. cap.1. Torpedo (ait) etiam ſi procul & è longinquo, vel ſi
haſta, virgaue attingatur, quamuis prævalidos lacertos torpeſcere, & quamlibet
ad curſum veloces, alligari pedes facit. Hæc ille. Ælianus vero rem memorabilem
de illa narrat: *Torpedo* (inquit) *ideo dicta, quod tactu reliqui piſces obtorqueant. Ex matre*
mea, cum eſſem puer, audiui, ſi quis eam contigerit, manu obtorpeſcere: itemq; de ſapientibus
viris hanc auditionem accepi, quod ſi quis rete, in quo fuerit capta, attigerit, torpere: ſin au-
tem quis eam viuam in vas impoſuerit, & marinam aquam infuderit, tum ſi grauida ſit, &
tempus pariendi aduenerit, parit quidem in vaſe: quod ſi quis poſtea ex hoc vaſe aquam capiat,
& infundat in manum, aut pedem, torpeſcere manum aut pedem neceſſe eſt. Hæc ille lib. 9.
cap.4.

PH. Non modo illud eſt torpedinis opus, vt obſtupeſcere hominis manũ fa-
ciat, verum etiam tremere, vt Poggius Florẽtinus memorat relatu Nicolai de Co-
mitibus apud Ramuſium Tom.1.

TH. Eſt equidem hoc malum, dum torpent membra: ſed longe deterius fue-
rit febricitare, aut veneno affici, quod piſces nonnulli efficiunt, cuiusmodi Phyſa-
lus præcipue: qui cum informe monſtrum ſit, nempe capite carens & oculis, fer-
uet extra aquam, atque intumeſcit, venenoſus quoque eſt, vti de illo Ælianus lib.
Phyſalus. 3.cap.17. Phyſalus (inquit) piſcis maris rubri, neque oculos, neque os more pi-
ſcium habet, brachia habet, forma capitis coniectari poteſt, at expreſſum non eſt,
infra enim ventrem forma quædam leniter contracta in ſinum apparet, quæ ſma-
ragdi colorem reddit, quæ & oculorum & oris loco eſt, quisquis hunc ederit,
ventre disrumpitur. Piſcis hic, cum captus eſt, ſtatim extra aquam inflatur, & ſi
eum tetigeris, magis & magis intumens exardeſcit: tum ſi quis eum aſſidue mo-
ueat, præ ſiti totus perlucet, & tanquam morbo intercute laborans denique dis-
rumpitur: ſi quis hunc adhuc viuentem velit in mare reiicere, is ſupernatat
more inflatæ vento veſicæ: quocirca ex effectu Leonides Byzantius phyſalum ap-
pellat. Hæc ille.

PH Huic accedit piſciculus Indicus, qui cum ſemper in imo mari vitam ſuam
degat, nunquam emergit, niſi mortuus, tactuq; ſolo mortifer eſt, id habet Ælianus
lib.8.cap.7. Megaſthenem tradunt dicentem, in mari Indico piſciculum quendam
naſci, eumq; quoad viuit, in profundo quidem natantem non apparere, mortuum
vero ad ſummam aquam exiſtere & fluitare: qui eum contigerit, animi defectioni-
bus primum tentari, deinde obire mortem.

EQ. Reperiri quidem piſces, qui imo mari tantum degant, nunquam emer-
gant, eſt compertum, vt Olaus tradit lib.2.cap.6. vbi non vnum tantum genus hu-
iusmodi eſſe affirmat, ſed plura: at quod ad mortiferũ genus, compertum eſt apud
Indos in Zeilam in flumine Arotan, cuius iam antea meminimus, quod manu ten-
tum febrim immittit: ſed eo demiſſo, febris cum illo expulſa animaduertitur. Ni-
colaus de Comitib. Mirandum certe naturæ opus in hoc piſce, cum ſit homini
pernicioſus, nullo labore capitur: ſe enim ipſe capi permittit manu, nihil relu-
ctans. Natura igitur id inſtituit ſapientiſſime, vt capiatur perfacile, faciliusque dimittatur, vt febris cum illo abiiciatur. Carbones enim igniti etiam ſe
capi manu permittunt, ſed captos, & vrentes nemo niſi inſanus non excutit aut
dimittit.

PH. Eſt piſcis genus aliud in orbe nouo compertum febrim quidem homini
immit-

immittens,ſed non ideo quod manu teneatur,at quod in cibum ſit ſumptus:ſtatim enim atque in ſtomachum mittitur, febris exoritur. Comperti ii piſces ſunt circa Vrabæ littora. Petr. Hiſp. p.5.c.34. Sed de motiferis hactenus.

EQ. Agamus modo de piſcium variis ingeniis,quibus natura eos præditos eſſe voluit; ſunt enim commemoratione digna. Exordiamur ab Echino, qui in Indico mari compertus perhibetur aliquando tam magnus, vt teſta eius qua tegitur, hominem capere poſſit,Æliano teſte lib.16.cap.12.qui cum maritimam procellam præſagiat, nautarum doctor eſt,vt ſibi caueant;id tradit Baſilius exem.hom.7. Audiui (inquit) à quodam maritimo, quod echinus marinus paruum penitus & deſpicabile animal ſæpenumero nauigantibus & tranquillitatis & tempeſtatis doctor exiſtit:qui cum præuiderit turbationem ex ventis futuram,ſaxum quoddam generoſum ſubtergreſſus in ipſo velut in anchora firmiter fluctuat,& grauitate detinetur,vt ne facile ab vndis detrahatur. Hoc ſignum vbi viderint nautæ,ſciunt imminere violentum ventorum motum. Nullus Aſtrologus,nullus Chaldæus ex aſtrorum exortib. aeris turbationes coniectans echinum hæc docuit, ſed maris & ventorum Dominus. Hæc ille,cui & Plinii verba conſentiunt lib.18.cap.35. paulo ante finem.

Echinus nautis tẽpeſtatẽ fore prænũciat.

PH. Maiore admiratione habendum,quod de hoc echino traditur ab Æliano lib.9.cap.47. *Echinos* (ait) *adhuc viuentes obductos teſta, atq; aculeis communitos ſi quis contriuerit,& alia ſeparatim ab aliis fruſta in mare abiecerit: hæc tamen cohærentiam inter ſe faciunt,& affinem partem recognoſcunt,& applicata cohæreſcunt,& velut conſeruntur,ſimul & naturali rurſus quadam conciliatione integrantur.* Hæc ille,vt indicentur aulicorum ſæpe fortunæ tales caſus,vt ad ſummam inopiam vergentes,& contritas veſtes gerere,& reſarcire admireris. Quod vero membra abiecta in tot partes diſſecta rurſus coaleſcant, eſt ſingulare naturæ opus,ſed in ſeruis ſuis Deus itidem facit,cũ opportunum fuerit miraculum,vti alias diximus etiam in ſerpentibus, agentes de diſperſis membris S.Staniſlai.

EQ. Et hoc certe adnotandum,verum illud magis,quod de orpho piſce idem Ælianus tradit lib.5.cap.18 Eum enim captum & diſſectum ſcribit non ſtatim mori,ſed motum non parum diu retinere.Eius ingenium eſt hyberno tempore in ſpeluncis abdi, alias vero ad continentem libenter commoratur,quod magis littoralis ſit,quam pelagius.

PH. Cancellis quoque mirandum inditum ingenium eſt cum aulicis perſæpe commune:cum etenim nudus ſit, & abſque domicilio,alienis ſe protegit veſtibus ac domibus. Id paucis explicat Ælianus lib.7.c.26. *Cancelli* (ait) *nudi naſcuntur, cum autem vacuas conchas offenderint, tanquam domicilia ſibi deligunt, præſertim purpuræ aut turbinum,& cum creuerint, grandiores ingrediuntur, donec extremam repererint.* Sed paulo fuſius habet Ariſtoteles animal. lib.5. cap.15. Cancellus piſcis concharum hoſpes principio ex terra, limoque conſiſtit, mox conchulas ingreditur vacuas;vbi cum excreuerit, tranſit in concham ampliorem, videlicet aut nancis, aut turbinis,aut alicuius ſimilis: ſæpe etiam parua buccina ſubit,ingreſſusq; ampliorem illa gerit; pari modo & viuit in domicilio capaciore, rurſusque excreſcens aliam petit ampliorem. Hæc ille.

Cancelli.

TH. Eſſe hoc ingenium etiam pinotheri cõmemorat Plin.lib.9.c.31.Pinother (inquit) vocatur minimus cãcrorũ ex omni genere,ideo opportunus iniuriæ: huic ſolertia eſt inaniũ oſtreorum teſtis ſe condere,& cum accreuerit, migrare, & capaciores quærere. Hæc ille.

Pinother cancrorum omnium minimus.

PH. Iſta hæc familiaritas alienis ædibus faciendi incolatum iuris quidem eſſe poteſt, cum pro derelictis habeantur; at non laudanda prudentia hæc eſt, qua ſibi ſoli quis ſtudet; laudandi magis ſunt ſcauri, quorum ſocietas adeo vere ciuilis eſt, vt non ſolum alienis non ſtudeant ædibus incolatum facere, verum etiam incluſum ſocium omni niſu eripiant, gregatim adiuuantes, id ita ſcribit Plinius lib. 32. cap. 2. *Ouidius prodidit Scaurum incluſum naſſis non fronte erumpere, nec infeſtis viminibus caput inſerere, ſed auerſum caudæ ictibus crebris laxare fores, atq; ita retrorſum erumpere, quem luctatum eius ſi forte alius Scaurus extrinſecus videat, apprehenſa mordicus cauda, adiuuare niſus erumpentis.* Hæc ille, cui aſſentiens Ælianus etiam addit in hunc modũ: *Scauri piſces gregales ſuos tuentur: nam cum in naſſam inciderit ſcaurus, dicunt eum poſteriorem ſui partem de naſſa eiicere, reliquos vero, qui capti non ſunt, circumnatantes eum morſu corripere, & foras ſocium perferre: ſi vero in caput exierit, ipſorum quiſpiam, qui foris eſt, caudam ei porrigit, ille, comprehẽſa cauda, ſequitur: hoc illi quidem faciunt more hominum, tametſi de amicitia libros non legerint.* Hæc ille lib. 1. c. 5.

Scaurus piſcis amicabilis.

EQ. Ego facilius creditu puto hoc, quod Ælianus tradidit, vt in caput exeat Scaurus, quoniam ſquammæ exeunti in caudam plurimum obſtitutę ſunt: niſi forte quis exiſtimet ſcauri ſquammulas accipenſeris piſcis perſimiles eſſe, cui, vt Nigidius Figulus memorat, & ex illo Macrobius, ſquammæ auerſæ ſunt, cum aliis piſcibus ſint ſecundæ. Hæc Macrob. Saturn. lib. 3. c. 6. quod & Plin. habet lib. 9. c. 17.

TH. Studioſa certe hæc ſcaurorum ſocietas communis commodi eſt, ſicut & illorum piſcium monachorum, quorum antea meminimus; ſed & ipſa eorum ſolertia, quæ omnibus fere piſcibus communis eſt, dum alieno exemplo quiſq; cautior fit, etiam commemorabilis eſt: aiunt enim, ſi quis piſcis laqueo captus, rupto illo, forte eripiatur, euaſeritque, eo die nullus prorſus eius generis piſcis illo loco amplius inuenietur, id memorat Clemens Alexan. ſtrom. lib. 1.

PH. Elucet igitur in piſcibus ſæpe concordia, ſæpe caritas erga ſodales, præcipua tamen eſt erga prolem: nam præter balenas ac delphinos, quos diximus prolem pauentem ore excipere, etiam muſteli ſuos fœtus & emittunt, & rurſum recipiunt intra ſeipſos, ſi cauſa ſuaſerit periculi alicuius. Ariſtoteles anim. libro ſexto, cap. 10.

EQ. Recipiatne ventre, an ore, non explicat Ariſtoteles, ſed id habet Ælianus lib. 2. c. 54. *Muſtelus* (inquit) *piſcis, cum timet de ſuis fœtibus, eos ore recipit, & rurſus eadem via eosdem reuomens iterum viuos & incolumes parit.*

TH. Squatinis eadem caritas eſt, vt fœtus ſuos recipiant. Ariſtot. anim. lib. 6. cap. 10. Sed & canicula piſcis maiore tamen miraculo, quoniam non in ore recipiat, ſed ventre. Id habet Ælian lib. 1. cap. 18. Canicula marina, ſimulatq; pepererit, nulla mora interpoſita, ſuos paruulos ſimul ſecum natantes habet: ſi quis vero eorum timeat, ingreditur rurſum per genitalia in ventrem matris. Vbi timor abierit, prodit tanquam rurſum editus. Hæc ille, vt ita poſſit affirmari, ſquatinos ſæpiſſime parturire, aut ſaltem quotidie.

Glauco.

EQ. Eſt adhuc eadem caritas erga prolem glauco piſci: prolem enim vehemẽter diligit, ac ſi quis ex paruulis timere cœperit, illud confugium ſibi agnoſcit peropportunum, vt in hiantem matris buccam ſe excipiat, deinde timore ceſſante, quem mater ita deuorauerat, reuomit incolumem, qualem acceperat Ælianus lib. 1. cap. 17.

TH. Comperta eſt & alia in piſcibus caritas digne commemoranda ob humanam

nam fere quandam in illis inuentam modeſtiam. Capito enim è piſcium genere eſt, qui in paludibus degunt continentiſſimus, atq; in victu temperatiſſimus eſſe creditur, nullam etenim animantem inuadit, ſed cum omnibus pacem ſeruare ſolet; ſi vero in quempiam iacentem inciderit, hunc in ſuum prandium conuertit: non prius tamen eum attingit, quam cauda nouerit, ſi immobilis ſit, hunc prædam ſibi facit, ſi vero moueatur, eo intacto, diſcedit. Ælian. *Capito.*

EQ. Magnum caritatis exemplum nolle alienas carnes, opusve in proprium vertere commodum, niſi mortuo domino, iacenteq; hereditate: hoc eſt officium humanitatis, ſed admiror etiam moderationem in ciborum vſu. Piſces enim abſtinere à voracitate ieiunii cuiusdam ſpecies eſt: atque ideo comparari iure poteſt capito chiloni etiam modeſtiſſimo animanti, quod ſemper ieiunum eſt, vt ex lib. de natur. rerum tradit Vinc. natur. lib.17.cap.105. Solum enim ex omnibus animantibus hoc nunquam comedit, alitur ſuo ſucco valde viſcoſo. Eſſe autem perpetuo ieiunum argumento eſt, quod nunquam in eius aluo quidquam ſit compertum. Albert. animal lib.24. in chilon. Quid ad hæc voraces homines, quibus adeo laborioſum eſt ieiunium ad corporum quoq; beneficium ab Eccleſia inſtitutum, quo certe & edere licet, & ſaturari, cum mediocris quædam iubeatur abſtinentia, qua neq; atteratur corpus, neq; incolumitati afferatur vllum incommodum, vegetentur potius vires: Sed vbique rebusque omnibus hominem virtuti non ſeruientem bruta ipſa reprehendunt.

TH. Sunt certe homini exemplo ad comparandam virtutem ipſa bruta plerumq;, pręcipue vero poſt ea, quę diximus, vt renouetur vetus homo, eiusq; mores, etiam inuenti piſces ſunt, qui ſerpentum more exuuium ſuum mutent: Pagurus n. id efficit. vt Ælian. memorat: *Paguro* (ait) *cruſta rumpitur, & ſenectutem quemadmodum ſerpentes ſic ſe ipſi teſta exuunt; vnde nuditate illa quaſi meticuloſi iacent, ſed cruſta renaſcente recipiunt animos.* Hæc ille lib.9.cap.43.

EQ. Vt à piſcibus virtutum exempla plura trahimus, numquid & tacendi in perpetuum virtutem imitari licet? præ cæteris enim omnibus animantibus piſces muti ſunt.

TH. Salomone docente, neque ſemper tacendum, neq; ſemper loquendum: tacendi enim & loquendi ſua ſunt tempora: ſed ſi mutũ eſſe accipiamus, pro mentali oratione, qua ruminantur cœleſtia, non fuerit importunum id diſcere è ſcauro piſce, qui ruminare traditur à Plinio lib 9 cap 17. quod & S. Baſilius affirmat exem. hom.7. Diſcere igitur nos oportet non modo mentalem orationem, verum etiam vocalem: nam & inter piſces ſunt, qui gemant, qui mugiant. Conchiliorum enim quædam ſunt, quæ mugitum emittunt in Nilo, non ſine admiratione, vt teſtatur Strabo lib.17. Nam is mugitus non adeo exiguus eſt, qualem edere poſſunt conchilia, quæ quotidie proſpectamus: nam quædam conchiliorum genera ſunt ingentia valde. Mitulus enim piſcis concharum genere inuentus eſt capax fuiſſe heminarũ quatuor, vt tradit Plin. lib.32.c.1. Vnde coniicere licet, conchas, quæ mugitum in Nilo emittant, eiusmodi ac maioris eſſe amplitudinis. *Taciturnitatis commendatio.*

TH. Ergo ii, qui piſcium exemplo in virtute non profecerint, iure aſino piſci comparandi fuerint: is enim ſolus ex omnibus animantibus, Ariſtotele auctore, cor in ventre habet. Tales ſunt homines, qui, abiectis virtutibus, omne ſtudium ventri adhibent, vt ſapientiſſime commemorauit Clemens Alexand. pædagog. lib. cap 1. in fine.

EQ. Comparari etiam poſſunt ſtultiſſimo mugilo, qui, abdito capite, cum totus appareat, latere ſe putat: putant enim ii virtutum oſores latere tum apud homines, tum apud Deum, cum Deus diſſimulet peccata hominum, expectetq; ad pœnitentiam etiam ob ea crimina, quæ latentiſſime admittuntur.

TH. Comparari rurſum poſſunt ii indiſciplinati homines terreſtrib. quibusdam piſcibus: nihil enim adeo inſuetum eſt, quam piſces terram perpetuo incolere, & tamen id accidit. Ii igitur, qui ſuſcepto aquæ Baptiſmo, virtutes, quas polliciti ſunt, contemnunt promiſſorum obliti; ſalutis eo Sacramento beneficium ſuſceptum contemnentes, dum nil niſi terrenum cogitant, terreſtres piſces nuncupati ſunt. In Anconitano littore ac mari comperti ſunt lapides omni ex parte integri ac ſolidi, in quorum medio piſces latent, quorum egreſſus, ingreſſusve nullum veſtigium eſt, eſſeue poteſt. Diſiectis tamen lapidibus, illis erumpunt ad hominum eſum percommodi piſces; vixiſſe igitur ibi, & adoleuiſſe putantur innato lapidis humore ac frigore, tales igitur ſunt, qui Baptiſmo promiſſa reſpuentes in lapideam duritiem obſcuriſſimis tenebris obducti pertinaciter viuunt.

PH. Non eſt nouum piſces terra condi & viuere, erit nobis teſtis Mela lib. 2. cap. 3. In Gallia (inquit) Narbonenſi campus eſt minuta arundine, gracilique peruiridis, cæterum ſtagno ſubeunte ſuſpenſus: id manifeſtat media pars eius, quæ abſciſſa proximis ripis velut Inſula natat: pellique ſe, atque attrahi patitur; quin & ex iis, quæ ad ima perfoſſa ſunt, ſuffuſum mare oſtenditur, vnde in ea regione traditum, piſcem è terra penitus erui; quod vbi ex alto hucusque intrauit per ea foramina, ictu captantium interfectus extrahitur. Quod & Strabo tradit lib. 4. quanquam ex aqua ii piſces vere prodeunt, & aluntur, licet è terra poſtea capi vulgo putentur.

EQ. Imo Ariſtoteles putat in terra piſces ali: ſic enim ille de admiran. cap. 69. Sunt (inquit) piſculi quidam in foueis aquam habentibus in Babylonia fluuio exſiccato, quos dicunt in areas exeuntes paſci, brãchiisq; incedere, & caudam mouere: vbi quis inſectatur, fugere, cauernas ingreſſos in faciem cõuerſos conſiſtere, atq; quoſdam ſæpius acceſſiſſe, & irritaſſe. Habent ranæ maritimę caput perſimile, reliquum corporis globo ac branchias reliquis piſcibus compares. Hæc ille: Illum autem Ariſtotelis locum Plinius, qui eadem fere recolit verba lib. 9. cap. 57. Theophraſto tribuit: vt ita coniicere liceat, recte eos ſentire, qui librum Ariſtotelis de admiran. Theophraſto tribuant: vtcumque ſit, Ariſtotelem nos recolemus. Eodem enim libro cap. 70. de eadem re ita habet ille: *In Heraclea Pontica, & in Rhegio piſces aiunt effoſſos naſci, eosque præcipue iuxta loca aquoſa, & proxima fluminibus, atque aliquando contigiſſe per quædam tempora, vt exſiccatis locis, ſub terram ſeſe abdiderint, mox etiam magis terra exſiccata, humorem ſectantes in ſyluam contenderint: poſtea cum illa ſiccata etiam fuiſſet, in humido dicuntur conſtitiſſe ſicuti feræ, quæ contentæ ſunt in cauernis deliteſcentes.* Hæc ille: quæ etiam repetit Plin. lib. 9. cap. 57. Adiicit autem Ariſtot. eod. lib. cap. 71. in Paphlagonia piſces inueniri defoſſos locis profundis, eſſeque virtute præſtantes; cum tamen neque aquæ ſint propinquæ, neq; flumina palam vlla fluant; ſed ab ipſa terra producuntur, quæ etiam Plin. recolit lib. 9. cap. 57.

TH. Hinc illud Prouerbium, quo *Piſcium meſſis* ioci cauſa dictitari conſueuit in Ægypto; neq; enim ob aliud ioco datus eſt locus, niſi quod in ſolo, agroque ingens

gens piſcium inuenta copia frugum vicem reddit, maiore emolumento, quam ſegetes. Id tradit Ælian. lib. 10. c. 44. *Ægyptiis* (inquit) *eſt piſcium meſsis: nam vbi Nilus redundat in agros, tum ibi piſcationes fiunt, vbi arationes factæ ſunt. Cum autem Nilus redit ad ſe, piſces à parentis fluuii deceſſu deſerti ad breuia limoſa adhæreſcunt, atque agricolis ad prædam relinquuntur, ſic meſsis piſcium eſt.* Hactenus ille.

EQ. Vtcumque ſit, nulla illa tanta meſſis eſſe poteſt, quanta eſt ipſa piſcium multitudo in Aquilonari mari noui Orbis, vt nauigia retineantur, neque ob piſcium multitudinem circumquaque naues ambientem vlterius progredi liceat. Id memorat Ramuſius Tom. 3. de noua Francia. Sed noſtra in Europa in Dania in ſinu Limico tanta eſt copia piſcium, vt fertilium agrorum vicem accolis præbeant. At in Scaniæ ſinu illa tanta eſt etiam copia & frequentia, vt interdum impacta nauigia vix remigiorum conamina eripiant, quoniam etiam manus officio capiuntur. Hæc Saxo Gram. in libri præfatione.

PH. Sed redeundum eſt, vnde digreſſi longe ſumus, ad piſcium ingenia, occurritque cancer. Sunt autem cancrorum non parua genera ac formæ, ſed omnibus ſolers ingenium. In nauigatione rubri maris Alexander Magnus tradit, ſe cancrorum genus vidiſſe, quorum cruſta quoque verſus pedem haberet, & maximi illi appenſi forcipes eſſent, Ælianus libro decimo ſeptimo, capite primo. Albertus autem tradit, occidentalis maris cancros adeo grandes eſſe, vt homines mergant, libro vigeſimo quarto in cancro. At in nouo Orbe ex Braſilia ſcribens Ioſeph Ieſuita anno Domini 1560. tradit, cancrorum quoddam eſſe genus viridi colore, parareque ſibi in ſolo foueam latibuli gratia; at nihilominus frequenter aquam permeare. Sunt autem tam grandi capite, vt ſolum ſuperet reliquum corpus amplitudine, quin imo iis bina ſunt capita: etenim præter illud adeo grande aliud illis capitulum eſt pro portione reliqui corporis; atque ita fit, vt biceps cancer iure dici poſſit. Eſt & aliud cancrorum genus in Indico orientalis cœli mari apud Inſulam del Moro, perpetuo prægnans eſt, animantibus repletum, quæ vermibus ſunt perſimilia, & ad veſcendum homini non iniucunda: id memorat Balthaſſar Diaz Ieſuita anno Domini 1556. Eſſe autem genus aliud coloris atri, quod cibo ſumptum præſentaneum & immedicabile venenum eſt, Balthaſs. idem tradit. Eſt autem cancris ſolers ingenium, id ex Diuo Baſilio recolemus exem. hom. 7. Cancer (inquit) oſtrei & conchæ carnem appetit, ſed difficilis captu eſt illi hæc præda propter teſtæ munimentum: infracto enim ſepto tenerem carnem natura muniuit, quapropter etiam teſta intectum hoc animal appellatur. Et quia duæ cauitates exacte inter ſe adaptatæ ipſum oſtreum ambiunt, ac complicant, neceſſario inefficaces ſunt Tinclarum cancri forcipes. Quid igitur facit? Cum viderit in tranquillis locis concham voluptuoſe apricantem, & ad radium Solis plicas ſuas expandentem, tunc ſane, clanculum calculo immiſſo, prohibet complicationem, atque ita inuenitur id, quod viribus deeſt, verſutia obtinere, ac ſupplere. Hæc Baſilius. Cui accedit Albertus anim. lib. 24. in cancro, & ante hunc Iſidorus lib. 12. c. 6. Et ideo, cum tegumento leuiore ſe munitum cancer quidam animaduertit, tot conchas velut domos aut veſtes mutat, quot creſcens ipſe egere videtur. Albert. anim. lib. 5. tract. 2. cap. 3. *Cancri.*

PH. Doloſitatem cancri ſuperat rana, quæ piſcatrix dicitur, id iis verbis memorat Ariſtoteles anim. lib. nono, capite trigeſimo ſeptimo: *Rana* (inquit) *piſcatrix piſcis eſt, eique gemina fila ante oculos dependent, quæ capilli ſpeciem referunt, ſed poſtrema* *Rana.*

rotundis quibusdam præpilantur, quaſi eſcæ cauſa addititii: locis itaque arenoſis, aut fœculen-
to obturbato ſolo ſeſe abſcondit, piſcaturque: attollens enim illa ſibi pendentia fila, dum piſci-
culi occurrunt, & capita machinamenti penſilis pulſant, ipſa ſubtrahens fila allicit, attrahit-
que cum eis & piſciculos, in osque ducit. Eadem fere Ælianus lib. 9. c. 24. & Plinius bre-
uioribus lib. 9. c. 42.

EQ. Poſtquam incidimus in ranas, non fuerit importunum pleraque de illis
commemorare: nam Dei vindictam exercuere aliquando in Ægypto aduerſus
gentem incredulam, Exodi capite octauo. Aquatile enim animal eſſe origine vel
ipſa Dei verba oſtendunt, cum dixit Moyſi: *Extende manum tuam in virga tua ſuper*
fluuios ac riuos, & paludes, & educ ranas ſuper terram Ægypti. Sunt igitur & inter aqua-
tilia conſcribendæ: vt igitur Dei vindictam exercerent, ita conſtituit Dominus ad
maximam gentis Regisque eorum ignominiam. Poterat leonibus, poterat fero-
cioribus generoſioribusque animantibus vexare gentem, fœdiſſimo hoc animal-
culo exagitare maluit, vt luto lutum opponeret: ita enim inanem deprimit diuina
prouidentia gloriam; nam aliquando non modo ranis diuexauit, vt Ægyptios, ſed
aliquando etiam ſedibus ſuis expulit gentes. Varro enim auctor eſt in Galliæ ciui-
tate incolas ranarum multitudine fuiſſe propulſos, id teſtatur Plinius lib. octauo,
cap. 29.

TH. Id ita eſt Luto lutum obliniendum, vt in prouerbio eſt. Ranæ enim adeo
lutum ſunt, vt ſponte è luto fiant, idque ſe oculis ſpectaſſe memorat Ælianus libro
ſecundo, capite quinquageſimo ſexto. Narrat enim cum Italia ipſe è Neapoli Pu-
teolos proficiſceretur, ſe ranas conſpexiſſe, quarum pars, quæ ad caput pertinet,
repebat quidem, & duobus pedibus agebatur, altera nondum confirmata, concre-
tioni limoſi humoris ſimilis trahebatur. At cum ſint plurima ranarum genera, in
iis eſt rubetta admirandæ ſane naturæ: illam enim ſi quis aduerſam acriter intuea-
tur, atque illa improbe ſuo obtutu reſpiciat, ac ſuam reſpirationem humano colo-
ri hoſtilem anhelauerit, hominem eo pallore afficit, vt ægrotanti ſimilis eſſe videa-
tur. Ælianus libro decimo ſeptimo, capite duodecimo. Eſt & aliud ranarum genus
minutum, quod *calamitum* dicitur, cuius illud naturæ inditum eſt ingenium, vt
pluuias præſignet: latens enim inter arborum folia canit vocaliter, cum pluuiarum
ſe præbet prænuntiam. Eſt prorſus viridis ipſa, quæ ſi in canis os in offa præmixta
mittatur, latrandi vim omnem canis amittit. Iſidorus lib. duodecimo, cap. 6. Ex li-
bro de natur. rerum. Vinc natur. libro 20. cap. ſexageſimo. Alb. anim. lib. vigeſimo
ſexto, in rana. Sed quod vix crediderim, tradit eodem loco Albertus, ſi eiusdem ru-
bettæ ranæ oſſiculus dextri lateris in vas aqua feruens iniiciatur, deferuere facit,
nec vltra feruebit, niſi extrahatur.

PH. Id, quod mutum canem reddat, frigiditate animantis fit, vnde non mo-
do raucedo, ſed & taciturnitas cani accidit, conſtrictis meatibus, & refrigerata au-
dacia: id ipſum etenim etiam contingit, & nitro præfrigido humore; ſi etenim in
os leonis aut vrſi immittatur, mordendi vim amittunt ob illam ſummam conſtrin-
gendi vim. Iſidorus lib. 16. c. 2.

EQ. Propterea admiror iure merito, quomodo ranæ frigidiſſima animalia Pi-
ſis Etruriæ vrbe aquis calidis innaſcantur, & viuant. Id enim ita eſſe tradit Plinius
libro 2. capite 103. Quanquam legiſſe me memini, piſcibus quoque in Africa id ac-
cidere: ibi enim feruentis aquæ lacus eſt, in quo piſces viuunt, & ad obiectum ci-
bum aſſiliunt, ac ſi quis eos in frigidam iniecerit, moriuntur, vt memorat Ælianus
libro

libro decimo quarto, capite decimo octauo, quod etiam Plinio probatur, quum apud Vetulonios in Etruria non procul à mari innaſci piſces aquis calidis, tradit lib. 2. cap. 103.

TH. Longe magis admiror, loquaciſſimum hoc atque moleſtiſſimum animal etiam mutum fieri poſſe, & tamen id pluribus locis compertum eſt: nam in Macedonia mutæ ſunt ranæ. Plinius libro vndecimo, capite quinquageſimo primo. Sed & in Cyrene prorſus mutæ viuunt. Ariſtotel. de admir. cap. ſexageſimo ſeptimo. Ælianus libro tertio, capite trigeſimo quarto. In Seripho quoque ob aquarum frigiditatem, vt Theophraſto videtur, obmuteſcunt, vnde prouerbio datus eſt locus, cum nimis taciturnum hominem notamus, *Ranam Seriphiam* appellantes. Ælian. lib. 3. capite 36. Verum ſi hæ alio importentur, ſublata illa tantæ frigiditatis cauſa, canoræ fiunt. Plin. libro octauo, capite quinquageſimo octauo, vbi reliqua muta ranarum genera commemorat. Sed maxime notatu dignum illud eſt, quod tradit libro 9. cap. 51. Ranas ſcilicet ſemeſtri vita reſolui in limum, nullo cernente, & rurſus vernis aquis renaſci, quæ fuere natæ perinde occulta ratione, cum omnibus annis id eueniat.

EQ. Quod loci frigiditas efficit, vt ranæ obmuteſcant, efficit piorum virorum virtus, cum id quoque iubent. Sanctus enim Ambroſius libro de Virginibus non longe à principio commemorat, ranas obſtrepentes Sancti viri iuſſu obmutuiſſe. Sic enim ille: *Frequens ſermo eſt, cum plurima ranarum murmura religioſæ auribus plebis obſtreperent, Sacerdotem Dei præcepiſſe, vt conticerent, ac reuerentiam ſacræ deferrent orationi. Tunc ſubito circumfuſos ſtrepitus quieuiſſe: ſilent igitur paludes, homines non ſilebunt? Et irrationale animal per reuerentiam recognoſcit, quod per naturam ignorat, hominum tantam eſſe immodeſtiam, vt plerique deferre neſciant mentium religioni, quod deferunt aurium voluptati?* Hactenus Ambroſius opportune loquacitatem hominum inter diuina reprehendens. Et quanquam non explicet Sancti eius nomen, qui miraculi auctor fuerat, tamen al i comperti ſunt nobis, qui id ipſum eadem virtute peregere. Sanctus enim Benno Miſnenſis Epiſcopus cum apud paludem quandam ſacrificio orationique intentus ranarum coaxatione turbaretur, iuſſit interim ſeruare ſilentium, paruerunt illæ. Exactis diuinis rebus, iuſſit naturæ inditum opus implerent, canoræ mox illæ factæ ſunt. Tradit Hieronymus Emſer in vita eius apud Surium Tomo 7. menſe Iunio.

TH. Idem accidit ſancto Audoeno Epiſcopo Rothomagenſi, qui inconditis huiuſmodi ranarum obſtrepentium vocibus, vt deſinerent, dum diuina agerentur, iuſſerat: mox enim conticuere omnes velut reuerentes, quod natura ignorarent. Fridegodus Diaconus in vita ſancti Audoeni cap. 22. apud Surium Tomo 4. Auguſto. Propterea Dei reuerentiam quamlibet etiam irrationabilia ſeruant, ſuperantque hominum, quibus ratio ineſt, ignauiam ſtultitiamve, qui nec iuſſi, nec correpti parent. Propterea compertum eſt, piſces ipſos in hominum peccatorum diuinam vindictam aut periiſſe, aut ſedibus ſuis dimiſſis alio migraſſe ab indignis diſcedentes. Periiſſe piſces in hominum damnum magis quam proprium, conſtat Exodi cap. 7. quando ob Pharaonis Ægyptiorumque culpas fluuiatiles piſces omnes interimi iuſſit Deus, quos diluuio perimere non iuſſerat mari. Sed & Victore III. Pontifice, inter diuinæ iracundiæ prodigioſa ſigna illud quoque fuit, vt piſces tum fluuiatiles, tum marini magna ex parte perierint, vt Platina tradit. Quin etiam ipſa piſcium ſterilitas aliquando accolarum peccatis Dei nutu decreta eſt: id memo-

memorat Diuus Bernardus in vita S. Malachiæ his verbis: *Eſt Inſula maris in Hyber-*
nia ab olim fœcunda piſcium, & mare ibi piſcoſum valde. Peccatis, vt creditur, habitantium
adempta copia ſolita, quæ multos habebat filios, infirmata eſt, & à tanta funditus ſui commo-
ditate emarcuit. Dolentibus accolis, & iacturam grauem populis ægre ferentibus, reuelatum
eſt cuidam mulieri, precibus Malachiæ poſſe afferri remedium: rogantibus igitur enixe accolis,
Malachias pro piſcium fœcunditate orauit. Aſcendit oratio, aſcendit & piſcium multitudo, &
forte vberior, quam in diebus antiquis, & ipſa populo terræ perſeuerans vsque in hodiernum
diem. Quid mirum, ſi oratio iuſti, quæ penetrat cœlos, penetrauit abyſſos, & de profundo maris
tantam piſcium copiam euocauit? Hæc ille. Quæ ideo recenſuimus, non vt putemus
mox nouos ibi piſces genitos creatosve, ſed aduenisse diuino iuſſu, non inſtinctu:
nam qui piſces inſtinctu mutant ſedes, certis id peragunt anni temporibus, certis
poſtea redeuntes.

PH. Id ita eſt: nam accolis non fuiſſet incognita piſcium migratio, ideoque æ-
gre non tuliſſent reditum opportuno tempore præſtolantes. Eſt igitur piſcibus in-
dita quædam ſolertia, vt ſaluti ſuæ conſulentes alio eſſe migrandum ad tempus no-
Diſcernunt tempora piſces.
rint, & ad tempus redeundum, velut Coſmographiam prædidicerint, aut Aſtrolo-
giam, quibus loca & cœli climata probe nouiſſe potuiſſent. Id explicat ſanctus Ba-
ſilius exem. hom. 7. Iam vero (inquit) quidam ex piſcibus peregrinantes velut è
communi curia ablegati, ſub vna quaſi bellica teſſera proficiſcuntur: cum enim de-
ſtinatum motus tempus inſtiterit, alii ab aliis finibus transmigrantes communi
naturæ lege excitati ad Septentrionale feſtinant mare; & videas ſane iuxta tempus
aſcenſus, velut fluentum quoddam piſces vnitos, & per Propontidem in Euxinum
influentes: Eamus (aiunt) ad Septentrionales plagas, dulcior eſt illa aqua, quam re-
liquum mare, propterea quod Sol modico tempore ad ipſam commorans non e-
ducit ex ipſa per radios totum id, quod potabile eſt: gaudent autem dulcibus etiam
marina, vnde etiam ad flumina ſæpe enatant, & procul à mari feruntur. Poſt tem-
pus igitur rurſum paſſim omnes domum reuertuntur. Et quæ eſt ratio? audiamus à
tacentibus. Superficiale eſt (inquit) & non profundum Septentrionale mare, & ſu-
pinum, ac æqualiter ad ventorum violentias ſitum, pauca littora ac ſubterfugia
habens, quapropter etiam ex fundo venti facile ipſum euerrunt, vt etiam arena ex
profundo fluctibus permiſceatur: ſed & frigidum eſt hyemis tempore, & quod à
multis ac magnis fluminibus impleatur, ob id ipſo in æſtate moderatæ fruentes
curſus hyeme ad teporem in alto, & regiones ad Solem ſitas feſtinant, & relictis
Septentrionalibus ventis infeſtatis, in ſinus, qui modice exagitantur, velut in por-
tus ſe recipiunt. Vidi hæc ego, & in omnibus Dei ſapientiam admiratus ſum. Hæc
Baſilius.

EQ. Noſſe piſces & tempora, & loca ſibi commoda, eſt certe admirandum, ſed
admirabilius eſt, ipſos in ſalſa viuere gaudere, ali ibi dulci, ipſosque eſſe ſapore dul-
ciſſimos, velut qui ſalſam non inhabitent, aut prorſus cum in ea obuoluantur, ni-
hil ſalſum attingant, quærenda ratio eſt?

PH. Ita eſt, degunt marini piſces in ſalſa, & aluntur dulci aqua ibi permixta:
quam mirandum in modum vbique ore ſecernunt: id ita explicat Albert. anim. lib.
24. cap. 1. Sugunt dulcem tantum aquam ex ſalſa marini piſces, quin vel mortui, ſi
ſalſa coquantur, adhuc dulces ſunt, adeo carni illorum inditum natura eſt, vt ſalſa à
dulci ſecernantur. At piſces, qui aqua dulci geniti & aliti ſunt, facile ſugunt ſalſam,
coctioque in ſalſa ſalſi ſaporis fiunt. Hæc ab Alberto. Nec eſt nouum, dulces à ſalſis
à mari

à mari ſecerni poſſe, quandoquidem ſi cereum vas fiat occluſum, immiſſum profundo mari ita oppletur dulci percolatione facta, vt nihil continere ſalſæ reperiatur, id compertiſſimum eſt nautis omnibus, ſed certe magno hæc facta ſunt myſterio, vt viri boni, tametſi hunc permeent mundum, & inter mala verſentur, boni tamen ſemper Dei gratia præſeruantur, ſalſedinem ſeculi ſecernentes.

TH. Recte equidem; propterea ad idem myſterium pertinet, vt piſces alii proximas aquas abhorreant, vbi alii piſces ſunt, qui viciſſim horum abhorreant etiam aquas, ſicuti pii viri malorum conſuetudines morum, & bonorum mali abhorrere ſolent. Nam in Arethuſa lacu & Tigride fluuio (vt inquit Solinus capite tertio) id accidit. Arethuſa enim lacus omnia pondera ſuſtinet, cuius piſces nunquam ſe alueo Tigridis immiſcent, ſicut nec amnici piſces in ſtagnum transeunt Arethuſæ, quod & Plinius habet lib. 6. c. 27.

EQ. Piſcibus igitur hoc ſolers ſtudium proficit ad vitæ diuturnitatem, & ad illas, quas commemorauimus, amplitudines ſine vlla ægritudine: nam præter illam longæuitatem balenarum, quam diximus, fuit in Pauſylipo in villa Cæſaris piſcinis iniectus piſcis à Pollione Vedio, qui poſt ſexageſimum annum expirauit, Columella teſte, quod & Seneca memorauit: quin duo alii piſces illi æquales ex eodem genere adhuc ſuperuixere, vt Plinius adnotat lib. 9. cap. 53. & in Italia Leander. Et ob hanc piſcium incolumitatem illud quoque accidit, vt mortui quidem calido cœlo ſtatim putreſcant. Tamen apud Fimmarchos Aquilonari plaga annos decem perinde ac recentes ſeruantur abſque vllo ſalis alteriusve rei condimento, nulla prorſus putredine affecti, Olao teſte lib. 1. c. 2. Quæ res nulli prorſus animantium poteſt accidere, nec illo ipſo quidem cœlo.

PH. Ego tamen non putarim, piſcibus, qui oſſibus carent, tantam à putredine diuturnitatem obtingere poſſe: oſſium enim calor vt viuentem piſcem vegetauit, ita mortuum minus fluxum reddere potuit. Non ita, vbi oſſa non ſint. Eſſe piſces totos carneos memorat Solinus c. 19. apud Neuros, in Boryſthene fluuio, eosque & egregios & ſapidiſſimos, cum nulla illis oſſa ſint, nec aliud quidquam, quam tenerrima cartilago: id ipſum quoque tradiderat Mela lib. 9. cap. 15. Hoc igitur genus piſcium facilius putreſceret. Numquid autem piſcium ſpecies ad myſterium poteſt pertinere?

TH. Poteſt, nec incongrue: nam oſſa vt in corporibus, ita in animabus virtutum locum tenent; id ſanctus Gregorius adnotat in Pſalmum primum ex ſeptem pœnitentialibus: *Per oſſa* (inquit) *virtutes accipimus, per quam nimirum animam ſuſtentamus: ſicut enim in oſsibus eſt fortitudo corporum, ita in virtutibus robur inuenitur animarum.* Hæc ille, qui idem repetit rurſum ſecundo Pſalmo eorundem ſeptem, quin & in quinto oſſa pro ratione & intellectu accipienda putat, quæ ſiccantur, cum virtutum pinguedinem non habent. Erunt igitur huiusmodi magni piſces abſque oſſibus huius ſeculi potentes illi ac diuites, qui nihil niſi ſuauium rerum mollitiem curent, teneritudineque luxus afficiantur, omnium virtutum robore carentes, rationeque ac intellectu non vtentes, vt de illis illud digne dici poſſit: *Animalis homo non percipit, quæ ſpiritus ſunt,* Paulus 1. Corinth. c. 2. Ideoque defuncti facile putreſcunt. Propterea ſpuma piſcis ad hos quoque pertinere videtur, vermis ſine oſſibus naturam præ ſe ferens, de ipſo hæc Ariſtoteles anim. lib. 6. c. 5. Aquæ, quæ & ſpuma nuncupatur, origo ex terra arenoſa conſiſtit, hoc quidem aquæ genus nec incrementum capit, nec prolem affert, & temporis longioris ſpatio perit, ſed denuo na-

ſcitur. Vnde fit, vt breui tempore excepto omnibus fere anni temporibus generetur, quippe cum ſpuma illa ab Autumno ad Ver vſque perduret, oritur piſciculus hic in ſpuma, quæ imbre admiſſo caluerit, vnde ſpumæ nomen accepit, ferturque interdum pro ſumma maris, cum cœlum tepidum eſt, & in ſpuma fluitante, perinde ac in fimo vermiculus voluitur. Hæc Ariſtoteles. Hinc myſterium elici etiam poteſt: nam ſi Oſeæ verba contemplemur c. 10. tranſitoriam inanemque huius ſeculi gloriam paruo duraturam ſpumam videri animaduertemus.

Gloria vana mundi.

Sic enim ibi: Tranſire fecit Samaria Regem ſuum, quaſi ſpumam ſuper faciem aquæ; paruo enim tempore per aquas fluit ſpuma, breuique in aerem ſoluitur, & quæ prius intumeſcens aliquid eſſe videretur, nihil eſſe prorſus poſt ſolutionem inuenitur, ne veſtigium quidem, & in ea piſciculus hic voluitur, vt cum illa etiam in nihilum abeat, ſicut cum ipſo peccatore delitiæ omnes euaneſcunt: ideoque neque prolem gignit, neque annum durat. Nulla enim peccatoris ſupereſt memoria, cum pereat memoria eius cum ſonitu. Pſal. 9. *Et exit ſpiritus eius, & reuertitur in terram ſuam, in illa die peribunt omnes cogitationes eius.* Pſal. 145.

EQ. Appoſite equidem & ſapienter: propterea plura ſunt in aquis monſtra, quam alibi, vt ſectatores mundi, quem pro mari accipimus, monſtra eſſe videantur, tametſi ingenio polleant, & cautiores ſint, cum tamen ratione abutantur ſæpe adeo, vt ea carere videantur. Hos ego ſignari dixerim illo piſce, quem Olaus commemorat lib. 21 c. 25. In Noruegiæ etenim pelago ait piſcem inueniri, cui nulla forma, nulliuſque membri diſtinctio internoſcatur, caput ventri coniunctum eſt, nil interiacet, collum nullum prorſus, nullus ſtomachus, omnium tamen piſcium auidiſſimus eſt vorator, ac quidquid glutierit, mox digeſtum in pinguedinem vertitur, neque vnquam ſatur videtur, nulli prorſus piſcium amicus, exoſus omnibus. Vt tamen ab omnibus ſibi caueat, natura proſpexit: ad tutelam enim corporis ſacculum prægrandem habet cartilagineum, tenuiſſimum, pinguedine oppletum, immittit in hunc caput, velut in clypeum, aut mauis galeam; pilei enim vice illo vtitur, ac ſub eo totus latet, qua ſolertia potentiorum piſcium morſus cæteraque pericula deuitat.

Piſces habentes cornua.

Ita quoque cornuti piſces comperti ſunt: in regno enim Burnei Indici in oriente maris ſuillo capite piſcis inuentus eſt, binis cornibus armatus, toto penitus corpore oſſeo, dorſo in ephippiis forma, velut camelis eſſe ferunt, vt equitandi cauſa efformatus videatur. Anton. Pigaf.

Dentes aprum inſtar.

Dentati etiam aprum more piſces inuenti, quibus ab ore hinc inde longiſſimi molares promineant ad palmos duos, capite equino, vaccæ magnitudine, bifidis pedibus, & terra, & mari vtroque iuxta vitam degentes ſe vidiſſe iuxta flumen Gambra Nigritarum Africæ Aloyſius Cadamuſtius tradit. Et alia quotidie viſuntur noua piſcium monſtra: nam aliquando apud Valentiam piſcis è mari captus capite, ore, naribus, oculis, ac mammillis vaccæ, manibus quoque mammillis hærentibus, cornua non habens, at muliebre genitale habuit, ſeruatum hoc animal vaſe aqua oppleto, tandemque peperit piſcem humani cruris magnitudine, ſed poſt triduum præ fame illum deuorauit. Spectauit hæc omnia Ferdinandus Rex Catholicus. Lucius Marin. rerum Hiſpan. lib. 1.

PH. Nulla quoque tanta eſt animalium aut formę, aut coloris mutatio, quanta in quibuſdam eſt piſcibus: inuenti enim ſunt, qui æſtate nigerrimi ſint, hyeme albiſſimi. Olaus lib. 20. c. 17. Phyci quoque accidit, vt cum cæteris anni temporibus candida ſit, verno varia ſit, ſolaque ex marinis piſcibus nidum ſibi conſternit ex alga, atque in ſtragulo parit. Ariſtoteles hiſt. anim. lib. 8. cap. 30. quod & Plinius tradit lib. 9.

lib.9.c.26. vbi ſcribit, mœnis piſcibus hoc contingere, vt æſtate ſint nigerrimi, hyeme candidi.

EQ. Si monſtra marina omnia velimus recenſere, dies deficiet ob inuſitatas formas: ſunt piſces ſcolopendræ (nam præcipuos quoſdam libet proſequi) ſunt ii, vt cæte, ampliſſimi, & ſæpe tempeſtatibus in littus expulſi; nemo eſt tam male ſanus, & audax, quin horreat aſpicere. Eius narium pili magna excelſitate apparent, & eius cauda admodum lata perſpicitur, reliquumque corpus poteſt cum triremi iuſtæ magnitudinis comparari: neque enim intra aquam abditum, ſed per ſummum mare innatat, atque permultis pedibus vtrimque ordine tanquam ex ſcalmis appenſis natans, & remigans fluctus ciet leniter ſonantes. Hæc Ælian. lib. 13. c. 23. Solet autem hoc piſcium genus alicubi tanta gigni copia, vt populi fuerint abacti, ſi aliquorum ſententiam ſequi velimus. Sed verius eſt, non hunc piſcem populos abegiſſe, ſed aliud terreſtre animal multipedum, cuius multitudine incredibili ſcolopendræ etiam nomen habens, Theophraſto auctore Otretietes populos expulſos fuiſſe tradit Plinius lib. 8. c. 29. Quin & Rhoetienſes ab iisdem pulſos memorat Ælianus lib. 11. c. 28. & lib. 15. c. 26.

PH. Sunt ſane feri adeo in mari piſces nuper comperti, vt in littus proſiliant, hominesq; ac iumenta rapiant in profundum, & depaſcantur. Noui Orbis luſtratores tradunt, id accidere Tiburoni piſci, Ariſtoteli & Plinio, atque aliis veteribus incognito: eſſe autem inter eos mares ac fœminas conſtat, ſed cum mulieri vnicum ſit genitale, mari eſt duplex, prælongumq; parit animal. Inuentum eum tradunt aliquando prægnantem, continuiſſeq; fœtus triginta quinq;. Ouet. hiſt. lib. 13. c. 7.

EQ. Luctantur & piſces cum quadrupedibus, vt alias diximus, compertum eſſe in Aquilone vrſum piſcium auidiſſimum in littore ingentem complecti piſcem, ſed diu renitentem, velut longa lucta intra marinos fluctus detinuiſſe, modo infra, modo ſupra, cum magna ſpectantium voluptate dilapſum fuiſſe, & volutatum. Euaſit tandem victor vrſus, tractumque in littus Baccalaum: hoc enim piſci nomen eſt, depaſtum retulit Sebaſtianus Gabottus, ſpectatumque eſſe teſtatur in Septentrionali plaga vltra Britanniam, & Petr. Martyr, qui adiicit, vrſos huiusmodi hominibus mites eſſe, ſicuti etiam dicebamus in quadrupedibus in vrſo. *Pugna piſcium cum quadrupedibus.*

PH. Illuſtrior eſt pugna delphinorum aduerſus crocodilos, dum illi mare à crocodilis liberum velut ab immundiſſima bellua eſſe volunt, neq; à Nilo in pelagus ingredi patiuntur, id iis verbis è Senecæ lib. 4. c. 2. natur. recolit Vinc. natur. lib. 17. c. 17. Babillus (inquit) auctor eſt, cum ipſe Præfectus obtineret Ægyptum, Heraclito oſtio Nili, quod eſt maximum, ſibi ſpectaculo fuiſſe delphinorum à mari concurrentium, & crocodilorum à flumine aduerſus agmen agentium, velut pro partibus prælium: Crocodilos ab animalibus placidis, morſuque innoxiis victos; cum etenim iis ſuperior corporis pars dura ſit & impenetrabilis, etiam maiorum animalium dentibus, inferior tamen eſt mollis & tenera. Hanc delphini ſpinis, quas dorſo imminentes gerunt, ſubmerſi vulnerabant, & in aduerſum emiſſi diuidebant, reſciſſis hoc modo pluribus, cæteri velut acie verſa refugerunt. Hæc ibi.

EQ. Non deficiet dicendi argumentum, ſi omnia velimus de piſcibus proſequi, ipſa dies deficiet potius. Sed adhuc pauca quædam de naturæ inſtinctu dicenda ſunt, Achan piſcis ſolicitus fœtibus ſuis piſciculisq; nauibus in mari adhæret, vt aliquando immobiles fiant naues, vt ita alius ſit præter remorã piſcis, qui ſiſtat nauigia, ex Iorath. Vin. nat. lib. 17. c. 29. Aleci oculi inſtar luminis noctu lucẽt in mari,

 ſed

ſed horum virtus cum ipſo piſce moritur. Ex lib. de natur. rer. Vinc. natur. lib. 17. c. 30. Arimus piſcis, cum ab homine viſus eſt, eum inebriat, vt ad iram, rixasque ac contentiones ciet: eſus autem eum placat, abſcedente omni iracundia. Ex Æſculapio de animalib. Vin. nat. lib. 17. c. 32.

PH. Granus piſcis eſt præter omnium animantium naturam: vnum oculum in ſummo capitis vertice habet, quo ſuperintendens ſemper inſidias vitat reliquorum marinorum animantium. Iſid. lib. 12. c. 6. quem piſcem etiam vranum ſcopum nuncupari memorat; ex libro quoque de natur. rerum, recolit Vinc. natur. libr. 17. cap. 56.

EQ. Eſt & piſcis adeo informi corpore, vt cum rotundus ſit, appelletur orbis, totusque è capite conſtat, nullo prorſus alio apparente membro. Iſid. lib. 12. c. 6. Pectines piſces lucent in tenebris ignium more. Ex lib. de nat. rer. Vinc. lib. 17. c. 78.

PH. Pungitiuus è ſe gignit plurima piſcium genera. Ex eodem lib. Vinc. natur. lib. 17. c 81. Albert. anim. lib. 24. in pungitiuo. Et Galata extra omnium animalium morem fœtus ſuos in aluo ſua viuere ſentiens illos extrahit, & ſiquidem eos ad vitam maturos inuenerit, foris relinquit, ſin autem, eos in matricem, vt foueantur, reponit. Albert. animal. lib. 24. in Galata. Ex lib. de nat. rer. Vinc. natur. lib. 17. c. 116. In Indico regno Zapa quotannis ab alto in littus tanta piſcium copia deſilit, vt tegi totum videatur, triduoque in arido ſolo degentes tametſi ab incolis capiantur, velut meſſis quædam, non niſi poſt triduum in mare redeunt. Oderic. libro primo.

TH. Etſi dies nobis deficiat in enarrandis variis piſcium ingeniis, non deficiet tamen piſcis ille, cui Dies nomen eſt. Marinus ille quidem eſt, diesque ideo dictus, quod vnam tantummodo diem viuat, ortus, alitus & adultus, mortuusque eadem die, vt Alberto videtur anim. lib. 24. In die eiusmodi animanti eſſe binos pedes & alas, ex lib. de natur. rer. atque ex Ariſtotele etiam memorat Vinc. natur. lib. 17. cap. 47. Ideo autem breuiſſime viuit, quod prorſus ſanguine careat. Ibid. Eſt autem & alius breuioris vitæ piſcis, cui Ephemero nomen eſt: naſcitur is ſine parentum complexu, ac vix tres diei horas ab ortu ſuo ſuperuiuit. Ex Iorath Vin. natur. lib. 17. c. 52.

PH. Sunt & vellera in mari nata: vellera enim cum munimentum quadrupedibus præbeant, in mari ipſa ſunt animantia. Eſt illud vellus aureum, ſpongiæque perſimile, eſt lanugo lanæ ſimilis, auri ſplendorem quendam referens, dilatatur, & contrahitur, vt ita viuum animal deprehendatur, in quo motus dilatandi, & ſeſe, cum vult, contrahendi ſpectetur. Alb. anim. lib. 24. in aureo.

EQ. Eſt quispiam in mari piſcis præ cæteris omnibus animantibus admirandus: nam cum de quadrupedibus diſſereremus, meminiſtis inuentum in orientis oceano quadrupedem, cui in ſenectute accidit conuerti prorſus membris omnibus in piſcem. Econtra piſci Aſtoiz accidit, qui in mari degens, & vt reliqua marina animantia veſcens, cum ſenuerit, mutata forma, ſumpta terreſtri, migrat in perpetuum à mari, terreſtreque factum animal incolit terram, veſcitur terreſtribus, nomenque aliud accipit, cum piſcis eſſet, Abides dicebatur, iam factum terreſtre animal nuncupatur Aſtoiz. Alb. lib. 24. in Aſtoiz.

TH. Et tortuca piſcis memorabilis eſt: marinum enim militem armatumque eum quidem egregie nuncupant. Eſt enim illi ſcutum prædurum, octo, ac ſæpe nouem pedes patens, in capite haſtam, cornu & galeam habet. Alb. anim. lib. 24.

lite-

litera B. Alius eſt marinus miles, Indicus piſcis, ſeu cancer longe velociſſimus: mirum, nullum illi eſſe ad egerendum ſuperfluitatem locum: alitur enim plantarum modo, & adoleſcit humorem ſugens.

EQ. Sulmoni piſci ſupra omnia animantia accidit illud admirabile, vt extractum illi cor diu moueatur, quaſi etiam viuat, tanta euidentia, vt in ea induſtria mercatores fœtidos iam diu occiſos ſulmones pro recentib. vendant, corde adhuc palpitante. Alb.anim.lib.1.tr.3.c.4.& lib.24.in ſulmone. Et ſane nuſquam adeo elucent rerum miracula, vt in piſcibus, præcipue vero marinis: & quæ cum aquatilia ſint, ac proinde frigidiſſima, nihilominus ſi è piſce marino hepar extrahatur, lignumque illo fricetur, accenſum non aliter ardebit, atque lichnus oleo oppletus. Alb.anim.lib.24.cap.1.

TH. Habent maria igitur ſuos apoſtatas, ſcilicet qui aut inde diſcedant non reuerſuri, aut etiam poſt crimen admiſſum reuerſuri. Teſteus piſcis pertæſus duritiem ſuæ cutis in mari tranſit ad aquas fluuiatiles dulces, vt rigore illo dimiſſo, mollior fiat cutis: vbi mollem expertus eſt, tandem redit in pelagus, vbi rigeat, obdureſcatq; rurſum cutis; deinde rurſum appetit fluuios, vt mollitiem iterum querat. Alb.anim.lib.24.in teſteo. Quo loco memorat, quod dicebamus paulo antea, cereum vas obturatum demiſſum in imum maris breui interuallo oppleri aqua dulci.

EQ. Sed quid omittimus teſtudines aquatiles, quæ tametſi terreſtrib. perſimiles ſint, pedib. tamen ac cauda, atq; amplitudine longiſſime ab illis differunt, cum pinnas pro pedib. ac cauda gerant: at amplitudo tanta comperta eſt, vt concha, qua reguntur, ſit in cymbæ vſum hominibus conuerſa, & domum vna tantum obtexerit. Alb.anim.lib.24.in teſtudine. Iuxta Taprobanen paruas teſtudines exceſſiſſe libras 103. retulit Lud.Barthema rerum Ind. lib.3. c.23. At in regno Indico Zapa compertam teſtudinem, cuius teſta S. Antonii Patauini ſacellum obtegeret, memorat Oderic.lib.1.

TH. Omiſimus vitulos, vaccasque marinas: non loquor de phoca piſce, qui nonnullis etiam vitulus dicitur, ſed de illo quodam genere, quod omnia animantia longæuitate ſuperat. Ex vitulo etenim cum ſe in vaccam adoleſcendo mutarit, tanta diuturnitate aliquando vixiſſe memoratur, vt centum triginta annos peregiſſe tradatur, idque compertum amputata cauda. Albert.anim.lib.24.in vacca: quo loco etiam adiicit, vitulum marinum tanta eſſe humiditate, vt ſi dextra eius pinna, qua ad natandum vtitur, ſupponatur temporibus hominis, ſomnum inducat.

PH. Hæc de eodem vitulo accipienda ſunt, quem iam antea commemorabamus: eodem enim loco Albertus & piloſum eſſe, & æſtum maris indicare ſcribit, vt ita perſpicuum ſit eandem eſſe, quamquam omnibus piloſis marinis id eſſe commune eodem loco tradit.

EQ. Sed numquid nauigantibus deſunt omnia remedia aduerſus immenſos piſces, cum fiunt obuiam, ſi deſint tubæ, & ænea tormenta, quæ diximus?

PH. Sunt, qui tradant, caſtoreũ dilutum aqua & in mare effuſum remediũ eſſe; illo n. tamquam aconito grex balnearũ totus repẽte diſſipatus in profundũ fertur, tametſi rugiant horrendum in modum: id in Laponia ac Noruegia ſeruari memorat auctor, alioqui impius & hæreticus Iacob. Zieglerus in Laponia: quo loco illud adiicit, ibi piſces non igne, ſed frigore excoqui, cum edomiti ſint farina.

EQ. Pro colophone illud addendum velim, ſitne fabuloſum piſces etiam è cœlo deſcendere?

PH. Si cœlum pro aerea regione, quam aues prouolant, & nubes obuerſantur, accipiamus, non eſt ambigendum nubium aquis ſyderum afflatu piſces etiam gigni: ab ipſiſque nubibus poſtea demitti, quod Iſidorus putat lib.13. cap.12. vt ita piſcium pluuia dici poſſit, quam contigiſſe memorat Plin.lib.31.c.1. Propterea anno Othonis Imperatoris Tertii ſexto piſcibus pluiſſe memorat Anton.tit.16.c.3.§.4. quod & diximus in Meteoricis.

Nubes piſces gignere & pluere.

EQ. Audiui præterea piſces quoſdam execto ventre aut reſurgere, aut non mori; numquid ita ſe res habet?

PH. Reſurgere piſcem iam mortuum haud eſt veriſimile, & viuere poſſe execto ventre minus eſt fide dignum. Sed lucio piſci notiſſimo hoc accidit in Anglia, vt piſcatores emptoribus, vt pinguedinem oſtendant, viuo ventrem cultello aperiant, atque interiora abdomine referta eſſe oculata fide teſtatum faciant: quod ſi forte non vendatur iam exciſus huiuſmodi piſcis, reſuitur filo venter, & in viuario reponitur: vbi tinearum contactu glutinoſo ſanatur, viuusque perſeuerat. Ortelius in Anglia.

MARE

COLLOQVIVM DECIMVM.

EQVES.

NISI hæc ornatiſſima porticus in meridianum Solem vergeret, cenſuiſſem nobis futurum percommodum, vt hodie in ea conſidentes, ratiocinantesque diem abſumeremus. Hinc etenim maritimi huius ſinus littorumque virentium iucundiſſimus eſt proſpectus: editior enim hic collis ſemper aliqua ſuaui aura mulcente afflatur: ſed pomeridiani Solis radii nimis eam æſtuantem reddunt.

PH. Non videtur futurus hodie æſtus, neque Solis radii admodum repercuſſuri, tum ob noctis elapſæ pluuias, tum ob nubilum tempus, quod montium cacumina indicant; præter id, quod mare poſt aduentum Caniculæ craſſiores aquas, mutato colore, præſeferre videtur; propterea cum expectandus hodie non ſit æſtus, porticus hæc nobis erit ad ratiocinandum percommoda.

TH. Conſideamus hic igitur, diſſeramusque de mari; argumentum nobis præbente ipſius hoc amœniſſimo proſpectu; cuius colore vegetantur oculi: quamquam plurimi ſint per varia maria colores, quin ipſum quoque pro temporum varietate mutari coloribus accepi.

PH. Caniculæ aduentu non eſt dubiū mare reddi obſcurius & craſſius, quandoquidem ab imo eius vertuntur omnia, vt Plinius memorat lib.9. cap.16 in fine: tradiditq; pluribus Bartholomæus Anglicanus Franciſcani ordinis Philoſophus eximius libro, quem de proprietatibus egregium edidit, ante annos trecentos ex vetuſtis auctoribus præcipua colligens. At Aulus Gellius ad Ariſtotelis problemata id adnotauit accuratius, cum ille quæſiſſet, vnde mari adeo frequens colorum mutatio: libro enim noctium Atticarum ſecundo hæc habet c.30. *Apertiſſimum rerum Philoſophis obſeruatum eſt, Auſtris ſpirantibus mare fieri glaucum, & cæruleum; Aqui-*

lonibus

lonibus obſcurius, atriusque. Cuius rei cauſam, cum Ariſtotelis libros problematum percerpſimus, notauit, cur Auſtro ſpirante mare cæruleum fiat: Aquilone, obſcurius, atriusque: propterea videlicet, quod Aquilo minus mare perturbat: omne autem, quod tranquillius eſt, atrum eſſe videtur. Hæc ex illo: quapropter aduentu Caniculæ, cum neq; Auſtri, neq; Aquilones plerumq; ſpirare videantur, ſed omnium fere ventorũ afflatus cõquieſcant Sole magis interiora maris penetrante, craſſioresq; terreſtres partes commouente, neq; abſumente, neceſſe eſt craſſius, obſcuriusq; ipſum fieri. Hæc ex illo. Sed hoc non adeo admirãdum eſt, ſicut quod diximus, Auſtro lucidius mare fieri, cum tamen ille ſua vi omnia commoueat: nam potius dicendum foret, Auſtrum turbidius efficere mare vniuerſum. Verum eius quoq; rei rationem ex eodem Aul. Gell. poſſumus exquirere, illo ipſo loco: Hoc (inquit) ſæpenumero in vndarum motu obſeruatum eſt, quas Aquilones venti, quiq; ex eadem cœli regione aer fluit; quaſve faciunt in mari Auſtri, atq; Africi: nam fluctus, qui flante Aquilone maximi ac celeberrimi excitantur, ſimul ac ventus poſuit, ſternuntur & conflaceſcunt, & mox fluctus eſſe deſinunt. At non ita fit, flante Auſtro vel Africo, quibus iam nihil ſpirantibus, vndæ tamen factæ diutius adhuc tument, & à vento quidem iam dudũ tranquillæ ſunt; ſed mare eſt etiam, atque etiam vndabundum. Huius rei cauſa eſſe coniectatur, quod venti à Septentrionibus ex altiore cœli parte in mare incidẽtes deorſum in aquarum profunda quaſi præcipites deferuntur; vndasq; faciunt, non prorſus impulſas, ſed vi intus commotas, quæ tantiſper erutæ voluuntur, dũ illius infuſi deſuper ſpiritus vis manet. Auſtri vero, & Africi ad meridianum orbis circulum, & ad partem axis infimam depreſſi, inferiores & humiles per ſuprema æquoris euntes protrudunt magis fluctus, quam eruunt: & idciro non deſuper læſæ, ſed propulſæ in aduerſum aquæ, etiam deſiſtente flatu, retinent aliquantiſper de priſtino pulſu impetum. Hæc ille: quibus verbis, quoniam poſt Auſtrum & Africum implicabiliores vndas durare demonſtrauit, efficitur, vt vbi conquieuerint, lucidiores ſint. At contra ceſſante Aquilone, quia ſtatim, ſi neque vllo temporis interuallo conquieſcunt, ipſæ vndæ non adeo lucidæ, cæruleæque apparent: cum enim ſtatim à motu ad quietẽ ſit tranſitus, luciditas adeo repentina ſuperuenire non poteſt: cum contra accidat Africis, Auſtriſue diſcedentibus. Vndarum enim tum perſeuerans agitatio quædam expurgatio eſt, vnde ſenſim purificatis aquis, cæruleum magis, ac lucidius mare videatur.

Diuerſi flatus venti diuerſos vndarum colores gignunt.

TH. Ego vero maritimum colorem non adeo tribuendum eſſe cenſeo ventorum flatibus, ſed cauſis potius aliis: nam alicubi lactei coloris eſſe maria, indeque & lactea cognomina quæſiuiſſe prodidit Petrus Martyr in ſumm. cui etiam ſuffragatur Andreas Curſalius, aſſerens iuxta Indos Orientis incolas lacteum mare reperiri patens in trecenta paſſuum millia: additque aliud eſſe prę uiride, aliud ſubnigrum, aliud cæruleum, aereoque colori perſimile: atque ita fit, vt loci poſitio, regionumque ſubterranearum, aut adiacentium ſitus mari colorem efficiant. Mutationes vero, quæ accidunt breui interuallo, non dubitarim à ventis, procellisque proficiſci: quod vel inde patet, quod rubrum Mare non ideo dicatur, quod rubro colore ſit: id enim habet Iſidorus lib. 13. cap. 17. Rubrum (inquit) mare vocatum, eo quod ſit roſeis vndis infectum, non tamen talem naturam habet, qualem videtur oſtendere: ſed vicinis littoribus vitiatur gurges, atque inficitur, quia omnis terra, quæ circumſtat pelago, rubra eſt, & ſanguineo colori proxima: ideoque indeminium acutiſſimum colligitur, aliique colores, quibus pictura variatur. Ergo

Mare rubrum cur vocetur?

cum

cum terra hanc habeat naturam, fluctibus ſubinde diluitur,& quidquid adhæſum
eſt, in colorem cadit. Ob hoc etiam in his littoribus gemmæ rubræ inueniun-
tur : lapillus enim huiusmodi humo inuolutus,cum inter arenas attritus eſt,& ter-
ræ colorem habet & maris. Hæc ille. Rubeſcit igitur mare ex accidenti; ſicut
mare ſanguinolenta pugna rubeſcere legimus. Et mare,quod alluit Inſulam Cu-
bagua,alio nomine *Delle perle* noui orbis,quodam anni tempore,cum alioqui ſem-
per vireat, rubeſcit ea ex cauſa, quod oſtrea ſanguinem paſſim fundant. Pet.Hiſp.
p.5.cap.15.

PH. Non dubitarim ego eandem ſequi ſententiam: omnes enim aquæ ſui na-
tura, origineque vnicolores ſunt, non modo fontibus ac fluuiis, ſed & marinis,
iisque, quæ cœlo cadunt niue, aut pluuia, ſed quæ miſcentur, varium illarum
colorem reddunt:& quamquam maria plura ſæpe eſſe legantur, verius eſt vnum v-
bique mare eſſe: vt nobis erit auctor Diuus Baſilius exemero homil. 4. *Mare* (in-
Vnũ totius orbis mare extat. quit)*vnum eſt,velut narrant ii,qui terram perluſtrarunt, etiamſi Hyrcanium, & Caſpium*
quidam per ſe circumſcripta eſſe putent : attamen ſi quid credere oportet illis, qui Geogra-
phiam conſcripſerunt,inter ſe mutuo perforata ſunt, & ſimul omnia ad maximum mare o-
ſtiis concidunt,quemadmodum etiam rubrũ mare dicunt ad id,quod vltra Gades eſt,connecti.
Quomodo igitur Scriptura dicit:Deus congregationes aquarum appellauit maria? quia in con-
gregationem vnam aquæ concurrerunt. Stationes autem aquarum, hoc eſt, ſinus iuxta pro-
priam figuram à circumſita terra comprehenſos, maria Dominus appellauit : mare Septen-
trionale, mare Auſtrinum,mare Orientale & Occidentale, rurſum aliud eſt : & nomina pe-
lagorum propria ſunt,Pontus Euxinus,Propontis,Helleſpontus,Ægæum,& Ionium, Sardoni-
cum pelagus,& Siculum, & Tyrrenum aliud eſt; & infinita ſane nomina pelagorum ſunt,
quæ ſingula enumerare exacte longum fuerit,& ineptiarum plenum : ob id nominauit Deus
congregationes aquarum maria. Hæc ille. Quamobrem cum vnum mare ſit tot finib.
diſtinctum,fuerit quoque neceſſarium vt locorum poſitionibus ſapores, colores,
vimque ipſam eſſe vbique diuerſam.

EQ. Hac ratiocinatione valde ſum perſuaſus, atque ita quæ aliquando le-
gi, interpretanda cenſeo, triginta ſcilicet in omni orbe inſigniora eſſe maria,
30. Maria præſtãtiora Priſciano teſte, qui recolit,Cæſaris mandato dimenſione orbis totius habita, tot
fuiſſe inuenta, & numerata : id quoque habet Bergomas in ipſo Caio Iulio
Cæſare.

TH. Imo longe plura ſunt, propter eum orbem,quem nouum dixere recen-
tiores,qui illum perluſtrarunt, ac præter regiones Synarum,Iaponiumque ipſum,
quibus maria innumeris finibus diſterminantur. Propterea Iſidorus lib.13.cap.16.
ſed & Bocatius tametſi plura maria nominatim adnumerent, nominumque cau-
ſas exquirant,nihilominus maxima ab illis pars prætermiſſa eſt : adeo longe plura
poſtea comperta ſunt admirandas naturas continentia. Superſunt præterea alia
maria omnibus incognita: nam Seneca affirmat in terræ viſceribus adeo late pa-
tere ſinus cauos, quibus tanta fiat aquarum colluuies, vt non lacus aut ſtagnum
dici poſſint: ſed reuera mare velut Oceanus. Id ipſe ſcripſit natur. lib.3. cap.8. 19.
30. lib.5.cap.14.lib.6. cap.7. vt ita ſint non modo incognita dimenſione,verum &
ſitu,& loco; quando affirmabimus etiam ſalſis non eſſe aquis,cum Sole non per-
cutiantur.

PH Quid poteſt illo mari ſpectari illuſtrius,quod nuper inuentum pratorum
more totum vireſcit, perinde ac campi, fruticatione, floribus, herbis, arboribus,
atque

atque omnifariam plantis virens? Hoc enim ideo admirandum, quod alibi hæc omnia illuuione ſoleant velut oppreſſa obrutave nimio humore marceſcere; & perpetua fluctuatione attrita disrumpi, ac fracta interire: & tamen vigent, virentque nuper inuento mari gratiſſimo, iucundiſſimoque magis proſpectu, quam vllo commodo. Parium mare, quod orbem nouum alluit, tot herbis virentibus ac florentibus implicitum eſt, vt nauigari nõ poſſit, obſiſtentibus, retium more, longiſſimis herbarum ramuſculis, vt Petrus Martyr tradit. Tantam enim illud pelagus pratorum refert ſimilitudinem, vt quo vertuntur ipſi fluctus, eodem germina omnia conuertantur, pellanturque, vt ipſi quaſi herbarum magis, quam vndarum fluctus eſſe videantur: eoq; ſunt nauigantibus diſcriminoſiores, quod velut retib. ramuſculorum flexibus nauigia implicent, ne ſe vsquam conuerti poſſint. Ouet. hiſt. lib. 2. c. 5. In quo diſcrimine primus omnium periclitatus memoratur Chriſtophorus Columbus, omnium qui orbem luſtrarunt anteſignanus: eodem loco Ouetanus, & Petrus Mart. ſumm. Eſt autem ea res longe admirabilior, quandoquidem cum illius maris profundum tantum ſit, vt quibusq; triremibus vehendis ſat ſit, ab imo herbæ exurgunt vsque ad ipſius æquoris ſuperficiem, coaleſcunt, implicanturq; mutuo: & quod auget admirationem, etiam ſuperant altitudine, ac adoleſcendi luxuria ipſam ſuperficiem ſuper palmos quindecim, vt quandoq; dimenſione facta, tanta ſit reperta à radice ad ſummum cacumen herbarum longitudo propagata prope ad palmos ſexaginta, intra mare quadraginta quinq;, extra quindecim: vnde creditu omnibus facile eſſe debet, nauigia velut retibus huiusmodi herbis implicari, iisdem auctoribus.

TH. Non abhorret hæc à fide veri, quæ penes priſcos auctores fuit opinio: nam in mari rubro frutices naſci, & ſyluas tradit Plinius lib. 13. c. 25. his verbis: *Naſcuntur in mari frutices, arboresq; minores in noſtro: Rubrum enim & totus Orientis Oceanus refertus eſt ſyluis.* Hæc ille. Sed illud adnotandum nobis eſt, quod cum adeo adoleſcant herbæ ac frutices in mari, ibi tamen abietes & quercus natura ipſa ingẽtes arbores ac procerrimæ, non videntur altiores cubitali proceritate, quin & fructum ferunt, vt tradit Plinius eod. cap. quanquam in mari circa Sycionem quercus prægrandes compertas idem tradat.

EQ. Adauget autem admirationem, quod eodem capite memorat Plinius in mari rubro ſyluas viuere etiam laurorum atque oliuarum præcipue, fructumque ac baccas ferre: quin cum pluit, etiam fungi enaſcuntur, qui poſtea Sole tacti mutantur in pumicem.

PH. At ſunt plantæ quædam, quæ non niſi mari coaleſcere natura queant: vt ita genuinus campus illis mare videatur. Alexand. enim Magni milites frondem marinarum arborum tradidere in aqua viridem fuiſſe exemptam, Sole protinus in ſalem areſcentem conuerſam. Iuncos quoque lapideos perquam ſimiles veris per littora & in alto quasdam arbuſculas colore bubuli cornu ramoſas, & in cacuminibus rubentes cum tractarentur, vitri modo fragiles, in igne autem vt ferrum inardeſcentes, reſtinctis colore ſuo redeunte. Eodem tractu Inſularum ſyluas operit æſtus, quanquam altiores plantanis, populisq; altiſſimis: harum minores totas integit mare, at maximarum cacumina extant: ad quæ naues religantur, & cum receſſerit æſtus & radices extant. Hæc ille. Vnde illud adnotandum cenſeo, maritimum ibi æſtum eſſe præ cæteris omnibus maximum, reflueréq; mare magis, quam alibi cum naues cacuminibus magnarum arborum illigentur in æſtu, illo diſcedente,

radicibus: eſtq; illud etiam memoratu dignum, arbores eiusmodi ſemper folia vi-
rentia ferre, quæ nunquam decidunt. Hæc à Plinio lib.13.c.25.
EQ. Accedit ad hæc & illud quoq; admirandum, baccas, ac fructus huiusmo-
di mari tametſi ſalſiſſimo exortas, dulces pro ſua conditione eſſe: neque enim tra-
hunt plantæ ſalſedinem, ſed humores tantum: ſapor autem, & arborea medulla ex
Sole conficitur, vt pro ſua natura ſapiat: id ita eſſe deprehendo, quod marini piſces
dulciſſimi ſunt, & ſalſa aqua cocti nihil niſi dulce referunt: quod alias diximus,
& ex Ariſtotele mox dicemus, ita quoque arboribus accidere non fuerit du-
bitandum.

Ex mari ſalſo fructus dulces, piſcesq; dulciſ.

PH. Non diffiteor iſta; quandoquidem arborũ radices velut percolare humo-
rem quemlibet videntur; & cum marina aqua craſſior ſit, ebibita radicibus fit leuiſ-
ſima, atq; ita quoq; purgatur ac dulceſcit. Sed res nos prouocat, vt de ſalſedine at-
que craſſitie marinæ aquæ agamus pluribus: nam pro locorum varietate ſalſedo,
craſſities, ac ſapor mari immutatur, ac lacis ſimul & fluminibus, ac fontibus, cum
idem tamen Sol omnia hæc ſuo pertingat, afficiatq; calore ac motu. Eſt igitur ma-
ritima aqua amara, ſalſa ac craſſa, quod Sol terreſtrem partem à mari exugit, & ex-
ſiccat, imo adurit, & dulciores aquarum partes leniter eleuat & abſumit. Qua ex
cauſa etiam plerique laci ac ſtagna, quin & aliqui fontes ſalſas, amarasque conti-
nent aquas. At ſalſa, marinaq; aqua rebus plurimis differt ab aliis: primum qui-
dem grauiora pondera ſuſtinet, vt Ariſtoteles tradit M teor. cap.2. & 3. Aqua (in-
quit) ſalſa craſſior eſt dulci, cum pinguis ſit & turbida; dulcis autem ſubtilis: cuius
indicium eſt, quod ſi vas cereum ore obſtructo mittatur in aquam ſalſam per ho-
ram, deinde extrahatur, inuenitur oppletũ dulci, quæ illius poros penetrauit, cum
ſit pondere leuior, vt eſt ſapore ſuauior. Propterea ſi ſal attritus iniectus aquæ dul-
ci diſſoluatur, ouum in ea proiectum non ſubmergetur, ſed natat ob eam, quam
ex ſale nacta eſt: aqua craſſitiem; cum alioqui ſemper ouum aqua dulci mergatur.
Hinc illud accidit in Palæſtinæ lacu vehementer ſalſo ac craſſo, ſi iniiciatur tum
homo, tum belua quælibet, etiam reuinctis membris omnibus, nunquam demer-
gentur, perpetuoque ſupernatant: & quod admirabilius eſt, iniectus pannus quam-
libet ſordidus, breui interuallo mundus redditur ſalſedinis illius acrimonia. Pro-
pterea onuſtæ naues dulcibus aquis facilius demerguntur, quam ſalſis, quod gra-
uitas aquæ ſalſæ non facile dimerſionem admittat. Deinde illud quoque eſt adno-
tandum, cum craſſa, ſalſaque in dulcem influit; ſal, qui ex dulci colligitur, longe a-
crior eſt illo, qui ab ipſa ſalſa exprimitur: eam ob cauſam, quod dulcis aquę vis, cum
ſubtilior ſit, acutiorem reddidit ſalis acrimoniam, fitque longe magis albeſcens:
quanquam obſonia non adeo ſalſa fieri ex huiusmodi ſale videantur, quod dulces
partes magis hauriant & imbibant, quam ſalſas. Hæc ex Ariſt. qui eadem fere reco-
lit lib. de vegetabilibus.

Tutius ſalſis quã dulcibus aquis nauigatur.

EQ. Ego magis admiror, qui fieri poſſit, vt ſalſis aquis dulces ſint permixtæ:
aut enim ibi non ſunt, aut ſi ibi fuerint, eſſe dulces deſierunt.
PH. Verum eſt, deſiiſſe dulces, neque homini ſecerni ex guſtu poſſe, ſed arte
ſecernuntur: ſicuti exemplo compertum eſt nobis de aqua vino mixta, aqua enim
deſiit eſſe; attamen Plinio teſte, aqua huiusmodi arte educi poteſt ex genere ligni,
quo vas viuum continens fuerit confectum: & nos experimento didicimus, iniecta
linea tela vino, quæ tamen extra vinum propendeat in vas aliud, ſenſim percolabi-
tur aqua in vas illud. Quin alio exemplo ineſſe mari dulces aquas præter cereũ vas,

de quo

de quo diximus, Plinius tradit lib. 31. cap. 6. Quia ſæpe (inquit) nauigantes defe-ctu aquæ dulcis laborant, hæc quoq; ſubſidia demonſtrata ſunt: expanſa circa nauim vellera madeſcunt, accepto halitu maris, quibus humor dulcis exprimitur, præter id, quod in terra argilla marina aqua dulceſcit. Hæc ex illo. Vnde præter omnem ambiguitatem conſtat & marinis aquis dulces permixtas eſſe, & arte ſecerni eas poſſe: vt piſces ipſi in mari nati, qui probe norunt eas ſecernere, dulciſſimi ſunt, neque in ſalſa cocti ſalſedinem ſapere poſſunt, vt dictum eſt, cum de piſcibus egimus.

TH. Id ita ego quoque verum eſſe puto: quandoquidem cum Ariſtotele tradidere Democritus, Theophraſtus, Empedocles, quos recenſet Ælian. lib. 9. c. 64. neq; id myſterio vacat diuino: vt enim varia piſcium genera mare ipſum continet, ita mari mundus in re diuina comparari conſueuit, quod boni malis permixti ſunt, neq; facile alii ab aliis diſcerni queant. Vt igitur ſapidiſſimi piſces in mari dulcem tantummodo epotant, illaq; tantummodo aluntur nil prorſus ſalſedinis ad ſe trahentes, ita viri probi, tametſi malis permixti, nihil mali contrahunt, imo eo magis pietatem adaugent ſuam ſemper redditi meliores, quo magis exercentur à malis. Id ita viri ſancti tradidere, piſcium marinorum hoc vſi exemplo, cum Abraham inter Chaldæos ac Loth inter Gomorrhæos ſemper innocuos vixiſſe memorat, quos è ſalſiſſimo mari, mundo ſcilicet, ſolam dulcem hauſiſſe conſtat. *Probi & inter malos pie agunt.*

EQ. Sapienter certe & erudite ducta translatio, ſed rogo numquid ſemper mare malos ſignat homines?

TH. Plerumq; id ſignat propter inconſtantiam; *nam cor impii tamquam mare feruens eſt.* Iſaiæ 57. quodq; ſalſiſſimum & amariſſimum ſit, difficile ad pietatis ſignificationem conuerti poteſt.

EQ. Attamen quædam maria inuenta fuiſſe memorantur, quæ dulcem, potabilemq; contineant; nam meridionali Oceano Inſulam eſſe tradunt, cuius mare, quo illa alluitur, dulceſcat; eamque ab Iambolo inuentam memorant. Id ita eſſe etiam Diodorus Siculus ſcripſit: ſed noſtri nomen ignorant, quamquam aliqui putent eam aut Taprobanen eſſe, aut Zeilam, vt Ramuſius ſcribit in ratiocinatione de Iamboli nauigatione Tom. 1.

PH. Si quando mare dulces continet, id non à mari ipſo accidit, ſed circa littora ob ingentem fluminum fontiumque aut influxus, aut ſcaturigines, quod perſpicue patet in mari Peruaco in nouo orbe: in illud enim influit maximus omniũq; latiſſimus fluuiorum Maragnonius, quem patere ad centum decem millia paſſuum, qui loca luſtrarunt, prodiderunt. Illa igitur tanta aquarum illata copia in altum adusq; quadraginta leucas, hoc eſt, centum ſexaginta paſſuum millia, cum fluuius penetrare tradatur, hinc atque inde littora omnia dulceſcunt, ad bis mille leucas, id eſt, ad octo milliariorum Italicorum millia, vt Ouetanus memorat, datis de ea re ad Cardinalem Bembum litteris apud Ramuſium Tom. 3. Dulceſcere autem maria illuuie etiam prodidit Petr. Hiſp. p. 5. c. 2. in eodem orbe nouo ſecus littora Inſulæ Sanctæ Crucis; quod etiam veteres ſcriptis mandarunt accidere Scythico mari, quod ob influentium fluminum copiam dulce eſſe Plinius ſcribit lib. 6. c. 17. his verbis: *Hauſtum Scythici maris dulcem eſſe & Alexander Magnus prodidit, & M. Varro talem perlatum Pompeio iuxta res gerenti Mithridatico bello, magnitudine haud dubie influentium amnium victo ſale.* Hæc ille. Qua ex re etiam fit, vt nulla fere maritima littora in continenti ſuo ſalſam aquam gignant, ſed tantummodo dulcem ob fon-

Omne amarum dulce piis credentibus.

tium latentium ſcaturigines, quæ terra ita efficiente maritimam ſalſedinem recipere aut continere non poſſunt. Omnia enim littora naturaliter aquæ dulcis venas continere teſtis eſt idoneus Cæſar comment. lib.4. de bello Alexandrino. At viris in Chriſtum rite credentibus omnia maria redduntur dulcia, ſi ita velint. Beſſarion enim Abbas reddidit eas ad potum dulces aquas, cum ſitientem & anxium diſcipulum animaduertiſſet, iuſſiſſetque è mari ſalſiſſimo bibere. Liber de vita SS.Patrum p.2.cap.202. Iuſſerunt etiam fieri dulces amaras aquas Moſes Exodi cap.15. Eliſæus 4.Reg.cap.2. Ioſeph.bell.Iud.lib.5.cap.4. Sed de rebus hiſce hactenus.

EQ. Eritne ſalſius mare, vbi maius fuerit illius profundum, an forte minus?

Profunditas maris alibi inſcrutabilis.

PH. Ob eam cauſam, qua aquæ ſibi mutuo miſcentur, parui refert, ſitne minus magiſque profundum mare, ſi deſint illæ, quas diximus, dulcium ſcaturigines: alioqui tot erunt ſalſedinum in mari ſpecies, quot conualles, montes, campi imo mari ſubſternuntur: quandoquidem alicubi maximum maris profundum deſcendit in ſtadia quindecim, id eſt, ad bis mille fere paſſus recta linea, ac diametrali menſura; hancque illi maximam altitudinem comperiſſe tradantur, quos Cæſarem in id per orbem miſiſſe Priſcianus ſcribit: quod & Bergomas recolit in ipſo C. Iulio Cæſare. Nonnullis tamen viſum eſt, etiam altum eſſe Pelagus ad vſque ſtadia triginta, id eſt, prope quatuor paſſuum millia, vt tradit Gregorius Reiſch inſignis Mathematicus ſua in Margarita Philoſophica lib.7.tract.1.cap.44. Alii vero prodiderunt, non paucis locis illud eſſe inſcrutabile, neque vlla menſura imum attingi poſſe pro voraginum quarundam, ſcopulorumque poſitione, depreſſioneque. Solinus id videtur ſenſiſſe cap. 54. Scribit enim iuxta Taprobanen mare certis canalibus adeo altum, vt nullæ vnquam anchoræ ad profunda illius ima potuerint peruenire: quod & Plinius habet lib. 6. cap. 22. *Taprobanes* (inquit) *mare vndoſum ſenis non amplius altitudinis paſſibus, ſed certis canalibus adeo profundum, vt nullæ anchoræ ſidant, ob id nauibus vtrimque proræ, ne per anguſtias aluei circumagi ſit neceſſe.*

TH. Qui Septentrionalem plagam perluſtrarunt, profundiora tradunt illa eſſe maria, quam totius orbis reliqua, præſertim in Noruegia: vbi adeo eminent littora, rectaque in profundum vſque, velut abſciſſa deſcendunt, vt nulla induſtria, nullis immenſiſſimis funibus, nec quidem tantis, quantis maxima nauigia onerari poſſint, additaue grauiſſima plumbi, ferriue maſſa, pertingi imum poſſit, vt Olaus tradit lib.2.c.10. qui & illud adiicit, nõ procul ab Vlma Sueticæ vrbe intra maritimos ſcopulos inſcrutabilem compertam voraginem, cuius profundum nullis funium dimenſionibus vnquam attingi potuerit.

EQ. Optarim autem noſſe, ſi vſquam maris aquæ quieſcentes adeo perlucidæ ſint, vt ſpectari earum imum poſſit?

PH. Vbicunque nauigia maxima excipi ad nauigandum poſſunt, humanis oculis penetrari maris imum nulla ratione poteſt: id enim Ælian. ſcribit: quod ob craſſitiem aquæ maritimæ ipſæ ſibi plurimam obſcuritatem pariant; adeo vt humanus viſus nequeat interiora eius pertingere vltra paſſus triginta: vlterius vero ſiue quieſcant, ſiue innatent piſces, feræue aliæ marinæ, aut iaceant demerſæ naues, nulla vis ſpectandi ſupereſt. Hæc ex illo lib.9.c.35. At econtra vrinatores, & qui natandi peritiam callent, ex imo quantumuis immenſo mari Solem, Lunamue, aut nauigia, luminave ſpectare poſſunt. Qua ex re illud efficitur admirabile, vt aquæ tum

ma[illegible]

maritimæ, tum fluuiatiles, aut quæ lacis continentur, cum tamen ſolidiores tactu ſint, quam nubes ipſæ, aut nebulæ, orbem ſolarem lunaremve nunquam iis impediant, qui in imo ſunt, tametſi à ſuperficie abſint multis paſſuum millibus, cum tamen parua nubes, aut nebula, quæ nec vnius quidem ſtadii altitudinem habeat, obiecta Soli Lunæve, aut cuiuis lumini, ne ſpectari ab homine poſſint, impediant; quod, vt dixi, admirabile eſt, vt minora impedimenta & longe rariora lucem videri non permittant, ſolidiora vero permittant.

EQ. Scio nubem ac nebulam raras eſſe, & nihil obſiſtere: nam nihil, vel leue poſſunt ſuſtinere, ſicut aqua poteſt. Igitur cur lucem, cum rariores ſint, quam ſit ipſa aqua, videri impediunt, cum aqua, quæ eſt ſolidior, non impediat?

PH. Iam id diximus in rebus meteoricis: libenter, repetemus aliis quoque verbis. Aqua diaphonum iam eſt corpus, quod ob ſuam denſitatem corporisque continuationem, ſoliditatemque ſicut vitrum oculorum vim, radiosque admittit in rectum, vt translucendo referat, quæ vlterius ſunt; nubes vero ac nebula nondum ſunt corpora diaphona, neque ſunt continua, niſi in pluuias ſoluta iam corpus aqueum eſſe incipiant, & planam habere ſuperficiem: propterea nix, quamuis digitum craſſa, & radium Solis Lunæve, ne videatur, impedit, cum tamen ſoluta in aquam, quamuis immenſæ altitudinis, radios huiusmodi ſpectari non impediet. Habet enim ſe nubes ad aquam, aut gelu, ſicut puluis ex vitro ad vitrum ipſum. Vitri craſſities quantalibet videndi vim non impedit, quin vltra pertingat oculi vis, vt lumina, aut alia queque conſpiciat: at ex vitro puluis quamuis modicus ſuperpoſitus literis, ne conſpici poſſint, impedimento eſt, cum ſolidum vitrum etiam maximum non eſſet vllo impedimento. Quod ſi quis contendat, nubes ac nebulas ob ingentem altitudinem obſiſtere, ne Sol Lunave conſpiciantur, quandoquidem nubes quantum à terra eleuentur, inſcrutabile eſſe tradiderit Plin. libr. 2. c. 23. ſed iis in promptu eſt reſponſum. Nubes nunquam adeo in altum eleuari, vt ſuperent immenſas illas, quas commemorauimus, maris dimenſiones in profundum. Quin cum montes collesve inhabitamus, nebulas vallium nobis ſubeſſe ſpectamus, quæ cum modicæ ſint altitudinis, iis tamen, qui ſubſunt, Solis lucem impediunt, quam fluuius mareve in eam altitudinem non impediret. Solida igitur aquæ ſuperficies corpusque continuum cauſa eſt, vt lumina & alia vlteriora oculis reddantur, cum nubes nebulaque, ſicut & nix ſuam ſuperficiem non habeant ad referendas ſpecies viſibiles ob ſui opacitatem & diſperſum corpus, & radiorum viſiuæ virtutis diſgregationem. Propterea naturæ miraculum continet, vt aquarum immenſitas radios Solis videri permittat, quam parua nubes prohibeat, id tradit Plinius libr. 2. c. 42. Sed de hac re plus ſatis ſuperque alibi etiam dixerimus.

EQ. Maritimæ Inſulæ fuerintne ab initio conditi orbis, aut quando cœperint, noſſe optarim, an caſu emerſerint?

TH. Non dubitarim ſemper extitiſſe etiam ab initio Inſulas: ſunt enim à Deo ita inſtitutæ, ne maris vaſtitas tota foret incognita. Ex Inſulis enim quaſi quibusdam metis ac ſpeculis quieſcere à nauigatione hominem, ſpecularique reliquas partes natura demonſtraſſe videtur, quæ ſi non fuiſſent, ſed perpetuis aquis mare conſtaret, nullum vnquam ſcrutandi maris ſtudium hominem cepiſſet: propterea per Inſulas Deus manus porrexiſſe videtur, vt in altum ſeſe conferrent, non modo vt tutius ſederent plebes aliquot, verum etiam vt reliquum mare commodius ſcrutarentur, vt ex Geneſis libro c. 10. perſpicuum fit, cum Noe proles per Inſulas ſeſe

effudit; propterea elucere in Inſulas Dei ſapientiam tradit Auguſt. de mirab. ſcript. libr. 1. c. 7. diluuio tamen alias atque alias enatas immutatasque tradit idem Auguſtinus de ciuitate Dei libris; aliæque præterea poſtea ſponte emerſiſſe perhibentur, vti cum diſſeremus de Inſulis perſpicuum faciemus.

EQ. Numerum Inſularum inſignium ad numerum ſeptuaginta duarum quidam prodiderunt, idque compertum Cæſaris iuſſu affirmat Priſcianus, & ex illo Bergomas, ſed longe falli eos animaduerti. Incogniti etenim fuerant noui Orbis tractus, neque veteres luſtrarunt extrema illa maria, quæ alluunt Seres aut Iaponios, ac reliquarum earum regionum accolas, quo mari & maxime & maiore numero Inſulæ recenſentur.

PH. Id ita eſt: multa enim Inſularum millia ibi numerari tradunt, qui Orbem luſtrarunt, vt formicarum more frequentes eſſe cenſeantur, vt Nicolaus de Comitibus tradit, qui vno tractu octo millia recenſa teſtatur; quod & Marcus Polus lib. 3. cap. 4. non diffitetur, qui in mari Oceano, quod Sinas alluit, vbi is diu vixit, ad ſeptem millia numerari perhibuit. At lib. 3. cap. 37. memorat, in Indico mari recenſa fuiſſe duodecim Inſularum millia. At recentiores noſtri huius ſeculi, qui eo adnauigarunt, inter quos Balthaſſar Gagus Ieſuita, ſcripſit ex vrbe Cocchin anno Domini 1553. Regem quendam Chriſti fidem ſubiiſſe, qui dominaretur Inſularum millibus vndecim. Quin ſunt alii, qui vnico illo tractu, quo itur à Monzambique vsque Malaccam, duodecim Inſularum millia fuiſſe numerata, & in Maldiuar fuiſſe numerata ſexdecim millia memorat Odoardus Barboſa. Vt ita perſpicuum fiat, noſtrum hunc Europæ orbem videri orbis angulum exiguum: nam ſi comparetur reliquo orbi, nihil eſſe videri poteſt; littora enim Borealis maris noui orbis ad triginta Italicorum miliariorum millia protenduntur. Littora vero Auſtralis maris eiusdem orbis ter mille & quingentas leucas, id eſt, quatuordecim miliariorum Italicorum millia continent, vt Surius tradidit in Commentario ſub anno Domini 1558. vt videas Plinium parum enuntiaſſe, cum putaret aliquid magnum ſe dixiſſe, Illyrici maris oram mille amplius Inſulis frequentari. Sed de Inſulis alias plura.

Europa minima fere orbis pars.

EQ. Et inter Inſulas ſcopuli maritimi forte adnumerari poſſunt.

TH. Non equidem reuera, cum non inhabitentur, neque excolantur, gerunt tamen ſæpe Inſulæ vicem, licet ipſi ſint informes, aridi, ac periculis pleni: id teſtantur celebratiſſimæ Charybdis, & Scylla Siculi maris; locum enim Saluſtius appellat rapaciſſimum monſtrum, quod quæcunque accedunt abſorbeat, ac voret apud Taurominitanum littus. Sunt illa duo ingentia ſaxa è mari emergentia, intra quæ quisquis nauiget, euidentiſſimum expectat exitium, alteri nomen Charybdis, alteri Scyllæ. Virgilius id carmine exprimit 5. Æneid.

Dextrum Scylla latus, læuum implacata Charybdis

Eſt enim illis ſcopulis proprium, vt nauigia eo inuecta aut abſorbeant, aut collidant, vt ſcripſit Iſidorus, cuius verba libet recolere: *Scyllam* (inquit) *accolæ ſaxum mari imminens appellant, ibique fluctus canum latratus videntur exprimere. Charybdis autem gurgitibus occultis naues abſorbet: eſt enim ibi mare verrucoſum, & inde laniata naufragia profundo emerguntur. Ter in die erigit fluctus, & ter abſorbet, accipit aquas, vt vomat, vomit rurſus, vt accipiat.* Hæc Iſidorus, qui de iis agit ſcopulis lib. 13. c. 18. & lib. 14. cap. 6. Meminerunt de eisdem Thucydides lib. 4. & Seneca ad Lucillum.

Scylla & Charybdis periculum ingens.

EQ. Sunt & alii periculis pleni maritimi ſcopuli in Septentrione, in Noruegiæ

giæ Oceano, quo accedentes nulla induſtria naufragia vitare poſſint. Ilico enim impetu, vique voraginum oculi vno intuitu abſorbentur. Olaus lib.2.c.7. Quod proprium eſt reliquis Noruegię littoribus, vt vbique conſpiciantur ſcopuli, immineantque vbique naufragandi diſcrimina: nam non procul ab vrbe Berga tot abundat tractus ille ſcopulis, vt enauigari non poſſit, labyrinthi modo inextricabiles continens errores, vt nec progredi, nec regredi liceat iis, qui intra eos ſeſe forte fortuna coniecerint: vagandum enim eſt per varias incognitas fauces, adeo vt tametſi naufragium non ſequatur, ob inextricabiles tamen curſus ac recurſus fame aut frigore moriendum omnino fuerit. Olaus lib.2.c.11.

TH. Statuit hos anfractus, & diſcriminoſa locorum pericula Deus omnipotens ad compeſcendam hominum tum auaritiam, tum audaciam. Sicut enim venenata quæque ratione creata ſunt tum ad ornamentum vniuerſi, tum ad excitandam hominis prudentiam virtutemque, ita vt maritima hæc periculis plena loca hominem cautiorem reddant, eiusque reuocent animum ad meliorem frugem, vt ſub Deo iugum ferat, quo auctore quibusque periculis eruatur, quandoquidem inter ſcopulos, inter voragines non ſolum bene inſtructis nauigiis, verum & ſciſſis aut refractis, ſine remis, ſine velis maria omnia viro probo pioque ſecuriſſime traiiciuntur. Maria etenim Magdalena ac Martha cum reliquis eiusdem pietatis comitibus Iudaica perfidia cum è Palæſtina in ſciſſam nauim omni remigio deſtitutam fuiſſet detruſa, & fluctibus incerta fortuna commiſſa, incolumis tamen Maſſiliam vsque peruenit, multis emenſis centenis paſſuum millibus. Id fuſius narrat Antoninus in Chronicis, recolitque Matius Iuſtinopolitanus ſacr.hiſt.lib.1. ex vetuſtis auctoribus.

EQ. Hoc quoque accidit Maximiano Siculo, poſtea Syracuſano Epiſcopo: nam ſuas illas Charybdes non expauiſſet, quandoquidem cum Romam rediret ad monaſterium ſibi commiſſum, grauiſſima tempeſtate Adriatico mari deprehenſus ineffabili exemplo inuſitatoque miraculo erga ſe cunctosque, qui ſecum aderant, omnipotentis Dei & iram cognouit & gratiam. Nam cum in omnium naufragium nimia vi fluctus elati ſæuirent, ex naui claui perditi, arborque abſciſſa eſſet, vela in fluctus proiecta, iam iamque totius nauis compages ſolueretur, atque vndique rimas vndæ penetrarent, imo & vſque ad ſummam compleſſent, vt non inter vndas magis eſſe nauis videretur, quam vnda intra nauim, dies octo hoc ſtatu perſeuerauit: iamque ſe omnes morti ſacroſanctis Sacramentis, votis atque oratione præpararant; tandem vero cum ad Caſtri Crotonenſis portum perueniſſent, egreſſis vix illis, nauis ipſa mox in imum ſuo aquarum pondere, quas tulerat, demerſa eſt, quam tot Maximiani comites reddebant longe leuiorem, & velut immerſibilem ſeruarant, Gregorii Magni ſanctiſſimique meritis. Hæc à Ioanne Diacono in vita ſancti Gregorii excerpſimus lib.1.c.33.

Non eget ſane inſtructis nauigiis traiiciendo mari pietas vere Chriſtiana: nullis etenim fluctibus abſorberi poteſt ille, quem Chriſtus tuetur, qui ſiccis pedibus maritimos fluctus inambulauit, Matth 14 Mar.6. Ioan.6. permeaſſet fluctus etiam Petrus, niſi dubitaſſet, Marci 6. Peccatum enim nec proſperis flatibus, nec inſtructiſſimis nauigiis ſecure æquor nauigat. Omnia aduerſantur hominibus, quorum culpæ reliquis omnibus oneribus grauiores ſunt, id exemplo perſpicuum faciam ex Sophronii prato ſpir.c.76. ob mulierem parricidam, quę intra nauigium admiſſa fuerat, tametſi ſecundi eſſent ventorum afflatus, quieſcente mari, cum reliqua *Tempeſtas ob parricidam exorta.*

nauі-

nauigia omnia feliciſſima nauigatione vterentur: illud enim vnum velut immobile dies quindecim ſubſtitit ſumma itinerantium omnium nautarumque mœſtitia: gubernator ad diuinam opem confugiens reſponſum audiit diuinum, eiiciendam mulierem, cui Mariæ nomen erat: accitam igitur rogauit, vt ſcelera indicaret, vnde omnibus iacturam pati tantam ipſa vna cauſam præbuiſſet; aperuit illa peremiſſe ſe filios duos, vt ſibi ad ſecundas nuptias viam aperiret, ac nec ſic inueniſſe. Tunc gubernator mulierem in ſcapham deſcendere iuſſit: mirum tam accidit, ſcapha quinquies in girum agitata in imum cum muliere demerſa eſt. Nauis autem poſt hæc tanta velocitate iter percurrit, vt triduo iter omne abſoluerit, quod non niſi quindecim confici potuiſſet. Hæc ex illo.

TH. Id certe ita ſe habet, vt fides ac pietas reddat omnia homini ſubdita, ipſumque mare velut ſolum inambulari poſſit ſiccis pedibus. Duo enim Anachoretæ rubrum mare pedibus traiiciebant vsque in Raythu accepturi ſacroſanctam Euchariſtiam in die Cœnæ Domini, rurſumque redibant, quod ſe vidiſſe teſtatus eſt Abbas Stephanus Cappadox, quod memorat Sophronius eodem prato c. 122. Sed & Charitines virgo & Martyr in mare iniecta quidem fuit colligato ceruici lapide, ſponte autem lapis profundum petiit, at ipſa firmo ac ſtabili pede ſtetit ſuper dorſum maris, & tamquam terram ſolidam ingrediens profecta eſt ad littus. Metaphr. 5. Octob. Nazarius quoque ac Celſus in mare proiecti, vt mergerentur, ope diuina incolumes euaſerunt è profundo. Metaphr. 14. Octob. Pantaleon quoque Maximiani Tyranni iuſſu, alligato ad collum lapide, in mare iniectus, ſupernatante lapide ligni modo, ipſe ſuper fluctus ſuis pedibus inambulauit vsque ad littus. Metaphr. 27. Iulii. Neque tantum viuentium corpora vim maris ſuperaſſe memorantur, ſed & ipſa mortuorum Sanctorum cadauera, etiam alligatis ſaxis, mergi neſcierunt. Corpus enim Vincentii à Daciano inſutum corio, adalligatoque ſaxo, ſuper vndas innatans ad littus delatum perhibetur. Ado Treuer. 11. Cal. Febr. Nunc ad alia.

EQ. Occurrunt de mari plura dicenda, præcipueq; de illius æſtu, fluxuque ac refluxu: id enim ſuperat omnia reliqua maris admiranda; non equidem vt originem cauſamque exquiramus, quam gymnaſia Orbis omnia nunquam aſſequi potuerunt, & adhuc ſub Iudice lis eſt, vt Plin. ſenſit lib. 2. c. 97. ſed commemoranda ſunt plurima, quæ ad ipſum æſtum pro locorum varietate contingunt.

Inundatio Oceani quotidiana qualis indicatur, eiusdemque receſſus origo neſcitur.

TH. Si libet Diuum Auguſtinum de hoc fluxu ac refluxu audire differentem, erit quidem opus ingenii acumine in ipſius doctrina percipienda: at non erit labor pœnitendus. Sic enim ille: *De quotidianis inundationibus & receſſibus Oceani ſemper quæſtio renaſcitur, hæc namque quotidiana inundatio bis in die à tempore ad tempus per horas viginti quatuor ſemper peragitur, & per alternatas hebdomadas Ledonis & Malinæ viciſſitudo comitatur. Sed Ledo ſex horas inundationis, & totidem receſſus habet: Malina vero grandis per quinque horas ebullit, & per ſeptem horas littorum dorſa retegit, quæ tamen concordiam cum Luna oſtendit, vt antequam Luna naſcatur tribus diebus, ſeptem horis ſemper incipiat, & poſt naſcentis Lunæ principia alios tres dies & ſeptem horas conſueſcit habere. Similiter & ante plenilunium tribus diebus & duodecim horis incipit, & poſt totidem temporis curſus ſui terminum conſumit. Sex vero vniuscuiusque temporis Malinas, Veris ſcilicet & Æſtatis, Autumni & Hyemis ſecundum lunarem ſupputationem, hoc eſt, ſimul omnes viginti quatuor vnusquisque communis annus habet, exceptis videlicet emboliſmis, qui viginti ſex Malinas retinent, & vniuscuiusque de prædictis temporibus mediæ duæ, videlicet æquinoctiales, & aliæ,* quan-

quando vel dies vel nox curſus ſui terminum conſumit, ſolito validior, ac inundatione altior fieri conſueſcit. Interpoſitis vero ſpatiis iterum tantundem ſemper Ledo intermittitur. At vero rationabilis huius perſeuerantiæ inundatio, quo recedit, mentibus noſtris occultata eſt, non minorem profectum neſcientibus præparat ſcientia hominis. Et mox: *Maris inundantes tumores conſiderare permittitur, ſed recedentis intelligentia priuamur.* Hæc S. Aug. de mirac. ſacr. ſcrip. lib. 1. c. 7.

EQ. Doctiſſime ſane atque explicate pro more ſuo Diuus Auguſtinus, ſed quoniam adeo varios videmus pro cœli climate in mare acceſſus & receſſus, erunt hoc loco nobis diuerſitates commemorandæ. Mari Siculo bis die ac bis nocte fluxus refluxusque fit, vt Strabo adnotat lib. 1. At in Anglia iuxta Briſtoliam æſtus bis quotidie tantus in oceano efficitur, vt naues, quæ intra mare erant, ipſo refluxu in ſicca arena hæreant, bisque in mari rurſum ſint, ac rurſum in ſicco. Gregorius Bruin in Briſtolia. Sed longe admirabilius ſcribit Mela de Euripo mari, ſeu freto, quod eſt circa Aulidem & Bœotiæ portum, & Eubæam Inſulam: vnius enim diei ac noctis ſpatio ſepties recurrit eo impetu, vt nauigia repugnantibus ventis plena ſecum rapiat. At Bocatius ita: *Euripus ſinus in Ægæo ſepties die reciprocat motus, & nonnunquam ex altiſſimis montibus videtur deiici, adeo præceps, vt nulla nauigia ibi tuta ſint.* Hæc ille.

TH. Illam Euripi maris inconſtantiam admiratus Diuus Baſilius deſcribit exem. hom. 6. Euriporum (inquit) refluxus, & maris circa oceanum appellatum reciprocatio ad virtutis Lunæ ordinem conſequi inuenerunt ii, qui accolunt. Etenim Euripi iuxta reliquas Lunæ figuras in vtramque partem transfluunt: in tempore vero generationis ne breuiſſimo quidem tempore quieſcunt, ſed in commotione & libramento continuo conſiſtunt, donec rurſus apparens conſequentiam quandam refluxus exhibeat. Occidentale autem mare reciprocationes ſuſcepit nunc quidem reuertens, rurſus autem inundans aut diffluens, velut Lunæ reſpirationibus retrorſum ſubtrahatur, & rurſus ipſius exſpirationibus ad propriam menſuram compellatur. Hæc ille.

EQ. Pomponio Melæ credimus, quoniam illi adſtipulatus eſt Baſilius: at non eſt hoc loco omittendum, quod alias diximus occaſione alia à Plinio lib. 13. cap. 25. quando recolit Indico ſcilicet tractu Inſularum ſyluas operiri maximo æſtu, quamquam altiores Platonis, populisque altiſſimis, ad maximarum cacumina, ad quæ naues religantur, & cum receſſerit æſtus ad radices. Hæc ſane valde admiranda ſunt.

PH. Et illud huic non cedit miraculo, quod ille habet libro 2. capite 97. Octogenis (inquit) cubitis ſupra Britanniam intumeſcere æſtus Pytheas Maſſilienſis auctor eſt. Idque eſt veriſimile, vti adſtipulatus eſt Georgius Bruin, cuius paulo antea meminimus.

TH. Recentiores, qui nouum Orbem perluſtrarunt, tradunt in meridionali eius orbis plaga mare æſtuans effluere ad leucas binas, id eſt, ad octo paſſuum millia, quandoq; etiam longe plura: quando qui fluctus modo ad pedes ſpectabantur, mox adeo procul refluxiſſe comperiuntur, vt vlterius conſpici non poſſint ob ſummam diſtantiam, idque eo loci æſtuante mari ſemper contingere teſtatus eſt Ouetan. ſum. c. 9. & Petrus Hiſp. p. 5. c. 1. qui & illud æque admirandũ recolit in eius orbis Aquilonari pelago quodã maritimis fluctibus nullũ prorſus in littus eſſe excurſum vel recurſum, ſiue æſtuet ſiue cõquieſcat mare, eiſdẽ ſemper retentis metis.

EQ. Forte ii loci ſunt, quos recolit Petrus Martyr in ſummario, cum tradit, non procul à promontorio Cuba mare ſponte fluere perinde ac rapidiſſimum torrentem, quod accidit etiam iuxta littora Inſulæ Margaritæ, & iuxta Pariam, eodem teſte, qui & illud adiicit, nullis viribus nec quidem ſecundis ventis obniti huiusmodi fluctibus nauigia poſſe, neque enim tum per diei interuallum mille paſſus traiici poſſunt.

PH. In orientis pelago etiam id memoratur compertum ab Alexandro Magno, tanta ſcilicet vi furere maritimum æſtum, dum fluit ac refluit, vt deſtituerit tres naues in arido, poſtea paucis horis à refluente fuerint repetitæ. Id tradit Nearchus apud Ramuſium Tomo 1.

EQ. Et in Italia alicubi Adriatico mari maximum excurſum olim fieri conſueuiſſe ſuper omnes, quos commemorauimus, inuenio: ſed hodie id non conſtat, niſi forte repagulis fuerit rei ipſi itum obuiam. Promemus tamen Procopii verba ex bell. Gott. lib. 1. Mare (inquit) in fluminis ſpeciem ſummo diluculo in continentem infertur, ac terræ tantum exæſtuando inuadit, quantum vna die itineris expeditus vir quiſpiam conficere poſſit, atque adeo vt mediterraneum locum ſatis idoneum ad nauigandum efficiat: rurſum deinde circa ſerum diei, inundatione ſoluta, æſtu reciprocante, emiſſas in ſe vndas reducit, vnde quicunque in ciuitatem vel inferre neceſſaria voluerit, vel quacumque de cauſa onera inde efferre, nauibus ea primum imponunt, hisque in locum ſubtractis, vnde fieri tractus ſolet, æſtum operiuntur, quo inuadente, ſenſim vndis nauigia ſubleuata curſum tenent iam deſtinatum, in hisque & nautæ nauali operi ac ſimul remigio inhærentes eueſtigio nauigant, quod vtique non ſolum Rauennate in agro, ſed paſſim per eius regionis littora in Aquileiam vſque vrbem perpetuo fit, haud tamen per omne tempus vel eundem modum id fieri contingit; nam cum imminuitur Luna, & lucis præ ſe paululum tulerit, haudquaquam tam valide ſalum exæſtuat, ſed ſemilunio ad ſemilunium alterum vehementer ea inundatio excitatur. Hæc Procopius ſuo tempore. Sed poſtea immutatus eſt is maris ſtatus, præcipue Veneris vrbem in Adriatico ſinu exædificantibus, & repagulis variis locis ſitum munientibus, atque alia ædificia per incredibilem induſtriam conſtruentibus.

Inundatio maris mane quæ oritur, recedit veſperi.

PH. Sed quod valde admirandum eſt, hic non prætermittam: In Lindiſlarnenſi regione bis quotidie, accedente æſtu oceani, fit Inſula, bis renudatis littoribus contigua terræ redditur. Beda in vita S. Cuthberti c. 17. apud Surium Tomo 2.

TH. Hæc equidem omnia, quæ commemorata ſunt, ad naturæ vim ſpectant, cui ſummus ille omnium opifex certos terminos conſtituit: *Quando circumdabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos.* Prouerb. 8. Et rurſum: *Congregans ſicut in vtre aquas maris.* Pſalm. 32. Et iterum: *Terminum poſuiſti, quem non transgredientur.* Pſalm. 103. Et rurſum: *Quis concluſit oſtiis mare?* Iob. 38. At quoniam hominum ſcelera aucta ſunt, indies effectum illud eſt, vt mare, cui non licet fines conſtitutos egredi, accepta à Deo libertate, ſæpe ſuos terminos ſit egreſſum crimina vlturum, cuiusmodi Seneca natur. lib. 7. cap. 5. memorat, ignem primum fulſiſſe è cœlo, ſtatimque ſupra Burim & Helicem Ægypti vrbes mare inundaſſe, ac ſubmerſiſſe eas, quod etiam recolit lib. 6. c. 26. At Sanctus Hieronymus in vita Sancti Hilarionis de eadem ira Dei multo explicatius ſcribit: Poſt Iuliani (inquit) mortem terræmotus totius orbis accidit, maria egreſſa ſunt terminos ſuos, & quaſi rurſum Deus diluuium minaretur, vel in antiquum chaos redirent omnia. Naues in præ-

Quis hic cui & maris tempeſtates obediunt?

in prærupta montium delatæ pependerunt, quod cum viderent Epidauritani, frementes videlicet fluctus, & vndarum molem, & montes gurgitum littoribus inferri, verentes quod iam eueniſſe cernebant, ne oppidum funditus ſubrueretur, rogarunt Hilarionem. Hic tria crucis ſigna cum pinxiſſet in ſabulo maris, manusque contra tenderet, incredibile dictu eſt, in quantam altitudinem intumeſcens mare ante eum ſteterit, ac diu fremens, & quaſi ad obicem indignans paulatim in ſemetipſum relapſum ſit. Hæc ille, vt vna narratione perſpicuum faceret, irato Deo, mare egredi terminos, & illo placato ſuis finibus cohiberi. Tradidit idem Metaphraſtes 21. Octob. Et quamquam id de Epidauritanis commemoratum ſit, nihilominus etiam Alexandrinis obtigiſſe tradit Nicephorus libro 10. capite 35. Sub Iuliani (inquit) imperio decantatiſſima illa vrbi Alexandrini calamitas accidit, quum mare vehementi æſtu concitum, & vltra fines ſuos progreſſum ita diluuio aridam & continentem terram inundauit, vt eo in locum ſuum regreſſo in tectorum tegulis ſcaphæ marinæ ſint repertæ. Vnde Alexandrini ab eo tempore, quo talis inundatio coorta eſt, diem feſtum eum peragentes faces multas in vrbe accendunt, carminibusque & gratiarum actionibus iram Dei ſupplices placant, ſolemnitatemque anniuerſariam cum inſigni pietate & religione obſeruant. Hæc ille. Hæc tamen nobis recenſenda ſunt vberiore ſtilo oculati teſtis Ammiani Marcellini viri pagani; eius enim hæc verba ſunt lib. 26. Nouo adhuc ſuperſtite Procopio Tyranno, ad diem duodecimum Kal. Aug. Conſule Valentiniano primum cum fratre horrendi tumores per omnem orbis ambitum graſſati ſunt ſubito, quales nec fabulæ, nec veridicæ nobis antiquitates exponunt. Paulo enim poſt lucis exortum denſitate præuia fulgurum acrius vibratorum tremefacta concutitur omnis terreni ſtabilitas ponderis, mareque diſpulſum retro fluctibus euolutis abſceſſit, vt retecta voragine profundorum ſpecies natantium multiformes imo cernerentur hærentes, valliumque vaſtitates & montium tunc, vt opinari dabatur, ſuſpicerent radios Solis, quos primigenia rerum ſub immenſis gurgitibus amandauit. Multis etiam nauibus, velut arida humo connexis, & licenter per exiguas vndarum reliquias palantibus plurimis, vt piſces manibus colligerent, & ſimilia, marini fluctus velut grauati repulſam verſa vice conſurgerent, perque vada feruentia. Inſulis & continentis terræ porrectis ſpatiis violenter illiſi innumera quædam in ciuitatibus, & vbi reperta ſunt ædificia, complanarunt. Proinde vt elementorum furente diſcordia, inuoluta facies mundi miraculorum ſpecies oſtendebat. Relapſa enim æquorum magnitudo cum minime ſperaretur, millia multa necauit hominum, & ſubmerſit, recurrentiumque æſtuum incitata vertigine, quædam naues, poſtquam humentis ſubſtantiæ conſenuit tumor, peſſumdatæ viſæ ſunt, exanimataque naufragiis corpora ſupina iacebant, aut prona. Ingentes aliæ naues extruſæ rapidis flatibus, culminibus inſidere tectorum, vt Alexandriæ contigit, & ad ſecundum lapidem fere procul à littore contortæ ſunt aliquæ, vt Lanconicam prope Methonem oppidum nos transeundo conſpeximus diuturna carie fatiſcentem. Hęc Ammianus.

PH. Fuere & aliæ inſignes maritimæ inundationes aliis poſtea temporibus conſpectæ. Nam & ſub Theodoſio Iuniore mare terminos egreſſum piſces ingentis magnitudinis mortuos veluti funda eiecit. Inſulæ plures vna cum incolis ſuis ſubmerſæ, hodie quoq; non apparent, naues vndis confertim decedentibus in arida medio mari immobiles conſiſtere viſæ, vt tradit Niceph. lib. 14. cap. 46. qui præ-

terea egreſſum mare memorat lib. 17. cap. 13. ex Procopio, cum Roma à Gottis recepta eſt, Belliſario Duce.

Ex inundatione maris heu quanta damna!

EQ. Nuſquam adeo ſæpe afflixiſſe inundationibus accolas pelagus memoratur, vt Phriſios: ibi enim adeo æſtuantis maris fluctus inualeſcere conſueuerunt, vt interdum non agrorum ſolum culta, verum etiam homines cum penatibus obruat. Saxo Gramma. in præfatione hiſtor. Danicæ; propterea cum alias ſæpe, tum maxime circa annum Domini 1164. maris tanta inundatio ſuborta eſt omnem maritimam terram inuoluens Phriſiæ & Hadeleriæ, ac terram omnem limoſam, ac paluſtrem Albis & Viſungi, vt tunc perierint hominum millia permulta, innumeraque pecora: accidit autem hæc clades repentino quodam caſu, dum epulis delitiiſque omnes ibi operam darent, 14. Kal. Maii. Krant. Vand. libro quinto, capite 2. Sed Phriſiæ præ omnibus maior clades fuit, cum ob vnius pugilis irreuerentiam ſacroſanctæ Euchariſtiæ habitam tota fere ſubmerſa eſt maritimis fluctibus circa annum Domini 1218. periiſſe enim tum ea inundatione ſupra centum hominum millia tradit Naucler. gener. 41. ſub finem, & Trithem. Chron. Hirſaug. Propterea illius maris, imo ob priſcorum temporum inundationes adhuc vrbium turriumque veſtigia, quieſcentibus fluctibus, in profundo proſpectantur demerſa. Adiicere rurſum libet, eandem Phriſiam anno Domini 1287. tanta clade fuiſſe maris excurſu aquis obrutam, vt octoginta hominum millia perierint. Langus Chron. Citiz. anno Domini 1287.

PH. Hollandia quoque ipſa iis cladibus non ſemel afflictata eſt. Circiter enim annum Domini 1175. Oceanus, repagulis ibi ruptis, planam humilemque regionem 7. Idus Ianuarias inundans iumenta fere omnia hominumque multitudinem obruit, pluribus ſalutem ex ædium tectis, & arborum cacuminibus ſibi parantibus; noctu id accidit, biduoque perdurauit: poſtea autem in ſe redit mare. Guiliel. Neubrig. Angl. hiſtor. libr. 3. cap. 1. Sed & anno 1420. maritimæ regiones non longe à Dordraco eiusdem Hollandiæ maiori ex parte, qua paluſtris terra eſt, iisdem inundationibus interiit, ſexdecim ampliſſimæ demerſæ parochiæ cum innumera multitudine incolarum. Krant. Vand. libr. 10. cap. 36. Flandria etiam ipſa cladem ingentem perpeſſa eſt anno Domini 1136. Mare egreſſum repentino excurſu partem regionis cum incolis demerſit. Rob. Mont. anno Domini 1136.

EQ. Paſſa has etiam clades eſt ipſa Conſtantinopolis: Septembri etenim menſe ipſa Exaltationis ſanctæ Crucis die mare ipſum inter Conſtantinopolim & Peram adeo intumuit, vt vtriusque vrbis muros ſuis fluctibus excederet, & vndas in vtramque inferret: multa quoque alia damna eo ipſo die Turcis illata ſunt. Feruntur tum Conſtantinopoli ad tredecim hominum millia interiiſſe, vt teſtatus eſt Surius in Comment. anno Domini 1509.

TH. Hæc irato Domino fiunt non modo iis, qui in illum fidem non habent, verum & ipſis, qui credunt, ſi perperam agant, vitamque gerant ſceleribus plenam, at præcipue ſi hæreſi aliqua fœdentur: nam Leonis Imperatoris, qui eius nominis tertius fuit, & Iconomachiæ acerrimus propugnator, tempore, inualeſcente terræmotu Conſtantinopoli 7. Kal. Nouembr. erat enim feria 4. noctis quoque hora 4. tantam vrbi illuuiem ingeſſit mare fines egreſſum, vt collapſa ſint monaſteria, Eccleſiæque multæ maximo eius extincto populo; prætereaque ciuitates aliæ eadem clade percuſſæ in Thracia ac Nicomedia, Bithynia & Nicæa, in qua vnica ſalua

ſalua manſiſſe Eccleſia memoratur. Theophanes Iſaurus Abbas interprete Anaſtaſio Bibliothecario chron.anno Domini 722.

EQ. Et Siculi id genus inundationis perpeſſi aliquando memorantur, nec illi tantum, ſed & aliarum quoque Inſularum incolæ: adeo enim intumuiſſe maritimos fluctus tradunt, vt Siciliæ, aliarumq; multarum Inſularum vrbes concuſſerint ac ſubruerint, innumerabileſq; populos obruerint. Paul.Diac. lib.11.c.1. Deinde anno Domini 1183. retrocedens ipſum Siculum mare in ſeipſum hominum fere quinque millia traxiſſe, obruiſſeque memoratur. Bergomas in Lucio III. anno Domini 1183.

TH. Hæc equidem in orbe noſtro, ſed in nouo orbe, etiam omnipotens quam ſeuere vindicet crimina perſpicuum fecit, cum ſæpe, tum maxime cum in Gangona valle eius orbis mari quidem intumeſcente, & ad quatuor paſſuum millia præter conſuetudinem littora egreſſo, ingruente ingenti procella, non modo ædificia ſubruta ſunt, ſed & arbores eradicatæ præmaximæ, & alio translatæ: quin vento delatæ, velut pluiſſe arbores videbantur, & cum iis lapidum pluuiæ. Petr. Mart.ſumm.Ind.

EQ. Ita fit, vt maria conditori obſequantur, contineantur, euagentur, intumeant, quieſcant, immutentur, conſueta littora, alueoſque ac ſinus deſerant, noua ſubeant: velut quæ nihil prorſus obſiſtant diuinis præceptis, cuius imperio conſtituta ſunt, exſiccantur, diuiduntur quoque, & ſeſe velut muros hinc inde contrahunt, vt viam transeuntibus præbeant: quod Moyſi contigit ex Ægypto cum omni ſuo fere innumerabili comitatu proficiſcenti. Erat illud rubrum mare: flante etenim vehemente vẽto, & vrente tota nocte vertit in ſiccum profundum ipſum maris, vt ſicco veſtigio inambularetur à pertranseunte multitudine: cum iam ſe fluctus diuiſi continuiſſent, velut muri duo hinc à dextera alter, atque hinc à læua alter. Dux igitur Moyſes cum omni Iſraelitico populo ſecurus tranſiit: hactenus obtemperante mari Domino, ad piorum ſalutem: at mox obſequutum eſt idem pelagus Deo ad impiorum vindictam, extremumque exitium. Ægyptii etenim cum Pharaone Rege, innumera certe exercituum multitudo tum peditum, tum equitum, ac qui curribus veherentur, in Iſraelitici populi inermis necem properantes iam eos inſequebantur. Mare velut aſtutum, & ad piorum hominum ſalutem etiam doloſum Ægyptiis permiſit quidem eos ſicco ingredi veſtigio; admiſitq; exercitum omnem in eadẽ ſpatioſa, ſiccaq; loca, vt ingreſſos, & ante, & pone intercaptos demergeret: quod velut ſtratagemate feliciſſimo exitu confectum eſt; ita iubente Dei nomine Moyſe ipſo, extenſa virga, quam ferebat, in ſui Ducatus indicium, idq; accidit diluculo. Tanta autem fuit eius gentis clades, vt ne vnus quidem ſuperfuerit. Exod.c.14.

Mare obediens Deo Domino ſuo piis ad ſalutẽ, impiis vero ad vindictam fuit.

EQ. Egregii ſane miniſtri fuere tum maritimi fluctus ad ſtratagema conficiendum: ſed ea res ſolis fidelibus Dei ſeruis innotuit poſtea: nam ex profanis auctoribus fuere, qui id recolunt: ſed cum rei cauſam, originemque ignorarint, tametſi quod nulla ratione poteſt, factum non diffiteantur, diuinum tamen id opus non agnouerunt: eundem ſcilicet Dominum & iuſſiſſe diuidi maria, & rurſum in priſtinum locum coire, vt ita eadẽ aqua duo contraria, Deo iubente, operaretur: Hebræos quidem reuerendo, & Ægyptios abſorbendo, vt tradit Ioannes Chryſoſtomus ſuper Geneſ.homil.12.

PH Migraſſe ſuis ſedibus maria iam non paucos auctores perlegimus id ad-

Obdurati ſcelere diuinum opus neſciunt.

notantes,ſed quod diuinum opus ignorarint,euentui adſcripſerunt; id quod ſce-
leribus hominum erat tribuendum. Strabo enim lib. 1. memorat ex Xanto Lydo
ſub Artaxerxe adeo ſiccitates inualuiſſe, vt laci, flumina, putei, fontesq; aruerint,
maria quoq; receſſerint:atq; hinc factum fuiſſe,vt procul à mari viſa fuerint veſti-
gia conchiliarum,nauium,anchorarum. Hæc ille: cui accedunt, quæ Mela tradit
lib.1.cap.4.*Mare*(inquit)*aliquando iuxta Icoſium & Vthiſiam vrbes à littoribus longe ſuis
diſceßiſſe, haberique ſpinas piſcium, oſtrearumque fragmenta ſciſſa & attrita, vti ſolent flu-
ctibus,& non differentia maritimis infixa cautibus. Anchoræ,& alia huiusmodi ſigna , atque
veſtigia effuſi olim vsque ad ea loca pelagi.* Accedit ad idem Plinius lib.2. c.89. *Hybanda*
(inquit)*quondam Inſula Ioniæ 200. nunc à mari abeſt ſtadiis. Syriten Epheſus in mediterra-
neo habet, Deraſidas,& Sophoniam vicina ei Magneſia. Epidaurus,& Oricum Inſulæ eſſe de-
ſierunt.* Hæc ille. Quæ omnia illi velut in rebus diuinis cæcutientes euentui adſcri-
pſere,auctorem rerum omnium ignorantes, qui hæc ſummo peregit conſilio,vt ſe
non modo rerum omnium cõditorem ac Dominum,verum etiam iudicem oſten-
deret.In eundem itaq; errorem ſemper Ethnici impegerunt,vt huiusmodi mariti-
mos receſſus ad caſum retulerint:nam quod in Ambraciæ decem millium paſſuum
interuallo,& Athenienſium quinq; millium ad Piræum memoretur mare receſſiſ-
ſe,ad caſum retulit Plinius, nihil in id numinis excogitans lib.2. c. 85. Vbi quoque
adiicit ex Herodoto mare fuiſſe ſupra Memphim vsque ad Æthiopum montes, i-
temque planis Arabiæ; & mare circa Ilium,& tota Theuthrania,quaq; campos in-
tulerit Mæander.

EQ. Nos certe,qui Chriſti lumine ſumus illuſtrati, id reuera animaduerti-
mus non fortuna accidiſſe,ſed diuino conſilio omnia gubernante: propterea id,
quod Marcellinum propriis ſpectaſſe oculis iam ante dicebamus, cum ingentem
terræmotum ſequutæ ſint ingentes vrbium clades,& mare,littoribus conſuetis o-
miſſis, ad alia ſe transtulerit, vt vbi mare antea fuiſſet, eſſent campi; & vbi campi,
maritimæ aquæ obtinerent; ille quidem vt Ethnicus non intellexit, at pii viri O-
roſius,ac D.Hieronymus irato id Deo effectum animaduerterunt,vt ſcribit Petr.
Hiſp. in ipſo Valentiniano l. quo Imperatore id acciderat.

PH. Ego perſuaſum id ita habeo,vt credam mare nec quidem in prono vltra
littus poſſe excurrere, niſi ita imperet Deus. Vtarque in argumentum iis, quæ vel
ipſi Ethnici conſcripſerunt: Solinus enim c.27. *Heſperidum* (inquit) *hortis in Libya
mirum,quod ſolum inferiore licet libra depreßius numquam tamen acceſſus freti ſuperlabi-
tur, ſed obſtacula naturalis repaguli in ipſis marginibus habet vnda; & intimis orarum ſu-
perciliis ſponte fluctus in gyrum reſiſtunt. Ita ſpectando loci ingenio nimirum planities ma-
net ſicca,quamuis prona ſuperueniant æquora.* Hæc ille,qui natura aquis marinis indi-
tum,quod imperio diuino eſt conſtitutum,ſcripſit,quod nouit homo rerum diui-
narum ignarus: adiiciemus autem nos ex Beato Baſilio rectam pro fide Chriſtiana
ſententiam, vt Dei iuſſu, non natura, mari id inditum agnoſcamus: ſic enim ille
exemer.homil.4. Furioſum (inquit)ſæpe ex ventis mare, & in maximam altitudi-
nem per vndas exurgens, vbi littora tantum contigerit, impetu in ſpumam diſ-
ſoluto retrocedit, debiliſſima re arena, id quod violentia intolerabile eſt, frena-
tur: alioqui quod prohiberet rubrum mare omnem Ægyptum cauiorem ac de-
preſſiorem ipſo exiſtentem inuadere, & cum Ægyptio pelago coniungi, ſi non
præcepto conditoris ligatum eſſet? Quod enim humilior ſit Ægyptus rubro mari
facto nobis perſuaſerunt hi, qui pelagus Ægyptium ac Indicum, in quo eſt ru-
brum,

brum, inter ſe coniungere voluerunt. Quare ab aggreſſione hac deſtiterunt, Seſoſtris Ægyptius, qui primus eam auſpicatus eſt, vt Darius Medus, qui poſtea perficere voluit. Hæc ille.

PH. Ita certe eſt perſpicuum, vt perpetua fuerint Dei præcepta, donec illi viſum aliter ſit, vt maria ſcilicet non modò prona, ſed ardua quoque inundent, vt pluribus iam dictum eſt: ſed quod eſt admirandum, adeo maria ſuis finibus continentur, vt intra ſe potius nouas edant Inſulas, quam vt ipſa egrediantur, hoſpitem terram intra ſua viſcera magis admittunt, quam terram non ſibi permiſſam inuadere.

EQ. Acute ſane dictũ, vt nouæ Inſulæ, quæ in mari emergunt, velut maris hoſpites habeantur: id accidiſſe frequenter non deſunt auctores, qui atteſtentur. Plinius id memorat lib. 2. cap. 88. cum recolit iuxta Italiam inter Æolias Inſulas, item iuxta Cretam emerſiſſe è mari Inſulam M.D. paſſuum, cum calidis fontibus, & alteram ab Olympiade 143 anno tertio, in Thuſco ſinu flagrantem cum violento flatu. Proditum etiam fuiſſe ſcribit, magnam circa illam multitudinem piſcium fluitantem confeſtim expiraſſe, quibus ex his cibus fuiſſet. Sic & Pithecuſas in Campano ſitu ferunt ortas. Mox in his montem Epopon, cum repente flamma ex eo emicuiſſet, campeſtri æquatum planitie. Auulſam etiam ſcribit Siciliam ab Italia, Cyprum à Syria, Eubœam à Bœotia, Atlanten & Macrin ab Eubœa, Besbycum à Bithynia, Leucoſiam ab Sirenum promontorio. Hæc ab illo. Quin Seneca natur. lib. 6. cap. 29. non ſolum Siciliam memorat à continenti fuiſſe auulſam ex Italia, verum etiam adiicit, Hiſpanias ipſas à contextu Africæ fuiſſe abruptas. Quos euentus caſui tribuere priſci diuini nominis ignari, cum id genus prodigii diuino conſilio editum aliquid ſemper portenderit: vſus eſt enim Deus perſæpe mari in prodigiis, ſicut terra quoque in edendis monſtris; vtrumque enim tum mare, tum terram pugno concludit. Mare autem velut vtre continens effundit ac cohibet, vt libet.

TH. Iſta enim omnia, tametſi inanimata ſint, obediunt tamen conditori, tanta etiam temporum obſeruatione, vt eorum imitatione, qui intelligunt dies, menſes atq; annos inuiolabili obſeruatione tenuiſſe videantur: non æſtus ac refluxus ratione, de quibus fuſius iam egimus, ſed colendæ diuinæ maieſtatis cauſa. Cum enim ipſa careant religione, religioni tamen deſeruiunt: faciemus id perſpicuum ab Beati Clementis Primi Pontificis ſepulcro. Is à Tyranno, anchora collo alligata, apud Cherſonam mari demerſus eſt & extinctus, ne ſepultura ſacræ illæ carerent reliquiæ, diuina manu ipſo imo mari conſtructum ſepulcrum eſt, vbi oſſa conderentur. Sed ne ignotus eſſet hominib. locus, ad tria paſſuum millia diſceſſit à littore mare, vt omne id ſpatium aridum præberet omnibus iter ad ſepulcrum: non ſemper aut perpetuis horis, aut toto prorſus anno; ſed diebus tantummodo ſeptem, cum anniuerſaria Clementis feſtiuitas recurreret. Beda, Metaphraſtes, Ephrem Cherſonenſis Epiſcopus, Nicephorus Calixti, & alii. Qua ex re memorabile recenſendum nobis eſt miraculum verbis Nicephori lib. 3. cap. 18. Cherſonis (inquit) mari diebus ſeptem ad tria millia paſſuum quotannis diuiſo, multi eo eunt, & Martyris Clementis Primi Papæ corpus exoſculantur, templo diuina virtute excitato: & cum aliquando mare, vt aſſolet, ita diuiſum eſſet, populusque ſtata ibi ſacra peregiſſet, atque inde rurſus reuerteretur, euenit, vt parentum obliuione illic puer quidam relinqueretur, atque ita mare in ſe rediit, puerque tenellus aquis eſt

etiam obrutus, ſed diuina ſeruante ope, non eſt extinctus. Deinde euoluto anno cum rurſum fluctus receſſiſſent, parentes tametſi mæſti ob amiſſum, vt putabant, filium, pietatis conſuetæ cauſa eo acceſſere, ac puerum incolumem loculis ſancti Martyris aſſidentem repererunt, quare intellexerunt per inhabitantem ibi gratiam defenſum eum, ac citra nocumentum à feris marinis conſeruatum eſſe: quapropter Apoſtolo, quem decuit atque oportuit, honore habito, cum puero ſuo domum ſunt reuerſi. Hæc ex illo. Ne vero quisquam de miraculi veritate addubitet, quo receſſus ille maris anniuerſarius contingebat, Metaphraſtes, qui ab hinc prope ſexcentos annos fuit, ſuo etiam tempore perſeueraſſe miraculum conteſtatus eſt. Sed quum perfidia Cherſonenſium incolarum animo occupaſſet, indigni tanta Dei gratia & oſſa Sancti, & miraculum æquoris ac ſepulcri, atque etiam reliquas incolumitates, quas ægroti quilibet conſequebantur, amiſerunt. Recolit hæc etiam Mutius Iuſtinopolitanus ſacr. hiſtor. lib. 1. quo loco hiſtoriæ huius veritatem aduerſus Centuriatorum calumnias ſumma ſolertia tuetur.

PH. Multos habent igitur maria præter fluxus ac refluxus motus alios, quos nulla humana ratio aſſequi poteſt, cum præter omnem conſuetudinem fiant; non eo lunari motu, de quo egimus, ſed alio quopiam: ſunt enim ſibi maria omnia occultis quibusdam ſubterraneis meatibus cognata & affinia, propterea q; ex longinquo plurimum motu, & accidenti poteſt in Italia noui quidquam in mari apparere in excurſu aut recurſu, quod origine aliunde proficiſcitur: nam Diuus Baſilius exem. hom. 4. tradit Caſpium & Hyrcanum maria, cum per egreſſionem littorum ſibi communicare non valeant, ſubterraneis tamen meatibus communicant: ita & rubrum mare cum Gaditano ſibi remotiſſimo communicat, ſicut iam antea diximus: ita fit, vt cum tot cauſis maritimi motus adſcribi poſſint, nihil videri poſſit inſanius, quam eorum rationes ſolertius exquirere. Ideo nos quoque tandem id prætermittemus. Et quamquam diximus antea maria etiam in prono non poſſe terminos egredi, id tamen accipiendum eſt, ne littora ita prætergrediantur, at ſi aliud mare alii pronum ſit, dubio procul in illud influit, nec redit; id perſpicuum faciemus verbis Senecæ lib. 4. cap. 2. *Pontus* (inquit) *in inferum mare aſsidue fluit rapidus, non vt cætera maria alternatis vltro, citroque æſtibus, in vnam partem ſemper pronus & torrens.* Hæc ille: atque hinc aliud memorandum miraculum animaduertere licet, vt adeo verum ſit, mare nullis vmquam aquis creſcere ex ſententia Senecæ lib. 3. c. 5. vt neq; alio mari influente poſſit augeri, vti de Ponto in inferum mare influente diximus.

Quod mare viuum mortuũq́;?

EQ. Quomodo ſunt viuentia maria, aut cur mortuum mare etiam nuncupatur?

PH. Dicam: viuere mare dicitur, quo viuunt animantia; mortuum, quo non viuunt, aut cui nullus motus ſit. Cum enim fluctibus nullis exagitetur, velut cadauera immobilia ſunt, ita mari accidit, quod Gomorrhæum dicitur, iure mortuum appellatum, vt Metaphraſtes tradit in vita Sancti Pionii apud Surium Tomo 1. Februario. Ex iis igitur cauſis mortuum dictum; quod ex quinque inſignium vrbium incolarum mortibus emerſerit; & quod nullum ſeruet, alatue animal; & quod prorſus ſit immobile: id vt exprimamus illuſtrius, recolemus Diui Cypriani Martyris carmina, quæ ſcripſit in deſcriptione Sodomorum euerſionis. Ita autem ille.

Sic

Sic igitur cœlo pariter, terraque ſepultis
Nec mare viuit ibi, mors eſt maris illa quieti:
Quod nullos animat per anhela volumina fluctus,
Quodque etiam patrio nuſquam ſuſpirat ab Auſtro.
Quodque nequit perferre aliquam de gurgite gentem
Squammigeram, leuiue cuti, vel cortice ſæptam,
Vel criſpam concham, aut duplici compagine clauſam:
Solum illic propria mentitur fruge bitumen.

Magis igitur mortui maris titulus illi debetur, quam quieſcentis: quieſcere enim verius mare dicitur, cum æſtus deſiit: vtrunque autem tum motus, tum quies maris diuina fiunt diſpenſatione; ſæpe id ſacris literis contineri legimus. Ionas enim in nauim ingreſſus eſt, vt in Tharſos proficiſceretur, erat ſumma maris tranquillitas: quoniam vero à Deo auerſum ſe præſtabat, illius ob culpam mari immittendam procellam Deus decreuit. Neque enim id caſu accidit, vt verba ſcripturarum ſanctarum explicant; ſic enim illa: *Dominus miſit ventum magnum in mare: & facta eſt tempeſtas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri.* Ion.1. Deinde vero ſumpto de Iona ſupplicio, cum iniectus in fluctus fuiſſet, mare conquieuit eodem iubente Domino. Sed & Apoſtolis orantibus, Chriſtus Dominus, cum magnus in mari motus fieret, adeo vt nauicula operiretur fluctibus, ipſo dormiente, excitatus mari dixit: *Tace & obmuteſce, & confeſtim facta eſt tranquillitas magna,* Matth.8. Marc. 4. Luc.8. Mouentur igitur & conquieſcunt maria à conditore: at mortuum mare quieſcere non videtur proprie dici poſſe.

PH. Ita ſane eſt, ſed ignorarunt Philoſophi, qui aliquando auſi ſunt etiam ſcriptis tradere, mare oleo tranquillum fieri, vt recolit Plinius lib. 2. cap. 103. Quod ſi ita eſt, plurimum certe illud eſſe oleum oportet: & quod maximorum fluminum more fluat. At Chriſti Dei ſumma illa vis ac poteſtas efficit longe aliter, vt vel tantillo mari iniecto oleo ſancti viri omnem maritimam ſedent procellam: Adamus enim Epiſcopus Cantuarienſis Eduini Regis filiæ ad nauigandum ſeſe accingenti paululum dedit ſanctificati olei, quo, ſi ingruerent procellæ, Chriſti virtute ſedari poſſent. Vix autem ingreſſa illa nauigium, paucisque emenſis è littore ſpatiis, intumuerant magnum in modum fluctus, procellaque grauis exorta eſt; adeo vt iam naufragari omnes viderentur. At vbi illa puſillum illius olei effudit in pelagus, mirum, mox ceſſauere fluctus, quieuere venti, queuit & mare. Beda id memorat oculatorum teſtium relatu. Angl. hiſtor. lib. 3. cap. 15. Sed & noſtro ſeculo anno Domini 1561. Petrus Arboleda Ieſuita eminente naufragio iuxta Triſtam Inſulas, iniecta mari ſacra cera (Agnus Dei vulgo nuncupatur) vim fluctuum, procellæque cohibuit, ſeq; cum comitibus incolumem reddidit. Extant eius de ea re literæ impreſſæ.

EQ. Vt ſedant procellas viri Dei, ita quoq; excitant, ſi expediat; vtroq; enim iuxta elucet gloria Chriſti. Quin & Sanctorum defunctorum cadauera permouiſſe tempeſtates comperta ſunt; eritq; nobis idoneus teſtis Euſebius Pamphili in vita Sancti Amphiani, quę extat apud Metaphraſten 2. Aprilis, apud Lippomanum Tomo 7. eius hæc ſunt verba: *Cum enim (inquit) in pelagi profundum Sanctum Dei hominem Amphianum lapidibus ad pedes eius ſuſpenſis proieciſſent, ingens confeſtim fragor, & commotio atq; æſtus tum ipſum mare, tum circumſtans littus perturbauit: motusq; maximus vrbem concuſſit vniuerſam, ſimulq; diuini Martyris corpus exanime pelagus, tanquam ipſum*

ferre non poſſet, ante ciuitatis portam eiecit. Idque ſe vidiſſe teſtatur Euſebius ipſe cum
reliquis omnibus, qui Cæſareæ degerent.

TH. Eadem ope diuina, vt feruent fluctibus maria, ita quoque feruent igni,
ardentque contra aquarum naturam: ſed id Ethnici diuini luminis gratia deſtituti
ad prodigium, caſumque referunt, vti Liuius prodidit dec.3 lib.3. At qui recte ſa-
piunt Chriſtiani, non niſi numini ita iubenti id adſcripſerunt: capta enim Roma
ſub Alarico, maritimi fluctus perinde ac cāpi plurimo igne exardeſcere diu viſi ſunt
prænuntiumq; id fuit, indignatum numen ob Ioannem Chryſoſtomum Tyranni-
ca poteſtate miſſum in exilium; atq; ideo orbi flagella imminere, vt memorat Ni-
ceph. lib.13. cap.36.

EQ. Hinc illæ diuinæ vltiones in hominum ſcelera, vt vel ab aquis ignem ex-
cutiant. Circiter enim annum Domini 939. è mari ortus ignis in varias fuſus regio-
nes vſq; Zamoram multa oppida incendio abſumpſit, Alphonſus Venerus Vaſæus
Chron. Hiſp. ann. Domini 939.

Ignis è mari erumpēs.

TH. Sæpe id accidit, vt è mari erumpat ignis, ſicut inter Inſulas Feram & Te-
raſiam memorant auctores anno Domini 716. quod in Inſulis poſtea differemus
pluribus. Idque in Italia apud Puteolos accidiſſe vel noſtra ætate compertum eſt,
extantque adhuc montes ex eiecta pumice confecti.

EQ. Sed & apud Vulcanum montem Poſſidonius teſtatur ex ipſa maris ſu-
perficie promanaſſe ignem lambentem aquas ipſas; limoſum, cœnoſumque quid-
dam ſuperſtrauiſſe mari, quod poſtea in lapideam duritiem conuerſum eſt. Le-
ander. Atque ita mare ſe ſæpe transformat modo in igneam faciem, modo li-
quidas ſuas ſeruat aquas, modo non liquidas, ſed duritie ſaxea aquas in gelu trans-
format.

Mare congelari.

PH. Longe credibilius eſt, mare glacie obſtringi eodem diuino iuſſu: idque
eo admirabilius eſt, quod cum conſueuerint eſſe niues ibi, vbi & gelu, ob eandem
frigoris cauſam; tamen alto mari, veluti ſemper tepente loco, cum numquam ni-
ues cadant, vt Plinius ſenſit, nihilominus alto mari ſæpe gelu compertum eſt.
Quin tametſi littora maritima vbique frequenter admittant niues, quin alicubi
etiam perpetuis niuibus albeſcant (quod Magelanico freto accidere tradit Petr.
Hiſpal. p.5. cap.17.) maritima tamen aqua tardius congelaſcit, quocumque fue-
rit translata, cum citius ad feruendum accendatur, teſte Plinio lib.2. cap.103. Pro-
pterea illa glacialis maris perpetua ſoliditas è gelu, etiam perpetuo hominum, qua-
drupedumque pedibus obtrita, cui non fuerit admirationi? vt naues per eam cur-
ribus vehantur: naues ſint immobiles ibi gelu obſtrictæ; itineratio ibi non aliter
exerceatur, quam campis in continenti conſueuerit: ſed quia de ea re pluribus e-
gimus etiam in Meteoricis, de illo mari ſermonem intermittemus alia paulo poſt
dicturi: interim autem dicere libet de aliis pelagis, quibus accidit, vt nouo velut
miraculo ipſa aliquando gelu fuerint præter eorum naturam obſtricta: cuiuſmo-
di recolunt auctores Copronimo Conſtantino Iconomacho contigiſſe. Id au-
tem diximus quidem paucioribus in rebus Meteoricis, nunc autem pluribus
proſequemur, recenſis ipſis auctorum verbis: id igitur his verbis tradit Zona-
ras: Sub Conſtantini Copronimi imperio ſæuiſſima hyems fuit, adeo vt non
fluuii tantum, ſed & mare Septentrionale ad complura ſtadia frigoribus congla-
ciaret: anguſtum item fretum, & quo ex vrbe Chryſopolim traiicitur. Cum-
que nix in glaciem cecidiſſet, eaque gelu denſata, & in glaciem ipſa quoque con-
uerſa

uerſa eſſet, homines fretum pedibus Chryſopolim vsque transibant, & ſarcinis onuſta iumenta, & boues plauſtra magni ponderis trahentes. Idem tunc & in aliis maribus accidiſſe fertur. Poſt aere tepefacto, continua glacies diſſoluta, & in fragmina redacta eſt, quæ venti vehementis impetu violenter per mare agitabantur, collibus & ſpatioſis Inſulis non diſſimilia. His animantes inerant feræ, & cicures exanimatæ, aſtrictæque glacie. Eorum fragminum quædam vi ventorum ſub aquis impetu vehementi marinis impacta mœnibus, non ipſa tantum, ſed & vicinas ædes proſtrauerunt. Hæc æſtus ingens eſt ſequutus, quo & perennes amnes ſiccati ſunt, & fontes penitus defecerunt. Hæc ille: cui etiam ſubnectenda ſunt Vincentii verba iſta: Pelagus Ponti vsque ad centum paſſuum millia Conſtantino Copronimo Imperatore tanto rigore gelu contraxit, vt lapideam duritiem, & craſſitie triginta cubitos ſuperarit: atque etiam ſuperaggeſta nix viginti cubitos exceſſit. Fuit igitur mare pedibus peruium. Menſe deinde Februario diſciſſo ſponte, tepente cœlo, gelu, montium modo è gelu fragmenta viſa ſunt ampla. Hæc Vincent. hiſt. lib. 23. cap. 158. Anton. tit. 14. cap. 2. §. 4.

EQ. Adiicimus ad hæc ex Theophante Iſauro Abbate illo ſæculo viuente admodum infeſtum fuiſſe illud gelu Pōtici maris: ſe enim ſuis ſpectaſſe oculis tradit, atque in Cazaria & Bulgaria, aliisque adiacentibus regionibus abrupta glaciei fragmenta montium modo abiecta vsque in Propontidem & Inſulas oppleuiſſe, & quibus illiſiſſent muris, ea obtriuiſſe arietum bellicorum modo. Recolit Anaſtaſius Bibliothecarius Theophanis interpres Chron. anno Domini 746. à Kalendis Octobris vsque in Februarium menſem, quanquam alias antea idem quoque acciderat, vt congelaſceret prçter omnem conſuetudinem. Nam anno Domini 601. id cōtigiſſe idem Theophanes cum ipſo Anaſtaſio interprete prodiderunt Chron. anno Domini 601. *Fragmēta glaciei inſtar mōtis.*

TH. Admirabilius eſt, quod tradunt mediterranei maris ſinum Adriaticum, vbi Venetiarum vrbs ſita eſt, glacie fuiſſe obſtrictum anno Domini 1234. adeo magnum in modum, vt onuſtis iumentis fuerit peruium: id memorat appendix ad Schafnaburg.

EQ. Hæc, quæ commemorata ſunt de maris gelu, nihili habenda ſunt, ſi conferantur Aquilonari mari, quod nuncupant glaciale: cum quotannis congelaſcat ab Octobri in Aprilem, à quo nihil minus accolæ habent commodi, quam à reliquis campeſtribus locis. Extruuntur in gelu amplæ domus; diriguntur itinera in plurima paſſuum millia, non peditibus tantum, ſed & equitibus itinerantibus, hoſpitiis per quæque congrua interualla percommode ipſo mari diſpoſitis, vt qua nauibus ab Aprili in Octobrem traiicitur, illac ab Octobri in Aprilem pedibus, equis, curribus ſubterfluente profundiſſima aquarum maritimarum colluuie. Propterea ꝙ Strabo tradit lib. 2. fide dignum cenſendum: ſcribit enim in oſtio Mæotidis tantum gelu viſum, vt quo loco Mithridatis Dux hoſtem in gelu vicerat, poſtea æſtiuo tempore, liquefactis niuibus, claſſe etiam deuicerit: quæ cognita quoq; fuere Plinio lib. 4. c. 12. dum memorat, Aquilonare mare, quod glaciale nuncupāt, pedibus peruium eſſe. Porrigitur autem in tantam latitudinem, longitudinemq; illud Septentrionalis maris gelu, vt Albertus Krantzius teſtatus ſit, anno Domini 1323. Gotticum mare tanto gelu fuiſſe concluſum, vt à Lubecca in Daniam vsque iretur perpetuo maritimo itinere, diſpoſitis vbique opportunis in ipſo gelu hoſpitiis. *In gelu domus extructa, perque mare pedes & eques itur conglaciatum.*

tiis. Quin etiam anno Domini 1399. à Lubecca eodem conglaciato mari itum eſt in Sudenam vsque, & à Sudena in Daciam perpetuo itinere maritimo, etiam diuerſoriis percommode diſpoſitis. Ipſo autem poſtea anno 1423. equites à Gedano Pruſciæ in Lubeccam, & à Magnopoli in Daciam per huiusmodi conglaciatum mare percurrerunt. Anno autem Domini 1393. Cimbricum mare adeo gelu conſtrinxit, vt è Luthia equeſtri itinere perueniretur in Aslogiam: quamquam enim illa nimis grandis glaciei frequentia appareat, nunquam tamen adeo inſignis fuiſſe memoratur, vt annis ipſis quos modo ex Krantzio commemorauimus Vand. libro octauo, capite ſeptimo, libro decimo, capite quadrageſimo, ſed Olaus id quoque tradit libro primo, capite decimo tertio, & decimo quarto. Si autem noſſe velimus glacialis maris initium, illud ab Islandia Inſula initium ſumit, vt Krantz. tradit in præfatione Noruegiæ.

PH. Neque putanda eſt illa glacies mollis aut perfragilis: nam ferri duritiem ſuperat, frangit enim ipſum ſe percutiens ferreum inſtrumentum. Piſcatoribus enim ibi mos eſt, vt glaciato iam mari aperienda, aut defodienda loca quædam curent, vt comperta aqua, accurrentes piſces expiſcari poſſint. Securibus igitur cum ſit opus exſcindendo gelu, vel ipſis primis ictibus ferrea ipſa inſtrumenta illiſa franguntur, vt memorat Olaus lib. 1. cap. 25. Glaciei autem craſſitiem eſſe incredibilem vel inde quisque coniectare poteſt, quod inſtructæ acies, exercitusque dimicaturi in ipſum maritimum gelu conueniant ingenti vtrimque numero tum peditum, tum equitum, adhiberi etiam æneæ machinæ conſueuere, ac reliqua inſtrumenta maximi ponderis bellica, quæ non niſi maximis curribus vehi, trahiue poſſunt, cũ reliquis ingentis exercitus impedimentis. At præterea tradit Olaus, tametſi longe magis ſit glaciei craſſities, quæ tantum pondus ferre poſſit, nihilominus ſi trium, quatuorve pedum altitudo iam ſit, ad omne huiusmodi pondus ſuſtinendum ſufficiet. Olaus lib. 1. cap. 14. Ibi igitur conſerto prælio pugna fit: dimicatur vtrimque non aliter in ſolido loco, quam conſueuerit in campeſtribus pugnis: idque patuit, cum inter Ruthenos, Moſcouitas ac Finnos bella geſta ſunt, innumerabili prope vtriusque exercitus milite inſtructiſſimo manum conferente. Olaus lib. 11. cap. 1. qui eodem libro cap. 2. memorat, vbi Gottorum, Moſcouitarum ac Ruthenorum peditum equitumue nauali claſſe pugnæ habitæ fuiſſent, ibidem reliquo anni tempore peditum equitumque cum æneis machinis terreſtria bella geſta fuiſſe.

TH. Eſt equidem maxime memorandum, mari omne hoc opus geri, ſed alia quoque narrantur iure recolenda. Fiunt ex omni vicina gente ibi collecta mercimoniorum omnium emporia; fiunt nundinæ, curribusque omnia perinde ac continenti ipſa conuehuntur. Brauia quoque proponuntur iis, qui aut curſu pedites valeant ad duodecim paſſuum millium metam; equitibus vero ad ſex millia tantummodo: eoque accerſuntur, qui eam currendi induſtriam eximie calleant; confluuntque ad ea ſpectacula, vbi in aquis curritur & equitatur. Sunt autem hæc frequentiora apud Oſtrogotos ac Veſtrogotos, vt Olaus tradit libro primo capite vndecimo. Sed ne lapſu ruant, qui pedites currunt, ſoccis prælongis ligneis, aut ex ceruorum cornibus confectis vtuntur. Equis autem, ne & ipſi ruant, ferreæ ſoleæ pedibus affiguntur præacutiſſimis vncis munitæ. Olaus lib. 11. cap. 28.

EQ. Ita fit, vt traiiciendo illo mari nauigia magis egeant curribus, quam aquis.

aquis. Onera quidem nauibus in littore immittuntur, implenturque pro more ad ſummum, perinde ac conſueuere in portu onerari: verum cum obſiſtent gelu longiſſime ab æquore non congelato abſint, curribus atque aliis machinis onuſta nauigia per gelu è littore pertrahuntur, donec per omne gelu illapſa tandem in ipſum mare demittantur, iter reliquum peractura. Olaus libro primo, capite decimo quinto.

PH. Excedit omnem fidem, quod tradunt nonnulli, repentino quodam gelu mare congelaſcere, vt nullo conſilio vitari potuerit ab iis nauigiis, quę forte ibi velut in ſtatione eſſent. Ingentes enim naues, ſimul & triremes repentina glacie ſæpe circumambitæ inuentæ ſunt, perinde ac retinaculis, ac repagulis adeo vallatæ, vt nulla ratione loco moueri poſſent, non aliter ac ſi defoſſæ quaqua verſus humo obrutæ fuiſſent, aut muro obductæ. Id autem præcipue contingere memorat in mari Gottico, vbi frequentius inualet repentinum gelu, vt ita valde miſerandum ſit, toti alicui claſſi, quæ ibi hyemandi cauſa conſtiterit, cum ob tantam glaciem, qua quæque nauigia velut defoſſa comperiuntur, vt nec mutuo ſibi opem ferre poſſint, neque propius inuicem accedere, vnde etiam totius claſſis exitium accidiſſe memoratur. Olaus lib. 11. c. 25. ex Saxon. Gramm. in præfatione Daniæ. Reliqua ad idem argumentum diximus in Meteoricis.

Gelu repentinum nauibus periculoſiſſimum.

EQ. Ita fit, vt homini mare ſemper infenſiſſimum ſit, ſiue ſit peruium, ſiue ſit inuium, ſiue nauigabile, ſiue innauigabile, ſiue glacietur, ſiue glacies effringatur, ſoluaturve. Exitio eſt homini naufragiis, exitio eſt obſtrictione gelu: exitio eſt, & ipſi glaciei fragminibus, quod diximus ex Zonara & aliis, exitio eſt etiam ipſa gelu ſolutione, qua, qui minus cauti ſunt, maiore pronitate elabentes in voragines ruunt, aut ipſis gelu fragminibus obruuntur. Quod ſi non lædant hæc omnia, pauorem tantum ſua mole incutiunt maritimæ glacies, vt diſcriminoſum magnisque periculis plenum ſit, vel tantummodo ſpectatorem eſſe eius maris, in quo nihil ſit niſi monſtroſum. Nam præter id, quod ibi perpetuum toto anno eſt gelu, ſi forte quapiam ventorum vi vitri modo tanta glaciei latitudo frangatur in partes, nulla fiducia ſupereſt aut nauigantibus, aut accolis: ſupernatant illa fragmina Inſularum modo grandia, occupareque duodecim leucarum ſpatium, hoc eſt, quinquaginta fere paſſuum millia nonnulli recentiores tradidere, quin fruſta eiusmodi eminere è mari collium modo pedes ſeptingentos, atque ambitu occupaſſe bis mille paſſus ſcripſit Ananias quidam Septentrionalis plagæ interioris perſcrutator, qui huiusmodi Anglicanam nauigationem etiam ſcriptis mandauit anno Domini milleſimo, quingenteſimo, ſeptuageſimo ſeptimo, quod & occaſione alia alias commemorauimus.

TH. Hinc prouerbio locus datus eſt aliquando: *Vinum, mulier, mare, tria mala,* non quia mala ſint hæc ipſa, ſed abutentes multi in deterrrima mala inciderunt. Hoc verum quidem eſt, mare huiusmodi qualibet ratione noxium eſſe: illius aqua etenim maxime noxia eſt, dum bibitur, non ab homine tantum, verum etiam reliquis animantibus; vix etenim corporis lotioni concedenda. Eius enim aquæ humectatio humanis corporibus accommodatiſſima eſt, & non parum vtilis, vt tradit Auguſt. de morib. Manich. lib. 2. cap. 8. Et vt mihi quidem videtur, non ipſum modo mare monſtroſum eſt, quod tam varium, multiplex inconſtansque ſit, verum etiam quod indies in eo monſtra ſemper noua gignantur, longeque & plura, & frequentiora, & horribiliora, quam ipſa terra: nam Indica maria leonum, arie-

tum, pantherarum, Satyrorum, mulierumque formas, atque omnium fere rerum ſimilitudines piſces habentes procreare memorantur. Ælian. lib. 16. c. 18.

EQ. Si Indicum mare, præcipue vero quod orientale eſt, ac circa Taprobanen, velimus recenſere, quantam monſtrorum copiam ferat, erit labor inanis, illud pro monſtro grandi ſit, quod inde Septentriones nõ conſpiciantur, vnde nauigantium diſciplina tota ducitur: Luna quoque ipſa paucis diebus, id eſt, ab octaua in ſextamdecimam tantum ſupra terræ orbem videtur, Solem orientem à dextra habet, occidentem ſiniſtra; & quod diſcriminoſum valde eſt, nulla ibi recta nauigandi norma obſeruatur, habent ii cicures aues quaſdam, quas ſecum vehunt, eorumque magiſterio vtuntur ad dirigendum curſum in loca deſtinata, vt iam diximus ex Solino c. 53. & ex Plin. lib. 6. c. 22. Hæc autem ac præterea illo mari alia monſtroſa ſunt, præcipue vero maritimi labyrinthi, anfractus atque ineuitabiles voragines, quas paulo ante commemorauimus.

Mare miraculoſum. *PH.* Fateri tamen oportet, nihil in toto orbe eſſe, cui tot accidant admiranda, atque mari: nam quoddam glaciei genus Septentrionali mari ſupernatat, quod tametſi in littus illud extrahas, ipſum tamen ſponte littus deſerit, reditque ſponte in mare, nemine prorſus promouente, id tradit Saxo Gramm. & ex illo Olaus lib. 2. cap. 8. quod & Iacobus Zieglerus alioqui hæreticus ſcribit in Islandia, quin eiuſdem ſpeciei glacies ibi eſt, quæ nullis vaſis, nulla arte ſeruari incluſa poteſt; nam etſi appellitur littori magnis molibus, ſi cruſta eius aſſeruetur quamuis magna diligentia occluſa, diſparet ſtatim, & ilico euaneſcit; iidem auctores iisdem locis: cuius rei rationem exquirere, aut nimium curioſi hominis puto, aut audacis. Sunt enim hæc naturæ inſcrutabilia occulta, atque arcana. Eſt & illud valde admirandum, illius climatis Septentrionalis maris quandam glaciei vim ineſſe, qua temporis curſu lapis fiat, chryſtallusque eximia, id Seneca de natur. quæſtionibus affirmat effici ob tenuiſſimas aquas, quæ facilime congelant frigore, quandoquidem illa aqua cœleſtis plurimum, terreni autem minimum habet. Vnde, cum indurauerit, longioris frigoris pertinacia ſpiſſatur magis ac magis, donec omni aere excluſo in ſe tota comprimitur, & humor, qui fuerat, lapis efficitur. Eadem ex illo Vinc. natur. lib. 5. c. 80.

TH. Admirari quoque oportet, mari velut quendam ineſſe ſenſum, quo orientem Solem reuereatur, quod ſæpe nauigantes animaduertimus: exoriuntur ſæpe nocturnæ ventorum procellæ, ac fluctuum motus ingentes, poſtea vbi primo diluculo ſerenus Sol mari illuxerit, videas furentes fluctus ita quieſcere, eoque modo reuereri aduenientem Solem, quo turba popularis concitata aduenientem Regem reuerita ceſſat à motibus, ceſſat à rixis; id præter quod iam diximus didiciſſe nos experimento, etiam Diuus Ambroſius carmine cecinit in hæc verba, loquens de Sole in gallicantu:

Hoc excitatus Lucifer
Soluit polum caligine:
Hoc omnis errorum chorus
Viam nocendi deſerit.
Hoc nauta vires colligit,
Pontiq; miteſcunt freta:
Hoc ipſa Petra Eccleſiæ
Canente, culpam diluit.

Reco-

Recolitur integer hic hymnus diuinis horis ad laudes: eſt autem illius initium, *Æterne rerum conditor.* Quamobrem diuinæ veteris legis inſtituto mari, quod nullis terminis cohiberi, nullis finibus claudi poteſt, in atrio templi conſtitutum fuerat. Erat illud vas ingens, quo quæ offerenda in templo eſſent, prius ablueren- tur: mare putarim dictum ideo, quod maris immenſi vicem referret, vt ſoli vero- que Deo offerenda à mari primum munda prodirent, & vt ipſum reueritur orien- tem Solem, ita & quisque Deum, per ſui oblationem, depoſitis perturbationum motibus, aduenienti gratiæ occurreret. Sunt tamen, qui dicant, hominis cor mare eſſe, vt antea diximus ex Iſaia: *Cor impii mare feruens.* Vt igitur hominum magis cor- da mundari viderentur, cum templum ingreſſuri ad offerendum eſſent, mare in atrio conſtitutum eſt, quo reliqua maria, corda ſcilicet hominum, mundarentur, quod tametſi exiguum videretur, eſſet tamen pro omnibus ſufficiens, ſicut toti or- bi reliqua maria ſuperſunt. Propterea illud mari valde proprium eſt, vt onera red- dat leuiora: nam ſaxum aut pondus quodlibet fune in mare propendens, cui plures eleuando non ſufficerent, ſinguli ſuſtinebunt, vt S. Auguſtinus tradit de mirab. ſacr. ſcript. lib. 2. cap. 25. quod & Plinius ſenſiſſe videtur libro ſecundo, cap. 103. di- cens, onera in aqua facilius moueri, quod etſi omnibus aquis accidat, magis tamen maritimis.

Mare vndi dictum.

EQ. Sed an omnia maria enauigari poſſint pro colophone mihi quærendum conſtitui.

PH. Sunt nauigantibus multa impedimenta, ſcopuli, voragines, herbæ, plan- tæ, quæ omnia iam antea à nobis commemorata ſunt: ſunt & teſtudinum mariti- marum copiæ impedimento, vt quandoque innauigabile pelagus cenſeatur. Id accidit in nouo orbe, vbi cum ampliſſimæ ſint teſtudines, tanta frequentia maris ſuperficiem oberrantes viſuntur, vt concurſu nauigia progredi impediantur. Petr. Mart. in ſumm. Ind. At illud innauigabile hic quærimus, quod ſuo perpetuo vel motu vel caligine impedimentum præbet, quale illud eſt, quod vltra Gotlandiam iacet Inſulam: ferunt enim, illud poſt vnius diei interuallum eſſe prorſus innaui- gabile, idque experimento cognitum, quandoquidem Normannorum Princeps Haraldus eo ſæpe progreſſus eſt experiundæ rei cauſa, ſed ſemper vi fluctuum cali- gineque retruſus eſt. Nulla enim oculorum acies illam tenebricoſam caliginem penetrare poteſt. Auſi ſunt præterea nonnulli nobiles ex Phriſia ciues penetrare an. Domini 1000. ſed eadem vi retruſi vix rediere incolumes. Krant. Norueg. in præfatione.

Mare innauigabile quoddam.

EQ. Ita fiet, vt dicamus, non aliter ibi eſſe nauigabile pelagus, quam ſint im- permeabilia Arabica deſerta, vbi cum vndique arenæ ſint leuiſſimæ, nuſquam re- ctum iter haberi poteſt, quandoquidem illæ commotæ ventis perinde fluctuare videntur, ac mare. Itinerantes igitur intra ligneas arcas ſe condunt, dorſisque ca- melorum deferuntur. Quin ibi quoque ſicut & mari magnete itinera diriguntur nautarum more. Ludouic. Barthema lib. 1. cap. 13. vt ita velut miraculum quoddam recolere poſſimus, quo etiam nauigationes exerceri ſine nauigiis, ac ſine aquis poſ- ſint. Nam etiam velis impelluntur currus, ſicut & nauigia, vt dicemus Colloq. 23. in nauigiis. Sed de hisce rebus ha- ctenus.

FLVVIVS

FLVVIVS
COLLOQVIVM VNDECIMVM.

PHILOSOPHVS.

HEſternis pluuiis, quæ adeo ingruerant, mirum, quantum increuerit fluuius parte, qua agrum hunc alluit, videtur aggeres egreſſus, atque ideo tranari hoc biduo non poterit: nam & pontis, quo traiicitur, ſummum attigiſſe videtur, vt nec eius ſubſidio vti liceat.

Pons è nauibus artificioſe conſtructus.

EQ. Effundi his imbribus ſolet hic fluuius repentina quadam exundatione, verum quia breui elabitur torrentis modo, nullum inde nobis incommodum, neque pontis vſus vlla inundatione præpeditur, quandoquidem ligneus eſt, neque in ſolo fixus, ſed nauiculis ſuperſtructus: quamobrem quum fluminis augentur aquę, & ipſe attollitur, cum deprimuntur, & ipſe ſimul deprimitur, & ne alio feratur, ferreis cathenis ac retinaculis hinc atque inde religatus eſt.

TH. Optimum pontis genus nondum vſquam à me viſum, niſi quod bellicis rebus repentinis quibusdam traiectionibus fieri leguntur, at vbi traiectio exacta eſt, reſciſſis retinaculis, amouentur.

PH. Eſt ſane noua hæc pontis forma in Europa, ſed erit multo magis habenda velut inſolita in reliquis orbis partibus, vbi pontium ſtructuræ perraræ ſunt, & ſine vlla magna induſtria: nam in Africa atque orbe nouo nulla fere aut modica eſt de pontibus mentio, cum ad eos ars huiusmodi non peruenerit. Nam quoad Africanos ſpectat, hoc illis traiiciendis fluminibus ingenium eſſe memoratur, præſertim iis regionibus, quæ adiacent Beniaſgo monti, vbi itinerantes transmittendis fluminibus caniſtro vimineis ramuſculis contexto vtuntur pontis nauigiique vicem præbente. Ripis enim vtrimque funis adligatur; ingens autem caniſtrum funi appenditur, quo non minus decem viri includuntur; excurrente itaque per funem caniſtro, traiiciunt, neque vſquam caniſtrum aquas attingit: eminet enim ſemper tum in acceſſu, tum in reditu, habeturque eo loci apud omnes hæc traiiciendi forma valde commoda. Leonius rerum Afric. p. 3.

EQ. In orbe nouo ruſticioris ingenii ſunt homines, idcirco niſi natura opituletur, ſine induſtria pontes ita conficiunt, præcipue vero ii, qui apud Vrabam degunt. Traiiciendo etenim flumini neque ligneos, neque lapideos pontes extruunt, ſed nouo quodam artificio ex radicibus arborum minutis ac prælongis reſtes, velut funes contorquent, ac dein compoſitas contexunt in eam longitudinem, quæ fluminis latitudini ſufficiat, vtraque ripa alligant, atque ita transmittunt. Pet. Hiſp. p. 5. c. 26.

TH. Quoniam verò orbis noui gens ingenio deſtituta eſt, illis natura opitulatur, quæ traiiciendo fluuio ſaxeum pontem ſine artificio ſubminiſtrauit. Ingens etenim collis modo ſaxum ex altera in alteram ripam ſuam longitudine protenditur: cum autem excauatum in fornicis modum ſit exeſum magis tum in fluminum, tum ventorum impetu præbet liberum fluuio, quamuis magnum in modum intumenti, aditum, vt ſubterfluat; at in conuexa parte, quæ ſuperior eſt, itinerantibus optimi pontis exhibet officium, nullis inundationibus aut temporis vetuſtate abſumendum. Petr. Hiſp. p. 5. cap. 28. quo ponte noſtrates, qui illum orbem perluſtrarunt, fluuium traieciſſe ſæpiſſime memorantur.

PH. Sed

PH. Sed qui fieri poteſt, vt ſæpius eundem fluuium transmiſerint, cum omnium Philoſophorum vnanimis ſit ſententia, eundem fluuium non niſi ſemel pertranſiri poſſe, cum ſecunda vice non idem, ſed alius fluuius transmittatur?

EQ. Elegans eſt hoc cauillandi genus: ſcio fluuium eundem non eſſe, niſi dum fluit iisdem aquis idem, ac propterea aquæ fluuii, quæ iam dilapſæ ſunt, non eædem ſunt cum iis, quæ poſtea ſuperuenientes fluunt, vt ita vice alia non eædem aquæ traiiciantur, ſed aliæ, quæ ſuperuenerunt; non ergo bis, ſed ſemel tantum idem fluuius transmitti poteſt.

PH. Nulla in huiusmodi ſermone eſt cauillatio, aut ſophiſma, ſed ſolidiſſima veritas. Eracleus enim egregius inter priſcos Philoſophos dicere ita conſueuerat, eundem fluuium intrare eſſe impoſſibile, eique aſſenſi ſunt & noſtri, præcipue Euſebius Cæſarienſis.

TH. Euſebius Cæſarienſis probauit, & reuera peropportune, vt hominem ad ſui ipſius notionem perduceret, vt ſe noſſet aquam eſſe fluentem, & omnibus immutari momentis, vt ita alius à ſe ſemper eſſe videatur.

EQ. Audirem perlibenter hunc philoſophandi modum: nam hominis inconſtantia aquarum fluentium mobilitati inſtabilitatique comparanda iure merito eſt, cum Iob ipſe dixerit c.14. *Homo natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miſeriis, qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & nunquam in eodem ſtatu permanet.* Sed & alibi ſacræ literæ conteſtantur, *quod omnes ſicut aqua dilabimur.* 2. Reg. c. 14. *Fragilitas humana & inconſtantia.*

TH. Si audire libet, promemus ipſius Euſebii verba de præpar. Euang. lib. 11. cap. 7. *Natura* (inquit) *noſtra inter ortum & mortem conſiſtens inſtabilis quadam & quaſi phantaſtica eſt: nam ſi mentem collegeris, ac ipſam comprehendere omnino volueris, quemadmodum aqua manibus hauſta, quanto magis premitur, tanto citius defluit; ſic mutabilia cuncta, quanto magis ratio perſequitur, tanto magis amittit: cum enim omnia ſenſibilia in fluxu ſint, continue fiunt, atque corrumpuntur, nec eadem vnquam permanere poſſunt. Fluuium autem eundem bis intrare ſecundum Eracleum impoſſibile eſt: quare nec mortalem ſubſtantiam, ſi iterato conſideres, eandem habitu eſſe dices, ſed mirabili commutationis velocitate modo diſſipatur, modo contrahitur. Imo vero non recte dixi modo, & modo, cum ſimul aliud aſciſcat, aliud perdat, & aliud habeat ab ea. Ita nunquam ad eſſe peruenire poteſt: nunquam enim generatio eius ſtat, ſed embryo à ſpermate, deinde infans, puer, adoleſcens, vir, ſenex, decrepitus, ac quibuslibet primis corruptis ætatibus, ad nouas veniens tandem omnibus moritur. Ridiculoſi ergo ſumus homines, vnam timentes mortem, qui multoties mortui ſumus, & ſæpius moriemur. Non extinctio ignis aeris ſolummodo generatio eſt, vt Eraclitus dicebat, ſed apertius hoc ipſum in nobis quoque videtur: corrumpitur enim iuuenis in virum, vir in ſenem, puer in iuuenem, infans in puerum, & qui heri fuit, in eum, qui eſt hodie, quique hodie eſt, in craſtinum; manet autem nullus idem: nullus enim eſt idem, ſed in vno momento circa phantaſmata vnam & communem materiam fluentem ac refluentem omni momento commutamur.* Et infra: *Mobile namque tempus eſt, & mobili materia coniunctum, fluit ſemper, & quaſi corruptionis atque generationis vas nihil retinet, vnde prius atque poſterius, & fuit & erit, nihil omnino ſunt;* & quæ ſequuntur ibi.

EQ. Adeo oblectatus ſum hac Euſebii Philoſophia, vt etiam animo velim ſæpius hæc mihi repeti, cum ab agendis rebus otium ſuppetit: ſuauis enim eſt ſui contemplatio, qua ſe nihil eſſe pro certo cenſeat. Hinc enim ambitio omnisque bonorum appetentia, opum congregandarum ſtudium, ſed & voluptatum illecebras omnes conſternatus tanta contemplatione animus procul abigeret. Sed de *Noſcere ſeipſum vtile.*

hiſce rebus hactenus, nunc ad fluminum admiranda conuertenda oratio eſt.

PH. Omnia flumina, quocunque polleant naturæ priuilegio, cedant iis quatuor, quæ à terreſtri Paradiſo manant, neceſſe eſt, vel ipſius originis ratione. Irrigant enim Paradiſum ipſum, & in reliquum orbem fluunt; quod autem in illis præcipuum naturæ miraculum elucet, ad ipſorum originem ſpectat, quam nemo prorſus hominum vnquam nouit, cum inueſtigare humanis viribus ſit impoſſibile.

EQ. Audire de eis libet, iis tamen nominibus, quibus apud nos nuncupantur, quandoquidem aliis nominibus in ipſis ſacris literis deſcribuntur.

TH. Moyſes omnium ſcriptorum vetuſtiſſimus in ſua Geneſi cap. 2. ſic de illis: *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita, nomen vni Phiſon, ipſe eſt, qui circuit omnem terram Heuilath, vbi naſcitur aurum, & aurum terræ illius optimum eſt: ibique inuenitur Bdellium & lapis onychinus. Et nomen fluuii ſecundi Gehon, ipſe eſt, qui circuit omnem terram Æthyopiæ. Nomen vero fluuii tertii Tigris, ipſe vadit contra Aſſyrios. Fluuius autem quartus eſt Euphrates.* Hæc ibi. Sed horum nomina Latinis aliter exprimuntur: de eis enim ita Iſidorus Ethymol. lib. 13. cap. 21. *Gehon* (inquit) fluuius de Paradiſo exiens, atque vniuerſam Æthyopiam cingens vocatus hoc nomine, quod incremento ſuæ inundationis terram Ægypti irrigat, hic apud Ægyptios *Nilus* vocatur, propter limum, quem trahit, qui efficit fœcunditatem: apparet autem in Nilide lacu, de quo in Meridiem verſus excipitur Ægypto, vbi Aquilonis flatibus repercuſſus, aquis retro luctantibus, intumeſcit, & inundationem Ægypti facit. Alter autem *Phiſon* à Moyſe, & primus ibi fluuius nuncupatus *Ganges* eſt: is exit de Paradiſo, pergitque ad Indiæ regiones; fertur autem Nili modo excreſcere, & ſuper orientis terras erumpere. *Tigris* tertius Meſopotamiæ fluuius de Paradiſo exurgens, & pergens contra Aſſyrios, & poſt multos circuitus in mare mortuum influit. Quartus *Euphrates* Meſopotamiæ de Paradiſo exurgens copioſiſſimus gemmis per mediam Babyloniam influit. Meſopotamiam enim in quibuſdam locis ita irrigat, ſicut & Nilus Alexandriam. Hæc Iſidorus.

Nilus.

EQ. Differamus igitur primum de Nilo, non equidem quantum de eo diſſerere poſſumus, ſed quatenus admirari licet. In primis igitur ego admiror eum, cum in terram emergit, hoc eſt, iuxta Bonæ Spei promontoriũ, vbi nobis Antichtones degunt: ibi enim primum eum emergere tradunt, qui fieri poteſt, vt in Mediterraneum influat ſemper gradibus aſcendens? Non enim admiror, quod ab Auſtro in Aquilonem tendat, quod alii plures fluuii ſic fluant pro montium & vallium decliui curſu: at à Nilide Alexandriam tanta dimenſio graduum eſt, quanta vix dici queat, & nullo fere decliui curſu, ſemper videtur in altum tendere: atque ita fit, vt totus ille fluuius ſit naturæ miraculis refertus. Origine enim eſt incognitus, inundatione perutilis, curſu (nempe aſcendens) incredibilis, longitudine inſcrutabilis, latitudine incomparabilis, ac tandem etiam animantium generatione fœcundiſſimus. Indeque, quod ſcilicet tot gradibus aſcendat, deprehendimus ſubterraneis eum locis antequam emergat deſcendiſſe per immenſa terrarum ſpatia à Paradiſi priori origine: nam omnium peritorum vna hæc ſententia eſt, aquas tantundem aſcendere, quantum deſcenderint.

PH. Vt igitur de illo agamus pluribus, exordiemur à Mela. Sic ille lib. 1. cap. 5. Nilus glebis etiam infundit animas, ex ipſaque humo vitalia effingit: hoc eo manifeſtum

ſeſtum eſt, quod vbi ſedauit diluuia, ac ſe ſibi reddidit, per humentes campos, quæ nondum perfecta animalia, ſed tum primum accipientia ſpiritum, & ex parte iam formata, ex parte adhuc terrea viſuntur.

EQ. Congruit huic, quod tradit Ælianus hiſt. anim. lib. 10. cap. 44. *Ægyptiis* (inquit) *eſt piſcium meſſis: nam vbi Nilus redundat in agros, tum ibi piſcationes fiunt, vbi arationes factæ ſunt: cum autem Nilus redit ad ſe, piſces à parentis fluuii deceſſu deſerti ad breuia limoſa adhæreſcunt, atque agricolis ad prædam relinquuntur, atque ita piſcium meſſem metunt. Fertilior enim ſeges ea eſt, qua piſces metuntur, quam ſint è frugibus ſatis meſſes.* Hęc ille: quin piſcium etiam campeſtrem venationem nuncupare illam poſſumus, vt ita ſimul & meti meſſes, & venationes piſcium in campis vnus Nilus nos doceat: ſupra id, quod ex ſe ampliſſimam piſcationis facultatem exhibeat. Sequi autem & de Nilo libet, atque ex Seneca recolere nonnulla memoratu digna natur. lib. 4. c. 2. Nilum nobiliſſimum amnem natura extulit ante humani generis oculos, vt eo tempore inundaret Ægyptum, quo maxime vſta feruoribus terra vnda altius traheret, tantum hauſura, quantum ſiccitati annuæ ſufficere poſſit: nam in ea parte, qua in Æthyopiam vergit, aut nulli imbres ſunt, aut rari, & qui inſuetam aquis cœleſtibus terram non adiuuent. Magnas ſolitudines peruagatus, & in paludes diffuſus, gentibusque ſparſus circa Philas primum ex vago & errante colligitur. Philæ inſula eſt aſpera, & vndique prærupta, duobus in vnum coituris amnibus cingitur, qui Nilo mutantur, & eius nomen ferunt. Vrbs totam complectitur, hanc Nilus magnus magis, quam violentus, egreſſus Æthyopiam, arenasque, per quas iter ad commercia Indici maris eſt, prælabitur: excipiunt autem cataractæ, nobilis inſigni ſpectaculo locus, ibi per arduas exciſasque pluribus locis rupes Nilus inſurgit, & vires ſuas concitat: frangitur enim occurrentibus ſaxis & per anguſtias eluctatur, vbicunque vincit, aut vincitur, fluctuat. Tandem eluctatus obſtantia in vaſtam altitudinem ſubito deſtitutus cadit, cum ingenti circumiacentium regionum ſtrepitu, quem perferre gens ibi aſperis collocata non potuit, obtuſis aſſiduo fragore auribus, & ob hoc ſedibus ad quietiora translati ſunt. Inter miracula fluminis incredibilem incolarum audaciam accepi. Bini paruula nauigia conſcendunt, quorum alter nauem regit, alter exhaurit; deinde multum inter rapidam inſaniam Nili, & reciprocos fluctus volutati, tandem tenuiſſimos canales tenent, per quos anguſta rupium effugiunt, & cum toto flumine effuſi, nauigium ruens manu temperant, magnoque ſpectantium metu in caput miſſi, cum iam adploraueris, merſosque atque obrutos tanta mole credideris, longe ab eo, in quem ceciderant, loco nauigant, tormenti modo miſſi, nec mergit cadens vnda, ſed planis aquis tradit. Hæc ille.

TH. Quod in Nilo eſt longe admirabilius, ipſa eſt ſui curſus longitudo: nam ab Antichtonum regionibus ad noſtri vsque maris alueum ſemper aſcendens peruenit. Mela id ita exprimit libro 1. cap. 5. *Si eſt alter orbis, ſunt oppoſiti nobis Antichtones, ne illud quidem à vero nimium abſceſſerit, in illis terris ortum amnem Nilum ſubter maria cæco alueo penetrauerit in noſtris rurſus emergere, & hac re ſolſtitio creſcere, quod tum ibi hyems ſit, vnde oritur.* Hæc ille.

EQ. Fit igitur hac ratione manifeſtum, Nilum oriri vbi hyems ſit, cum nobis ſolſtitium eſt, penetrareque adeo immenſis curſibus in adeo longinquas regiones, vt origine capitis hyemem ſentiat, exitu caudave ſentiat æſtiuale ſolſtitium, vt ita idem fluuius (ortus & exitus habita ratione) & hyemem perpetuam,

ſimulque perpetuam æſtatem patiatur, quod omnem fidem videtur excedere; & tamen veriſſimum id eſt. In ortu enim ſuo cum hyemem habeat,in exitu apud nos idem habet æſtatem, & cum in ortu æſtatem, noſtram tum in exitu hyemem experitur. Nunquam igitur ille caret æſtate,nunquam hyeme, vtrunq; ſemper tenens, idque ſoli ipſi ex omnibus orbis fluminibus contingit, vt ita ipſe vnus mari ſit reliquis ſimilior. Mari enim hoc quoque accidit, vt pro locorum varietate ac climatum ratione & hyemem ſimul apud Antipodas noſtros, & apud nos æſtatem habeat. Sed ea re præferendus eſt mari Nilus, quod ipſe ſolus ſuis ſe impleat aquis,vix vnicum excipiens fluuium,cum mare infinitas admittat fluminum aquas.

TH. Eadem ratione dici etiam poteſt, Nilum habere ſemper diem Solemque illuſtrantem, ſimul & noctis tenebras perpetuas: ſi enim vnde oritur tum dies eſt, cum nobis eſt nox; & illis nox, cum nobis eſt dies, conſequens eſt, vt in ortu diem teneat, in exitu noctem, aut in ortu noctem, in exitu diem, vt ita vtrunque perpetuo ita teneat, quia perpetuo hæc temporum ratio manet, vt alterubi habeat noctem,alterubi diem perpetuis vicibus.

PH. Acutiſſima ſane eſt hæc ratiocinatio, & nunquam lecta aut audita, neque de veritate eius ambigendum. Id autem ſoli,vt diximus, Nilo contingit: propterea iure magnoque priuilegio à reliquorum fluuiorum numero ſocietateque eximendus eſt, vt nos docet diuus Baſilius exem. hom.3. *Nilus* (inquit) *neque fluuiis natura ſimilis, cum velut mare Ægyptum operiat, ac pelagum faciat*. Hæc ille. Sed tamen eius originem curſumque libet hoc loco recenſere ex Plinio, qui & amplitudinem

Nili origo. ac reliquas laudes illius proſecutus eſt lib.5.cap.9. *Nilus*(inquit)*incertis ortus fontibus it per deſerta & ardentia: & immenſo longitudinis ſpatio ambulans, famaque tantum inermi quæſitu cognitus ſine bellis, quæ cæteras omnes terras inuenere, originem (vt Iuba Rex potuit exquirere) in monte inferioris Mauritaniæ, non procul oceano habet, lacu protinus ſtagnante, quem vocant Nilidem. Ex hoc lacu profuſus indignatur fluere per arenoſa & ſqualentia, conditq; ſe aliquot dierum itinere. Mox alio lacu maiore in Cæſarienſis Mauritaniæ gente Maſſæſylum erumpit, iterum arenis receptus conditur, rurſus viginti dierum deſertis ad proximos Æthyopas Inſulas ita innumeras ſpargit, quaſdamq; tam vaſtæ magnitudinis, quanquam rapida celeritate, vt tamen dierum quinq; curſu non breuiore transuolet.* Hæc ille.

EQ. Recentiores,qui regiones omnes proximas illi perluſtrarunt,quique etiam doctis in Italia viris quæque viſa retulerunt, plura commemorant. Propterea cum Seneca natur. lib. 6. c. 8. dixerit, Neronem Centuriones duos ad inueſtigandum Nili caput miſiſſe, audiuiſſeque, ſe eos narrantes Regis Æthyopiæ auxilio penetraſſe ad immenſas vſque paludes, quarum exitum nec incolæ nouiſſent, ibique tandem duas comperiſſe petras, ex quibus ingens vis fluminis excidebat, Senecæ ſententiam veriorem quisque credet, quandoquidem & Iouius, qui Nili curſum magis explicaſſe videtur, cum omnia didiciſſet verbis Petri Abiſſini Ægyptii viri doctiſſimi,ac prȩterea pleraque quoque nouiſſet à PETRO Aluares Luſitano apud Pretoiannem diu verſato referente, ſcripſit ſumma fide, quæ ab illis didiciſſet de origine Nili libr. hiſtor. 18. in hæc verba: *Ab immenſis aſperrimisque rupibus, quæ Lunæ montes vocantur, frequenti & copioſa ſcaturigine Nili fontes erumpunt in loco vehementer abſtruſo, qui Beth (hoc eſt, deſertum) Abiſſina lingua dicitur. Ex iis fontibus innumerabiles amniculi per Gorgiani regni ſpatia modo diſſipati, modo coeuntes in longe maximam toto orbe aquæ dulcis paludem effunduntur. In hac palude amplius viginti Inſulæ numerantur incolis frequentes, & multis cultæ ædificiis, in quibus turrita templa & luculenta ſacra-*

ſacratorum hominum cœnobia eminent. Ex hac tanta palude Nilus primo lenis, mox rapidus & præceps ſeſe effundit, variisq; mæandris & gyris Nigritarum fines lambens Gorgianum Regnum, & mox Amuranum inſolenti curſu proſcindit: nec vſquam ripis cohibetur, donec ad catharactas, quæ ſunt antiquis catadupæ, arctis rupium anguſtiis ſtrangulatus, ac iratus erumpat. Inde latiore laxatus exceptusq; alueo lenior fit, atq; diffuſior, & per magnos flexus, vadoſosq; ſinus nauigiorum impatiens ad Meroem Inſulam defertur. Verum Abiſſini hoc vnum pro conſtanti certis coniecturis perſuaſum habent, Nilum ex eliquatis niuibus quotannis augeri, & pro ratione frigoris & caloris, prout natura indulſit ac imperauit, in varias exundationes excreſcere: quum non inepta ratione credant ſub circulo Capricorni maximis caloribus eam plagam vrgeri, & exuri, cui ſubiecta ſit tot montium niuoſorum rupes; quæ exorienti Nilo caput præbet. A Meroe quindecim fere dierum nauigatione deſcendentibus occurrit vrbs Syene obeliſcorum lapidicinis clara, & Poetarum carminibus celebrata. A Syene demum Nilus tutiſſime nauigatur, & vtramque ripam Ægyptii & Arabes incolunt. Nilus ipſe ab iis gentibus Abbahuis, id eſt, amnium pater appellatur: nam poſt longum & tortuoſum curſum in multa cornua totam aquarum molem diffundit, quæ Memphim & Alexandriam producunt. Hæc ille: at ipſo recentiores nonnulli, cuiusmodi Gaſpar Ieſuita ex Ormutio ſcribens anno Domini 1549. tradunt, Nilum naſci in ditione quidem Pretoiannis, ſed à montibus ipſis, qui Bonæ ſpei promontorio coniuncti ſunt, & fluere poſtea in Ægyptum: longius autem ſiti ſunt ii montes à nobis, quam ſunt montes Lunæ, vbi Nilum oriri Iouius conſcripſit.

TH. Quod naturæ miraculum eſt in Nilo, vt fœcundet agros, erit diuina ope etiam hominib. ſanctis magis permiſſum miraculum fæcundandis aridiſſimis, arenoſisque locis in ipſa quoque Ægypto: quotannis enim arenoſa incolentes loca Ægypti B. Copreto arenæ modicũ offerebant benedicendum: quod vbi ille bene dixiſſet, in omnes illas arenoſas regiones effundebatur tanta benedictio, vt fæcundiores agri fierent, quam Nili inundatione: tradit oculatus teſtis in vita SS. Patrum de S. Copreto. At eo eſt etiam admirandus Nilus, quod ſuis aquis ſteriles mulieres reddat fæcundas. Bocatius.

PH. Si de Nilo admiranda omnia commemorare velimus, dies deficiet, neq; de aliis tempus ſuppetet: propterea iis contenti, de aliis fluminibus agemus, & de Gange primum, de quo ita Mela lib.3.c.4. Ganges multis fontibus in Hæmo Indiæ monte conceptus, ſimul vt vnum alueum fecit, fit omnium maximus, & alicubi latus, quando anguſtiſſime fluit, decem millia paſſuum patens in ſeptem ora diſpergitur, & Indus Gangem magnitudine exæquat. *Ganges.*

EQ. De ſolo Gange agendum cenſeo, poſtea etiam de Indo opportunius. Solinus igitur de Gange ita c.35. *Minima* (inquit) *Gangis latitudo per octo millia paſſuum, maxima per viginti patet: altitudo, vbi vadoſiſſimus eſt, menſuram centũ pedum deuorat.* At Plin. lib.6.c.18. *Ganges* (ait) *vbi minimum fluit, eſt octo millium paſſuum latitudine: vbi modicum, ſtadiorum centum: altitudine nuſquam minore paſſuum viginti, in eum quoq; nouemdecim amnes perennes influunt.*

PH. At Ælian. lib.12.c.38. paulo aliter: *Ganges* (inquit) *Indiæ fluuius initium ducens à fontibus, cum per ſe fluit, & nondum ad alios admiſſus eſt, altitudine eſt viginti paſſuum, latitudine vero octoginta ſtadiorum: cum autem alii in eum influxerunt, altus perfluit ſexagenos paſſus, dilatatur & diffunditur in quadraginta ſtadia.*

TH. De Gange admirandum quidpiam commemorat diuus Hieronymus, cum ad Ruſticum Monachum ſcriberet in hunc modum: *Ganges fluuius, quem ſancta*

Scriptura Phiſon cognominat, quique circuit omnem terram Euilath, multa genera pigmentorum de Paradiſi dicitur fonte deuehere. Hæc ille: addunt autem ad hæc alii; nam Gangis accolæ ſolo odore optimarum frugum viuunt, tetro autem odore exanimantur, vt Solinus memorat cap.53. Gangem (inquit) qui accolunt, nullius ad eſcam opis indigent, odore viuunt pomorum ſylueſtrium; quod ſi tetriorem ſpiritum forte attraxerint, exanimari eos certum eſt. Ideo longius pergentes eadem illa in præſidio gerunt, vt olfactu alantur; quod & Plinius habet lib. 7. cap. 2. Accedit & illud memorandum, in eo flumine anguillas eſſe tricenum pedum longitudine, Plinio teſte lib. 9. c. 3. quin etiam fert plantaniſtas piſces magnitudine cubitorum quindecim, vt memorat Plinius lib. 9. cap. 15. quin & vermes re & nomine cæruleos gignit, quorum tanta vis ſit, vt raptos in ripis elephantos in profundum trahant, vt idem tradit eodem loco ex Statio Seboſo. Quibus ex rebus quanta ſit Gangis altitudo, latitudoque iure deprehendi poteſt: non modo ea, quam recenſuimus, quin etiam amplior. Nam recentiores, & in iis Nicolaus de Comitibus, qui orbem magna ex parte perluſtrauit, ſcribit patere ad tredecim paſſuum millia, vt ita Plinio magis aſſentiatur quam aliis. Bocatius autem dicit alicubi Gangem patere centum paſſuum millibus. Cyrum autem Regem indignatum ob demerſum in illo eximium equum cum ſeſſore ſuo, diuiſiſſe in 460. alueos annali labore, reddidiſſeque vadoſum vel mulieribus. Sed de Gange hactenus, nunc de Trigride.

Tigris.

EQ. De Tigride egit Solinus paucis cap. 58. Scribit enim eum fluere in Arethuſam lacum, magniſque ac ſapidis piſcibus abundare: aquas autem tum fluminis, tum laci, adeo natura inuicem repugnare, vt non miſceantur, nec laci piſces in fluuium, nec amnici in lacum pertranſeant, vti alias diximus: adiicit autem in hunc modum: Tigris, Tauro monte reſiſtente, in profundam ſpecum mergitur, quem ſubterlabens in altero eius latere apud Zoroanda emicat, vluas & purgamenta plurima ſecum trahens, deinde idemtidem abſconditur, rurſuſque redditur.

PH. Straboni autem viſum eſt, Tigridem in alium lacum influere, cui nomen Arſanias: & cum ei ſuperfluat ob velocitatem, nõ poſſe illi commiſceri, poſtea ſubterraneis locis ſubterfluere, & prope Calonitas emergere. Ita ex illo libro vndecimo.

EQ. At Plinius pro more ſuo, quam cæteri plura de Tigride lib. 6. cap. 27. Oritur (inquit) Tigris in regione Armeniæ maioris, fonte conſpicuo in planitie: concitatus à celeritate Tigris incipit vocari. Ita appellant Medi ſagittam. Influit lacum Arethuſam omnia illata pondera ſuſtinentem, & nitrum nebulis exhalantem. Vnum ei genus piſcium eſt, idque tranſcurrentis non miſcetur alueo, ſicut nec è Tigri piſces in lacum tranſnatant. Fertur autem & curſu, & colore diſſimilis: traſuectusque occurrente Tauro monte in ſpecu mergitur. Subterque lapſus à latere altero eius erumpit: eundemque eſſe manifeſtum eſt, quod demerſa perfert. Alterum deinde pertranſiens lacum rurſus in cuniculos mergitur: & poſt viginti quinque millia paſſuum redditur. Tam vicinum Arſaniæ fluere eum in regione Arhenę Claudius Cæſar auctor eſt, vt cum intumuere confluant, nec tamen miſceantur, leuiorque Arſanias innatat quatuor millium ferme ſpatio: mox diuiſus in Euphratem mergitur: Meſopotamiam permeans, & citra Babyloniam centum viginti millibus paſſuum diuiſus in alueos duos, altero meridiem petit, altero

ad Se-

ad Septentrionem flectitur. Tandem rurſum integratur, ac denique in lacus Chaldaicos ſe fundit, eos ſeptuaginta millium paſſuum amplitudine implet. Mox vaſto alueo profuſus infertur mari Perſico decumo ore. Hactenus de Tigride ex Plinio, nunc de Euphrate.

EQ. Eſt Euphrates admirandæ amplitudinis ac longitudinis, deque eo primum ſic habet Mela lib. 3. cap. 4. Euphrates (inquit) immani ore aperto non exit tantum vnde oritur, ſed & vaſte quoque decidit; nec ſecat continuo agros, late diffuſus in ſtagna diu ſedentib. aquis piger, & ſine alueo patulus: poſt vbi marginem rupit, vere fluuius, acceptisq; ripis celer & fremens per Armenios & Cappadocas Occidentem petit, ni Tauros obſtet, in noſtra maria venturus. Inde ad meridiem auertitur, & primum Tyros, tum Arabas ingreſſus, non perdurat in pelagus: verum ingẽs modo, & nauigabilis, inde tenuis riuus deſpectus emoritur, & nunquam manifeſto exitu effluit, vt alii amnes, ſed deficit. Hæc ille. *Euphrates*

PH. Addit hæc Plinius lib. 5. cap. 24. Oritur (ait) Euphrates in præfectura Armeniæ maioris Caranitide, vt prodidere ex iis, qui proxime viderunt: fluitque per Armeniæ regiones, & Cappadociam vsq; Taurum montem, vbi duodecim millia paſſuum latitudine patet. Hæc ibi, at lib. 6. cap. 26. eum vsque Babylonem Chaldaicarum gentium caput peruenire tradit: indeq; vsq; in Perſicum mare, quod iter protendi ait, intra ſcilicet Perſicum mare & Babylonem, ad quadringenta viginti duo millia paſſuum. Id enim Nearchus tradidit, & Oneſicritus. Sed quoniam totius eius curſus longitudo admiranda eſt, monemus à Seleucia vsq; ad Meſopotamiæ caput Euphrate nauigari vndecies centena viginti quinq; millia paſſuum, vt habet Plinius eodem cap. 26. at c. 28. tradit, in Perſico mari, vbi Euphratis oſtium aliquando fuit, ſalſum eſſe. Vtraq; igitur dimenſio, qua Euphrates à Seleucia vsq; Meſopotamiæ caput, & ex Babylone vsq; Perſicum mare fluit, porrigitur ad quindecies cẽtena millia paſſuum, præter id, quod à Seleucia interiacet vsque ad ipſius Euphratis ortum.

EQ. Sed quibus hærendum nobis eſt auctoribus, cum adeo varia nobis prodant de horum fluuiorum curſu, cum ſacræ Scripturæ videantur contradicere?

TH. Non contradicunt, ſi perpendantur diligenter: quandoquidem quod ſcriptura contractius expoſuit, illi explicatius enarrarunt: quin ſi non conuenirent eiusmodi fluuiorum curſus enarrati, non eſſet id admirationi habendum. Vetuſtate enim temporum & aluei immutati, forte etiam hominum induſtria: ſed præcipue diluuiorum inundationibus, tum eius, quod omnem orbem demerſit, tũ illorum, qui quasdam tantummodo orbis partes inundarunt. Nam flumina quædam tum oppreſſa terris eſſe deſierunt; quædam vi erumpentes emerſerunt, atque ita etiam quædam curſum alueumque immutarunt, ex Iſidori ſententia libro 13. cap. 21. fin. Illud vnum certe exprimit Moyſes ſua Geneſi, exoriri eos quatuor è paradiſo, quod Ethnici, quos recenſuimus, auctores ignorarunt. Quin etiam atteſtanti cuicunq; nõ credidiſſent, cum illa quatuor flumina adeo diſſitis longiſſimis inter ſe terrarum ſpatiis nulla humana ratione ad vnius loci originem trahi poſſe videantur, præcipue vero perpenſa Nili origine, quę ab Tigridis, Euphratis, Gangisque fontibus innumerabilibus terrarum milliariis abeſſe conſpicitur. Sed diuo Auguſtino doctore rebus omnibus illuſtri didicimus nihil obeſſe quo minus ii fluuii; quos adeo longe ſibi inuicem abeſſe audiuimus, vna origine ſcaturiant, primũ occultis meatibus ſubterraneis, poſtea diſpergantur, ſic igitur ille de Geneſi ad literam

teram lib. 8. cap. 7. de iis autem quatuor fluminibus, quid amplius ſatagam confirmare, quod vera ſint flumina nec figurate dicta, quæ non ſint; quaſi tantummodo aliquid nomina ipſa ſignificent, cum regionibus, per quas fluunt, notiſſima ſint, & omnibus fere gentibus diffamata? Quin imo ex iis quoniam conſtat ea prorſus eſſe, nam duobus eorum nomina vetuſtas mutauit: Gehon quippe ipſe eſt, qui nũc dicitur Nilus; Phiſon autem ille dicebatur, quẽ nunc Gangem appellant: duo vero cætera Tigris & Euphrates antiqua etiam nomina tenuerunt. At quod de iis fluminibus dicitur, aliorum eſſe fontes notos, aliorum autem prorſus incognitos, ideo non poteſt accipi ad literam, quod ex vno paradiſi flumine diuiduntur? cum potius credendum ſit, quoniam locus ipſe paradiſi à cognitione hominum eſt remotiſſimus, inde quatuor aquarum partes diuidi, ſicut fideliſſima Scriptura teſtatur. Sed ea flumina, quorum fontes noti eſſe dicuntur, alicubi iſſe ſub terras, & poſt tractus prolixarum regionum locis aliis erupiſſe, vbi tamquam in ſuis fontibus nota eſſe perhibentur: nam hoc ſolere nonnullas aquas facere quis ignorat? Sed ibi hoc ſcitur, vbi non diu ſub terris currunt. Hæc ex Auguſtino, vt ita Ethnici, quæ ſenſu norint, explicant quidem, Moyſes autem prophetico ſpiritu occulta reliqua illorum fluuiorum nobis exponit, atq; ita nulla inter ſe prorſus differentia diſſentiunt, tum profani, tum ſacri auctores.

EQ. Quoniam igitur ad propheticum ſpiritum pertinet illa quatuor fluuiorum ex vno diuiſio, optarim noſſe, quid ſacri myſterii illis contineatur.

TH. Non eſt nobis id difficile: præſtabimus enim vel ipſius Auguſtini verbis de Geneſi contra Manichæos lib. 2. cap. 10. *Phiſon* (inquit) *ipſe eſt Ganges, Gehon autem Nilus, quod etiam in Hieremia Propheta animaduerti poteſt. Tigris vero & Euphrates etiam nunc eadem nomina tenent: quibus tamen nominibus virtutes ſpirituales ſignificantur; prudentia ſcilicet, fortitudo, temperantia & iuſtitia, quod & ipſorum nominum interpretatio docet, ſi quis Hebræam linguam, vel Syram conſideret. Prudentia enim, quæ ſignificat ipſam contemplationem veritatis ab omni ore humano alienam, quia eſt ineffabilis, quam ſi eloqui velis, parturis eam potius, quam paris, quia ibi audiuit Apoſtolus ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Hæc ergo prudentia terram circumit, quæ habet aurum & carbunculum, & lapidem praſinum, id eſt, diſciplinam viuendi, quæ ab omnibus terrenis ſordibus quaſi decocta niteſcit; ſicut aurum optimum, & verum, quod nulla falſitas vincit, ſicut carbunculi fulgor nocte nõ vincitur, & vitam æternam, quæ viriditate lapidis praſini ſignificatur propter vigorem, qui non areſcit; fluuius autem ille, qui circuit terram Æthiopiam multum calidam, atque feruentem, ſignificat fortitudinem calore actionis alacrem, atque impigram. Tertius autem Tigris vadit contra Aſſyrios, & ſignificat temperantiam, quæ reſiſtit libidini multum aduerſanti conſiliis prudentiæ: vnde plerumque in Scripturis Aſſyrii aduerſariorum loco ponuntur. Quartus fluuius non dictum eſt contra quid vadat, aut quam terram circumeat: Iuſtitia enim ad omnes partes animæ pertinet; quia ipſe ordo, & æquitas animæ eſt, quia ſibi iſta tria concorditer copulantur, prima prudentia, ſecunda fortitudo, tertia temperantia; & in iſta tota copulatione, atque ordinatione perficiunt iuſtitiam.* Hæc ex illo.

EQ. O quam pie, quam docte nos erudiit hæc lectio! perſequamur igitur reliquos fluuios, tum amplitudine, tum longitudine cõmemoratu dignos; qualibet enim orbis parte aliquorum illuſtris eſt fluuiorum proprietas, quia vbique diuinæ gratiæ veſtigia effuſæ ſunt. Sed ante omnia optarim explicari, cur paradiſi flumina quatuor Africam atq; Aſiam tantum alluunt, Europam autem non attingunt: num Europa paradiſi irrigatione priuata eſt?

TH. Maio-

TH. Maioris gratiæ flumina, atque à cœleſti paradiſo manantia Europæ ſeruata ſunt; Aſiæ autem atque Africæ illæ ſenſibiles aquæ datæ ſunt; at ſpiritales aquæ (id eſt veritatis diuinæ agnitio, & veræ fidei cultus in Europa perſeuerans omnium temporum ſucceſſione conſtans) manant nō ſolum vberius, ſed & fœcundius: nam à Chriſto nato in hunc vsque diem Chriſti nomen magis amplificatum in Europa, quam in Aſia & Africa velut fluxit, fluitque, atq; in poſterum fluet, maiore certe priuilegio, quam ſi illos ingentes fluuios habuiſſet. Scaturigo itaq; ſpiritualium aquarum promanare videtur occulta ſubminiſtrante gratia Dei ab Apoſtolica Sede, quæ in Europa eſt, ſcilicet Romæ.

PH. Longe ſunt præſtantiores illæ ſpiritales Europæ fluuii, quam Aſiæ & Africæ illi, quos commemorauimus. Nunc libet etiam ſenſibiles Europæ fluuios perſequi; nam & alicubi reperiuntur perennes, qui ſane ſunt ampliſſimi; ſed nullo nomine conferendi iis, qui aut Aſia, aut Africa, aut orbe nouo eſſe perhibentur: quandoquidem Europæ ſimul omnes, ſi in vnum conferant aquas ſuas, neq; Nilum efficerent, vix autem Gangem, Euphratem aut Tigridem: ſed quos paucos habet Europa, certe pluribus nominibus commemoratione digniſſimi ſunt: &, vt in Italia vnum recenſeamus, Padus eſt ipſe fluuiorum rex, de quo hæc Plinius libro tertio capite decimo ſexto: Padus (inquit) è gremio Veſuli montis fonte profluit, condensq; ſe cuniculo, & Forouibienſium agro iterum exoriens nulli eſt amnium claritate inferior: augetur ad canis ortum liquatis niuibus, agris, quam nauigiis torrentior: nihil tamen ex rapto ſibi vindicans; atque vbi liquit agros, libertate largior, trecentis millibus paſſuum à fonte addens meatu duodenonaginta, nec amnes tantum Appenninos, Alpinosque nauigabiles capiens; lacus quoque immenſos in eum ſeſe exonerantes omni numero triginta flumina in mare Adriaticum defert. Eo admirabilior fluuius, quod nullus alius amnium tam breui ſpatio maioris incrementi eſt: & quamquam deductus in flumina & foſſas; tamen quia largius vomit, ſeptem maria dicitur facere. Hæc ex illo, cui accidiſſe quiddam admirandum auctores prodiderunt. Henrico enim Imperatore aduerſus Paſchalem nitente, Padus prodigio fuit; in altum enim ſe erigens in fornicis formam à ſolo perſtabat erectus, incuruatus, vt inter ſolum & aquam via pateret transeuntibus, tandem in ſeipſum rediit ann. Domini 1117. circiter. Trithem. Chron. Hirsaug.

Padus fluuiorum omnium in Europa præſtātiſſimus.

PH. Danubius ingens flumen, Iſter ab aliis nuncupatus; primas ſane in Europa tenere videtur: id enim tradidere priſci auctores, ſexaginta enim perennibus præmaximisque fluuiis augetur, ac per ſeptem oſtia in Euxinum mergitur retinens potabiles aquas adusque quadraginta paſſuum millia, Bocatio teſte. At ex Saluſtio hæc habet Aulus Gellius noct. Attic. lib. 10. cap. 7. *Omnium* (inquit) *fluminum, quæ in maria, qua imperium Romanum eſt, fluunt, maximum eſſe illum conſentitur, proxima magnitudine eſſe Iſtrum ſcripſit Saluſtius. Varro autem, cum de parte orbis, quæ Europa dicitur, in primis tribus eius terræ fluminibus Rhodanum eſſe ponit, per quod videtur eum facere Iſtro æmulum; Iſtrus enim quoque in Europa fluit.* Hæc ille. Eſt certe Rhodanus inquit, ſed eo nomine tantum admirabilis, quod cum ſe ingurgitet paludi Lemanæ, eamque intermeet, nunquam tamen aquis alienis miſcetur, viam ſibi impetu molitur. Amm. Marcell. lib. 15. Cum autem Rhodanus oriatur à proximis Danubii fontibus, Galliam permeans tribus oſtiis in Thyrenum mergitur maximus: ex Bocatio.

Danubius & primatū tenet.

TH. Quod primas in Europa ferat Danubius erit omnium, vt puto, ſentẽtia:
ſed erit eo admirabilior, quod ſeruis Dei, velut ſenſu præditus, ſaluti nouerit con-
ſulere: cum alioqui demergat omnia incaute ſe adeuntia. Auguſtanus enim Epi-
ſcopus Vldaricus cum Ratisponam nauigio veheretur, nautarũ in curia nauis im-
pegit, vnde rimis hiantibus iam tota implebatur, iam iamque demergebatur. Ex-
territi periculo nautæ, dimiſſa naui, omnes aufugerunt in ripas adnantes; ſecumq;
auferentes omnia, ſolum ibi dereliquere Vldaricum: qui, quamdiu libuit in naui
eſſe, ab ipſo quoque Danubio venerationi habitus eſt, vt ſemper cum ſua rimoſa,
oppletaque aquis naui incolumis fuerit: at vbi tandem egrediendum fuit: mox eo
egreſſo, Danubius ad ſe nauim traxit, ac demerſit. Berno Abbas in vita S. Vdalrici
cap. 18. apud Surium Tom. 4. Iul.

EQ. Hæc ſpiritalia ſunt miracula: at Danubio natura quoque ſunt quædam
iure recolenda. Is aliquando ſeſe terris condit, & diu ſubterlabens, tandem euomi-
tur, & in Sauam defluit. Saxo Gramm. lib. 6. c. 30.

PH. Memorabilius eſt, quod cum ſit amplus & profundus præ omnib. Euro-
pæ fluuius, aliquando gelu concretus fuiſſe memoratur: idque accidit imperante
Marco Aurelio Antonino; adeo enim glacie conſtrictum flumen illud eo tempo-
re fuit, vt Iaſigæ & Romani collatis ſignis, & inſtructa acie ſuper gelu mutuo di-
micarint. Dion & Xiphilinus in Marco Aurelio, vt ita ibi pugnatum ſit peditibus
& equitibus, vbi nauibus tantummodo loca peruia eſſe conſueuerant. At de Da-
nubio illud animaduertendum puto: fuerunt enim, qui putarint illius originem
eſſe incognitam: ſed Seneca obſiſtit, qui eius in germania originem memorat,
lib. 4. cap. 1.

Rhenus.

TH. Rhenus autẽ eſt ſane memorabilis fluuius, non eo tantum nomine, quod
latiſſimus ſit, & longitudine aluei multas alluat prouincias, perpetuo curſu Gal-
liam à Germania diſterminans, ſed alio præcipuo quodam nomine eſt memoran-
dus: nam catharactam atrocem habet ſpumantem, altamque & ſeptuaginta quin-
que pedes ruẽtem in profundum quoddam, vt Georgius Bruin memorat in Schaf-
huſia. Verba autem Surii Carthuſiani in id recenſebimus: *Baſileam* (inquit) *alluit
Rhenus ampliſſimum flumen: is autem non longe ab Schafhuſia vrbe Germaniæ obtinens alti-
tudinem quadraginta aut quinquaginta cubitorum, ruit præceps in imum, ita vt aqua omnis
in ſpumam & nebulam reſoluatur, quod ſane eſt aſpectu horrendum.* Hæc ex illo in
commentario ſub anno Domini 1501. Et quamquam ibi abſcondi videatur,
mox tamen rurſum conſpicitur amænus, nitidusque fluere vsque in Oceanum;
ipſumque ob viriditatem veteres cœleſtem Irim nuncuparunt: conglaſcit ali-
quando, & craſſiſſimis tabulis ab incolis totus obtectus etiam curribus pertransi-
tur, & memorat Marianus in Indice ad opera B. Hieronymi. Fit igitur, vt iure de-
prehendamus terram adeo excauatam eſſe non modo in Aſia & Africa, ſed & in
Europa, vt ingentes fluuiorum aquæ abſorbeantur, maiore impetu, fremituque,
quam ſi ſuper terram fluant: quandoque etiam ipſis terræ cuniculis coire, & in alia
loca etiam hominibus incognita, aut in fluuios alios, aut lacus, aut etiam maria e-
mergere.

PH. Non eſt ambigendum terræ concaua multa continere flumina ac lacus,
id apertiſſimis verbis explicauit Plato in Phædo. Perennia n. numina ac perpetuo
curſu, perinde ac ſupra terram videmus, ſub ima terra manare tradit; eſſeque am-
pliſſima, latiſſima ac longitudine inſigni, non modo ex frigidis, ſed & ex calidis:
quin

quin igneos eſſe amnes, humoris quoque lutulenti, præcipue ſub ſolo Siciliæ putat; ideoque viſum in Sicilia torrentem amnem ex luto prodire. Iure merito igitur aſſerere poſſumus, longe maiores eſſe fluuios ſubterraneos; tum quod numquam minuantur, neque enim illis euaporatio accidit, quum mox humor reddatur longe maior, ob varias aquarum colluuies; fit enim neceſſario, vt ſemper eorũ aquæ adaugeantur: quoniã ſuos meatus perpetuo fluxu efficiunt ſemper maiores; quandoquidem humus circumcirca dum humectatur, leniter eraditur, facileque exportatur. Et tametſi ſæpe ſaxoſa occurrant loca, attamen aut ſaxa ipſa ſcalpuntur longo attrita vſu, aut dum fluentium aquarum impetum per anguſta loca remorantur, vim illis addunt maiorem, qua terreos locos magis abradant, ſinusq; ac receſſus maiores penetrent; nouas ſemper aquarum ſcatutigines atque percolationes at ſe attrahentes. Quod contra accidit fluminibus, quæ terræ ſuperficie fluunt, plurimum enim euaporantur; exſiccataq; humo minuuntur: quod ſi exundent, breui etiam in ſeipſa redeunt. Hinc videmus fluuios illos, qui abduntur, ſemper reddi ſeipſis maiores; ni forte diuiſa in alios, atq; alios meatus diuertantur. Hęc conſentanea eſſe videntur iis, quæ Ariſtot. ſcribit Meteor. lib. 2. tex. 9. cui aſſentitur Alexander Aphrodyſæus in Commentario. Seneca id habet expreſſim natur. lib. 3. c. 8. 19. lib. 4. c. 30. lib. 6. c. 7. Hinc illud poſtea accidit, vt ſæpe, cum terræmotus inualuerit, flumina noua emergant, vbi non eſſent; quod diſertis verbis Seneca memorat natur. lib. 6. c. 25. *Ladon* (inquit) *flumen inter Elim & Megalempolim medius eſt, quem terrarum motus effudit.* Ita ille.

EQ. Hinc igitur perſpicua eſt ratio, cur flumina multa ſeſe condant, poſtea reddantur: cauitas terræ id efficit. Sunt autem præter ea flumina, quæ iam commemorauimus, alia, quæ repente abſorpta quibusdam locis, vbi conduntur, poſtea rurſum emergunt; ſunt autem frequentiſſima: nam Strabo lib. 12. tradit, Pyramum fluuium Cappadociæ fontibus oriri ex ipſa planitie ſcatentibus, deinde ſtatim profundo latere hiatu, effluereq; ſubterraneo curſu in plurima ſpatia, deinde emergere ſtatim nauigabilem, tantoque impetu, vt ſi quis in hiatum vnde emergit, haſtam miſerit ex alto, vis ſpiritus renitentis eam eiiciat, nec mergi permittat. Abditur quoque in Hyrcania Zebetes fluuius, ac poſt trecenta ſtadia redditur: idque demerſis cadaueribus deprehendit Magnus Alexander, vt memorat Bocatius.

PH. Et ille eſt quoque memorandus, de quo Mela habet lib. 1. cap. 6. Non longe enim à Pompeiopoli ad oppidum Corycos in imo ſpecus mire profundi tradit amne magnum ingenti fronte ſe extollentem tantummodo ſe oſtendere, & vbi magnum impetum breui alueo traxerit, iterum demergi eum & abſcondi. At Plinius alios commemorat: nam apud Suſianos non longe à Caucaſo monte Eulæus amnis ortus in Medis, medioque ſpatio cuniculo conditur, ſed rurſus exortus per Meſobatenen labitur. Hæc ex illo lib. 6. cap. 27. Quin eiusdem naturæ vt ſe condant, & poſt ſpatia rurſum emergant, alios idem Plinius recenſet non ignobiles fluuios, ſcilicet in Aſia Lycum, Eraſinum in Argolica, Tigridem in Meſopotamia. Hæc ille lib. 2. c. 103. Quem, quoad Tigridem ſpectat, vera dicere conſtat, vel Seneca teſte nat. lib. 3. c. 26. lib. 6. c. 8. & iam antea diximus agentes de Tigride.

EQ. Adiicit alios Strabo: libro enim 8. in fin. Auiam fluuium iuxta Pheneum diu ſubterraneo curſu latere, poſtea emergere, latiſſimeque ſeſe in campos diffundere memorat. Quin etiam lib. 9. tradit, Cephiſum ſubterraneis meatibus fluere ad

ſtadia triginta, poſtea reſurgere. Sed & Hiſpani de iisdem rebus tradunt: Ana enim flumen Bæticam à Luſitania diſterminans, poſt longum excurſum conditur; ac tandem poſt ſtadia ſexaginta quatuor redditur, velut ibi exoriens, Emeritamq; vrbem alluit. Marcus Arebus in Hiſpaniæ deſcriptione: quod & reliqui memorant.

TH. Abdit quoque ſe non procul ab vrbe Roma aqua Martia: nam poſt longos excurſus ex vltimis Pelignorum montibus tranſiens Marſium & Fucinum lacum in ſpecum demergitur, tandem in Tiburtina ſe aperit 9. millia paſſuum fornicib. ſtructis, in vrbem etiam ipſam Romam perducta eſt, Plinio teſte lib. 31. c. 3. Sed hiſce rebus eſt admirabilius, ſi fluat amnis etiam ſub maritimas aquas, ſicut de Alphæo flumine tradidit Pauſanias lib. 5. occultis meatibus ſubterlabi vsque in Siciliam in Arethuſam fontem, ibique deſinere. Et quamquam Strabo lib. 6. id eſſe commentitium putet, ea ſola ratione, quod Alphæus fluuius numquam abſorbeatur, & oſtium eius pateat: attamen Seneca natur. lib. 3. cap. 26. & lib. 6. cap. 8. Alphæon agere ſub mare curſum ex Achaia vsque in Syracuſanum littus in Arethuſam fontem teſtatur; ſed & Plinius, & beatus Gregorius Nazianzenus itidem id probant: Plini. enim lib. 2. c. 103. tradit: *Si quid iactũ fuerit in Alphæum, hoc in Sicilia redditur, in Arethuſa: nam per Olympium fluens Alphæus Peloponneſiaco littori infunditur, & in Arethuſam peruenit.* Hæc ille: cui non adeo facile fuiſſem aſſenſus, niſi Nazianzen. in Monodia ſuis id verbis explicaſſet: *Alphæus* (inquit) *fluuius, qui ex Arcadia Peloponnenſi ad amarum Arethuſæ fontem in Siciliam per aquas marinas ingreditur, nec propterea ex eius dulcedine quidquam mari ſeſe commiſcendo amittit.* Hæc ille. Cui aſſentior prono animo: Straboni vero non adeo probantur omnia pro more ſuo, quæ alii auctores tradidere; cum tamen nonnulla iam illi improbata, ac reliquis reuera eſſe probata & comperta animaduertimus: & hæc quoque noſtro ſæculo perſpecta ab iis, qui orbem perluſtrarunt. In Africa quoque præter Nilum, vt diximus, qui ſe abdit, & poſtea reddit, eſt fluuius Niger nuncupatus, qui ſemper eadem die cum Nilo augetur, conditur per ſexaginta paſſuum millia, poſtea redditur. Ramuſ. Tomo 1.

Niger Africæ fluuius.

EQ. Non pauci ſunt fluuii, qui aquis, per quas tranſeunt aut iuxta fluant, non miſceantur, præter hunc quem diximus, Alphæum: nam præter Tigridem, de quo iam egimus, qui præterfluens Arethuſam lacum illi non commiſcetur apud vrbem Romam Virgo aqua Herculeano riuo non miſcetur: quamquam enim & Virgo, & Herculeanus iuxta ſint, Virgo tamen refugit, & ideo denominata eſt, quod illum refugiat. Plin. lib. 31. cap. 3.

PH. In Theſſalia prouincia præcipuus eſt Peneus fluuius, qui quidem fluuiũ Eroton accipit, eius autem aquis non infunditur: olei enim modo ſupernatantem breui ſpatio portatum abdicat. Plin. lib. 4. c. 8.

TH. Pari igitur naturę miraculo erunt ii duo in Macedonia fluuii non procul ab Eurypidis ſepulcro: ii etenim ſimul recta confluunt, neq; alter alterius naturæ aliqua parte communicat: ſed ſua vterque retenta natura, nil prorſus immutatur: alter enim ſe in ſaluberrimum potum conſeruat, alter mortiferum ſuum retinet. Plin lib. 31. cap. 2. At reuera ſuperſtitioſum illud puto, quod Solinus habet cap. 10. Dianam enim Siciliæ fluuium, qui ad Camerinam fluit, eius eſſe naturæ [illegible] niſi à pudica muliere hauriatur, eius aqua non poſſit vino miſceri, ſed [illegible]

[illegible]eat.

EQ. Forſitan id accidit ex aquæ pinguedine craſſitieve, vt velut adeps vino nequeat miſceri, & cum non adeo frequentes pudicæ prorſus mulieres comperiri queant, ideo hauriri oportere eam à pudica memorarunt auctores, velut quiddam factu inuentuve difficile: neque enim vlla illi ſe periculo obiecerit, vt ex ea aqua velit ſe prodi pudicam, cum etſi pudica ſit, forſitan prodetur impudica, ſi ea aqua vino non miſceatur. Nulla etenim adeo pudica eſt mulier, (non dubito enim reperiri multas) vt ſuæ pudicitiæ teſtimonia quæri velit ab inanimatis rebus, aut ab dæmonum oraculis fere ſemper mendaciſſimis. Propterea cum Veneris oraculo Romæ ſola Sulpitia inuenta eſt digna ob pudicitiam, quæ Veneri aram dicaret, dolus fuit Sacerdotum: neque enim veriſimile eſt, id Romæ accidiſſe, vt vnicam pudicam Sulpitiam Roma bonorum morum parens habuerit, ſed contempto magno pudicarum mulierum numero, Veneris idoli Sacerdotes pro ſuperſtitione ſua expetierunt vnicam, velut præcipuam Sulpitiam, vt Venerem pudicitiæ ſtudioſam prædicarent, quæ omnibus turpitudinibus deſeruierat, vt virtus vitiorum idolo ſubigeretur, pudicitiæque religio exhiberetur impudiciſſimo idolo, cuius cultum augeri ſatagebant dæmones, eorumque Sacerdotes etiam apud pudicas ipſas ideo ſe expetere ad Deæ ſimulachri dedicationem tantummodo inſignem vnam pudicam Sulpitiam aperuerunt, quam etſi fateri poſſumus fuiſſe vel totius vrbis teſtimonio pudiciſſimam; erant tamen haud dubie Romæ aliæ ingenti numero: actum igitur eſt ab impio illo Sacerdotum collegio, eorumque oraculo Veneris oraculo, vt prima omnium Sulpitia Veneri ſe dedicaret, dedicans ipſa ſimulachrum, ſequerentur & pudicæ aliæ deſeruituræ impudiciſſimæ Deæ; non enim impudicarum obſequium tantum dignabatur, præſertim quoniam nulla ſe impudicam haberi vellet, ſi ſolis ab impudicis ſe coli Venus ſtatuiſſet, pauciſſimas cultrices habuiſſet, rarioresque, quam ſint illæ, quæ Dianæ fluuii huius aquam hauriant. De hac igitur Sulpitia adeo inſignis pudicitiæ agit Valerius Maximus lib. 8. tit. 16. Sed de hac re plus ſatis.

Fœmina pudica rara auis in terris.

TH. Recte equidem de hac re diſſeruiſti, ſed vt perſequamur eadem, aut perſimilia, eſt in orbe nouo admiranda fluuii natura in Andis Peruaci, qui cum dulciſſimam fluat aquam, totus alueus hinc & inde, ac imo ipſo ſaxis lapidibusve ſalſis conſtat, imo quidquid ibi lapidum eſt, è ſale eſt, mirum nihil ſalſedinis ipſius aquis commiſceri. Petr. Hiſp. p. 5. c. 25. Idcirco mirabilis fluuius Odera in Pomerania, qui intra Stetinum flantibus Auſtrinis ventis influens in lacum recentem, tametſi aquæ miſceantur, ſunt tamen dulces ſapidæque. At ſi perflent Aquilonares venti intenſiores, fluuii aquæ, tametſi ſuapte natura dulces, influentes in lacum ipſum redduntur inſtar marinæ ſalſæ; ita fit, vt nunc ſit ſalſa fluuii aqua, nunc dulcis ac ſapida pro ventorum ratione. Dauid Chytræus in procemio ad Metropolim Krantzii in Camminenſi.

EQ. Admirabilius eſt, fluuios reperiri, qui & feruidam ferant ſimul & frigidam, ſed prius probare nos decet, eſſe fluuios, qui feruidam gerant aquam: nam de ſtagnis ac balneis non eſt admirandum, cum frequentiſſimum id ſit; at de fluuiis in Europa non conſtat, compertum tamen id eſt in orbe nouo. Flumen enim, quod adeo perenne eſt, vt nauigari perpetuo poſſit, extat iuxta littora Cubæ, cuius adeo aquæ feruent, vt manibus contrectari nequeant, Petr. Mart. ſumm. Ind. Quin eodem orbe iuxta prouinciam Tapalan ruit à montibus fluuius adeo feruentibus aquis, vt tranari non poſſit. Petr. Aluarad. apud Ramuſ. Tomo 3. vt pluribus poſtea

dicemus.Illo igitur orbe inuentus quoque eſt fluuius,qui non modo feruidam, verum etiam frigidam contineat. Eſt fluuio Aquata nomen, cuius ſuperficies tota frigida eſt: in imo autem feruentior eſt aqua, quin ſi quis manum ſubmiſerit ad dimidiam altitudinem, frigidam comperit, reliqua pars feruet, nec ſine læſione contingitur; imum enim ſolum, quod arena feruenti totum conſtat, eius rei cauſa eſt, vt Ouetanus tradit hiſt. lib. 6. cap. 13. qui & illud ſe periculum feciſſe conteſtatur, bibiſſe quidem ex ſuperficie, deinde demiſiſſe in imum fluuii vas vacuum, ibique aperuiſſe, & feruenti oppleuiſſe, compertamque prorſus impotabilem, ingentem ob feruorem. Vt ita vno alueo, ac profluenti contineatur ſimul frigida & calida.

PH. Vtriusque ratio eſſe poteſt non inconcinnis: in ſuperficie etenim ideo eſt frigida, quod ibi caloris virtus ex imo aſcendens attenuatur, ſuperfuſo aere, eo facilius, quod aqua quælibet ſuapte natura frigeſcit; at niſi aer ſuperfunderetur, quod in occultis meatibus ſubterraneisque ſolet accidere, tota ferueret: non igitur cenſendæ ſunt ibi duæ exiſtere venæ, altera frigidæ, altera feruidæ, ſed eadem feruens ex proxima arena feruenti, quæ rurſum frigeſcit ob ſuperfuſum aerem, quem auidiſſime concipit fluendo. At duplex aqua eſt, cum intra frigidum amnem feruentis vena aquæ erumpit. Solinus id habet cap. 10. *Apud Segeſtanos* (inquit) *Siciliæ Helbeſus in medio flumine ſubita æſtuatione feruet.* Hæc ille; ſed cum parua eius æſtus vis ſit, non admodum dilatatur, cum feruor ille copia frigidarum attenuetur, alioqui perſeueraturus, niſi aquarum copia obrueretur.

Pontus.

TH. Pari admiratione eſt flumen, cui nomen Pontus, intra Medorum Scytharumque regiones ſitum. In eo lapides quidem ardentes deuoluuntur, ipſa aqua exiſtente ſemper frigida: ardent igitur in eo lapides, contrariaque ſe habent ratione, carbonibus ex ligno confectis; nam ſi agitentur, ipſi citiſſime extinguuntur: aqua autem irrigati & lucidius ſplendent, & ardent acrius, ardentesque bitumen olent, ingratiſſimumque odorem ſpirant, quo omnes aues ſerpentesque affecti defugiunt. Ariſt. de admir. c. 110. & Bocatius. Ita ergo fit, vt aquæ vis, diuino ſpiritu diſponente, ſimul & frigeat, & ardeat, quando ſcelere eſt vlturus frigida, qui nimis æſtuant animo, vlturus autem calida, qui ſocordes in rebus diuinis fuerint, quod vel exemplo faciemus manifeſtum. Eſt apud Vmbros Italiæ omnibus fluuiis aqua frigida, ſed cum ira Dei excanduerit, etiam illata in aquis ipſis combuſta ſunt. Aſſiſii B. Ruffini corpus ſumma veneratione colitur, diesque illi feſtiuus celebratur; at cum quidam textrinis ac ruralibus operibus intenti diem ab omni populo cultum contempſiſſent, Dei miraculo domos agrosque, ac ſupellectilem incendio inuadi conſpexerunt origine ignota: ii, vt ſupellectilem ab igne ſeruarent, in proximum profluentem amnem demergebant recuperaturi haud dubie ob exiguum amnem, ſed quoniam omnia ſeruiunt Deo, vt vel ignis refrigeret, & aqua, illo iraſcente, comburat: illa quidem fluuii aqua partim liquidam ſeruauit naturam, vt illata demergeret, ſed quodammodo humida alia ratione eſſe dedignata eſt, vt iniecta non humectare, ſed ignea ſiccitate poſſet adurere. Vbi igitur paruit aqua vindici Domino, rurſum paruit eidem placato: ii enim ipſi ſceleris pœnitentes cum ad B. Ruffini ædem confugiſſent, quem læſiſſent, & incendium reſtinctum eſt, & aqua non niſi frigidum ſuum conſuetum opus exhibuit. Hæc à Petro Damiano in ſermone de S. Ruffino. Lippomanus Tom. 8. Surius Tomo 4.

EQ. Indidit Deus quibuslibet elementis quod voluit, ſed non ita ſuſcipere illa vires inditas, vt eodem volente contraria non poſſint exercere, vt ſcilicet vel ipſa flumi-

flumina, quæ pronitate ſua deſcendunt, in arduum magis tendant, quam in pronum, ſi ita Deus iuſſerit, quod alio exemplo manifeſtum faciemus ab ipſis naſcentis Chriſti Eccleſiæ initiis. Erat Archippus Apoſtolorum diſcipulus vitam degens in Cheretopa in Chonenſi Aſiæ regione: viri ſanctitatem exoſa gens incredula non modo templum, quod ille ſacroſanctis ſacrificiis myſteriisque frequentabat, demoliri conſtituerat, ſed & fontem templo proximum, cuius aquis ille omnia morborum genera curare conſueuerat, alterius cuiusdam profani fluuii aquis obruere ſatagebat, vt & templi & ſacri fontis memoria aboleretur: de deriuando igitur fluuio Chryſo in vtrumque locum conſuluerunt, defoſſoque ingenti alueo, vt eius ductu fluuius in templum ac fontem irrumpens omnia perderet; ſed contra actum eſt, nulla loci pronitate is Chryſus fluuius vmquam adduci potuit, vt in ſacrum illum locum irrumperet, quin potius in contrariam partem erupit, longiſſime ab vtroque profluens. Metaph. 5. Septemb. Lippom. Tom. 6. Econtra vero etiam quæ flumina coire poſſe non videntur, eodem iubente Deo etiam confluent ad impiorum hominum deteſtationem, piorum vero gloriam: id alio exemplo apertum faciam. Duo enim fluuii, Licocaper & Cuphus, cum non longe ab eodem Archippi templo præterfluerent, nouum incolæ illi iniere conſilium vna cum impiorum non parua multitudine, quæ Laodiceam Lyciæ vrbem eodem odio in ſanctum Dei conuenerat, vt iidem fluuii etiam aduerſus templum in perniciem ſancti deriuarentur: ipſe vero orationi intentus, inuocataque Archangeli Michaelis ope, cui templum dedicatum eſſet, crucis ſigno ab Angelo actum eſt, vt ii duo fluuii per foſſam à gente extructam coirent, ſed ad templum non peruenere, quin ſimul in profundiſſimam voraginem demerſi ſunt, & perpetuo occultis meatibus vlterius non viſi confluunt. Eodem loco Metaphraſtes.

TH. Vt coeunt igitur flumina præter eorum morem veteres alueos deſerentes, vt conditori pareant, ita quoque idem flumen curſum ſuum diuidit maiore miraculo, vt ſuperior pars in ſe maneat non fluens, inferior fluat, vt ea diuiſione, quæ iubeant Dei famuli, veluti ſiccato itinere poſſint perficere: fecit hoc Ioſue cap. 4. *Arcam enim Sacerdotibus deferentibus per Iordanem, aquæ inferiores decurrerunt, & defecerunt; at ſuperiores in vna mole conſtiterunt, & ad inſtar montis intumeſcentes apparebant, non admodum procul quæ vocatur Edom, vsque ad locum Sarthan: fluxerant autem inferiores aquæ vsque in mare mortuum; exſiccato itaque hac diuiſione alueo, Sacerdotes arcam Domini detulere, ac reliqua omnis multitudo ſicco pertranſiit veſtigio.* Hæc Ioſue cap. 4.

PH. Fecere mirandum idem opus & alii veteris legis patres, vt itinerantibus flumina cederent, ne illis vllo eſſent impedimento. Elias cum pallio flumen percuſſiſſet, cum Eliſæo ſiccis pedibus pertranſiit, quin Eliſæus ipſe eodem Eliæ pallio cum Iordanem ipſum etiam percuſſiſſet, effecit, vt tantus fluuius cedens Domini pręcepto diuiſerit ſemetipſum, retento ſuperioris partis curſu, vt ſicco pede tranſiret Eliſæus, 4. Reg. c. 2.

TH. Non modo priſcis illis patribus hoc accidit, ſed & aliis quoque Chriſti fidei ſectatoribus: Sanctus enim Agrodulus Abbas cum aliquādo iuxta Iordanem eſſet, memor eorum quę ibi Ioſue geſſiſſet, pręcipue vero quod in ſicco illius alueo duodecim lapidibus ibi fixis perpetuam rei memoriam eſſe voluiſſet, qui obruti aquis tum non apparerent: erat percupidus rem ſuis ſpectare oculis, mirum tum accidit, ſunt rurſum diuiſæ eodem loco Iordanis aquæ, ſiccatoque interim alueo lapides Agrodulo ſpectati ſunt, qui proſtratus humi Deo gratias agens receſſit, redeun-

deunte ad priſtinum curſum Iordane. Hæc Sophronius prat.ſpir.c.11. Accidit eadem vis miraculi Spiridoni Archiepiſcopo Trimithuntis: is cum accepiſſet virum quendam innoxium perperam capite damnatum, propere ad Præſidem eundum eſſe decreuit, vt innoxius ille liberaretur: itineranti torrens hyeme tum valde ingruente exundabat, iuſſit ſanctus torrenti, vt diuideretur, viamque ſibi ac comitibus præberet, paruit flumen, & ſiſtens curſum aditum omnibus præbuit; id vbi Præſes accepit, aduenientemque miraculi patratorem Spiridonem vidiſſet, mox è carcere hominem damnatum educit, viroque ſancto permiſit. Metaph. recenſuit & Surius Tom.6. Decembri in vita S.Spiridonis.

Inundationes vt placato Deo proſunt hominibus, ita irato nocent plurimum.

PH. Vt hominibus non obſunt fluuii Deo placato, ita obſunt præter omnium expectationem Deo irato: inundatione regiones cum vrbibus ſubruunt ac demergunt, quod cum alibi frequentiſſimum fuiſſe legimus, tum Romę accidiſſe ſæpiſſime conſtat Tyberinis aquis intumeſcentibus, quarum omnium maxima inſigniorque fuit inundatio Pelagio II. Pontifice, quam iis verbis narrat Ioannes Diaconus in Gregorii Magni vita lib.1.c.34. *Poſtquam Romam Gregorius venerabilis Leuita reuerſus eſt, aliquanto interiecto tempore, tanta inundatione Tyberis fluuius alueum ſuum egreſſus eſt, tantumque excreuit, vt eius vndæ ſemper muros vrbis influerent, atque in ea regiones maximas occuparent, & antiquarum ædium plurima munimenta deiicerentur.* Hæc ille. Addit autem Platina, tantis tum excreuiſſe aquis Tyberim, vt alterum Noe diluuium imminere putaretur; obfuere certe breui quodam temporis interuallo Domino magis iram oſtendente, quam exercente, quod Romæ ſæpe feciſſe legimus: nam & ſub Gregorio II. ſub Nicolao I: ſub Gregorio IX. ſub Nicolao III. ſub Martino V. ſub Clemente VII. ſub Sixto V. atque aliis quoque Pontificibus viſæ ſunt ingentes Romæ inundationes, ſed per Dei gratiam minus ſemper obfuere, quam hominum crimina exigerent, iratum ſe iuſte oſtendente Deo, qui & miſereri non dedignatur, qui & ſe quoque piis eſſe placatum tum etiam oſtendit, vt nec ipſa inundatio irruat mergatve, quo iam peruenit, ac contingit, ſeſeque contineat, velut cui ſit inhibitus ingreſſus; nam id celebri exemplo faciemus perſpicuum ex eodem Ioanne Diacono libro 1 cap.35. *Pelagii II. inquit tempore, apud Veronenſem vrbem fluuius Atheſis, vt beatus Gregorius refert, excreſcens ad beati Zenonis Martyris, atque Pontificis Eccleſiam venit: cuius Eccleſiæ dum eſſent ianuæ apertæ, aqua in eam minime ingreſſa eſt, cum tamen paulatim excreſcens vsque ad feneſtras Eccleſiæ, quæ erant tecto proximæ, perueniſſet, ſicque ſtans aqua Eccleſiæ ianuam velut aggere occluſit, non aliter ac ſi elementum ſui natura liquidum in ſoliditatem parietis fuiſſet immutatum. Cum vero multi intra Eccleſiam eſſent, quibus egredi nulla ratione permitteretur, ambiente omnem Eccleſiam aqua, ſeque ibi fame & ſiti conficiendos formidarent, è ianua aquam bibebant, quæ iam vsque ad feneſtras excreuerat, in Eccleſiam tamen influere non valebat. Erat igitur aqua ante ianuam ad oſtendendum cunctis ſancti Martyris meritum, & adiutorium, & aquæ vim non præ ſe ferebat ad locum inundatione præſeruandum.* Hæc à Ioanne, quæ etiam Fulgoſus recolit lib.1.

EQ. Nil obeſt homini fidem vere ſectanti, ſiſtuntur vbique flumina, ac velut ſeruiunt illi imperanti: fidem rei aſtruit Gregorius Thamaturgus; cum enim Lycus rapidiſſimus fluuius accolis quotannis ſummam inferret cladem, agros, pecora, ipſam denique gentem demergens, baculum in ripa defixit Gregorius, iubens flumini, ne conſtitutum ibi terminum præteriret, inuenit in fluuio vir ſanctus obedientiam, ſed & in ligno quoque impacto virtutem; nam & creuit in arborem, & ad vſ-

ad vſque Gregorii Nyſſeni tempora ab omnibus confluentibus miraculi cauſa ſpectabatur. Hæc Gregorius Nyſſenus in ipſius Thaumaturgi vita.

TH. Fecit idem frequenter Theodorus Siceorum ſanctiſſimus Archimandrita. Siberis enim amnis Siceorum ſata agroſque inundationibus obruebat: præcepit amni vir ſanctus in Chriſti nomine, vt intra ſui aluei metas ſe continens deſineret agris inferre iacturas, crucemque ligneam in ripa defixit, precibus fuſis, paruit fluuius, repreſſo dein ſemper proprio impetu; cumque præterea in ipſo traiiciendo multi periclitarentur, ad eius medium accedens Theodorus, fuſaque bene longa ad Deum precatione, reddidit illum ſecure tranabilem. Hæc Georgius Presbyter in ipſius Theodori vita apud Metaphraſtem 22. Aprilis, quo loco narrat & alia non pauca. In Caria fluuius, qui dicitur Copas, exundans etiam domos deiiciebat, & omnia paulatim euertebat: eam ob rem Theodorus eo ſe conferens ab incolis rogatus, in ripa crucem ſtatuit adhibitis precationibus; mirum, tametſi maximum in modum fluuii aquæ excreſcerent, numquam tamen terminum cruce præfinitum præteriere, neque incolis vllam deinceps iacturam intulere. Georgius Presbyter ibidem. Præterea vero in oppido Scudris iuxta ſancti Angeli Monaſterium, ſtatis temporibus nubes tanta vi ingruebat procellam efficiens, vt excreſcente torrente oppidum ipſum ædificiis ſubrutis inundaretur, agris villuliſque demerſis, quin quandoque viſa ſunt non modo ædificia, verum etiam cum pecoribus viri ac mulieres, ſed & ipſi iacentes cunabulis infantes pluuialibus aquis illis trahi in Sagarim vicinum fluuium: ob eas igitur miſerandas clades rogatus Theodorus ad oppidum accedens qua procella exoriri conſueuerat, fuſis ad Deum precib. crucem ibi defigens diuina effecit gratia, ne deinceps vnquam vllam gens acceperit iacturam. Non fuere inhibitæ procellæ, quin ſuo tempore ingruerent, ſed ceſſauere in perpetuum inundationes. Hæc omnia Georgius Presbyter in Theodori vita apud Metaphraſtem.

PH. Deſerit ſeſe natura coram Dei ſeruis: nam & fluuii quamquam ſuperpoſita omnia demergant ſcilicet grauia, calcantur tamen pedibus ab homine, vt plura eluceant in eadem fide miracula; quandoque etenim diuiduntur, exſiccantur fluuii, quandoque alio vertuntur, quandoque in ſe ipſos cohibentur, ne obſint homini, quandoque, quod maius eſt, etiam ipſorum aquæ præbent ſe non aliter pedibus permeabiles, ac ipſum ſolum terrave peruia eſt. Maria etenim Ægyptiaca quanquam Iordanis aquas non diuiſerit, vt Ioſue, Elias aut Eliſæus, atque alii, ſigno tamen crucis fecit ſuis pedibus ſolidas terræ modo, vt eas aſcendens inambularet, in alteramque partem deſcenderet Zozimo Abbate ſpectante. Paulus Diaconus Eccleſiæ Neapolitanæ in ipſius Ægyptiacæ vita: quod & Fulgoſus habet lib. 1. idque non ſemel tantum ab Ægyptiaca Maria patratum eſt, ſed ſæpe, ac quoties ad Zozimum ſacroſanctæ Euchariſtiæ cauſa ſeſe conferret; quod idem Paulus memorat. Accedunt ad hæc, vt non modo viuentium, ſed & defunctorum pignora chara ſe habere fluuii ipſi oſtendant, neque ſolius hominis pedibus ſeſe calcandos permeandoſve permittant, verum etiam ab inanimatis atque irrationabilibus, ob eam tamen, quam viris Dei debent, venerationem ſiue viuis, ſiue defunctis. Leontius enim Illyrici præfectus beati Demetrii Martyris ſtudioſus, cum & illi templum in Theſſalonica exædificaſſet, chlamydem Martyris, quæ illius venerando ſanguine fuerat cruentata, & ex eius ſuperhumerali aliquid accepiſſet, & in pretioſa arca prærenerenter condidiſſet, locaturus erat ea in eodem templo: At itineranti deferenti-

rentique ſacra pignora, ne Syrmium perueniret, obiectum ingentem fluuium
compertum ſibi impedimento eſſe animaduertens, cum non auderet neque ipſe,
neque alii ſeſe tantis aquis committere, admonitus à beato Demetrio eſt Leon-
tius ipſe, vt in flumen ſe currumque ſuum demitteret. Fretus ſancti monitis credi-
dit ſe ſacraque pignora fluuio quanquam profundiſſimo ac rapidiſſimo. Eleuatis-
que ſemper in cœlum oculis, cum curru rebusque omnibus perinde ac nauigio in-
columis transuectus eſt. Metaph. 26. Octob. Ita fit, vt nihil ſit homini Deo fidenti
imperuium: nam Pachomius Abbas Nilum traiiciebat, absque nauigio, crocodilos
inequitans, vt vel ſic duo ſimul miracula patraret, immaniſſimam ſubigens bel-
luam, & tantum flumen absque nauigio ſecurus transmitteret. Metaphr. in vita S.
Pachomii 14. Maii. Id ipſum autem maiore miraculo accidiſſe perhibetur ſancto
Heleno, qui crocodilum inequitabat ad traiiciendum flumen: at crocodilus toties
aderat iubenti, quoties ipſe euocaſſet. Vita SS. Patrum de S. Heleno. Sed quia lon-
gius ad alia digreſſi ſumus, redeundum eſt nobis ad reliqua fluuiorum naturæ mi-
racula. Et in primis, quod intermiſeramus, agendum eſt de ampliſſimis per reli-
quum orbem fluuiis tum in orbe nouo, tum in Africa, aut Aſia.

Noui orbis flumina.

EQ. Quod ad orbem nouũ ſpectat, Pigafetta tradit, apud Canibales Americæ
flumen eſſe latitudine ſexaginta octo paſſuum millium, & quanquam plurimi ſint
ingentes amnes, vnus præ omnibus memorandus eſt Maragnonius, cuius oſtium
dum in Parium mare ſe effundit, ad nonaginta paſſuum millia patet. Petr. Mart.
ſum. Ind. Ouet. ſum. cap. 9. qui ad 120. p. mill. patere cenſet: eodem longiſſimo tra-
ctu alium tradunt mari influere, cuius oſtium ad 112. paſſ. mill. pateat. Petr. Mart.
ſum. Ind. Illud vero Maragnonio admirabile accidit ob illam immenſam aquarum
illuuiem, vt ad paſſuum millia ducenta mari ſupernatet, dulces ſemper vehens a-
quas Ouet. ad Bembum Card. apud Ramuſium Tomo 3. altitudinem enim eius ad
30. cubita porrigi iidem auctores prodidere, quin eum patere aliquando 200. paſſ.
mill. cum multis Inſulis tradit Petr. Hiſp. p. 5. c. 16.

PH. Sunt etiam pręter eos, quos de Paradiſo promanare diximus, in Aſia non
pauci ſua amplitudine commemorandi: non procul ab vrbe primaria Quimſai
magni Chami iuxta Chilenſe extat fluuius patens 20. paſſ. mill. Oder. poſter. poſt
med. alius Dotalaii non procul ab eadem vrbe Quimſai in anguſtiore parte patet
ad 7. paſſ. mill. at iuxta vrbem Simgui flumen Quian patet ad paſſ. mill. 10. alluitque
vltra 200. vrbes, tanta autem eſt longitudine, vt diebus centum enauigari non poſ-
ſit; continuiſſe autem in ipſius vrbis Simgui portu flumen hoc quinque millia in-
gentium nauium, & ſe ea numeraſſe prodit Marcus Polus lib. 2. c. 63.

Gaza Aſiæ fluuius.

TH. Illuſtris etiam iis omnibus eſt latitudine comparandus in Aſia fluuius
Gaza iuxta Malaccam; quem ad quindecim paſſ. millia patere tradit Ludouicus
Barthema rerum Indic. lib. 3. c. 17.

Indus item.

PH. Indus qui nuncupatur in Aſia omnibus illuſtrior eſt fluuius, quem etiam
nonnulli omnium maximum eſſe cenſuerunt, antequam nouus orbis innoteſce-
ret, vti viſum eſt Baſilio exem. hom. 3. attamen Plinio lib. 6. c. 20. numquam latior
eſt quinquaginta ſtadiis, hoc eſt, ad ſex Italica milliaria, & eo amplius, neq; vsquam
altior eſt 15. paſſibus: quod autem in illo ſuper reliquos admirabile fertur, eſt longi-
tudo illius immenſa; recipit enim 60. perennes fluuios, ac torrentes centum, vt tra-
dit Plinius lib. 5. c. 28. Deinde quinq; menſibus enauigari non poteſt, tametſi quo-
tidie octoginta paſſuum millia permeentur, atq; ad hanc calculi rationem duode-
cim

cim milliariorum millia porrigi in longitudinem Indus videtur, idq; Alexandrum Magnum experimento didiciſſe ſcribit Plin. lib. 6. c. 17. his verbis: *Proditur Alexandrum Magnum nullo die minus ſtadia DC. nauigaſſe in Indo, nec potuiſſe ante menſes quinque enauigare, adiectis paucis diebus.* Hæc ille; atque ita fit, vt B. Baſilii ſententia, ſi ad longitudinem Indi referatur, veriſſima ſit, *Indum ſcilicet fluuium omnium eſſe maximum.* Mela tamen lib. 3. c. 4. dicit, Indum pene Gangem exæquare magnitudinem ad latitudinem illius referens, ſicut & Plinius tradit lib. 6. c. 17. dum dicat, Indum Gange eſſe minorẽ; de latitudine enim ac profundo ſenſiſſe videtur, nõ de longitudine.

EQ. Sed an Africa late patentes habet fluuios?

PH. Vnus pro omnibus ſufficere videtur Nilus, de quo egimus, tamen in ditione Gambra flumen quoddam eſt, quod latitudine patet quatuor paſſ. mill. Aloyſ. Cadam. quin & in tractu Sagres Africanis littoribus alius eſt auctore eodem Aloyſio, qui etiam totidem paſſ. millia pateat; ſed & in Inſula quadam, quę è regione ſita eſt promontorii, cui cognomentum eſt, Caput viride, fluuius eſt patens ad paſſuum viginti millia, eodem Aloyſio teſte.

EQ. Vnicum torrentem præ omnibus totius orbis admirabilem comperi in Europa eſſe: nam Diuidua in Moſcouia in oceanum influit, nimbus liquatis adeo quandoque patet, vt nauigio quamuis celeri curſu tota die traiici non poſſit, vt ita coniiciamus eius latitudinem prope accedere ad quinquaginta paſſuum millia, ex Iouio rerum Moſcouitarum ca. 3. Efficiunt enim niues hæc admiranda, quod iam in Nilo diximus. Sed valde me afficit, quod legi in orbe nouo fluuium comperiri in Aquilonari cœlo, qui totus niuibus obtectus perennis ſit. Gaſpar Curteregali, apud Ram. Tom. 3. de noua Francia.

PH. Nunc ad alias naturas fluuiorum eſt conuertenda oratio, & in primis id occurrit, quod tradunt, Arnum & Eſar tanta hoſpitalitatis legis obſeruatione in vnum alueum coire, ac ſe complecti, vt neq; auctis alterutrius aquis, dum confluunt, audeant proprium alueum egredi, potius alterum alteri hoſpiti locum cedere, vt quamquam vtrumque alueus tum capiat commode, tumorem in medio aluei conficiunt ſuum ſimul complexi & erecti, adeo vt qui in ripis ſunt, hinc inde homines mutuo ſe ſpectare non poſſint ob aquarum eminentiam. Ex Strab. lib. 5.

TH. Admirabilior eſt Sabbatii fluuii legis obſeruatio, quam priſco tempore tenuit in Palæſtina: nunc mutato ſacerdotio & lege non ſeruat, ſeptimo quoque die exinaniri conſueuerat, atque exſiccabatur, ſex reliquis diebus ſemper aquis oppletus fluens. Scripſit id teſtis idoneus Ioſeph. bell. Iud. lib. 7. c. 24. in hæc verba: *Fluuius inter Arras & Raphanæas Agrippæ regni ciuitates Syriæ fluit, cui nomen Sabbatius: habet autem quoddam peculiare miraculum. Nam cum ſit, quando fluit, plurimus, neq; meatu ſegni, tamen interpoſitis ſex diebus à fontibus deficiens ſiccum exhibet locum videre. Deinde quaſi nulla mutatione facta ſeptimo die ſimilis exoritur, atque hunc ordinem ſemper eum obſeruare pro certo compertum eſt, vnde etiam Sabbatius appellatus eſt à ſacro Iudæorum ſeptimo die ſic denominatus.* Hæc ille; cui ſubſcribit Plin. lib. 31. c. 2. his verbis: *In Iudæa riuus Sabbatis omnibus ſiccatur.* Ita ille, quod etiam Iſidorus memorat. Cum igitur ille hodie non exſiccetur, auget miraculi maieſtatem: quando etenim Sabbatum religioſe apud Iudæos ſeruabatur, fluuius ille & ipſe conſentire religioni videbatur. At à Chriſti aduentu, quo Sabbati obſeruatio eſſe deſiit, neq; Iudaico more religio illi debeatur, fluuius etiam ipſe morem cultumque ſuum exhibere deſiit, vt ita magno quidem miraculo Sabbatum tum ſeruarit, cum ſeruandum eſſet, maiore poſtea

Sabbatius fluuius.

deſierit ſeruare, cum non ſit ſeruandum. Tunc Iudæorum duritiem ſabbatho exinanitus coarguebat, vt ii diſcerent ſabbatho ceſſare ab omnibus operibus iuxta præceptum Domini, quando Geneſ. 2. ipſe omnium conditor ab opere conquieuerat, mentesque ſuas etiam humanis rebus exinanirent, vt Deo magis vacarent: fluebat igitur tum ſex diebus laborans, exſiccabatur ſeptimo, velut lege Moſaica doctus, vt rei veritatem etiam abſtinentia ſua gentem edoceret. At vbi aduentu Chriſti legis translatione facta Sabbathiſmus Iudaicus ſublatus eſt, fluuius ipſe & hoc velut edoctus, morem hunc ſeruare deſiit, gentem rurſum docens, nullam vlterius eorum ſabbathi habendam curam, cum & ipſe quoque in perpetuum currat nullo ſabbatho deinceps abſtinens.

PH. Fuit ſane illud ingens miraculum, vt illo tempore præfixo curſum ſisteret, poſtea à Chriſto nato morem demiſerit: nihil enim poteſt Iudæis maiori argumento eſſe, ſi velint ſuos ritus diuina auctoritate abolitos agnoſcere. Sed de hac re ſatis. Sunt alii fluuii, qui tempora dieſque quoſdam ſeruent, mutationi deſeruientes. In primis ſane memorabilis fluuius quidam eſt, de quo ſolum Bocatium ſcripſiſſe memini; ille igitur decennium, velut Aſtrologus quiſpiam obſeruat, vt ſe commoueat: Ceretorium illi nomen eſt in Piſtorienſi agro, numquam vllo imbre intumeſcit, ac ſponte quolibet decennio, repentino quodam motu, vno momento, prægrandem fragorem ob ſaxorum illiſionem emittit, & lapides ipſi decliui curſu fluunt per triduum, ter ac quater quotidie etiam ſereno cœlo, at poſt triduum omnia ſubſident. Hæc à Bocatio, vt ita fluuius is videatur & Trinitatis myſterium, & decalogi præcepta agnoſcere. Sunt autem præterea alii fluuii, annum diuidentes, vt opus ſuum certis tantum temporibus exerceant. Quidam enim æſtate, quidam hyeme, quidam alio tempore intumeſcere conſueuerunt, plurimi numero ſunt hi, qui æſtate creſcant tum ob nimiam niuium liquefactionem, tum ob occultas alias cauſas, neque id recenſendum putamus, quod vbique familiare ſit, ſed minus notum. Eſt igitur in Caſinate ſcatebra flumen, frigidis aquis abundantius ſe æſtate præbens, quod pro memorabili tradit Plinius lib. 2. cap. 103. qui & illud addit, Nouanum flumen vltra Appenninum in agro Pitinate bruma ſiccari, ſolſtitiis vero eſſe torrentem. Seneca autem natur. lib. 3. c. 26. tradit ex Theophraſto in Ponto quoſdam fluuios creſcere æſtiuo tempore. Sed de hac re ſatis ſit.

EQ. Quærendum autem, quare fluuii, qui calidas ſcatent aquas, non exſiccentur, quandoquidem ignis eſt operarius efficax ad omnia exſiccanda? exordiamur exempli gratia ab illo, qui in Africa eſt capis: à meridie fluit prope Cognominam vrbem in mediterraneum, ipſius aqua ſalſa eſt & feruida, vt non niſi horæ interuallo hauſta in vaſe refrigerari poſſit. Leonius p. 9.

PH. Calor ille plurimo humore ſcaturiente minor eſt; numquam igitur tantum humorem exſiccare poteſt, feruefacere autem ſemper poteſt. Ego igitur putarim, balneares aquas illas eſſe, cum fluant calidæ, vt reliquos omnes fluuios calidas gerentes in eodem ordine habendos cenſeo: nam in eadem Africa iuxta Elhammam vrbem flumen aliud feruidis adeo aquis fluit abſq; ſalſedine, vt à nemine impune contrectari poſſint, nec enim quiſquam vmquam in eis ſe mergit: ſalutares autem ſunt aquæ; leproſis enim ac reliquis vlceratis plurimum proſunt epotæ: mirum in ea quoque potatione eſt, vt nemo eis exaturari poſſe videatur. Leonius p. 5. At contra abſque feruore memoratur hodie inuentum flumen, quod aquam ſalſam contineat, fluatque plurimum ac maximum, neque curſu depuratur, dulceſcitve,

Feruentes fluuii ſaluberrimi.

citve, quod eſt certe adnotatione dignum, cum ipſum ſit ampliſſimum; alluitqu. agrum iuxta vrbem Cocchim: nam cum pateat ad paſſus 1050. nonniſi ſalſas continet aquas, vt Antonius Eredia Ieſuita ſcripſit anno Domini 1552. Flumen autem aliud inſigniter ſalſum, feruentibusque aquis tradunt nouo in orbe reperiri circa Ciapotulan Mexicani regni prouinciam, quod adeo feruidam fluit, vt ob maximum illum feruorem tantum, nulla re alia impediente, tranari nequeat: nitroſa enim illius aqua eſt, ducitq; è monte ſcaturiginem ſuam, quo perpetuus fumus exhalatur, tanta amplitudine, vt bis mille paſſus ambitus crateris patens ſit. Petr. Aluarad. ad Corteſium Ramuſ. tom. 3.

PH. Erit ergo admiratione maiore dignus fluuius ille, qui in Hiſpaniola Inſula eſt compertus; non enim exiguas, quæ pedibus aut equo tranari poſſint, fert aquas; ſed eſt nauigabilis, maximaq; aquarum copia illa adeo feruet, vt immerſæ manus non parum lædantur. Petr. Mart. ſumm. Ind. ex Columbo.

EQ. Sed numquid præter ſalubritatem, quam corporibus conferunt huiusmodi feruentes fluuii, aliud quidpiam efficiunt circa metalla, aut fruges, aut lapides?

PH. Metalla, lapides atq; alia, quæ aquis quidpiam ſibi naturalis beneficii conſequuntur, maiore aliqua alia vi quærunt, quā à calore, feruoreve illo: cœlo enim aut ſolo tum id eſt inditum: veluti cum ferrum aquis fit fortius, temperatiusve, aut aquis quæ iniiciuntur in lapideam duritiem vertuntur. Exemplo ſit Birbilus Hiſpaniæ fluuius, qui aquas continet, quibus ferrum acrius temperatur: quin nullum apud Hiſpanos telum probatur, quod non illius fluuii aquis tingatur, cum ſint frigidæ. Bocatius & Roderic. Palent. hiſtor. Hiſp. p. 1. cap. 3. Propterea alii fluuio eandem vim habenti in Hiſpania Calibis nomen inditum eſt. Bocatius. At in lapideam duritiem fluuiorum aquis iniecta conuerti compertiſſimum eſt non paucis locis.

TH. Id ego legi apud Strabonem lib. 5. in fine. Sylarim Campaniæ fluuium, quidquid recipiat, aut ſuis aquis immergatur, conuertere in ſaxum, colore formaq; priore retenta: cui Plinius accedens adiicit ſalubrem eius aquę potum eſſe: ſitumque illum fluuium eſſe vltra Surrentum lib. 2. cap. 103. quo etiam Strabone auctore didici iuxta Æthnam Siciliæ montem Luteum riuum fluere, cuius illud ſit proprium, vt terram, ſolumq;, ſupra quod fluit, in duriſſimum vertat lapidem, qui nec ferro cedat, quæ craſſities, duritiesque ſolummodo occupat riui ipſius imum, ad menſuram non modicam. Hæc ille.

EQ. Sunt hæc propria non paucis fluuiis aliis orbis partibus: nam in Sæpuſio Poloniæ riuus eſt ex arduis montibus profluens, cuius guttæ in lapideam duritiem concreſcant, ita vt ex ea ſponte exiſtant fulcra ſuſtentantia canales, quibus riuus ad molendina diuertitur. Mart. Crom. deſcript. Polon. li. 1. Ex Plinio quoq; plura collegimus: nam lib. 31. c. 2. in Coloſſis flumen eſſe ſcribit, in quo lateres coniecti lapides extrahantur. quin admirabilius addit, in Scyretico metallo arbores, quæcunq; flumine alluantur, ſaxa fieri, cum ramis: ſed & in Eubœæ Delio riuum eſſe ſcribit, qui quæcunq; ſaxa alluat, ea creſcere in altitudinem; eas autem aquas eſſe calidas. Hæc ex illo lib. 31. c. 2. Propterea cum legerim illos auctores, qui de Septentrional. rebus tradunt, fidem adhibui, cum memorant iuxta maritima littora Oſtrogotorum torrentem eſſe, qui alluat Horcopiam vrbem, cuius in alueo omnium rerum formæ comperiantur ſaxeæ, perinde ac arte confectæ: aliis enim eſt humani corpo-

ris forma, aliis manuum, aliis pedum, aliis digitorum, ſparſimq; hæc confuſo ordine per alueum proiecta viſuntur. Sed non ſunt prætermittendi alii fluuii in Italia eandem vim habentes. Nam in Etruria Sena fluuius iuxta Collenſe oppidum lignea omnia reddit ſaxea. Quamobrem etiam eo cortice ſaxeo columnæ eximiæ conficiuntur, Leandro teſte. Sed & iuxta Tiburtinam vrbem Aniene fluuio, qui ingreſſis videtur frigidiſſimus, ſenſim agnoſcitur calidus. Pauſania teſte, omnia reddit alba præcipue ebur, humanosq; dentes, & quæq; iniecta in lapidea conuertit. Martialis Leander in Gabiis. Sarnus in Campania, & Syrus apud Brutios, omnia efficiunt lapidea. Elſa quoq; fluuius Senenſis agri, vbi ſcaturit, immiſſa quæq; efficit lapidea, at à ſcaturigine longius cum proceſſeris, ceſſat ea vis. Bocatius. Sed & vbi Velinus lacus è monte præcipitatus ruit, ſi lignum immittatur, breui cortex fit lapideus, is locus in Vmbria eſt, eiusq; meminit Virg.7. Æneid. Interamnatiũ quoque in campis itidem fit, in amnib. in Narem flumen deriuantibus; hoc addito naturæ miraculo; vbi leniter placideq; huiusmodi amnes fluunt, nihil tale natura efficit: at vbi rapido, velociq; motu decurrunt, id efficiunt, ligni ſcilicet corticẽ reddentes lapideum, eiusque rei forſitan ratio eſt, quod rapido curſu maior fit eius vis ſpiritus, vt imprimat magis iisdem agris; non procul ab vrbe Interamna, in valle Illuſtr. Dominorum Comachorum Caſtellenſium riuulus è Nare flumine profluens illuſtris eſt hoc miraculo, quod in eo cancri non modo teſta ſua muniti ſint, verum etiam ſupra teſtam cortex alius lapideus eſt aquæ illius vi illis ſuperadditus; vt ita non inanimata ſolum lapidea reddantur ex aqua, ſed & ipſa quoq; viuentia: Sed de his ſat, ſuperque.

TH. Eadem miraculi ratio eſſe videtur, qua fluuiales aquæ potu ſumptæ rerũ colores immutent. In Bæotia enim duo feruntur eſſe flumina, quorum altero Varro opinatur ſepari licet natura, miraculo tamen non diſcrepare, ſi ouillum pecus albeſcens debibat, pulli fieri coloris, alterius hauſtu, quæcumq; vellera fuſca ſunt, in candidum verti. Solinus id habet cap 12.

PH. Longe ante Solinum Ariſtoteles de hac re ſcripſit: libro enim anim.3 cap. 12. *Sunt* (inquit) *aquæ in multis locis, quas cum oues biberint, moxque inierint, nigros generent agnos, vt in terra Aſſiriti de agri Chalcidici Thraciæ facit amnis, quem præ nimia frigiditate Pſychrum vocant. Et in Antandria quoque duo ſunt fluuii, quorum alter candorem, alter nigritiem pecoribus facit. Scamander etiam amnis flauas reddere oues creditur.* Hæc ex illo. Seneca natur.lib.3.cap.25. in Macedonia & Galatia huiusmodi fluuios eſſe teſtatur.

EQ. Accedunt ad hæc, quæ tradit Ælianus lib.8.cap.20. In Antandri amne oues bibentes colorem mutant, ita in Thraciæ flumine ad Troiam Scamander ex aqua ſua potantes oues fuluas efficit: ex eo factum eſt, vt huic, qui initio Scamander nominaretur, deinde aliud nomen aduentitius ouium color Xantum imposuerit, quin idem lib.12.cap.33. Confluentem (inquit) candidi coloris efficientem Crathis fluuius emittit: nam ouillum & bubulum pecus, & omnis grex quadrupes, ſicut Theophraſt. ait, ex eo bibens de nigro, fuluoue albus fit. Neque hoc loco eſt prætermittendus Iſidorus, qui lib.13.c.13. ſcribit in Theſſalia duo eſſe flumina, ex vno bibentes oues nigras fieri, ex altero albas, ex vtroq; varias. Hæc ille. In Vmbria Clitumnus fluuius bibentes oues albas efficit. Ex Plinio & Seruio ad Virg. Georg. lib.2. Leander in Faliſcis. Sed & Aniene, vt diximus, Tyburtino flumine omnia lota albeſcunt. Leander in Gabiis. Alacon quoque fluuius Macedoniæ efficit pecora candida,

candida, ſicut Axus nigra. Sed & Cratides Calabriç candida facit, & Sybaris nigra, vt adnotat Bocatius.

TH. Quod in pecore id fit, vt eius aquæ hauſtu color velleris immutetur, etiã equis id cõtingit in Cappadocia. Si enim ex quodam flumine biberint, ipſis tãtum non aliis animantibus color immutatur, cutis eorum redditur alba. Seneca natur. lib.3.c.25. Quærendum igitur nobis eſt, cur piſces eius fluminis colorem eundem non referunt, qui perpetuo eam aquam bibunt?

PH. Piſcium cutis cum villoſa non ſit, colores varios non ſuſcipit, vt pecora: deinde ſol id efficit, vt hauſta aqua eos colores gignat; piſces autem, cum ſemper lateant aquis demerſi, eundem ſquammæ cutisve retinent colorem, qui ſpecie ab ipſa eſt inditus natura. Sunt tamen fluuiorum aquæ piſcibus pæter cõſuetudinem alium gignentes colorem. In Boryſthene enim id accidit, ſic enim Solinus cap.19. Boryſthenes (inquit) naſcitur apud Neuros, in quo piſces egregii ſaporis, & quibus oſſa nulla ſunt, nec aliud quam cartilagines tenerrimæ. Hæc ille: ſed meo quidem iudicio ea eſt piſcium ſpecies illo natura nigro intincta colore: nam potius ad argumentum noſtrum pertinet, quod habet Ælianus libro 10. cap. 39. In Thuriis ait, fluuius Luſias appellatus, tametſi perlucidos liquores habet, nigerrimos piſces procreat.

EQ. At ſerpentes cur fluuii procreant? aut quomodo in ipſis degentes venenoſi ſunt?

PH. Et hoc eſt admirandum, ſed vt equidem cenſeo non gignuntur aquis ſerpentes virulenti, neq; aquis perpetuo degunt: ſed per occaſionem aquas obuerſantur cum virulenti ſunt: erit nobis idoneus teſtis Mela lib.1. cap.6. de quo alias occaſione alia meminimus. Non longe (inquit) à Propontide ad Rhindacum flumen Olympo monti proximum angues naſcuntur immanes, neque ob magnitudinem modo, ſed ob id etiam mirabiles, quod vbi in alueum eius æſtus, ſolemque fugerunt, emergunt, atque hiant, ſuperuolantesq; aues, quamuis alte, & perniciter ferantur, abſorbent. Hæc ille, ſubindicans terreſtres eos angues eſſe, tametſi vitandi æſtus cauſa aquas ingrediantur. Propterea eo nomine inſignis ille eſt Lituaniæ fluuius, cui Naruiæ nomen eſt: is enim, vt Dugloſius ſcribit, non fert venenoſa animantia, vsque adeo, vt ſerpentes, qui Bugo flumine delati adhæſerint, edito ſibilo refugiant, cum primum huius Naruiæ aquam attigerint. Mart. Chrom. deſcript. Polon. lib.1.

EQ. Sed vnde aquis virulentia, vt quædam epotæ mox interimant, ſi in eis ſerpentes venenoſi non ſunt?

PH. Non omne venenum à ſerpentibus eſt; ſæpe aquis ipſis indita vis eſt, quam qui hauſerit, perimitur; Stygis id accidit aquis in Arcadia, vt memorat Seneca natur. lib.3. cap.25. & Iſid. lib.13. cap.13. *In Achaia* (inquit) *aqua ex ſaxis profluit Styx appellata, quæ epota illico interficit. Eius autem aquæ tanta vis eſt, vt omnia penetret & dirumpat, nec vllo vaſe valeat contineri, præterquam aſini cuiusdam cornibus:* quod Ælian. memorat lib.10. cap.41. In Scythia (ait) aſini cornibus præditi naſcuntur, quorum cornua Arcadiæ fluminis Stygis aquam continent, quæ transmittat cętera vaſa omnia, etiam ſi ex ferro ſint. Hæc ille. Eſt autem huius fluminis origo apud Nonacrim Arcadiæ: exitioſus is eſt omnibus animantibus plurimam ob frigiditatem ſtatim necans; ferrum, atque æs erodit, & vt aſini, ita quisque ſolius mulæ vngula poteſt contineri: cætera vaſa frigoris vehementia ſtatim diſrumpit: hoc veneno

Styx aqua lethalis.

quendam Alexandrum ab Antipatro putant peremptum. Vinc.natur.lib. 5. c. 80. idipſum etiam Aldus & alii.

TH. Non abſimilem perniciem feris affert aqua quædam ex Thracia, quæ animantia bibentia in rabiem adigit, vt alias memorauimus ex Æliano lib.15.cap.25. quando ſcribit equos efferari, & rabie inflammari bibentes ex Coſſinito flumine Thraciæ, qui defluit in agrum Abdeteritanum. At id ad ſolos equos pertinet; quos ad iracundiam pronos illa exagitat aqua: at aquarum ſalubritas pro bibentium conditione metienda eſt; aliis enim pernicioſiores, aliis ſalubriores, ſed cum aquis vitium natura inditum eſt, omnes afficiunt; velut contigit duobus fluuiis, qui in Nigrum Africæ flumen influunt, alteri quidem color eſt ſubrubidus, alteri ſubalbus, adeo ſibi contrariis naturis, vt ſi quis ex vtroque bibat, cogatur euomere vtrunque: at alterum ſi quis bibat, diuerſis interuallis, numquam vomitus excitabitur, at vbi influxerit vterque in Nigrum, ſi quis ex permixtis tunc aquis biberit, nulla erit ad vomitum prouocatio. Ioannes Barrenſis hiſt. Dec.1. lib.3. cap. 8. apud Ramuſium Tom.1.

EQ. Propterea cautior quisque eſſe debet in epotandis inſuetis ſibi aquis in incognitis regionibus, ne forte incidat in lethæas aquas, vnde illi rerum omnium obliuio fiat.

TH. Id eſt fabuloſum: extat tamen lethon flumen. Et quanquam Solin.c.29. tradat ex eo bibentes rerum memoriam perdere ſuperuenireq;, obliuionem, poeticum illud eſt commentum, quod lethum ſubeuntes mortemq;, cum ad inferos deſcenderint, omnium obliuio eos capit: ſed reuera is fluuius extat in Africa circa extremum Syrticum cornu, Berenicemque vrbem alluit. Plin. lib.5.cap.5. ſed eam obliuionis inducendæ naturam non fert. Sed ne ex letho bibiſſe videamur, recolamus alia.

Sylia fluuius innauigabilis.

PH. Recolamus autem alias fluuiorum naturas: & imprimis occurrit Sylia fluuius. Strabo de illo lib.15. ſcribit, Seres alluere, eumq; prorſus nihil admittere: nec quidquam in illo ſupernatat: omnia enim quamuis leuiſſima demerguntur, vt memorat Ramuſ. Tom.1. in ratiocinatione de Iamboli nauigatione: alluit is fluuius Polimbrotam Orientalium omnium extremam fere vrbem: porrigiturq; longitudine ad decem paſſuum millia, latitudo vero ad duo paſſ. mill. patet. Eſt igitur etiam innauigabilis, quod profundiſſimis aquis nec ipſa quidem nauigia ſuſtineantur. Eodem teſte.

TH. Si de nauigiis id ita eſt (quod non facile admitto) longe admirabilior fuerit res huiusmodi: nam forma eſt, quæ efficit, vt nauigia ſupernatent, non leuitas: arte enim id efficitur, vt ferrum, plumbum, æsque omne, quod ſuo pondere mox mergitur, cum excauatum fuerit ſupernatat, vt tradit S. Auguſtinus de tempore ſerm.47. quod ſi in Sylia naues non ſuſtinentur, artem ſuperabit natura. At naturam ſimul & artem ſuperabunt fluuii quoque non illi tantum, ſi conſtans fides in homine floreat: demergentur leuiſſima, ſupernatabunt fluuio grauiſſima: quandoquidem Eliſæus ſecurim in profluentem delapſam iuſſit ab imo in ipſam vsque ſuperficiem enatare, 4. Reg.c.6. ſed id & ad miraculum & ad myſterium ſpectauit: ferrum illud humanum genus fuit delapſum non in Iordanem, ſed in infernum; vnde Chriſtus, quem Eliſæus ſignat, iuſſit è profundo emergere, & ſaluum fieri, vt Auguſtinus tradit de tempore, ſerm. 210. ſed ſequamur quæ ſuperſunt de fluuiorum naturis.

PH. Mæan-

PH. Mæander tanta vi eſt præditus, quanquam non ingens fluuius, vt maritima littora ipſe valeat immutare, impotens potentiſſimum exiguis viribus deuincit. Ex ipſo enim tantum lutum fluit, vt in littus illatum aggeſtu introrſus in mare pertrahatur; littoraq; ipſa etiam introrſus protendantur: vnde factum eſt, vt Pryene, quæ olim littori adiacebat, in mediterraneis à littore hodie diſtet ſtadiis plurimis: iamque Strabonis tempore 40. ſtadiis diſtabat ipſo teſte lib.12.

EQ. Eſt & in fluuiis ſuus dolos, quo impotentes valent: ita enim mari illudit Mæander, quin illudit omnibus anguium more: cum enim oriatur è lacu in monte Alacrene, plurimisq; effuſus oppidis, repletis etiam fluminibus crebris ita ſinuoſis flexibus meat; vt ſæpe credatur reuerti. Plin.lib.5.cap.29.

PH. At non erit dolus in Arari fluuio; tametſi incognitum ſe eſſe aliquib. præbeat: ſed erit prudentium hominum ſecretis moribus comparandus: qui tametſi ſua non prodant conſilia; non tamen fallunt quemquam, nec doloſi ſunt: tradunt Ararim flumen tanta lenitate fluere, vt oculis vtram in partem fluat iudicari non poſſit: is in Rhodanum influit. Cæſar commentariorum lib.1.

EQ. Strymon fluuius, qui Macedoniæ terminus eſt, ſtatim atque oritur, priusquam curſum dirigat, ſeptem lacus efficit: comparandus certe iis imprudentibus, qui de rebus magnis conſilia ipſo initio, priusquam rem aggrediantur, aperiunt: neque poſtea rem conficiunt, nam ille effuſus in eos lacus non fluit vlterius. Plinius lib.4. cap.10. atque ita fit, vt Græcus fluuius contrarius omnino ſit Latino fluuio Pado, qui vbi deſinit, ſeptem lacus efficit; confectum enim negotium æquum eſt aperiri omnibus: adeo autem contraria ſibi inuicem ſunt Græcorum & Latinorum ingenia, vt quæ Latinis ſapientia in ſenectute, & poſt rerum exitum fit, Græcis in iuuentute luxurioſius videatur adoleſcere, ſed numquam ad veram frugem, rerumque exitum perueniunt. *Græci enim ſemper pueri, numquam ſenes:* vt dixit Plato in dialogo de anima, & ex illo Clemens Alex. ſtromat.lib.1.

Contraria Græcorum & Latinorũ ingenia.

TH. Argute ſane: nam Latini ætate proficiunt, Græci ætate deficiunt, vel ipſo Platone teſte: ſed proſequamur alia. Illud eſt valde admirabile, quod de Hircaniæ fluminibus memorat Strabo lib.11. Sunt mari alta littora exciſis rupibus prominentia, cum autem flumina ex ipſis cautium cacuminibus in mare furentia deſiliant, maximum inter rupes & mare ſpatium ſuo caſu præterlabuntur: adeo vt ſub cadentibus aquis gentes intactæ aquis ſubambulent, velut ſub fornicibus: non equidem paucis id accidere poteſt, ſed integris exercitibus. Idque & ad maximas incolarum delicias natura inſtituiſſe videtur, quod cenſuit etiam Ramuſius tomo 1. Perſimile tamen accidit in Africo littore flumini, cui Nigro nomen eſt, influit quidem in mare oſtio, cui nomen Colle: ex alto autem adeo præceps ruit è monte prealto, præciſoque, vt ſub eius aquis, quæ ſe in longum ad caſum porrigunt, tutiſſimus ſit transitus. Ioannes de Barros hiſt.dec.1.lib.3. vt ita recte quisque iure affirmare debeat, inambulare alicubi poſſe ſub aquis & maximis, & vehementibus etiam ſiccis pedibus & veſte: ſed hoc cum ad delicias ſpectet, ſaltem delectat commemorare. Econtra vero quando cum fragore ſuo ruentes fluuii deterrent accedentes homines, ipſi ad pœnam accolarum, aut pertranseuntium magis conditi videntur, quam ad vllum cõmodum; veluti obtigit fluuio Trochletæ Aquilonari in Noruegia, ruit is ex alto tanto impetu, horridumq; non ſonitũ, ſed fragorem adeo magnum in modum cadens edit, vt ad paſſuum millia 20. exaudiatur: haud dubie iis, qui propius degunt, ſit perennis pœna. Olaus lib.2.cap.18. & alii. Habet autem

aliquid deterius Beca fluuius in Liuonia, qui cum præcipiti lapſu è ſcopulis ruat in Oceanum, tantum ſonitum, fragoremq; emittit, vt ſenſim homines reddat ſurdos. Ortellius in Liuonia.

EQ. Antequam abeamus, quid ſit ſentiendum optarim noſſe de fluuiis, quos ſanguinem fluiſſe tradunt.

PH. Id ad prodigium pertinuiſſe vel priſci putauerunt: nam in Sudertano agro per diem totam fluxiſſe ſanguinem riuum tradit Liuius Dec.3.lib.6.

Fluuii qui ſanguinem fluunt. Dei iram ſubindicant.

TH. Dei iram id ſubindicat: verſi ſunt enim Ægypti fluuii in ſanguinem, Regis eorum Pharaonis ſceleribus ita exigentibus. Exod. 7. magnoque id myſterio factum, vt Auguſtinus explicat de temp. ſerm. 87. *Quod aquæ* (inquit) *fluminis vertuntur in ſanguinem, ſatis conuenienter dicitur: vt fluuius, cui Hebræorum paruulos crudeli nece tradiderant, auctoribus ſanguinis poculum redderetur, & cruorem polluti gurgitis, quem parricidiali cæde maculauerũt, potando ſentirent.* Hæc ille doctiſſime, vt ſemper. Reuera igitur numinis irati index eſt, cum riuus ſanguinem fluit: id accidiſſe memorant Leone Pont. I. Tholoſæ, tota enim die ſanguis fluxit largiſſimo riuo, vt Segebertus & Genebrardus tradunt: quo tempore quis neſciat Gottorum irruptiones omnem orbem cladibus affeciſſe?

Zeneu fluuius auro ſcatens.

EQ. Pro colophone illud adiiciam: admirandum illum eſſe fluuium orbis noui, cui nomen eſt Zeneu, non procul ab Inſula Carthagena: tradunt auro magis ſcatere, quam piſcibus: pluuiis quidẽ augeri; ac deferre lapides torrentis modo: ſed aureæ glebę ſunt ſæpe gallinacei oui magnitudine: tum igitur accolæ retia in ipſum amnem demittunt, expiſcantes magis aureas glebas, quam piſces. Peti. Hiſp. p. 5. c. 12. 13. atque ita non piſcium piſcatio eſt, ſed auri.

Eſt quoq; cõmemorandus Lyceſius Thraciæ fluuius, cuius aquas qui biberint, reddi ebrios adnotauit Bocatius, ſicut & alio flumine, cui Lynceo nomen eſt, quis quis minus moderate bibit, titubare non aliter videtur, quam qui vino ſe nimio ingurgitarit, vt idem Bocatius memorat.

TH. Vnde autem accidit, vt fluminis aqua, quæ fluendo ſolet erpurgari, & fieri leuior & mundior, olei vim retineat? Nam legi Lyparim Ciliciæ fluuium, ſi quis in eo natet aut lauetur, perinde inungi, ac oleo aut adipe, vt Bocatius ait.

PH. Humoris vnde ſcaturit is fluuius, pinguedine multa id ſit, vnde tametſi fluendo minuatur, abſtergi tamen tota non poteſt.

EQ. Abſoluendum volo noſtrum hunc ſermonem: ſed duo adhuc fluuiorum memorabilia recenſenda velim: primum equidem in Perſide, quanquam ibi lenes ſpirent auræ, Straga tamen flumen maximum adeo vi niuium congelaſcit, vt ſolidi ſaxi modo viam præbeant transeuntibus; quod Bocatius tradit. Alterum eſt, quod Tanais Borealis fluuius à Scythis longiſſimo curſu in Mæotidem paludem ruens adeo longe lateque eam ampliat, vt prægrandis mons ab ignaris exiſtimetur, eodem Bocatio teſte.

LACVS.

COLLOQVIVM DVODECIMVM.

EQVES.

EST proxima in valle lacus eximius, ad quem nobis hodie accedendum eſt: fuerat is antea ſcaturiginum colluuies, alga, & arundinibus locus refertus: at non paruo labore, ac ſumptu, vt defoderetur, elapſis annis incubui: plurimo itaq; egeſto limo in vnam omnes conuenere ſcaturigines; & ne à ripis humus in eum rurſus deflueret, circumduxi parietem non breuiorem paſſibus mille; patet enim lacus recta quaque verſus linea paſſus trecentum, & eo amplius: gradus quoque marmoreos perpetuo ambitu denos extruxi, quibus in ipſum deſcenditur tum lotionis, tum piſcationis cauſa, nauiculis quibusdam, ac retibus ad eam rem ibi paratis. Antra quædam ipſo in margine teſtudinibus exædificata ſunt, vt occultius quisque lauari poſſit, cum ita opportunum duxerit: & vt ex ſummo margine ludi, piſcationes, piſcesque excurrentes, aues quoque innumerabiles ſupernatantes liceat iucunde ſpectare; hemicyclum duxi ex marmore, podiumque conſtruxi, marmoreisque ſedilibus exornaui, fornice non parua ſuperſtructa: vnde etiam omnes laci margines proſpectantur, cum in circularem perfectam formam eum effecerim.

PH. Ornatiſſima res eſt, & viſui periucunda; & quæ nos etiam inuitet ad conſidendum, & proſpectandum: nunquam tamen memini arte cõfectum lacum me vidiſſe, in quem gradibus vndecumq; deſcenderetur: at legi in Dacia lacum eſſe ripis adeo vndequaque abruptis, vt nonniſi ſcalis in eum deſcendi poſſit, eiusque ſalſam aquam eſſe, vt tradidit Strabo lib. 12. ſed id natura ipſa conſtruxit, non autem ars vlla.

EQ. Ego vero cum legiſſem apud Melam de Mæri lacu, ad hunc extruendum excitatus ſum: ſcribit enim lib. 1. cap. 5. *Mæris aliquando campus, nunc lacus viginti millia paſſuũ in circuitu patens, altior quam vt ad nauigandũ magnis onuſtisq; nauibus ſatis ſit.* Hæc ille: ſed explicatius tradidit Plin. lib. 5. c. 9. his verbis: *Inter Arſinoitem & Memphitem lacus fuit circuitu 250. mill. paſſuum, aut, vt Mutianus tradit, 450. millium, & altitudinis 50. paſſuum manufactus à Rege; qui fecerat, Maridis appellatus.* Hæc ille. Fecerat igitur ille pro opum ſuarum portione, quod Eques illum imitatus exiguis opibus feci: ſcio alios lacus ingentes manu factos.

TH. Memini alterum lacum legiſſe me manu factum in eadem Memphite (Ægyptii enim ſemper ædificiis ſupra reliquos orbis Principes ſtuduiſſe comperti ſunt) Iouius huiusmodi rerum ſcrutator ſolertiſſimus hiſt. lib. 18. ſic habet: *Cayro (olim Memphis fuit) non longe ab Regia lacus eſt aqua ex Nilo corriuata manufactus: eum ædificia miræ pulchritudinis vndique claudunt, ſummaq; eſt eius loci amœnitas, quum & piſcari, & auibus, quæ in lacu innumerabiles degunt, inſidiari ex ipſis etiam feneſtris liceat: ſed huncalius nobilitate ſuperat figuræ triquetræ lacus in extrema huius noui Cayri regione, quæ Bulachum reſpicit, is per emiſſarium lapidei operis, vbi ferreæ ſunt catharactæ, creſcente Nilo impletur, etiam latiore canali fluuio commiſſus nauiculas admittit, quibus interdiu, noctuque qui lætiorũ vitæ genus colunt, & amoribus vacant, peruehuntur. Domus ad elegantiam firmæ omnes ipſa fronte lacui imminent, quarum veſtibula perpetuo podio, & marmore leuigato*

circumſtratis marginibus decorantur. His cymbas errantes, ludibundique admouent, effuſamque ad captandas auras virorum ac mulierum multitudinem citharis, muſicisque concentibus ſalutant. Atq; hæc quidem Iouius de lacu manufacto; ſed nobis ſtudium non eſt ea admirari, quæ ad humanarum rerum corruptelam facta ſunt: ſed ea tantum, quæ & humanæ proficiant vtilitati, & præcipue diuinam maieſtatem attollant; quæ in lacis plurimum elucet, non minus quam in pelagis: quamobrem omiſſis, quæ de ſtagnorum ædificiis ex ſcriptoribus afferri poſſent in ſermones, colloquiaque noſtra; de propriis eorum naturis tantum agamus: de eis enim non pauca ſuppetere poteſt dicendi materia. Et ſane natura admirandos quoſdam fecit, cuiusmodi ille ampliſſimus eſt, de quo Iouius hiſt. lib. 18. Longe maxima (inquit) toto orbe palus aquæ dulcis ea eſt, cui Saphæ nomen eſt; ſpatioſis enim littoribus tria attingit regna, eaque affatim omni piſcatione fœcundat & replet, Gogianum ſcilicet, & Beghemedrum, quod eſt ab ortu Solis, & ab occaſu Dambaiū. In hac palude amplius viginti Inſulæ numerantur incolis frequentes & multis cultæ ædificiis, in quibus turrita templa, & luculenta ſacratorum hominum cœnobia eminent: multi enim religionis & tranquilli otii cauſa ab humanarum rerum commercio, & veſtigiis profanæ multitudinis in eas Inſulas ſe ſubducunt: vna præ cæteris maior, atque munitior à Rege pro carcere ſeruatur, in quam noxios & rebelles relegare conſueuit. Hæc ille: & certe forte is lacus etiam natura factus eſt, licet vndique marmore ſit manu circumſeptus æquali menſura. In medio autem ingens pyramis locata à Chebremo Rege Ægyptio: eſt enim ampliſſimus, & vt cenſeo, artis auxilia non pauca profunditati aquarum conſtruendæ acceſſere. Herodot. lib. 2 cap. 10. Si quis autem optet noſſe, quæ omnium paludum in orbe ſit maxima, aut certe Mæotis in Aſia erit; aut certæ Saphæ, in quam Nilus influit, de qua ex Iouio diximus.

EQ. Ego de eis plurima legendo didici, formas, naturasque perſcrutando, atque imprimis cum depreſſiora loca quæramus ad aquarum colluuies colligendas (ita enim lacus & ſtagna, tum arte, tum natura plerumque fiunt) attamen etiam in ſummis montium apicibus lacus eſſe, pluribus locis compertum eſt. Solinus etenim cap. 58. *In Fortunatis* (inquit) *Inſulis, quarum prima videlicet nomen eſt Ombrion, iuga montium ſtagnis madeſcunt.* Ita ille: Plinius tamen non pluribus, ſed de vno tantum ſtagno meminiſſe videtur lib. 6. c. 32. *Inter fortunas* (ait) *Inſulas prima eſt, quam Ombrion vocant, memorabilis eo ipſo, quod in montibus ſtagnum habeat.* Miratur igitur tum Solinus, tum Plinius in montibus ſtagna reperiri, quanquam latitudinem neuter aperiat.

PH. Recentiores, qui nouum orbem perluſtrarunt, commemorant in Hiſpaniola Inſula in ſummo prææalti montis cacumine lacum eſſe ambitu trium millium paſſuum patentem, peroptimis refertum piſcibus. Petr. Mart. ſumm. At maioris ambitus lacum Franciſcus Aluarez tradidit in Æthiopia compertum eſſe in regno Fatigar. In ſummo etenim excelſi montis vertice ſcribit lacum eſſe circuitu patentem ad paſſuum duodecim millia. Sunt & alia in Italia, præcipue vero commemorabilis qui ſpectatur in monte Gargano nitidiſſimis aquis, ſapidiſſimis piſcibus, vt Leander memorat. In vlteriore Hiſpania mons valde excelſus eſt, vt Bocatius memorat, cui nomen Canatus, in cuius vertice lacus ſummæ & inexplicabilis profunditatis, colore niger; in quem ſi quis lapidem vel durum aliquid iniecerit, magna protinus oritur tempeſtas. Lucius Marinæus Hiſp. lib. 1. in fin. & Bocatius in

Ex lapidis iactu tempeſtas orta.

monte

monte Canato:ſunt tamen alii eiusdem naturæ laci, de quibus poſtea pluribus.

EQ. Admiror igitur aquarum illas ſcaturigines aſcendere ad ſublimia, non autem ferri ad decliues locos, ſicuti proprium omnium aquarum eſt, idque arte effici iam non eſt admirandum, cum vbique id arte fiat: ſed admirari oportet huiusmodi naturæ vim.

PH. Ars quidquid ad aquarum aſcenſum efficere conata eſt, ab ipſa primum natura didicit, quam imitatur: obſtructio enim locorum omnium, vnde aqua deriuare poſſit, efficit, vt aqua intra occulta montium viſcera reſtagnetur, & conſiſtat, donec reſpirare aliqua parte poſſit. Cum igitur in ſummis montium verticibus aliqua quandoque reſpiratio adaperiatur, aerque inde primum vehatur, quaſi fiſtulis vt exeat, & aquam ſecum comitantem trahat neceſſe eſt, atque ita fit, vt niſi alio per magnam aliquam vim aqua illa retrahatur, eo ſemper fluxura ſit aereo ſpiritu ſemper eam quaſi comitem trahente. Vnde cum in patentem montis campum, verticemque perueniens manarit, ſi non habeat, qua tota diffundatur, eam ſtagnari neceſſe eſt, atque ita fit lacus. Fiſtulis enim aqua ducitur, quo velis, vti docet Plin. lib.31. cap.6. Piſces vero in eo generari ſapidos, aut innoxios, non aliter contingit, quam in reliquis ſtagnis, ſeu lacis, pro ratione ſaxi, limi, ſalis, aut alterius cuiusque rei.

EQ. Sed non omnes lacus piſces habent. Scribit enim Ælianus hiſt.anim. lib. 2.cap 36.in Phæneo lacum eſſe, qui nullos piſces habeat.

PH. Ariſtoteles Meteorum lib.2. cap.3. rationem adfert; tradit enim, in Palæſtina lacum eſſe vehementis amaritudinis, atque ſalſedinis, in quo nullus extet piſcis, quod ibi nullum ſit ſubtile nutrimentum. A nutrimento igitur vel abundat vel deficit piſcium conſeruatio. Propterea Puteolis lacus Auernus piſces non habet, idque à nimia profunditate effici putatur, ſimul & ſulphure, tetroque odore. Plinius enim lib.31. c.2. ſcribit ex Cælio Auerno in lacu folia imum petere; & ex Varrone etiam aues, quæ aduolauerint, emori. Leander eadem ex Nonio Marcello, atque aliis: adiicitque id accidere tum à ſulphureis venis pluribus, vnde piſces enecantur, tum à nimia profunditate; excedere enim trecenta ſexaginta cubita, & ideo piſces ibi naſci nigerrimos, & breui mori teſtatur ex Bocatio libro de lacis. Attamen Roberti Regis Hieruſalem tempore magnam piſcium mortuorum multitudinem eiecit in margines: fœtidi erant omnes, atque ex ſulphure redditi nigerrimi. Bocatius.

Lacus ſalſi & amari piſces non ferunt.

TH. Iſidorus lib.13. cap.19. de eodem Auerno meminit in hunc modum: *Auernus Campaniæ lacus eſt, vocatus, quod aues ibi ſuperuolitare non poßint: nam antea ſyluarum denſitate ſic ambiebatur, vt exhalans inde per anguſtias aquæ ſulphureæ fœtor grauißimus ſuperuolantes aues halitu ſubnecaret: quam rem Auguſtus Cæſar intelligens, deiectis ſyluis, ex peſtilentibus amœna reddidit loca.* Hæc ille. Et quamquam Strabo lib.5. non probet hoc, quod de auibus aſſeruit Varro: ſicut etiam experimento negat Ortellius, & Georgius Bruin in Campania, Lucanus tamen carmine id expreſſit lib.6.

Principio quod Auerna vocant, non nomen id abre
Impoſitum eſt, quia ſunt auibus contraria cunctis.

EQ. Redeamus ad Palæſtinę lacum, quem ex Ariſtotele recenſuimus, Aſphaltidem eſſe puto, in quo piſces non poſſe ali diximus; neque enim alius lacus eſt in Palæſtina, cui hoc proprium ſit. Strabo appellauit Sirbonidem, in quo olim fuiſſe

vrbes tredecim, ac præcipuam Sodomam ambitu ſtadiorum ſexaginta, cuius ad-
huc viſuntur veſtigia, id tradidit lib.16.

TH. Is eſt dubio procul Aſphaltides, cuius originem libet commemorare mi-
raculi cauſa: Ipſo Abrahæ Patriarchæ tempore vallis ſylueſtris nuncupabatur, fre-
quentes in ea erant putei bituminis, poſtea vero ductum eſt mare ſalis Moyſis tem-
pore, cuiusmodi de hiſce rebus ipſe ſcribit Geneſ. capite decimo quarto. Cum igi-
tur ob infanda crimina vallis illa deleretur, (vno Loth Dei ſeruo erepto) in mare
conuerſa eſt, cum potius in lacum dicendum ſit, Geneſ.19. deque eo meminere o-
mnes fere, quotquot Aſiaticas hiſtorias conſcripſere. Nam (vt audiuimus) de eo
Ariſtoteles meminit, & Strabo, præcipue vero Ioſephus illarum regionum accola,
& inſignis hiſtoricus de eius laci miraculis doctiſſime ſcribit his verbis de bello Iu-
daico lib. 4. & 5. *Aſphaltides lacus ſalſus quidem ac ſterilis eſt, nimia vero leuitate, & quæ
grauiſſima ſunt, in eum iactata fluitant: demergi autem quis in profundum nec de induſtria
facile poteſt. Denique Veſpaſianus eius viſendi cauſa venerat, iuſſit quosdam natandi inſcios,
vinctis poſt terga manibus, in altum proiici, & euenit omnibus, tanquam vi ſpiritus ſurſum re-
pulſos deſuper fluitare. Ad hæc mirabilis eſt coloris mutatio, quæ ter in ſingulos dies ſuperfi-
ciem vertit, & Solis radiis variata reſplendet; multis autem locis vomit nigras bituminis gle-
bas, quæ ſuper vndam & habitu & magnitudine tauris ſine capitibus aſſimiles natant: ad eos
autem lacus exercitores cum acceſſerint, nacti quod aggeſtum eſt, ad naues trahunt, & quia
lentum eſt, repletas eas abrumpere nequeunt, ſed quaſi religata ſcapha pendent à cumulo, do-
nec menſtruo mulieris atque vrina ſoluatur: eſt autem vtile non modo ad compagines nauium,
ſed ad corporum etiam curationem multis remediis admiſcetur.* Hæc ille. Sed Ægeſippus,
qui non longe abfuit ab Ioſephi ſeculo, cum de excidio Hieroſolymitano hiſto-
riam conſcripſiſſet, de eodem lacu eadem & nonnulla inſuper miracula alia me-
moriæ prodidit, cuius etiam diſertiſſima verba libet adferre: ita enim ille lib.14. cap.
18. *Ex Aſphaltide, quæcunque mergenda putaueris viuentia reſilire opinio eſt, & quamuis ve-
hementer alliſa ſtatim excuti. Aqua ipſa amara eſt & ſterilis, nihil recipiens generum viuen-
tium, denique neque piſces, neque aſſuetas aquis, & lætas mergendi vſu patitur aues, lucernam
accenſam ferunt aquis ſupernatare ſine vlla conuerſione, extincto demergi lumine, & quam-
uis demerſum arte quod viuat, difficile in profundo hærere. Denique Veſpaſianum ferunt præ-
cepiſſe nandi ignaros reuinctis manibus in profundum deiici, eosque omnes ilico ſupernataſſe,
quaſi ſpiritu quodam venti leuatos, & ad ſuperiora vi magna repulſos reſiliſſe.* Ita ille. Atque
his teſtibus miracula hæc confirmaſſe ſufficiat.

PH. Plinius ſi non omnia afferat, habet tamen aliquid, quo confirmari etiam
dicta poſſint: libro etenim 2. c.103. teſtatur, nihil in Aſphaltide Iudææ lacu, qui bi-
tumen gignit, mergi poſſe; ſed lib.5.c.16. *Aſphaltides* (inquit) *nihil præter bitumen gi-
gnit, vnde & nomen, nullum corpus animalium recipit, tauri camelique fluitant, inde fama,
nihil eo mergi; longitudine excedit C.M. paſſuum, latitudine maxima 25. implet minima ſex.*
Atque ex iis ſenſiſſe etiam Plinius coniectatur, piſces in eo non gigni. Solinus
quoque c.36. ſic habet: *Bitumen gignit Aſphaltides lacus Iudææ adeo lentum, & mollitie
glutinoſa, vt à ſe nequeat ſeparari: enimuero ſi abrumpere velis partem, vniuerſitas ſequetur,
ſcindique non poteſt, quoniam in quantum ducatur extenditur; ſed vbi admota fuerint cruore
muliebris menſtrui polluta fila diſcerpit ſponte, & applicata tabe diducitur paulo ante corpus
vnum, fitque de tenacitate connexa contagione partitio repentina.* Ita ille.

EQ. Iſidorus & ipſe non eſt prætermittendus: lib. enim 13. c.19. Lacus (inquit)
Aſphaltis, id eſt, mare mortuum vocatum, propter quod nihil gignit viuum, nihil
reci-

recipit ex genere viuentium. Nam neque piſces habet, neque aſſuetas aquis, & lætas mergendi vſu patitur aues, ſed & quæcunque viuentia mergenda tentaueris, quacunque arte demerſa ſtatim reſiliunt, & quamuis vehementer illiſa, confeſtim excutiuntur: ſed neque ventis mouetur reſiſtente turbinibus bitumine, quo aqua omnis ſtagnatur, neque nauigationis patiens eſt, quia omnia vita carentia in profundum merguntur, nec materiam vllam ſuſtinet, niſi quæ bitumine illuſtratur, lucernam accenſam ferunt ſupernatare, extincto demergi lumine; longitudo eius ſtadiis ſeptingentis octoginta, latitudo ſtadiis centum quinquaginta. Hæc ille: cum quo & Bocatius. At lib. 16. c. 2. de eiusdem laci bitumine iterum ſcribit Iſidorus: Bituminis, (inquit) quod à lacu Aſphaltide emergit, natura ardens & ignium cognata eſt; at neque aqua, neque ferro rumpitur, niſi ſolis muliebribus inquinamentis, vtilis ad compages nauium. Hæc ille.

Sunt autem comperti præterea alii bituminoſi laci ab iis, qui nouum orbem perluſtrarunt. Ouet. hiſt. lib. 17. c. 8. tradit, eſſe inuentum in orbe illo in prouincia Venezuola. Alium memorant auctores non procul à Babylone à Traiano ſpectatum, ex cuius bitumine muri Babylonici ædificati, & cuius tanta vis eſt, vt muros quouis ferro ſolidiores faciat, vt Dion ſcripſit, ex quo Xiphilinus in Traiano.

PH. Legi alios etiam miraculo emerſiſſe repente lacus ob hominum ſcelera. In Etruria etenim iuxta Collenſe oppidum lacus eſt miraculo factus: cum enim ſanctus Cerbonius Epiſcopus Maſſanenſis apud facinoroſum hoſpitem quendam diuertiſſet, nulliſque adhortationibus hominem ad mentis ſanitatem conuertere valuiſſet, ab eo diſceſſit, ac mox domus ipſa cum hoſpite, ac neceſſariis omnibus, vniuerſaque ſupellectili demerſa eſt repentino hauſta hiatu, emergenteque lacu, cuius illud proprium memorabile eſt, vt quodcumque lignum iniectum imum mox petat, neque vnquam emergat, piſcibus eſt perpetuo deſtitutus. Leander. Eſt præterea in eadem Thuſcia non inde valde procul lacus alter, qui ob Gomorrhæum vitium, quo quiſpiam ibi laborabat, hiatu repentino emerſit, hominem cum tota domo demergens. Leander.

TH. Ira igitur Dei ſcelerum vindex ſemper indidit aliquid memorabile lacis huiusmodi: nam is, quem diximus apud Collenſe oppidum, velut atramentum eſt tetrum, vel ipſo Leandro teſte: vnde commemorare libet ſæpe Aſphaltidis illam deterrimam aquarum ſtagnantium colluuiem. Suppetitq; memoria apud Veſtrogotos alium eſſe memorabilem: eſt ibi lacus ſtagnumve multis paſſuum millibus patens, nihil niſi limum in eo eſt, graminibus fruticibusque contectum, in illum ſiue pedes, ſiue eques, aut quodcunque animal ingrediatur, demergitur à limo ſuffocatus: ſuperfluunt aquarum riuuli multi, nullaque alia induſtria transmitti ſtagnum illud poteſt, quam pontibus prælongis, qui numerantur ad quadraginta in Labyrinthi forma inextricabili fere arte compoſiti, vt tradit Olaus lib. c. 19.

PH. Habent laci etiam ſibi proximi diuerſas rerum & aquarum proprietates, velut exempli gratia: In Hybernia Inſula prope Foneram tres laci ſunt ſibi inuicem proximi, in quibus ſingulis ſingulæ piſcium quorundam ſpecies tantum viuunt, quod ſi vnius ſpeciei & laci piſcis in alium forte deferatur, aut moritur, aut per riuulos, qui interlabuntur lacis ipſis, in proprium lacum reptans redit: retulit ex Giraldi hiſtoria Ortellius in Hybernia. Simile quidpiam habet Arethuſa, ipſe lacus commemoratione dignus, de quo iam alias ex Solini cap. 38. differuimus, ſed repetere pluribus delectat: *Arethuſa* (inquit) *lacus omnia pondera ſuſtinet, huius piſces nun-*

nunquam ſe alueo Tigridis fluuii immiſcent, neque amnici piſces in ſtagnum transeunt Are-
thuſæ; quod tamen pluribus explicat Plin.lib.6.cap.27. *Arethuſa* (inquit) *omnia illata*
pondera ſuſtinet, & nitrum nebulis exhalat: vnum ei genus piſcium eſt, idque transcurrentis
influentisque Tigridis non miſcetur alueo, ſicut nec è Tigri piſces in lacum transnatant.
EQ. Strabo hunc lacum non Arethuſam, ſed Arſaniam nuncupat, lib.11.
PH. Tres ſunt laci Armeniæ, quos influit Tigris, alteri (vt iam diximus) no-
men Arethuſa: at vbi occurrente Tauro monte Tigris in ſpecu mergitur, influit
lacum Theſpicem, de quo nullum commemorare libet miraculum. Tertius eſt
Arſanias, quem Ariſtoteles libr. de admir. cap.51. Aſcanium corruptione nominis
appellat, traditque nitroſum eſſe, eiusque aquam adeo veſtes emundare, vt nulla
alterius egeant purgatione, quin ſi diutius in aqua eas quispiam reliquerit, eas eua-
neſcere. Quod etiam Strabo lib.11. affirmat, videlicet Arſaniæ laci aquis veſtes non
tantum purgari, verum etiam abſumi. Quin addit quoque, Tigridem huic lacui
ſuperfluere, nec laci aquis vlla parte immiſceri. Plinius etiam lib.9. cap.27. ait, Ti-
gridem vicinum Arſaniæ fluere in regione Arhenæ, Claudius Cæſar auctor eſt, vt
cum intumuere confluant, nec tamen miſceantur, leuiorque Arſaniæ innatat 4.
M. ferme ſpatio. At Strabonem non ſequitur Plinius, cum ille aſſerat, Arſaniam
nitroſum lacum eſſe, quod Plinius omiſit.
TH. Seneca etiam prodit mirandæ naturæ lacum, vti ex eo tradit Vincen. hiſt.
natur. lib.5. c.44. Quidam (inquit) lacus ſunt, qui natandi imperitos ferant: id e-
nim notum eſt; eſt etiam in Syria ſtagnum, in quo lateres natant, & mergi proiecta
non poſſunt, licet grauiora ſint, ſed mea quidem ſententia de Aſphaltide Seneca i-
pſe ſentire videtur, cum Syriæ ſtagnum eſſe dicat, natur. lib.3 c.25.
EQ. Sunt & qui in Africa lacum alium eſſe affirment, Apuſcidamum nomi-
ne, in quo omnia fluitant, nihil mergitur. Plin. lib.31. cap.2. quod etiam tradit Iſido-
rus lib. 13. c. 13. Sed quid externa quærimus Aſiæ aut Africæ miranda, noſtro hoc
Europæ cœlo non deſunt iam dictis æqualia, quin maiora, quandoquidem laci
ſunt habentes Inſulas nauium more fluitantes, id habet Mela libr.2. cap. 3. In Gal-
lia (inquit) Narbonenſi Salſulæ fons, non dulcibus aquis defluens, ſed ſalſioribus
etiam quam marinæ ſunt, iuxta campus minuta arundine graciliqué peruiridis, cæ-
terum ſtagno ſubeunte ſuſpenſus, id manifeſtat media pars eius, quæ abſciſſa pro-
ximis rebus, velut Inſula natat, pellique ſe atque attrahi patitur, quin & ex iis, quæ
ad imum perfoſſa ſunt, ſuffuſum mare oſtenditur, atque ita fit, vt in eo ſtagno et-
iam campus fluitet, non mergatur.
PH. In ipſa etiam Italia, in agro ſcilicet Reatino Cutiliæ lacus eſt, in quo In-
ſulam fluctuare M. Varro tradidit, Plinio teſte lib.3. c.12. cui accedit Macrobius Sa-
tur. lib.1. cap.7. qui ex eodem M. Varrone ſic habet: *Lacu Cutilienſi Inſula deprehenſa,*
ampliſſimus enim ceſpes, ſiue ille continentis limus, ſeu paludis fuit, coacta compago virgultis
& arboribus, in ſyluæ licentiam comptus, inſtantibus per omnem lacum fluctibus vagabatur.
Hæc ille. Sed huiusmodi Inſularum fluctuatio non eſt conferenda cum fluctua-
tione illa, quam de Chemni Inſula tradit Mela lib.1. c.5. In quodam (inquit) lacu,
non longe ab origine Nili, vbi nobis Antichtones, atque Antipodes, Chemnis In-
ſula lucos ſyluasque, & grande ædificium ſuſtinens, natat, & quocumque venti a-
gunt, pellitur.
TH. Hæc vno atque altero tantum lacu miracula fiunt, vt ſupernatent onera:
at ſanctis Dei omnes vbique laci onera ſuſtinebunt, vt iubentibus pareant. Sicut
enim

enim Eliſæi iuſſu ferrum, quod iam diximus, in ſummo fluminis enatauit, 4. Reg. cap. 6. ita & ſeruis Chriſti aliis contingit: nam ſanctus Benedictus conſimili virtute peregit ad Sublacum. Cum enim Gothus quidam vepribus abſcindendis operam nauaret iuxta laci ripas, ferrea falx, qua ad illud opus peragendum vtebatur, è capulo proſiliit in lacum, cuius eo loci profunditas tanta erat, vt repetendæ falcis nulla ſpes vlterius ſupereſſet. Falce igitur deperdita, Gothus tremebundus ad Maurum monachum cucurrit, ſuæ ignauiæ culpam accuſans, ac dolens. Quod cum Mauro monacho deferente Benedictus audiſſet, ad lacum ſe contulit, moxque falcem de profundo reſilientem ad capulum ipſum in ſuperficiem redire à Deo impetrauit. Hæc ex Gregorio dialog. lib. 2. cap. 6. Pedibus quoque ſiccis lacum inambulabant viri Dei. Chriſtus enim ipſe ſtagnum Genezareth inambulauit. Matth. 14. Marci 6. Ioannis 6. quod & Petrus effeciſſet, niſi in fide titubaſſet. Gratia igitur Dei poſt Petrum Mauro obedientiæ virtute freto contulit, vt lacum inambularet, ob quam obedientiam vnice à ſancto Benedicto diligebatur. Quin etiam quum aliquando ad hauriendam aquam Placidus abiiſſet, dimiſſo in lacum vaſe, veſtigiis infirmis à vaſe tractus in lacum dilapſus eſt, quem mox vnda rapuit, & à ripis eum abſorbens in vlteriores laci aquas attraxit, quod Dei reuelatione cum ſancto Benedicto innotuiſſet, Maurum celerrime aduocauit, iuſſitque, vt ad Placidi ſubmerſi ſubſidium feſtinaret. Is, benedictione percepta, ad patris imperium concite perrexit, eumque in locum, quo Placidus vndis obruebatur, per terras ſe proficiſci exiſtimans, ſuper aquas cucurrit, Placidumque per capillos arripiens, eodem quo aquam inambularat curſu rediit, Placido in tutum locum conſtituto, vt ſcribit Gordianus, eiuſdem Placidi ac Mauri neceſſarius, in vita S. Placidi, quod ex eo etiam tradidit S. Gregor. dialog. lib. 2. c. 7. Lacus igitur, quo omnia merguntur, omnia ſuſtinet pondera, ſi Dei ſerui id præcipiant. Sed de iis ſatis.

EQ. Sicut igitur ii, quibus natura dedit, vt in eis grauia ſubmergantur, ſeruorum Dei virtute naturam immutant, vt etiam grauiſſima ſuſtineant: ita econtra, ſi lacus ſit, in quo omnia etiam leuia ſubmergantur, & nihil innatet, ſerui Dei naturam huiuſmodi conuertent, quandocumque huiuſmodi miraculum fieri expedierit. Ideoque cum compertum ſit, in India ſtagnum eſſe, cui nomen Siden, & in eo, vt Cteſias tradit, nihil innatet, omnia ſubmergantur, Plinio teſte lib. 31. cap. 2. quod etiam Iſidorus tradidit lib. 13. cap. 13. & Bocatius, ac præterea alii etiam laci eiuſdem naturæ ſint, vt in eis etiam folia imum petant, de quibus etiam ratiocinabimur, quotieſcumque fuerit opportunum in Dei gloriam, & animarum ſalutem, efficient pii viri, vt etiam leuia immergantur, non ſecus ac grauia, rurſumque vt innatent & grauia ſimul & leuia quocumque cuiuslibet regionis lacu, quin etiam efficient, vt leuia ſubmergantur, innatent grauia: conuertendo enim naturæ opera in quaslibet velint vires, poteſtatem fidelibus Dominus dedit. Propterea cum iuxta Acraganta lacus ſit maritimæ aquæ ſalſedine comparandus, ſitque illi proprium, vt prorſus nihil in eo immergi poſſit, Strabone teſte libro ſexto, contra efficient viri pii, vt omnia in eo (ſi expediat) immergantur. Sed de iis ſatis.

Supernaturalis Dei virtus in pios mire operatur.

PH. Commemorandi modo ſunt quorundam ſtagnorum effectus naturæ, in quibus diuinæ Maieſtatis elucet potentia. Primumque de illo libet proloqui, qui humano generi perniciem adferret, ſi ex illo omnes biberent, velut vinum bibitur. Nam tametſi in vino ſit luxuria, vt ſanctus Paulus tradit Epheſ. 5. ideoque mode-

ratius ſit ſumendum: tamen in Bœotia lacus eſt, cuius epotæ aquæ ad Venerem ſtimulent. Iſidorus id tradit libro decimo tertio, capite decimo tertio: *Bœotiæ* (inquit) *lacus furialis eſt, de quo qui biberit, ardore libidinis exardeſcit*. quod etiam ex libro de natur. rerum. Vincent. tradidit hiſtor. natur. lib 5. cap. 44.

EQ. Præſtat igitur ab aqua hac abſtinere, quam vino, quod non niſi immoderatius ſumptum Venerem excitat.

PH. Prouidentia diuina peroptime conſuluit, vt extra cœlum hoc noſtrum lacus ille ſit poſitus, ne à multis quæreretur, cum tamen, vbi facultas eius bibendi eſt, non admodum ad potandum ab accolis quæratur.

TH. Eget hoc noſtrum cœlum Clitoriis aquis, quæ & vini tædium gignunt, & ideo etiam Venerem valent extinguere. Plin. lib. 31. c. 2. *Vinum* (inquit) *tædio veniré iis, qui ex Clitorio lacu biberint*, Varro tradit; eadem etiam ſcripſit Iſidorus libro 13. cap. 13. quo loco tametſi dicat Italiæ lacum eſſe: aut fallitur, aut corruptus locus eſt, cum pro Italiæ, Arcadiæ reſtituendum nomen ſit. Ouid. 15. Metamorph. carmine huius laci meminit:

Clitorio quicunque ſitim de fonte leuarit,
Vina fugit.

PH. Neſcio an expediat laudare, an damnare lacum huiusmodi: nam ſi *in vino veritas*, vt in prouerbio eſt, nihil aliud fieri videtur aquis huiusmodi, quam induci veritatis odium.

EQ. Eſt in vino veritas, quoniam ebriis effutire perfacile eſt, occulta quæque pandere, ſed & (obruto cerebro) caute loqui illis non licet. Itaque huiusmodi veritatis aſſertores proditores potius, quam veraces dicendi ſunt, atque ideo iure è Clitorio lacu porrigendi illi calices eſſent, vt ſobrietate vtentes & cautius loquerentur, & verius: præſertim quoniam vinum immodice ſumptum venenum potius dicendum eſt, vnde iure antidotum eius veneni peroptimum fuerint ex Clitorio lacu epotæ aquæ.

TH. Argute dictum. Verum agamus de venenatis ſtagnis, poſtea etiam de ſalubribus acturi.

Laci putridiſſimi.

PH. Sunt laci adeo tetro odore, vt ad eos quenquam accedere non permittant, cuiusmodi Gelonius lacus ſolo odore proximantes abigere ſolet. Solin. c. 10. Eſt & alius, cui nomen Crobſitaria, ex quo qui biberint, moriuntur, quin & ii quoque, qui eius aquis ſe lauerint, vt Bocatius tradit, qui adiicit, Amplanctum quoque lacum apud Lucanos adeo lethali odore eſſe, vt ſuperuolantes aues necet.

EQ. Vt ſolo odore perimens admodum exitialis eſt lacus hic, ita periculis pleni ſunt alii, de quibus agendum eſt, & primum de quo tradit Marcus Polus lib. 1. c. 17. Scribit is, in Chermain Perſidis deſerto lacum compertum eſſe, non admodum late patentem, cuius aquæ præuirides ſunt, ipſisque virentibus pratis concolores: amaras præterea ac ſalſas eſſe, quarum ſi vel guttula tantum ebibatur, gignere incredibile ventris profluuium; præterea cum ex eius aqua ſal conficiatur, ſi vel minimum eius ſalis granum quis ederit, eodem profluuio laborare eum neceſſe eſt. Hęc ex illo, idque occultiſſima ratione efficitur.

PH. Rerum occultiſſimas naturas inueſtigare non niſi longo vſu poſſumus. Si quis enim philoſophari iuxta eum locum percommode poſſet, inueſtigatu facilis foret ratio, vnde & ab aquis & à ſale profluuium gigneretur, frigiditatis ratio in profluuiis ventris præcipua eſt. Ideoque & in aquis & ſale eius ſoluendi vim eſſe facile

cile coniectari licet, quod ſal ille plurimum aquæ, ignis minimum habeat: ex igne enim & aqua ſal conſtat, vt memorat ſanctus Hilarius Commentario in Matth. canone 4.

EQ. Nec hoc venenum euidens eſt, forſitan nonnullis fuerit apertiſſimum remedium. Illud perniciosum duco, quando in lacu venenata ſunt animantia, à quibus ſibi cauere ſit perdifficile, ſicuti de Arabicis paludibus conſtat, quas anguibus refertas eſſe omnes prodidere. Solin. enim cap. 34. tradit, quascunque Arabicas paludes pennatos angues mittere, quo rum tam citum virus ſit, vt morſum ante mors quam dolor ſequatur. At econtra alius lacus eſt apud Petrenſes & ipſos Arabicos, qui ſerpentibus ſit noxius, homini vero ſit ſalutaris. Sol. c. 10. & ex illo Bocat.

TH. Eſt & in Media lacus Spauta, in quo ſal enaſcitur, ſtatimque congelaſcit, at ilico ſumptus dentes dolore afficit, corroditque plurimum, oleo tamen mitigatur; & quod eſt admirandum, cum ſalem gignat, ipſa tamen aqua dulcis eſt, ambuſtisque veſtibus ſuccurrit, ſi immergantur, Strabo lib. 11.

EQ. Salem è lacu ſcaturire plurimum contingit & aliis ſtagnis fontium modo, vt in Armenia lacus Mantianus aquis ſalſiſſimis & fontibus ſalis ſcatet, patetque propemodum, quanta eſt palus Mæotis, Strabo lib. 11. ſed maiore miraculo contingit differere de Æthyopicis lacis quibusdam peramplis, & inuicem proximis, ſunt ii in regione Lica, iuxta promontorium Pitolaum; alter igitur ſuauem potabilemque fert aquam, alter vero ſalſam. In eo, qui ſuauem habet, gignuntur hippotami, piſces equina forma, Strabo lib. 16.

PH. Adhuc à Strabone commemorare libet lacum, cui nomen Tatta. Fluit ex eo ſal vti à fonte, cuius aqua quæcunque aſpergantur, aut madeſcant, adeo facile ſalis formam accipiunt, vt ſtatim humor congelatus appareat, quin immerſus è fune circulus educitur ſtatim in corollæ ſalis formam: & quod longe magis admirandum eſt, aues ſi præteruolantes ſumma alarum parte aquam paulisper attigerint, itidem quaſi viſco captæ volandi vim amittunt, ilico congelatis ac ſale pennis conglutinatis. Strabo lib. 12. *Tatta lacus ſale fluens.*

TH Admirabilius commemoratur ſtagnum in Peruaco noui orbis, cuius aqua potabilis & ſuauis eſt, at ſolum imumque eius eſt è ſale albo ſtratum P. tr. Hiſpal p. r. 5. cap. 25. at in Hiſpaniola Inſula lacum eſſe aquis præſalſis, idem H. ſpal. p. 5. cap 3. & in fine. Et ſane in orbe nouo frequentiſſimi ſunt ſalſi laci: nam in Inſula Hiſpaniola aliquot ſalſi, aliquot dulces ſunt. Petr. Mart. ſum. Ind. Lacus ſalſus in Hiſpaniola, in prouincia Bainoa, triginta paſſ mill. longus, latus 12. adeo procellis commouetur, vt nauigia abſorbeat, & quod mirum eſt abſorpta numquam redduntur neque lignea, neque ipſa corpora defuncta, neque vlla natandi peritia prodeſt in huiusmodi naufragiis. Petr. Mart. ſumm. Ind.

Lacus vnus in orbe nouo diuiſus eſt dulcibus aquis ad Auſtrum, ſalſis ad Septentrionem, in dulci aqua quinque vrbes conſtitutæ ſunt, in ſalſa Mexicum ampliſſima omnium vrbs: ferunt eæ binæ aquæ laci alternatis vicibus procelloſis motibus, atque alterutrum ipſis ex oſtiis aquas communicant. Corteſ. 2. relat. & Alumn. Corteſii de reb. Temiſtitan Lacus totus patet ambitu ad centum viginti paſſ. mill. qui piſces ſunt in aqua dulci, ſunt maiores, eiusdem autem ſpeciei in ſalſa ſunt minores. Ibidem.

PH. Extat lacus Geluchalat in Georgianorum prouincia, patens ambitu centum paſſ. mill. & eo amplius, ſalſus: in ipſo monaſterium extat ſancti Leonardi.

Geluchalat circa quadrageſimas piſces habet, alias non.

In hoc lacu nullus vmquam toto anno piſcis comperitur, præter tempora quadrageſimalia: nam initio Cinerum vſque ad Paſchatis vigiliam refertiſſimus eſt ſapidiſſimis piſcibus: Paſchatis aduentu omnes piſces inde alio migrant. Marc. Pol. lib. 1. cap. 5. Sed & in Armenia ſalſus lacus compertus eſt longitudine ad paſſ. trecentum millia, latitudine maxima centum quinquaginta. Auctor incerti nominis, qui Perſidem luſtrauit, cap. 6. apud Ramuſ. Tom 2.

EQ. Et à Strabone libet etiam aliud proferre, non contemnendum: in regione Gadara ſcribit ille lib. 16. lacum eſſe, cuius aquam pecus quod biberit, pilis, vnguibus, ac ſimul etiam cornibus omnino deſtituitur.

PH. Hoc non eſt mundare corpora, ſed corrumpere & abſumere: ſunt tamen etiam laci, qui & emundent corpora miro modo, nihilque lædant; quidam vero etiam lædunt, libetque proferre eum, de quo Ariſtoteles de admiran. cap. 108. Scriptum (inquit) reliquit is Polycritus, qui res Siculas carminibus complexus eſt, in loco quodam mediterraneo ſtagnum quoddam eſſe exiguum, ambitum clypei habens, atque id aquam habere pellucidam, ac reliqua non turbulentiorem: ſi quis igitur ſe loturus in hoc deuenerit, in magnum ſpatium dilatatur, quod ſi rurſus alii multo etiam dilatatur, deniq; in tantum ſpatium, quantum ad capiendos quinquaginta homines ſufficiat, quem numerum vbi ceperit, rurſus ex profundo extumeſcit, corporaque ſe lauantium in ſublime extollit extra ſe in ſolum aridum, quod cum factum fuerit, iterum in prioris ambitus formam decreſcit, neq; in hominibus ſolum id efficit, ſed etiam ſi quadrupedes eadem de cauſa ingrediantur.

TH. Niſi quod vereor ſuperſtitioſam rem eſſe, admirarer plurimum: ille enim numerus lotioni præſcriptus ſuperſtitione non vacat, atque ideo figmentum poeticum eſſe nemo dubitabit, tametſi vel ipſe Ariſtoteles id commemorarit.

PH. At ſuperſtitione caret abſque dubio, quod Plinius habet lib. 2. cap. 103. Nam ceu admirandum tradit in Salentino iuxta oppidum Manduriam lacum eſſe ad vſque margines plenum, eumque neque exhauſtis aquis minui, neque infuſis augeri. Hæc ille. Id efficere ſolet ſubiecti ſoli ratio, ſicut mare ob ſubiectos meatus nullis fluminibus augeri poteſt, neque detractis minui.

EQ. Sed redeamus ad lacus, quorum aquæ corpora emundant.

PH. Mela lib. 3. c. 4. tradit, apud Macrobios lacum eſſe, quo perfuſa corpora quaſi inuncta pernitent, quin etiam addit, adeo liquidum eſſe, vt ex eo bibatur. Et (quod præcipuo miraculo haberi debet) adeo infirmum eſſe ſcribit, vt ad ſuſtinenda, quæ incidunt aut immittuntur, non valeat: folia etenim etiam proximis deciſa frondibus non innatant; ferre enim ea non poteſt, ſed paſſim & penitus abſorbentur: cui etiam Solin. cap. 32. ſuffragatus eſt, cuius hæc verba ſunt: *Apud Macrobios lacus eſt, quo perfuſa corpora velut oleo niteſcunt: ex hoc loco potus ſaluberrimus, ſane adeo liquidus eſt, vt ne caducas quidem vehat frondes, ſed ilico folia lapſa ad fundum demittat laticis tenuitate.*

TH. Si de aquarum emundatione loqui in animo eſt, quid poteſt admirabilius dici, quam id, quod de Probatica piſcina Euangelica lectione didicimus? de qua ſic habet Ioannes Euangeliſta cap. 5. *Eſt autem Hieroſolymis Probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraice Bethſaida, quinque porticus habens, in his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum. Angelus autem Do-[illegible] ſcendebat ſecundum tempus in piſcinam, & mouebatur aqua, & qui prior deſcendiſſet [illegible] nem aquæ, ſanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate.*

Hic

Hic lacus omnes totius orbis lacus virtute exceſſit: ſi aliquibus aquis mundantur vlcera, refrigerantur nimis calida, aut calefiunt nimis frigida, ſeu etiam exſiccantur humidiora, aut humectantur ſicciora: non tamen omnibus ægritudinibus medentur, vti huius piſcinæ diuina virtus fuit; virtutem etenim eam ibi ideo Deus adſcripſerat; vt Sacramentum Baptiſmatis præſignaretur, cuius aquis omnia crimina delerentur, & corporis incolumitates, quandocumque expediret, quiſq; conſequeretur.

EQ. Hoc docuit & beatus Ioannes Chryſoſtomus in explanatione illius 5. capitis Ioannis hom.35. *Probatica piſcina, &c. Quis* (inquit) *hic curationis modus? quid per hoc nobis myſterium ſignificatur? non temere, nec ab re hæc, ſed futura nobis tamquam imagine, & figura quadam deſcribuntur: ne res nimium incredibilis & inexpectata, accedente fidei virtute, multitudinis animos offenderet. Quænam igitur hæc deſcriptio? Futurum erat Baptiſma planum maximæ poteſtatis & gratiæ purgaturum peccata, pro mortuo viuum effecturũ, & mox huius aquæ natura per ſe non ſanabat, ſiquidẽ ſemper ſanaſſet, ſed dumtaxat, cum ab Angelo mouebatur: ita & in nobis non ſimplex aqua operatur, ſed cum ſpiritus gratiam accipit, omnia abluit peccata.* Hæc ille. Sed quia etiam corporum incolumitates ex Baptiſmatis lacu ſeu lauacro ſuſcipi dictum eſt, optarim id noſſe exemplo.

PH. Illud mihi occurrit, quod accidit Ottiliæ mulieri, quæ ob ſanctitatem piiſſime colitur apud Argentoratum; illa enim circa annum Domini 700. cæca à natiuitate in Baptiſmate viſum recepit, exercuitq; poſtea monaſticam vitam in Alſatia. Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius 13. Decemb.

TH. Sunt perplura alia exempla: atque imprimis libet reminiſci, quod tradit Socrat. hiſt. lib.7. cap.4. *Iudæus* (inquit) *qui à multis iam annis paralyſi conflictatus in lecto decubuerat, cum omnia curationum & medendi genera, omnesque Iudaicas preces ac vota expertus, nihil plane inueniret remedii, tandem ad Baptiſmum Chriſtianorum confugit, pro certo perſuaſus, huius tamquam veri medici adiumento ſe ad integram valetudinem reſtitutum fore; quæ res erat quamprimum Attico Epiſcopo ſignificata. Ille igitur Iudæum fidei articulis inſtituens, & ſpem in Chriſtum ei annuntians, iubet ad baptiſterium in lecto apportari. Iudæus paralyſi oppreſſus ſimul ac Baptiſmum ſincera fide recepit, & ex lauacro Baptiſmatis erat elatus, confeſtim morbo liberatus eſt & ad ſanitatem reſtitutus. Hæc curatio diuina Chriſti virtute noſtris temporibus hominibus declarata fuit: qua quidem re ex Gentilibus complures ad credendum inducti Baptiſmum receperunt.* Hæc ille, cui ſubſcribit Caſſiodorus hiſt. trip. lib.11. cap.4. & Theophanes apud Anaſtaſium Bibliothecarium anno Domini 450. Zonaras in Theodoſio Iuniore. Nicephor. lib.14. cap.12. Sed antequam hic Iudæus à paralyſi liberaretur Baptiſmo, iam Theodoſius ſenior Imperator, & ante Theodoſium Conſtantinus Magnus aquis Baptiſmi à morbis curati ſunt. Theodoſius enim (vt habet Caſſiod. hiſt. trip. lib.9. cap.6.) ab Acolio Theſſalonicenſium Catholico Epiſcopo baptizatus defenſione Niceni concilii, & fide ſeruata, ab ægritudine liberatus eſt. Id etiam habet Socrat. hiſt. lib.1. c.6. Niceph. lib.12. cap.6.

Iudæus paralyſi laborans baptizatus conualuit.

Conſtantinus etiam Magnus baptiſma Syluestri manibus ſuſcipiens, è lacu baptiſterii incolumis à lepra ſurrexit. Damaſus Pontifex illius ſeculi teſtis apertiſſimis verbis teſtatur in hunc modum: *Syluester in exilio fuit in monte Soracte, & poſtmodum rediens cum gloria baptizauit Conſtantinum Auguſtum, quem curauit Dominus à lepra.* Hæc ille: ſuffragatur etiam Greg. Turon. Gall. hiſt. lib.2. num.31. Clodoueius Rex

Baptiſma leproſum mundans.

popoſcit ſe à Pontifice Remigio baptizari: procedit velut nouus Conſtantinus ad lauacrum deleturus lepræ veteris morbum, ſordenteſque maculas geſtorum antiquorum recenti latice deleturus. Zonaras etiam auctor Græcus, enarrata Conſtantini lepra ac ſtudio curandæ eius, ex infantium ſanguine, enarrato quoque ſomnio, quo Petrum & Paulum ſibi aſſiſtere viderat, in ipſo Conſtantino paulo poſt princ. ſic habet: *A ſomno expergefactus Imperator Syluestrum reuerenter accerſiri iubet: à quo arcanis noſtræ religionis inſtruitur, baptizatur, & è ſanctiſsimo illo balneo ſanus & integer aſcendit:* eadem & Nicephor. lib. 7. cap. 33. Quod apertiſſima narratione ipſe idem teſtatus eſt Conſtantinus in ſuo edicto: neque enim vlla huius rei apud Catholicos dubitatio eſt, cum à lepra interna, ſimul & externa Baptiſmo conualuiſſe.

EQ. Aſſentiri huic veritati Romanæ Eccleſiæ præceptis ducimur: neq; enim falli poteſt: præſertim accedentibus tot huius veritatis aſſertoribus.

TH. Eſt autem tanta in lacu Baptiſmi etiam in reſtituenda valetudine vis (cum expedire Deo videtur) vt etiam aqua prorſus deficiente, extrema penuria oppreſſi, ſi quantum in illis eſt, efficiant fide & opere, vt prolatis Baptiſmi verbis, etiam incolumitas reſtituta comperta ſit, ob animi votum ingrediendi lacum Baptiſmatis, cum facultas adfuerit. Andreas enim Abbas ſeſe in Palæſtinæ eremo ſpectaſſe teſtatur Hebræum quẽdam incidiſſe in lethalem morbum. Febre igitur nimium inualeſcente, cum iam iam præ ſiti & inedia, ac morbo periturus eſſet, ſpiritu Dei tactus rogauit comites, vt eum baptizarent: cumq; eo loci nihil niſi arena eſſet, aquæ vero penitus nihil, arrepta arena, eum baptizauit Abbas Theodorus dicens: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſemper immergens capiti arenam: re peracta continuo ſanauit, & corroborauit eum Chriſtus Deus noſter, vt nullum iam in eo priſtinæ infirmitatis remaneret indicium, vel qualiſcunque paſſionis; ſed ſanus & valens cum omni alacritate & florido aſpectu, quod reliquum erat itineris per eremum ambulauit, ſemper comites præcedens, donec venientes Aſcalonem, vbi matura habita conſultatione, etiam in Iordane eum baptizarunt, vt aqua verus Baptiſmus conferretur. Hæc Sophron. in prat. ſpir. c. 176. Vnde tantum virium habuit fides, & votum in hoc Baptiſma vera aqua perficiendum, vt & animæ & corporis incolumitatem attulerit. Quandoque vero Deus, etiam vbi aqua deſit, miraculo ſcaturire facit lacum, vt credentium votis ſatisfaciat in baptiſmo conferendo, vt in Sorubi vico ad radices montis, in quo ſita eſt Cæanenſium ciuitas. In eo baptiſterium eſt, quod in ſanctis Epiphaniis ſudat, qui ſudor per tres horas cõtinuis incrementis augetur, & poſt baptiſma peractum decreſcere incipit, & tribus aliis horis ſenſim deficit. Sed & in caſtello Cedebratis, quod ſub monte Æno[illegible]on ciuit. ſitum eſt, baptiſterium in Paſchali S. Reſurrectionis feſtiuitate, cum ſit lapis vnus, ex ſeipſo impletur, duratq; aqua illa vſq; ad Penteceſten, moxq; tranſacta Penteceſte, euaneſcit. Vtraq; iſta miracula in prouincia Lyciæ fiunt. Hęc vti compertiſſima & veriſſima tradit Sophron prat. ſpir. c. 214. 215.

PH. Ex iis igitur conſtat, efficaciorem eſſe fidem, deficiente aqua, quam aqua ſine vera fide. Quod patere poteſt ex eo, quod contigit Deuterio Epiſcopo Arrianæ perfidiæ ſectatori. In vrbe enim Conſtantinopolitana, cum is quendam iis verbis baptizaret (recedens ab ipſius Domini præceptis, & Eccleſiæ perſeuerante obſeruatione.) Baptizatur Barbas in nomine Patris per Filium in Spiritu ſancto, mox vnda, quæ in ſacro lacu & baptiſterio erat, repente diſparuit, & Barbas inde perfu-

Hebræus arena baptizatus febri laborans curatur.

perfugiens miraculum id omnibus promulgauit, vt tradit Niceph. lib. 16. c. 35. eadem Platina in Anaſtaſio II. niſi quod baptizantem ipſum Barbam nuncupat, cum verius ipſe baptizaretur.

EQ. Conſimile referre libet de Anabaptiſta quodam Iudæo, is cum è baptiſmatis ficta ſimulatione magnum quæſtum ſe facere animaduerteret, ſæpius illud iterauit: at tandem cum lacus baptiſterii aqua oppletus iterationi baptiſmi pararetur, inſcio baptizante, diuina quadam virtute, quæ oculis cerni percipiue non poterat, ſubito exhauſta eſt. Deindeque rurſum oppleto baptiſterio aqua, rurſum eadem aqua penitus euanuit. Hæc Socrates lib. 7. c. 17. Caſſiodor. trip. lib. 11. cap. 14. Niceph. lib. 14. cap. 17.

PH. Memini tamen me legiſſe etiam eos, qui ſimulate ad Chriſti baptiſma ſeſe contuliſſent, corporis incolumitatem ſuſcepiſſe, quod beneficii corporalis conſequendi ſpe ducerentur. Sophron. enim in prat. ſpir. c. 198 hæc habet in perſona S. Athanaſii: Audiui aliquãdo à ſeniorib. noſtris, quod B. Petro Epiſcop. & Martyri, cum facta eſſet mortalitas, & pleriq; ad baptiſma mortis timore confugerent, apparuerit Angelus humana ſpecie dicens: Quamdiu huc mittis marſupia iſta ſignata quidem, inania autem prorſus & vacua, & nihil intus habentia? Erant itaq;, quantum ex Angeli voce conicere licet, ſignum habentes baptiſmi: quoniam & beneficium aliquod exiſtimarant ſe conſequi, ſi baptiſma ſuſciperent, atque idcirco baptizati ſunt. Hæc ille.

TH. Non eſt ambigendum ad aliquid ſaltem corporeum proficere ſimulatam fidem, quando id agit, atque agere intendit, quod agit Eccleſia, & cuiusmodi fuit Athanaſii ſententia: at ſi non intendat agere, quod agit Eccleſia, neque baptizatur, neque vllum beneficium conſequetur, vti Theologorum eſt doctrina, & de iis ſatis.

EQ. At qua ratione in Campania Miſeno promontorio accolæ piſcinã mirabilem vocant loca quædam ſubterranea, conſeruandis dulcibus aquis exædificata, lacique vicem referebant?

TH Nihil ibi admirabile ad hominum incolumitatem, neque piſcium vllum ibi viuarium fuit, ſed corruptela vulgi rei nomen impoſuit.

EQ. Qualis igitur eſt ille locus, vt mirandus videatur?

TH. Forma & ſumptus ad humana commoda excogitata à L. Lucullo omniũ Romanorum ditiſſimo viro. Erat is locus olim ipſius villa Baiana dicta: ibi enim ipſe hybernos menſes exigebat, ſicut æſtiuos apud Thuſculanum, Plutarcho teſte. Eſt autem in ipſius promontorii ac peninſulæ viſcerib. peramplũ ædificium calce latereq; conſtructũ, 100 cellulas concameratas admirando ordine continens: deſceſus in illa erat gradib. 40. quatuorq; columnarũ ordinib. id eſt, quintuplici porticatione, colũnę ſingulæ quadratæ craſſæ pedes ternos & eo amplius, altæ pedes 12. & à ſolo cõcameratio tota diſtat altitudine pedes 25. lõgitudo tota eſt ad pedes 500. latitudo ad 220. Spiracula quoq; opportunis locis non pauca ſunt. Cellulis autem ſunt ſua oſtiola, per quæ difficulter eſt aditus Fuit igitur hoc opus ædificatũ ad colligendas, vt ciſternarum vſus habet, aquas dulces. Leander & Georgius Bruin in Campania, & indice in L Lucullo: at nihil aliud ibi admirandum, niſi quæ miratur vulgus, opes ſcilicet, & humana commoda. Atq; ita illarum collectio aquarum laci eſſe dici potuerunt. Sunt tamen præter omnem ambiguitatem è natura ingentes laci ſubterranei, ſtagnantib. aquis tanta vaſtitate, vt paludes ingentes adæquent, &

quandoque ipſum etiam mare & Oceanum ipſum; id perſpicuum nobis facit Seneca natur. lib. 3. cap. 8. *Quemadmodum* (inquit) *in exteriore parte terrarum vaſtæ paludes iacent, magni & nauigabiles lacus, nec minus illa ſtagnant, quam apud nos Oceanus, & ſinus eius; imo eo latius, quo plus terra in altum patet*: at cap. 19. ſic: *Habet non tantum venas aquarum terra, ex quibus corriuatis flumina effici poſſunt, ſed & amnes magnitudinis vaſtæ, quorum aliis ſemper curſus eſt, donec aliquo ſinu terræ deuorentur, alii ſub aliquo lacu emergunt*: libro autem 4. cap. 30. *Immanes*, ait, *ſunt in terrarum abdito lacus, & multum maris conditi, multum fluminum per operta labentium.* Hæc ex illo: nemo tamen ſcrutatus eſt, nec potuit in illis tantis latebris. Sed proſequamur alios admirandos lacus.

EQ. Lacus aliquando ſunt adeo incredibili profunditate, vt inter miracula enarrentur. Sine fundo lacus eſſe ſcribit Seneca natur. lib. 3. cap. 19. ſed non carent fundo, ſed inſcrutabile eſt. Id præcipuum de Auerno lacu Puteolano fertur, & inſigni viri experti ſunt funibus ex cymba in profundum miſſis, qui numquam imo eius comperto defeſſi caſſo labore funes exciderunt, & cum ſuo ferreo pondere mergi eas maluerunt, quam in cymbam retrahere. Ita fit, vt is inſcrutabilis profunditatis iure aſſeratur: attamen, vt alias diximus, paſſibus trecentum ac ſexaginta peruenitur in imum, ex Leandro, & ex ipſo Bruin in Campania.

PH. Solinus cap. 10. inſcrutabilem quendam lacum non ob profundum eius, ſed ob alia iiſce verbis memorat, iuxta Pelorum in Sicilia lacum eſſe, in cuius (inquit) medio ædificium quoddam eſt, quod termini vicem gerit, quo progredi non poſſe vlterius demonſtratur. Illuc vſque etenim cuiq; progredi impune licet, quod cruretenus aqua pertingat: at quod vltra ædificium illud eſt, nec explorari licet, nec attingi; ſi quis vlterius progreſſus ſe aquis illis cōmiſerit, mire affligitur, quantamque ſui partem ingurgitauerit, tantam perdit. Ferunt quendam in hoc altam (quantam longiſſimam poterat) ieciſſe lineam, eam vt recuperaret, dum merſo brachio niſum adiuuat, cadauer manum factam. Hæc ex illo. Niſi tamen hoc ad ſuperſtitionem forſan pertinere putetur, quod ædificium illud Ara priſcorum fuerit. Attamen & frigiditas aquæ & pernicioſus humor ex imo laci reſiliens venenatus forſan id efficere poteſt: ſicut in Arcadia Nonagri regione in montibus ex ſaxo ſtillātes frigidiſſimos humores, quos nec argenteum, nec æneum, nec ferreum vas ſuſtinere poteſt, vti iam alias diximus, quod & repetit ex Vitruuio Archi. lib. 8. Vinc. hiſt. natur. lib. 5. c. 41. Sunt enim illæ aquæ Stygiæ.

TH. Poſſet ita res ſe habere: verum vt inſcrutabiles lacus proſequamur, in Aquilonari plaga Inſula eſt, cui nomen Bornolm, ſub Dacici Regis ditione, in ea nonnulli exiſtunt laci, quorum profunda inſcrutabilia ſunt. Olaus lib. 3. cap. 10. qui etiam addit apud Delarcalos eodem Aquilonari tractu in continenti reperiri lacum adeo immenſæ altitudinis, vt nulla ex funis longitudine etiam pondere appenſo vmquam in imum vſque potuerit quiſquam pertingere. Sed & laci quidam perexigui, qui putei latitudinem non excedant, eiuſdem immenſæ altitudinis ſunt, nullaque arte aut induſtria pertingi potuerunt ipſorum ima. Hæc ex illo. Alius apud Puteolos lacus eſt, cui nomen eſt Aniano, profunditatis incompertæ, nullum in eo animal viuit, præter ranas, cum tamen octo mill. paſſ. ſit eius ambitus: in ipſum Iunio menſe ſerpentium globi innumeri decidunt; neque vſquam viſuntur viui vel mortui; propterea proxima ſpecus peſtifero eſt ſpiritu. Ex Bocatio.

catio. Ii igitur laci, tametſi inſcrutabiles ſunt, nihilominus ab inſcrutabili Dei virtute vincuntur, quum & exſiccari & tranari poſſint à Dei miniſtris veram fidem tenentibus. Nam Gregorius Thaumaturgus ſtagnum exſiccauit, vt ſcribit Gregorius Nyſſenus in eius vita. Sic enim ille: *Duo fratres ætate iuuenes, qui paternam hereditatem nuper inter ſe diuiſerant, vnum ſtagnum vendicabant, vterque totum id habere contendens, & non admittens alter alterum in ſocietatem poſſeſſionis. Fit Gregorius cauſæ arbiter, qui cum ad lacum perueniſſet, in arbitrio vſus eſt ſuis legibus, hoc agens, vt reconciliarentur iuuenes, & redirent in gratiam, & lucrum pacis exiſtimarent vectigali præſtantius. Sed cum nihil proficeret, quin illi ad manus conſerendas ſe pararent: permanens homo Dei in ſtagni ripis, & totam noctem agens inſomnem, fecit quoddam Moſaicum in aqua miraculum: non ictu virgæ profundum in duas partes ſcindens, ſed eam totam tanquam terram conſolidans effecit continentem plane aridam, & omni humore vacuam, & ne in cauo quidem vllo vllas habeat aquæ reliquias; quæ ante orationem inſtar pelagi exundabat.*

EQ. Eadem enim virtus, qua illum exſiccauit lacum, exſiccaſſet dubio procul eos, qui & inſcrutabiles, immenſæque profunditatis ſunt. Sicut igitur viris Dei nihil reſiſtit fide omnia operantibus, ita intranabiles laci ab eis fiunt tranabiles: lacus enim, in quo S. Blaſius à tortoribus iniectus fuerat, ſeſe exhibuit velut pontem ſolidiſſimum ad ſuſtinendum eum: at cum lictores perſequi hominis Dei veſtigia auderent, & ad illum vsque accedere niterentur, abſorpti fluctibus ſunt, vsque ad numerum 68. Metaph. in vita S. Blaſii apud Surium Tomo 1. Februario. Quibus & illud cõfine ſubiiciam: *Cum enim Honorio Imperatore mortuo Ioannes quidam Imperium per tyrannidem affectaret, & collectis plurimis Barbarorum copiis auxiliariis Theodoſio Imperatori inſidias haud dubie ſtructuras Rauennæ commemoraretur, preces pii Imperatoris plurimum momenti aduerſum illum habuere. Angelus enim Dei in habitu & forma paſtoris ducem itineris Theodoſii copiis ſe præbuit, & per ſtagnum Rauennæ adiacens deduxit, qua via nemo vnquam iter feciſſe commemoratur. Deus igitur qua tranſiri non poterat, tranſitum Theodoſii militi patefecit. Ille tum copiis per ſtagnum, cuius aqua diuina ope penitus exhauſta fuit, traductis, portas ciuitatis, quas apertas offendit, ingreſſus, Tyrannum opprimit.* Socrat. hiſt. lib. 7. c. 23. *Angelus Dei piorũ comes eſt.*

PH. Fit itaque apertiſſimum ex iis, Deum in ſe credentib. & ad ſe confugientibus omnia dare peruia, ſiue maria, ſiue ſtagna ſint: ſicut quiſquam ſui nominis perſecutoribus repentino modo vbi campus eſt, efficit ſtagna, vti iam de Aſphaltide diximus: emergunt enim laci quandocunque ei libeat. Ipſis enim Ethnicis (ſed rem ipſam, auctoremq; ignorantibus) ſæpe id contigit. Plin. igitur lib. 2. c. 88. ſcribit in Campania oppidum hauſtum fuiſſe profundo, alioque motu terræ ſtagnum emerſiſſe. Tradit præterea Liuius, lacum in Albano nemore abſque vlla aquarum colluuie è cœlo aut aliunde ita auctum, vt effunderetur, quod prodigii loco tum habitum eſt, vti ille habet Dec. 1. lib. 5. Quod Zonaras narrat explicatius Tomo 2. his verbis: *Bello Romæ aduerſus Veientes orto, interea lacus Albanus tumulis vndiq; ſeptus, cum nullum haberet aquæ exitum, dum Veii obſidebantur, ita inundauit, vt aqua vltra montes euoluta ad mare decurreret.*

EQ. Commemorabilior eſt repẽtina illa inundatio, de qua ex Zonara eodem Tom. 2. meminimus alias, cum de Amulio ageremus, qui ſuperbus, ſeque pro Deo venditans machinis quibuſdam tonitrua tonitruis, fulgura fulguribus referebat, ac fulmina iaculabatur, ſubita inundatione paludis, ad quam habitabat, periit vna

cum Regia demerſus. Neque igitur ſolum priſcis temporib. hæc contigiſſe anim-
aduertere licet: verum etiam conſtat noſtro quoq; hoc ſeculo incredibili miraculo
eadem ac maiora contigiſſe: referunt enim ii, qui Indos Orientales adnauigarunt,
in prouincia Sanciorum (vna eſt ex Sinarum regionibus) repentino quodam im-
petu emerſiſſe à ſcaturiginibus adeo amplum lacum, vt pateret ad leucas 60. Itali-
ca videlicet milliaria ſupra ducētum, magna rerum, atq; hominum iactura, vt Mel-
chior Nugnez ſcribit ex Coccin. 1558.

PH. Hoc quoq; noſtro cœlo perſimilia accidiſſe memorantur: nam lacus iu-
xta Meranium vrbem ad Atheſim exundatione limites transgreſſus vrbis partem,
hoſpitalemq; domum extra vrbem cum templo, Sacerdotibus altari deſeruientib.
vna cum muro ac portis rapuit: infantem autem in cunis cum fele incubantem
prope Bozanum raptum reddidit incolumem ad tria paſſuum tractum. Intra Me-
ranium periere laci inundatione illa 400. vtriusq; ſexus homines Metrop. Saliſb.
in Brixienſi Epiſcopo 62. Ita pueri, qui adhuc Innoxii ſunt, eximi periculis Ange-
lo cuſtode duce hiſce exemplis perſpicuum fit.

TH. Vbi ira Dei excandeſcit gentilitatis erroribus hæc fiunt. At vbi Chriſtia-
na pietas accedit, ceſſant omnia huiusmodi prodigioſa miracula; cuiusmodi aper-
tiſſimum fit ex iis, quæ narrat Gregorius Turonen. lib. in glor. Conf. cap. 2. in hæc
verba: *Mons erat in Gabalitano territorio, cognomento Helarum, lacum habens magnum,*
ad quem certo tempore multitudo ruſticorum, quaſi libamina lacui illi exhibens, linteamina
proiiciebat, ac pannos, qui ad vſum veſtimenti virilis præbentur: nonnulli lanæ vellera, pluri-
mi etiam formas caſei ac ceræ, vel panis, diuerſasque ſpecies, vnusquisque iuxta vires ſuas,
quas dinumerare perlongum puto: veniebant autem cum plauſtris potum cibumque deferen-
tes, mactantes animalia, & per triduum epulantes: quarta autem die, cum diſceſſuri eſ-
ſent, præueniebat eos tempeſtas cum tonitruo & coruſcatione grandi, & adeo ingens imber
cum lapidum violentia deferebatur, vt vix ſe quisquam eorum euaſurum ſperaret: ſic per ſin-
gulos annos inuoluebatur inſipiens populus huiusmodi errori. Poſt multa vero tempora qui-
dam Sacerdos ex vrbe ipſa Epiſcopatum adeptus acceſſit ad locum, prædicauitq; turbis, vt deſi-
ſterent ab his, ne cœleſti ira conſumerentur: ſed nequaquam eius prædicatio à rudi ruſtici-
tate ſuſcipiebatur. Tunc inſpirante Deo, Sacerdos Baſilicam in honorem S. Hilarii Pictauien-
ſis eminus ab ora ſtagni ædificauit, in qua reliquias eius locauit; dicens populo: Nolite filioli,
nolite peccare ante Dominum, nulla eſt enim religio in ſtagno: nolite maculare animas veſtras
in his ritibus vanis: ſed potius cognoſcite Deum & amicis eius venerationem impendite; vene-
ramini autem S. Hilarium Dei Antiſtitem, cuius hic reliquiæ ſunt conditæ, ipſe enim poteſt pro
vobis apud Dei miſericordiam interceſſor aſsiſtere. Tunc homines compuncti corde conuerſi
ſunt; & relinquentes lacum omnia, quæ ibidem proiicere erant ſoliti, ad ſanctam Baſilicam
conferebant, & ſic ab errore, quo vincti fuerant, relaxati ſunt. Sed & tempeſtas dein-
ceps à loco illo prohibita eſt: nec vltra in hac ſolemnitate, quæ Dei erat, nocuit, poſt-
quam beati Confeſſoris ibidem ſunt reliquiæ collocatæ. Hæc ſanctiſſimus Gregorius
Turonenſis.

PH. Perſimile huic illud eſt, quod de Heldeſiano lacu commemorant. Eſt eius
aqua hauſtu ſuauis, ſitusq; eſt ad eam partem vrbis Heldeſianæ, quæ ad Orientem
ſpectat. Erat olim horrificus, & circumadiacentib. locis ob terriculamenta pror-
ſus terribilis: putabant enim ſe illic tam meridiano, quam nocturno tempore hor-
renda quædam ludibria & præſtigia, vel videre vel audire. Ebulliebat autem ab e-
ius medio fons aquas ſalſugineas ferens. At vbi hæc nouerat ſanctus Gothardus

Epiſcopus,

Epiſcopus, cruce ac reliquiis ſumptis, oratorium D. Bartholomæo extruxit, quo mox omnia dæmonum phantaſmata penitus euanuere: deincepsq; ſine vlla infeſtatione accolæ locum inhabitarunt: ex vetuſtis monumentis de vita S. Gothardi, c.23. Surius Tom.7. Fateri tamen poſſumus, procellas huiusmodi è lacis aliquando prouenire nulla ſuperſtitione naturæ vi quadam occulta. Nam Scafagiolus lacus in Appẽnino eſt, in quem ſi forte lapis lignumve iniiciatur, mox aerem circumfuſum cogit in nubes, ac tanta procella fit, vt per diem perſeuerans & arbores conuellat, & proxima animantia perimat, vti Bocatius tradit. Poſſet autem quispiam Sanctus, ſi ita expediret, vim huiusmodi cohibere per Dei opem. Ac lacus in Scotia, in Leone ſponte absq; ventis tempeſtate concitatur, vsque ad nauigantium naufragium: recolit Ortellius in Scotia: mirum, in eo eſt Inſula prægrandis fluitans, eodem teſte.

EQ. Hac eadem de cauſa ſanctitatis mirum eſt, quod de lacu vetere tradit etiam Olaus lib.2.cap 17. Lacus is eſt in Veſtro Gothorum regione: in eo igitur ſitu n eſt ornatiſſimum Monaſterium, ab ſancta Brigida eiusq; filia ſancta Catharina exſtructum immenſis ſumptibus: cum igitur harum Sanctarum ibi memoria veneratione magna colatur: aliorum quoque Sanctorum ibidem Monaſteria ſunt extructa. Mirum ibi in teſtimonium ſanctitatis ipſarum, referunt illum lacum imperturbabilem, pellucidisque adeo aquis eſſe, vt imum eius pateat, & minimæ quæq; res ab imo ſe ſpectandas exhibeant: cum tamen reliqui lacus obſcuri ſint, ac craſſioribus aquis, adeo vt vix aliquid conſpici in eis poſſit; congruum igitur eſt, vt quorum ſplendet in cœlis anima, eluceat & in pellucidis aquis ſancta memoria.

PH. Contrariam huius laci naturam continet, quod tradidere de Lucerna Heluetiorum lacu: de eo enim Ioachimus Vadianus homo doctus, & Pomp. Melæ interpres commemorat; ſi quis in eum lapidem, lignumve, aut etiam quidquid aliud iniecerit, ſponte lacum fremere, atq; intumeſcere adeo furenti impetu, vt è marginibus effluat, & inundatione etiam agris, ſatisq; perniciem afferat, & rebus quibuscunq; obuiis: quod ſi ea non dedita opera iniiciantur, ſed caſu illabantur, lacum non furere. Quamobrem Præfecti vrbium eius regionis publicis edictis mandarunt, ne quis in eum aliquid iniiciat, plures eo nomine mulctati fuerunt, vt ſic furoris cauſa ab eo lacu diuertatur; hæc comperta eſſe etiam tradit Petr. Hiſp. Silu.p.2.cap.8.

EQ. Non eſt hoc forte incredibile, quoniam Dalmatię ſpecus nimia re iniecta furit admirabiliter: fontes alii ſolo digiti tactu ferueat mirum in modum, vt aliquando etiam differemus de eis opportunius.

Lacus enim quidam ſubterraneus in ampliſſimo antro compertus eſt in Inſula Hiſpaniola, in quem lacum quisquis ĩgreditur, ſtatim abſorbetur, intumeſcentibus aquis, & in voraginem rotatis, cum ſit totus verticoſus. Petr. Mart.

TH. Harum motionum ea forſan ratio & cauſa eſt, quod meatus ſubterranei ex minima aquæ commotione quandoq; permouentur; ſpiritusque, ac flatus ibi occultu huiusmodi permotione reſilire adnituntur vndecumq; è latebris, reſiſtente vero aquarum pondere huiusmodi, quaſi furor excitatur. Nam & Aquilonari plaga comperti laci ſunt, in quibus cum hyeme gelu conſtringantur, in ſumma tantum ſuperficie ſpiritus, aerque occultis meatibus inferioribus partibus occluſus, cum reſilire nequeat, glacie obſtruſus, intra lacum ſonitus, fremitusq; tonitrui

modo gignuntur, non minoris fragoris, quam ſint reliqui crepitus, qui è nubibus erumpentes exaudiuntur. Id tradit Olaus lib.2.cap.4. idque pluribus lacis accidere teſtatur.

PH. Dubio procul hæc contingunt ab incluſo ſpiritu, dum reſilire adnititur, quod alterius quoq; laci exemplo confirmare perſpicue licet. Eſt in Oſtrogotorum regione lacus, cui nomen Vecher, porrectus in longitudinem ſexaginta mill. paſſuum, patens vero latitudine viginti. Illius hæc ſunt miracula, hyeme adueniente, cum incipiat congelaſcere ſtatim vento, fluctibus ac velut mugitibus, fragoribusq; magnus commouetur, deindeque ſedatur, cum gelu omnem ſuperficiem conſtringit: recedente hyeme Aprili menſe, iam aere tepente, cum proxime futura ſit glaciei diſſolutio, magno fragore ab ipſo imo laci ebullire aqua incipit, absq; vllo tepore caloreve (ſolo enim ſonitu is feruor intelligendus eſt fieri) illico tota glacies ſcinditur, quibus è rimulis euaporante ſpiritu, atq; aere occluſo, vniuerſa compago glaciei in minimas portiunculas diuiditur, ac quaſi conteritur in perexigua fruſtula ac glebas. Totaq; hæc res adeo breui interuallo conficitur, vt ſi quis viator lacum peragret (vti in gelu fieri ſolet) nulla ſpes ſalutis, niſi ſummi Dei ope illi futura ſit. Olaus lib.1. cap. 14. & lib. 20. c.15. Spiritus igitur atq; aer occluſus dum reſilit, commouet omnia: ſic etiam dum occluditur, reſiſtit etenim, atq; ita hæc naturæ miracula fiunt.

TH. Legimus tamen ſanctos Dei lacum eiusmodi, protritis glaciei glebis, curru ſuo traieciſſe: cum enim traha permeari poſſint laci plerique Aquilonares gelu obdurato: Theodoricus Comes erga ſanctum Adalbertum veneratione plurima affectus traha lacum miræ altitudinis permeabat, perueniens autem in medium, tepore cœli cum iam glacies disrumperentur, ingentibus interciſis rimis à comitibus omnibus periculi cauſa deſertus eſt: conuerſus ipſe ad beatum Adalbertum, cuius cauſa peregrinabatur, eius patrocinium implorans, vbi incredibilis eſt laci profunditas, abeunte glacie, liquidis aquis vndecumque ingruentibus ſuperuectus eſt, ac tum ipſe, tam omnia, quæ curru ſuo vehebantur, ad tutam laci oram deuecta ſunt. Willibrodus Epiſcopus in vita ſancti Adalberti apud Surium Tom.3.

EQ. Quæ hic dicebamus, non omnibus lacis contingunt, quia nec omnibus lacis idem meatus, aut aeris latebræ occluſæ ſunt, ſicut nec eadem aquarum natura: quin etiam cœlum ipſum in eadem regione non omnia ſimili modo in omnibus operatur. Quid enim cauſæ eſſe poteſt, quod cum laci omnes in eadem Septentrionali plaga, in ditione Noruegiæ, non longe à Nidroſſa, gelu conſtringantur, nihilominus lacus ibi compertus eſt numquam congelaſcere, cum tamen aquæ eius non tepeſcant, ſed vt reliquæ omnes frigidæ ſint? Vt habet Olaus lib.1. cap.14.

PH. Id efficiet forſan aquarum humor pinguis: purior enim aqua facilius cōſtringitur, pinguior difficilius, vt de maritima aqua apertiſſime conſtat. Et præterea Aquilonares, qui gelu prohibere adnituntur ſuperficiem ſtagni, aut foſſæ aut laci, piſcium abdomine aſpergunt, obuerſantq; huiusmodi pingue per vniuerſam ſuperficiem, atque ita gelu impediri compertiſſimum eſt. Olaus lib.11. cap. 20.21. vti alias diximus.

EQ. Poteſt hac ratione hoc perſuaderi. Sed admirabilior eſt illius laci natura in Scotia, in Gallouidia, cuius pars tantum congelatur hyeme, altera nullis frigo

ribus

ribus congelari poteſt, cum non ſit calida, & laci huius nomen Mirtoun: id recolit Ortelius in Scotia; verum quoad lacum, qui Nidroſſæ proximus eſt, quamquam ſit verum, aquas eius ſuperficie tenus frigidas eſſe, vt reliquæ ſunt, nihilominus lutum, quod in imo eius laci eſt, feruet adeo, vt prohibere gelu videri poſſit: eſt enim adeo feruidum lutum, quod in profundo eius laci eſt è ſulphureis venis, vt ſi fune obſonium ad imum demittatur, extrahatur excoctum, quin etiam aſſatum, vt tradit Olaus lib. 2. c. 1. qui & alium conſimilem lacum teſtatur eſſe in Gottia meridionali prope Veſſonam vrbem, cuius infimum lutum obſonia omnia concoquat, ſi fune demittantur, cum circiter ſuperficiem huiusmodi concoqui non valeant, adeo natura operatur admiranda, vt eadem aqua in ſummo ſit frigida, in imo calida.

PH. Calor ille in imum deprimitur ab ambientis cœli frigiditate multa; at vbi cœlum non adeo frigoribus riget, ille calor ad ſuperficiem vsque reſiliret nulla vi frigoris oppreſſus: cuiusmodi in Baiano Puteolanoque agro patet omnibus, vbi laci omnes tanta ſcaturiginum varietate celebrantur aquarum feruidarum, vt ad omnem morbum, ad ſingula membra, ſinguli laci comperti ſint. Plinius (præter quotidiana experimenta) id habet libro trigeſimo primo, cap. ſecundo: *Nusquam* (inquit) *largius quam in Baiano ſinu emicant benignæ aquæ, pluribus auxiliandi generibus, aliæ ſulphuris, aliæ aluminis, aliæ ſalis, aliæ nitri, aliæ bituminis, nonnullæ etiam acida ſalſave mixtura. Vapore quoque ipſo aliquæ proſunt. Tantaque eis eſt vis, vt balneas calefaciant, ac frigidam etiam in ſoliis feruere cogant: obſonia quoque percoquunt, iam generatim neruis proſunt pedibusve, aut coxendicibus, aliæ luxatis fractisve, inaniunt aluos, ſanant vlcera, capiti, auribus priuatim medentur, atque oculis Ciceronianæ.* Hæc ille. Sed de hisce hactenus, nunc ad alia.

TH. Dicamus alia admiranda; mirum de lacu illo, de quo Plinius meminit lib. 2. cap. 104. *In Comagenes* (inquit) *vrbe Samoſata ſtagnum eſt emittens limum (Maltam vocant) flagrantem, cum quid attigit ſolidi, adhæret; præterea tactus ſequitur fugientes, aquis etiam accenditur, terra reſtinguitur.* Hæc ille. Et forte non fuerit iſto lacu inferior ille, cui accidit, ſed ſemel tantum, res plane admirabilis: lacus enim Dunenſis ſub Gregorio Primo tanto feruore ebulliit, vt cocti in eo piſces ad ripas in eſum venirent accolarum, absque aliqua alia coquendi induſtria. Rob. Guag. Franc. lib. 2. non procul à fine.

Lacus adeo feruens, vt piſces in eo coquantur.

EQ. Sunt & in Pannonia mirandarum aquarum laci: ſunt enim ibi feruentes adeo, vt metalla ſuo feruore transmutent. Surius in Commentario ſub anno Domini 1541. *Sunt* (inquit) *in Pannonia feruidæ aquæ ferrum in cuprum mutantes, ſed & apud Budam eiusdem Hungariæ totius Regiam multi calidarum aquarum laci ſunt, quas Thermas vocant, quæ niſi refrigerentur, balneis non ſunt idoneæ: adeo enim feruent ex iis quædam, vt in eas miſſum ouum celerrime elixetur; & quod longe admirabilius eſt, iuxta has aquas fons eſt aquæ frigidæ ita propinquus calidæ, vt in eodem veſtigio calida & frigida hauriri poſſit.*

PH. Sunt hæc commemoratione digniſſima, at non contemnenda, quæ de quibusdam aliis lacis narrantur. In Patauinorum enim agro laci ſunt calidas aquas continentes, in quibus virentes herbæ innaſcuntur, vti ſcribit Plin. lib. 2. cap. 103. Huc quoque illud pertinet, quod alias commemorauimus, in Piſano agro calidis laci aquis etiam ranas innaſci, & viuere. In Hetruria quoque (alias narrauimus) ad Vetulonios non procul à mari calidis aquis piſces enaſci & viuere, teſtatur idem Plin. eodem cap. 103.

PH. Conſimilem lacum teſtatur in Africa eſſe Ælianus hiſtor. anim. lib. 14.

cap. 18. *In Africa*(inquit) *feruentis aquæ lacus eſſe dicitur, in quo piſces & viuere & natare dicuntur, & ad obiectum cibum adſilire; ac ſi quis in frigidam eos iniecerit, auditione accepi ipſos interire.* Hactenus ille.

EQ. Antequam igitur abeamus, duo adhuc mihi narranda ſunt ad hunc ſermonem de lacis explendum. Primum quidem de lacu, qui in Piceno agro Velinus dicitur, in quem deiectum lignum lapideo cortice obducitur, Plinio teſte lib. 2. cap. 103. Leander. Sed iis vetuſtior Seneca prodidit natur. lib. 3. cap. 20. *Res*(inquit) *abiectæ in lacum lapideæ ſubinde extrahuntur, quod in Italia in quibusdam lacis euenit, ſiue virgam, ſiue frondem demerſeris, lapidem poſt paucos dies extrahis.* Ita ille.

PH. Conſimilem tradit eſſe Vitruuius Archit. libro 8. & ex eo Vinc. hiſt. natur. lib. 5. cap. 44. his verbis: *In Cappadocia lacus eſt, in quem pars arundinis ſi dimiſſa fuerit, & poſtero die exempta inuenitur lapidea, pars autem, quæ extra lacum manſerit, permanet in proprietate ſua. Nam & Hierapoli calidarum aquarum feruent laci, è quibus circa hortos & vineas foßis ductis aquæ emiſſæ poſt annum cruſtæ lapideæ ſunt, quibus ſcilicet cruſtis in agris ſepta efficiunt; hoc ideo videtur naturaliter fieri, quod in his lacis, & ea terra, quibus naſcuntur, ſuccus ſubeſt coagulo naturæ ſimilis: deinde cum commixta vis per fontes extra terram egreditur, à Solis & aeris ardore congelatur, ſicut etiam in areis ſalinarum videtur.* Hæc eadem Vinc. hiſt. natur. lib. 5. cap. 44.

TH. Et huic etiam accedit, quod tradit Iſidorus lib. 13. c. 13. eſſe in Reatinis paludibus hoc proprium, vt iumentorum vngulas contactu ſuo durent: & alium in Polonia memorant, cui nomen Biale, albus per antiphraſim dictus, quod eius aqua Aprili & Maio fuſcos reddit lauantes. Martin. Chron. Polon. deſcript. libro primo.

EQ. Alter lacus ſupereſt enarrandus, cuius cognomentum eſt, vt Inſanus dicatur, ob ſummam inconſtantiam colorum ac ſaporum, etiam diebus ſingulis. Plin. enim lib. 31. cap. 2. ſic de illo: *Iuba in Troglodytis lacum eſſe dicit Inſanum malefica vi appellatum, ter die fieri amarum ſalſumque, ac deinde dulcem, totiesque etiam noctu, ſcatentem albis ſerpentibus vicenum cubitorum*; quod & Iſidorus recolit lib. 13. c. 13. Maleficum lacum Bocatius nuncupat, traditque, die amarum & ſalſum, nocte dulcem ac potabilem: quin & alibi huius Troglodytis laci meminit Plinio conſentiens; adiicit autem, Aſanium lacum in ſuperficie potabilem, at inferius habere aquam amaram. Propterea memorabilis ille lacus eſt in Pomerania iuxta Stetinum, in quem Odera fluuius Auſtrinis ſpirantibus ventis dum influit, redduntur aquæ ſapidæ, abſque vlla ſalſedine. At ſi intenſe perflent venti Boreales, laci aquæ ex fluuio alioqui dulci redduntur ſalſæ inſtar marinæ, Dauid Chytræus in procœmio ad Metropolim Krantzii in Caminenſi.

TH. Ea omnia vt miraculo facit, ac perfacile Deus, ita immutat facilius, vt ſeruis ſuis complaceat. *Egreſſo enim Moyſe ab rubro mari in deſertum Sur, ambulanteque eo cum toto populo tribus diebus, aquæ penuriam paßi ſunt; at in Mara adeo amaræ inuentæ fuere, vt potari non poſſent: murmurante vero populo, orauit Moyſes ad Dominum, qui oſtendit ei lignum, quod cum miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt.* Exod. c. 15. Viris ergo Dei facile dulcia amara fiunt, & amara prædulcia. Ita non oberit lacus, quamuis frigidus aut calidus, quandoquidem è calido frigidus fiet, aut è frigido calidus, diuina virtute piorum precibus annuente. Quadraginta enim Martyres apud Sebaſten in frigidum lacum tormenti cauſa noctu & hyeme nudi iniecti ſunt, & tamen in teporem omnis aqua laci conuerſa eſt, vt ſcribit Metaphraſt. nona Martii his ver-

bis

bis: *Præfectus imperauit, vt funibus omnes vincti in lacum traherentur. Eſt enim apud Sebaſtem lacus, in quo magna eſt aquæ copia, & quo tempore ſancti Martyres cruciabantur, vehemens erat frigoris vis: nudi igitur in medio lacu ſunt conſtituti, cum hyems eſſet, & diei hora acerbiſſima, iam enim veſper appetebat. Hora noctis prima Sancti frigore cruciabantur, & corpora illorum dirumpebantur, oratione ab eis facta, circiter tertiam noctis horam Sol eos circumfulſit, ita calidus, vt eſt in æſtate, friguſque diſſoluit, & aquam calidam reddidit.* Hæc ille. Atque ita fit, vt Dei ſeruis neque obſint calida, neque frigida: cum enim opportunum eſt, ea omnia alterutrum conuertuntur. Contigit enim aliquando, in feruidam aquam immiſſos Sanctos, & nihil inde perpeſſos, quaſi in frigidam fuiſſent immiſſi. Sanctus enim Ioannes Euangeliſta, Tertulliano teſte, ſub Domitiano Romæ in feruentiſſimi olei dolium iniectus eſt, & tamen exiliit omnino illæſus, quin & purior & vegetior, vt tradit S. Hieronymus contra Iouinianum ex Tertulliano, de præſcriptionibus hæreticorum.

EQ. Adhuc nobis commemorandi ſuperſunt laci nonnulli inſignes, poſtea domum redibimus Extat lacus Crinice, in Belſenſi Poloniæ, certis temporibus altero vel tertio quoque anno cum mugitu fluctus attollens, exhauritur prope ad fundum vsque, aquis vicini montis cauernas ſubeuntibus, atque ibi tum facile prehenduntur piſces in aqua vadabili. Martinus Cromerus in Polon. deſcrip. lib. 1. ex Dugloſſo vetuſto auctore. Alter eſt in orbe nouo in prouincia Caizima, non eſt is ſub dio, ſed in ampliſſimo antro, ex plurium fluuiorum confluxu conficitur, cum & ipſi fluuii non ex dio, ſed obſcuris meatibus manent. In eius laci medio aquæ exurgunt, & regurgitant adeo vehementer, vt ingreſſi mox abſorbeantur. Petr. Mart. ſumm. Ind. Auget admirationem, quod tametſi tantis fluuiorum confluentium aquis fiat, nunquam tamen exundat, cum latenter eius aquæ atque occultis quibuſdam meatibus abdantur. Ibid.

PH. Id propemodum accidit lacu Fucino, in regione Marſorum: ſæpe enim augetur in immenſum; aliquando autem exſiccatur adeo, vt in imo ſolo agri colantur. Per hunc medium Piternius fluuius ita decurrit, vt eius aqua non miſceatur ſtagno. Leander in Æquicolis.

TH. Sed quid omittimus lacum in Cracouia, in quem abiectus fuerat ſancti Stanislai perempti digitus? habet is aquas, quæ ſi in quempiam vſum hauriantur, noxiæ ſunt; at ſi ad quaslibet ægritudines ſumantur, valde proſunt. Ioannes Longinus in vita S. Stanislai apud Surium Tom. 3.

EQ. Nec illum ego omittam, qui in Italia apud Braccianum Sabbatius dicitur, cum ſalſus ipſe ſit, manat tamen eius medio fons ſuauiſſimus, Volaterrano teſte & Leandro.

TH. Non prætermittam lacum, in quo verecundiæ ſenſus quidam ineſſe videtur, illi nomen eſt Auecigus: eſt enim lacus regionis Aurigæ. Itaque dum nauigio quis in illo vehitur, ſi quidquam ibi turpe proferatur, mox aquæ turbantur, factaque procella merſionis diſcrimen infert, vt Bocatius tradit, quamquam eius rei fides permittenda eſt penes auctores.

EQ. Ego vero non putarim ſuperſtitioſum id eſſe, quod de lacu Gufero Britannico tradunt: is enim piſcibus abundat, cum piſcatio omnibus libera eſſe permittitur; ſin autem prohibeatur, fit ſterilis, vt Bocatius ſcribit.

PH. Sunt certe in lacis plura quam aquis aliis miracula, quod ſubterranei eorum meatus nobis incogniti efficiant plura hominis captum excedentia: nam

Lin-

Lınliguna lacus in Cambria Britannica Inſula prope Sabrinum flumen ingentes maris æſtus excipit; at numquam augetur, vt margines excedat: dein ceſſante maris æſtu, reddit eructans inſtar montis acceptas aquas mari, ripas ſuas aquis tegens, atque alluens. Mirum ibi accidit: ii enim, qui faciem ad lacum vertunt, dum huiusmodi aquæ redduntur mari, à lacu trahuntur merguntúrque: at qui à lacu auerſi terga vertentes ad mare proſpectant, tametſi aquis obruantur, omni periculo ſunt immunes, vt Bocatius quidem ſcribit corruptis locorum nominibus; at rectius Ortellius in Cambria. Propterea etiam Tarquinienſis Etruriæ lacus admirandus eſt, quod duo magna circumfert nemora, nunc triquetram facientia figuram, nunc rotundam ac circularem, ſic vndis impellentibus: at numquam ibi viſa eſt quadrata forma, vt memorat Bocatius.

EQ. At illud adhuc noſſe velim, qui fiat, vt virga in lacum media propendens & media è lacu eminens, tametſi rectiſſima ſit, indirecta & obliqua videatur, numquid id ad aquarum miraculum pertinet?

PH. Id accidit à viſiua hominis potentia, quia ob radios fractos res viſa apparet extra locum ſuum, & conſequenter extra ſuum rectum diametrum, vt tradit Gregorius Reiſch. in Margarita Philoſophica lib. decimo, tract. ſecundo, capite 12. Propterea quæ pars ſub aqua eſt, videtur proximior eſſe ſuperficiei, vnde rectitudo videtur amitti: qua ratione illud fit, vt ſi in vaſe nummum ieceris, & procul à vaſe abieris, adeo vt imum eius non valeas videre, neque nummum iniectum, oppleto mox aqua vaſe, & imum clariſſime & nummum videbis, & rurſum euacuato vaſe neque imum, neque nummum videbis, vt ſic apparere tibi & imum, & nummum noſcas, quia res viſa apparet extra locum ſuum, & prope ſuperficiem aquæ. Eodem loco Gregorius.

EQ. Suggerit adhuc memoria lacum alium, qui prætermittendus non videtur, qui cum per annum ſæpe repleatur, mox etiam exſiccatur, ſata tamen in eius humo, ſolove etiam poſt inundationem matureſcunt ad meſſem, fiunt in iiſdem ſatorum ac meſſium locis piſcationes, & vbi aqua exundabat, etiam quadrupedum venationes, & terreſtria aucupia: momentis paucis totus oppletur aquis ipſe lacus, totidemque momentis exſiccatur: id à Georgio Vernero accepimus in hanc ſententiam: *Eſt in Carnis finitima Hiſtriæ regione depreſſa vallis in laci formam ad ſeſquimilliarium longitudine patens, ac paulo minus latitudine. Quidquid aquarum à proximis montibus, qui locum ambiunt, deriuat, abſorbetur ſeptem ſcrobibus ſaxeis in ipſa valle à natura adeo probe formatis, vt hominum arte fabrefactæ videri poſſint: lacus autem mirandum in modum & oppletur & exſiccatur. Nam cum redundatione ſcrobes ipſæ nimium oppletæ fuerint, non modo non admittunt ſuperuenientes aquas, ſed quas iam acceperunt regurgitando euomunt, tantoque impetu ac celeritate effundunt in campum, vt eques quilibet concitatiſſime properans refluxum illum effugere non poſſit, tantumque aquarum emittunt hauſtum à terræ viſceribus, vt vallis illa tota, quæ pleriſque locis ad decem cubitos alta eſt, & vbi minimum, æquat iuſti hominis altitudinem, tot paſſuum millibus oppleatur, magna etiam cum piſcium affluentia. At mox tanta illa aquarum copia, non à ſcrobibus tantum, verum etiam à ſolo ipſo velut ſpongia ebibitur, & velut cribro fluens euaneſcit: quod vbi accolæ animaduerterunt, agminatim aduolant ad piſcationem, quæ maxima & perfructuoſa eſt. Siccato lacu, ſata perueniunt ad meſſem, & rurſum ſata fiunt, antequam inundationes accidant. Graminis adeo ferax eſt illud ſolum, vt poſt vigeſimam diem ſecari ſoleat.* Hæc etiam Ortellius in Goritia. Quod igitur hic natura operatur, vt lacus exſiccetur, fecit alibi caſus Deo iubente con-

contingens in perpetuum: nam Lucrinus lacus, qui olim non procul ab Auerno ſitus erat, exſiccatus imo repletus punicea, atque alia perſimili materia aggeſta, adeo lacus eſſe deſiit, vt nullum ſuperſit veſtigium. Georgius Bruin in Baiis. Prçter lacus alios, quos iam antea diximus exſiccatos ſub Artaxerxe ob ingentes cœli ſiccitates, quando & flumina & putei exſiccati ſunt, mare quoque ſuis ſedibus recedens velut in ſe iam imminutum rediit, vt ex Strabone diximus, quando de mari diſſeruimus.

FONTES

COLLOQVIVM DECIMVMTERTIVM.

EQVES.

SPectandus hodie nobis eſt puteus valde memorabilis, non eo tantum nomine, quod præ cæteris omnibus profundiſſimus ſit, & egregie lapidibus exornatus, verum etiam, quod in eo eluceat inſigne naturæ miraculum. Maritimis enim fluctibus intumeſcentibus ipſe minuitur, illis ſedatis, inaugetur, cum tamen mille paſſ. & eo amplius abſit à mari. Eo nobis eſt accedendum, peramœnus eſt locus, ſunt ibi & xyſti & ambulacra, in quibus conſedentes periucunde diem tranſigemus.

PH. Plurimam profert aquam hic puteus.

EQ. Igitur certiſſime conquieuere maritimi fluctus.

PH. Eſt plane res hæc memorabilis, augeri aquam iſtam ſedato mari, imminui tumeſcente.

EQ. Cum aliquando ſtuduiſſem aquarum naturis inueſtigandis, à Strabone, qui ſe à Polybio id ſcire tradit, didiceram, ad Gades fontem eſſe, in quem paucis gradibus deſcendatur, potabilem quidem aquam habentem, contraria marinis fluctibus natura, quandoquidem dum illi augerentur, eius aquæ minuerentur; ſin fluctus imminuerentur, ipſæ inaugerentur: qua natura hic quoque noſter puteus præditus videtur; id igitur memorat Strabo libr. 3. & legi, id quoque traditum à Plinio libro ſecundo, capite nonageſimo ſeptimo, qui & in ripa Bætis oppidum eſſe narrat, cuius putei creſcente æſtu maris minuantur, augeſcant decedente, medio tempore immobiles, eandemque naturam in Hiſpali vrbe cuidam puteo eſſe commemorat. Id præterea in Foro Iulienſi agro contra Timauum flumen calidis quibusdam ibi fontibus accidere Plinius tradit lib. 2. cap. 106. & ex illo etiam Leander.

PH. Contra euenit cuidam in Gadibus puteo, qui fluctibus intumeſcentibus augetur, minuitur ſedato mari; id Plinius tradidit libro ſecundo, capite nonageſimo ſeptimo: fontem enim, ait, incluſum ad putei modum eſſe, ſimulque cum oceano augeri ac minui, atque alterum oceani motibus conſentire. Minus igitur hæc miranda ſunt; vt enim mari conſentiant, natura ſuadet, vt omnibus locis, omnibus temporibus, qui non longe à mari ſunt fontes, cum illo augeantur minuanturve, cum inde omnem vim aquarum ſuſcipiant, occultis tamen meatibus, ac velut percolatione ſubterranea. Propterea cum in Hyberniæ regione Connachia, quia mare bis quotidie æſtuat, bisque quieſcit, fons ibi in montis excelſi vertice eſt, qui illius maris æſtum quotidie imitetur: nam bis die naturali deficit, bisque exundat. Ortellius in Hybernia. At quod iam diximus augeri, ſi

minuantur fluctus, minui, ſi illi augeantur, eſt longe admirabilius, vixque ratio
reddi certa poteſt, ſed coniecturis erit locus aliquis: à puteo fonteve ad mare ſunt
meatus occulti quidem, ſed latebroſi, & in quibus multus permeet ſpiritus: vnde
quum maritimi fluctus in ſe ipſos verſi intumeſcant; haud dubie etiam meatuum,
& ſpiritus, & admixtas aquas in ſe trahunt, vt ita ad puteum minimum aquæ poſſit
effluere; at vbi ſedati ſunt fluctus, quoniam ſpiritus admixtaque aqua non retrahi-
tur, ſed in conſuetum locum libera excurrit, vt augeatur eius fluxus in puteum, ne-
ceſſarium eſt. Eſtque eadem ratio, cur fontes nonnulli hyeme exſiccentur, quando
omnia plena ſunt aquis, æſtate large fluant, quando aquarum vbique penuria eſt:
Ratio, cur fontes minus hyeme quam æſtate fluant.
nam cum circumcirca fontem hyeme omnia madeant, latebræ ſinusque omnes
ſint aquis oppleti, neque adeo appetat aqua ipſa effluere, ſpiritu eam minus impel-
lente, velut torpeat hyeme, intra viſcera continetur; æſtate vero cum circumcirca
omnia inareſcant, Solisque feruor penetret magis, neceſſario aqua in meatum ac
venas magis ſeſe congregat, ſpirituque impellitur, vt emergat. Vt etiam ſpongia
madidave lintea hyeme minus liquentem aquam exprimunt, quam æſtate, ob ca-
loris vim: ita hisce fontibus accidit, hyeme velut oppleta ſpongia non expreſſa, mi-
nus aquæ emittitur, æſtate plurimum, velut exprimente vi Solis, de quibus fonti-
bus mox dicemus, poſtquam illud hic quoque expreſſero, eſſe puteos aut fontes,
qui æquali altitudine cum mari aut fluuiis, vnde repleantur, ſint, neque vnquam
magis minusve excreſcant, vt ita maris, fluuii aut laci ſuperficies ſemper æquali li-
bramento ad amuſſim cum ipſo puteo fonteve eſſe reperiatur; quod ſi aug ri ma-
re, fluuium aut lacum contigerit, in eandem ſuperficiei menſuram & puteus &
fons futurus eſt: id certe accidit vaſis omnibus. Si enim communicetur liquor flu-
ens ab vno vaſe in aliud ex inferiori parte, recipiens vas tantum recipit, quantum
eſt liquoris in vaſe mittente, atque ita liquoris communicati ſuperficies erit in v-
troque vaſe, in æquali menſura ad amuſſim, atque hac induſtria deprehendi ſolet,
quantum vini ſuperſit in dolio. Ita quoque ſi ab alio puteo in alium aquæ apertis
ſubterraneis meatibus deriuentur, vtriusque æquali altitudinis menſura erit ſu-
perficies ad amuſſim: propterea priſci illi, qui proxime Nilum incolebant, vt è do-
meſticis laribus Nili incrementa decrementave deprehenderent, puteos exſtruxe-
rant, quos Nilus ſubterraneo liberoque meatu oppleret. Id præcipue perſpicuum
fuit in Elephantina ipſius Nili Inſula, vbi puteus adhuc eſt, cuius aquæ tantum
creſcunt, quantum Nilus, tantum quoque decreſcunt, quantum ipſe minuitur.
Atque ita fit, vt Nilo non conſpecto ab domeſtico puteo illius augmenta decre-
mentaque deprehendantur. Nec tantum incrementa ac decrementa maris fontes
quidam aut putei imitantur, verum etiam aliquando maritimæ aquæ naturam qui-
dam fontes ſequuntur. Eſt enim inditum mari, vt omne immundum ſtercoro-
ſumque littoribus impingat: fontes igitur comperti ſunt, qui hoc imitentur certis
temporum interuallis. Nam in Cherſoneſo Rhodiorum fons eſt pellucidus, qui
poſt magnum interuallum fœda immundaq; forte fortuna immiſſa non patitur:
ex fundo enim vt illa omnia eiiciat, perturbatur totus, turbidusq; ex intimo ſordi
da quæq; ipſe ſordidus eiicit & effundit, donec perpurgatus ſordibus omnibus pu-
riſſimus reddatur. Senec. nat. lib. 3. c. 26. Vt autem ad cœpta redeamus, ſunt plurimi
putei fonteſq;, qui æſtate fluant large, hyeme vero exſiccentur. In Italia apud Tri-
dentum id accidit, eſtque res, quæ teſte non indiget, quum ſpectatiſſima res ſit.

TH. Leguntur non pauci naturæ eiusdem fontes. Ariſtoteles inter admiran-
da id

da id conſcripſit c. 52. *Mithepolis* (inquit) *eſt oppidum ad Aſcanium ſtagnum, quod per centum & viginti ſtadia diſtat à Chio, quo in oppido ita exſiccantur per hyemem putei, vt hydriæ nequeant immergi, per æſtatem ad ora vsque replentur.* Hæc ille: experimento autem ego didici, in Apuliæ finitimo caſtro, cui Roſeti nomen eſt, fontem eſſe ſuauem ac potabilem, æſtate largiter fluere, hyeme inareſcere, eum nos ipſi perſpeximus.

EQ. Memorantur alii non pauci in Italia, atque etiam apud exteros, quibus inditum illud eſt. Nam circa Olympum putei hyeme tota aquis carent, Vere primo aquæ redeunt. Sed & in Sicilia circa Meſſanam & Mylas hyeme in totum inareſcunt fontes, æſtate exundant, amnemque faciunt. Apolloniæ quoque in Ponto iuxta mare æſtate tantum fons quidam ſuperfluit. Plin. lib. 31. c. 4.

TH. Iuxta Ananiam fons, cui Toſſano nomen eſt, hyeme exſiccatur, æſtate autumnoque fluit multus, Blondus & Leander in Hernicis. Sed & in Luſitania apud Villam nouam fons quotannis oritur Kal. Maii, & ad vsque Kal. Nouemb. diffunditur, poſtea tota hyeme inareſcit, Kal. Maii renaſcens, idque perpetuo fit. Lucius Marin. rer. Hiſp. lib. 1. Sed omnibus illuſtrior fons is fuit, qui abluendis ſordibus in Salomonis templum fluebat æſtate copioſiſſimus, hyeme exiguus, vt Philo tradit, & ex ipſo Euſeb. præpar. Euangel. lib. 9. c. 4. Propterea illa ratio, ob quam iam antea diximus minus fluere fontes hyeme, quam æſtate, vera eſſe deprehenditur ab eo fonte, qui in mediterraneis Sardiniæ eſt, qui cum ingenti ſcaturigine fluminis modo fluat, dierum dimenſiones ſequitur: cum longiores dies ſunt, fluit largius, exſiccatur breuioribus, & pro ratione longitudinis breuitatisque etiam ipſe fluit, Leander. Quod vero proxime littora maritima, in quæ ſeſe demergit Timauus, in ForoIulienſi agro, ad radices montium fontes ſunt, qui, ſi ſerenum ſit cœlum, leniter ac modice fluunt; at ſi nubilum ſit, fluunt largiter, vt Leander tradit; id ea ratione fieri putarim, quod ſereno cœlo ſpiritus, vnde aqua manat, non adeo impellatur ad exitum, ſicut nubilo cœlo, quo meatus obſtructiores fiunt, atque ideo maiore copia impetuque & ſpiritus emittitur, & aquæ fluunt, cum econtra ſit ſereno cœlo, quandoquidem pori apertiores ſunt, vnde fluat lenius neceſſe eſt. Sed de hisce rebus plus ſatis.

EQ. Quæ autem ratio eius fontis, qui Plinianus dicitur, non procul ab vrbe Nouocomenſi, qui ſingulis horis augetur ac deficit, aut verius ter in die creſcit decreſcitque.

Plinianus fons admirabilis.

PH. Ratio in promptu eſt, ex regurgitatione id accidit. Id nobis explicabit iunior Plinius Epiſtola ad Surram lib. 4. *Fons* (inquit) *oritur in monte, per ſaxa decurrit, deciditque in lacum Larium; huius mira natura. Ter in die ſtatis auctibus ac diminutionibus creſcit decreſcitq́ue, cernitur id palam, & cum ſumma voluptate deprehenditur: iuxta recumbis & veſceris, atque etiam ex ipſo fonte, nam eſt frigidus, potas, interim ille certis dimenſisq́ue momentis vel ſubtrahitur, vel aſſurgit, annulum, ſeu quid aliud ponis in ſicco, alluit ſenſim, ac nouiſſime operitur; detegitur rurſum, paulatimq́ue deſeritur. Si diutius obſerues, vtrumque iterum atque tertio videas. Spiritusne aliquis occultior os fontis & fauces modo laxat, modo includit, prout in latus occurrit, aut deceſſit expulſus, quod in ampullis cæteriſque generis eiusdem videmus accidere, quibus non hians, nec ſtatim patens exitus? Nam illa quoque quamquam prona & vergentia per quaſdam obluctantis animæ moras crebris quaſi ſingultibus ſiſtunt, quod effundunt. An quæ oceano natura fonti quoque? quaque ille ratione aut impellitur aut reſorbetur, hac modicus hic humor vicib. alternis ſupprimitur, & egeritur? An vt flumina, quæ in mare deferūtur, aduerſantib. ventis, obuioq́ue æſtu retorquentur? Ita eſt aliquid, quod huius*

fontis excurſum per momenta repercutiat. An latentibus venis certa menſura, quæ dum colligit, quod exhauſerat, minor eſt riuus & pigrior; is cum collegit, agilior maiorque perfertur. An neſcio quod libramentum abditum & cæcum, quod cum exinanitum eſt, ſuſcitat, & elicit fontem, cum repletur, moratur, & ſtrangulat? Scrutare tu cauſas. Hactenus ille: cuius multæ illæ rationes omnes recidunt in regurgitationem. Propterea fons alius in Tamaritia Cantabriæ diebus ſingulis duodecies, & aliquando vigeſies ſiccatur, & redundat, vt Bocatius tradit, non niſi ex regurgitatione id facit: ſicut etiam aliis fontibus accidit in Noruagia; plures enim ſunt, qui modo creſcunt aquarum copia aucti, plerumque exundantes alueis crebras guttas in ſublime iaciunt, modo torpentibus ſcatebris vix ab imo conſpecti profundis ſubductionis terræ latibulis abſorbentur, quo fit, vt exuberantes proxima quæque ſpuma cum candore conſpergunt, exinaniti nullo viſus ingenio capiantur. Hæc Saxo Gramm. in Daniæ præfatione vim eiusmodi ad regurgitationem referens. Et ſane intra illius terræ viſcera frequentiſſimas eſſe latebras, & ſinus inde coniicitur, in quibus aquæ non perennes ſunt, ſed ſparſæ; at plurimus ibi ſpiritus eſt, qui facile eruptionem quærit, manantque cum illo aquæ, ſed cum modicæ ſint, velut regurgitatione retractæ videntur deficere: fieri autem id ſingulis horis aut aliis ſtatis momentis, non aliunde putandum eſt, quam quodam perpetuo fluxu ac refluxu erumpentis & quieſcentis, ac rurſum excipientis ſpiritus. Propterea Seneca natur. lib. 3. c. 16. memorat fontes eſſe, qui ſint ſenis horis pleni, ſenisque ſicci ſint, cauſamque ignotam eſſe affirmat naturæ occultum id putans.

TH. Id veriſimilius eſt ex regurgitatione fieri: nam aliquando etiam fontes Lunæ viribus non parum afficiuntur nouo quodam miraculo; in regno Cambaiæ orientalis Indiæ deficiente Luna fontes quidam excreſcunt, minuuntur plena Luna, vt tradit Ludouicus Barthema de reb. Ind. lib. 1. cap. 1. cuius rei ratio videtur perdifficilis.

PH. Nec rei huiusmodi ratio inſcrutabilis eſt: nam ex eodem æſtu maritimo id videtur accidere, qui plerumque inualet Lunæ interſtitio. Sinus enim intra eius terræ viſcera magnis lacis ſtagnisq; ſcatent, qui magis deficiente Luna permouentur, quam plena: ideo longe magis permoti ſcaturiginem fontis adaugent, cum è diuerſo Luna plena quieſcāt magis, ac propterea minor fiat ſcaturigo, aut forſitan alia ratio eſt, Luna plena meatus nimio humore repleti ob anguſtas fauces minus fluunt, id etiam vaſis ad ſummum oppletis accidit, vt difficilius emittāt: ac defectu Lunæ, cum humoris ibi minus ſit, facile fluit; aut etiam id contingit, quod plena Luna aquæ intra ejus terræ viſcera alio ab maiori ſpiritu retrahuntur, deficiente vero non retrahunt. Hæc omnia Lunæ vis efficit, ſicut & illud efficit, vt fontes aliqui certis interſtitiis dulces, aliis amariores ſint, Auſtro ſalſiores, quam Aquilone, vti Ouetanus memorat in Inſula quadam orbis noui ſibi conſtare hiſt. lib. 20. c. 21.

TH. Sed hæc omnia ſuperantur ab his, qui Deo rite famulantur: nam & ſalſos fontes aut amaros vertunt in dulces, & ex aridiſſimis locis ſcaturigines etiam ingentes manare iubent. Amaros enim ac ſalſos ipſis quoque fructuoſis arboribus, ac prægnantibus mulieribus, partuiq; pernicioſos fontes Eliſæus immiſſo ſale reddidit ſalubres ſimul & prædulces, 4. Reg. cap. 2. Ioſeph. bell. Iud. lib. 5. c. 4. E lapide longe præduro & arenti in deſertis aridisque campis. Sin Moyſes binis virgæ ictibus tanta vbertate fontem ſcaturire iuſſiſſe perhibetur, vt mille millibus, ſi etiam irrationabilia numerentur, ſuffeciſſe ad potum videretur. Num. 20.

EQ. Poſ-

EQ. Poſſunt recoli plures fontes, qui iuſſu Sanctorum manarunt, præter omnem naturæ rationem: nam & in Amorrhæorum, Moabitarumque confinibus cum in Arnon Iſraeliticus populus ſiti laboraret, ſponte, repentinoq; caſu, imo diuina ope puteus apparuit, Num.21. Et cũ Agar eiecta cum Iſmaele filio præ ſiti iam iam deficeret, Angelo compellente, aperti ſunt illi oculi, vt in illa ſolitudine puteus apparuerit: id enim inter Scripturæ miracula adnumerat Auguſtinus de mir. ſacr.ſcript.lib.1.cap.13.ex Geneſ.cap.21. Et quamquam fuerit is fons celeberrimus, quem agnus in ſolitudine Cherſone orante Clemente Romano Pontifice indicarat nuper exortum; recoluntur plurimi alii, quos recenſere peropportunum videtur: atque ego illos memorabo, qui nunc occurrunt primum quidem ex Sophronio prat.ſpir.cap.81. *Apamienſis* (inquit) *quædam mulier effoſſo magnis ſumptibus puteo, omnem operam in eo perdiderat, aqua numquam inuenta: monita autem illa per quietem, vt Abbatis Theodoſii imaginem appingeret, paruit illa, pictamque imaginem coniecit in aridum puteum. Vix illa imum attigerat, factus eſt fœcundus puteus plurima aquarum ſcaturigine; nam dimidium putei oppletum eſt.* Hæc ibi: Diuo quoque Benedicto iubente, cum monachi in montis Caſſini vertice non adeſſe aquam conquererentur, præuia oratione manare fontem iuſſit; qui etiam nunc fluit. Gordianus in vita S. Placidi, & Gregor. dialog. lib. 2. cap. 5. Diuus quoque Guthbertus in aridiſſima Farne Inſula degens nullam ſuppetere aquam animaduertens, ne monachis, ſibique ob eam rem, vbi nil ad potum ſubminiſtrari poſſet, migrandum eſſet: oratione viuo ex lapide perennem fontem Dei ope manare exorauit. Beda in vita eius apud Surium Tom.2.

TH. Inſignior eſt ille fons, quem ſe vidiſſe teſtatur Sophronius prat.ſpir. cap. 80. In monte enim, qui eſt inter Seleuciam, & Roſum Ciliciæ, fontem eſſe ſcribit, non natura, ſed diuinitus datum Abbatis Theodoſii orationibus; quod autem ibi monachi lauacrum ædificaſſent, eodem miraculo, quo fuerat illis datus, ob eam culpam exaruit; atque ita annum integrum non fluxit: at poſtea diruto lauacro, rediit priſtinum miraculum cum ſua ſcaturigine. Id ipſum fecit æque ingenti miraculo Iacobus Niſibenus Epiſcopus ob puellarum impudicitiam; fontes, circa quos verſabantur, iuſſit areſcere: poſtea indigenis rogantibus ob ſummam neceſſitatem ad priſtinum fluorem fontes iuſſit redire. Theodoretus in Philotheo, in Iacobo Niſibeno, quod nos iam alias diximus. Quamquam autem Ethnicis noui quidam fontes aliquando velut miraculo eruperint: id prodigio factum eſſe nemo dubitabit, ſicuti Liuius memorat Dec.3.lib.4.in vico Iſtrico repente emerſiſſe fontem, torrentis modo. Id ego poſſem naturæ adſcribere, quæ id effecerit: neque enim vllus mortalium eius miraculi auctor extitiſſe memoratur: non enim eſt nouum, aliquando fontes ſponte emerſiſſe, vt poſtea dicemus opportunius. At quandocumque Chriſti virtute ſcaturire fontes, illius gloria enituit; & eorum, qui illi obſequebantur, virtutum laudes emicuere. Beatus enim Ioannes Euangeliſta, cum in Cheretopam ſeſe contuliſſet, in fidei Chriſtianæ teſtimonium, quam illis prædicabat, futurum prædixerat, aquam inde effluxuram, qua morboſi quique incolumitati reſtituendi eſſent: idque reuera protinus euenit. Metaphraſt. quinta Septemb. apud Lipom. Tom.7. Sed & Epiphanius Epiſcopus, quando à Perſarum Rege deceſſerat, profectus in Phænitiam in Spanydrion triduo ſitim aquæ defectu perpeſſus eſt: at tandem orans aquam à Deo exorauit, qua etiam horti irrigarentur, vnde olerum cibo quoque veſci poſſet: id memorat oculatus teſtis, ipſiusq;

Epiphanii indiuiduus comes Ioannes in eius vita apud Metaphr.15. Maii. Lipom.
Tomo 6. Et vt egentibus præſto eſt Dominus in præbenda aquarum ſcaturigine:
ita quoque in fidei teſtimonium, veritatisque confirmationem fontes exoriri di-
uino miraculo iuſſiſſe memoratur. Id narrat Gregorius Presbyter Cæſareæ Cap-
padociæ, cum de ſanctis trecentum Nicænæ Synodi patribus orationem haberet.
Teſtatur enim, diſceſſuris patribus, fontem eo loco ſcaturiiſſe, vbi patres in Syno-
do conſediſſent, perſeueraſſeque etiam ſuo tempore. Extat apud Metaph.10. Iulii.
Lipom.tom.6.

EQ. Et ad momentum, vt Sanctis Dei pareant, aquæ ſeſe plus ſolito effun-
dunt, augenturq; nullo neq; Lunæ, ſiderumve motu, ſed ſola Dei ope. Cum enim
in eremo Anachoreta ex imo puteo, fune deficiente, aquam haurire nequiret; ora-
uit, vt neceſſitati occurreret Deus, ac mox puteo iuſſit, vt aquam in ſummo prębe-
ret: mirum, aſcendit ab imo aqua in os vsq; putei; expletoque vaſe, gratiisq; Deo
actis, abeunte Anachoreta, aqua rurſum in imo putei deſedit. Hæc liber, cui titulus
vita S.S. Patrum, p.2.cap.27.

TH. Nullis legibus, nullisq; terminis cohibentur aquæ, vbi fides viget: quin
ipſo fidei exordio, naſcente ſcilicet Chriſto, Romæ apud Transtyberim fons olei
nonne largiter tota die fluxit? vt Oroſius memorat lib.6. Eutrop. lib.7. Petr.Da-
mian.in ſermone de natiuitate Domini, & Fulg. lib. 1. At in rectæ fidei teſtimo-
nium ſicut vaſa aquis oppleta coram aſtantibus disparentibus lymphis, deficiente
fide, inaruerunt, vt diximus heſterna die, ita alibi cum non eſſent, adueniente per
miraculum aqua, oppleti ſunt ob fidei meritum: hæc pluribus confirmare poſſu-
mus. Nam ex Epiſtola Paſchaſii Epiſcopi, quæ extat intra B.Leonis I.Papæ ſexage-
ſimæ ſeptima grande miraculum collegimus, quod eius verbis recolere libet: ſic e-
nim ille: *Quædam* (inquit) *viliſſima poſſeſſio Meltinas appellatur, in montibus arduis ac*
ſyluis denſiſſimis conſtituta; illic perparua atque vili opere conſtructa eſt Eccleſia; in cuius
baptiſterio nocte Sacroſancta Paſchali baptizandi hora cum nullus canalis, nulla ſit fiſtula,
nec aqua omnino vicina, fons ex ſe repletur, paucisq; qui fuerint, conſecratis, cum deducto-
rium nullum habeat, vt aqua venerat, ex ſeſe deſcendit. Cum autem apud Occidentales de die
Paſchatis ortus error fuiſſet tempore baptiſſimi Papæ Zozimi: cum Presbyter ſecundum mo-
rem baptizandi horam requireret, vsq; ad lucem aqua non veniente non conſecrati, qui bapti-
zandi fuerant, receſſerunt. Erat enim erroneus dies Paſchæ octauo Kal. Aprilis. At illa nocte,
quæ luceſcebat in diem Dominicam decimo Kalend.Maii, quæ vera dies Paſchatis erat, fons ſa-
cer hora competenti repletus eſt. Hactenus ex illo ad Leonem Pontificem. Perſimile
quoque eſt, quod Gregorius Turonenſis recolit in glor.Mart.lib.1.cap.24. In Lu-
ſitania Baptiſmi fontis eſt alueus apud Oſem campum; ibi die cœnæ Domini Epi-
ſcopus ac ciues congregati quotannis orantes, occludẽtesq; ſeris ac ſignaculis fon-
tis vacui, ac absq; vlla aqua locum, Sabbati ſancti diem præſtolantur: quo adueniẽ-
te, Epiſcopus ac populus ad locum redeuntes occluſum atq; intactum, cum reſe-
rarint atque aperuerint, ſignaculaq; abſtulerint, mirum, locus qui inanis erat, repe-
ritur aqua oppletus, adeo vt tametſi redundare videatur, nunquam tamen effluat:
cum autem plebs omnis inde ad domorum, agrorumq; ſanctificationem accipiat,
nulla prorſus parte aqua illa imminuitur. Exacto autem Baptiſmate, mirum, aqua
in ſe rediens, nusquam apparet: fuere tum viri priuati, tum Reges, qui rem ſoler-
tius, ne dicam curioſius, explorare adnixi ſunt, num vllum lateret artificium, ii di-
uinum ſenſere numen aduerſarium; nam aut rabie mox arrepti ſeſe dilaniarũt, aut
breui

breui diem ſuum obiere; quod Regi Theodegiſillo curioſius arcanum hoc ſcrutanti, quod putaret Romanorum, id eſt, Catholicorum dolo id fieri, ſuis ipſe manibus cum locum occluſiſſet adhibitis etiam cuſtodibus, perſcrutatus eſt terræ circumiacentis profunda: cum nil artis, aut fraudis comperiſſet, confuſus numine vindicante, ipſo illo anno occubuit.

PH. Sunt hæc lapillo albo adnotanda: at libet adiicere admirandum illum baptiſmalem fontem, qui etiam natura eodem loco ſcaturit, quo ſanctificari baptiſmales aquæ conſueuerunt: is fons velut aures ad audiendum habeat, verbis exorciſmi mouetur, ſalit, excitatur, velut qui intelligat vim arcanorum diuinorum. De illo agit Caſſiodorus var. lect. lib. 8. epiſt. 33. Eius hæc verba ſunt, dum agit de conuentu Leucotheæ in Lucania. *Eſt* (inquit) *locus ipſe camporum amœnitate diſtenſus, ſuburbanum quondam Coſilinatis antiquiſſimæ ciuitatis, qui à conditore ſanctorum fontium Marcilianum nomen accepit: erumpit aquarum perſpicua, & dulcis vbertas: vbi in modum naturalis antri apſidis fabricata concauitas, ſic perſpicuos liquores emanat, vt vacuum putes lacum, quem non dubitas eſſe pleniſſimum. Hic perlucidus vſque ad fundum patet, vt aſpectibus tuis aerem potius apparere iudices, non liquorem. Æmulatur ſerenam diem aqua ſubtiliſſima: nam quidquid in imo geritur, in offenſa aeris claritate monſtratur:* Et paulo poſt: *Longum eſt illius fontis memoranda deſcribere: veniamus ad illud ſingulare munus, ſanctumq; miraculum. Nam cum die ſacratæ noctis precem baptiſmatis ceperit Sacerdos effundere, & de ore ſancto ſermonum fontes emanare, mox in altum vnda proſiliens, aquas ſuas non per meatus ſolitos dirigit, ſed in altitudinem, cumuloſque transmittit. Erigitur brutum elementum ſponte ſua, & quadam deuotione ſolemni præparat ſe miraculis; vt ſanctificatio maieſtatis poßit oſtendi. Nam cum fons ipſe quinque gradus tegat, eoſque tantum ſub tranquillitate poßideat, aliis duobus cernitur creſcere, quos numquam præter illud tempus cognoſcitur occupare. Magnum ſtupendumque miraculum, fluenta labentia ſic ad humanos ſermones vel ſtare, vel creſcere, vt eis credas audiendi ſtudium minime defuiſſe. Fiat venerabilis omnium ſermone fons iſte cæleſtis: habet & Lucania Iordanem ſuum; ille exemplum baptiſmatis præſtitit; hic ſacrum miniſterium annua deuotione cuſtodit: quapropter & reuerentia loci, & vtilitas rei dare debet populis ſanctiſſimam pacem.* Hæc Caſſiodorus nomine Attalarici Regis ſcribens Epiſtolam ad Seuerum. Scio tamen fontes eſſe, qui latebroſis exurgentes locis aliquo ſonitu, aut voce turbari ſolent ob ſpiritum concauos ſinus ſubter permeantem; idque in eadem Lucania accidit: ſed de eis poſtea agemus pluribus.

Fons vel uti audiens verbis exorciſmi permotus.

EQ. Hiſce commemoratis miraculis, omnib. perſpicuum factum video, mihi vero præcipue, poſſe Sanctos fideque pollentes viros ſuperare omnia fontium indita naturæ miranda: quando nulla temporum, locorumve habita ratione, cum ita diuinum iuſſerit conſilium, augentur, minuuntur, exoriuntur, areſcuntq; fontes paruo negotio, id eſt, ſola oratione aut fide.

PH. Sed quoniam natura quandoq; fontes ſponte emergunt, exoriunturque nullo hominum indicio, non fuerit importunum de eis commemorare, ſiue profuerint, ſiue obfuerint. Sub Theodoſio Imperatore iuniore, vt alibi fontes non exigui ſubito exaruere, ita alibi vbertim aqua profluxit, quæ antea eſſe non conſueuerat. Niceph. lib. 14 cap. 46. Id autem frequenter accidiſſe auctores tradunt terræmotibus, quorum vi cum terra quatiatur, alibi quidem obſtructis meatibus aquæ aut deficiunt, aut alio intra terræ viſcera diuertuntur, aut etiam limo obruuntur, aut in alios meatus tranſeunt; manantque velut expreſſa terra. Id autem

tun

tum magno accidit miraculo, cum anno Domini 1456. omnem Apuliam, Cam-
paniamque cum adiacentibus regionibus terræmotus omnia fere peſſumdedit
quinta, ac poſtea iterum trigeſima Decembris die. In eam autem rem libet reco-
lere Iacobi Papienſis Cardinalis tum viuentis verba, inter ipſas Epiſtolas adnotata.
Die (inquit) *quinta Decembris anno ſalutis noſtræ 1456. tribus fere ante lucem horis, totum*
fere regnum Neapolitanum concuſſum eſt ingenti terræmotu, quo oppida plura & ciuitates,
aut totæ multis locis aut alibi, ex parte cum pernicie hominum corruere. Habito cenſu oppreſ-
ſorum, relatus eſt ad Regem capitum numerus 60. millium. Res profecto inaudita ſæculis no-
ſtris, ac vix fidem faciens, niſi iis, qui viderunt. Fuit Romæ etiam & in locis propinquis, ſed
innocuus & mediocris, ac ſemel tantum, vt vix à pleriſq; ſentitus ſit. Credo continuationem
imbrium, qui ſine ventis duos prope menſes durarunt, hoc effeciſſe. Memini enim octauo ab hinc
anno, cum eſſem in agro Florentino, poſt diuturnos imbres ſecutum eſſe terræmotum. Hæc
ille: quæ & Platina, S. Anton. & alii. Tum igitur, vt ad rem redeamus, Boianũ oppi-
dum, imo vrbs cum quateretur, erupit ab ingenti, quæ illi ſupereminet, rupe fons
in adeo ingẽtem aquarum copiam compreſſa humo, vt ſcaturigine indigenas de-
merſerit ad numerum 1300. Reſedit tandem fons ille, neq; in tantam dein erupit
inundationem, ſed menſura quadã fluxit, fluitq; in hunc vſq; diẽ amnis modo; ibi
enim fit amnis, vbi ipſa origine manat. Saluberrima præ omnib. aqua, de hiſce reb.
plura S. Anton. qui tum in viuis agens hiſtoriæ commendauit. Chron. tit. 22. c. 14.
§. 3. & Collenutius. Extra Italiam quoq; id accidiſſe memoratur, anno enim Do-
mini 1356. circa Baſileam ex terræmotu fons exortus eſt frigidiſſimis fluens aquis.
Werner. Faſc. Mutius Germ. rerum l. 25. Seneca autem natur. lib. 3. c. 11. memorat
ex Theophraſto, in Corcyro monte poſt terrarum tremorem nouos ingentesque
fontes emerſiſſe.

Fons ex terræmotu ortus.

TH. Id autem frequentius accidit irato Deo: quod enim alias breuioribus di-
ximus, nunc proſequemur pluribus, quod ſic occaſio ferat. Hoc enim noſtro ſæcu-
lo in Sanciorum prouincia, quæ è Sinarum regionibus vna eſt, repentina quadam
ſcaturigine erumpentes fontes adeo magnum in modum exuberaſſe traduntur, vt
lacum effecerint patentem ad Italica milliaria ducenta, ſubmerſis vrbibus ſeptem
præter alia oppida ac rura, totoque hoc locorum interuallo omnia animantia in-
terempta ſunt, præter vnicum puerum, qui ligno quodam ſeſe recipiens periculũ
diuina ope euaſit. Reliqui autem, qui hac atq; illac aufugerant inundationem e-
uaſuri, igne de cœlo miſſo, cõſumpti ſunt: id ſcripſit Melchior Nugnez Ieſuita an-
no Domini 1558. Non negarim tamen aliquando hominum opera præter opinio-
nem, atque abſq; ira Dei fontes manare: imo potius in hominum etiam beneficiũ,
cuiusmodi in orbe nouo accidiſſe hoc noſtro ſæculo memorant. Ædificabatur Ie-
ſuitis domus, eradicandaq; erat ingens arbor, illa exciſa & prolabente, cum radices
ſequerentur, euulſione tantum in ima humo motum egere, vt mox ſcaturire viſus
ſit fons, valde potabiles ac ſalubres aquas mittens: id accidiſſe in Baia Saluatoris
ſcripſit Ambroſius Perez anno Domini 1555.

Inundatio fontium horrenda.

EQ. Sed cur ille puer vnicus ea inundatione in Sanciorum prouincia pericu-
lo exemptus eſt?

TH. Ad miraculi maiorem euidentiam: ſæpe etiam maximis discriminibus
pueri exempti memorantur; non equidem propriis viribus, ſed Angelico ductu:
nobis enim compertum eſt veridicorum virorum teſtimonio, paucos ante annos
in vrbe Aſtenſi, cum ingens fluuius Tanarus à multitudine nauigio traiiceretur,
demerſa

demerſa in medio naui, omnes etiā nautas, ac reliquos qui natandi peritia valerent fuiſſe aquis obrutos & extinctos: viſum autem tum eſt hoc miraculum. Erat multitudini admixta mulier inops, quæ flumen traiicere inſtituerat, colligendorum lignorum cauſa, vt ſuæ, liberorumque inopiæ ſuccurreret: in nauigio igitur illo poſita puerum triennem dextra tenebat, lactantē alium læua in ſinu fouebat; demerſa naue ipſa cum vtroq; filio trans flumen deuecta eſt incolumis; illi non fuere adiumento brachia, vt nataret liberius, detentis filiis magna cura. Ita fit, vt Angelorum ope incolumes transuectos fuiſſe hos omnes fateamur: quin putarim, niſi mulier adeo ſolertem curam filiorum infantium magis, quam ſui habuiſſet, illorum memor, ſui prorſus oblita, quod veræ charitatis eſt opus, non fuiſſe eo periculo emerſuram: accidit id anno Domini 1564. hebdomada prima poſt octauam Paſchæ.

Puerorū periculo Deus vbiq; praſto eſt angelis ſuis.

EQ. Id ego quoq; affirmarim: nam diuo Thoma Aquinate teſte, adeſt Deus per Angelos magnis periculis pueris eximendis, afferamq; priſcorum temporum hiſtoriam huic argumento conſentaneam. Non longe ab Antiochia mulieri hoſpitaliſſimæ charitatis vnicus puer erat ſeptennis; exceperat illa Sanctos hoſpitio, cum puer circa puteum ludens in eum delapſus eſt. Mater quanquam id reſciſſet, intenta hoſpitum obſequio nihil laboris intermiſit, velut neglecta ob hoſpites filii ſalute: id perpendentes Sancti, ſe ſcilicet præpoſitos filii vitæ, ad puteum ipſi accurrerunt, videruntq; puerum in ſuperficie aquæ (erat autem ad multa cubita exuberans) cum aquis ludentem, vt in ſolo ſecuri ludere ſolent alii: extractum igitur ab imo incolumem matri reſtituere. Id narrat Theodoretus in Philotheo in vita S. Iuliani Sabæ.

PH. Ad eandem Angelorum circa pueros cuſtodiam recolam & ego exempla alia. In Sentinatum rure quodam inopis muliérculæ triennis puer filius in profundum puteum incautus fuerat delapſus, nemine id animaduertēte, præter infantem aliam eius ſororem forte fortuna ob id exclamantem: quamobrem cum mater accurriſſet, extractumq; iam expiraſſe puerum agnoſcens, ſuſpenſum pedibus illum tenens, vt aqua epota deflueret, ipſum religioni deuouit: mirum, emiſſo voto, ille reſumpto ſpiritu reuixit, vbi adoleuit, ſubiit Eremitarum ordinem, actandem à Pio II. in Cardinalium cœtum cooptatus eſt; fuit illi nomen Alexander Oliua. Id memorat Garimbertus in varia fortuna Cardinalium. Inſignius iſto exemplum aliud eſt. In Burgo Cælano latebat vetuſtiſſimus puteus vepribus obtectus: in illum puer incaute ludens cum decidiſſet, quanquam aquæ ad cubita octo aſcenderent, in ſuperficie reſedit incolumis perinde ac ſolo: ob id quod illabēs in caſum dixerat: Adiuua me S. Franciſce, erga quem iam parentum ſtudio probe fuerat pietate imbutus: acceſſit miraculo aliud, nulli fuerat agnitus pueri caſus, & iam alibi à ſuis quærebatur: præterlapſo tandem temporis interuallo ad maiorem miraculi fidem, incidit cuidam in mentem forte in puteum puerum decidiſſe, eo itum eſt, inuentus ibi ſedens in aquæ ſuperficie incolumis. Id memorat D. Bonauētura in vita S. Franciſci c. 15. Sed de hiſce rebus hactenus.

Fontes peſtiferi.

EQ. Ad alia igitur transeamus: audiui peſtiferos compertos eſſe fontes: cur id à natura eſt factum, cum omnia propter hominem facta ſint vt ſeruiant, non perimant?

TH. Sicut etiam venenata animantia, herbæque, atque alia etiam propter hominis ſalutem initio creata ſunt, ita poſt lapſum omnia contra hominem conuerſa

ſunt, vt lædant incautum, at aquæ peſtiferæ, aut iam cognitæ indigenis ſunt, aut per inuia loca conſtitutæ, vt minus lædant: eſſe autem eas oportuit, vt vbiq; homo ſibi caueat, ſemper de morte ſollicitus: propterea in Beroſo Taurorum colle tres fontes ſine remedio, ſine dolore mortiferi ſunt. Plin.lib.2.c.103. Sed & in Arcadia fons eſt, cuius hauſtus interimit: & in Bœotia puteus eſt peſtilẽs, cuius liquor mors eſt haurientibus, vt Solinus tradit ex Marco Varrone cap.12.

PH Tradit Ariſtoteles de admir. libro, cap. 216. fonticulum eſſe apud Gelo-pes Thraciæ, cuius aquæ & puræ & pellucidæ videantur: ac reliquis puris fontibus concolores; verum vbi animal quoduis ex illis guſtauerit, continuo moritur, cui congruit, quod habet Plinius lib.31.cap.2. *Lycus* (inquit) *fons in Leontinis tertio die interimit.*

TH. Fecit tamen natura aliquando fontium aquas ſoli homini potabiles, reliquis autem omnibus animantibus peſtiferas; id compertum eſt in Hybernia in Connachia: vbi fons eſt omnibus animantibus mortifer, ſoli homini potabilis. Ortellius in Hybernia.

EQ. Mitiores ſunt aquæ eius fontis, qui in Cherma in Orientali prouincia compertus eſt, non procul ab Ormutio Perſidis ſitus, virides illæ ſunt perinde, ac prata ipſa ac præſalſæ: quiſquis ex illis vel tantillum guſtarit, mox ventris profluuium maximum patitur, quod & accidit, ſi vel granum illius ſalis inde confecti e-derit; quanquam ſi ad ſatietatem quis potarit, non eſt ambigendũ etiam mortem ſequuturam. M.Pol.lib.1.c.18. Sed valde mortiferi ſunt ii, quos legimus in Iſlandia Inſula, & in Polonia noſtro Europæ cœlo repertos. In Iſlandia ſcaturiunt latices, quibus guſtatis quiſq; velut veneno perimitur proſtratus. Saxo Gram. in præfatione, de reb. Dan. At in Sepuſio Poloniæ peſtilens aqua, & halitum, auramque etiam peſtilentem ſpirat, cuius non modo guſtu, ſed etiam afflatu animalia quęuis necantur. Mart. Crom. Polon. deſcript. lib.1.

PH. Sunt & aquæ non omnibus animantibus peſtiferæ, ſed generi tantũ: nam apud Soractem montem non procul ab vrbe Roma fons eſt, qui oriente Sole perinde commouetur, ac ſi ferueat, ex quo aues guſtantes moriuntur; id ex Varrone recolit Plinius lib.31. cap.2. Blondus & Leander in Faliſcis: Blondus item in ſylua Antia fontem eſſe tradit alium, ex quo aues bibentes necentur: ſed & apud Politianum Etruriæ vrbem eſſe fontem memorat in Faliſcis Leander, cuius aquas aues potantes exanimantur quidem, ſed ſi alias in aquas demergantur, mox reuiuiſcunt.

PH. Eſt ergo hoc tolerabilius, ſi cum peſtiferis rebus etiam remedia natura pararit; quod Pomponius Mela inſigniter tradit, eſſe in fortunatis Inſulis; vnam enim ſingulari duorum fontium naturam maxime fieri memorabile ſcribit, quod ex altero qui guſtauerit, riſu ſoluatur in mortem: ita affectis remedium eſſe ex altero bibere. Hæc ex illo.

EQ. Raro igitur accidit, vt quæ peſtiferæ aquæ ſunt colore aut ſapore, id indicent: latet enim plerumque ſub ſuauitate venenum. Propterea contra ſæpe obtingit, vt aquæ, quibus ſapor ſit acer, aut alia ratione non gratus, vim ſalutarem aliquam habeant, cuiuſmodi balneares omnes aquæ, cum ſalubres ſint, inſipidæ tamen ſunt, vt poſtea dicemus. Et in Campania felici fontis aquæ ſunt, quæ inſuaues cum ſint, dolorem tamen capitis expellunt, vt Leander tradit: ſicut econtra campis Lucenſibus non procul à balneis, & præterea in Linternio agro aquæ fon-

tis ſunt equidem potabiles, ſed velut vino qui biberint inebriantur: Plinius, Blondus & Leander. Sunt & in Islandia fontes, quorum ſcatebra cerealis poculi proprietatem imitari videtur. Saxo Gramm. in ſuæ Daniæ præfatione. Perſæpe vero tanta ſunt alicubi ipſæ aquæ acrimonia, vt omnibus animantibus ſint horrori, neq; guſtu hauriri poſſint, cum tamen ſaluberrimæ ſint, quod contingit fonti apud Volaterras. Leander.

PH. Antequam autem proſequamur fontes, quorum aquæ ſalubres ſunt, ſuperſunt adhuc multi, quibus ineſt aliquid noxium. Nam quod ad equos pertinet, fons Potinæ efferari eos cogit, & in rabiem inflammari, ſi ex ipſo biberint: eſt is non longe ab vrbe Thebis, vti alias diximus ex Æliano lib. 15. c. 25. Sed neſcio an id accidat etiam homini ex eo bibenti. Sunt tamen, qui etiam hominem non modo temulentum vini modo reddant, verum etiam cogant ad inſaniam: ii fontes ſunt in Paphlagonia in agro Caleno: & quæ Lynceſtis dicitur, quæve vocatur Acidula. Plinius lib. 2. cap. 103. Idque recolit etiam verſibus Seneca natur. libr. 3. cap. 20.

—— Lynceſtius amnis,
Quem quicumque parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quam ſi mera vina bibiſſet.

Sed & in Cea ſeu Chio Inſula eſſe fontem ſcripſit Varro, ex quo qui biberint, hebetes fiant ingenio, Plin. lib. 31. c. 2. Iſidor. lib. 13. cap. 13. Bocatius in Inſula Chio. Contra vero fons eſt in Sicilia apud oppidum Iusgum; ex quo bibentes ſubtiliores ſenſus adipiſcũtur. Ex Varrone. Plin. lib. eod. c. 2. Sed illud memorabilius eſt, quod in Bœotia duo ſunt fontes, quorum alter obliuionem quidem inducit, alter vero illuſtrat memoriam. Eodem loco Plinius & Iſidorus.

EQ. Sunt & qui non omne corpus lædant, ſed partem tantummodo: nam in Germania trans Rhenum caſtris à Germanico Cæſare promotis, maritimo tractu fons fuiſſe memoratur; isq; ſolus dulces continens aquas, quibus epotis, intra biennium dentes deciderent, compagesq; in genibus ſoluerentur: quod malum ne absq; antidoto foret, cõperta herba, quæ Britannica vocatur, non neruis tantum, & oris malo ſalutaris fuit, verum etiam aduerſus eius aquæ noxam profuit. Plin. lib. 25. c. 3. Oculis autem noxiæ quoque aquæ ſunt: ni Ethnicam eam eſſe ſuperſtitionem credere velimus. Solinus enim ſic habet cap. 9. *In Sardinia fontes ſunt, qui oculis medeantur, & corrigendis valeant furibus: nam quisquis ſacramento raptum negat, lumina aquis attrectat, vbi periurium non eſt, cernit clarius; ſi perfidia abnuat, detegitur facinus cæcitate, & captus oculis admiſſum facinus fatetur.* Hæc ille.

TH. Haud dubie id ad ſuperſtitionem pertinet Ethnicam, quanquam Iſidor. veteres ſequutus eadem protulerit in hæc verba: *Fontes habet Sardinia calidos infirmis medelam præbentes, furibus cæcitatem, ſi ſacramento dato oculos aqua eiusmodi tetigerint.* Hæc ille lib. 14. cap. 6. Verum cum maiora ſint in Dei poteſtate miracula, nihil de ea re ſtatuendum, niſi quatenus apertiore experimento id ſit compertum. Sunt præterea fontes, qui ſoli gutturi obſint; mirandum enim in modum guttura augentur quandoque aquæ potu, quemadmodum iis contingit, qui Alpes inhabitant illas, quæ Galliam ab Italia diſterminant: ibi enim fontes, quorum aquis in potu vtuntur, ob inditam illis naturam indigenis guttura in tantam amplitudinem inaugentur, vt in vmbilicum vsque nonnullis tum viris, tum fœminis propendeant: quin etiam in humeros reflectunt: res in propatulo eſt, neq; eget te-

ſtibus: nec in Europa tantum id accidit, verum etiam in Aſia: mirandum enim in modum ex fontibus ibi reddi gutturoſos homines tradit M. Pol. lib. 1. c. 31. At in Styria mulieribus adeo protenditur guttur, vt poſt tergum perinde ac ſaccum reiiciant, ne lactanti infanti impedimento ſit: perſimile viſum Friſaccii auctores ſunt. Hæc Ortellius in Illyrico.

EQ. Qua ratione admiramur hos fontes, eadem admirabimur eos, qui reddunt mulieres infœcundas: id enim accidere memorat Solinus c.10. *Apud Gelonium* (inquit) *ſtagnum tetri odoris duo fontes ſunt, altero quæ ſumpſerit ſterilis mulier fœcunda fiet, altero ſi fœcunda hauſerit, vertitur in ſterilitatem.* Hæc ille, quæ & Iſidorus; ſed in Lycia eſſe eos fontes ſcribit lib.13.c.13. quod & Seneca memorat lib.3.c.25. Fœminis enim ſi vulua parum tenax eſt, illo fonte, vt concipiant, curantur. Id quoque in Etruria apud Volaterras fieri vt guſtato fonte mulieres fiant fœcundæ ex ſterilib. memorat Leander. Sed & in cratere Puteolano feruens aqua valde atra erumpit, quæ ſterilibus fœcunditatem gignat. Leander. Sed ſi hæc reuera ita fierent, quæ mulier vmquam ſterilem ſe eſſe pateretur? aut quæ vmquam tantum naturæ beneficium parcens labori, aut ſumptibus intermitteret? Veriſimilius autem id ſemper putaui, quod in eodem Volaterrano agro compertum eſſe idem Leander tradit: fontem ſcilicet eſſe iuxta Febianum vicum, cuius hauſtu mulieres lacte deſtitutæ vberrimum recipiant.

PH. Si quid eſt in fontibus admirabile, id fuerit admirabilius, cum de extinguenda luxuriæ eorum viribus natura diſpoſuit in Cyzico. Ibi enim fontem eſſe, qui Venereos ſtimulos potatus extinguat, tradidit Mutianus, & ex illo Plin. lib. 31. c.2. Cupidinisq; fontem denominarunt, quod amorem extinguat laſciuientiū. Sed ô vtinam is fons eſſet in Italia, vt ex eo frequentius biberetur: cederet enim magno totius prouinciæ commodo.

EQ. Circa omnia natura ſe præſtitit prouidam in fontibus: nam & de pilis proſpexit. Sunt enim fontes, qui ita in homine pilos enaſci faciunt, vt quibus partibus non conſueuerint eſſe, appareant: is fons Erythræis Aleos eſt. Plin.31.c.2. Propterea etiam brutorum villos ex alio in alium colorem fontes aliquando mutant: ſicut & fluminibus mutari diximus: id habet Solinus c.35. his verbis: *Varro affirmat in littore maris rubri Arabici fontem eſſe, quem ſi oues biberint, mutent vellerum qualitatem, & antea candida amittant, quod fuerint vsque ad hauſtum; ac fuluo poſtmodum nigreſcente colore.* Hæc ille: & quod admirabilius eſt, Plin. lib.31. cap.2. ſcribit ex Eudico: *Fontes duos eſſe in Heſtiæotide, Ceronem videlicet, ex quo bibentes oues nigræ fiant, & Melan, ex quo albæ: quod ſi ex vtroque, fieri varias.* Hæc ille. Sed vt vario colore oues gignantur, non eſt ſubeundus hic labor, vt ex vtroque fonte bibatur; quandoquidē doctore Patriarcha Iacob id paruo negotio fieri poteſt quibusuis fontibus, vti iam alias diximus, quando ille populeas atque amygdalinas virgas, quibus cortices partem detraxiſſet, in fontium canalibus immergebat, vt oues, capræque, dum bibentes coirent, diſcolores conciperent, varii coloris virgis conſpectis. Gen.30. Sed in homine fontem colorem inducere, eſt ſane memoratu dignum: at nonniſi vanis & luxurioſis gratus fons fuerit. in Hyberniæ enim Vltonia regione fons eſt, quo qui abluitur, non caneſcit, vt Ortellius memorat in Hybernia: ſed econtra alius fons eſt eadem Hybernia in Momonia, quo qui abluitur, ea parte corporis caneſcit, quam aqua abluerit. Ortellius eodem loco. Sed de hiſce rebus hactenus, nunc ad ſalubres fontes vertenda oratio.

PH. Pri-

PH. Primus occurrit admirandus ille, qui in Sardinia eſt, qui contra venenum Solfugæ (eſt enim eius animantis morſus mortifer) à ſummo omnium opifice in remedium conditus, vt vbi oritur malum, ibi quoque inueniatur in promptu remedium. Solin.c.9. Sed & in Theſſalia Scotuſſis fonticulus quidam perexiguus eſt, cuius aquæ vlcera ac contuſa membra in priſtinam ſanitatem citiſſime reſtituant, tum hominum, tum beſtiarum, quod vel inanimatis quoque rebus efficiunt: nam ſi lignum contuſum, non tamen abſciſſum in easdem aquas inieceris, coaleſcet illud rurſum in priſtinam ſoliditatem redintegratum, Ariſt. admir.c.112.

Fontes ſalubriores.

TH. Si admirari ob hæc oportet, vt vere oportet, longe magis ob Probaticam piſcinam Hieroſolymitanam, qua & luxa membra, & lepra, & cæcitas, ac quicquid eſt morborum, propellebatur, quanquam diuturno tempore hominem afflixiſſet, etiamſi ad quadraginta vsque annos inueterata fuiſſet ægritudo, Ioann. 5. Sed & aquæ Siloe cæco homini, vel ab ipſo matris vtero, vim videndi indidere, Ioan. 9. Sed hæc non naturæ virtute, neque aquarum proprietate contigerunt, ſed à conditore omnium Deo, qui potuit etiam ſine aquis ſoloque iuſſu mala quæque propellere: ſæpe tamen id etiam alias à Chriſti cultoribus in eius nomine eſt factum, vt aquis vel baptiſmalibus, vel alioqui ſanctificatis, incolumitates non elementi vi, ſed diuina ope fuerint reſtitutæ. Leo enim Imperator, cum ſitienti cuidam cæco commiſeraretur, ac è ſcaturigine quadam ibi obuia Dei nutu offerendam in potum illi aquam iuſſiſſet, & ex ea quoque eius oculos humectari, Dei ope ille viſum recepit; acciditque id apud Conſtantinopolim ſtadii interuallo: quo loco ob eam mirificam rem ſplendidiſſimam exſtruxit ipſe Imperator Eccleſiam ſub fontis nomine. Niceph. lib.15.c.25.

Malorum omnium optimum remedium Deus.

EQ. Occurrunt & mihi alia commemoranda. In Palæſtina enim eſt Nicopolis ciuitas, quę ante Emaus nuncupabatur; ibi fons quidam eſt Chriſti Domini noſtri contactu eximiam adeptus virtutem, propellit hominibus quoslibet morbos, animantibus quoque ſaluberrimus eſt, redditque vegetatiores. Ibi enim Chriſtus, cum aliquando cum diſcipulis labore feſſus quieuiſſet, etiam pedes lauit: qua ex re aquis illis vis illa tanta acceſſit. Sozom. libr.5. cap. 20. Niceph. libro 10. cap.31. Sed quid poteſt recenſeri illuſtrius, quam Conſtantino Magno reddita incolumitas, propulſaque lepra ex baptiſmalibus aquis, vt iam antea diſſeruimus heſterna die. Eſt enim illud longe admirabilius, quam quod Naaman Syro acciderat, qui tametſi lepra affectus, tamen ita iubente Eliſæo fluuialibus aquis eſt liberatus: ſepties enim eam lotionem iterari oportuit, cum ea, quæ Conſtantini fuit, terna tantum lotione peracta incolumitas ſit, maiore etiam efficacia, quam in Naaman, quandoquidem illi ſola corporis valetudo collata eſt, at Conſtantino & corporis ſimul & animæ, interiusque ſimul & exterius. Quod præterea accidiſſe aliis memorant. Nam Gaugericus, Cameracenſis Epiſcopus, Idololatram Ethnicumque hominem interna externaque lepra laborantem cum ad Chriſti fidem ſuſcipiendam fuiſſet cohortatus, polliceretur que vtriusque lepræ columitatem, permouit conuertitque. Ille igitur ad Baptiſmi fontem præuia catecheſi profectus omnium admiratione & corporis illa fœditate, & interioris, quæ in anima eſt, lepra trina lotione emundatus eſt, quin etiam ſacerdotio dignus habitus mirandum in modum in re Chriſtiana profecit. Ex vetuſtiſſimis auctoribus Surius Tom. 4. in vita ſancti Gaugerici. At cum hæc diuina ſint virtute patrata miracula, non ſunt iis, quæ natura fiunt, adnumeranda, cum non deceat nos conditoris omnium opera con-

ditis à natura rebus immiſcere, & naturæ auctorem ipſi naturæ comparare.

Deus naturæ haud comparandus.

PH. Igitur recolemus ea admiranda, quæ naturæ viribus inditis circa fontes fiunt. Sunt enim in omni fere orbe eodem Deo auctore diffuſi plurimi. Ideo alibi calidi, alibi frigidi fontes ſalutares manant. Exordiemur ab Ariſtotele de admir. c. 28. ſcribit is, in Sicilia fontem eſſe vorticis forma, in quo aues ſuffocatæ, ſed & reliqua animantia, vbi fuerint immerſa, reuiuiſcunt. Hæc quidem ab illo: ſed cum ſolius Dei ſit mortuis rebus vitam reddere, ita Ariſtotelis ſententia accipienda eſt, vt non mortua animantia ibi reuiuiſcant, ſed velut exanimata, aut verius mortificata priſtino ſenſuum vigori reddantur. Sæpe enim animantia animæ deliquium variis ex cauſis patiuntur, & ſuperfuſa aqua recipiunt amiſſi ſenſus vigorem, quod omnibus fere aquis commune eſt. Nam iuxta Puteolos in Aniano agro à ſpecuilla, in quam iniecta quælibet animalia exanimari videntur, atque à mortuis nihil prorſus differunt, extracta in proximum lacum proiiciuntur, mox velut reuiuiſcunt, non laci priuilegio vllo, ſed aquæ frigore: id enim poſſent quæcunque frigidæ. Sicuti enim muſcas & veſpas oleo ſuperfuſo defunctas aceto cinereve tradunt auctores reſurgere, non equidem id fit à vera morte, ſed à ſpiritus obſtructione, quam oleum intulerat, receptis viribus, reuiuiſcere inde videntur. Ita ſane auibus illis accidere putandum eſt, quas Ariſtoteles perhibet illo Siculo fonte reſurgere.

TH. Ego quoque eandem ſententiam amplector, vt frigore ſpiritus illis reddatur, repulſa ad interiora vitali virtute. Quamquam autem frigidi fontes aliquando noxii ſint ob frigus nimium, ſicut fons, ad Nonacrim Arcadiæ mox profluens lapideſcit, vt Plinius tradit lib. 31. cap. 2. tamen temperato frigore aquæ omnes prodeſſe ad tactum poſſunt, colligendis animæ viribus: fateri tamen neceſſarium eſt, frigidas vehementer ad potum eſſe pernicioſas, quod innatum calorem obruant, velut eſt is fons, qui in ditione Fetz Africæ in Azgan monte compertus eſt, cuius adeo gelidæ aquæ ſunt, vt nulla ratione potabiles ſint, quin nec ſine ingenti læſione manibus attrectari queunt. Ex eis igitur cum quidam calicem præ ſiti hauſiſſet, trimeſtri præ inteſtinorum doloribus ægrotaſſe traditur. Leonius p. 3.

EQ. Putarim tamen vix vllas reperiri vſpiam calidas, quin etiam proximis locis reperiri poſſint frigidæ: natura enim ita ſolet vtrasque ſecernere, vt alibi paulo frigidior, alibi non valde procul ſit tepentior aqua; ſæpe enim à calidis tepentibusque locis manat frigida. In Cappadocia iuxta Argeum montem id accidit, vbi cum terra feruens ſit, non tamen apparente igne niſi noctu, virentes tamen ibi herbæ ſunt & frigidi fontes, vt Strabo tradit lib. 12. quin non abſimilia ſcribit Plinius lib. 2. c. 106. In Megapolitano enim agro ex monte ipſo ſemper ardente tradit fontem ſcaturire ſemper gelidas ferentem aquas, frondesque denſi deſuper nemoris nulla ratione vmquam aduri, ſed vireſcere. Propterea illud aliquot locis accidit, vt vno ſimul veſtigio & calidam hauriamus & frigidam. Id compertum in Tarbellis Aquitaniæ gentis, & in Pyrenæis montibus, ibi modico admodum interuallo & calidæ & frigidæ reperiuntur. Plin. lib. 31. cap. 2. ſed id inſigniter elucet apud Aquisgranum Germaniæ; proximi enim ibi ſunt hinc feruentes, hinc frigidi, vt Poeta Ligurinus cecinit de reb. Fed. lib. 1.

Sunt ibi ſecreti terræ cæcique meatus,
Diſſimileque modo tacita tellure latentes
Eiaculantur aquas: alias nam ſulphure viuo
Feruentes vndante ferunt erumpere fumo;

Aſt alii gelido veluti de fonte liquores
Emanant, tunc ducta cauis cannalibus vnda
Confluit in quandam mira ratione lacunam.

In Pannonia quoque iuxta feruidas Budæ thermas fons eſt aquæ frigidæ ita propinquus calidæ, vt in eodem veſtigio calida & frigida ſimul hauriri poſſint: id memorat Surius Comm. anno Domini 1541. Secernit igitur natura vtramque, aliquando tamen cum non ſecreuerit, iam indicat intra viſcera terræ reperiri diſcretas.

PH. Id crediderim ea ratione, quod inuenti ſunt fontes, vnde calida manat aqua, verum vbi in vaſis hauſta fuerit, non maiore quam horæ interuallo efficitur frigidiſſima, imo gelida, eo maiore frigore excellens, quo calore excelluiſſet. Pigafetta id tradit eſſe in Tidore Orientalium regione. Deinde alio argumento id confirmatur, quod inuenti ſunt fontes, qui modo calidi, modo frigidi ſunt, ſæpiusque eadem die mutantur è frigidis facti calidi, & è calidis facti frigidi, de quibus poſtea dicemus. Præterea inuenti ſunt fontes, qui cum frigidis ſint aquis ignem euaporant occultum; ii ſunt in Illyriis, ſupra quos ſi quis veſtes expandat, accenduntur, Plin. lib. 2. cap. 103. quin apud Grationopolim fons eſt, qui cum calentes aquas non habeat, ſed frigidas, ſæpe tamen ſimul cum ipſis frigidis flammas emittit, duobus eodem loco temporeque manantibus contrariis elementis. Fulgoſ. lib. 1. cap. 6.

TH. Et id ego quoque affirmarim: nam fontes ſunt, qui cum frigidi ſint, maximum in modum ſaliunt, feruentesque ſunt magis motu ac æſtuatione quadam, quam tactu apud Volaterras, vt Leander tradit, licet ſint aliquæ feruentiſſimæ in eodem Volaterrano agro aquæ fontium, qui ebulliunt, ſaliuntque ad decem in altum pedes, deterrentque accedentes ipſo nimio fragore, ac æſtuantium aquarum ſibilo: feruent autem adeo, vt iniectum animal mox excoctum emergat corio carneque oſſibus nudatis, Leander. Quin quod maius eſt, aquæ adeo feruentes aliquando reperiuntur, vt etiam panem coquant. Nam in Grœlandia Inſula, vbi hyems nouem menſium eſt, monaſteriumque Prædicatorii ordinis B. Thomæ dicatum eſt, vbi mons perpetuo igniuomus eſt, ſcaturit fons adeo calidis aquis, vt ſingulæ monachorum cellæ calefiant perinde ac æſtuariis ſolent reliqua habitacula: deinde omne ciborum genus, quin & panis ipſe nullo alio adhibito igne tam probe excoquitur, vt clibanis carbone calefactis ſolet, quin etiã dum ruit hic fons in Oceanum, tametſi rigidiſſima hyems reliquum congelaſcere faciat, vbi ipſe tamen fluit lato ſpatio ſemper aqua tepeſcit, Ortellius in Scãdia. Sed quoniã aliquorum fuerit ſententia, illum feruorem, de quo diximus, magis percipi auribus quam tactu, & non ab igne proficiſci, ſed à pororum terræ raritate, per quos multus ille ſpiritus manans ſibilum ac velut feruorem facit; proferemus alia exempla, quibus perſpicuum fiat, ſæpe calidas frigidis miſceri, at intra viſcera eſſe diſcretas: ſunt enim fontes, qui frigidi cum ſint, faſces ſuo occulto igne accendant, & ſpiritu extinguant accenſos, recolimus nos legiſſe primum Melam, qui lib. 2. c. 1. id habet, memoratque in Epiro reperiri. Solinus vero c. 12. frigidum illum eſſe ait, vltra aquas omnes ſpectatæ diuerſitatis in Epiro, ac ſine igne procul admotas faces ſuopte ingenio inflammare: cui accedunt D. Auguſtinus de Ciuit. Dei lib. 21. c. 5. & Iſid. lib. 13. c. 13. Plinius vero non meminit Epiri, ſed loci ipſius, qui Epiri pars eſt: ſic enim ille lib. 2. c. 103. *In Dodone gelidus fons eſt, qui extinctas faces accẽdit, præcipue vero meridie.*

Eadem

Eadem Bocatius. Verum Diui Auguſtini verba ideo libet recolere, quod contro-
uerſia ipſo auctore dirimitur lib.21.c.7.de Ciuit. Dei:tradit enim,ſe hoc quidem le-
giſſe, nullum tamen oculatum teſtem de ea re audiuiſſe, qui de hoc Epiri fonte te-
ſtaretur. Veruntamen vt ei rei fides adhiberi poſſet, teſtatur ipſe audiiſſe nonnul-
los, qui vidiſſe ſe apud Grationopolim fontem conteſtarentur, cui inditum eſſet
accenſas faces extinguere,& accendere extinctas. Hęc ex illo:atque ita perſpicuum
fit, perraro eſſe aquas inuentas, quibus non ſint prope aliæ aut calidæ, ſi ipſæ frigi-
dæ ſint,aut frigidæ,ſi ipſæ calidæ ſint. At Bocatius, cum de Dodone loquitur, adii-
cit,meridie fontem ipſum deficere,mediis noctibus exundare.

EQ. Hac ex cauſa illud admirandum quoque adnotatum eſt, quo fons qui-
dam eadem die & frigidus manet & calidus viciſſitudine quadam inexplicabili. In
Baiano ſinu vices mutat in ſuperba quadam teſtudine fons ſitus: nam oceani æ-
ſtuantis more bis in die eructat feruidas, & toties tepentes abſorbet, vt Bocatius
tradit: at admirabilior fons eſt, de quo Mela lib:1.c.4. *Ad Catabatmon Cyrenaica pro-*
uincia eſt, in eaque Hammonis fons, quem Solis appellant,& rupes quædam; hæc cum hominis Fons Solis
manu attingitur, ille immodicus exurgit, arenasque quaſi maria agens ſic ſæuit, vt æquor flu-
ctibus:fons media nocte feruet,mox paulatim tepeſcens,fit luce frigidus; tunc vt Sol ſurgit,fri-
gidior,ſubinde per meridiem maxime riget, ſumit deinde tepores iterum,& prima nocte cali-
*dus,atque vt illa procedit,ita calidior,rurſus cum eſt media,perferuet.*Hæc ille.

PH. Videtur is fons eſſe, de quo Solinus quoque meminit cap. 32. in hæc ver-
ba: *Garamantum oppidum eſt Debris fonte miro,qui denique alternis vicibus die frigeat,nocte*
ferueat, ac per eadem venarum commercia interdum ignito vapore æſtuet, interdum glaciali
horrore algeſcat.Incredibile memoratu,vt tam breui temporis curriculo natura tam diſſonam
ſui faciat varietatem,idque qui percunctari velit, tenebris ineſſe fluori illi æternam facem cre-
dat:qui rimetur die hyemales ſcatebras,numquam aliud exiſtimet,quam perpetuo rigere. Vn-
de non immerito per gentes Debris inclyta eſt, cuius aquæ & cœleſti vertigine mutant quali-
tatem controuerſa ſyderum diſciplina: nam cum mundum à calore veſper temperet, ab occaſu
incipit ita incaleſcere, vt ni tactu abſtineas, noxium ſit contigiſſe; rurſus cum ortus Solis in-
canduerit,& radiis feruefacta ſint omnia, ſic glaciales euomit ſcaturigines,vt hauriri etiam à
*ſitientibus non queat;quis ergo non ſtupeat fontem,qui friget calore,calet frigore?*Hæc ille.

EQ. Non mihi idem eſſe fons videtur,de quo Mela,tametſi natura compare-
tur vterque. Hammonis enim fons longiſſime diſtat ab illo, qui apud Garamantes
reperitur;præterea duos apud Plinium legi: libro enim 2.cap.103.hæc ſcribit: *Ham-*
monis fons interdiu frigidus,noctibus feruet.In Troglodytis fons Solis appellatus dulcis,& cir-
ca meridiem maxime frigidus,mox paulatim tepeſcens ad noctis media feruore & amaritudi-
*ne infeſtatur.*Hæc ille:qui à Mela longiſſime differt ſententia;duos enim ipſe fontes
memorat, cum Mela & Hammonis & Solis eundem eſſe dicat. At lib.5.cap.5. duos
eſſe eius naturæ fontes videtur ipſe Plinius affirmare his verbis:*Cyrenaica illuſtratur*
Ammonis oraculo, quod à Cyrenis abeſt CCCC.M.paſſ. fonte Solis, vrbibus maxime quinque.
Et paulo inferius: *Mataige oppidum Garamantum, itemque Debris, affuſo fonte, à medio*
die ad mediam noctem aquis feruentibus totidem horis ad medium diem rigentibus, clariſſi-
mumque oppidum Garama caput Garamantum. Hæc ille: vnde perſpicuum fit, duos e-
ius naturæ fontes, alterum in Cyrenaica, qui & Hammonis & Solis dicitur, alte-
rum apud Garamantes, vt ita de alio Mela,deq; alio Solinus,ac de vtroque Plinius
videatur eſſe locutus.Is autem fons,qui Hammonis & Solis dicitur,ideo Hammo-
nis etiam accepit nomen,quod in ſylua Hammonis ſitus ſit, vt Bocatius memorat.

TH. Di-

TH. Diuus Auguſtinus vnius tantum meminiſſe videtur, illius ſcilicet, qui apud Garamantes fit: ſic enim ille de Ciuit. Dei lib. 21. cap. 5. *Apud Garamantes* (inquit) *fons quidam tam frigidus diebus, vt non bibatur, tam feruidus noctibus, vt non tangatur.* Hæc ille; quem imitatus eſt Iſidorus libro 13. cap. 13. qui præterea etiam lib. 14. cap. 5. ſic habet: *Garamantum fons eſt, qui friget calore diei, calet frigore noctis.* Hæc ille. Propterea etiam admirandus eſt fons ille, qui in Hiſpania eſt apud Santandrum iuxta ædem ſancti Nicolai, qui hyemis frigore tepeſcit, æſtatis calore frigeſcit, vt Georgius Bruin tradit in Santandro. Et quamquam puteis hoc accidat propter profunditatem, fontibus tamē ſcaturientibus hoc non accidit, niſi proprio priuilegio naturæ. Sed de hisce reb. plus ſatis: nunc ad calidos fontes vertenda oratio eſt.

EQ. Calidorum fontium totus fere orbis ſalubritatem experitur: nam omni regione diuinum numen eos eſſe iuſſit, vt omnibus & noti eſſe poſſent, & beneficium inde capere nemini inhibitum cenſeretur: ſed initium ſermonis noſtri inde ſumendum eſt, vnde maius videatur eſſe miraculum, quando ſcilicet intra frigidas fluuiales aquas feruens fons exoritur; id Solinus habet his verbis c. 10. *Apud Segeſtanos* (inquit) *flumen eſt, cui nomen Herbeſus, at in medio eius ſubita æſtuatione quaſi fons feruet.* Hæc ille. At aliis hominibus admirabiles ſunt Baiani in Campania fontes: præſtant enim virtute indita reliquis totius orbis omnibus; ſunt enim ibi, quorum aquæ vaporesque ſeorſum oculis, auribus, naribus, toti capiti, ſingulisque membris adſcripta virtute ſalubritatem conferant, ſed & ſeorſum neruis, oſſibus, medullis, cartilaginibus, carni atque inteſtinis proſint, adeo vires ſuas omnes in illum Campaniæ ſinum Baiarum ac Puteolanum natura effudit. Sunt aliis miraculis eodem tractu aquæ valde inſignes: nam Ciceronis appellatæ balneæ ſemel diu tantum ſcaturiunt, & ſemel noctu, Luna quoque tantum oriente aut deficiente, Leander. Et quanquam in reliqua Italia frequentes ac ſalubres ſint aquæ, illud tamen videtur memorabilius, quod feruentibus aquis apud Piſas accidit, ranas ſcilicet ibi viuere, Leander. Sunt & calidi fontes in Illyrio, ac valde ſalubres, in ipſo maritimo littore ante oſtia Timaui, quorum iam meminimus ob inditum miraculum, quod cum æſtu maritimo augeantur, ex Plinii lib. 2. cap. 103. & lib. 3. cap. 26. Sunt & in Pannonia apud Budam inſignes alii fontes calidi ac ſalubres, ſed feruore tanto ſunt, vt niſi eorum refrigerentur aquæ, balneis non ſint idoneæ: mirum ibi accidit, vt ferrum in cuprum vi illarum mutetur aquarum, vt Surius memorat Comm. anno Domini 1541. Vtilitas certe inde maior manat, quam ex illis aquis, quas in Theſſalica Tempe reperiri memorat Plinius lib. 31. c. 2. Fontem enim ibi eſſe ait, qui ſolo viſu omnibus terrori ſit, ęsque ac ferrum arrodat, breui tamen ſpatio profluere, ne tantum malum latius ſerpat. Eſt autem ſummo hominibus commodo fons, qui è monte in Engrouelandia adeo feruentibus ſcatet, vt panis pulmentaque omnia excoquantur perinde ac clibano. Zeni fratres Veneti lib. 1. apud Ramuſ. Tom. 2. ſed de eo diximus ex Ortellio.

Fontes calidi ſaluberrimi.

PH. Sunt in Africa quoque feruidæ aquæ, de quibus alias egimus opportune in fluuiis, eæque ſalutares iuxta Elhamam vrbem, feruent adeo, vt attrectari non poſſint, Leonius p. 5. Sed & in orbe nouo plurimis locis ſcatent calidæ, inſigniorq; ille fons eſt, qui cum calidus & ſalſus ſit, oritur tamen iuxta flumen frigidus, & dulces fluens aquas. Petr. Hiſp. p. 5. c. 28. Sunt & in Aſia frequentiſſimi calidi fontes, quod in fluuiis etiam diximus. Sed noſtro orbe adhuc non eſt prætermittendus ille fons, qui Aſnanicus dicitur in Thiana, cuius aquæ ſubterraneis meatibus frigidiſ-

ſimæ, cum in fontem ipſum extrinſecus peruenerint, mox feruent periuris noxiæ; nam & depilant, & hydropiſi laborare cogunt, niſi id eſt ſuperſtitioſum. Hæc narrat Bocatius. Nec ille quoque omittendus eſt fons, cuius aquæ adeo perniciter calorem ſeruant, vt vino mixta triduo calida potionem exhibeat, nomen eſt fonti Camino, vt Bocatius ſcribit. Nunc vertenda oratio noſtra eſt ad aquarum ſapores, aut enim dulces, aut amaræ, acresve ac ſalſæ reperiuntur, & in iis omnibus recondita ſunt naturæ miracula. Quid enim tam mirandum, quam vt è medio mari, cuius amariſſimæ ſalſiſſimæque ſunt aquæ, exurgat fons ſuauis ac potabilis? Id in Phœniceo mari ante Ioppen Paria, Arados, fons exoritur 50. cubita alto mari, vt auctor eſt Mutianus, ex eoque dulcis aqua tubo coriis facto vsque à vado trahitur. Plin. lib. 5. cap. 31.

EQ. Habet idem & nouus orbis; iuxta enim Inſulam Iamaicam, ſeu S. Iacobi, procul à littore ad bis mille paſſus alto mari fons exurgit ſuauiſſimi ad potum ſaporis; mirum illud eſt eo nomine, vt cum enaſcatur è fundo pedes quinque ſua vi maritimam aquam incorruptus vsq; in ſuperficiem penetret, viq; ſua etiam ſuperficiem ſuperet ad cubitum eminens, brachii humani magnitudine. Ouet. hiſtor. lib. 6. c. 12. Quod & in Italia reperitur: Puteolano enim mari dulciſſima emergit ab imo excedens ſuperficiem omnibus ſpectatiſſimus, ex continenti illi eſſe originem tradunt, poſtea ſubterraneis meatibus ſubuehi mari, ac tandem emergere. Leander in Campania felici. Sed quod in Hollandia accidit vrbi Brielio, valde memorabile eſt; eſt vrbs in Inſula, in qua nulla prorſus aqua dulcis in puteis aliisve ſcaturiginibus inueniri poteſt, & quantauis adhibeatur induſtria, omnis opera perditur: vbique enim tam in vrbe ipſa, quam per Inſulam omnem potabilis aqua reperiri nulla ratione poteſt: fecit tamen natura fontem dulcem, ad quem ponticulo aditus eſt, vnde vrbs tota ſibi aquæ vſum parat, cum tamen circa hunc fontem foueæ, putei omnes ſalſam contineant, vt memorat Georgius Bruin in Brielio. Et quanquam laci ſalſiſſimi perſæpe comperiantur, perraro tamen ex eorum gurgitibus enaſcuntur fontes dulces, qui ſi inueniantur, inter naturæ admiranda etiam recolemus. Eſt autem in Lætis Macedoniæ lacus nitroſus ac ſalſus; exilit autem eius è medio dulcis fonticulus, quo ſemper emicante lacus nec augetur, nec effluit. Plin. lib. 31. cap. 10. Lacus præterea alter celebratiſſimus in Iudæa Aſphaltes, bituminoſus cum ſit, ſcaturientem in ora fontem habet calidum, medicæque ſalubritatis Callyroe, aquarum gloriam ipſo nomine præferentem. Plin. lib. 5. c. 16.

PH. Hæc ideo accidunt, quia innumeri ſunt ſubterranei meatus, vt quæque aqua ſecernatur, atque ita prodeat, vel mediis lacis, aut mari. Propterea, quod alias diximus, fontis Arethuſæ & Alphæi fluminis ex Peloponneſo ſubterraneis meatibus mari inuicem communicari aquas, auctores omnes tradunt, Strabo, Virgilius, Ouidius, Mela, Plinius. Et quod paulo ante diximus, Macedonicum lacum fontis manantis ſcaturigine non augeri, ſuggerit alterius fontis naturam non procul à Lylibæo promontorio, qui nec augetur vllis aquis affluentibus additisve, nec minuitur hauſtis ablatisve. Leander.

EQ. Erunt autem maiore miraculo aquæ illæ, quæ eodem alueo ſcaturigineque ſimul & dulces, ſalſæ amaræque fuerint. Salſos reperiri fontes tradit Mela lib. 2. c. 3. *In Gallia* (inquit) *Narbonenſi Salſulæ fons non dulcibus aquis defluit, ſed ſalſioribus, quam marinæ ſint.* Hæc ille. Sed reperiri, qui ſalſas contineat, & potabiles, Strabo memorat lib. 16. non procul à Laodiceæ littoribus Inſulam totam ſaxeam, quæ tamen inco-

incolas habeat non paucos, fontemque ibi eſſe tradit, in quem immerſa vaſa hauriendæ aquæ cauſa ſalſam primo hauſtu trahunt, eamque maritimam, reliquo autem hauſtu dulcem ac potabilem; ſed longe admirabilius accidit fonti, qui in Aſcanio lacu eſt, & quibusdam circa Chalcida fontibus. Summæ enim illis aquæ dulces ſunt, atque potabiles, inferiores vero nitroſæ. Plin. lib. 31. c. 10. At hos ſuperat fons in noui orbis Inſula Hiſpaniola, prouincia Caizimu, eſt aquæ ſuperficies ſuauis potabilisque, media ſalſa, infima prorſus amara. Cui & aliud acceſſit naturæ miraculum: ſi quis enim aquæ in ſcaturigine aurem admouerit ſuperficietenus, equitem viatorem à tribus millibus paſſ. exaudiet; peditem vero à paſſibus mille, occulto quodam fremitu meatibus ob terræ concauitates ad aurem inſonante. Petr. Mart. Summ.

TH. Fecit hæc admiranda qualibet orbis parte Dominus, vt eluceret quidem longe magis ſumma eius vbique potentia, ſimul & prouidentia, non modo ex tanta rerum varietate, ſed etiam, vt eius Sanctorum virtus eniteret, vt ex ſalſis fontibus redderent dulces, exſiccarent, ac rurſum reſtituerent, ſi indigenarum cauſa id ita poſtularet. Moyſes enim, quod alias diximus, in deſerto Sur, cum ibi triduo Iſraeliticus populus potabiles aquas non haberet, quod omnes eſſent amaræ, inuento ligno, eoque Dei iuſſu in aquas miſſo, dulces factæ ſunt. Exod. 15. Et quamquam id ſemel egerit Moyſes, haud dubie quibusque locis, quocumque tempore, quibusvis aquis peregiſſet. Sed id ad myſterium pertinuit, quo per crucis lignum quidquid in humano genere ob culpas amarum fuit, Chriſti paſſione dulcius effectum eſt, reddita homini pace, reconciliatoque nobis irato Deo.

EQ. Sed quid de fontibus ſanguine fluentibus? nunquid id natura fit? *Fontes ſanguinei.*

PH. Natura id fieri non poteſt, ſed prodigio iratoq; Deo, accidiſſe id conſtat Oroſii teſtimonio lib. 4. c. 5. Benedicto etiam VII. Pontifice, in Lotharingia ſaluberrimis ſcatens fons in ſanguineum verſus eſt, portendiſſeq; viſus fuit totius orbis famem, præcipue vero in Italia peſtem, qua plures fuere qui perempti ſunt, quam qui ſuperuixerint. Naucl. Gen. 35. princ. Ioanne quoque XII. Pontifice, Genuæ ſanguinis fons largiſſime effluxit, futuram maximam portendens calamitatem: nam & Genua à Saracenis ex Africa transuectis tum capta eſt ac direpta. Vngari Italiam ingreſſi longe lateque omnia populati ſunt, quamquam & ipſa præda diu potiti non fuerint: à Marſis enim cæſi omnes ad vnum memorantur. Vinc. hiſt. lib. 24. c. 66. Martinus Polonus, Platina in Ioanne Duodecimo. Illud idem recolit Fulgoſus lib. 1. qui Genuenſis patritius nouerat eius vrbis res geſtas; vicum, vbi id accidit, ſcribit nuncupatum Fonticulum, & poſtea Bordigotum. In Britannia quoque in ſchiſmate Clementis contra Gregorium VII. ſanguinis fontem manaſſe recolit idem Fulgoſus lib. 1. c. 4. de prodig. quin & anno Domini 460. apud Tholoſam tota die ſanguis largiſſime fluxiſſe memoratur Vin. hiſt. lib. 20. c. 54.

EQ. Sed nunquid picis bituminisve fontes ad prodigium pertinent? *Picis & bituminis fontes.*

PH. Cum id natura fiat, non pertinet ad prodigium, quamquam Deus aliquando poſtea verterit in prodigium, ſicut de Aſphaltide lacu contigit. Erant ibi bituminis primum fontes præſalſi, vti alias diximus ex Gen. 14. Igneæ etenim pluuiæ ac ſulphureæ de cœlo ibi viſæ ſunt, vnde deletis vrbibus omnibus, qui bituminis erant putei, facta ſunt diuinæ vindictæ inſtrumenta. At eſſe etiã hodie non paucos bituminis fontes cõſtat. Quintus .n. Curtius lib. 5. ſcribit, in vrbe Memi magna quadam in ſpecu è fonte manare bitumẽ: cui accedit & Plinius, qui in Auſtragenis

Parthiæ naphtha (id Babyloniis bitumini nomen eſt) tradit, ex fonte profluere bituminis liquidi modo: huic magna cognatio ignium, tranſiliuntque protinus in eam vndicumque viſam. Hæc ille lib.2.c.105. Sed & Strabo lib.16. memorat, iuxta Euphratem bituminis fontem eſſe, qui auctis niuibus ipſe quoque augeatur, adeo vt etiam in Euphratis alueum redundet. At in orbe nouo, qui perluſtrarunt tradunt, in Inſula Cuba bitumen à fonte manare, quo veluti pice vtantur indigenæ compingendis nauium tabulis, indeque in Hiſpaniam vsque vehi prodidit Ouet. hiſt.lib.17.c.8. adiicitque, in continenti prouincia Panuco bitumen alio manare ex fonte, præ reliquis eximium. Sed & in Peruaco in promontorio ſanctæ Helenæ eandem ſcaturiginem profluere ſcribit eodem loco.

EQ. De pice non dubitarim, ſed neq; de eo liquore, qui Terebinthi liquorem imitatur: in eodem enim orbe nouo compertum, ſicut & picem memorat Ouet. & ex illo Pet. Hiſp.p.5.c.25. propterea non eſt ambigendum, etiam è fontibus manare liquorem alium, lucernis, vt ardeant, aptiſſimum. Plin.lib.31.c.2. Oleum illud eſſe non incongrue opinabimur. Ariſtot. enim ſcribit, in Carthaginenſium ditione in monte Gonio peramœnum fontem eſſe olei, qui odorem habeat cedri ramentis perſimilem, magnamq; copiam olei emittere. Hęc ille admir.c.109. In Georgianorum quoque limitibus traditur eſſe fons, vnde tanta vbertate oleum ſcateat, vt cameli ac clitellarii eo onerentur. Eſt quidem homini ad eſculenta inutile, at reliquis humanis vſibus plurimo commodo, lucernis, vt ardeant, ægritudinibus eſt medicamentum, vt vbilibet oleum adhiberi ſolet, illud quoq; adhibebitur: admirandus eſt hominum eo ad hauriendum confluxus. M.Pol.lib.1.c.4. & c.28. At in Europa, ſcilicet in Scotia, in Edinburgo fons eſt, cui olei guttulæ innatant, de quo ſi nihil collegeris, nihil plus confluit; at ſi quantumuis abſtuleris, nihil imminuitur, aptum oleum illud eſt contra cutis ſcabritiem. Ortellius in Scotia.

Fontes oleacei.

PH. Manat oleum alio ex fonte, fuſcum quidem & tetro odore, ſed lucernis aptiſſimum, & vnguendi præbens beneficium, in Perſide eſt, vt memorat Ioſaphat Barb.cap.25. in Perſide. Alium extare in Cilicia fontem iuxta Solos, ex quo liquor manans olei vicem ſuppleat ex Policlito tradit Plinius, quin & ex Theophraſto in Æthyopia eius virtutis fontem eſſe meminit idem Plin. lib. 31. c. 2. Nec hoc bono caret Italia, quandoquidem apud Puteolos fons eſt, è quo liquor oleo colore odoreque perſimilis manat, vt Leander ſcribit in Campania, ſed & apud Toccum oppidum fonte quodam oleum manat, quo indigenæ ad omnes ægritudines pro medicamento vtuntur. Leander in Pelignis.

EQ. Nec orbis nouus eodem caret. In Cubaguæ enim Inſulæ littoribus fons plurimum oleum mittens eſt, adeoque exundat, vt mari ſupernatet ad duodecies paſſ. mill. retenta ſemper pinguedinis natura, exhalatoque ſemper proprio ſibi quodam odore, medicamentis quoque aptiſſimum eſſe tradit Ouet. hiſt. lib.19.c.2. Pet. Hiſp.p.5.c.15. Sed de hiſce rebus plus ſatis.

Fontes ſenſuales.

PH. Non fuerit incongruum argumentum, ſi agamus de fontibus, quibus ineſſe ſenſus quidam videtur, dum aliquid conſtanti more agunt, aut etiam more inconſtanti. At de inconſtantia illud compertum videtur in Padi fluminis in Italia omnium Principis fontibus. In vertice enim montis Veſuli fons, vnde Pado origo eſt, enaſcitur, vt Leander memorat, qui æſtiuis diebus mediis, velut interquieſcat, quotidie exſiccatur. Plin.lib.2.c.103. contra accidere fonti in Tenedo Inſula, qui à tertia noctis hora in ſextā ab æſtiuo ſolſtitio exundat, idem memorat, vt ita ille magno

gno æſtu quieſcendum ſibi deliberauerit, hic videatur ſuas fruges maiori quantitate colligere. At inconſtantiorem alium in Idumæa recolit Iſidorus; cui enim Iob nomen eſt, quater in anno colorem mutat, puluerulentum, ſanguineum, viridem, & limpidum, ternis menſibus in anno tenet ex iis vnum colorem. Hæc ex illo lib. 13.c.13. Iracundiæ enim huic ſenſus ineſſe forſitan putabitur: quo adeo frequenter perturbatus puritatem amittat.

Iob fons quadricolor quotānis extat.

TH. Nullus his fontibus ineſſe ſenſus poteſt, natura id fit perpetuo ordinem inditum ſeruante: potius de illo id cenſendum fuerit, qui Tungris Galliæ vrbe inſignis eſt. Eius enim aqua admoto lucente igne turbida fit, ad poſtremum rubeſcit. Plin. lib. 31. cap 2. Videtur enim idipſum agere is fons, quod libidinis ardorem, qui ſentiunt, agunt: admoto enim illo fœdiſſimo igne, perturbantur ſenſus omnes: at vbi crimen fuerit admiſſum, turpitudinis admiſſæ rubor ſubſequitur, vt nos docet Paulus, Rom. 6. *Quem fructum accepiſtis* (inquit) *ex iis, in quibus nunc erubeſcitis?* Sed mea quidem ſententia nullus ibi ſenſus eſt in Tungrenſi fonte, potius ſimilitudo, vnde nos erudiamur, ab eo igne non modo pertingi, ſed nec quidem paululum proximum patiamur.

EQ. Numquid autem negabimus ſenſum fonti ineſſe illi, de quo Solin. c. 10. *Tradit enim in Haleſina regione compertum fontem, qui quieſcat ſemper, tranquillusq; ſit, cum apud ipſum ſiletur: at ſi ibi inſonent Tibiæ, exultabundus ad cantum eleuatur, & quaſi miretur dulcedinem vocum, vltra margines intumeſcit.* Hæc ex illo.

TH. Nec id vllo ex fontis ſenſu accidit: Sed naturæ motu ob loci, vbi ſitus eſt, rationem: manat is à latebroſo ſinuoſoq; loco: ideo quieſcit, cum apud eum ſiletur: at vbi ſonitus quisq; fit, ſiue tubæ, ſiue tympani, aut humanæ vocis, cum per ſinuoſa illa loca permeent ſonitus, & voces, veluti commoto ſpiritu aquas neceſſe eſt permoueri, & exundare non aliter, atq; cum quis fiſtula inſufflat in cacabum aqua oppletum & quieſcentem: tunc enim velut maritimus æſtus in cacabo aqua ſpiritu permota exurgit, exundatq;: quod & in ipſa Echo animaduertere licet, quæ eo eſt maior & vehementior, quo ſinuoſis locis fit; nam permouentur extremi ſinus, redduntq; omnes iteratam vocem.

EQ. Recte equidem ſum edoctus. Sed adhuc ſuperſunt fontes tres, quorum meminit Plinius, qui ſenſu permoueri videantur: *In Cantabria* (inquit) *fontes Tamarici tres ſunt octonis pedibus diſtantes; ii in vnum alueum coeunt vaſto amne, ſinguli ſiccantur duodecies diebus, aliquando vicies, citra ſuſpitionem vllam aquæ, cum ſit vicinus illis fons ſine intermiſſione largus. Mirum eſt non profluere eos aſpicere volentibus, ſicut proxime Lartio Licinio Legato poſt Præturam poſt ſeptem dies accidit.* Hæc ille, & Bocatius. Eritne illud ſuperſtitioſum? aut ille, de quo ita Fulgoſ. lib. 1. c. 6. *Mille paſſ. à Senenſi oppido Lucaniæ in Neapolitani regni parte ea, quam nunc Baſilicatam vocant, fons ſalſis eſt aquis, ad eum ſi quis acceſſerit, nihil locutus, neque retro conuerſus, fontem puris, clarisq; fluentem aquis inuenit: ſed ſi loqui ceperit, loquendo turbari fontem proſpicit, ſicut ſi non recta, ſed iens retro ſe conuerterit, fons quoq; turbatur, niſi forte hic idem fons eſt, de quo egimus ex Caſſiodoro.*

TH. Et hoc inditum eſſe poteſt magis loco ipſi, quam aquarum proprietati: ſicut enim diximus ab rupe, aut ſinuoſis locis, vnde fons manat, ſonitus ſpiritum excitans, etiam aquas permouet; ita & hiſce fontibus poteſt quidquiam perſimile accidere: forſitan meatus, vnde aquæ ſcaturiunt, ſiti ſunt ſub ſolo, vbi ſpectatorum pedes firmantur: quamobrem dum propius ſpectator accedit, vt intueatur, obſtru-

ſo pedum pondere meatu, non fluit aqua, & velut ſe retrahens, ne videatur, inareſcere putatur, cum tamen qui ſpectaturus accedit, ipſe impedimentum afferat, rei ignarus; diſcedente autem ſpectatore, ideo fluunt, quod meatus liberi conſuetas reddant aquas. Turbari vero aquas, dum accedens loquitur, eadem ex cauſa fit, qua paulo ante diximus tibiarum cantu permoueri: quin addo, id forſitan accidere fonti, vt perturbetur accedentis hominis afflatu. Nihil igitur ſuperſtitioſum ibi, nec vllus in illis aquis ſenſus.

EQ. Ignoratio latebrarum, ſinuumq; vnde ſcaturigines fiunt, cogit nos mirari multa, quæ parui faceremus, origine cognita: nam adeo late, longeq; in terræ viſceribus aquæ permouentur, & magnis anfractib. agitantur, priusquam emergant, vt regiones peruagari putandæ ſint: & cum ibi aut flumina, aut laci introrſus extiterint, emergant aquæ, velut ex fonticulo: id faciam manifeſtius vnico exemplo. In Armenia excelſus ſaxeus mons eſt, ingentem fontis ſcaturiginem emittens: mirũ, ex eius aquis frequentes piſces excidere cubitali magnitudine, maiores quoque palpitantes ad mortem præcipitatos: ſunt ii colore nigerrimi, aſpectuque non inſuaues; verumtamen, ſi quid eorum vel homo, vel beſtia attigerit in cibum, illico moritur. Hæc ab Ariſtotele hiſt. anim. lib. 17. cap. 20. Quod cum nulla alia ratione poſſit contingere, vt adeo magni piſces profluant è ſaxo ſemimortui, quam quod longo viſcerum terræ interuallo à ſtagnantibus aquis, vbi nati ſunt, emergentes, elapſi in varios meatus præcipitati, ſurſum deorſumq; iactati; dum in hæc atq; illa ſaxa impingunt, ſemimortui perpetuis illiſionibus redditi ſunt: peruenientes tandem ab obſcuris, ſubterraneisq; locis in apertam lucem, nouitate aeris & lucis oppreſſi moriuntur; ſuntq; ea ratione peſtiferi, quod impuri illius ſubterranei ſpiritus alimentum, aquasque hauſiſſent; quibus aut humor nimius, aut opacitatis frigus immenſum, locusque peſſima qualitate præditus animantibus exitio ſit. Hæc autem, quæ diximus, eſſe veriſimiliora ex ipſa fontis amplitudine animaduertimus, quæ tantam continet ſcaturiginem, vt quadrangularis cum appareat ad tres paſſus, alta mox latitudine ſtadii dimidium occupat, vt eodem loco Ariſtoteles memorat. Subterraneis autem aquis piſces ali etiam Theophraſtus ſcripſit, teſte Seneca natur. lib. 3. c. 16. Eſſe autem peſtilentes his verbis narrat Seneca ibidem cap. 19. *Magna vis aquarum in ſubterraneis occulitur fertilibus fœdo ſitu piſcium: ſi quando erumpit, affert ſecum immenſam animalium turbam, horridam aſpici, & turpem, ac noxiam guſtu. Certe cum in Caria circa Mynridum vrbem talis exiliſſet vnda, periere quicumque illos ederant piſces, quos ignotos ante eum diem cœlo nouus amnis oſtendit. Nec id mirum, erant enim pinguia, & differta, vt ex longo otio corpora, cæterum inexercitata, & in tenebris ſaginata, & lucis expertia, ex qua ſalubritas ducitur.* Hæc ille.

Piſces peſtiferos reperiri.

PH. Eſſe peſtiferos piſces non eſt nouum; & ex hoc præcipue fonte non eſt ambigendum. Plinius enim rei eiusdem, ſed paucioribus meminit: *Cteſias* (inquit) *auctor eſt, in Armenia eſſe fontem, ex quo genitos nigros piſces ſi quis edat, illico mortem iminere.* Hæc ille lib. 31. cap. 2. Præterea noſtro quoque Europæ cœlo, circa Danubii exortum, audiuiſſe ſe teſtatur Plinius peſtiles piſcium genus reperiri, donec veniatur ad fontem alueo appoſitum, vbi finitur ea piſcium peſtis. Eodem c. 2. Nunc ad alia.

EQ. Peſtilentes putaram omnes aquas, quibus illud inditũ eſt, vt ex ſuis limpidiſſimis aquis lapidea durities efficiatur, qui enim potari ſine periculo poſſunt?

PH. Poſ-

PH. Poſſunt ſine periculo, quod epotæ fluant, digerantur mox, & in ſeceſſum abeant; vnde nil lapideum efficere poſſunt, cum nulli ſolidæ rei aſſidcant: ſicut accidit rebus illis, quæ aquis lapideſcunt; id fiet manifeſtius, ſi fontes huiusmodi recenſeamus: ſunt enim multi etiam in Italia, nam apud Volaterras Vlimenti collis radicibus fons manat, cuius aquis quidquid immergitur poſt quintum decimum diem ſaxeo cortice contegitur. Leander. Sed & ex monte Mauro Foroliuienſis agri fons ſcatet, in quem vel ligna, frondes, herbæ lapideo cortice obducuntur. Leander: ſunt & alibi alii in Italico ſolo; at apud exteros plurimi recenſentur. Nam Cnydius fons dulcis eſt, in quo octo menſium interuallo iniecta terra lapideſcit. Plin. lib. 35. cap. 13. Sed & in Scyretico metallo fons memoratur, quo quæcumque alluantur, ſaxa fiunt. Plinius lib. 31. cap. 2. quin & in Eubœæ Delio ſunt aquæ calidæ, quibus quæ ſaxa alluuntur in altitudinem, velut plantæ ſolent, creſcunt. Eodem cap. 2.

EQ. Sunt eiuſdem naturæ fontes alii: nam in Perparenis fons eſt, qui quæcunque riget lapideam facit terram. Plin. lib. 31. cap. 3. Et in Eurimenis alius, qui deiectas in ipſum coronas reddit lapideas. Eod. cap. 2. Sed ille commemorabilior eſt, de quo Solinus cap. 29. *In Africa* (inquit) *iuxta Ammonis ædem fons eſt, qui humoris nexibus humum ſtringit, fauillam etiam in ceſpitem ſolidat, in qua gleba non ſine miraculo lucus viret, vndique ſecus agris virentibus.* Hæc ille, quod ipſe quoque Iſidorus tradit lib. 13. cap. 13. At in Europæ Aquilonari regione ea parte, quæ ad Occidentem ſpectat, Islandia Inſula eſt ſteriliſſima & glacialis, fontem habens, qui fumigantis aquæ vitio natiuam rei cuiuslibet originem demolitur: ſane quidquid fumi huius exhalatione reſpergitur, in lapideæ naturę duritiem tranſmutatur, quæ res mirabilior, an periculoſior exiſtat, in dubio poſitum conſtat: cum fluidam aquæ teneritudinem tantus obſederit rigor, vt admotum quidlibet, fumidoque eius vapore perfuſum in lapidis proprietatem, forma duntaxat ſuperſtite, ſubita conuerſione transmutet. Saxo Gramm. præfatione Dan. hiſt. quin & in Hyberniæ Boreali Vltonia incredibiliter frigidus fons eſt, in quem ſeptennii interuallo iniecta ligna vertuntur in lapidem, vt Ortellius memorat in Hybernia. Quin etiam in orbe nouo referunt, qui perluſtrarunt, fontes huiusmodi reperiri, præcipue vero in Peruaco, vbi terra in lapidem, creta in ſaxum conuertitur. Petr. Hiſp. p. 5. cap. 25.

TH. Elucet igitur vbique diuina potentia in aquis: nam etiam eo nomine admirari nos oportet, quod cum aquarum natura ſit, vt quæque ſolida ac grauia mergantur, leuia ſuſtineantur, ſunt tamen fontes, qualis eſt in Sicilia Pythias, in quibus, Appione teſte, omnia fluitant, nihil mergitur. Plinius lib. 31. cap. 2. propterea ad eam proprietatem pertinent ii fontes, aut putei, quibus indita natura eſt, vt ouum non mergant, ſuſtinere enim oua inuentæ ſunt aquæ fontium ſalſæ apud Volaterras. Leander, qui etiam memorat ſalſi ſaporis fontes alios inuentos, in quibus quoduis graue iniectum numquam demergitur, ſemper ſupernatans. Leander.

PH. Propterea mater omnium rerum natura illuſtris eſt, quod varia rebus omnibus indiderit ingenia. In Hiſpania enim Carrinenſi agro duo fontes iuxta fluunt, alter omnia reſpuit, alter omnia abſorbet. Plin. lib. 2. c. 103. Quibus admiratione æquandus eſt fons ille in Arabia, qui tanta vi exilit, vt omnia pondera impacta reſpuat. Plin. lib. 31. c. 2. Eſt autem ea vis ab impetu, admixtoq; aquis ſpiritu: at atque

illius

illius proprietas, vt equidem cenſeo, non fuerit, vt ſupernatare permittat ponderoſa, ſed admittat ac mergat, vt reliquæ aquæ ſolent.

EQ. Fontes ac ſcaturigines cum adeo parum differant à puteis, cur & putei non dicuntur fontes?

Fontis ac putei diſcrimen.

PH. Fontes nuncupantur, quod in lucem, ſuperficiemque terræ ſponte aquæ erumpant. Nec eo nomine parui à magnis fontibus differunt, cum fluunt. Veluti ſunt ii, qui ingenti fluore mox erumpunt Padi fontes in Veſuuio monte; aut is fons, qui mox in fluminis magnitudinem exoritur è ſaxeo monte Serrauali, non procul à Camerino frigidiſſimus, aut apud Boianum puriſſimus, iucundiſſimus, atque ampliſſimus ſcatet. Sed hiſce omnibus in Italia amplior eſt, qui apud Volaterras erumpit iuxta oppidum S. Armazi, tãta aquarum copia, vt iis diuiſis duo prægrandes fluuii fluant. Leander. Hos autem omnes ſuperat fons in Armenia, cuius iam antea meminimus; nam excelſo ex monte ſaxeo altitudine quatuor paſſuũ alta manat quadrangularis ſcaturigo per ſingula latera ſtadii dimidium occupans, vt ex Ariſtotele tradi probauimus, hiſtor. anim. lib. 17. c. 30. Et quamquam huic non ſit æquandus Sorgia fons in Narbonenſi prouincia, nobiliſſimus tamen eſt, erumpit enim ex abditiſſima ſpecu ſaxei montis tanta ſcaturigine, vt mox flumen fiat piſcibus abundans: celebrem locum reddit Frãciſcus Petrarcha poetarum Princeps, qui ibi in ſeceſſu aliquamdiu vixit, multa erudititiſſime ſcribens, vt memorat Bocatius. Hi igitur omnes fontes dicuntur, ſicut & fonticulus quisque. At puteos dicimus arte quæſitas ſubterraneis è locis ſcaturigines, vt ibi tandem fons manet apertis meatibus, qui prius occultabantur. Sunt autem inſignes in orbe aliquot putei, quorum hoc loco cõmemoratio non videtur importuna: occurunt illi primũ, de quibus alias diximus ex Strabone lib. 17. atq; non paucis aliis auctoribus in Syene Ægypti puteos eſſe, qui in æſtiuo ſolſtitio meridie à Sole prorſus illuminentur in imum vsq;: neq; vmbræ vllum apparere in illis veſtigium: quin hora illa nec palea quidem vmbram faciat: quæ res vt euidentius innoteſceret, puteos eſſe fabricatos experimenti gratia memorat Plin. lib. 2. c. 73. Et ne forte magno ore puteos fuiſſe putemus, Baſilius in exem. lib. 6. ſcribit, aquam puteorum illorum profundorum per anguſta oſcula illuminari. Sed cum hoc non accidat ratione putei, ſed ex diametro Solis, non videtur miraculum adnumerandum iis, quæ hoc loco perſequimur, ſed ad ſigna cœleſtia.

Putei arte quæſiti fuere.

EQ. Admirandus fuerit ille puteus, qui totus vno è ſaxo mira profunditate excauatus eſt in Elephantina Inſula Nili. Strabo lib. 17. Sicut & alius, quem eod. libro memorat in Ptolemaide Ægypti vrbe eſſe, in quem longo tractu ex vno lapide cõcamerato & excauato deſcenditur.

PH. Si de profunditate agendum eſt, ex Olao recenſebimus inſcrutabiles. In Suetia enim natura potius, quam arte puteos apparere tradit profunditatis tantæ, vt cum indigenæ eorum ima ſæpius ſcrutari, demiſſo per funem pondere, adnixi ſint, pertingere tamen nunquam potuerint lib. 2. c. 10.

TH. Illa tanta profunditas ſuadet certe natura confectos puteos nõ arte: nam ſi funibus imum pertingi non poteſt, nulla ibi lux operi adhiberi potuiſſet; neque facultas operarios demittendi aut extrahendi poterat ſuppetere, imo putarim in illo opaciſſimo & caliginoſo loco reſpirare non licuiſſe, ob loci anguſtiam, quomodo autem natura id factum quis aſſequetur?

PH. Ex quarto genere terræmotus id accidere poteſt, cum aquis & ſpiritui via

via ſurſum aperitur: exhalatque vtrunque, ac poſtea cum reſideat, euaneſcentibus motibus loci meatus totus perſeuerat aut inanis,aut aquis tantum modica ex parte madidus: propterea ad imum vsque maritimi ſoli eos puteos peruenire coniiciendum eſt.

TH. Sunt tamen inuenti putei mille pedum menſuram excedere, humana induſtria confecti non procul à Nilo: recenſenda nobis eius verba eſſent, qui propriis intuitus eſt oculis, quando è tanta profunditate bouis induſtria aqua hauriretur; niſi iam commemorauiſſemus, quando de quadrupedibus agebamus.

EQ. Eſt hic puteus cum operario ſuo vtroq; iuxta admirandus: fuit vero inſignis operarius bos,cuius induſtria irrigatio tanta fieret,vt olera ſibi,domino hoſpitibusq; perpetuo virentia ſuppeterent. Sunt tamen in Italia non pauci certe putei memoratu inſignes,tum opere artificioque,tum profunditate atq; amplitudine,velut in Oruieto vrbe à Romanis Pontificibus exædificatus:patet enim ad multos paſſus,vt per gyrum ſcalis prælatis in imum vsq; deſcendatur profunditate mirabili; deſcendunt clitellarii,onerantur aqua, redeunt onuſti; duplices autem ſcalæ marmoreæ ſunt proſtratæ, neq; qui deſcendunt, occurrunt aſcendentibus. Alius eſt extructus iuxta Taurinum vrbem à Sereniſſimis Allobrogum Ducibus latitudine ſupra paſſus quinquaginta,vnde coniicere licet profunditatem;binis ſcalis per gyrum in imum deſcendunt clitellarii,& aſcendentibus non occurrunt,qui aliis ſcalis aſcendunt.

TH. Nec eſt prætermittendus ille puteus,qui in Veſtrogotorum regione,cui Scaræ nomen eſt,viſitur in ora laci Vener nuncupati.Curarunt igitur ibi Epiſcopi puteum excauari præduro è ſaxo memorabili profunditate. At quoniam ferreis inſtrumentis marmorea illa durities perdifficile ſuperabatur,cum ad ducentos pedes profunditas perueniret, arte in Italia non cognita, ſaxum emolliendum curarunt, vt lenius excauari poſſet: pernis porcinis, pinguiq; multo inflammato marmor quaqua verſus obliniere,ea ex re emollitum ſaxum nullo negotio ſcalpebatur & excauabatur. Olaus lib.2.cap.17. vt ita videantur ii Epiſcopi imitari voluiſſe Salomonem,ſed non pari induſtria,qui in exędificando Hieroſolymitano templo ſaxa ſcalpſit, expoliuitq; nullo adhibito malleo, ſecureue,ſed ſucco tantummodo, qui ex vermiculis quibusdam,cuius vis erat marmora arrodendi,vt diſſeruimus in inſectis; ſed mea quidem ſententia in illis ſcalpendis marmoribus, priusquam ædificio ſtatuerentur,cenſeo malleis & ſecuribus, atque aliis ferreis inſtrumentis ſciſſa, ſcalpta & adæquata fuiſſe: at cum in templum pertraherentur, locarenturque ſuis locis, ibi nil fuerit malleorum viſum, aut auditum; ſed cum componerentur, vt lubricitate labor leuaretur, is vermiculus in vſu fuerit. Præ cæteris vero omnibus puteis ille admirabilior eſt,in quo magno miraculo ſtella, quam Magorum dicunt conſpicitur,in Palæſtina: ſed de illo dicemus pluribus in rebus arte confectis. Sed de hac re plus ſatis.

EQ. Optarim noſſe, num vt fontes in partem meliorem in Scripturis intelliguntur, ita quoque putei? an potius in deteriorem ſignificationem accipiantur, vt legentes ſacros Codices ſcrutari, & verius, & vtilius quæ narrantur poſſimus?

TH. Eius quæſtionis definitione D. Baſilius iam ſua ſententia explicaſſe videtur, enarrans Pſalm.7.homil.13. *Lacum (*inquit*) aperuit & effodit eum. Vocem lacus*

in ſacra Scriptura non valde in bona ſignificatione poſitam reperimus, quemadmodum neq; puteum aquæ in mala: lacus enim eſt, in quem coniectus eſt à fratribus Ioſeph, ac plures ſimi- les: puteum vero effodit Abraham & filii Iſaac, & ad puteum progreſſus requieuit Moyſes: & præceptum habuimus à Salomone, vt bibamus aquas à vaſis noſtris, & à noſtrorum puerorum fontibus: & Saluator noſter apud puteum cum Samaritide de diuinis myſteriis loquitur. Cauſam vero ob quam in deteriobus laci, in melioribus putei vſurpantur, hanc eſſe putamus: acquiſititia aqua eſt in lacis delabens ex cœlo; in puteis vero venæ aquarũ obrutæ manifeſtan- tur, priusquam laci effodiantur ablatis aggeribus, aut quacumq; ſubſtantia incumbente, quæ ſane tota terra exiſtet. Itaq; in anima velut foſſa eſt, in quam decidunt meliora, quæ transmu- tantur ac adulterantur, vbi quis cogitationes de bonis in ipſam collapſas mutat, & in deterius peruertit: atq; in ea, quæ veritati ſunt contraria, vt qui nihil boni ſibi coniunctum habere ſta- tuit. Et contra putei ſunt in anima, ablatis integentibus interioribus effulget lux & fons aquæ potabilis in ſermone ac doctrinis: quapropter vnumquemq; ſibi ipſi puteum præparare neceſſe eſt, quo relatum præceptum ſeruet, quod dicit: Bibe aquas de vaſis tuis, & à tuorum fonte pu- teorum, ſic appellabimur filii eorum, qui puteos effoderunt, Abraham, Iſaac & Iacob. Lacum autem ne faciamus, vt ne in foueam ac foſſam ipſam incidamus, neq; audiamus ea, quæ in Hie- remia in opprobrium peccantium ſcripta ſunt, Deo ipſo de illis dicente verba hæc: Me relique- runt fontem aquæ viuæ, & effoderunt ſibi ipſis lacus diſſipatos, qui aquam continere non poſ- ſunt. Hæc Baſilius.

PH. Iure Baſilius rebus omnibus illuſtrandis egregius Doctor habetur: illi autem etiam hodie omnes conſentiunt interpretanti, vt ſcripturarum ſenſa ille pe- netraſſe illuſtrius videatur præ Græcis omnibus: floridus quoq; eſt ac grauiſſimus adeo, vt quidam iure illum fidei columnam nuncuparit.

EQ. Proſequamur nunc pauca quædam, quæ ſuperſunt de fontium naturis: non enim prætermittendos cenſeo illos, qui iuxta Ciminum montem in valle laci Cimini comperti ſunt. Ibi enim tot fontes erumpunt, quot bacillos terræ impe- geris, vt Seruius apud Maronem lib. 7. annotauit. Leander in Faliſcis. Tales eſſe vi- dentur peritiſſimi, ac ſanctiſſimi Doctores ſacri, velut Baſilius cum Chryſoſtomo, Cyrillo, atque aliis ſimilib. Græcis, & inter Latinos eſt Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius atq; Ambroſius, ad quos accedẽtes, expetentesq; quidquid voluerimus mox aſſequimur; velut erumpente fonte, ſiue dogmata fidei quæramus, ſiue anti- nomiarum explicationes, ſiue myſteriorum elucidationes, ſiue ſenſuum, verbo- rumue interpretationes. Sed non ideo dicam Portugalliam eſſe aliis prouinciis præferendam: quod in ea fontium perennium quinq; millia numerentur: poteſt e- nim id felicitate agri & cœli contingere, ſed non ob id ingenia eorum aliis ſunt præferenda. Id habet Ortellius in Luſitania.

PH E contra reperti ſunt fontes, qui tametſi ſemper fluant, nunquam tamen eodem ex ore manant, mutantes ſæpe originis ſedem: qua ex re indigenæ depre- hendunt frugum futuram penuriam, aut feracitatem, præcipuus eius naturæ fons eſt Neminus iuxta Velinum lacum. Leander in Sabinis, & in Reatina regione ex Plinii lib. 2. c. 100. At non procul à Narnia fons eſt, qui numquam ſcaturire viſus eſt, niſi cum annonæ penuria propediem futura eſt. Leander in Vmbria: in qua re duo ſpectantur miracula, alterum vt cum areſcant omnia, vnde penuria frugum accidit, is fons manare videatur, veluti acquirens ſcaturiginem areſcente ſolo: alte- rum eſt, vt futura præſignare norit, velut ſydereorum motuum peritus. Sed & apud Volaterras fons eſt, ex quo deprehendas futuras pluuias, ſi alte ſaliat: ſalit enim

ad de

ad decem vſq; pedes & eo amplius: at ſi lenius fluens minus alte ſaliat, deprehendas ſerenitatem futuram. Leander.

TH. Herbas quoque naſci feruentibus in fontibus naturæ miraculo habendum puto: vireſcere enim igne herbas, quo reliqua areſcunt, admirari cogimur: frigidis vegetantur herbæ, calidis exuruntur. Attamen Statilienſi vrbe feruentib. aquis, quæ balnearum beneficium præbent ſaluberrimum, virentes herbæ innaſcuntur ſeruanturque. Leander in Liguria ex Borſelo.

EQ. Numquid inter fontes conſcribemus arborem, ſi ex illa manet aqua?

PH. Siue ex lapide, ſiue humo, ſiue quolibet metallo exoriatur aqua, fons eſt: ita quoq; ex arbore, quod accidit in Inſulis Fortunatis in Ombrio, cui noſtro ſeculo Ferreæ Inſulæ nomen inditum eſt. Ibi arbor eſt, quæ aquam à ſe profluentem tanta copia exhibet, vt cum omnia aquarum genera campis illis natura negarit: neque enim vlla fluuiatilis eſt aqua, fons vllus, vllus puteus, aut lacus ibi reperitur; illa vna tantummodo arbor ſcaturiginem ſeruat; quotidie etenim exoriente Sole, tum è ſtipite, tum è ramis exundant tanta aquarum profluuia, vt etiam iumentis ipſis aquæ, atq; indigenis ſufficiant. Petr. Mart. Ouet. hiſt. lib. 2. c. 9. *Fons arboreus.*

EQ. Sed numquid fuerit ſuperſtitioſum, ſi quis credat fontem eſſe, qui ſolo tactu conuertat ſerenum tempus in nubilum? imo etiam exprimat pluuias?

PH. Non putarim: nam tactus hominis fontem cum perturbat, ob motum facile accidere poteſt, vt per terræ viſcera commoueatur aquarum ſcaturiginis ſpiritus; vnde vapor exurgat, elatus ſoluatur in pluuias: id accidit in Hybernia, in Momonia, vbi fons eſt, qui cum ab homine fuerit tactus, mox videas regionem circumcirca pluuiis inundari, id memorat Ortelius in Hybernia; & in lacis ſæpe id quoque accidit, vt de lacis agentes memorauimus.

INSVLÆ.

COLLOQVIVM DECIMVMQVARTVM.

EQVES.

IN procinctu parata inſtructaque nauicula eſt, vt in Inſulam hanc proximam traiiciamus. Ipſa enim à continenti diſtat mille tantum paſſibus: ſunt ibi & amœni luci, & ædes non contemnendæ; viuaria quoq; piſcium: eritq; nobis percommodum diſſerere, iucundeq; proſpectare reliquas Inſulas, dum vernæ noſtri piſcationi; quæ ibi eximia eſt, operam dabunt.

PH. Inſula, vt primo intuitu ſeſe offert, tota depreſſa eſt, ac montibus caret ac more campi culta.

EQ. Tota egregie colitur, frugifera eſt feracitate admiranda, & quod eſt commemoratione dignum, nullis fluctuum maritimorum tumoribus inundatur, præter littorum exiguam quandam portiunculam: quanquã enim excurrere fluctus ipſi vndequaq; maximi videantur in tanta Inſulæ totius ſoli depreſſione, nullo tamen tempore compertum eſt vltra 50. paſſus fluctus excurriſſe, cũ tamen plus potuiſſent, ſi aquarum vis inſpiciatur, & loci decliuitas: ſed præceptum Dominicum, ne mare transgrediatur terminos ſuos, nihilo minus elucet in paruis Inſulis (cuiusmodi eſt hæc patens ambitu ad tria millia paſſuum tantum) quam in reliquis ampliſſimarum regionum littoribus: vt ſicut reliqua continentium littora non au-

deat transgredi, ita nec Inſularum, quas vndecumque inuadens facile poſſet inundare, ſed ſedatis fluctibus in ſe ipſum redit; præceptoq; obtemperans, ab omni excurſu abſtinet.

TH. Veriſſimum id eſt. Nam Baſilius Magnus, vti alias occaſione alia recenſuimus, in exemero homil. 4. *Furioſum* (inquit) *ſæpe ex ventis mare, & in maximam altitudinem per vndas exurgens, vbi littora tantum contigerit impetu in ſpumam diſſoluto, retrocedit: debiliſſima re arena, id quod violentia intolerabile eſt, frenatur: alioqui, quid prohiberet rubrum mare omnem Ægyptum cauiorem ac depreſſiorem ipſo exiſtentem inuadere, & cum Ægyptio pelago coniungi, ſi non præcepto conditoris ligatum eſſet?* Hæc ille: ſed in hac exigua Inſula augetur admirandi cauſa, tam vaſtum mare obſeruare idem præceptum, quod in immenſis littoribus obſeruat; nam & quælibet parua Inſula Dei opus eſt.

PH. Omnia, quæ ſunt in rerum natura, Dei ſane opera ſunt: ideo contingere poſſunt in mari multa, quæ natura ipſa operatur, vt depreſſis fluctibus fiant Inſulę, aut aucta, aggeſtaq; terra; neque enim nobis conſtat, qua lege, quaque ratione Inſulas Deus creauerit.

TH. Summa Dei prouidentia factæ in mari Inſulæ, non ea tantum ratione, quod diuturnis nauigationibus portum exhibeant, & quieſcēdi opportunitatem; verum etiam myſterio factę ſunt. Quanquam enim ab initio conditi orbis (vt multi affirmant) non omnes Inſulæ, quæ ſunt, fuiſſent; tamen proceſſu temporis ac præcipue diluuio mutata quaſi tota facie terræ, Inſulæ fuerunt quædam, cum antea non extitiſſent; quædam quæ extiterant, maritimis aut ſuperatæ fluctibus, aut in continenti arida deinceps perſeuerarunt. Aliæ aliter, vt diuina prouidit ſapientia; vti colligitur à ſancto Auguſtin. de admir. ſacr. Script. lib. 1. cap. 7. Sacris enim literis præcipua diuinæ laudis ab Inſulis mentio fit. Pſalmi ſeptuageſimi primi illa præclara verba ſunt: *Reges Tharſis & Inſulæ munera offerent, Reges Arabum & Sabba dona Deo adducent: vt vel ſic Inſularum dona Dei maieſtatem attollant:* ſicut & Sophon. capite ſecundo: *Adorabunt eum viri de loco ſuo, omnes Inſulæ gentium.*

EQ. Ego non tantum id probo, verum etiam addendum exiſtimo, elucere potiſſimum Dei omnipotentiam, ac vniuerſi gubernationem in Inſulis: vt cum ex omnibus eis ad arcam animantia traduxerit, rurſusque expleto diluuio ad omnes Inſulas & homines, & animantia direxerit, non niſi ſumma Dei poteſtate id fieri potuit: & vt manifeſtaretur tanta potentia omnia gubernans, Inſulas fieri neceſſarium fuit: atque id ita differendum me adduxit S. Auguſtinus de ciuit. Dei libro decimo ſexto, capite ſeptimo. *Quæſtio* (inquit) *eſt, quomodo poſt diluuium, quo ea animantia, quæ in Arca non erant, cuncta deleta ſunt, etiam in Inſulis eſſe potuerunt; ſi reparata non ſunt, niſi ex his, quorum genera in vtroq; ſexu Arca ſeruauit. Poſſunt quidem credi ad Inſulas natando traxiſſe, ſed proximas: ſunt autem quædam tam longe poſitæ à continentibus terris, vt ad eas nulla videatur natare potuiſſe beſtiarum. Quod ſi homines eas captas ſecum adduxerunt, & eo modo vbi habitabant, earum genera inſtituerunt, venandi ſtudio fieri potuiſſe incredibile non eſt, quamuis iuſſu Dei, ſiue permiſſu, etiam opere Angelorum, negandum non ſit potuiſſe transferri. Si vero è terra exortæ ſunt ſecundum originem primam, quando dixit Deus: Producat terra animam viuam, multo clarius apparet, non tam reparandorum animalium cauſa, quam figurandarum variarum gentium propter Eccleſiæ Sacramentum in Arca fuiſſe omnia genera, ſi in Inſulis, quo tranſire non poſſent, multa animalia*

terra

terra produxit. Hæc ille. Vnde patet, & creationis, & reparationis, ſed & Eccleſiæ quoque è gentilibus congregandæ myſterio Inſulas extare oportuiſſe, vt ſic ſemper diuina prouidentia manifeſtaretur.

TH. Perpulchra ſane fuit ratiocinatio hæc, præſertim tanto auctore confirmata, cuius eruditionem alia eius dilucidiore doctrina deguſtandam cenſeo: ſcribit enim hic idem Auguſtinus in Pſalmum nonageſimum ſextum iis verbis rei noſtræ plurimum conſentaneis: *Exultet terra, iucundentur Inſulæ multæ* (inquit Pſalmus) *equidem, quia verbum Dei non in ſola continenti terra prædicatum eſt, ſed etiam in Inſulis, quæ conſtitutæ ſunt in medio mari, & ipſæ plenæ Chriſtianis, plenæ ſunt ſeruis Dei. Non enim ſeparat mare eum, qui fecerat mare, quo naues poſſunt accedere, cur verba Dei non poſſunt? Impletæ ſunt Inſulæ, veruntamen poſſunt & in figura recte accipi Inſulæ omnes Eccleſiæ. Quare Inſulæ? quia circumlatrantur fluctibus omnium tentationum: ſed quomodo Inſula vndique circumſtrepentibus fluctibus tundi poteſt, frangi non poteſt, magis magisque ipſa frangit fluctus venientes, quam frangatur ab eis, ſic & Eccleſiæ Dei pullulantes per totum orbem terrarum paſſæ ſunt perſecutiones vndique frementium infidelium, & ecce ſtant Inſulæ, & iam placatum eſt mare. Iucundentur Inſulæ multæ.* Hæc ille ſapientiſſime demonſtrans diuina myſteria in Inſularum conſtitutione.

PH. Propterea non minora in Inſulis conſpecta ſunt miracula, quam reliquis rebus omnibus: quædam enim Inſulæ, cum non eſſent, prodierunt è mari, quod alias alia occaſione diſſeruimus. Id inter prodigia ſcripſit Liuius dec. 4. lib. 9. in fine. Nam Cn. Bebio Pamphilo, & L. Æmilio Paulo Coſſ. haud procul Siciliam Inſulam, quæ nondum ante fuerat, memorat nouam editam è mari eſſe: Strabo vero lib. 6. prodidit, Capream, Leucoſiam, Sirenem, Oenotriam Inſulas omnes è mari emerſiſſe. Seneca vero natur. lib. 6. c. 21. memorat, ſe ſpectante Inſulam in Ægeo mari natam, ſicut antea Tera & Therea iam pridem etiam emerſerant. Memorat præterea, aliam eodem Ægeo mari emerſiſſe auorum ſuorum ætate: ſpumabat interdiu mare, & fumus ex alto ferebatur; nam demum prodebat ignem non continuum, ſed ex interuallo emicantem fulminum more, quoties ardor inferius iacentis ſuperum pondus euicerat: deinde ſaxa conuoluta, rupesque partim illæſæ, quas ſpiritus, antequam verterentur, expulerat; partim exeſæ, & in leuitatem pumicis verſæ, nouiſſime cacumen aduſti montis emicuit, poſtea altitudine adiectum & ſaxum illud in magnitudinem Inſulæ creuit Idem noſtra memoria Valerio Aſiatico Conſule iterum accidit. Hæc ille natur. lib. 2. cap. 26.

EQ. Ex Plinio multas à mari Inſulas emerſas adnumerare licet ex lib. 2. cap. 87. Delos & Rhodos enatæ produntur, vltra Melon Anaphe, inter Lemnum, & Helleſpontum Nea, inter Lebedum, & Teon Alone, inter Cycladas Thera & Theraſia. Inter easdem poſt annos 130. ſuo tempore M. Iunio Sylla & L. Balbo Coſſ. ad 8. Idus Iulii Thia, quod & Strabo tradiderat: nam inter Theram & Theraſiam primum flammas è mari toto quatriduo, quaſi arderet mare, poſtea ſenſim emerſiſſe Inſulam quamdam patentem ad ſtadia 12. totam conſtantem è lapidibus ignitis.

TH. Oroſius lib. 7. cap. 6. ad Plinii & Strabonis ſententiam accedit his verbis: *Inter Theram & Theraſiam Inſula de profundo emicuit triginta ſtadiorum ſpatio extenta*; quod totidem etiam verbis tradidit Ado Viennenſis anno Chriſti 45.

PH. Easdem adhuc Plinius commemorat ſuo tempore fuiſſe enatas lib. 4. cap. 12. Et certe is ipſe locus valde motibus ſubiacet: nam poſtea Leonis Imperato

ris Iconomachi tempore anno Domini circiter 716. cum Mahuhias aciem mouiſ-
ſet contra Romaniam æſtiuo tempore, vapor vti ex camino ignis viſus eſt ebullire
inter Theram & Theraſiam Inſulas ex profundo maris per dies aliquot, quo pau-
latim incraſſato, & dilatato igni, æſtus incendium, & fumus igneus exurgebat; por-
ro craſſitudo terrenæ ſubſtantiæ petras, pumices grandes & cumulos quoſdam
transmiſit per totam minorem Aſiam, & Lesbiam, & Abydum, & maritima Mace-
doniæ, ita vt tota ſuperficies niuis huius pumicibus ſupernatantibus eſſet repleta:
in medio autem tanti ignis Inſula ex terræ congerie facta Inſulæ, quæ ſacra dicitur,
copulata eſt. Verum ſicut prædictæ, Thera & Theraſia, Inſulæ quondam ebulliere,
ita & hæc. Theophanes Iſaurus apud Anaſtaſium Bibliothecarium anno Domini
716. Sed Inſulam Delon, de qua iam dictum eſt, Ariſtotele teſte, emerſiſſe teſtatur
eod. lib. 4. c. 12.

EQ. Sed & lib. 2. c. 88. alias nuper emerſas commemorat Plinius. Sic enim ille:
*Ante nos, & iuxta Italiam, inter Æolias Inſulas, item iuxta Cretam Inſula emerſit è mari M.
D. paſſuum, vna cum calidis fontibus. Altera Olympiadis CXLIII. anno tertio, in Thuſco ſinu
flagrans hæc violento cum flatu: ſic & Pithecuſas in Campano ſinu ferunt ortas, & Pro-
chytam.*

TH. Deus cum Inſularum ſit auctor, ſæpe absque tumore maris efficit eas, vt
ſeruis ſuis ſalutem tribuat: nam S. Maclouius cum in littore maris Britannici ob
dormiſſet, æſtuante extra littus mari, illæſus dimiſſus eſt, velut Inſula quadam con-
fecta abſtinente mari, ne homo fluctibus attingeretur. Vinc. hiſt. lib. 21. c. 94. Sed id
non naturæ, at Dei miraculum fuit. Naturæ vero frequentiores ſunt.

PH. Exiſtimandum eſt, longe plures adnumerari poſſe reliquo mari, ſed no-
bis fuiſſe incognitas: ſicut enim terræmotus toto orbe extitere, ita & in mari Inſulæ
prodiiſſe potuerunt. Ipſo enim Plinio teſte lib 2. c. 85. *Nuper naſcuntur Inſulæ cum ter-
ræmotus terrarum naſcentium cauſa ſit, cum ille ſpiritus attollendo potens ſolo non valeat e-
rumpere.* Ac propterea Varroni viſum fuerat, Delon terræmotum non ſentire, quę
tamen Mutiano teſte bis fuerat concuſſa, vt Plinius tradit lib. 4. c. 12. *Cum igitur In-
ſulæ fere omnes nuper emerſæ appareant, terræmotus ſpiritu attollente, neceſſario aſſerendum
eſt, aliquando eundem ſpiritum rurſum commoueri poſſe.*

EQ. Emerſiſſe Inſulas alias commemorat Fulgoſus lib 1. de miraculis. Viſum
enim eſt illi hoc contingere ſine miraculo non poſſe: verum aliquando Inſulæ non
nuper emerſere, ſed à continenti terra auulſa pars tranſiit in Inſulam aqua euellen-
te & circumambiente; quarum Inſularum numerus egregius eſt, & nobis notiſſi-
mus. Mare etenim Siciliam terræmotu à continenti diuulſit, Strabone teſte lib. 6.
qui Pithecuſas & Prochytam iam commemoratas eodem modo factas tradit.

PH. Plinius plures retulit lib. 2. cap. 88. *Mare* (inquit) *à littoribus quandoque ab-
rupit Inſulas, ſicuti Siciliam ab Italia, Cyprum à Syria, Eubœam à Bœotia, Atalantem &
Macrin ab Eubœa, Besbium à Bithynia, Leucaſiam à Sirenum promontorio.* Hæc ille; quam-
quam id alias occaſione alia diximus.

EQ. De eadem Eubœa à littore auulſa teſtatur Strabo lib. 9. pontemque pe-
dum ducentum iungere eam continenti affirmat, terræmotibus ſubiacere, eius-
dem nominis vrbe abſorpta. Strabo lib. 10. Et de Atalante ante annum ab vrbe 355.
conſtat ex Oroſio lib. 2. c. 18. iis verbis: *Atalante ciuitas Locris adhærens contigua, repen-
tino maris impetu abſciſſa, atque in Inſulam deſolata eſt.* Hæc ille. Alias apparuiſſe è mari
repente conſtat; nam Claudii 4. anno, Chriſti vero 43. Inſulam ſtadiorum 30. e-
mer-

merſiſſe memorat Hermannus Contractus. Sed illa eadem eſt, quam ex Oroſii lib. 7. recenſuimus.

PH. Non igitur tantum naſcuntur Inſulæ, verum & auelluntur, & quod æque commemorandum eſt, etiam fiunt aggeſta materia. Echinades enim Inſulæ ab Acheloo amne, maiorque pars Ægypti à Nilo exortæ, vt ſcribit Plin. lib. 2. c. 85.

TH. Et hoc miraculo Dei fit. Nam ſub Imperatore Leone Priſcus Hiſtoricus prodidit, Conſtantinopoli & in Bithynia tam ingentem pluuiam extitiſſe, vt in Beana lacu, qui non longe abeſt Nicomedia, ob crebram ſordidi cuiusque generis materiam in eum congeſtam nonnullas factas Inſulas. Hæc Euagrius lib. 2. c. 14. & Niceph. lib. 15. c. 20.

EQ. Ad hunc ferme modum cœpit Tyberina Inſula, quæ Romæ celebratiſſima tum pontibus, tum templis, tum reliquis ædificiis conſpicitur. Violata etenim à Tarquinio Lucretia, cum Brutus Regum bona diripi, & in Tyberim quædam mergi conſuluiſſet, Inſula rerum aggeſtu facta eſt. Sic enim id Liuius tradit dec. 1. lib. 2. *Bona Regis patres vetuerunt reddi, vetuerunt in publicum redigi, diripienda plebi ſunt data, vt contacta Regia præda, ſpem in perpetuum cum his pacis amitteret. Ager Tarquiniorum, qui inter vrbem ac Tyberim fuit, conſecratus Marti, Martius deinde campus fuit. Forte ibi tum ſeges farris dicitur fuiſſe matura meſſi, quem campi fructum, quia religioſum erat conſumere, deſectam cum ſtramento ſegetem magna vis hominum ſimul immiſſa corbibus fudere in Tyberim tenui fluentem aqua, vt mediis caloribus ſolet: ita in vadis hæſitantis frumenti aceruos conſediſſe illitos limo; Inſulam inde paulatim, & aliis, quæ fert temere flumen, eodem inuectis, factam. Poſtea credo additas moles, manuque adiutum, vt tam eminens area firmaque templis quoque ac porticibus ſuſtinendis eſſet.* Hæc ex illo.

PH. Illa percelebris Tyberina Inſula cœpit quidem hac, quam Liuius tradidit, origine: verum eius pars quædam Lycaonia hoſtia dicta eſt, corpore S. Bartholomæi Apoſtoli inſignita. Id enim ſcribit Platina in Benedicto Septimo Romano Pontifice: *Cum enim beatiſſimi ipſius Apoſtoli corpus è Beneuento Romam* (inquit) *veheretur, in ipſa illa Inſula collocatum eſt eo loci maxime, qui olim Iouis hoſtia Lycaonia dicebatur, quique triremis puppim præ ſe fert. Nam Inſula, vt adhuc ex Tiburtino lapide cernitur, triremis formam habuit, ad ſimilitudinem illius credo, qua Æſculapius Romam aduectus eſt. Viſitur adhuc ſerpens lapidi inſculptus, viſuntur tranſtra, adeo viri illi excellentes ſtudioſi erant, vel naturam in artem redigere, vel artem ad naturam.* Hactenus de Inſulis per materiam aggeſtam confectis.

EQ. Sicut igitur Inſulas eas proſequuti ſumus, quas aliqui euentus prodidere, ita quoque differendum nobis eſt de illis Inſulis, quæ cum eſſent ſublatæ miraculo, eſſe deſierunt; deſierunt autem, aut quia è profundo hauſtæ fuerunt, aut quia mari eas deſerente in mediterraneis comperiuntur. De vtriusque optarim audire.

PH. Non eſt hoc adeo rarum; nam id frequentiſſime contigiſſe auctores tradiderunt. Strabo lib. 1. multa affert exempla earum, quæ in mediterranea tranſierunt: tradit enim Artoniam Inſulam inter Echinadas deſtitutam à mari factam fuiſſe mediterraneam, Antiſſam quoque Inſulam mediterraneam factam ibidem commemorat. Plinius autem lib. 2. c. 89. plurimas in hunc modum enumerat: *Antiſſa primum Inſula, recedente mari, Lesbo iuncta eſt, Zephyrium quoque Inſula deſiit eſſe adiuncta Halicarnaſſo. Ethuſa & ipſa deſiit iuncta Mindo, ſed & Dromiſcon, & Pernen natura adiunxit Mileto, & Narthecuſam Parthenio promontorio. Hybana præterea quondam Inſula Ioniæ CC. nunc ſtadiis abeſt à mari. Et quæ Syrite fuerat Inſula, modo in mediterranea Epheſi*

ſita

ſita eſt: ſic & in mediterraneis Magneſia, Deraſidæ & Sophronia olim Inſulæ, nunc ſitæ ſunt. Epidaurus quoque & Oricum eſſe Inſulæ deſierunt. Hæc ex illo.

TH. Sunt hæc omnia commemoratione digna: at terribilius eſt, cum diuino nutu Inſulæ abſorbentur; parum enim eſt ab aquis deſtitui Inſulas, atque in arentes campos permutari, at hiatibus abſorberi, aut omnino demergi, commiſeratione dignum eſt. Ex Thucydide narrat Seneca natur. lib. 6. c. 24. circa Peloponneniaci belli tempus Atalantem Inſulam aut totam, aut certe maxima ex parte ſuperfuſam; idemque Sidone accidiſſe.

EQ. Eſt ſane commiſerandum: id enim etiam poſtea contigiſſe ſub Theodoſio Imperatore proditum eſt. Terræmotus enim ſex ad menſes tum durauit, ac præter reliquas innumeras clades illatas, Inſulæ etiam plures vna cum incolis ſuis ſubmerſæ in Aſia; hodie quoque non apparent, vt teſtatus eſt Niceph. lib. 14. c. 46.

TH. Tertullianus in Apologetico c. 39. Hierapolim & Delon, & Rhodon, & Con Inſulas multis cum millibus hominum peſſum abiiſſe ſcribit.

PH. Fuit hæc deſolatio commemoratione digna, at omni calculo adnotanda, quam Plato recenſuit in Thimæo, non longe à principio. Traditur (inquit) Athenienſis ciuitas reſtitiſſe olim innumeris hoſtium copiis, quæ ex Athlantico mari profectæ prope iam cunctam Europam Aſiamque obſederant. Tunc enim erat fretum illud nauigabile, habens in ore & quaſi veſtibulo eius Inſulam, quas Herculis columnas cognominant. Ferturque Inſula illa Libya ſimul & Aſia maior fuiſſe, per quam ad alias proximas Inſulas patebat aditus, atq; ex Inſulis ad omnem continentem è conſpectu, iacentem vero mari vicinam, ſed intra os ipſum portus anguſto ſinu fuiſſe traditur. Pelagus illud verum mare, terra quoque illa vera erat continens. In hac Athlantide Inſula maxima & admirabilis potentia extitit Regum, qui toti Inſulæ illi, multiſque aliis, & maximæ terræ continentis parti; præterea & his, quæ penes nos ſunt, dominabantur, ſiquidem tertiæ mundi parti, quæ Libya dicitur, vſque ad Ægyptum imperauerunt, Europæ vero vſque ad Tyrrhenum mare. Horum vis omnis collecta noſtram, & quidquid intra columnas Herculis continebatur, inuaſit. Et mox: Poſt hæc ingenti terræmotu, iugique diei vnius & noctis illuuione factum eſt, vt terra dehiſcens illos vna omnes bellicoſos homines abſorberet, & Athlantis Inſula ſub vaſto gurgite mergeretur. Quam ob cauſam innauigabile pelagus illud propter abſorptæ Inſulæ limum relictum fuit. Hæc ex illo. Hanc autem non fabulam, ſed hiſtoriam recenſet Tertullianus in Apologetico cap. 39. Ficinus quoque teſtatur in compendio cap. 4. idque etiam pro hiſtorica veritate probat Amm. Marcellin. lib. 17. Petr. Hiſp. in ſylua, parte 4. c. 3. quod etiam paucioribus tamen recoluimus in rebus Meteoricis.

TH. Forte ſedes, qua illa iacebat Inſula, id omne eſt mare, quod ab Herculis columnis interiacet nauigantibus in orbem nouum: is autem orbis Platoni videtur cognitus, vt tradit in Ctiſia. Continentem etenim appellat etiam in Thimæo, quoniam Inſulam Reges eo vſque dominabantur; atque hinc ego coniicio, neque temere Chriſtophorum Columbum ex Athenienſibus annalibus, & ex Platone, qui eorum meminit, permotum fuiſſe, vt nauigationem experiretur, tentaretque, ſi continens illa terra, aut aliæ circumiacentes Inſulæ adiri ab eo poſſent: vanum autem exiſtimaui, ac rationi incongruum illorum iudicium, qui iudicarent, Columbum Aſtronomica virtute tantam tentaſſe nauigationem, cum euidenter ab ipſo

ipſo Platone pateat, Inſulas continentemque in ea plaga extitiſſe, cladem que, quæ Inſulam peruaſerat, continentem non attigiſſe.

PH. Mihi plurimum arridet hæc ratio: nam & apud Ariſtotelem libro de admirandis, capite octuageſimo ſecundo legi, Carthaginenſes edicto vetuiſſe, ne quis ad eam plagam ſeſe conferret, quandoquidem quicumque eo profecti fuiſſent, capti dulcedine loci, numquam vlterius in ſolum patrium rediiſſent. Sic enim ille: *In mari, quod eſt extra columnas Herculis, à Carthaginenſibus Inſulam fuiſſe inuentam ferunt, quæ ſyluas habeat, fluminaque nauigiis apta, & ob alios fructus ſit admirabilis: diſtare autem per plurium dierum itineris ſpatium, in qua pluribus Carthaginenſibus ſæpius ob loci felicitatem cum incolis admixtis Carthaginenſium Duces mortis pœnam conſtituerunt iis, qui eo adnauigaſſent, omneſque ibi habitantes dimiſerunt, ne illic degerent, & ne multitudo ipſorum Inſulæ Imperio potirentur, reliquorumque Carthaginenſium quietem infeſtarent.* Hæc ille. Chriſtophoro igitur efficaciter perſuaſum erat, terras ſub illo cœlo comperiendas, licet magna & locorum & temporis intercapedine à nobis diſiungerentur: verum redeamus ad reliqua Inſularum miracula.

EQ. Audiui Inſulas reperiri, quæ in aquis ſolidę non conſtent, ſed fluitent, idque auctores prodidiſſe non paucos, quamquam id videatur incredibile.

PH. Eſt ſane incredibile, tantam molem terream aquis ſupernatare poſſe: attamen ſicut grauiſſima ligna, & in lignis quælibet ſuperpoſita grauiſſima pondera aquis ſuſtinētur, ita fieri poteſt, vt aliquæ Inſulæ innatent. Marcus enim Varro tradit, inter Cycladas Inſulas eam, cui nomen eſt Delos, diu fluctuaſſe, vti teſtatur Plinius lib.4.cap.12.

EQ. Non videtur id veriſimile, vt fluctuarit tanta Inſula: forſan etenim contigit illi, quod contingere ſolet Inſulæ cuidam, quæ in Hiſpania eſt, quæ pendere & attolli aquis increſcentibus videtur, cum tamen ipſa ſemper ſibi conſtet immobilis. Mela enim id habet lib.3.cap.1. his verbis: *In Garumnia Pyrenæi Hiſpaniæ flumine Inſula eſt, Atros nomine, quam pendere & attolli aquis increſcentibus ideo incolæ exiſtimant, quia cum videtur editior, aquis obiacet, vbi ſe fluctus impleuit, illam aperit, nec vt prius tantum abit, & quod ea, quibus ante ripæ colleſque, ne cernerentur, obſtiterant, tunc velut ex loco ſuperiore perſpicua ſunt.* Hæc ille; qui in viſu eſſe fallaciam animaduertit, non autem ipſa re vera.

PH. Si fidem habere velimus iis, qui vere fluctuaſſe Inſulas literis commiſerunt, atteſtari licet id pluribus locis contigiſſe. Herodotus enim lib.2. memorat in lacu prope Butim vrbem, non procul à Nilo, Inſulam mobilem ac fluctuantem eſſe. Mela ſcribit lib.1.cap.5. in hæc verba: *In quodam lacu circa Nili ortum Chemnis* (inquit) *Inſula lucos ſyluaſque, & grande ædificium ſuſtinens natat, & quocumque venti agunt, pellitur.* Sed & lib.2.cap.3. de alia meminit, quæ fluctuat in Gallia Narbonenſi: *Salſulæ* (inquit) *fons eſt non dulcibus aquis defluens, ſed ſalſioribus etiam, quam marinæ ſunt: iuxta campus minuta arundine, gracilique peruiridis, cæterum ſtagno ſubeunte ſuſpenſus: id manifeſtat media pars eius, quæ abſciſſa proximis ripis velut Inſula natat, pellique ſe atque attrahi patitur, quin & ex iis, quæ ad imum perfoſſa ſunt, ſuffuſum mare oſtenditur.* Hæc ille.

EQ. Forſitan terræ genus eſt ſpongioſum ſuberis modo, quod etſi aquas admittat imbibatque, ſemper tamen ſupereminet: aut vt Seneca putat natur. lib.3. cap.25. pumicoſa, & leui conſtans materia, vti Inſulæ in Lydia, quas natare Theo-

phraſtus eſt auctor, quo loco vidiſſe ſe conteſtatur Inſulas natantes apud Cutiliam & Vadimonis lacum.

PH. Et id facile eſſe poteſt: Plinius enim multas alias eiusmodi Inſulas enarrat lib. 2. cap. 95. *Quædam* (inquit) *Inſulæ ſemper fluitant, ſicut in agro Cæcubo, & Reatino, Mutienſi, Statonienſi. In Vadimonis lacu, & ad Cutilias aquas, opaca ſylua, quæ numquam die, ac noctu eodem loco viſitur. In Lydia, quæ vocantur Calaminæ, non ventis ſolum, ſed etiam contis, quo libeat impulſæ, multorum ciuium Mithridatico bello ſalus: ſunt & in Nympheo paruæ ſalutaresque dictæ, quoniam in ſymphoniæ cantu ad ictus modulantium pedum mouentur. In Tarquinienſi lacu magno Italiæ duo nemora circumferunt, nunc triquetram figuram edentes, nunc rotundam complexu.* Hæc ille. Atque ita fit, vt cum tot annumeret Plinius, exiſtimandus ſit vera potuiſſe affirmare. De Vadimonis lacu cum inciderit mentio, pluribus agendum eſt. Is non abeſt à Roma M. paſſ. 30. & Inſulæ plures in illo ſunt, non procul ab Hortano, ſeu Ameria, ita vt mobiles ſupernatent, florent herbis, & minutis arundinibus: adeo autem vbique fluitant, vt mutuo ſeſe collidant, ſæpe & in littus impingant; redeant deinde in altum, ſæpe omnes proximæ inuicem, ſæpe valde procul, omnes æqualiter emergunt ab aquis leuiſſime, infra aquas leniter deſinunt carinarum modo: ſæpe dum aquæ ventis intumeſcunt, videntur ſubmergi, at mox emergunt: ſæpe quoque videntur mutuo irruere, ac concuti, adeoque incertis ſedibus errant, vaganturque, vt breui, quæ dextrorſum fluitabat, fluitet ſiniſtrorſum, quę littori proxima, appareat procul; quę autem procul, fiat proxima, ſi qua inter eas latitudine præſtat, cum videretur minimis proxima eſſe, diſtantius poſtea videtur. Interdum omnes adeo adhærent, vt vnica putetur Inſula; pugnare igitur aliquando videntur perinde ac claſſes dimicantes in mari. Aliquando autem, cum littori proximius adhæſerint, pecora cum virentibus earum herbis illecta è continentibus ripis in eas fuerint ingreſſa, poſtea in altum reuertentibus Inſulis, ſeſe à ripis adeo procul abeſſe animaduertunt, vt vndecumque aquis cincta elabi cum non poſſint, valde deterreantur, nec inde alio ingenio eripi poſſint, quam cum aquarum motu eædem Inſulæ rurſum ad ripas impulſæ fuerint. Quo euentu mirum, quanta ſolertia atque alacritate pecora huiusmodi in continentem ab ipſis Inſulis inſiliant ob illud, quod ſe paſſa eſſe exiſtimant periculum relegationis. Hæc Leander in Faliſcis ex Epiſtola Plinii iunioris ad Gallum, quæ eſt lib. 8. Plinius autem ſenior lib. 2. cap. 95. plures alias meminit aliorum lacorum Inſulas fluitare. At Inſula in lacu Cutilienſi apud Riete fluitans patet ambitu pedes quinquaginta, ex diametro ſeptemdecim: eminet ab aquis pedali menſura; herbis florida eſt, impellitur quaqua verſus. Leander in Sabinis. In Scotia quoque in Lemno lacus eſt, qui ſponte abſque ventis concitatur in magnam tempeſtatem; in ipſo Inſula huc atque illuc impellitur late patens, multum pecus ad paſcendum admittens, vt Ortellius memorat in Scotia.

EQ. Eidem rei igitur adſtipulari poteſt, quod Plinius habet lib. 16. c. 1. idque, quia noſtro hoc Europæ cœlo contigiſſe commemorat, perfacile fidem aſſequetur. Septentrionalem plagam incolunt populi Cauchi; circa itaque duos præcipue lacus littora ipſa obtinent quercus, maxima auiditate naſcendi, ſuffoſſæque fluctibus, aut propulſæ flatibus, vaſtas complexu radicum Inſulas ſecum auferunt, atq; ita libratæ ſtantes nauigant, ingentium ramorum armamentis, ſæpe territis claſſibus noſtris, cum velut induſtria fluctibus agerentur in proras ſtantium noctu, inopesque remedii illæ prælium nauale aduerſus arbores inirent. Hæc ex illo.

TH. Iis,

TH. Iis, quæ iam dicta ſunt, præcipue de Cutilienſi Inſula, adſtipulatur & Macrobius, quem non putarim fabulari voluiſſe: ſcribit enim Saturn. lib. 1. c. 7. in hæc verba: *Inſulam Pelagi* (vt Varro memorat) *in lacu Cutilienſi enatam inuenerunt: ampliſſimus enim ceſpes, ſiue ille continens limus, ſeu paludis fuit, coacta compage virgultis & arboribus in ſyluæ licentiam comptus, iactantibus per omne mare fluctibus, vagabatur, vt fides ex hoc etiam Delo facta ſit, quæ celſa montibus, vaſta campis, tamen per maria migrabat.* Hactenus ille, quo teſte, quæ de Delo & Cutiliis audiuimus ex Plinio, confirmata videantur. Sed huiusmodi Inſulæ hominibus erunt incommodæ, perpetuum ob merſionis metum, dæmonibus incolis nihil tale metuentibus aptiores.

EQ. Nec hoc falſum eſt, dæmones in Inſulis frequentes habitare. Id enim vel ipſo Euſebio Cæſarienſi teſte compertum eſt. Ille enim lib. præpar. Euang. 5. c. 9. ex Demetrio atque Plutarcho tradit, vltra Britanniam multas deſolatas eſſe Inſulas, quarum nonnullæ dæmonibus refertæ ſint, tempeſtates nimboſque commouere, multiſque fallaciis hominibus illudere.

PH. Nec id ſolum verum eſt in Britannicis Inſulis, verum & alibi frequenter, vt audiuimus, cum de homine diſſereremus; ſed ne ab Inſularum argumento deflectamus orationem, meminiſſe iuuat ex eodem Euſeb. lib. 5. c. 9. de Inſula quadam inter Echinadas. Sic enim ille: *Cum in Italiam Æmiliani Rhetoris pater nauigaret, inter Inſulas, quas Echinadas appellant, flatu ventorum deficiente, nocte prope Paxas deuenerat, cumque omnes pene, qui ſimul nauigabant, attentiores vigilarent, repente à Paxis Inſula vox magna audita eſt, quæ Thamnum Ægyptium nauis eius gubernatorem vocitabat: attentis auribus cum omnes ſtarent, audita eſt rurſum vox verba hæc exprimens: Cum iuxta paludem fueris, annuntia Pan magnum mortuum eſſe. His verbis auditis, omnes terrore perculſi ſunt. Cumque iuxta paludem perueniſſent, Thamnus in mare pronus reſpiciens magna voce dixit, quæ audiuerat: Magnus videlicet Pan mortuus eſt. Verbis his prolatis, ilico multorum, imo innumerabilium gemitus magnus exaudiri cœptus eſt, ingenti miraculo. Cumque Romam perueniſſent, Tiberio Cæſari rem detulerunt, qui & rei veritatem quæſiuit, & inuentam maxime eſt admiratus.* Hæc ab Euſebio.

TH. Figmenta ſunt hæc dæmonum. Cum enim ante Chriſti aduentum toti orbi dominari viderentur, Inſulaſque etiam inhabitarent, familiari hominum conſuetudine quandoque abutentes, Chriſti aduentu principatus eorum depreſſus eſt: Cumque Princeps eorum, & cum eo ſectatores foras eiicerentur, ſe mortuos confingere maluerant, quam ſubactos videri. Habitare autem præcipue in Inſulis deſertis dæmones huiusmodi ideo eſt compertum, quod vel à Deo & Angelis eius eo coniecti ſunt, vt minus obſint homini. Diutius quoque in iis deſertis locis degunt, quod piorum tum orationes, tum ſacrificia ibi non fiant; nec adſit Sanctorum præſentia, alioqui ſi forte eo pii homines aduenerint, etiam loco cedent, deuicti præ imbecillitate, cuiusmodi venerabilis Beda teſtatur Ang. hiſt. lib. 4. c. 28. Dæmonum enim frequentia incolebatur Inſula Lindis Farnenſium, ac præterea inculta, frugum arborumq; omnium expers, & quod maius eſt, etiam ibi aquæ erat penuria. Eo profectus Cudberecht ſanctiſſimam vitam acturus, dæmones ſolum verterunt alio migrantes, Inſulaq; à Dei ſeruis obſequio diuino coli cœpit, eorumque concionibus orationeq; etiam aquarum ſcaturigo manauit, vt eo loco teſtatur Beda. Propterea admiratione non eſt indignum, quod traditum eſt, in Vltonia Hyberniæ lacum eſſe, in quo Inſula bipartita eſt, inq; altera parte Eccleſia eſt, quæ libere aditur ab omnibus; ad partem alteram ſi quis adierit, ibique pernoctauerit,

In Inſulis cur frequentius habitent dæmones?

à malignis ſpiritibus adeo cruciatur, vt vix halitus in miſero corpore reperiatur: in qua Inſula ſitum eſt S. Patritii purgatorium. Ortellius in Hybernia.

EQ. Quo igitur fertiliores Inſulæ eſſe comperiuntur, ibi eo minus vexant dę-mones, quoniam incultas plerumque inhabitaſſe legimus.

Tentatio Diaboli in homines varia.

TH. Dæmones vexant humanum genus quandoque penuria, bello, peſte, ſic diuina permittente Maieſtate: neque enim aliud moliuntur, quam generis huius ſummam perniciem; at non ideo abſunt ab iis, qui non vexantur, quandoquidem obſequentes ſibi in deliciis quibuſcumque cur vexare oportet? In deſertis etenim, vti ſanctus Antonius teſtatur, retia diabolica vbique ſubſtrata & tenſa ſunt, in vrbibus perraro: non enim retibus capiuntur, qui obſequuntur, ſed ii tantum, qui incentiua carnis, & ſuadelas diabolicas abominantur; atque inde fit, vt non admodum frequens mentio fiat, dæmones feraces locos inhabitare, cum tamen longe magis occulto inhabitent ibi, vbi ſibi obſequẽtes habent in pace homines, quia illis deliciarum copia ſuppeditatur, vel ipſa ſcriptura docente: *In multo pane Sion prævaricata eſt.* Si igitur tentationibus dæmonum viri pii non obſequantur in deliciis perfruendis, malignorum ſpirituum furor longe magis in eos apertiſſime concitatur. Sanctus enim Gregorius ſuper librum 1. Regum ad cap. 7. ſic habet: *Cum altiori vita proficimus, maligni ſpiritus, qui ſemper bene agentibus inuident, nobis inferiores ſunt.* Et mox ad probandam electorum patientiam: *Nec vnus ſpiritus malus electorum ſingulis, ſed innumeri deputantur, vt de conſecuta eorum victoria tanto ſit copioſior fidelium gloria, quanto eis irrogata fuerint prælia grauiora.* Hæc ille; atque ideo fit, vt ibi magis exaudiatur turba dæmonum, vbi non ſunt, qui illis obſequantur, etiamſi turba modica ſit: at vbi multos obſequentes comperiere, etiamſi infinitus dæmonum ibi numerus ſit, non viſuntur, aut vix adeſſe cognoſcuntur, quoniam obſequio contenti conticeſcunt.

EQ. Ego facile in hanc ſententiam tranſeo; bellorum ibi ſtrepitus exaudiuntur, vbi factiones ac diſſidia ſunt. At vbi vnanimitas habitat, quieſcunt quodammodo omnia certum quoddam vſque in tempus, donec poſtea dies Domini aduenerit. Ideoque plures ibi dæmones, ſed latentes eſſe, vbi ſoli fertilitas delicias plurimum adauget; ſuadet nobis id, quod habet Euſebius Cæſ. præpar. Euang. lib. 4. c. 12. *Sunt* (inquit) *corpora hominum dæmonibus plena, & maxime illorum, qui delicatis cibis viuunt, comedentibus enim nobis adueniunt, & inhærent corpori, idcirco ieiunium & caſtitas maxime laudantur, non quia principaliter Deus bonis iſtis placetur, ſed vt recedant illi, qui ſanguine & immunditia gaudentes, vt his fruantur, in vtentium corpora ingrediuntur. Certum enim eſt, quia vehemens caducarum rerum cupiditas, & appetitiui ſpiritus impetus non aliunde, quam ex præſentia iſtorum maxime creſcit: quare cum appetitio nimium inflammata eſt, & voluptatis ardor animum ita exagitat, vt omnis cogitatio ad exteriora vagetur, tunc huiuſmodi dæmonum præſentiam eſſe cognoſcas; quorum præſentia facit, vt appetitiuus ſpiritus in corpore noſtro multiplicetur.* Hæc ille.

TH. Aptiſſime is Euſebii locus rei noſtræ congruit. Ideo propoſitum ſequentes argumentum agamus de Inſulis, quibus feracitas tanta eſt, vt ibi deliciæ ſuperfluere videantur pro magno naturę miraculo, ac primum de Inſula Auſtrali à Iambolo comperta, in qua æquali ſemper menſura dies ac noctes ſunt, fructuſque omnes ſponte naſcuntur, quibus ſine induſtria incolæ veſcuntur, viuuntque annos 150. vt Diodorus tradit lib. 2. apud Ramuſium Tom. primo. Sed opportunius eſt, vt de Fortunatis decem Inſulis agamus, ſic dictis, ob miram aeris temperiem, & cœli clemen-

Inſulæ fortunatæ quæ dicantur.

clementiam, vbi incolæ metunt Martio & Aprili, vt annotat Surius Comment. anno Domini 1500. De eis ſic habet Iſidorus lib.4.cap.6. *Fortunatæ Inſulæ vocabulo ſuo ſignificant omnia fere bona, quaſi felices & beatæ fructuum vbertate; nam ſuapte natura pretioſarum poma ſyluarum parturiunt: fortuitis viribus iuga collium veſtiuntur, ad herbarum vicem meſſis, & olus vulgo eſt.* Hæc ille. Inter eas Ombrio eſt, in qua ferulæ ad arboris magnitudinem ſurgunt, vti habet Solin.cap.58.& Plin.lib.6.cap. 32. Eſt etiam inter eas Madera, ea cum primũ inuenta fuerat, & coli ceperat, quinquageſimum & ſexageſimum fructum referebat: nunc tamen etiam detrita humo ob continuam culturam, adhuc refert trigeſimum. Aloyſ. Cadam. Quin in ea vuæ propendent longiores quatuor palmis, acini earum ſucco referti absque vllo nucleo ſunt, Martio quoque menſe maturæ excerpi poſſunt, eodem Cadamuſtio teſte.

EQ. Ad eandem cœli plagam circiter, ſed à nobis longe remotior Inſula eſt, cui nomen eſt Hiſpaniola noui orbis, eaque fertilitate ſupra reliquas vtriusque orbis Inſulas inſignis eſſe commemoratur, non ipſa ſolum, ſed & plurimæ circa illam aliæ. Cum primum enim à Columbo fuiſſet adinuenta, ille ibi frumentum Februarii initio ſatum iam maturum meſſuit trigeſima Martii die, vti teſtatur Petr. Mart. ſummar. Hocque breui interuallo in tantam creuere amplitudinem ariſtæ, vt hominis brachio magnitudine, longitudineque æquari poſſent: duo enim granorum millia ariſtæ ſingulæ complectebantur, eodem Petr. Mart. teſte. Die quoque Natalis Domini æſtum ibi eſſe, & omnes fructus maturos, tradit Ouet. lib.4.cap 2. Quin etiam idem addit ſumm.cap.81.& hiſt. lib.11. cap. 1. qualibet anni parte, imo toto penitus anno, pepones recentiſſimos enaſci, & in menſis ſemper apponi, tantæque eos eſſe amplitudinis, vt vix quisque vnicum humeris ferre poſſit.

Accedit præterea, vt ibi Martio menſe vuæ præmaturæ excerpantur, non eæ ſolum, quæ hominum cura excoluntur, verum & ſylueſtres: vt idem Petrus tradit in ſumm. Fœnum quoque falce abſciſſum quinta die ad cubiti proceritatem rurſum adoleſcit, eodem Petro Martyre teſte. Iure igitur merito cœlum illud, cum ob illam tantam rerum feracitatem homines gigneret ad omnia vitia procliues, terræmotu, de quo diximus, ingentem illam Inſulam demerſiſſe memoratur.

TH. Non minor eſt feracitas Talgæ Inſulæ Caſpii maris, quæ ſine cultu fertilis eſt, omni fruge ac fructibus abundans: ſed vicini accolæ olim ſuperſtitione ducti, quæ ita naſcerentur, non audebant attingere, nephas ac ſacrilegium exiſtimantes, quaſi Diis parata, ideoque eis ſeruanda eſſent. Mela libro tertio, capite tertio. Atque ita fit, vt etiam naturæ fœcunditas impio homini ſit quandoque ruendi occaſio.

PH. Hæc, quæ commemorata ſunt in noui orbis plaga, & in Caſpio mari, admiranda ſane ſunt, at quæ traduntur de Indicis Inſulis, ſunt etiam commemoratione digna. Nam de Zeilam Orientis Inſula prodiderunt, nullo anni tempore vacare à fructibus, quod arbores ſemper onuſtæ ſunt. Odoard. Barboſ. quin etiam cynnamomo, atq; aliis pretioſis pharmacis abundat, tanta aeris ſalubritate & amœnitate; vt incolæ perſuaſum habeant, Paradiſum nusquam alibi fuiſſe, vti ſcripſit Surius anno Domini 1565. Eamque non admodum paruam eſſe teſtatur, quandoquidem ad trecenta patere milliaria traditur. Sed & in Tylo Indiæ (nam duas

Inſulæ Indiæ.

ciusdem nominis Inſulas eſſe teſtatur Iſidorus lib. 14. cap. 6. alteram vltra Britanniam Thule dictam, alteram in India Tylos nuncupata) Indica hoc naturæ priuilegio adeo decorata eſt, vt ibi omnia perpetuis anni temporibus frondeant. Solinus enim c.53. *Tylos* (inquit) *Indiæ Inſulæ terra omnes hoc miraculo ſola vincit, quod quæcunque in ea arbor naſcitur, nunquam caret folio.* Hæc ille. Cui accedit Plin. in hæc verba: *In Tylo nulli arborum folia decidunt; rigatur enim gelidis fontibus & imbres accipit.* Ita ille lib.12.cap.11.

TH. Eſt certe illa feraciſſima; ſanctus enim Auguſtinus de ciuitat. Dei lib.21. *Tylon Indiæ* (inquit) *Inſulam præ-* cap.5. id affirmat, quod diximus de Indica Tylo: *ferri cæteris terris, quod omnis arbor, quæ in ea gignitur, nunquam nudatur tegmine foliorum.* Plinius eam in mari rubro ſitam eſſe, ex Magni Alexandri comitibus teſtatur, arboresque in ea eſſe, ex quibus naues fierent, quas ducentis annis duraſſe compertum fuerit: & ſi mergerentur, etiam incorruptas extitiſſe. Ita ille natur. hiſt. lib. 16. cap.41.

P H. Præterea ſunt admiranda, quæ de eius Inſulæ diebus ac noctibus, Sole, Lunaq; traduntur, quod quia toti illi regioni commune eſt, diximus opportunius in Meteoris, & in iis terris, quæ propria quædam habent naturæ priuilegia. At altera Thule Inſula, etiam ipſa valde admiranda eſt in occiduo cœlo. Procopius ita: *Thule Inſula maior eſſe fertur, quam Britannia. In ea deſerta pleraque ſunt, & quæ culta ſunt loca, in nationes tredecim diuiduntur; ſingulisque ſui Reges præſunt, affluentiſſima hominum multitudine; mirandum quod circa extremum æſtatis tempus, cum Autumno propinqua eſt, ad quadrageſimum perpetuum diem nunquam Sol occidit, ſed per omne id tempus ſupra terram ſemper conſpicuus eſt. Deinde ſex menſium interuallo circa hyemisque poſtrema, per dies quadraginta nunquam Sol vlla parte conſpicitur, perpetua nocte: niſi quod pro ratione locorum poſitionis alicubi parumper conſpicitur, vel dum occidit, vel dum oritur, ſe tamen recipiens in eundem locum, vnde oritur: atque ea ex re dies metiuntur, præcipue ab aduentu Lunæ, ac curſu aliorum ſyderum; ac cum prope lapſa eſt illa quadraginta dierum nox, cum proximos radios Solis ex montium cacuminibus animaduerterint, velut fauſta nuntientur, panegyricis ac laudibus exultant omnes in his paucis ſuperextantibus tenebris.* Hæc memorat Procopius velut compertiſſima de bello Gottorum lib.2.

Islandia. Islandiam hanc alii dixere, cui certis ſtatutisq; temporibus infinita glaciei aduoluitur moles, quæ tum aduentans ſcabris primum cautib. illidi cœperit, perinde ac remugientibus ſcopulis fragoſæ ex alto voces, ac varii inuſitatæ conclamationis ſtrepitus audiuntur: quamobrem animas ob nocentis vitæ culpam ſuppliciis addictas illic algoris magnitudine delictorum pendere pœnas exiſtimatum eſt. Huius itaque molis exciſa particula, quantiscunque nodorum condylis obſeretur, mox vt ſupradicta glacies terris auellitur, clauſtra, cuſtodiamque fruſtratur. Stupet animus admiratione plenus, dum res inextricabilibus ſeris obſita, ac multiplici impedimentorum perplexione concluſa, ſic molis, cuius pars erat, diſceſſum inſequitur, vt omnem obſeruationis diligentiam ineuitabilis fugæ neceſſitate decipiat. Eſt & illic aliud glaciei genus montium iugis, ac rupibus interſertum, quod certis vicibus conſtat ſuperioribus ad ima deiectis, infimisq; rurſum ad ſuperna reflexis, verſili quadã mutatione transponi. In cuius aſſertionis fidem affertur, quod quidam, dum planum forte glaciale percurrerent, in obiectas voragines, hiantiumq; rimarum penita peruoluti paulo poſt exanimes fuerint, nulla glaciei rimula ſuper-

ſuperſtante reperti: quamobrem à compluribus exiſtimari ſolet, quod quos fundę glacialis vrna deſorbuit, eosdem poſtea ſupinata reddiderit: Hæc Saxo Gramm. in præfat. Danicæ hiſt. quanquam paucis alias diximus idem argumentum. Cui accedunt, quæ his verbis adiicit Iacobus Zieglerus, alioqui hæreticus: In Islandia (inquit) Ecla rupes eſt, quæ æſtuat perpetuis ignibus inſtar Æthnæ. Is locus eſt carcer ſordidarum animarum: glacies etiam certa appellitur littori magnis molibus, cuius ſi cruſta adſeruetur, quamuis magna diligentia, tamen disparet ſtatim, atque reliqua eius generis glacies recedit à promontorio in altum: comperiuntur illic ſpiritus ſe exhibentes manifeſtos humanis miniſteriis: ſubmerſorum ſiue alio violento caſu enectorum ſpectra ſeſe offerunt congreſſibus notorum hominum tam manifeſta, vt tanquam viuentes accipiant ab ignaris mortis illorum data dextra: nec deprehenditur error, priusquam ſpectrum dispareat. Hæc ille. Quin aliud admirandum in eadem hac Thule ſiue Islandia fertur: nam æſtiuo Sole ſignum cancri transeunte, nox nulla brumali ſolſtitio, perinde nullus dies. Nomen habet à glacie, quæ illi ad Boream perpetuo adhæret: nam ibi iam incipit mare congelatum, ibi omnia cõmunia, præter vxores. Epiſcopum ſuum colunt pro Rege, quidquid conſtituit, ſancte obſeruant. Ii licet anno Domini 1070. Adalberto Metropolitano Namburgenſi Chriſti fidem agnouiſſent, tamen ante ſuſceptam Chriſti fidem lege naturali viuentes, non admodum remoti erant probitate morũ Chriſtianorum. Albertus Krantzius in Noruegiæ præfatione. Sed de Thule occidua Inſula hactenus, cuius meminimus, occaſionem nobis præbente altera illa Orientali feraciſſima.

Islandor. omnia præter vxores communia ſunt.

TH. Ad hæc nihilominus commemoranda ſunt, quæ de Taprobana narrantur. Nam quo ad immenſam vaſtitatem, conſtat patere eam ſtadiorum ſeptem mil. longitudine, & latitudine 5. mill. vti ex Eratoſthene teſtatur Plin. lib. 6. c. 22. quod & Ælian. hiſt. lib. 15. cap. 17. confirmat: *Taprobanes* (inquit) *longitudine eſt ſeptem millium ſtadiorum, latitudine quinque millium.* Sed recentiores aliter: nam ambitu patere ad milliarium quatuor millia quingenta tradit Ludouic. Barthem. rerum Indicar. lib. 3. cap. 18. Odoardus autem Barboſ. tradit eius ambitum eſſe tantum ad duo millia milliariorum & centum. Sed Ramuſius in ratiocinatione ad Iamboli nauigationem latam dicit ad quinque millia ſtadiorum, longam vero ſex millia, vt ita eius ambitus ſit minor quam Barthemus & Barboſus tradiderint. Sed Ramuſius ſecutus videtur veteres, at Iſidorus lib. 14. capite ſexto, ita verius habet: *Taprobana Inſula Indiæ ſubiacens ad Eurum, ex qua Oceanus Indicus incipit, patet in longitudine octingentis ſeptuaginta quinque millibus paſſ. in latitudine ſexcenta viginti quinque millia paſſuum, ſcinditur amne interfluo, tota margaritis repleta & gemmis. In ea igitur eodem ſemper anno duas eſſe æſtates, & duas hyemes, bisq́ floribus vernare omnia.* Hæc ille.

PH. Sed quid omittimus Iaponium Inſulam etiam vaſtiſſimam ad Antipodes iacentem? De illa plenius ſcribit Surius in Commentario anno Domini 1552. *Hoc anno* (inquit) *in Giapan Inſula in extremæ Aſiæ finibus à Luſitanis, quorum eſt longe lateq́ prolatum imperium etiam in remotiſſimis ab orbe noſtro regionibus, de amplectenda Chriſti religione ſedulo pertentatum eſt. Eſt ea gens in paralelo Germaniæ & Galliæ ad Antipodes ſita: diſciplinarumq́ omnium gnara: vergit ad Septentrionem, & vt Hiſpani memorant, à Sinarum regione verſus Aquilonem diſtat leucis ſexcentis, & corporum quidem colore, linguæ accentu, veſtimentis, & cultu corporis eius incolæ Germanis perquam ſimiles ſunt.*

ſunt. Habet Inſula in longum leucas ſexcentas, alicubi in latum trecentas. Hæc ille, qui præterea anno Domini 1565. hæc quoque habet: *Iaponium Inſula eſt verſus Septentrionem, haud procul à Sinarum ampliſſima regione, ante hos paucos annos à Luſitanis mercatoribus inuenta, in longum obtinens ſexcentas pluresque leucas. Sunt in ea Reges & Principes, è quibus Rex Bonganus facile omnium eius Inſulæ opulentiſſimus iam pridem ſignificauit Proregi, qui nomine Luſitaniæ Regis Indiæ Præfectus fuit, ſe noſtræ religionis eſſe cupidum.* Hactenus ille. Et ſane protendi eam in longitudinem ſupra bis mille milliaria, & ſupra trecenta latitudine explorator eius Franciſcus Xauier Ieſuita meminit anno Domini 1552. Tomo primo. Epiſtolarum Ieſuitarum Tomo ſecundo, vt ita Iaponium Inſula vaſtior ſit, quam Taprobanes, vtraque Iaua, Britannia, Hybernia atque aliæ.

EQ. Poſtquam igitur habita eſt mentio vaſtitatis harum Inſularum, non eſt prætermittendum hoc argumentum, quo inſigniores Inſulæ commemorari poſſint. Priſcianus, vti iam alias recenſuimus, ſua in Coſmographia tradit Cæſaris iuſſu totius orbis factam dimenſionem, prudentib. eruditisq; viris nō paucis de mandato negotio. Re cōfecta, redientes retulerunt Inſulas inſignes duas, & ſeptuaginta compertas, quod & Philippus Bergomas tradit in Auguſto. Qui ſane numerus, ſi ad ampliores referatur, non fuerit exiguus, illo præcipue ſeculo, quo nouus orbis erat incognitus. At vbi Antipodes comperti ſunt, & nauigationum frequentia luſtrata eſt omnis India, dubio procul hunc numerum excedunt celebratæ Inſulę. Nam in ditione Magni Cam numerata quinque Inſularum millia tradit Oder. lib. 1. & Oder. poſter. ante fin. Rurſum in regione Maldiuar numerata octo millia ſcribit Hieronymus Genuenſis apud Ramuſium Tom. 1. In vna præterea orbis parte, quæ Sinarum amplectitur regiones, quæ reliquas mundi prouincias vaſtitate ſuperant, adiacens mare, quod illi Chinum ſeu Cinum appellant, quaſi Oceanum, continere ſeptem Inſularum millia, & eo amplius è regione littorum Mangi prouincię iam ante annos trecentos ſcriptum reliquit Marcus Polus lib. 3. c. 4. & 5. vti nos alias recenſuimus. Poſtea vero Nicolaus de Comitib. qui & ipſe Indica maria perluſtrauit, ſcripſit 8. Inſularum millia in Indico mari fuiſſe comperta: quod item alias diximus. Propterea Iacobus Carrerius apud Ramuſium Tom. 3. recolit in noui orbis Septentrionali plaga non procul à regione, cui nouę Franciæ nomen inditum eſt, innumerabiles Inſulas à ſe compertas eſſe.

PH. Littora Indica longiore tractu porriguntur, quam per Sinarum regiones tantum. Propterea, quod alias dicebamus, veriſimile eſt, quod Marcus Polus lib. 3. cap. 37. in ipſo Indico mari reperiri duodecim Inſularum millia, & eo amplius prodidit. Et Nicolaus iam dictus à Monzambique recta tendentibus in Malaccam, ſcribit millia Inſularum duodecim pertranſiri. Sed & Ayton Armenus cap. 33. tradit iuxta Inſulam Ternate repertas innumerabiles Inſulas; ei aſſentitur Odoardus Barboſa, & Franciſcus Viera Ieſuita anno Domini 1558. cum de Indico tractu ſcribant: ſicut & Petr. Mart. in ſummar. Indico conteſtatur, innumerabiles eſſe Indici maris Inſulas, quæ res maximam gignit audientibus admirationem, vt ita libeat ſæpe idem repetere.

TH. Non refragabor rei huic, ſicut alias non ſum refragatus vobis; quandoquidem Balthaſſar Gagus Ieſuita 1553. ſcribens ex Cocchin, vt bene memini iam dictum, teſtatus eſt in ea vrbe Regem Paulum nomine ſacrum Baptiſma ſubiiſſe, cuius ditio tanta eſt, vt dominetur vndecim Inſularum millibus, quarum minima

pateat

pateat ad Italica milliaria ſex, hoc eſt, leucam cum dimidia. Addit autem Gagus, in Europa hunc numerum futurum incredibilem: attamen ita ſe habere ſerio affirmat homo ſemper in enarrandis rebus grauis & veritatis ſtudioſus: cui accedit Antonius Eridia Ieſuita anno Domini 1552. Huius rei fidem mihi adauget, quod iam dixiſtis, alias Odoardum Barboſam, qui diuturna nauigatione pleraque maria perluſtrauit, tradidiſſe, in Maldiuar ſexdecim Inſularum millia adnumerari. Quin adiiciunt Ioannes Empoſus & Oderic. lib. 1. apud Ramuſ. Tom. 1. in omni Indica orientis Oceani plaga numerari quatuor & viginti Inſularum millia. Propterea ſi perpendamus tamen Oceani illius maris vaſtitatem, id fidem aſſequi penes nos facile poteſt: quandoquidem in vno modicoque Illyrici maris tractu mille Inſulas eſſe ſcribat Plinius libro tertio, capite vigeſimo ſexto, his verbis: *Illyrici ora ille amplius Inſulis frequentatur, natura vadoſi maris, æſtuariisq; tenui alueo intercurſantibus.*

EQ. Sed & Inſulæ Leucaiæ iuxta orbem nouum vltra quadringentas numerantur, vti teſtatur Petr. Hiſp. p. 5. cap. 5. Vereor tamen ne tantus iam prolatus numerus demat Inſulis auctoritatem, quaſi exiguæ ſint: quandoquidem proxime circa Cubam eiuſdem Oceani Inſulam ſeptingentæ amœniſſimæ Inſulæ numerantur, vt recolit Petr. Hiſp. parte 5. cap. 9. At Cyclades Inſulas eſſe 53. memorat Oroſius lib. 1. cap. 2.

PH. At Britanniam, ſeu dicas Angliam, quæ noſtri cœli omnium maxima eſt, Ioannes Anglicus in libro, quem de ſitu orbis inſcripſit, tradit patere ambitu mille ſeptingentis milliaribus, vt retulit Monopolit. dec. 1. c. 5. q. 7. quæſtiuncula 2. in fine, habere circumcirca Inſulas multas. At Strabo ſcribit eam longitudine patere ad octingenta circiter millia paſſuum: in eaque naſci Gagatem lapidem, qui in aqua ardet, oleo extinguitur, cui ingenti Inſulæ adiacet Hybernia, vltra quas poſtea & alia quadraginta Orcades appellatæ. Taprobanæque æquanda Brytannia eſt, ipſo Strabone teſte lib. 2. Oroſius adiicit & octingentis millibus paſſuum longam, & ducentis latam. Ita ille lib. 1. cap. 2. *Anglia ampliſs. Inſula.*

PH. Sunt & aliæ vaſte patentes Inſulæ, quæ Cæſaris ſeculo erant incognitæ, cuiuſmodi Inſula ſanctę Crucis, cuius ambitus ad tria millia milliariorum protenditur, eſtque in ea illud commemoratione dignum, quod præter inſignia flumina plura immenſæque latitudinis etiam Septentrionalis eius plagæ mare dulce eſt, Petr. Hiſp. p. 5. c. 2. Hiſpaniola quoque patet ambitu leucas quadringentas ad Italica videlicet milliaria, mille ſexcenta, atq; vtræq; harum Siciliam, Cyprum, Cretam, Eubœamque ſuperare videntur. Nam ſunt & aliæ etiam vaſtitatis multæ eodem noui orbis Oceano. Nam Inſula Cuba præter id, quod non procul ab ea in coronæ forma ſeptingentæ, eæque amœniſſimæ circumſtant Inſulæ, ipſa ambitu porrigitur ad mille & trecenta Italica milliaria. Inſignis eſt præterea rebus multis, præcipue vero fonte bituminis: ſed inſignis eſt quoque piſce piſcatore egregio anguillæ forma, quod alia occaſione alias recenſuimus: pellem enim tenuem, ac prægrandem habet in capite, quam obuiis piſcibus immittit in caput, & retis modo retinet; aperit enim ac claudit, vt libet: cum igitur ſane traxerit ipſum in littus, piſcis pelliculam ſuam aperit. Petr. Hiſp. p. 5. cap. 9. Ea Inſula nunc Ferdinandina nuncupari conſueuit. *S. Crucis Inſula.* *Piſcis piſcatorem agit egregie.*

TH. Sunt autem hæ, quas commemorauimus, maritimæ omnes Inſulæ: at ſunt etiam fluuiatiles, quæ & ipſæ dignæ ſunt his noſtris colloquiis: nam admiran-

dæ ſunt; neque enim fluuiorum Inſulas omnes quærimus, aut huc in medium proferendas ducimus, ſed inſigniores quaſdam, cuiuſmodi ſunt, quæ in Nilo eſſe traduntur. Plinius enim lib. 5. cap. 9. *Inſulas* (inquit) *ita innumeras ſpargit Nilus, quaſdamq; tam vaſtæ magnitudinis, quamquam rapida celeritate, vt tamen dierum quinque curſu, non breuiore transuolet. Clariſſima earum Meroes & Elephantina etiam celebrata Straboni & Plinio: ea eſt infra nouiſſimum catharacten CCCC. M. paſſuum.* Plinius eodem capite, quo etiam ait ipſam Ægyptum totam ab aliquibus inter Inſulas recenſitam.

Inſulæ fluuiorũ præcipuæ.

EQ. Inſularum Nili hiſtoriam explicatius ſcribit Paulus Iouius lib. hiſt. 18. idque enarrat, quod ab Acola Petro Abiſſino Ægyptio, atque à Petro Aluares Luſitano apud Pretoiannem diu verſato didicerat: ſic enim ibi: *In Saphæ Nili palude viginti amplius Inſulæ numerantur, incolis frequentes, & multis cultæ ædificiis; in quibus turrita templa, & luculenta ſacratorum hominum cœnobia eminent; multi enim religionis & tranquilli otii cauſa ab humanarum rerum commercio, & veſtigiis profanæ multitudinis, in eas Inſulas ſe ſubducunt: vna præ cæteris maior atq; munitior à Rege pro carcere ſeruatur, in quam noxios & rebelles relegare conſueuit, & mox Nilus per magnos flexus, vadoſosq; ſinus nauigiorum impatiens ad Meroen Inſulam defertur. Hæc Britannia maior eſt, treſq; in ea Reges diſtincti finibus dominantur, ſæpe inter ſe bellum gerentes: eorum potentia maximus Mahumetanus eſt, & Maurorum ſtirpis. Secundus Æthiopici ſanguinis genus idolorum cultu, moribus & colore fatetur. Vltimus Abiſſinorum gentis, Chriſtianæ religionis cultor, qui Dauidi paret.* Hæc ille.

PH Cur non etiam Tentiritarum Inſula fluuiatilis nempe Nili celebretur à nobis? quod incolæ crocodilis vti equis vtantur in transmittendo Nilo: quandoquidem S. Pachomius eo loci incolatum faciens etiam crocodilos inequitans Nilũ traiiceret. Metaphr. 14. Maii. Lipom. tom. 6.

TH. Et in Europa ſunt fluuiatiles Inſulæ. Inſignis enim prædicata eſt illa Inſula, quæ in flumine Rheno prope Conſtantiam ſita eſt: quoniam Balthaſſar Coſſa ſummo Pontificatu deiectus ibi in carcerem coniectus fuerat, nomen Inſulę fuit S. Marci, vt Platina habet in Ioanne 24. Sed omnium memorabilior illa, cuius paulo antea meminimus, ſcilicet Tyberina Romæ, quam aggeſtu rerum abiectarum Tarquinii Regis factã iam antea ex Liuio dicebamus: celebratiſſima templis, pontibus, incolis. Fluuiatiles Inſulæ vt in Europa non multæ, & non admodum patentes ſunt; ita orbe nouo ſunt plurimæ & maximæ: nam conſtat innumeras Inſulas vnico in flumine Marognonio ſitas eſſe, easq; etiam cultas, vt teſtatur Petr. Hiſp. p. 5. c. 16. Idipſum quoq; eſt & in flumine Paranaguaza eodem in Peruaco. Petr. Hiſp. p. 5. c. 16. Nunc ad alia.

Inſularum ritus moresq;.

EQ. Non fuerit importunum aliquid de Inſularum moribus agere. Veruntamen ſi de omnibus agere oportet, dies nobis deficiet: illud autem videtur ſufficere, ſi dicamus Inſularum alias mares dici, alias fœminas, alias neutras. Vincentius natur. hiſtor. lib. 31. c. 124. ex Iacobo de Vitriaco, & lib. de natur. rerum, tradit Inſulam fluuiatilem iuxta Caſpios montes à mulieribus tantum cultam, easque tum fuiſſe ad ducenta millia: ſed & Nicolaus de Comitibus tradit iuxta Inſulam Zocotoram duas exſtare Inſulas, vti iam alias commemorabamus, in quarum altera ſoli mares viuere poſſint, in altera ſolæ fœminæ: quin ſi ſe mutuo inuiſant, forſan prolis cauſa, alterutri vitæ diſcrimen incurrunt: trimeſtri etenim exacto, mors vtriſque immi-

imminet in alterutris locis, atq; hac ex cauſa alteram Inſulam marem, alteram fœminam nuncupare licet.

PH. Forſitan duæ hæ Inſulæ ſunt, de quibus iam antea memineramus, atque iam ante annos trecentos Marcus Polus tradidit lib.3.cap.33. quando ſcribit è regione ſinus ac littoris Perſici duas eſſe Inſulas, quarum altera à ſolis maribus ſit culta, altera à fœminis tantum: neque inter eas maior intercapedo eſt, quam paſſuum triginta millium: mutuoque ſeſe inuiſunt prolis cauſa, Martio, Aprili, Maio: reliquo tempore prætermiſſo, forte quod ſit noxium, aut generationi prolis infœcundum.

TH. In nouo quoq; orbe (vt alias recenſuimus) adiacet prouinciæ Ciguatan Inſula ſolis à mulieribus culta: eæ autem aliquando admittunt exteros viros ſolius prolis cauſa: partus mares eiiciunt, fœminas alunt: ditiſſima eſt auri Inſula, atque vnionum. Corteſ. in 4. relatione.

PH. Veteres autem de huiusmodi Inſulis non meminerunt, niſi quod de Gorgonibus, & earum Inſulis tradiderunt Mela & Solin. Melæ igitur lib.3.c.4. quoniã ſcribit ex Hannone Carthaginenſi, in Africanis littoribus longe vltra Macrobios Inſulam compertam, in qua ſolæ degant fœminæ toto corpore hirſutæ, quę etiam ſponte absq; maribus fiant fœcundæ, nullam adhibendam fidem cenſeo, vti alias diſſeruimus. Solin. autem c.58. Gorgonũ Inſulas eſſe compertas à fœminis cultas affirmat. Verum quia Melæ viſum eſt ſolas ibi degere fœminas, id non probatur Plin. lib.6.c.31. qui ex Hannone teſtatur, etiam mares ibi cõpertos. Atq; hinc ego coniicio, omnes ibi Androgynos eſſe, conciperéq; ac gignere, vnde accidit, vt Mela deceptus fuerit. Huicq; rei ac coniecturæ adſtipulãtur, quæ tradit Diodorus. Inſulam ſcilicet in Oceano eſſe, meridiem verſus, in qua præter cætera etiam vxores communes ſunt, vt Marſilius Ficinus ſcribit ad libros de Republica Platonis in argumento lib.5. atq; ita fiet, vt hæc Inſula nec maris, nec fœminæ nomine digna videatur, ſed neutrius. Et de iis ſatis: ſi reliquum quid videretur diſſerendum de Amazonibus, iam abunde diſſeruimus, quando de mulieribus agebamus.

EQ. Sed quid cenſendum de eo, quod narrat Ortellius in Hybernia, lacum ſcilicet eſſe in Momonia Boreali, in quo ſit Inſula, in qua extat ędes, quam nulla fęmina aut fœminei ſexus animal ingredi poteſt, quin ſtatim moriatur?

PH. Theologi eſt iudicium, an ſit ſuperſtitioſum: nihilominus teſtatur Ortellius id frequentiſſimo experimento conſtare: propterea, omiſſo hoc argumento proſequamur alias Inſulas.

TH. Agamus igitur de Inſulis, quæ aliqua animalia non admittunt, quandoquidem ibi moriuntur. In Ormutio inſigni Inſula Perſidis nullum omnino animal, nulla auis, quadrupes neq; herba, neq; frutex aut arbor, quin neq; aqua vllius fontis, aut fluuii puteiue, aut cuiuscunq; ſcaturiginis comperta eſt. Eſt enim aridiſſimum eius ſolum, conſtatq; totum ex mordaciſſimo ſale, qui omnia perfacile ſuo acumine valeat abſumere: nam & homines nimio cœli æſtu coguntur in aquis vitam agere perpetuo immerſi diu noctuque: quin & ſulphuris adeo frequentes ſcaturigines ibi ſunt, vt facile ſponte ignis accendatur, qui ad ſeptennium vsq; totam poſſideat Inſulam: aer ipſe ſaluberrimus, quo omnes ægritudines pellantur. Manna quoq; nocturno rore decidit: colitur tamen frequentibus incolis, vti teſtatur Gaſpar Ieſuita anno Domini 1549.

PH. Apud Ichthiophagos Inſulam huic quaſi perſimilem eſſe narrat Plinius

lib.6.c.23. tradit enim Inſulam eſſe Solis appellatam, in qua quodcumque animal abſumitur incertis de cauſis.

EQ. Eſt hoc ſane admirandum, nullũ ibi animal viuere poſſe. Verum frequẽtes Inſulæ ſunt, in quibus aliquod animantis genus non viuat, cum alia viuant: cuiusmodi in Inſula Sygaro Arabiæ felicis, quam canes non intrant, expoſitiq; circa littora errando moriuntur, vt habet Plin.lib.6.c.28.

PH. Conſimile eſt, quod lepores aliunde allati in Inſulam Ithacam viuere ibi non poſſunt: quin etſi abſcedant eodem reuertentes mari, quo venerant, etiam moriuntur. Ariſt.hiſt.anim.lib.8.c.28. cui aſſentitur Plin. his verbis: *In Ithaca Inſula lepores illati moriuntur extremis quidem littoribus.*

TH. Mirum quoq; in Scotia apem nullam eſſe, adeo vt acceptos inde pulueres aut lapillos ſi quis alibi ſparſerit inter aluearia, examina fauos deſerant, vti tradunt Solin.c.24. quod & Iſidorus totidem verbis ſcripſit lib.14. c. 6. Sed & Vinc. natur.hiſt.5.c.25. idipſum etiam tradit.

EQ. Infeliciſſimum illud cœli genus, vbi neque ſociabile ſuper omnia animal canis ac fertiliſſimum ſuper omnia inſecta apis non viuant, ſicut beatiſſimum, vbi nulla ſerpens eſſe poſſit: quanquam Scotia hac re compenſatur in apum iactura; quod ſcilicet in ea nullus anguis comperiatur, eisdem Solino, Iſidoro ac Vincentio teſtibus, & alias diximus.

PH. Hoc idem pluribus commune eſt Inſulis, vt ſerpentibus careant. Nam inter nobis proximas Baleares Ebuſus nominata Inſula eſt, omnino ſerpentes non habens: Solinus id habet cap.26. *Ebuſus Balearibus* (inquit) *quæ à Dianio abeſt ſeptingenta ſtadia, ſerpentem non habet, vtpote cuius terra ſerpentes fugat.* Vti alias diximus.

Scotia apibus caret & ſerpentibus.

TH. Accedit ad ipſum etiam Iſidorus lib.14. cap.6. qui & illud addit, de qua etiam alias egimus, huic Ebuſo contrariam eſſe Inſulam, cui Colubrariæ nomen eſt, quod anguibus referta ſit. Ita fit, vt ſicut in rebus, ita & in locis ſua contraria ſæpe comperiantur, ſicut in Inſulis quibusdam Arabicis innominatis non ſolum frequentiſſimi angues ſunt & hydri, verum & reliquorum omnium amplitudinem ſuperant: comperti ſunt enim vicenum cubitorum longitudine. Solin.cap.55.

EQ. In Britanniæ quoque proxima Inſula, quæ Athanatos dicitur, cum ipſa nullo ſerpatur angue, aſportata inde terra quoquo gentium inuecta ſit, angues necat; neque alia ratione Athanatos dicta eſt, vti Iſidorus tradit lib.14.c.6. Vinc.hiſt. natur.lib.5.ca.25.

PH. Eiusdem quoque naturæ eſt Gaulon Inſula, de qua ſic habet Solinus capit.31. *Accepimus Gaulon Inſulam eſſe, in qua ſerpens neque naſcitur, neq; viuit inuecta: propterea iactus ex ea quocumq; gẽtium puluis arcet angues, ſcorpiones ſuperiactus illico perimit,* Cui rei confine eſt id, quod ex Æliano lib.5. cap.2. alias diximus, in Creta Lybicos ſerpentes mori ſtatim. Ideoque præſtigiatores, vt mira facere videantur, in ipſam Cretam Lybicam terram ſubſternere ſerpentibus: ſed ſi excedant huiusmodi terram ſubſtratam tactu alienæ moriuntur: quibus adiicimus Meliten Inſulam, in qua nullus eſt ſerpens; ſcorpiones autem, ſi qui ſunt, innoxii ſunt. Georgius Bruin in Melite.

EQ. Eſt in Creta aliud commemorandum, nulla ibi eſt noctua, quin ſi eo inferatur, moritur. Plin.lib.10. cap.29. cum contra Athenis adeo ſunt innumerę, vt

factus

factus ſit prouerbio locus: *Noctuas mittis Athenas.* Et quod longe magis eſt annotandum, in eadem Creta nec lupi, nec vulpes, nec vrſi, atque omnino nullum animal maleficum, præter phalangium araneum eſt. Cerui quoque præterquam in Cydoniatarum regione non ſunt, neque apri, neque attagenæ, neque herinacei. Plin.lib.8.c.58. Accedit & aliud: in monte enim Carino, qui eiusdem Cretæ mons eſt, 9. mill. paſſ. ambitu nullæ muſcæ reperiuntur, quin & mel, quod naſcitur ibi, muſcæ alio illatum non attingunt. Plin.lib.21.c.14.

TH. Sed quid remotas à nobis Inſulas commemoramus? Sardinia nobis proxima & ipſa anguibus ac lupis (vtroque noxio animanti) caret, Solino teſte c.9. Verum (vt ille adiicit) quod aliis locis ſerpens, hoc ſolfuga Sardois agris animal perexiguum, ſimilisque araneis forma, ſuperſedentibus peſtem facit. Quod totidem verbis retulit Iſidorus lib.14.c.6. Et alias occaſione alia recenſuimus.

EQ. Neque adeo noxium animal natura vmquam alicubi edidit, cui non etiam proximum ediderit remedium. Fons enim ibi eſt, è quo potantes ſolfugarum morſibus medentur, eodem Solino teſte, ſed accedamus ad alias Inſulas. *Suum cuique malo remedium extat.*

TH. In Cephalonia Inſula amnis eſt, cuius citra alterum latus cicadarum copia eſt, vltra alterum nullæ, vti annotauit Ariſt. hiſt.anim. lib.8. cap.28. qui & illud præterea addit: In Prodoſilena Inſula via interiacet, cuius vltra alterum latus gignitur cattus, citra alterum gigni non poteſt.

PH. Inſulæ igitur quædam ſunt, in quibus à reliquis aliquid natura edit diuerſum, cuius rei nulla ratio reddi poteſt. Cuiuſmodi (vt de araneis adhuc iſtud dicamus) in Cumana noui orbis Inſula aranearum telæ tanta firmitate texuntur, vt non facile diſrumpi poſſint. Pet.Hiſp.p.5.c.15. quod alibi quoque diximus.

EQ. Poſtquam incidit Cumanæ Inſulæ mentio, ſunt in ea nonnulla digna commemoratione. Apes ibi in ſyluis plurimæ, melque conficiunt tanta copia, vt è frondibus fluat, nulla cera admixta. Petr.Hiſp.p.5.c.15. Sed quod eſt mirandum, ibi tantum animal eſt, cui nomen Aranati, canis magnitudine, ore, manibus pedibusque homini perſimile, barbatum caprarum more, gregatim procedit, arbores conſcendit, vlulat. Pet.Hiſ.p.5.c.15.

PH. Eadem ratio eſt admirandi in aue Lagana, quam ſola gignit Inſula Indica, cui nomen eſt Zebut, ei à natura inditum eſt, quod alias commemorauimus, vt cum magnitudine ſit cornicis, inſidietur ori cæte, à quo deglutitur integra, ac viuens; admiſſa igitur in aluum corrodit cor, vnde cæte perimitur. Anton. Pigaf. qui id compertum ſibi teſtatur. Hiſp.p.5.c.17.

TH. Videtur hoc ad miracula Dei pertinere: Ionam enim viuum in cæte aluum fuiſſe admiſſum legimus, & oraſſe, cum tamen difficilius animalia volatilia includantur aquis, quam homo; neque enim fruſtra hæc creauit Deus animalcula, quandoquidem ad myſterium fidei exemplo ſuadendum mirum in modum proficiunt, atque ita fit, vt vix aliquod animal ſit in rerum natura, quod non ad virtutem aliquam, aut etiam vitium referri poſſit comparatione aliqua.

PH. Eſt præterea in eadem Inſula Zebut arbor cognominata Coco, fructus eius peponum modo grandes ſunt, ſuccum continent pinguem, velut abdomen: vertitur is in oleum, ac aquæ ſuperfuſum ſacchari præbet dulcedinem, Soli expoſitum aceti acrimoniam ſuſcipit; ab arboris trunco manat aqua potabilis, quę diu ad potum in vaſis ſeruetur. Cortex fila aptiſſima præbet. Hiſp.p.5.cap.17. Eſt igitur commemoratione digna Inſula tot celebrata miraculis. *Coco arbor vtiliſſima.*

Cubagua noui orbis Inſula.

EQ. Eſt etiam celebranda Inſula Cubagua orbis noui, cognomento, *Delle perle*. In ea manat fons liquoris mire odoriferi, fluitque in mare ipſum, ſupernatatque olei modo vltra leucas tres, id eſt, ad Italica milliaria duodecim; ex qua re patet, quantus ſit fons, quantaque inde manet olei copia. Alia etiam re inſignis Inſula ea eſt: quodam enim tempore mare illi circumfuſum rubeſcit ſanguineo colore, quod oſtrea illo tempore ſanguinem effundant, quorum ibi ingens copia ſit. Petr. Hiſp.p.5.c.15.

Incolæ Inſulæ Floridæ miræ ad modum celeritatis ſunt.

PH. Cur non etiam celebranda Florida Inſula, cuius homines ſint tantæ pernicitatis, vt ceruum anteuertant, diemque integram perpetuo curſu poſt ceruum abſumant, donec etiam feſſum intercipiant? Petr. Hiſp.p.5. cap.7. Quamquam enim alias diſſeruimus, miræ velocitatis fuiſſe homines, non tamen iis æquandos cenſemus, quandoquidem vel vni id dono Dei datum erat, hoc paſſim pleriſque incolis.

Palmoſa Inſula ferro abundat.

EQ. Celebranda quoque mihi videtur Inſula Palmoſa in ora Tuſciæ, quæ cum incredibilem ferri copiam mittat, dum ibi fodiatur, nulla ratione igne excoqui poteſt, nec in maſſas redigi: ſtatim igitur, vbi effoſſum eſt, in continentem vehitur, ibique excoquitur, & in maſſas redigitur, vti Strabo ſcribit lib.5. dicemusque itidem pluribus in Metallis.

PH. Nec iſtud myſterio vacat ſuo. Hominis enim figuram ferrum eſſe tradit ſanctus Auguſtinus de temp. ſerm.210. *Ferrum enim, quod de manu operantis cecidit in Iordanem, Adam, ſiue totum genus humanum ſignificaſſe dicit, quod de manu Domini omnipotentis per ſuperbiam ſe excuſſit, & cecidit, & in fluuio luxuriæ, vel omnium peccatorum gurgite ſe ſubmerſit.* Hæc ex illo. Quamobrem cum ferrum in Inſula fluctibus attrita perpetuis naſcatur, & homo in hoc mundo vndequaque à fluctibus agitandus edatur, nequit in domo ſua proficere, formamque veri ferri ſuſcipere, niſi de domo ſua & cognatione ſua egreſſus in aliam regionem migret, per aquas traiiciens in continentem. Sic enim dictum eſt Abrahæ Geneſ.12. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrauero tibi, faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi.* Ita ſane fit, vt egredi de terra ſua vnumquemque oporteat: ſic enim illum locum pluribus locis interpretatus eſt ſanctus Auguſtinus, ſed præcipue ſerm. 51. Quin etiam ſuffragantur verba Pſalmi 44. *Audi filia, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum, & domum patris tui. Egredimur* (inquit Auguſtinus) *de terra noſtra, quando carnales conſuetudines deſerentes Chriſti veſtigiis inhæremus: de terra ſua egreditur, qui de ſuperbo efficitur humilis, patiens ex iracundo, caſtus ex luxurioſo, largus ex cupido, benignus ex inuido, placidus ex cruento.* Hæc ex illo. Formatur igitur in verum ferrum, quod ex Inſula in continentem transuehitur; formatur in verum Chriſti ſeruum, qui prędicta mutatione per lauacrum non ſolum Baptiſmi, verum etiam pœnitentiæ iterato peccato in Chriſtum transmutatus transuehitur.

EQ. Sapienter ſane & ingenioſe ducta translatio; & ego equidem nihil puto in rerum natura eſſe, quod non ſit homini in myſterium ad vitam ſuam inſtituendam, ſed imbecillitas cæcitasque noſtra nec in ea videt, nec quidem cæcutiendo palpare poteſt.

Quænam Eccleſiæ myſteria ab Inſulis petenda?

TH. Sunt etiam Inſulæ nobis in Eccleſiæ myſterium, vti iam ab initio diſſeruimus ex eodem beatiſſimo Auguſtino. Quamobrem ſicuti celebrantur Inſulæ ob inſigne aliquod in eis compertum, ita non minus erunt celebrandæ ob myſteria. Agamus exempli gratia de Inſulis, in quibus ignis flagrat. Si etenim Eccleſiarum

rum figuram tenent Inſulæ, quoniam circumlatrant fluctus omnium tentationum, & tundi quidem poſſunt, frangi non poſſunt, quin potius fluctus venientes franguntur, vti iam diximus ex ipſo beato Auguſtino in Pſalmum nonageſimum ſextum: ita etiam magno eſſe nobis myſterio debet, in Inſulis ignes eſſe; cum etenim vndequaque aquis circumdentur, ob quarum copiam vix vlla ignea ſcintilla ſupereſſe poſſit, nihilominus ſæpe in ipſis Inſulis maiores quam alibi comperti ſunt ignes, maioresque, quam in mediterraneis: patet hoc ab Æthnæ incendio Siciliæ, ab igne Vulcani; ſed & Lyparis Inſulæ, in quibus perpetuus flagrat ignis. Addit præterea Ariſtoteles de admirandis capite trigeſimo ſecundo, in ea terram eſſe, in qua ſi olla cooperiatur, quidquid fuerit iniectum, ſtatim coquitur. At nec in Italia tantum eſt iſta ignium copia, verum etiam in Indicis Inſulis, præcipue quæ nuncupata eſt del Moro, proxime Tolo, in regno Regis Ternates: erumpit enim ibi ignis caliginoſus, cinerum denſitate tanta, vt & domos diruerit, arbores in annos plures ſteriles eſſe peregerit, omnia animantia enecauerit, aſpera in vias æquas permutauerit, lapidum cinerumque aggeſtu. Quid aliud hæc ſunt, quam iræ Dei arra? quæ nuſquam prædicatur adeo aperte, quam in Eccleſia Dei? Hoc enim eſt, in Inſulis ignem oſt ndi, magiſque in continenti: & rurſum, quod in eodem Ternates regno in Inſula Malucco ignis eruperit non minore fragore, quam in gentibus erumpere ſoleat à bombardis, eiectis etiam lapidibus molari magnitudine, vti de his vtriſque ſcripſit Balthaſſar Diaz ex Malacca 1556. Quid aliud hoc eſt, quam ab Eccleſiis promanare aduerſus peccatores cenſuras, ad deterrendas & conuertendas conſcientias? Quid rurſum adamantinus ille mons Inſulæ Teneriffæ inter Fortunatas, qui & longe proſpectantibus vias dirigit ſuo igne; per lucem omnibus prodeſt, per vſtionem nulli obeſt? niſi quod ſicut montes ſunt viri ſancti, vt alias dicemus agentes de Montibus. Adamantini ſunt, quod nulla potentia deterreantur, quo minus recta in Deum tendant; omnibus ſua luce proſunt ad vitæ dirigendæ & doctrinæ aſſequendæ exemplum: ardent, vt luceant, ſicut lux coram hominibus, non vt vrant, ſed vt ſolatio ſint. Ita huiuſmodi Inſulæ ignis in myſterium trahi poteſt.

Sicut ignes quoque Heclæ montis in Inſula Iſlandia, cum voraginibus permultis homines ibi incauti abſorbeantur, quid aliud ſignificare nobis poſſunt ſuo myſterio, niſi voluptatum ignem, eos qui in Eccleſia Dei gratiam non ſequantur, ſed propria ducantur concupiſcentia, viuos in iniquitatibus abſorberi? Vnde iure colligimus, Inſularum ignes ſignificare in Eccleſia prædicationem verbi Dei cenſuram Pontificum, & reliquorum, qui ſacro ordine vtentes in ſibi ſubditos animaduertunt. Concupiſcentiarum etiam voraginem inferni arram eſſe. Quin iidem ignes poſſunt etiam in proximos charitatem ſignificare, qua congeruntur carbones in caput inimici, cui benefacimus, vnde conuertantur, vti interpretatur S. Auguſtinus. Inſula igitur Nicopora non procul à Iaua cum perpetuo igne flagret, vt Odoardus Barboſus memorat, hominem, qui perpetua verbi Dei prædicatione in maximum mundi oceanum eluceat, & flagret, indicare videtur. *Inſularum ignis quid denotet?*

EQ. Omni ſtudio ſeruanda ſane eſt hæc ratiocinatio myſteriis plena: neque enim ignem Inſularum fruſtra à Deo factum didicimus. Erit ergo nobis quærendum aliud è contrario myſterium, in Inſulis eſſe lacus aut ſtagna.

TH. Et hoc non caret myſterio in Inſulis, id eſt, in Eccleſiis Dei. Eſt enim res commemorabilis, in Inſulis maxima eſſe ſtagna, cum ea à maritimis aquis per ſub-

terra-

terraneos meatus proficiſcantur, nunquam tamen excreſcant, adeo vt Inſulæ vllum præiudicium fiat, cuiuſmodi ſupra omnes commemorandus eſt lacus ille, qui in Taprobana Inſula ſitus ambitu patet ad ducenta ſeptuaginta quinq; millia paſſuum, illi nomen eſt Megisba, atque ab eo duo amnes erumpunt, Paleſimundus præcipuus in portum influens tribus alueis, quinque ſtadiorum arctiſſimo, 15. ampliſſimo, vti habet Plin. lib. 6. cap. 22. Cum igitur tantus ille ſit lacus, ac circumquaque maritimæ aquæ fluant, nihilominus ſecura ab omni inundatione eſt Inſula. Laci in Inſulis ſunt in Eccleſia Dei peccatorum culpæ: manant eæ occultis concupiſcentiarum huius mundi meatibus. Id ita interpretatur B. Auguſtinus in Pſalm. 29. Sic enim ad illa verba: *Saluum me feciſti à deſcendentibus in lacum. Qui ſunt* (inquit) *qui deſcendunt in lacum? omnes peccatores mergentes in profundum. Lacus eſt enim profunditas ſeculi. Quæ eſt iſta profunditas ſeculi? abundantia luxuriæ & nequitiæ: qui ergo libidinibus ſe immergunt & terrenis deſideriis, deſcendunt in lacum, tales Chriſtum perſecuti ſunt.* Hæc ille: qui & Pſalmo 39. *Quid eſt* (inquit) *lacus miſeriæ? profunditas iniquitatis ex carnalibus concupiſcentiis.* Hæc ille. Vnde recte nobis diſcendi facultas ſuppetit, abundare in Eccleſiis Dei peccatores, & lacus, in quibus ſe mergunt; at ipſæ Eccleſiæ ſimul manent, habentes & lacus, & ſolidas petras, & campos vſque in diem illum, quo de regno ſuo Chriſtus auferet omnia ſcandala, & ſeparabit bonos à malis in æternum. Addendum autem eſt, reperiri in Inſulis montes, & ſuper montes lacos, cuiuſmodi in Ombrio Fortunatarum, vt Solin. c. 58. Plin. lib. 6. c. 32. teſtati ſunt. Nec illud vacabit myſterio, ſuperbos quoſdam in Eccleſiis ſe reliquis attollendo præferre, vel per ſuperbiam, vel per ſchiſma, quandoque etiam per hæreſim, & lacus habere, quia voluptatibus tota mente deſeruiant. Montes enim huiuſmodi malos ſuperbos aliquando ſignificare tradidit S. Auguſt. in princ. Pſalmi 10. Eſt autem in eadem Inſula Ombrio, quam hodie noſtri Ferream dicunt, res mira, de qua alias occaſione alia egimus; nullum aquarum ibi genus eſt in planis campis: neque enim pluit vmquam, nullus fluuius, nullus lacus, puteus vel fons eſt; ſed cœleſti gratia arbor quædam fœcundatur, quæ quotidie ante ortum Solis tum à ſtipite, tum à ramis aquam tantam mittit, quæ incolis & iumentis ſufficiat, vti teſtati ſunt Ouet. hiſt. lib. 2. cap. 9. Petr. Martyr. Ex quo videntur Eccleſiæ fœcundæ ſemper eſſe ad Spiritus ſancti gratiam per Sacramenta conferendam, niſi quis obicem poſuerit.

Quid laci in Inſulis ſint?

Montes Inſularum in Eccleſia quid ſignificent?

EQ. Recte ſane: ſed quid dicemus de Inſulis, in quibus nix eſt plurima præter maritimi cœli ordinem? Niues enim in alto mari non cadunt, vt tradit Plin. lib. 2. c. 103. in fine; nihilominus inter Fortunatas Inſulas quædam eſt, cui nomen Niuaria, quę hoc nomen inter omnes totius orbis ſola accepit, ob perpetuas niues ac nebulas. Plin. lib. 6. c. 32. ſicuti alia ibi proxima Canaria dicta eſt à multitudine & magnitudine canum, eodem Plinio auctore.

TH. Habet & nix ſua myſteria: Pſalmo enim 147. *Deus dat niuem ſicut lanam. Quid eſt* (inquit ibi Auguſtinus) *velut lanam? id eſt, de niue, quam dedit, de iſtis pigris adhuc ſpiritu, & frigidis, quos prædeſtinauit, adhuc facturus eſt aliquid; lana enim materies veſtis eſt. Lana, cum videtur, veluti præparatio eſt aliqua ad veſtem; ergo quia prædeſtinauit hos, qui ad tempus frigidi repunt in terra, & nondum feruent ſpiritu charitatis: de prædeſtinatione enim adhuc loquitur, veluti lanam dedit hos Deus, & facturus eſt inde veſtem; merito in monte veſtis Chriſti fulſit ſicut nix.* Hæc ille. Atque ex iis patet, Eccleſiam Dei etiam frigidos peccatores bonis permixtos habere, Inſulamque quaſi Niuariam eſſe Dei Eccleſiam.

cleſiam. Quandoque vero aliter huiusmodi myſterium interpretabimur ex B. Gregorii ſententia, vt nix Dei ira cenſeatur æterna. Iob.6. *Qui timent pruinam, irruet ſuper eos nix. Nix* (inquit) *de ſuperioribus ruit. Vnde ſæpe nonnulli, dum temporalia aduerſa pertimeſcunt, diſtrictioni ſe æternæ animaduerſionis obiiciunt.* Hæc Gregor. Moral. lib.7. cap.11.

PH. Alibi tamen idem S. Gregorius niuem corda Sanctorum intelligit, Moral. lib.27. cap.14. exponens illa verba Pſalmi 50. *Super niuem dealbabor. Quid hoc loco* (inquit) *per niuem niſi lucem iuſtitiæ, & candida accipimus corda Sanctorum? Niues ad terram de cœleſtibus veniunt, cum ſublimia corda Sanctorum, quæ iam ſolida contemplatione paſcuntur, pro fraterna charitate ad humilia prædicationis verba deſcendunt.*

TH. Vtrumque aptiſſimum eſt myſterium in Eccleſia Dei, in qua & frigidi peccatores, & iuſti ſimul quoque ſunt. Propterea idem Gregorius Moral. etiam lib. 32. cap.17. ſuper verba Hieremiæ Thren. 4. *Candidiores Nazaræi eius niue. Quid* (inquit) *Nazaræorum nomine, niſi abſtinentium & continentium vita ſignatur, quæ niue & lacte nitidior dicitur? Quid ergo per niuem, niſi candor vitæ cœleſtis?* Iure igitur nos ex hac Gregorii ſententia Niuariam Inſulam etiam Eccleſiam ſignificare ſentimus, vel à iuſtorum candore, vel à continentium immaculata vita, vel etiam à prædicatorum charitate in verbi Dei puriſſima diſſeminatione, vel etiam à frigidorum peccatorum permixtione.

EQ. Pia ſane & eruditiſſima ratiocinatio: ſed quid dicemus de Inſula Canaria, ob canum copiam, numquid & inde duci poteſt myſterium?

TH. Poteſt perfacile, & pie, eodem B. Gregorio in Moral. doctore lib.20. c.9. ad illa verba: *Cum canibus gregis mei. Quis* (inquit) *eſt grex ſanctæ Eccleſiæ, niſi multitudo fidelium? Et qui alii huius gregis canes vocantur, niſi doctores ſancti, qui eorumdem fidelium cuſtodes extiterunt, qui pro Domino ſuo diurnis nocturniſque vigiliis intenti clamauerunt?* *Myſterium Canariæ Inſulæ.*

Verum quia canum quoque proprium eſt, vt ad vomitum ſæpe redeant, ita quoque recidiuantes peccatores in eadem Inſula Eccleſiaque ſunt. Idem enim B. Gregor. Paſtor. p.3. admonitione 31. ſic habet: *Canis* (inquit) *cum vomit, profecto cibum, qui pectus deprimebat, proiicit, ſed eum ad vomitum reuertitur, vnde leuigatus fuerat, rurſus oneratur. Et qui admiſſa plangunt, profecto nequitiam, de qua male ſanati fuerant, & quæ mentis intima deprimebat, confitendo proiiciunt, quam poſt confeſſionem, dum repetunt, reſumunt.* Hæc ille. Iis igitur etiam abundat Eccleſia, qui ſemper ad eadem, vel ſimilia peccata redeunt canum more ad vomitum redeuntium. Præterea quoque canes lingua vlcera ſanant lambendo. Lingebant enim canes Lazari vlcera; quamobrem idem ſanctus Gregorius hom. 40. ſic habet: *Canum lingua vulnus dum lingit curat, quia doctores ſancti, dum in confeſſione peccati noſtri nos inſtruunt, quaſi vulnus mentis per linguam tangunt, & tangendo ad ſalutem reducunt.* Hactenus ille, qui ſanctiſſimus doctor eodem loco addit, canes & mutos reperiri, iuxta Eſaiam c. 56. *Canes mutos non valentes latrare* dicens; quæ verba idem Gregor. ad lib.1. Regum c.3. ſic interpretatur: *Notandum eſt verbum,* non valentes, *nam quandoque latrare volunt, ſed non valent, qui cum mundi gloriam toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, & virtute diligant, vellent populo ſublimia dicere, vt etiam de ſublimitate verbi poſſent gloriam habere: ſed ideo latrare non poſſunt, quia dum prauo corde terrena meditantur, occulta veritatis, quæ proferant, reuelatione nulla comprehendunt.* Hæc ille. Ex iis igitur recte myſterium canum in Eccleſia trahitur, in qua & boni prædicatores & mali, atque ſubditi etiam tum boni, tum mali comperiuntur. *Canis ad vomitum redit.*

PH. Et hac re plurimum ſum delectatus. Vellem igitur de Inſulis Colophonem addere, ex eo, quod habet Ariſtoteles lib. de admir. c.42. *Fama eſt* (inquit) *in Mylo Inſula in locis terræ excauatæ rurſum ipſam terram concreſcere.* Eſt hoc ſane dignum, quod commemoretur, ſiue excauata terra coaguletur, ſiue alia ſuboriatur, implens excauatum locum, neſcio an hoc etiam myſterium habeat.

TH. Habet: videmusque quotidie tot homines mori, ac totidem pro eis loca replere. Terra enim peccatores ſignificat Sanctus Greg. ſuper ſeptem Pſalmos, ſuper quintum ad illa verba: *Et terræ eius miſerebuntur.* Sed interim, dum dies ſuppetit, optarim, (nam paucarum tantummodo latitudines recenſuimus) dimenſiones Inſularum aliquot ordine recenſeri fide dignis auctoribus, præter eos, quos iam recoluimus.

PH. Vti Taprobanes vaſtitatem iam diximus ex vetuſtis & recentioribus auctoribus, ambitu eſſe milliariorum duum millium, & eo amplius; Iaponium autem eſſe ampliorem illa, recoluimus quoque Britanniam ex Oroſio longam mill. paſſ. 800. latam 200. libr. 1. cap. 2. poſſumus & aliarum longitudinem ex eodem & aliis auctoribus recenſere. Creta longa mill. paſſ. 172. lata 50 Oroſ. lib. eodem cap. 2. Cyprus longa eſt mill. paſſ. 175. lata 125. Oroſ. libr. 1. cap. 2. de qua illud admirandum produnt, quod natura olim adeo tumulorum impatiens fuerit, vt mandata ſibi interdiu corpora proxima nocte reiiceret. Verum cum Ericus Daniæ Rex Hieroſolymitani voti cauſa eo profectus ibi in Cypro febri detineretur, moribundum ſe agnoſcens, ibi ſe funerari mandauit, præfatus tellurem aliorum cineres reſpuentem ſuos quietius habituram, atque ita eam humanis cadaueribus reluctantem non ſolum ſuæ, ſed etiam alienæ ſepulturæ patientem effecit. Saxo Gram. libr. 12. Sardinia longa mill. paſſ. 230. lata 280 Oroſ. eodem cap. 2. Corſica longa mill. paſſ. 260. lata 26. eodem cap. Sed de aliis inſignibus Inſulis licet alios auctores recenſuimus, alii tamen aliter. At Zoccotoræ ambitum eſſe 600. milliaria tradunt Nicol. de Comit. & Marcus Polus lib. 3. cap. 33. Burnei Inſulam in orientis oceano Indico tradunt tanta vaſtitate littorum eſſe, vt trimeſtri nauigio circumiri non poſſit. Anton. Pigafetta. Inſula Vendenao, ſeu Migindanao ambitu patet ad milliaria mille quadringenta; extat in mari noui orbis. Ioannes Caietanus apud Ramuſium Tomo 1. Iaua Inſula maior ambitum refert trium millium milliariorum. Polus lib. 3. cap. 7. Oderic. lib. 1. at Iaua minor duorum millium milliariorum menſuram tenet. Marc. Polus lib. 3. cap. 10. Inſula Zeilan ad bis mille quadringenta milliaria, diminuto ambitu à marinis fluctibus, cum ante ad duo millia ſexcenta milliaria pateret. Pol. lib. 3. cap. 19. Inſula Magaſter, ſiue S. Laurentii, trium millium milliariorum ambitum habet. Pol. lib. 3. cap. 35. Zenzibar Inſula duo milliariorum millia habet ambitu. Pol libr. 3. cap. 36. Quin in eodem oceano plures Inſulas eſſe, quorum ambitus ſit bis mille milliariorum, tradit Oderic. libr. 1. Addere autem libet, quod nonnulli omnem Europam noſtram peninſulam eſſe voluerunt: ac propterea aliquando Imperatorum animo inſediſſe conſilium, vt aliqua hominum induſtria in Inſulam prorſus redigeretur. Verum id fuiſſe prætermiſſum, quod oceano aditus aperiebatur, quo inundationes nimiæ orbem iſtum afflixiſſent. Adiiciunt præterea in orbis diuiſione ſub Noe filio Iapeto Europam pro Inſula in portionem contigiſſe, cum aliis fratribus aliæ quoque Inſulæ partitæ fuiſſent: cum Aſia enim eas Sem acceperat, & cum Africa Cam: id memorat Ioannes Gerundenſis Epiſcopus rerum Hiſp. lib. 1. in princ. Sed ſi ita eſt, nihil noui in Europa eſt, cur magis pen-

gis peninſula dicatur, quam Aſia atque Africa, quæ verius eam formam referunt: illud autem memorare in hac re libet, quod Bocatius ſcribit, intra has orbis partes, Europam, Aſiam atque Africam, naturam locaſſe Inſulam Cretam, vt omnes ipſa ſola diſterminaret, velut vmbilicus, vt ab oriente Aſiam, à meridie Africam, ab occidente & Aquilone Europam teneat.

TH. Quæ autem in Aquilonem remotiores Inſulæ?

PH. Plures quidem, ſed præcipua eſt Gothlandia, vbi ſolſtitio æſtiuo nulla nox, hyemali nullus dies: vltra has Inſulas mare per vnius diei interuallum fertur innauigabile; tentauit hoc Normannorum Princeps Haraldus, ſed retruſus eſt: tanta ibi caligo regnat, vt vix oculis penetrari poſſit: tentauit & caterua Phriſiorum nobilium anno Domini 1000. ſed eadem vi retruſi vix incolumes rediere. Albertus Krantzius in præfatione Noruegiæ. Sed quia iam nox imminet, duas adhuc Inſulas in orbe nouo memorare libet iuxta nouam Franciam, quæ adeo vndecunque exciſa habent littora rupibus præcipitibus, vt muri vice munitæ à nemine prorſus inuadi poſſint. Carterius apud Ramuſ. Tom. 3.

ANTRA ET HIATVS

COLLOQVIVM DECIMVMQVINTVM.

PHILOSOPHVS.

QVotidie columnas has non ſine admiratione ſuſpexi, quod absque vlla cælatura confectæ videantur, nulla artificis adhibita manu: neque enim arte manu videntur expolitæ; optarim noſſe, qua è materia ſint.

EQ. Marmorea eſt materia, vereque eis nulla adhibita fuit cælatoris manus, nulla inciſio, nulla ſcalptura in eis efformandis acceſſit, ſed ſponte ita teretes, erectæ ab ipſa natura, auctæ arborum more creuerunt.

TH. Qui id fieri poteſt, vt forma menſuraque absque vlla arte componi adeo egregie perficique potuerit?

EQ. Non eſt hoc incredibile. Nam & Olaus lib. 1. cap. 16. tradit, apud Gottos & Sueonios montes ſaxeos à fulminibus frequentiſſime tangi, exciſisque inde ſaxis efformari pyramides ac columnas, quæ artificum manu exciſæ videantur, neque ab iis differre, quæ in lapidicinis elaboratæ conſpiciuntur. Verum binæ eæ columnæ non ex iis ſunt, ſed alio quodam opere naturæ, absque vllo hominum artificio. Eſt in hoc agro antrum maxime commemorandum: in eo etenim guttulæ perpetuo diſtillant, quæ in ſaxeam duritiem transeunt, quotidianisque incrementis, & latitudine, tereteque forma adaugentur, & in longitudinem etiam creſcunt, liquore æquali menſura vndequaque ſemper profluente.

PH. Accedamus igitur ad eum ipſum lacum: digna enim res, quę conſpiciatur.

EQ. Erit nobis acceſſus non iniucundus, ob loci opacitatem, eritque ibi proximus ad ſedendum aptiſſimus locus.

PH. Ampla valde hæc ſpecus eſt, & ornata tot ſcatentibus fonticulis, præter tot craſſi humoris percolationes iſtas iam video alias creſcere columnas, & efformari ſimul & formas adeo varias marmoreas. Mihi videtur antrum hoc eſſe illi conſimile, de quo Plin. tradit libr. 31. cap. 2. in fin. *In ſpeluncis* (inquit) *quibusdam columnæ fiunt ex guttis diſtillantibus, quæ dureſcunt in lapides, quæ vel pendent in ipſis came-*

ris, vel etiam deciderunt: vtroque enim modo columnæ fiunt in Phauſia Cherſoneſi Rhodiorum in antro magno, etiam diſcolori aſpectu.

TH. Omiſit Plinius in Europa antrum noſtro ſimilem ferens naturam. Eſt in Scotia in Slanis antrum diſtillans aquam, quæ in candidiſſimum conuertitur lapidem, adeo vt cuiusque rei formam poſſis efformare. Ortellius in Scotia.

EQ. Vt video, eadem eſt huic antro natura, quæ illis; ita fit, vt etiam in antris & latibulis pleraque miracula natura conſtituerit.

TH. Forſan maiora in ſpecubus & latibulis ipſa inſtituit, quam in propatulis locis: nam ſicut in animantibus minimis, in herbis, in lapidibus, quæ quoniam minora ſunt, maioribus pollent miraculis, ita amat natura etiam latere in antris, in quibus ſingulari quopiam modo operatur.

PH. Id ita eſt dubio procul: nam vnde aurum & argentum, atque reliqua metalla, niſi ex antris, ſaltem præcipua? Vnde lapidicinæ, & marmorum eximiorum ſcalpturæ, niſi ex antris? Nam vel ipſe quandoque ſal eximius ex antris effoditur, quin adeo trahuntur homines in antris excauandis ob pecuniæ ſtudium, vt exiſtiment, non poſſe ſe ab amplitudine terræ fieri diuites, niſi ab occultis eius viſceribus. Plus enim laboris in perueſtigandis terræ latibulis hodie impenditur, quam in reliquis ſtudiis. Nam, vt de re minima agamus, in ipſo ſale defodiendo in Aquilonari regione in tantam amplitudinem antra defoſſa ſunt, vt per curioſitatem ſpectandæ rei quinquaginta introrſum ſcalis ſe progreſſum teſtetur Olaus Archiepiſcopus lib. 13. c. 5.

EQ. Ideoque nihilo minus periculi ſubeunt homines in antris ob pecuniæ ſtudium, quam ſit in traiiciendo mari. Nam præter id, quod vtrumque infidum eſt, cum plerumque delapſa concameratione opprimuntur, qui ſuffodiunt, quod frequenter accidiſſe tradit Olaus lib. 6. cap. 5. quandoque etiam in tantam altitudinem excauantur antra, vt ſi quando vel ipſi artifices lapſi corruerint in imum ipſum, nulla arte induſtriave extrahi poſſint, imo ibi diu viuentes, horrificis vocibus emiſſis, exaudiuntur, quin fame tabeque exanimantur, vt eodem loco tradit Olaus. Quamobrem plus illis commiſerandum videtur, quam iis, quos mare abſorbet, cum illos ſtatim enecauerit.

TH. Audiamus autem Senecam, qui in illos inuehitur, qui metalla tanta auiditate defoſſa terra quæſierunt. Sic enim ille: *Seculum noſtrum non nouis vitiis, ſed iam antiquitus traditis laborat, nec noſtra ætate primum auaritia venas terrarum lapidumque rimata in tenebris male abſtruſa quæſiuit. Illi quoque maiores noſtri, quos celebramus laudibus, quibus diſſimiles quærimus nos eſſe, ſpe ducti montes ceciderunt, & ſupra lucrum ſub ruina ſteterunt. Ante Philippum Macedonem Reges fuere, qui pecuniam in altiſſimis vsque latebris ſequerentur, & relicto ſpiritu libero, in illos ſe demitterent ſpecus, in quos nullum noctium dierumque perueniret diſcrimen, & à tergo lucem relinquerent. Quæ tanta ſpes fuit? quæ tanta neceſſitas hominem ad ſydera erectum incuruauit, & defodit, & in fundum telluris intimæ merſit, vt erueret aurum non minore periculo quærendum, quam poſſidendum? Propter hoc cuniculos egit, & circa prædam luculentam incertamque reptauit, oblitus dierum, oblitus naturæ melioris, à qua ſe auertit. Nulli ergo mortuo terra tam grauis eſt, quam iſtis, ſupra quos auaritia ingens terrarum pondus iniecit, quibus abſtulit cœlum, quos in imo, vbi illud malum virus latitat, infodit. Illo deſcendere auſi ſunt, vbi nouarum rerum poſitionem, terrarũ pendentium habitus ventosq; per cæcũ inane experirentur, & aquarũ nulli fluen-*

fluentium horridos fontes, & altam perpetuamq; noctem; deinde cum iſta fecerint, inferos metuunt. Hæc ille, de quibus quæſtionibus naturalibus.

PH. Eleganter ſane & appoſite: ideo contingit eis aliquando, quod Mydæ, qui ob auri cupiditatem, cum quidquid tangeret aurum fieret, & etiam cibis in aurum verſis, tabe mortuus eſt, vt ſcribit ſanctus Gregorius Nazianzenus in Monodia, ex Poetarum figmentis: ita fit, vt ii auri ſtudioſi vt delicioſius viuant, per aurum miſerabilius moriantur in antris: quod apud Ariſtotelem de admirandis libro cap.50. inſigniter eſt expreſſum: *In metallis* (inquit) *Lydiæ iuxta Pergamum, quorum Crœſus fuit auctor, conſertum eſt quoddam prælium, atque opifices eo confugerunt. Verum ore obturato ſuffocati ſunt: poſtea longo tempore interiecto, metallis apertis, inuenta ſunt vaſa, quibus ad manuum vſum vtebantur, in lapides commutata; ac amphoræ & vaſa reliqua huiusmodi quocumque liquore plena fuerant, vna cum hominum cadaueribus præterea in lapides ſunt conuerſa.* Hæc ille: ex quo euentu huius noſtri antri ſimilitudo quædam exprimitur. Non ergo vlterius mirari nos oportet, ſi antro iſto nobiliſſimæ columnæ, atque rerum aliarum formæ componantur, cum in illo, de quo Ariſtoteles locutus eſt, antro omnium rerum formæ ſaxeæ compertæ ſint.

EQ. Contingunt hæc iis, qui propriæ ſalutis immemores quaſi hominum conſuetudine indigni cum feris ad antra mittendi ſunt. At ſeruis Dei, qui ob immanium Tyrannorum perſecutiones antris ſe abdunt, vt cœleſtes theſauros ſeruent & augeant, nulla antri obſtructio obeſſe poteſt; quod apertiſſime proditum eſt à Metaphraſte quarto Auguſti, & à Gregorio Turonenſi in glor. plurim. Martyr. cap.95. quando ſeptem dormientes in antro obturato ore centum ſeptuaginta annis integri, illæſi, florentesque ſeruati ſunt, quod paucis alias meminimus.

PH. Non eſt adeo ſuccincte narranda tam inſignis hiſtoria; explicatius rem totam audirem quam libentiſſime.

EQ. Referat Theologus, cui fuit ſemper ſtudium ſcrutandi volumina, quę de rebus huiusmodi tradiderunt; dixi ego quantum mihi ſuggeſſit memoria.

TH. Scripſere id ipſum Metaphraſtes & Gregorius Turonenſis iam commemorati, ſed Nicephori Calixti verbis diſertis hodie mihi videtur eſſe vtendum, ita ille lib.14.cap.45.

Epheſi in Ionia ſeptem pueri corporibus iuxta, & animis fratres fuere, à parentibus per manus eis traditæ religionis noſtræ cultores, tanto vero illi erga Chriſtum flagrarunt amore, vt perſecutionem eam, quam Decius Romanus eo tempore Imperator grauiſsimam perquam crudeliter exercuit, parui facerent: vt quum propalam Chriſtum confeſsi eſſent, poſtea non longe ab vrbe ea receſſerunt, & in vicino quodam antro propter imminens periculum ſe ipſos occultarunt: eius antri aditum & fores perſequutores à parte exteriore probe circumuallantes muniere: illi porro præ anxio animi mærore in ſomnum ſibi profundum delabi viſi ſunt: atque ita annos trecentos ſeptuaginta duos dormierunt. Perinde enim atque Angeli prouidentia diuina, & Spiritu ſancto obumbrati, & veluti ſenſu orbati ſuaui, & molli ſomno, de quo diximus, tempore ita ſunt detenti, vt neque corpora neque veſtimenta eorum diffluxerint. Et mox: *Poſt igitur tantum tempus, quoniam aduerſus generis humani reſurrectionem hæreſis inualuerat, eodem Dei nutu excitati ſunt, & ex eis vno in vrbem ad emendum alimoniam profecto, cum animaduertiſſent ciues eum, & mores, linguam, ac pecuniam priſci temporis præſeferre, adhibitis ob ſuſpicionem tormentis, faſſus eſt ſex alios eius fratres in antro delite-*

ſcere. His illi verbis auditis, conſternati celeriter omnes ad antrum illud accurrerunt, aditu- que magis dilatato, lapidibusque hinc & inde diſiectis, in tabulam inciderunt, in qua Decii nomen, ipſorum in Chriſti religione profitenda libertas, fuga ſimul & occultatio, nec non ſepulturæ tempus percommode expreſſum erat: proinde cum reuerentia debita eos inde duxerunt, & de re omni celeriter Imperatorem certiorem fecerunt. Cæterum Imperator fideliſſimus Theodoſius, vbi eam rem cognouit, quod ſemper, quæ grata Deo & accepta eſ- ſent, faceret, pietate ſua indignum duxit, vel illos ad ſe transferri curare, vel alios ad eos videndos mittere; ipſum autem domi manere: alterum enim arrogantiæ, alterum autem ſo- cordiæ omnino eſſe iudicauit. Et rebus omnibus præ eo, vt ad illos veniret, contemptis, quam potuit celerrime Epheſum contendit, atque ibi illorum conſpectu ſe oblectauit; & cum eis collocutus, & ad ſatietatem eorum conſuetudine vſus eſt: tum autem in communi etiam menſa cum eis, ita vt par erat, cibum cepit, ſeptemq; totos dies cum eis fuit, omne eis curæ & officii genus præſtans. Vbi vero etiam longiore rurſus ſomno, & obitu ſancto in Chriſto obdormierunt, debito eos proſequutus eſt honore, & præclaro ea de cauſa tri- umpho acto, magnificeque rurſum eis in feretro repoſitis, Conſtantinopolim eſt reuerſus. Hæc ille.

PH. Mirum in modum meum res hæc pauit animum. O felix antrum, in quo tot annos licuit dormire viuentes: at multo felicius, quod in eo perpetuo ſepulta obdormientium iam omnino defunctorum corpora fuerint reſurrectionem ex- pectantia: ita enim fit, vt quæ antra aliis in perniciem perpetuam ſint, aliis in per- petuam gloriam.

EQ. Id eſt veriſſimum: nam quoad perpetuam piorum gloriam, vt hac egre- gia hiſtoria recenſitum eſt, ita eſſe patet; patet etiam quoad impiorum ignomi- niam ex eo, quod habetur Ioſue libro capite decimo, in hæc verba: *Fugerant quin- que Amorrhæorum Reges, & ſe abſconderant in ſpelunca vrbis Maceda: nunciatumque eſt Io- ſue, quod inuenti eſſent quinque Reges latentes in ſpelunca vrbis Maceda: qui præcepit ſociis & ait: Voluite ſaxa ingentia ad os ſpeluncæ, & ponite viros induſtrios, qui clauſos cuſtodiant.* Et infra: *Præcepit Ioſue dicens: Aperite os ſpeluncæ, & perducite ad me quinque Reges, qui in ea latitant. Feceruntque miniſtri, vt ſibi fuerat imperatum, & adduxerunt ad eum quin- que Reges de ſpelunca, Regem Hieruſalem, Regem Hebron, Regem Terimoth, Regem Lachis, Regem Eglon. Cumque adducti eſſent ad eum, vocauit omnes viros Iſrael, & ait ad Princi- pes exercitus, qui ſecum erant: Ite, & ponite pedes ſuper colla Regum iſtorum.* Et mox: *Percuſſitque Ioſue & interfecit eos, atque ſuſpendit ſuper quinque ſtipites, fueruntque ſu- ſpenſi vſque ad veſperam. Cumque occumberet Sol, præcepit ſociis, vt deponerent eos de pa- tibulis; qui depoſitos proiecerunt in ſpelunca, in qua latuerant & poſuerunt ſuper os eius ſaxa ingentia.* Hæc ille.

TH. Quã maxime hæc inter ſe differunt: illi dormierunt, & educti honorifi- ce ab Imperatore excepti, rurſumque in eodem ſpecu permagnifice conditi: at hi Reges turpiter latuerunt, turpius extracti ſuſpenſi, turpiſſime in eodem lapidibus obruti. Sic antra ſunt piis diuinum habitaculum; impiis ſceleſtiſſimi operis igno- minia. Propterea S. Paulus ad Hebr. c. 11. iure viros Dei laudibus ſic attollit dicens: *Afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & in cauernis terræ.*

EQ. Id manifeſtum eſt ex lib. 1. Regum, cap. 24. Antrum enim ampliſſi- mum, quo Dauid vna cum quadringentis ferme viris latebat, dum Saulis iram declinaret in deſerto Engaddi, fuit in Dauidis ſanctitatis perpetuum teſtimo- nium,

nium, in Saulis ignominiæ perpetuam memoriam: Saul enim illud ingreſſus fuerat, vt ventrem purgaret: at ibi Dauid cohibuit impetum commilitonum ſuorum, ne Saulem ignarum interficerent; at in perpetuam fidem, quod & occidere eum potuiſſet occulto, & pro conſcientiæ bono abſtinuiſſet, præſcidit oram chlamydis Sauli ſilenter: atque ita fit, vt magnifica Dauidis hæc acta & deſcripta, & omnibus perpetuis temporibus in ore omnium ſint futura. O felix antrum, in quo hæc contigerant!

PH. Eſt res huiuſmodi commemoranda, ſed longe magis commemorandum myſterium in ea latens: explicat illud B. Gregor. in Paſtorali libro parte tertia, admonitione quinta, his verbis: *Saul Dauidis perſecutor cum ad purgandum ventrem ſpeluncam fuiſſet ingreſſus, illic cum viris ſuis Dauid inerat, qui iam tam longo tempore perſecutionis eius mala tolerabat; cumque eum viri ſui ad feriendum Saul accederent, fregit eos reſponſionibus, quia manum mittere in Chriſtum Domini non deberent: qui tamen occulte ſurrexit, & oram chlamydis eius abſcidit. Quid enim per Saul, niſi mali rectores? quid per Dauid, niſi boni ſubditi deſignantur? Saul igitur ventrem purgare, eſt prauos præpoſitos conceptam in corde malitiam vsque ad opera miſeri odoris extendere, & cogitata apud ſe noxia factis exterioribus exequendo monſtrare? quem tamen Dauid ferire metuit: quia piæ ſubditorum mentes ab omni ſe peſte obtrectationis abſtinentes, præpoſitorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cum de imperfectione reprehendunt: qui etſi quando pro infirmitate ſeſe abſtinere vix poſſunt, vt extrema quædam, atq; exteriora propoſitorum mala, ſed tamen humiliter loquantur, quaſi oram chlamydis ſilenter incidunt, quia videlicet dum prælatæ dignitati ſaltem innoxie & latenter derogant, quaſi Regis ſuperpoſiti veſtem ſecant, ſed tamen ad ſemetipſos redeunt, ſeq; vehementiſſime vel de tenuiſſima verbi laceratione reprehendunt.* Hæc ille.

PH. O egregiam myſterii narrationem. O feliciſſimum antrum, quod nobis huius myſterii audiendi occaſionem præbuit!

EQ. Eſt & alia non prætermittenda narratio, quia piis viris antra in ſolatium ſunt, quæ impiis ſunt in ſummum exitium: narrat enim ſanctus Hieronymus in vita ſancti Malchi monachi, quin potius ibi ipſe Malchus, quod ſibi contigerat, memorauit, ſuis ipſe verbis: narrat igitur cum eſſet monachatui addictus, quadam curioſitate ductus inani itinerationi ſe dederat, atque ideo in Iſmaelitas incidit, factusque captiuus cogitur vxorem ducere mulierem concaptiuam coniugatam: at vterque conſcientiæ bono inhærentes, & Dei offenſam renuentes, viuebant vno quidem cubiculo caſtiſſime: ſed tandem pertæſi genus illud vitæ calamitoſiſſimum fugæ conſilium cœperunt; veriti ſequentem dominum ſeſe in ſpecum longe ſub terra penetrantem abdiderunt intrantes quidem, ſed ſtatim in ipſo introitu ſiniſtræ ſubſtiterunt, nequaquam vlterius progredientes, ne dum à domino mortem fugiebant, incurrerent in mortem à viperis, regulis aut ſcorpionibus forte ibi degentibus. Vix illis ingreſſis, ſuperuenit dominus cum ſeruo: ſeruus ſpecum tribus, aut quatuor cubitis ingreditur, euaginato gladio eos vt aggrederetur euocans. At è tenebris interioris ſpeluncæ egreſſa leæna inuadit hominem, ſuffocat, & cruentum intro trahit: non egrediente ſeruo, dominus & ipſe aliquid ſuſpicatus in ſpecum ingreditur, ſeruo licet iam interempto ſocordiam obiiciens: at leæna & ipſum rapiens diſcerpit. Leæna igitur cum ſe ſenſiſſet à Malcho & muliere viſam, ab eis abſtinuit, arreptoque catulo, alio migrauit. Illi vero metu liberati tam domini perſequentis, quam leænæ ac alterius cuiuſcum-

que aduerſi, in Romana caſtra ſeſe contulerunt ad Sabinianum Meſopotamiæ Ducem; Malchus ſuo monachatui omni ſtudio rurſum ſeſe dedidit; mulier inter virgines ſeſe deuouit. Atque ita patet ab antro ſalutem piis illatam, impiis necem.

PH. Suggerit mihi iſthæc narratio aliud commemorandum antrum homini ſalutare, non tamen ob pietatem Chriſtianam, ſed occulto Dei iudicio diſpoſitum. Id tametſi alias occaſione alia diximus, nunc tamen breuioribus recolendum cenſeo. Androdus Dacus, cum atrociſſimi heri furorem fuga deuitaret, in Africæ prouincia ſole flagranti in obuiam quandam ſpecum ſeſe recepit latebroſam; neque multo poſt ad eandem ſpecum venit leo vno pede ſaucius, gemitus edens, & miteſcens, homini pedem oſtendens. Abiecto igitur omni timore, Androdus peracutam ligneam feſtucam veſtigio pedis eius hærentem reuulſit; deterſo omni cruore, ſuſcepti beneficii memor leo, per triennium in eadem ſpecu Androdum venationibus pauit: ac cum poſtea leo forte fortuna captus Romam fuiſſet delatus; & Androdus ibidem ob obiecta crimina ad feras diſcerpendus damnatus eſſet, leo adhuc hoſpitis ſui memor, nec læſit nec ab aliis lædi permiſit; ſed blanditus adeo illi eſt, vt vterque fuerit ſeruatus: vti ſcripſit Appion Polyhiſtor, qui ſe hanc rem Romæ vidiſſe teſtatur: retulit ex eo Aulus Gellius Noct. Attic. libro quinto, capite decimo quarto. Ælian. hiſtor. anim. libro ſeptimo, cap. 43.

TH. Et hoc etiam iterato memorandum fuit: quoniam omne donum à Deo eſt, tametſi in infideles conferatur: nemo enim adeo malus eſt, qui nō aliquo polleat bono, quamobrem & Dei maieſtas in hoc quoque illuxit antro. Fit igitur perſpicuum, vt malis hominibus antra fiant ſcelerum receptacula; nec antra ſolum, verum & Baſilicæ ipſæ antra ſæpe fiunt malis: Dominus enim noſter iniquis Iudæis id obiecit, quod ſanctiſſimum ornatiſſimumque templum in ſpeluncam latronum conuertiſſent, Matth. 21. Sicut & econtra latebroſiſſimas ſpecus ob hominum veram pietatem conuerti voluit in ſacratiſſima templa, vnde hominum lux, ſalusque ad ſacrificia & reliqua pia opera manarent, vt perſpicue patuit in Gargano antro ſeu ſpecu, nunc templo, quod tot coruſcans miraculis, toto orbe celebratur, atque ad illud vndecumque voti cauſa confluunt viri pii.

EQ. Celebratiſſimum eſt templum, diesq; illi feſtus eſt præſcriptus ad Nonas Maias. Verum optarim hiſtoriæ ſeriem recenſeri.

TH. Id perfacile mihi factu eſt. Gelaſio Pontifice Maximo, Zenoneq; Imperatore ex gregibus armentorum Gargani cuiusdam taurus longe diſceſſerat, quem diu quæſitum in aditu ſpeluncæ hærentem inuenerunt. Cum verò quidam ex illis, vt taurum configeret, ſagittam emiſiſſet, retorta ſagitta in ipſum recidit ſagittarium: quæ res cum præſentes, ac deinceps cæteros tanto timore affeciſſet, vt ad eam ſpeluncam propius accedere nemo auderet: Sipontini Epiſcopum conſulunt, qui indicto trium dierum ieiunio & oratione rem à Deo reſpondit quæri oportere. Poſt triduum Michael Archangelus Epiſcopum monet, in ſua tutela eſſe eum locum, eoque indicio demonſtraſſe, velle ibi cultum Deo in ſui memoriam adhiberi. Quare Epiſcopus vna cum ciuibus ad eam ſpeluncam ire pergit; quam cum in templi cuiusdam ſimilitudinem cōformatam vidiſſent, locum illum diuinis officiis celebrare cœperunt, qui multis poſtea miraculis illuſtratus eſt, diemque ſancta mater Eccleſia tradidit in eius rei memoriam eſſe celebrandum. Sane ſi quis acceſſe-

acceſſerit, admirabitur & antri amplitudinem, & loci ſanctitatem & frequentiam beneficiorum diuinorum, quæ beati Michaelis interceſſione vouentibus conceduntur. Ad huiuſmodi Eccleſiam è ſpecu ibi factam nudis pedibus Roma profectus eſt Ottho Imperator ante annos fere ſexcentos, & eo amplius, Romualdi ſanctiſſimi viri hortatu, vt tradit Petrus Damianus in vita eiusdem Romualdi. O terque quaterque commemorandum antrum, in quo diuinæ gratiæ tanta eluceat maieſtas! ſed de iis numquam ſatis dicere poſſe videmur. Eſt certe illud antrum admirandum ob extrinſecam etiam formam, ſed excedit longe magis antrum hoc illud, quod in Æthiopia in regno Angote adeo amplum eſt, vt in illo extet ingens Eccleſia, integrumque Cœnobitarum monaſterium. Franciſcus Aluarez cap.52.

PH. Non ſunt iſtis æquanda naturæ miracula, eo enim inter ſe differunt, quo à terrenis cœleſtia: verum quia & ipſa natura à Deo eſt, licebit orationem noſtram deflectere ad reliqua naturæ memoranda, primumque de amplitudine nonnullorum antrorum loqui libet. Scio Strabonem tradidiſſe lib.16. iuxta Damaſcum plura extare antra, ſed vnum præcipuum, quo latere percommode poſſint quatuor hominum millia. Verum præcipuum toto orbe eſt, de quo Mela lib. 1. cap. 6. *Non procul* (inquit) *à Pompeiopoli Corycos oppidum ſupra ſpecus eſt, nomine Conthyus, ſingulari ingenio, ac ſupra quam vt deſcribi facile poſſit eximius: grandi namque hiatu patens montem littori adpoſitum, & decem ſtadiorum cliuo ſatis arduum ex ſummo ſtatim vertice aperit; tunc alte demiſſus, & quantum demittitur, amplior; viret lucis pubentibus vndique, & totum ſe nemoroſo latere orbe complectitur; adeo mirificus ac pulcher, vt mentes accedentium primo aſpectu conſternat, vbi contemplati durauere, non ſatiat. Vnus in eum deſcenſus eſt, anguſtus, aſper, quingentorum & mille paſſuum per amœnas vmbras & opacæ ſyluæ quiddam aggreſte reſonantis, riuis hinc atque illinc fluitantibus. Vbi ad ima peruentum eſt, rurſus ſpecus alter aperitur ob alia dicendus, terret ingredientes: deinde aliquamdiu perſpicuus, mox & quo magis ſubitur, obſcurior, ducit auſos penitus, alteque quaſi cuniculo admittit. Ibi ingens amnis ingenti fronte ſe extollens tantummodo ſe oſtendit, vt vbi magnum impetum breui alueo traxit, iterum demerſus abſcinditur, intra ſpatium eſt magis, quam vt progredi quisquam auſit, horribile, & ideo incognitum.* Hæc ille: cui confine eſt, quod ſcribit Solinus cap.39. ad eius rei veritatem confirmandam: *Corycos* (inquit) *oppidum eſt, ibique ſpecus, qui montem impoſitum mari à ſummo cauat vertice patulus hiatu ampliſſimo: nam deiectis lateribus, in terræ profundum numeroſa amplectitur, media inanitate virens introrſus lucis pendentibus. Deſcenſus in eum per duo millia & quingenta paſſuum, non ſine largo die, hinc inde fontium aſſidua ſcaturigine. Vbi peruentum ad ima primi ſinus, alter rurſus ſpecus panditur, quod antrum lucis primum patet faucibus, poſtmodum progreſſu per anguſtias obſcuratur.* Hæc ille, vt his teſtibus inſignibus veritas eſſe credatur.

PH. Plinius huius ſpecus meminit, at non deſcribit lib. 5. c. 27. illud vnum de eo habet lib.31. c.2. in fine, ſtillantes videlicet guttas antri huius Corycis oppidi in lapides dureſcere.

TH. De Strabone meminiſſe oportet, qui, vt video, Corycis antrum etiam nouit, ſed de eo depreſſius ſcripſit lib.14. tradit enim in Coryco promontorio nō procul à Seleucia antrum Corycum eſſe, in quo crocum peroptimum naſcitur, eſſeque illud grandi hiatu, vndiquaque ſaxeum; introrſus lapidoſum, fruticibus ac plantis ſemper virentibus ornatum, proximumq; illi antrum aliud, in quo ingens

fons emanat, qui ſtatim fluminis modo fluit, quamquam ſtatim ſeſe abſcondit, ſubterráneisq; meatibus mare ingreditur. Hæc ex illo: quibus verbis non eſt ambigendum de eodem antro eum loqui, de quo Mela & Solinus.

EQ. Ælianus alterius ampliſſimi ſpecus meminit non multo minoris iſto, de quo iam diſſeruimus. Ille igitur hiſt.anim.lib.16.cap.16. ſic habet: *Apud Arianos Indos hiatus Plutonis dictus eſt, in cuius profundo occultæ cauernæ, & receſſus immenſi & hominibus incogniti: quemadmodum autem ſit in tantam altitudinem depreſſus, neque Indi explicant: amplius tria millia diuerſorum animalium, ouium, caprarum, boum eo agunt Indi; ſuperſtitioneque multa animalia præcipitant in profundum eius barátrum, à quo nullus datur regreſſus, neque vmquam videri poſſunt. Boum tamen mugitus, ouium balatus, caprarum vox, equorum hinnitus exaudiuntur: ac ſi quis aures illius faucibus admouerit, diutiſſime eiuſmodi audiet: neque enim promiſcuus ſonus ceſſat reſonare; quoniam quotidie eo præcipites beſtiæ aguntur.* Hæc ille. Propterea ſæpe animo reuolui, quæ de antro arte confecto memorat Seneca lib.5.cap.15. ſic enim ille: *Aſclepiodotus auctor eſt, demiſſos quamplurimos à Philippo in metallum antiquum olim deſtitutum, vt explorarent, quæ vbertas eius eſſet, qui ſtatus; an aliquid futuris reliquiſſet vetus auaritia: deſcendiſſe illos cum multo lumine, & multos duraſſe dies, deinde longa via fatigatos vidiſſe flumina ingentia, & conceptus aquarum inertium vaſtos, pares noſtris, nec compreſſos quidem terra ſuperem nente, ſed liberæ laxitatis, non ſine horrore viſos.* Hæc ille. At cap.14. *Non tota* (inquit) *ſolido contextu in vnum vſque funditur: ſed multis partibus caua, & cæcis ſuſpenſa latebris alicubi habet inania ſine humore.* Sed & lib.3.cap.16. *Sunt* (inquit) *ſub terra minus nota nobis iura naturæ: ſed non minus certa. Crede infra, quidquid vides ſupra. Sunt & illic ſpecus vaſti, ſunt ingentes receſſus, ac ſpatia, ſuſpenſus hinc, & inde montibus laxa, ſunt abrupti in infinitum hiatus, qui ſæpe illapſas vrbes receperunt, & ingentem in alto ruinam condidere.* Sed cap. 8. eiuſdem libri ſic habet: *Quemadmodum in exteriore parte terrarum vaſtæ paludes iacent, magni & nauigabiles lacus, quemadmodum ingenti ſpatio terræ maria porrecta ſunt, infuſa vallibus, ſic interiora terrarum abundare aquis dulcibus: nec minus illas ſtagnare, quam apud nos Oceanum & ſinus eius, imo eo latius, quo plus in altum patet.*

Diuerſorũ antrorum diuerſæ formæ.

Variæ igitur ſunt antrorum formæ, quæ aut caſu, aut natura fiunt; quædam enim late patent excauata, quædam altiſſimam continent ciuitatem, quædam in longum porrecta, in imum profunde demiſſa, quædam multiplices habent aditus ac receſſus: Sunt igitur pleraque commemoranda. Strabo enim lib.6. tradit, iuxta Metaurum Siciliæ eſſe antrum, per quod ingens fluuius diu, longoq; tractu alueo ſubterraneo percurrens tandem in apertum campum emergit: ſed & aliud tradit eſſe in ſinu emporico Mauritaniæ, adeo introrſus ſub littus excauatum, vt maritimos fluctus & effluxus admittat ad ſtadia ſeptem. Strabo lib.17.

PH. De alio idem Strabo meminit lib.13. ſcribit enim prope Andiram antrũ eſſe, quod tanta ſit dimenſione, vt vſque Paleam perducat, videlicet ad vſque ſtadia 130. idque inde patuit, quod cum in hiatum illapſus fuiſſet hircus, repertus à paſtore fuit in altera eius parte poſteriore die.

TH. Si longitudinis dimenſionem commemorare libet, præter alios ſpecus, aut ſubterraneas ciuitates, nulla maior cenſeri poteſt, quam ea, quam (cum de fluminibus diſſereremus) in Nili fluuii procurſu recenſuimus. Nam ſe abdere eum diximus bis; primo quidem non longe à lacu Nilide conditur per dies aliquot, vt ita ſit ſpecus illa protenſa ad plura centena paſſuum millia, deinde non procul à Cæſarienſi Mauritania ſeſe abſcondit per dies viginti, vt iſta quoque ſpecus excedat plu-

dat plurima centena paſſuum millia. Atque ita patet ſubterraneas illas Nili ſpecus, per quas lateat tantus fluuius, cæterarum omnium eſſe ampliſſimas, latitudine quidem ad multa millia paſſuum, longitudine vero inexplicabili, & altitudine incredibili; quod tantam aquarum copiam excipiant, eſſeque longiſſimæ dimenſionis, quod diebus multis non transmittantur. Vnde longe plura quam millia millium paſſuum ſuperare huiusmodi ſpecus non eſt ambigendum. Ita quoque & de Gange, qui Taurum montem ampliſſimum ſub cœco antro, atque in alteram permeat eius montis partem, quod nonniſi millibus paſſuum centenis confici poteſt: quin etiam alibi rurſum mergitur, ac nonniſi paſſuum millia viginti quinque remeat, vt iam diſſeruimus. Niger quoque in Africa antrum ſubit, quo latet ad ſexaginta paſſuum millia, vt referunt qui Africanas tabulas conſcripſere, & Ramuſ. Tom. 1.

Puteolis ſunt quidem plures ac Romæ: nam & ſub æde ſancti Sebaſtiani, ſub æde ſancti Laurentii extra muros, ac ſub æde ſancti Pancratii infinitis receſſibus, ſinibus & latebris, in multa millia paſſuum ibi aliquando patuit. Ita Neapoli ad ædem ſancti Ianuarii omnium nobiliſſimæ ſpecus ſunt, ſed ſemper eſt illa cõmemoranda, quam Cocceius excauauit à Puteolis vsque Neapolim, cuius maxima pars adhuc hodie viſitur, ad aliquot ſtadia perlonga, ex Strabone libr. 5. qui & aliam commemorat ab eodem Cocceio excauatam ab Auerno lacu vsq; Cumas, Sibyllæ antrum vulgus appellat, de quo Leander multa, quæ adhuc viſitur, & ſtadii longitudinem fere implet, ex Strabone eodem libro quinto. At apud Syracuſas antrum eſt, quod adeo in longa ſpatia luminoſum porrigitur, vt quantalibet longitudine funes ab artificibus fieri poſſint. Eſt autem vel ipſo ingreſſu horrendum. Leander.

PH. Illa Coccei antra fuere admirabiliora olim, quam hodie ſint: nam quod apud Cumas eſt, & Auerni lacum, vt Baias vsque iretur, longum eſt hodie recta linea pedes 500. cum olim maiore longitudine protenderetur: vt Leander ex Strabone affirmat. Sunt auctores, qui putent antrum apud Neapolim à L. Lucullo excauatum ex verbis Senecæ lib. 7. epiſt. 58. cum diceret: Nihil illo carcere longius, nihil illis faucibus obſcurius, vt Baronius habet in Martyrol. 8. Ianuarii. At Sibyllæ Cumanæ habitatio fuit, ornatiſſima enim ibi ſpecus erat auro, minioq; ac gemmis, ac tantis itinerum anfractibus, latebroſisq; ſinibus, vt multo labore, qui ingreſſi eſſent, redire poſſent è cæcis illis latebris: quin nonnulli oberrantes labore defeſſi per inexplicabiles receſſus expirarunt. Leander.

At antrum, quod è Puteolis vsque Neapolim protendebatur, ad multa millia paſſuum olim porrigebatur, nunc longe paucioribus, vt Leander in Campania memorat: qui recolit præterea antrum aliud in Pauſylipo ibi proximo monte videri altum pedes 30. longum 200.

PH. At aliæ alibi ſunt ſpecus ampliſſimæ in Italia: in Lucania enim, quam vulgus Baſilicatam nuncupat, eſt quædam alta pedes 30. lata 50. lacum continens in medio, cui ſupereminet ſcopulus, æque magno fragore fluuius erumpit vehementiſſimus. Leander. In Hetruria quoque apud Volaterras in ſylua antrum eſt, vnde tantus quandoque ſpiritus, ventusq; erumpit, vt quæque obuia deiiciat, vel ipſas arbores. Leander.

EQ. Illud eſt memorabile antrum, quod Claudius excauauit ad deducendam Romam aquam à 40. milliario, perfoſſo monte ad lacum Fucinum emittendum;

Antrum Claudii Romæ extans.

omnia enim in tenebris facta 30. millibus operariorum, vt Plinius memorat lib. 36. cap. 15. Leander in Æquicolis: cui adnumeramus antrum aliud apud Vincentiam vrbem, quod ouali forma defoſſum montem fere omnem ſuſtinet: longitudo ad paſſuum millia quatuor protenditur, latitudo ad ter mille. Extant tamen frequentes columnæ eodem ibi lapide, dum locus effoderetur, demiſſæ, ne ob montis pondus locus obrueretur. Eſt autem adeo peſtilens ibi occluſus humor, vt quæque illata putreſcant, vel ipſæ paleæ ſicciſſimæ. Leander in Vincentia.

TH. Supereſt adhuc mihi recitanda ſpecus, quæ longo tractu ſub imum lacum excauata ducitur. Is lacus eſt Oſtrogotorum, eique eſt nomen Veter, patens longitudine ac latitudine paſſuum millia multa. In ipſo Inſula eſt, in qua antrum viſitur incredibilis & in longum porrectæ profunditatis: neque accedere ad illud ſcrutandum licet ob aeris craſſitiem ac vaporis multitudinem, qua & os & guttur ſuffocantur accedentium. Olaus lib. 3. cap. 19. qui addit longiſſimo filo protracto, ne erretur in reditu, ingreſſos vti oportere, velut in Minotauri labirynthum euntibus.

EQ. Aliam ſpecum adhuc commemorare libet in ipſa Aquilonari regione admirandam: non eſt admodum ampli hiatus, verum impenetrabilis eſt, & adeo latebroſis receſſibus, ac ſinibus in longum ductis, perinde ac ſi hominum arte excauata fuiſſet, vt in eam cum maritimæ æſtus perpetuis ictibus repercutiant, tantus erumpat fragor & bombus, vt accedētes propius ſurdeſcant in multas horas, deuicta auditus virtute, vt ſcribit Olaus lib. 2. cap. 10.

PH. Referūt ii, qui in orbem nouum traiecerūt, in Hiſpaniola Inſula, in prouincia Caizimu adeo ingens antrum eſſe, vt in eo percurrere exaudiantur maxima flumina, tam magno fremitu, vt ad paſſuum millia quinque ipſe fragor exaudiatur; quin ſi quis cominus acceſſerit, deuicta auditus virtute, ſurdus fiet: deſinunt ii fluuii in ſubterraneum lacum; in quem ſi quis ingrediatur, mox abſorbetur, quod illico iratus intumeſcens velut æſtuare videatur, fluctibus emergentibus: Vorticoſus enim eſt totus ac voraginoſus. Petr. Mart. ſumm. Ind.

EQ. Huic conſimilis eſt & alia ſpecus, de qua Olaus lib. 11. c. 14. *Proxime enim Vrburgum (ea vrbs eſt Moſcouitis contermina) antrum (*inquit*) eſt ſubterraneum, in quod ſi quis feram, aliudve viuens iniecerit, adeo ingentem ſonitum, fragoremq́ emittit, vt adſtantes tum ſurditate corripiantur, tum reliquis etiam ſenſibus omnibus obſtupeſcentibus, attoniti reddantur mirum in modum: tametſi enim omnes ſenſus ſeſe deſeruiſſe videātur, corpus tamen nuſquam quieſcere permittitur, ſed huc atq́ illuc agitatur, adeo vt multi fragore huiuſmodi mortificati exanimentur. Compertumq́ eſt longe maiorem ſimul hominum multitudinem expiraſſe ob vnicum eius antri bombum, quam ex bombardæ vno ictu in cateruam hominum irruente.* Cui accedit etiam antrum apud Tartaros in regione Chithameri; vnde hyeme tanta exurgit procella, vt itinerantes maxima diſcrimina patiantur: æſtate lenius emergit. Nuntii Apoſtolici Ord. Prædic. de reb. Tartar. lib. 1. c. 23.

PH. Concinnis huic eſt alia. Plin. lib. 2. c. 45. *ſine fine (*inquit*) ventos generant iam quidam etiam ſpecus, qualis in Dalmatiæ ora vaſto in præceps hiatu, in quem deiecto leui pondere, quamuis tranquillo die turbini ſimilis emicat procella, nomen loco eſt Senta.*

Antrum Plutonicū.

Sed admirabilius eſt antrum Ethnico nomine Plutonicum appellatum, eſt illud apud Hierapolim, paruo quidem hiatu, ac vix tanto, vt ingredientem hominem vix capiat; ſubiacetq; radicib. præruptæ cuiusdam rupis; at immenſa profunditate

diratc eſt. Ante ſpecum ipſam iugeri menſura locus eſt, palis ſeptus, perpetua offuſus caligine, atque tenebris tantis, vt nec ſolum ipſum videri poſſit. Eatenus cuique impune licet accedere, ac ſi quis intra ſepta progreſſus fuerit, mors in promptu eſt etiam tauris. Aues quoque moriuntur, vti experimento didicit Strabo lib. 13. circa fin. tanta eſt peſtiferi ſpiritus vis, qui ab antro procedit.

TH. Peſtiferi ſpiritus ſeu exhalationis vis huiusmodi & aliis antris comperta eſt etiam in Italia. Plinius enim lib. 2. c. 93. ſic habet: *Spiritus lethales ſcrobibus emiſſi ipſo loci ſitu mortiferi, & omnibus animantibus & homini in Sinueſſano agro, & Puteolano, ſpiracula vocant, alii Charoneas ſcrobes, mortiferum ſpiritum exhalantes. Item in Hirpinis Amſancti ad Mephitis ædem locum, quem qui intrauere, moriuntur.* Hæc ille.

EQ. Eſt admirandum hoc: atque quod ad Puteolanum ſpecum pertinet, non eſt explicatum à Plinio miraculum; quantum cuique eo accedenti quotidiano experimento manifeſtum id fit. Specus illa perexigua eſt: non enim porrigitur in longitudinem vltra pedes decem, nec latitudine patet ſex, totidemque altitudine, diſtatque ab ora laci (cui vulgus Anianum nomen impoſuit) paſſus quindecim. In ipſam igitur mediam vsque ſpecum ſi quis progrediatur, ſiue id animal quodcumque ſit, ſiue homo, periculum nullum, nullus ater peſtiferve ſpiritus perſentitur: at ſi quis in extremam vsque partem progrediatur, tam homini, quam animantibus quibuscumque mortifera exhalatio eſt, adeo vt exanimet hominem præcipue. Reliqua autem animantia omnibus ſenſibus adeo deſtituuntur, vt à mortuis nihil omnino differant, ſed cum in proximum lacum iniecta fuerint, reuiuiſcunt, paulo longiore mora, quam in ſpecu ab ſenſibus alienantur: immerſum igitur huiusmodi animal primum dum reſurgit, vacillat, ſæpe & cadit, poſtea integro recepto ſpiritu, ſiſtens omnibus integris ſenſibus apparet, currit, euolat, ſi auis ſit, pro naturæ ſuæ viribus, fiuntque quotidie hæc experimenta, atque ego ipſe præſens curioſius id perſcrutatus expertus ſum in cane. Ferunt accolæ, Carolum VIII. Galliæ Regem aſinum eo loci impelli iuſſiſſe, qui ſtatim expirauit. Georgius Bruin in Charoneis ſcrobibus. Reſtauratio igitur vitæ in ſolis animantibus frequens eſt, numquam in homine. Ipſo enim illo peſtifero ſpiritu homo penitus emoritur, tum naturæ mollitie, qua reliquis animantibus præcellit, tum quia ſimul cum ſenſibus laborat & intellectiua anima, quæ ad expirandum ob cognitionem periculi dolorem adiicit, cum in animantibus ſenſuum tantum pugna ſit. Homo itaque cum iam emortuus inde extrahatur, aqua laci etiam immerſus non reſurgit: emoritur autem & alia ratione homo. Radix enim vitæ hominis, quę in cerebro ac corde eſt, labore mentis indies defatigata, quotidie in ipſo homine fit infirmior: nam fœtore, gaudio, triſtitia perfacile ſupra reliqua animantia morimur, vnde illud conſequens eſt, vt illo ſpiritu breuiore interuallo expiret homo, quam bruta: quæ etiam expirarent, ſi ibi diutius immorarentur, nec tunc extinctis vlla ratione ſuccurreret aquarum laci immerſio, vt de aſino diximus. Mortificatis igitur atque obſtupefactis tantum ſuccurrit aqua animantibus, homini nunquã, cum vere ibi moriatur.

Propterea hac ratiocinatione concludo, quę tradit Ariſtoteles lib. de admiran. cap. 28. attente accipienda eſſe: ſcribit enim, vorticem quendam aquarum circa Siciliam eſſe, in quo aues ſuffocatæ, reliquaque animalia, vbi fuerint immerſa, reuiuiſcant. Reuiuiſcunt non à morte, ſed à quadam ſenſuum mortificatione, non totius vitæ, ſicut de apibus & muſcis ſuo loco diſſeruimus, reuiuiſcere non ab interitu, ſed à quadam ſenſuum quaſi ſyncope.

PH. Nunquam (cum tamen perſæpe Neapolim perrexerim) adeo luculenter perſpicueque de ea re accepi, vt nunc. Eſtque res perpetuis temporibus commemoranda; verum alibi audiui perſimilia eſſe antra.

EQ. Noui eſſe alibi. Nam iuxta Babylonem lacus eſt bituminoſus, proximum illi eſt antrum, vnde grauis & peſtilens halitus erumpit, quem neque terreſtria animalia, neque aues ferunt: olfactu enim exanimantur; deſertus ideo ab omnibus eſt locus. Dion. Xyphilin. in Traiano; quin in Hierapoli Aſiæ eandem peſtiferi halitus naturam Dion ipſe teſtatur, periculumque ſe in auibus feciſſe memorat: locum enim ibi dicit omnibus eſſe peſtilentem, præterquam exectis caſtratisque hominibus, cauſa ignota, vidiſſe ſe Dion teſtatur in Traiano. Eſt enim ciſternæ forma vndique circumſeptus locus, ſuper quem theatrum conſtructum eſt, vnde ſpirat aura illa omnibus aſtantibus noxia ſolo olfactu. In Traiano idem Dion. Quandoque vero non antri aut ſpecus peſtilens eſt ſpiritus, ſed accidit id aliqua diuturna obſtructione loci, in quem cum purus aer illabi nō permittatur, impurus ibi ſpiritus retinetur, ac corrumpitur. Nam in Aquilonari cœlo foſſa quædam ſeruandis rebus obſtructa cum expurganda foret, foſſor ingreſſus ilico mortuus eſt; deinde alius vt exploraret, & ipſe obiit; tertius fune dimiſſus è medio clamans retrahi rogans extractus vix reſpirabat. Kran. Vandal. lib. 8. c. 30. circa annum Dom. 1350. Accidit perſimile in Apulia Luceria vrbe: foſſis ibi ſeruantur frumenta recondita. Cum igitur aliquando foſſa diu obſtructa aperiretur, pullus decidens tuto viuus frumentum illęſus depaſcebat, homo deſcendens obiit, id nos nouimus, cum ibi proxime degeremus. In Ciſalpina quoque vrbe Aſta accidit quidpiam perſimile valde inſigne, aperto vinario vaſe diutiſſime obſtructo, abradendæ fecis cauſa, filius ingreditur, moxque obit, pater opem laturus caput immittens, & ipſe exanimatur: hæc noſtro ſeculo acciderunt. Itaque non antri natura, ſed corrupti ſpiritus vis mortem affert. At quæ de antris diximus, incognita origo eſt. Seneca præterea Natur. lib. 6. c. 28. de peſtiferis exhalationibus luculenter loquitur, ſed vbi id accidat, non exponit. Sic enim ille: *Multa autem terras habere mortifera vel ex hoc intellige, quod tot venena naſcuntur, non manu ſparſa, ſed ſponte ſolo ſcilicet habente, vt boni, ita mali ſemina, quid quod pluribus Italiæ locis per quædam foramina peſtilens exhalatur vapor, quem non homini ducere, non feræ tutum eſt? Aues quoque ſi in illum inciderint, antequam cœlo meliore leniatur, in ipſo volatu cadunt, liuentque corpora, & non aliter quam per vim eliſæ fauces tument.* Hæc ille. Libro quoque 3. c. 21. *In quosdam ſpecus* (inquit) *qui deſpexere moriuntur, tam velox malum eſt, vt transuolantes aues deiiciat, ac talis eſt aer, talis locus, ex quo lethalis aqua diſtillat.* Hactenus ex illo.

TH. Non vnicum igitur aut alterum huiusmodi eſt antrum, quo lethales ſpiritus exhalant homini necem inferentes, ſed tot alia antra ſunt, quot criminum receptacula inueniuntur: vbi enim ſtupra, adulteria, conſpirationes, hæreſes, ac huiusmodi ſcelera committuntur, etiam ſi auro ornata cubicula ſunt, quid aliud, quam latronum ſpeluncæ ſunt, & peſtiferum exhalantes ſpiritum? Sicut enim antrum, in quo Loth cum filiabus ſtuprum incautus commiſit, fœdiſſimam miſit lethiferam exhalationem Moabitarum & Ammonitarum gentium lege Dei ſemper aduerſantium. Geneſ. 19. ita ſane huiusmodi cubicula, vbi huiusmodi conſiliaque facinora committuntur, appellari alio nomine non poſſunt, quam peſtiferi & lethales ſpecus, non ab ipſo loco ducta metaphora, ſed ab ipſo hominis corde, quod vorticoſi & latebroſi antri modo ſe habet: *prauum enim & inſcrutabile eſt*

cor

cor hominis. Hier.17. Propterea ab ipſo vti ab immundiſſima, latebroſiſſima peſtilentiſſimaque ſpecu exhalationes mortiferæ manant, vti apertiſſimis verbis explicauit Dominus Matth.15. *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinãt hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ, hæc ſunt, quæ coinquinant hominem.* Simile quoque exemplo aſſerere poſſumus, peſtilentiorem exhalare hominibus ſpiritum malorum hæreticorumque hominum corda atque ora, quam exhalent antra illa, quæ mortiferam habent exhalationem: deterius enim mortis genus eſt, imo longe maximum, quo anima moritur, quam quo corpus.

PH. Egregia ſane & ſemper præ oculis habenda ratiocinatio: neque enim vno atque alio loco huiusmodi peſtiferi halitus ſunt, ſed quocunque te vertas, in huiusmodi videris incidere, niſi tibi per ſummam Dei gratiam cautum ſit.

EQ. Dubio procul ita ſe rei veritas habet. Quid enim aliud eſt cor hominis, quam ſpelunca, vel ipſo beato Gregorio Magno teſte? exponens enim myſterium illud, quod habetur 3. Reg. cap. 19. quando ſcilicet Helias peruenerat in montem Dei Horeb, & in ſpeluncam ſeceſſerat, audiit Dominum transeuntem, & ſpiritum grandem, & fortem ſubuertentem montes, & conterentem petras ante Dominum. Hoc interpretans beatus Gregorius, docet, quod ſpiritus ſubuertens montes, & petras conterens, ille eſt, qui noſtri cordis altitudinem deiicit, & duritiem liquefacit nobis in oſtio ſpeluncæ conſidentibus. *Quid enim* (inquit) *aliud ſpelunca noſtra eſt, niſi hæc corruptionis habitatio, in qua adhuc ex vetuſtate retinemur?* Ita ille Moral. lib.5. cap.27. Propterea ſpecus illa, quæ eſt apud Nemauſum Galliæ, è qua manat fons quidam mox lacum paruum efficiens, qui ſit profunditate inſcrutabili, vt Gregorius Bruin memorat in Nemauſo, indicat equidem, hominis cor ſpecum eſſe, cuius ſecreta inſcrutabilia ſunt: *prauum enim cor hominis & inſcrutabile*, vti iam diximus.

Cor hominis ſpelunca praua & inſcrutabilis.

PH. Vt bene memini, locus ille, vbi de Horeb ſpelunca agitur, non ſolum ſpiritum conterentem petras dicit, verum & ignem, & ſibilum, & auram addit, qua occaſione commemorare libet ſpeluncas compertas, emittentes ſpiritum, ſaxa, ignem ac ſibilum. Nam in Africa in monte Guazeual antrum eſt hiatu ampliſſimo, vnde perpetuus manat ignis tantum habens feruoris & efficaciæ, vt obuia quæque ilico abſumat. Leon. p.3.

EQ. Admiranda magis ſunt alia, quæ in Inſula Malucco comperta ſunt in ditione Regis Ternates Indici. Tantus in iis euaporat igneus ſpiritus, vt emittant lapides nihilo minores, quam ſint, quibus ad molendum vtimur, horrificumque ſonitum, quantus toto orbe comperiri queat, emittunt: quin ex ipſis intimis ipſorum antrorum viſceribus ingentes adeo fragores exaudiuntur propemodum, qualia ſunt tonitrua nubium, aut ingentium bombardarum ſonitus; ignis autem, qui euomitur, fuſcus atque ater eſt, cineri plurimo permixtus. Balthaſſar Diaz ex Malacca 1556.

PH. Non abſimile aliud narrat idem Balthaſſar eadem epiſtola. Inſula eſt proxima Tolo, cui cognomentum *Del moro*. Sunt in ea antra, quibus immenſitas & vis plurima eſt, ad Dei potentiam virtutemque indicandam, ex iis ſonitus fragorque non minor emittitur, quam ab ingentibus bombardis, adiecto tetro fumo, qui Solis radios caligine tanta offuſcet, vt videri Sol nulla ratione poſſit, æquata die ipſius noctis tenebris. Cinis quoque tantus inde eructatus adigere homines ait, vt nec

vt nec continenti, nec mari prope liceat vitam degere. Arbores deinde cinerum pondere abruptas, vix trunco permanente, nec quidem triennio fructum reddituras; domus quoque ipſas ruinam paſſas; aquas, cum prius dulces eſſent, in amaras verſas circumquaque; feras tum fame, tum tabe enecatas, aut cineribus tumulatas, velut ſepulchro: vnde ex tot iacturis liquido patet, quam magna ſint antra huiusmodi, quanta ſit eorum introrſus locorum dimenſitas latebroſa ac ſinuoſa, quantisque terrarum ſpatiis in longum ducantur.

TH. Sunt hæc ſummæ Dei iræ & indicia, & ſummæ poteſtatis veſtigia quædam. At aliud antrum eſt commemorandum, quod ad Dei benignitatem indicandam, ſimul & admirandam creatum eſt. Clemens enim Alexandrinus ſtromatum lib. 6. ſic habet: *Dicunt ii, qui conſcripſerunt hiſtorias, in Britannia Inſula eſſe quandam ſpeluncam monti ſubiectam, in faſtigio autem hiatum. Cum autem ventus incidit in ſpeluncam, & in foſſæ ſinu alliditur, audiri ſonum cymbalorum, quæ numeroſe pulſantur.* Hæc ille: non igitur procella, non ignis, non fumus, non cinis, non lapides, ſed iucundus ſonitus exauditur, vt ſic pietatem ſpirare antrum huiusmodi videatur.

PH. Non ita accipienda res hæc eſt, vt veri cymbalorum ſonitus audiantur, ſed quod cum è viſceribus antri ſpiritus aerque commouetur, per frequentes minimasque rimulas venticulus ille permeat, exſibilans, vt occultus lenisque ſonitus ſentiatur, velut per organorum muſicorum fiſtulas: capillamenta autem vel herbarum, vel feſtucarum, vel quarumcunque rerum ibi exiſtentium, aut naſcentium intra rimulas, dum aereo ſpiritui transeunti leuiter obſiſtunt, ſonum illum efficiunt leniorem. Cum vero non omnes rimulæ neque pari amplitudine, neque pari ſint rectitudine, aut longitudine, efficitur quidam ſonitus, quaſi diuerſorum numerorum: nam & in ſyluis ſæpe id contingit, & in domeſticis domibus in rimulis tectorum, & cubiculorum occluſorum; at maiores numeri in antris ſunt, quoniam concaua locorum & rotundiora ſunt, & omnes ſoni in vnum hiatum confluunt, vt ſic è diuerſis numeroſum quid audiatur, etiam periucundum. Nam vel ipſis ſacris literis hoc patet, 3. Reg. c. 19. Helias enim in oſtio ſpeluncæ Horeb audiit auram lenem ac tenuem, & ſibilum.

EQ. Arridet plurimum mihi hæc ratio: nam & Echo ipſa in valle aliqua, atque etiam in ſpeluncis in longiſſimum tractum porrectis tot vocibus reciprocat eundem ſonitum miro quodam modo, quot ſinus ſunt; quod etiam contingit in ampliſſimis ædibus humana arte exædificatis: cuiusmodi in Cyzico iuxta portam, quæ Thracia vocatur, turres ſeptem acceptas voces numeroſo repercuſſu multiplicant, qui locus etiam Echo appellatus eſt, vt tradit Plin. lib. 36. cap. 15. qui & natura locorum id euenire, & plerumque conuallium commemorat, ſicut etiam Olympię arte in porticu Heptaphon dicta, quoniam ſepties eadem vox redditur: ſicut etiam hodie Ticini celeberrimo omnium ſcientiarum Gymnaſio aula eſt omnium totius orbis ampliſſima, tot voces in ea redduntur, quot feneſtrarum ſpiracula. Echo igitur cum tot voces reddat, quot ſunt ſinus vel ſpiracula, non fuerit abſurdum fateri, in huiusmodi Britannico antro tot lenes auras, atque ex eis etiam ſonitus repercuſſione ſuaui audiri cymbalorum modo. At ſi magni ſint ſinus, & venti erumpant ingentes, non ſonitus, ſed fragores etiam mittentur, qui nimio impetu & ſurditatem, quin & mortem ipſam poſſint inferre, vt iam diſſeruimus. Ex his autem, quæ dicta ſunt, deprehendimus verum eſſe, ventos in arbores vi irrumpentes ſæpe ſibilos emittere, ob varios per ramos & folia meatus & tranſitus,

tus, vt colligere licet à Seneca natur. libr. 2. cap. 28. & dicemus in plantis.

PH. Ad antrorum & ſpeluncarum rationem pertinent hiatus terrę: nam quid aliud ſunt hiatus, quam ſubterraneæ præcipiteſque ſpecus? propterea & de eis diſſerere non fuerit importunum; in iis etiam commemoranda contigerunt. Nam exordiri libet ab illo, in quem ſe Curtius coniecit, de quo Liuius dec. 1. lib. ſeptimo. Eorum enim medium inſtar ſpecus collapſam humum in immenſam altitudinem ſcribit, eamque voraginem neq; coniectatione, cum per ſe quiſque gereręt, expleri potuiſſe, priuſquam Vates reſpondiſſent, tunc expleri poſſe, cum res optima in eam iniiceretur. Quamobrem M. Curtius phalerato equo inſidens, & ipſe ornatiſſimus ſeſe in eam iniecit patriæ ſalutis ſtudio motus, vt habet Liuius. Valer. etiam tit. de pietate erga patriam. Oroſius lib. 3. c. 5. & S. Aug. de Ciuit. Dei lib. 5. c. 18. Zonaras quoq; Tomo 2. Vnde non fabuloſum, ſed ſuperſtitioſum potius putandum eſt, ſicut aliis quoq; eisdem Ethnicorum temporibus contigiſſe tradit Liu. dec. 3. li. 10. *In agro enim* (inquit) *Veliterno terra ingentibus cauernis conſedit, arboreſq; in profundũ hauſtæ.* ſed & dec. 4. li. 2. *Terra* (inquit) *Velitris triũ iugerũ ſpatio cauerna ingenti deſederat.*

Soli hiatus qui?

Ob patriam mori decorum eſt.

TH. Si de hiatibus diſſerere in animo eſt, nullus mihi videtur æque commemorandus, quam is, quo abſorpti ſunt Dathan & Abiron. Num. 16. Cum enim defeciſſent ab optimo Dei duce Moyſe, ſtarentque in introitu papilionum ſuorum cum vxoribus, liberis, & plebium frequentia, dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum, deſcenderuntque viui in infernum operti humo, fueruntque ii numero non pauci, quanquam numerus iſtorum, qui abſorpti ſunt, percipi à ſcriptura non potuit; at fuiſſe perplures veriſimile eſt: qui enim adeo pauci potuiſſent ſe opponere tanto Duci Moyſi?

EQ. Non eſt adeo mirandum, quod referunt, attamen pretermittendum non eſt: in monaſterio enim magni Abbatis Theodoſii degebat Antonius quidam ieiuniis operam dans. Saraceni hunc in eremo aggreſſi ſunt, vt eum occiderent, ipſe vero patienter ferens orauit Dominum, ſtatimq; aperta eſt terra, & abſorbuit Saracenum inuadentem. Hæc Sophron. prat. ſpir. c. 99.

TH. Sunt hæc non naturę miracula, ſed Dei: nihil enim poteſt homini pernicioſius eſſe, quam ſummos ſpernere Pontifices, aut Epiſcopos, aut quoslibet etiam Dei ſeruos, quos ſpreuiſſe Deo eſt intuliſſe iniuriam, ſicut ipſe Dominus ait: *Qui vos ſpernit, me ſpernit.* Et alibi: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Non ergo mirum, ſi terra huiusmodi impios in hiatum abſorbeat.

Theologi præ cæteris multum honorandi.

EQ. Et perſonarum & eccleſiaſticarum rerum iniuria Deo præcipue videtur eſſe pluribus exemplis per hiatus vindicata: nam præter reliqua vltionum diuinarum genera, hiatu fuiſſe abſorptos alios etiam ingenti cum miraculo exempla alia ſuppetunt. Leo enim piiſſimus Imperator, liberata à dæmone filia, beneficii diuini memor Lugdunum aurea donaria plura miſerat. At aurifex quidam, & cum eo etiam munerum delator conſpirarunt, vt argentea eximie inaurata illorum loco offerrentur. Cum igitur lucro huiusmodi inhiaret vterque, exacta cœna, cum in cellula deprauando huiusmodi auro operam darent, disrupta terra ſub eorum pedibus eos ſimul cum propriis eorum pecuniis deglutiit, qui deſcenderent viuentes in infernum. Greg. Turon. lib. in glor. Confeſſ. 63. qui etiam donata huiusmodi in Lugdunenſi Eccleſia ſe vidiſſe commemorat: nam ea in hiatum terræ æquali miraculo minime fuerunt prolapſa.

TH. Peccatum quid aliud eſt, quam animarum hiatus? inhiabant illi lucro, hiatu abſorpti ſunt, idque alias ſæpe contigit. Roma enim ab Alarico capta Honorii Imperatoris tempore, multis locis terra hiatibus rupta, ſepulchrum incolis extemporaneum ſpontaneumque facta eſt. Niceph. lib. 13. cap. 36. Sub ipſo quoque Theodoſii Imperio, cum Antiochia terræ motu quaſſata eſſet, terra dehiſcens vicos frequenter abſorbuit. Niceph. lib. 14. c. 46.

At fateri oportet, quandoq; etiam hiatus fieri in ſanctitatis teſtimonium; cum etenim ſancti Martyres, Manuel, Samuel, Iſmael, Perſæ ſub impio Imperatore Conſtantio ob ſanctæ Trinitatis fidem decollatione iuxta fretum Calcedonicum mulctati fuiſſent, ac præterea iuſſu eius corpora comburenda forent, Dei miraculo protinus locus, in quo ſtabant, ſciſſus in duas partes eorum comprehendit corpora, vt ſalua conſeruarentur & illæſa. Metaph. 17. Iunii. Lipom. Tom. 6.

PH. Frequentius tamen ob culpas hominum hiatus huiusmodi fiunt: nam cum aliquando B. Ambroſius Romam proficiſceretur, atq; in Hetruria à prædiuite fuiſſet hoſpitio exceptus, iactabat ille diuitias, familiam, filios, ac proſpera omnia, nihilq; vnquam ſibi accidiſſe infeliciter. Id animaduertens Ambroſius diſceſſum accelerandum conſtituit, quod tanta proſperarum rerum affluentia exitum longe infeliciſſimum habitura foret. Hortatus igitur ſuos eſt, vt inde mox omnes ſecum abſcederent, ne iræ Dei furorem experirentur. Abeuntibus omnibus, mox hoſpes cum reliqua familia, domoq; omni hiatu patente abſorpti ſunt. Sane ingens argumentum gratiæ Dei trahitur à rebus aduerſis, ſicut auerſam eſſe Dei gratiam ex rebus ſemper ſecundis recte coniicere licet: propterea Bonſignorius Cacciaguerra Senenſis ſanctiſſimæ vitæ Presbyter cum de tribulatione perferenda libellum conſcriberet, vt perſuadeat, hanc D. Ambroſii hiſtoriam enarrat c. 4.

O fortuna vt nunquam perpetuo es bona!

Et ſane opulentia ac ſecundæ res, niſi timor Dei verus acceſſerit, infelices conſueuerunt exitus experiri, quod nullo prorſus exemplo adeo perſpicue apertum fit, quam memoria repetita de Policrate Samiorum Tyranno, cui nil concupitum, nil ſperatum vnquam fortuna negauit, adeo vt aliquando ei in mentem veniret experiri velle aliquod incommodum, ſi poſſet: eam ob rem gratum ſibi annulum in profundum maris abiecit, ſed inimica illi ſors effecit, vt captus piſcis, qui eum deuorauerat, ad ipſius Policratis culinam in obſonium deferretur; ex quo inuentus eſt annulus, ſed non diu poſt ille cruci affixus eſt, vti pluribus diximus alias. Efficit igitur id diuina vindicta, cui in promptu eſt, quando velit ſecundas in aduerſas res conuertere, non hiatibus tantum, ſed aliis quoq; modis: nam, vt quæ antea dicebamus in profundum puniendo conuertit, ita hic ex imis ad editiſſima loca ſupplicia ſubeunda decreuit; quandoque oppreſſione ſubitaria eadem animaduerſione proſpera quæque ſubuertit, vt ſic quæ formoſa eſſent ædificia, in antra conuerterentur horrenda, quod Hieroſolymis accidit, ac deinde etiam aliis vrbibus, inter quas aliquando etiam Roma fuit; ſic enim verba diuina teſtata ſunt Iſaiæ 32. *Obſtupeſcite opulentiæ, multitudo vrbis relicta eſt, tenebræ & palpatio factæ ſunt ſuper ſpeluncas vsque in æternum.* Propterea & in ſacris clauſtris Deo dicatis id aliquando accidit, vt egregia ſplendidaq; ædificia in antra horrida fuerint conuerſa ſubitaria ira Dei, quam ob delicias opesq; contempſiſſent. Cyrillus enim Hieroſolymitanus, vt eſt apud Auguſtinum Epiſtola 206. memorat, apud ſuperiorem Thebaidem ſuo tempore opulentum extitiſſe muliebre monaſterium, pulchritudine & excellentia decoratum, in quo ducentæ honeſtæ vitæ ſanctimoniales alerentur, ſed vnico laborabant

mulie-

mulieres illæ morbo, vt pecuniæ adminiculo ſocias intromitterent, quas cum ſanctiſſima quædam corriperet, ab eis deriſioni habebatur, quæ etiam aliquando imminere Dei vindictam conteſtabatur: ſed illæ nimia rerum affluentia elatæ, velut ſtultam irridebant; at illæ omnes tandem expertæ ſunt, nullam maiorem eſſe pœnam, quam non habere pœnam, vt Diuus ait Auguſtinus. Nam egrediente monaſterio duce Deo illa pia ſanctimoniali ab omnibus contempta, ſubito totum corruit monaſterium, omnes opprimens ſanctimoniales, vt nec vnica quidem ſuperfuerit: eadem Marulus ex Cyrillo lib.1. cap.7 atque ita ampliſſimum cœnobium in antra ſpeluncasque conuerſum eſt. Sancta enim loca, etiamſi integra ipſa permaneant, ob inhabitantium crimina antra ſpeluncæque nuncupantur, vel ipſo Chriſto Domino Iudice, Matth.21. Nam & Drahomira, Boemiæ Ducis nutrix, de qua alias egimus, quia Eccleſias Dei antra fecerat, Catholicis Sacerdotibus peremptis, in Eccleſiæ veſtibulo hiatu facto, ipſa cum curru, ac qui inerant omnibus abſorpta eſt, ſaluo & incolumi auriga Catholico viro, qui interim Eccleſiam fuerat ingreſſus adorandæ Euchariſtiæ cauſa, audito tintinnabuli ſigno, vt recolit Ioannes Dubrauius in vita S. Vicislai c.15 apud Surium Tom.7.

EQ. Hæc, quæ de hiatibus commemorata ſunt, non ad aliud ſpectant, quam ad repentinum & breui temporis interuallo perdurans miraculum: at de hiatu perpetuo egregia mentio facta eſt apud Procopium: narrat enim is Iuſtiniano imperante Græciam terræ motu fere vniuerſam fuiſſe concuſſam, perpetuosque hiatus apparuiſſe, qui etiam ad illa tempora, quo ſcribebantur, perdurabant, vti teſtatur Niceph.lib.17.c.13.

PH. Sunt & hoc noſtro ſeculo immenſi quidam hiatus: nam & Veſuuius Campaniæ mons, quamquam aliquando conflagraſſe memoretur, tamen pluribus annis quieſcens viſus eſt, voragoque ac hiatus in ſummo eius vertice tantus eſt, vt nullo ingenio nullaque arte ſcrutabilis ſit, patet ampliſſimo cratere.

EQ. Hiatus, qui ignem nunquam miſiſſe produntur, nuper comperti ſunt immenſi in Boreali regione ſupra Arcticum: tanta enim profunditate viſuntur in Meta regione nuper comperta nauigatione Anglicana, vt nec fons, nec fluuius ibi fluat, occultis meatibus aquis omnibus abſorptis. Tantum enim ibi aquarum eſt, quantum niuibus liquatis habere licet. Hæc Ananias ſcribit 1577. At ignem mittens hiatus ampliſſimus eſt ille hiatus, vnde Æthnæ ignes euomuntur, habet ampliſſimum craterem patentem ambitu bis mill. paſſ. & eo amplius. In medio perpetua quædam euaporatio ſemper manat, vt ſpiritus ille maxima vi erumpens nihil iniectum poſſit admittere, ſed reſilit quidquid iniicitur obnitente ſpiritu. Leander.

PH. Vt autem de hiatibus nonnulla alia, quæ obtigerunt, recenſeamus; in Achaia duæ vrbes hiatu abſorptæ memorantur ab Oroſio lib.3.c.3. ſed ille inſignior fuit, quando Agrippina Claudii Neronis Imperatoris vxor Coloniæ, quę tum Vibiorum vrbs nuncupabatur, degebat: prius enim quam inde abiret, in ipſa vrbe agroq; magnis hiatibus tellus aperta eſt, ignemq; emittebat, qui neque aquis, neque humore reſtingui poterat, ſaxis autem & pannis tantummodo opprimebatur. Fulgoſius lib.1. Quandoq; cum terræ motu hiatus accidit, quod accidiſſe memorant in Meſopotamia: patuit enim ad bis mille paſſus, & egeſta quædam humus eſt candida & arenoſa ex imo; prodiiſſe autem inde tradunt mulum incolumem. Vincent. hiſtor.lib.20. c.156. anno Domini 739. Theophanes apud Anaſtaſium Bibliotheca-

rium anno Domini 739. qui adiicit montanas vrbes ad ſex millia paſſuum in campeſtria deſcendiſſe; & muris integris, etiam habitatores incolumes permanſiſſe. Alio quoque loco anno Domini 734. idem Theophanes tradit, in eremo Sabę hiatu repentino caſtella quædam fuiſſe abſorpta.

At Nicephorus hiſtor. libro decimo ſeptimo, capite decimo tertio memorat, Pompeiopolim Ciliciæ hiatu cum incolis abſorptam fuiſſe, quo etiam loco ait, hiatum quendam mox rurſum coiiſſe. Quandoque aliter accidit. Nam ex terræmotu decimo quinto Kalendas Maii haud procul à Cluniaco caſtrum quoddam abſorptum eſt, abiitque in abyſſum, ambitusque vniuerſus eius aqua in ſummum vsque ſolum repletus eſt, lacus perpetuus factus incredibilis profunditatis. Rob. Mont. anno Domini 1156. Hiatu quodam in Saxonia villa quædam longe diſtans à fluminibus, torrentibus ac ſtagnis, momento cum belluis omnibus, arboribus, ædificiis, incolis, cum ipſa quoque Eccleſia & altari, penitus abſorpta eſt, nullo relicto veteris loci veſtigio. Anton. tit. decimo ſexto, capite ſecundo, §. tertio. Oroſius memorat hiatum in agro Calenæ libro quarto, capite quarto. In Veliterno autem agro, hiatu hauſtis in profundum arboribus, poſtea terra ipſa conſedit. Liu. dec. 3. lib. 10. Sed de hiatibus hactenus.

TH. Eſt & alius hiatus profundiſſimus, ſiue nuncupare velimus antrum celebratiſſimum in Hybernia, de quo meminiſſe libet, antequam hinc abeamus. Cum ſanctus Patritius prædicaret Hybernis, nec eos per miracula, neque per comminationem futurarum pœnarum, nec per promiſſa cœleſtium gaudiorum poſſet conuertere, Deus per eius preces locum indicauit mirabili hiatu ac profunditate inſcrutabili, per quem in purgatorium deſcenditur, quin & purgatorium ſancti Patritii vulgo nuncupatur. Deſcendere in illud plurimi, alii quidem numquam redeuntes, alii redeuntes admiranda, quæ illis contigerunt, de pœnarum acerbitatibus à ſe viſis tradiderunt, inter hos præcipuus Agneius miles. De quibus rebus, atque aliis pluribus libello quodam præcipuo actum eſt, vti partem ex eo recenſet Dionyſius Carthuſianus de quatuor nouiſſimis artic. 48. Sed ante illum ſcripſit de eodem Vincentius hiſtor. libro vigeſimo, capite quinquageſimo quarto; appellari autem purgatorium Diui Patritii memorat Albertus Krantzius Dan. lib. 2. c. 24.

Purgatorium D. Patritii in Hybernia ſitum.

EQ. Liberet recolere hiatus alios, niſi nox ingrueret, quos poſtea in montibus memorandis opportunitas ad recenſendum inuitabit.

MONTES

COLLOQVIVM DECIMVMSEXTVM.

PHILOSOPHVS.

VNde hæc tanta niuis copia huc allata eſt, & qua arte iis canicularibus diebus circumferri ac ſeruari poteſt?

EQ. Ab editioribus quibusdam montibus, qui hinc abſunt millibus paſſuum quinquaginta: commode autem ad nos fertur nocte, ne ardore Solis liquetur, paleis quoque obuoluitur, iisdemque obuoluta ſeruatur diutius in profunda quadam hic proxima ſpecu, in eum vſum, qui hoſpitibus meis videbitur commodior.

PH. Sed

PH. Sed cui vſui vnquã apta eſſe poteſt nix, aut glacies bene habentibus, ſiue etiam valetudinariis hoc tempore? Nihil enim aliud mihi videntur agere, qui poculis niuem, aut glaciem infundunt, quam ebibere mortis portiunculã: quæ poſtea tota atq; integra breui futura eſt, quando iam tandem ad ſummum increuerit ob noxium illum vſum, vnde caloris imbecillitas fit, imo virtus tota exhauritur; calorque ipſe totus frigore opprimitur.

EQ. Ego equidem non puto vnquam præfrigida pocula homini prodeſſe vlla ratione poſſe: quandoquidem Pomponius Lætus vir doctiſſimus ac conſtantiſſimi animi ac frugalis vitæ, ſeptuagenarius exceſſit è vita, quum gelidiſſimo vini potu ventriculi calorem oppreſſiſſet, vt Iouius commemorat Elog. 40. *Frigida pocula noxia valdè.*

TH. Id genus poculi ſemper damnauere, quotquot longæuitate vitæ, & incolumitate valere cognoui. Nam ſi quodcunque excellens ſenſibile corrumpit ſenſum, neceſſario futurum illud eſt, vt huiusmodi gelidis poculis vis tota ſenſuum obruatur. Si etenim poſt Pomponium Lætum etiam Petrus Crinitus in Petri Martelli villa per luſum frigida perfuſus occubuit, vt idem Iouius habet Elog. 45. quomodo non longe leuius occumbendum eſt ei, qui gelido potu inteſtina omnia perluat?

PH. Fateor tamen cum Galeni ſententia mali ſucci cibos æſtiuo tempore niue prius refrigerandos, vinum quoq; eodem modo refrigerandum conducere iis, quorum implicita negotiis vita eſt, vt ſunt, qui populos regunt, & vrbes gubernãt, ac multo etiam magis eorum miniſtris: nec minus etiam, qui rem militarem tractant, quique longa itinera ingrediuntur: at non ita iis, qui ab huiusmodi negotiis liberi ſunt; nam niue abſtinendum illis eſt. Etſi enim ſtatim iuuenilibus corporib. nix nihil noxium afferre videatur, quod quidem ſenſu percipi queat, tamen paulatim increſcente noxa, inclinata progreſſu temporis ætate, morbos facit in articulis, neruis ac viſceribus, qui vix, aut ne vix quidem curari poſſint. Galen. de cibis boni & mali ſucci, cap. 13.

EQ. Recte ſane: propterea ſæpe peruolui opuſculum eruditiſſimum Antonii Perſii viri pii, quo priſcorum hominum vſum fuiſſe perſpicuum facit, ſemper calidam potionem menſis fuiſſe adhibitam ſeruandæ incolumitatis cauſa. At hodie qui fieri poteſt, vt vſus conuertatur etiamſi ſit noxius? ſemper enim noxia appetuntur magis. Viſui tamẽ periucunda eſt glacies, aut nix in æſtu hoc maximo: quin & tacta ſolet oblectare, ac apprehenſione ſenſuum, aut etiam ſanguini refrigerationem quandam inferre: ſed ſi libet, vt ſaltem procul eam contemplemur, ex editiore domus huius parte, vbi conſedendi & ratiocinandi percommodum locum præbet nobis prælongum, quod ibi eſt picturis exornatum, ambulacrum: inde erit nobis ad diſſerendum occaſio argumenti. En quomodo caneſcunt hoc caniculæ tempore illorum montium cacumina, quã mira illis eſt altitudo, propterea perpetuæ ibi niues. *Calida pro ſunt valetudini.*

TH. Legi tamen pluribus orbis locis perpetuas eſſe in montium cacuminibus niues, nullo æſtu liquari penitus poſſe, nec æſtate tantum, verum nec igne erumpente, vt in Æthna patet, qui perpetuas habet niues, igni mixtas. Solin. cap. decimo. At vero præcipue in Aquilonari plaga montes ſemper niues habent, vti Olaus Magnus ſcriptum reliquit. In Germania enim prouincia adiacentibus quibusdam æſtiuo ſolſtitio niues durare ad nauigantium ſummum commodum tradit. Both- *Montes niuales perpetuo durantes.*

nico etenim mari errantium duces ſunt hi montes: procul enim conſpecti itinera quaſi digito monſtrant. Ita ille lib.2.cap.4.

EQ. Id vere ita ſe habet, illos montes eſſe itinerum duces, dum proſpectantur; at non licet propius ad eos accedere ſine ſummo diſcrimine, non aliter atque Sylla & Charybdis accedentibus exitium adferunt. In ipſis enim illorum montium radicibus antra ſunt mirum in modum latebroſa, ex iisque tantus ventorum exhalantium erumpit fragor, vt accedente repentino metu aut interimantur, aut plurimos ad dies obſtupefacti præ capitis dolore ſenſuum vigore deſtituantur. Euomunt antra illa plurimam fluminum more aquam, qua vomitione nauigia ſæpe obruta demerguntur. Effecit igitur prouida rerum omnium parens natura, vt iis montibus bene vtantur nautæ ad itinera capeſſenda: effecit vero melius, vt fremitu edocti longe ante à diſcriminibus ſibi caueant. Hæc ex Olao eodem capite.

PH. In illo igitur Septentrionali cœlo frequentiſſimi ſunt montes perpetuis niuibus, tum ob altitudinem, tum ob locorum algorem, tum ob noctes ſemeſtres, vnde liquandi niues nulla vis poſſe videatur. In Iſlandia autem tametſi perpetuis niuibus contegantur montes, attamen (quod eſt admirandum) ima eorum ignib. flagrant; exuruntur q;, & in cinerem plurimum vertuntur, adeo vt ad incognitas voragines cinere opertas accedentibus extremam perniciem afferant; quandoquidem incauti viui abſorbentur. Olaus lib.2.cap.2. Cui fidem augent verba Saxonis Grammatici: *In Islandia* (inquit) *mons eſt Hagle (alii Echla) qui rupem ſydeream perpetuæ flagrationis æſtibus imitatus incendia ſempiterna iugi flammarum eructatione continuat: cuius rei admiratio eſt, cum tellus extremis ſubiecta frigoribus tanti caloris fometis exuberet, vt ignium perennitatem arcanis inſtruat nutrimentis, cæterumque fouendis ardoribus præbeat incentiuum.* Hæc Saxo in præfatione Danicæ hiſtoriæ. Paulo autem explicatius id memorat Olaus & Surius: Olaus enim lib.2.c 3. egerere plurimum cinerem teſtatur, abundareque voraginibus ignitis, quibus homines incauti abſorbeantur: mortuorum quoque hominum ſpecies viuis apparere. At diſertioribus verbis enarrat Surius in Commentario anno Domini 1537. *In Iſlandia* (inquit) *Inſula (quæ in Oceano ſita æſtiuo ſolſtitio noctem nullam, brumali nullam diem habet) mons eſt Occidentem verſus, Hecla dictus, à quo non longe abſunt fodinæ ſulphuris, quod inde copioſiſſime plenis nauibus euehitur. Mons ille cum furit, haud ſecus atq; horrenda tonitrua inſonat, proiicit ingentia ſaxa, ſulphur euomit, cineribus egeſtis, terra circumcirca tam longe operit, vt ad vigeſimum lapidem, vel milliare coli non poſſit. Sunt ibi multæ voragines ita cineribus opertæ, vt vix euitari poſſint ab illis, qui, vt eius incendii naturam explorent, propius montem accedunt; è quibus pleriq; viui à voraginibus abſorbentur. Emergit illic ignis quidam, qui aquam abſumit; ſtuppam non abſumit.* Hæc ille.

Hagle mõs perpetuo ardens.

EQ. Æque memorabiles ſunt Doffrinii montes in regione Suetia, quibus perpetuæ niues in tantam amplitudinem ſunt, etiam æſtiuo tempore, vt cum è ſummo vertice auicula vel partem tantillam niuis loco mouerit, eaque deorſum præceps ſemper rotata in pilæ modum deſcendat vsque ad imum montis, augeatur in adeo grandem molem, vt domos, turres, vicosq; ſuo pondere oppreſſerit ac deſtruxerit: idque eueniſſe tradit Olaus lib.3.cap.13.

PH. Non adeo eſt admirandum, Aquilonari cœlo tantam eſſe niuium copiam, ſed magis commemorandum videtur, quod in Africa non longe à torridazona niues comperiantur perpetuis anni temporibus: Iouius id tradit lib.18.

De ortu

De ortu (inquit) *Nili longa percunctatione reperiebamus in regno Gogiano, quod à Saùano ad Antarticum extenditur, eſſe immenſam altiſſimorum montium congeriem Caucaſo & Athlante, hisque noſtris Europæ Alpibus multo celſiorem. Iuga eius perpetuis obſeſſa niuibus, geluq; rigentia nubibus ſe inſerere, & cœlum fulcire videntur.* Hæc ille.

EQ. Sed & promontoria, quæ mari proxima ſunt, mirum quoque eſt niuibus obtecta reperiri: ſcriptum enim eſt ab illis, qui Magelanicum fretum permearunt, littora ibi maritima, licet ſint infra Antarticum, nihilominus habere promontoria, quæ perpetuis niuibus albeſcant: id tradidit ex eorum ſcriptis Petr. Hiſp. p. 5. cap. 17.

PH. Et in Orientis plaga huiusmodi montes ſunt: nam Argeus mons prope Taurum omnium altiſſimus cenſetur: vertex eius nullo anni tempore niuibus caret, Strabone teſte, lib. 12. Caucaſi quoque verticibus præ reliquis totius orbis partibus niues toto anno patent: præcipueque in Corzena & Cambiſena, vt tradit Strabo lib. 11.

EQ. Ita fit, vt omnium orbis regionum pars aliqua niues habeat perpetuas, vt ita niuium toto orbe micet candor, ſicut toto orbe montes excelſi commemorantur.

PH. Non hoc conſequens eſt, vt ſemper montium altitudini niues reſpondeant: nam ſi de Olympo monte proloqui libeat, is omnium excelſiſſimus traditur, nix tamen nulla ibi vnquam viſitur: vt enim Noe diluuii magnitudo exprimatur, Olympum ſuperaſſe cubitis pluribus commemorant, vt altiſſimum præ cæteris indicent. Solinus itaque de illo monte ſic habet: *Olympus* (inquit) *mons excellenti vertice tantus attollitur, vt ſumma eius cœlum accolæ vocent. Ara eſt in cacumine, cuius altaribus ſi qua inferuntur, nec difflantur ventoſis ſpiritibus, nec pluuiis diluuntur: ſed voluente anno altero, cuiusmodi relicta fuerint, eiusmodi reperiuntur, & omnibus tempeſtatibus ac corruptelis aurarum vindicatur, quidquid ibi ſemel eſt conſecratum: literæ in cinerem ſcriptæ ad alteram anni ceremoniam permanent.* Hæc ille. vnde perſpicue patet, nullam ibi niuium partem eſſe, nec hyeme quidem.

Olympus mons Macedoniæ niue caret ſemper.

TH. Iſidorus id quoquè ſenſiſſe videtur; in excellenti enim Olympi Macedonici montis vertice nec nubes, nec ventos ſentiri tradit lib. 14. cap. 4. At ante Iſidorum S. Auguſtinus pluribus id locis conſcripſerat. Et quamquam iam alias ab ipſo locos citauimus aliquot, libet tamen idipſum pluribus hoc loco de ipſo monte recenſere; libro igitur primo de Geneſi contra Manichæos cap. 15. ſic habet: *Mons ille Macedoniæ, qui Olympus vocatur, tantæ altitudinis eſſe dicitur, vt in eius cacumine nec ventus ſentiatur, nec nubes ſe colligant, quia excedit altitudine ſua totum iſtum aerem humidum, in quo aues degunt, & ideo nec ibi aues volare aſſeuerantur: quod ab eis perceptum dicitur, qui per ſingulos annos ſolebant, neſcio quorum ſacrificiorum cauſa, memorati montis cacumen ſcādere, & aliquas notas in puluere ſcribere, quas alio anno integras inueniebant: quod fieri non poſſet, ſi ventum aut pluuiam locus ille pateretur. Deinde quia tenuitas aeris illius, qui ibi eſt, non eos inſpirabat, durare ibi non poterant, niſi ſpongias humectatas naribus applicarent, vnde craſſiorem & conſuetum ſpiritum ducerent. Hi ergo indicauerunt, ſe etiam nullam auem in eo loco aliquando vidiſſe.* Hæc ibi, quę recolit etiam Bocatius. Sed & in libro de Geneſi ad literam imperfecto cap. 14. *Ventus* (inquit) *nullus eſt in vertice Olympi montis, qui ſpatia huius humidi aeris excedere dicitur: quadam literæ in puluere ſolere fieri perhibentur, & poſt annum integræ atque illæſæ inueniri ab iis, qui ſolemniter memoratum montem aſcendebant.* Quin etiam libro de Geneſi ad litteram tertio, c. 2.

Perhibe-

Perhibetur (inquit) *in Olympi vertice aer eſſe tam tenuis, vt neque nubibus obumbretur, neque turbetur vento, neque ſuſtentare alites poßit, neque ipſos qui forte aſcenderint, homines craßioris auræ ſpiritu alere, ſicut in iſto aere conſueuerunt; & tamen & ipſe aer eſt, vnde aquis vicina qualitate diffunditur: & propterea ipſe quoque in humidam naturam conuerſus diluuii tempore creditur.* Hactenus ille: eum igitur apertiſſime liquet eſſe montem cæteris omnibus celſiorem, neque in eo niues vnquam videri potuiſſe, cum nec vmquam pluuiæ: niſi quod diluuii tempore aquæ ſuper illum creuerunt, ſic teſtãte ipſa Scriptura, & ipſo Auguſtino quæſtionum ſupra Geneſim lib.1.c.10.& de ciuit. Dei lib.15.cap.17.

EQ. Ego non facile ex his credo Plutarcho in Æmilio Paulo, qui tradit Olympum hunc montem decem tantum ſtadiorum eſſe altitudine, cum habeamus, repertos fuiſſe montes paſſuum millia quinquaginta in altum aſſurgere: ac præterea nubes quantum aſcendunt inſcrutabile eſt, Plinio teſte. Attamen quæ à Solino commemorata ſunt, fabuloſa fuiſſe tradit Franciſcus Philelphus; affirmat enim ſe Olympum montem aſcendiſſe, vt rem tantam exploraret. Sed ex ea re ſanctiſſimi, doctiſſimique patris S. Auguſtini ſententiæ nihil derogatum videri putandum eſt, cum aliorum relatu, ac præcipue Græcorum ea de Olympo monte commemorauerit: niſi (ac forte melius) velimus aſſerere, Philelphum alium penitus montem, non Olympum celebratiſſimum conſcendiſſe: aut, cum quatuor Olympi montes commemorentur Straboni, Bocatio & Manutio, in Macedonia, Peloponneſo, in Aſia & Ægypto, vt Xenophon in æquiuocis tradit, quod & Leander in Latio, alium quidem Philelphus explorauerit, non illum, de quo tot celebres viri tradiderunt, vt hinc etiam refellatur Ludouic. Viues in Scholio ad Auguſtinum de ciuit. Dei ad lib.15.c.17. vbi hæc, quæ de Olympo conſcripta ſunt monte, fabuloſa aſſerere auſus eſt.

Athos mõs. PH. Auguſtini ſequor ſententiam, ſed progrediamur ad alios ob altitudinem montes commemorandos. Pomponius Mela lib.2. cap.1. ſic habet: *Athos mons eſt adeo elatus, vt credatur altius etiam, quam vnde imbres cadunt, ſurgere: capit opinio fidem, quia de aris, quas in vertice ſuſtinet, non abſoluitur cinis; ſed quo relinquitur aggere, manet.* Et mox: *In ſummo montis huius fuit oppidum Acrohaton, in quo, vt ferunt, dimidio longior, quam in aliis terris ætas habitantium erat.*

EQ. Non admodum abſimilia ſunt Solini verba de hoc monte; capite enim 16. ſic habet: *Oppidum Myrina eſt, in cuius forum mons Athos è Macedonia vmbram iacit, quod non fruſtra inter miracula notauerunt, cum Athos à Lemno ſex & octuaginta millib. paſſ. ſeparetur. Eſt ſane Athos ſublimis adeo, vt altior æſtimetur, quam vnde imbres cadunt: quæ opinio eo fidem concepit, quod in aris, quas cacumine ſuſtinet, nunquam cineres eluuntur, nec quidquam ex aggeribus ſuis perdunt, ſed quo relicti fuerint cumulo, permanent. In ſummo oppidum Acrotho fuit, in quo dimidio longior, quam in aliis terris incolentium ætas prorogabatur. Ideo inde homines Macrobios Græci, noſtri appellauere longæuos.* Hæc ille. Fuerat hic Athos prius promontorium, poſtea à Xerxe à continenti abſciſſus fuit, vt tradit Plinius lib.4.cap.10. Eum autem iaculari vmbram in Myrinam probat & Plin. lib. 4.cap.12. Erit igitur eadem fides adhibenda auctoribus de Atho monte, quæ & de Olympo.

PH. Montes alii ſunt inſigni altitudine. Caſius enim, vt Solin. tradit c.37. in Seleucia mons eſt Antiochiæ proximus, cuius è vertice vigilia adhuc quarta conſpicitur globus Solis, & breui corporis circumacta radiis caliginem diſſipantibus, illinc

illinc nox, hinc dies cernitur. Talis è Caſio ſpecula eſt, vt lucere prius videas, quàm auſpicetur dies, quibus & Plinius plurimum accedit his verbis: *Caſii excelſa altitudo quarta vigilia Orientem per tenebras Solem aſpicit, breui circumacti corporis diem, noctemq; pariter oſtendens: ambitus ad cacumen 19. mill. paſſ. eſt: altitudo per directum 4.* Ita ille lib. 5. c. 22. Eadem Bocatius.

TH. Altitudinem huius longe mihi videntur excedere montes Noruegię, nec enim breuiore temporis interuallo in verticem licet aſcendere; quam toto quatriduo; neq; erit deſcenſus breuiore, quam etiam quatriduo: ita enim tradit Olaus lib. 2. c. 2. vt ſic breuiſſimæ altitudinis habita ratione, non ſurgant longo itinerum tractu minus, quam quadraginta paſſuum millibus.

PH. Ad hos proxime accedunt, aut forſan iidem ſunt, quos Plinius commemorat lib. 2. c. 65. Scribit enim ſe non ignorare quoſdam Alpium vertices eſſe lõgo tractu, nec breuiore quinquaginta millibus paſſuum aſſurgere, ſed cum id ſit ex vorticoſis itineribus ac ſinibus, non adeo altitudo dignoſcitur perpendicularis, vti de Caſio diximus. Verum de monte, cui nomen Pelioro, idem Plinius tradit Dicæarchum virum in primis eruditum Regum cura permenſum montes fuiſſe, atque ex iis altiſſimum prodidiſſe Pelion, hunc M. C C L. paſſuum, ratione perpendiculi; ita ille lib. 2. cap. 65. In eius autem vertice & piceas, & quercus videri affirmat Bocatius.

EQ. Ex iis, quos cõmemorauimus, vt video vix alius excelſior eſſe videtur, aut ſaltem rectius attolli, quam is, qui in Inſula Teneriffa conſpicitur inter Fortunas mons erectus pyramidali forma, ignesq; è ſummo vertice vomit, nec breuiore dimenſione eius altitudo conſpicitur leucarum Portugalenſium quindecim, noſtrorum vero milliariorum ſexaginta: cumque perpetuo ardeat, conſpicitur nauigantibus adeo procul, vt vsq; ad ducenta millia paſſuum internoſcatur. Aloyſ. Cadam. Quibus accedit, conſentitque Franciſcus Rodriguez Ieſuita anno Domini 1556. & Surius anno Domini 1500. qui nominatim Teneriffam nuncupat. Cœlo eam ſereno longiſſime conſpici tradit, ob miram altitudinem. Adamantina ex petra mõtem inſtar pyramidis acuminatum eſſe tradit, qui perinde vt Æthna mons in Sicilia perpetuos vomit ignes: quin qui eum montem, eiusq; petram metiti ſunt, non dubitant affirmare à terra ad ſummum vsq; verticem ad octo, vel nouem obtinere milliaria Germanica. Vnde ſi non admodum videatur adhærendum ei altitudini, quam Cadamuſtius ſcripſit, ſaltem huic, quam Surius habe[illegible] li poſſit; quæ etiã nihilominus admiratione digna eſt: propterea auſim dicere Ariſtotelem de admir. cap. 35. ex Hannone Carthaginenſi meminiſſe eius montis, cum dixit extra Herculis columnas ſemper etiam interdiu quoſdam ignes ſplendeſcere.

PH. Si vera hæc ſunt, licebit fidem adhibere Columbo atteſtanti in prouincia noui orbis Beragua montes eſſe, qui altitudine excedant quinquaginta paſſuum millia. Petr. Mart. ſumm. Ind. Ita quoq; fides adhiberi poterit Polo, qui in prouincia Orientalis Indiæ Cardandam montes extare adeo altos ſcribit, vt vix triduo in valles deſcendere quiſquam poſſit. Hæc ille lib. 2. cap 43. Fateri tamen oportet huiusmodi paſſuum millia non eſſe metienda diametro, ſed viarum vorticibus. Nam quandoque adeo vorticoſi comperti ſunt, vt errare, vagarique itineribus viatores adeo in magnum modum cogantur; vt perpauci, qui aſcenderint, redire comperiantur. In Armenia is mons eſt, cui Noe nomen eſt impoſitum, eſt fere inacceſſibilis, viatores ſæpe errantes nimio labore deficiunt: in quo illud quoq; adnotandum eſt, à

Noe mons niuibus vſque ſcatẽs.

eſt, à ſummo in imum vsque eum eſſe prorſus obtectum niuibus. Ambroſ. Cantar. c.3. Oderic. lib.1. in princ.

EQ. Non erit ergo à fide alienum, quod de Arabico monte tradunt. Situs ille eſt in felici Arabia, editus ad ſeptem paſſuum millia anguſto colle, vt vix duo valeant vna proficiſci: in eius ſummo ampla vrbs eſt plano campo ſita, cui nomen Abnacharana: tanta loci eſt fertilitas, ſumma illa planicie verticis, vt vrbi ſufficiat: eſtque ibi admiranda ciſterna colligendis pluuialibus aquis, omnium enim aquarum reliquarum prorſus penuria eſt, quæ centum millib. hominum ſufficere poſſit. Eo loci aſſeruatur Regius theſaurus Sultani, quo onerari auro poſſent cameli centum. Extat & incredibilis aeris temperies, cum frugum, quam diximus, copia ſit tanta, vt homines ibi degentes perinde ac in Europa cutem habeant candidam. Lud. Barth. in rebus Arab. fel. lib.2. cap 8. Quamobrem non recte putant, qui omnium montium altiſſimorũ cacumina magno rigere frigore putant; nam in Zeilam Inſula altiſſimus mons eſt, in cuius ſummo vertice peramœnus ac perlucidus lacus eſt. Odoard. Barboſ. Quin in regno Balaxiam Perſidis montes adeo in altum exurgunt, vt vnica die conſcendi non poſſint: attamen in ſummo campeſtria adeo plana ſunt, vt amœnitatem quamlibet ſuperent herbis virentibus, fructiferisque arborib. redundent, ſcatẽtibus quaqua verſus puriſſimis fontibus, cœlo nihil prorſus rigente. Quin & arietes ſylueſtres gregatim paſcuntur, vna conuenientes vsq; ad 500. Marc. Pol. lib.1. c.25. Sed & mons Pallene cum altiſſimus ſit, ſummo vertice peramœnus eſt, agroq; adeo fœcundo & lato, vt planicies campusq; ſit tantus, vt quinque vrbium ſit ſedes, id Bocatius tradit.

TH. Contra comperti ſunt montes Æthiopici, qui adeo præruptis lateribus quaqua verſus ſunt ab imo ad ſummum verticem parietum modo, vt ſi non admiraberis amœnitatem, aut virentium arborum ornatum, admiraberis tamen tãtam in altitudinem exciſum montem ferro: nam multis diebus totus circumiri non poteſt: altitudo ſuperat hominis obtutum, excedit enim alicubi nouem, alicubi duodecim, alicubi quindecim millia paſſuum. In eo, velut in receſſu, educantur liberi Pretoiannis. Aluarez rerum Æthiop. cap. 58. & 64. qui etiam recolit vidiſſe ſe in Æthiopia, loco, cui Maluæ nomen eſt, montem ferro vndiq; præciſum, nullis herbis aut frondibus vireſcere, altiſſimumque eſſe: & quod admirabile eſt, verticis latitudo tanta eſt, quanta eſt in ipſis montis radicibus, vt ita ingentem turrim vno ſaxo extructam videas. Extat in ſummo ingẽs monaſterium. Aluarez. rer. Æthiop. cap.62. Ita fit, vt ſalubri cœlo in vertice ibi vitam degant: contra id, quod tradunt in Æthiopica prouincia Fatigar iuxta regnum Adel, in cuius ſummo campi eſt vallis quædam, quam quisquis ingreditur, quarto, ad ſummum quinto die febre extinguitur. Aluarez rerum Æthiop. cap.118.

Æthiopia imprimis montibus admiranda regio.

EQ. Æthiopia vt rebus omnibus admiranda eſt, ita montibus præcipue: nam in Temei Æthiopica prouincia montes pyramidum modo recti, altiſſimique vt nubes excedant, ſibi plurimi veluti arbores conſiti, aut velut turres exædificatæ, proximi inuicem conſpiciuntur eodem ordine; quorum radices paruum ambitum complectuntur, vt neſcias, an natura an ars adeo altos montes effecerit, adeoque exiles. Aluarez rerum Æthiop. cap. 35. Sed de altitudine montium hactenus.

TH. Ego poſthæc ſemper admiratus ſum, cur ignes montium vertices petant erupturi, cum exhalare facilius, breuioreq; via poſſint in conuallibus finibusq;.

EQ. Et

EQ. Et de hoc optarim audire, quid ſentiendum: at interim, dum altitudo & amplitudo montium pertractata eſt, optarim noſſe, qui fiat, vt cacumina montium adeo in altum porrigi poſſint, quaſi terram deſerere minentur; numquam tamen (quoad Antipodes nobis loquor) aut cadant, & cum illis terra quoque ipſa tanta mole, tantoq; pondere ſuſtineatur, nullam in partem cadēs aut vergens.

PH. Iam quæſtioni reſponderat olim Plin. lib. 2. c. 65 his verbis: *Miraculum exoritur, terram pendere ipſam, ac non cadere nobiſcum; ſed ſicut ignium ſedes non eſt niſi in ignibus, aquarū, niſi in aquis, ſpiritus, niſi in ſpiritu, ita terræ, arcentibus cunctis, niſi in ſe locus non eſt.* Hæc ille, atq; ita fit, vt non vnum tantum ſit in hac re terræ miraculum, ſed plura; primū, quod maneat, quod aquas non verſet, quod ipſa aquis regatur, quod & ipſæ aquæ à terra regantur; quod omnia animantia, quotquot ſunt, ſiue in polo, ſiue ſub polo, ſiue quaq; parte ſint Antipodes, omnia dico animantia ſemper ſurſum ſe habeant, ſicut etiam plantæ.

TH. Hanc ratiocinationem Plinii diſertiſſimo, fuſioreque ſermone expreſſit S. Baſilius exemero hom. 1. *Latitudini* (inquit) *terræ ſi aerem ſubſtratum dixeris, dubius hærebis, quomodo molis, & multum inanis natura renitatur præ tanta grauitate compreſſa, & non dilabatur vndequaq; confidentiam effugiens, & ſemper ſurſum ſe diffundens ſuper id, quod ipſam comprimit. Rurſum, ſi tecum ſtatueris aquam eſſe, quod terræ ſubiectum eſt, etiam ſic inquires: Quomodo graue & denſum non ſubit aquam, ſed ab imbecilliore natura id, quod in tantum grauitate excellit, ſuperatur ac tenetur? Vltra hoc, quod etiam ipſius aquæ baſim inueſtigabis, & rurſum dubitabis, cui nam ſolido ac renitenti vltimum ipſius fundum incumbat: ſi vero aliud corpus terra grauius ac ſolidius ſtatueris impedire terram, ne ad inferna procedat, occurret animo tuo etiam illud, quod ſimili quopiam etiam id opus habet, quod ipſum ſuſtineat, & corruere non ſinat.* Et mox: *Si quando in Pſalmis audieris: Ego firmaui columnas eius, vim cōtentiuam ipſius columnas dictas eſſe puta. Nam ſuper maria fundauit ipſam, quid ſignificat, quam aquæ naturam vndequaq; terræ circumfuſam eſſe? Quomodo igitur fluxilis exiſtens aqua, & in decliue ferri ſolita manet ſublimis & ſuſpenſa, & nuſquam defluēs? Tu vero non conſideras, quod eadem, aut etiam ampliorem hæſitationem rationi exhibet terra per ſe pendens, grauior natura exiſtens. Verum neceſſe eſt, ſiue terram per ſe ipſam eſſe demus, ſiue ſuper aquas ipſam fluctuare dicamus, nuſquam à pia intelligentia recedere, ſed omnia ſimul potentia conditoris contineri, confiteri. Ob hæc igitur oportet dicere, & quemq; ſibi ipſi, & percunctantib. nos: ſuper quæ re ingens hoc, & intolerabile terræ pondus firmatum eſt, quod in manu Dei terræ fines ſunt: hoc ſecuriſſimum eſt nobis ad intelligentiam & vtile audientibus. Iam vero etiam Phyſici quidam ob eiuſmodi cauſas terram immobilem manere aſſeuerant, nimirum quod mediam vniuerſi regionem accepit; & quod propter æqualem vndequaq; ad extrema diſtantiam non habens quo magis declinet, neceſſario maneat in ſeipſa, cum æqualitas vndique circumſita, omnino impoſſibile ad aliquam partem inclinationem ipſi inducat.* Et mox: *Ne igitur mireris, ſi nuſquam excidit terra, regionem ſecundum naturam ipſum medium habens. Horum igitur rationem ad ſapientiam Dei, quæ hæc ſic ordinauit, miraculum transfer.* Hæc ille.

EQ. Conferamus Philoſophorum ingenium ingeniis hominum, qui Spiritu ſancto duce locuti ſunt: videntur ii balbutire & muſſitare. Quid enim potuit explicatius enunciari, fuſiusque tradi, ac luculentius, quam quod nobis tradidit Baſilius ſanctiſſimus, ſimul atque doctiſſimus: Cum Plinius & alii vnico ſe verbo expediant, ſedem terræ iſtam eſſe, non igitur eam cadere: cum nec hæc ratio ſufficiat: ſi enim auferat Deus manum ſuam, ipſa ſane, ac creata omnia corruent, iuxta

Pſalm. 103. *Auertente te faciem tuam, turbabuntur: auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur.* Sed de hac re hactenus. Agamus nunc de ignibus montium, & cauſa, cur verticem potius erumpentes petant, quam radices aut vallium ſinus.

PH. Cauſam ignis, qui è montibus vomitur, potius, quam è vallibus, inquirere aut aſſequi non eſt difficile, ſi cogitemus valles minus cauernoſas eſſe, nempe, locis omnibus obſtruſis longe magis, quam ſint in montibus, qui eminentes rarioris materiæ ſunt, quam ima vallium, & ideo etiam ſaxoſi magis, ſalebroſi, & rimis vndequaque ſuam inanitatem demonſtrantes: eo igitur tendit ignis, non in ſolida loca, ad quæ erumpendi aditum facilem non inuenit. Sunt tamen in campis thermæ plurimæ, ex eisq; ignis exhalat, ſenſim & paulatim, cum in montibus furat impetu ſuo ob cauitates, per quas vim ſemper acquirens erumpit. Eſt hæc, vt mihi videtur, ratio, cur in montibus potius, quam campis huiusmodi vomantur ignes. At ſi etiam quæratur ratio, huiusmodi ignes quomodo tanto miraculo generētur, id etiam aperta ratione compertum eſt, atq; imprimis exordiemur à proximo nobis monte Æthna: is in Sicilia eſt omnium Europæ celebratiſſimus: ventorū enim vis multa per illius viſcera permeantium ignem excitat in ea, quæ occurrit, ſulphurea & aluminoſa materia. De illo ob id multa tradidere omnes, qui de montibus conſcripſerunt. Ariſt. de admir. c. 36. ſic habet: *Ignis vndam in monte Æthna, neq; mediocrem exiſtere aiunt, neq; eſſe continuam:* cui Solin. c. 10. accedens, ſic tradit: *In Æthnæ vertice hiatus duo ſunt, crateres nuncupati, per quos eructatus erumpit vapor, præmiſſo prius fremitu, qui per æſtuātes cauernarum latebras longo mugitu intra terræ viſcera diu voluitur, nec ante flammarum globos attollit, quam interni ſtrepitus antecedant. Mirum hoc eſt, nec illud minus, quod in illa feruentis naturæ peruicacia mixtas ignibus niues profert; & licet vaſtis exundentur incendiis, apices canicie perpetua brumalem detinent faciem. Itaque inuicta in vtroq; violentia, nec calor frigore, nec frigus calore diſſoluitur.*

Æthna mōs igneus.

TH. Sed quomodo id verum eſſe poteſt, vt nec frigore calor, nec calore frigus diſſoluatur in monte Æthna? Cum S. Auguſtinus de ciuit. Dei lib. 3. cap. 31. tradat, vel ipſas maritimas aquas illo igne perpuri; eius ſunt hæc verba: *Legimus apud Ethnicorum hiſtorias Æthneis ignibus ab ipſo montis vertice vsque ad littus proximum decurrentibus ita ferbuiſſe mare, vt rupes exurerentur, & pices nauium ſoluerentur. Hoc vtique non leuiter noxium fuit, quamuis incredibiliter mirum. Eodem rurſus æſtu ignium tanta vi fauillæ oppletam eſſe Siciliam, vt Catinenſis vrbis tecta obruta & oppreſſa diruerent.* Hactenus ex illo: & ſane hoc contigerat paulo ante ſeditionem C. Gracchi, ac vt habet Oroſius lib. 5. cap. 10. & 12. multi mortales incendio abſumpti ſunt, coactique fuerunt, deſertis ſuis, quam longiſſime aufugere: atq; ita fit; vt illius ignis vis iure cenſeatur etiam ſuo calore frigida diſſoluiſſe, quādo etiam mare ipſum in feruorem conuerterit: neque enim puto tum niuem ab incendio illo fuiſſe immunem. Quod ſi illius hiſtoriæ verba ab Iulio Ethnico auctore libet audire, vnde S. Auguſtinus excerpſit, ita ſe habent, teſte Ludouico Viue in Scholio ad eum locum: M. Æmilio L. Aurelio Coſſ. *Æthna mons terræ motu ignes ſuper verticem late diffudit, & ad Inſulam Lyparas mare efferbuit: & quibusdam aduſtis nauibus vapore, pleroſq; in naualeis exanimauit: piſcium vim magnam exanimem diſperſit, quos Lyparenſes auidius epulis appetentes contaminatione ventris conſumpti ſunt, ita vt noua peſtilentia vaſtarentur Inſulæ.* Hæc Iulius, à quo decerpſit eadem Oroſ. lib. 5. c. 10. Seneca præterea natur. lib. 2. c. 30. memorat montem Æthnam aliquando ſuo multo igni ingentē vim arenæ vrentis effudiſſe, inuol-

inuoluiſſeque diem puluere, populosque ſubita nocte terruiſſe, cum plurima fuiſſent tonitrua & fulmina. Ita ille. Vt autem proſequamur reliqua de Æthna, duo ſunt ibi præter iam dicta miracula; cum enim ſit editiſſimus vndecunque præruptis lateribus, in ſummo amœniſſimus campeſtri planitie, iucundus eſt præcipue fontibus ibi quoque ſcaturientibus: ex Strabone & Cicerone Leander, qui illud addit, cineres eiectos ab Æthnæ incendiis apud Catanam in lapideam duritiem conuerſos. Sed redeamus ad Plinium.

EQ. Plinius eadem fere, quæ à Solino audiuimus, commemorat, ſed aliquid diuerſum habet: libro enim 2. cap. 106. *In montium* (inquit) *miraculis ardet Æthna noctibus ſemper, tantoque æuo ignium materiæ ſufficit niualis hybernis temporibus, egeſtumque cinerem pruinis operiens.* Sed & lib. 3. cap. 8. *Mons* (inquit) *Æthna nocturnis mirus incendiis: crater eius patet ambitu ſtadiorum 20. fauilla Taurominium & Catanam vsque peruenit feruens; fragor vero ad Maronem & Gemellos colles.*

PH. Eius igitur incendii cauſam Trogus lib. 4. ſic adfert: *Sicilia* (inquit) *eſt terra cauernoſa & fiſtuloſa, quo fit, vt ventorum flatibus pateat, vnde ignis concipitur. Intrinſecus ſulphur habet & bitumen, vbi ventus per ſpiramenta cauernarum incubuit diu luctatus, concipit ignem, ſic Æthnæ durat incendium.* Hæc ille. Motus ergo ventorum incendii cauſa eſt. Strabo etiam ſcribit, ſe in eius montis cacumine fuiſſe, & omnia diligentiſſime luſtraſſe. Feruntque in ſummo vertice mirabiles eſſe mutationes, interdum erumpente igneo fulmine, aliquando vel flamma, vel obſcuro fumo; id vero ſummam habet admirationem, quod illius ignis calor neque vllo frigore temperari, neque frigus depellere poteſt: noſtro vero æuo nihil fere præter obſcurum vaporem ex eo monte erumpere viſum eſt, vsque ad annum 1537. quo ignem euomuit, vt veriſimile ſit, (quidquid dicant reliqui Philoſophi) in iis locis quædam eſſe tartari oſtia, aut loca puniendis animabus deſtinata, quod & Surius tradidit Comment. ſuo anno Domini 1537.

TH. Recte id dictum: nam ex B. Gregorio id probari poteſt: libro enim dialog. 4. cap. 30. commemorat, Theodoricum Regem, quod Romanum Pontificem Ioannem in cuſtodia occidiſſet, & Symmachum ferro interemiſſet, in Vulcani ollam feruentiſſimam fuiſſe in obitu ſuo ab iisdem Martyribus proiectum, inſpectante ſancto quodam viro Lyparim Inſulam incolente.

EQ. Pulchre hæc narrata ſunt, ſed adhuc optarim expreſſius ignis eius cauſam enarrari, præſertim ob tanta temporum interualla, quibus durat: Sanctus enim Auguſtinus lib. de Ciuit. Dei 21. cap. 4. admiratur tamdiu ignes huiusmodi perdurare; ſic enim ille: *Quidam notiſſimi Siciliæ montes, qui tanta diuturnitate temporis, atque vetuſtate vsque nunc, & deinceps flammis æſtuant, atque integri perſeuerant, ſatis idonei teſtes ſunt, non omne, quod ardet, abſumi.* Hæc ille; quamobrem cum in ſuum vſque ſeculum miretur perduraſſe, longe magis nobis id admirationi eſſe debet, quandoquidem mille ac ducenti fere anni acceſſerunt.

PH. Trogus rationem attulit, ſed ſane contractius, quam res ipſa expoſtulet, expreſſit: verum ſi libet Viuis ſententiam audire, ediſſeremus; is in ſcholio ad Auguſtini iam dictum caput quartum ſic habet: Montes in multis locis ardent, vt Æthna in Sicilia, & Hiera, quę olim Theraſia prope Siciliam, in qua eſt collis nocturnas euomens flammas, tum etiam Aconocauma in Æthyopia, Veſuuius in Campania, & in Lycia Chymera, & trans Herculis columnas quędam nocturnis incendiis conſpicua, quædam diurnis: alii ardentium faciem oſtendunt, vt iuxta Pygmæos,

mæos, & prope Sybrotas in Africa: cauſam autem ardorum montium innumeri quæſierunt, mandaruntque literis; plurimorum ſententia eſt, eſſe venas ſulphureas ſubterraneas, quæ cum latis cauernis ſpiritum admiſere, ex concuſſione illa ignis generatur, ſulphure fomenta ſuppeditante: ſic Æthna, ſic Veſuuius, & Gaurus Campaniæ ardent, quæ maxime regio ſulphur deſudat. Flatu vero agitato, incendia exiſtere vel hinc deprehendi poteſt, quod non omnibus ventis ardores illi proueniant, ſed iis tantum ſpirantibus, qui ſubire per aduerſas ſpeluncas poſſint, vt in Æthna, Gauro vel Africo: quumque ſulphur non ſemper ſuppetat, fit vt Æthnę non ſint continua, quemadmodum nec Lyparæ Inſulæ, cuius ardorem deficere tradit Xenophanes, ſed anno ſeptimo redintegrari. Hæc ille.

TH. Surius homo & doctus & pius eius rei rationem etiam adfert diſertiſſimis verbis in Comment. anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſeptimo: Menſe Aprili (inquit) Æthna mons Siciliæ materia plenus ſulphurea, quam humida gignunt nutrimenta, ingentem ignis maſſam euomuit, quæ non repentino, ſed paſſim decidens colles, nemora, ſaxa, rupes, pagosque duos (nam multos ille mons pagos complectitur) flammis vaſtauit, arbores, homines & pecora magnis affecit cladibus: eius montis ignis ſulphureus interdum obſcurum & ſubnigrum, noctibus vero prorſus horrendum ſe ſpectantibus oſtendit. Ratio naturalis terribilis ignis huius à Philoſophis eiusmodi adfertur, quod Sicilia intrinſecus in ipſis viſceribus ſit plane cauernoſa, & referta ſulphure, alumine, igne, aqua, & id rebus aliis ignem fouentibus. Porro ignis non poteſt eſſe ſine reſpiraculo, ſed vbique ſeſe exerit: inde fit, vt in Sicilia non paucæ reperiantur admodum calidæ thermæ. Cæterum ignis in cauernas ſeſe proripiens flammam excitat, quæ foras erumpere cupiens fumum & igneos vomit globos, multisque locis ſuos quærit caminos, per quos reſpiret; nonnumquam vero in ipſis terræ viſceribus tanta eſt ignis violentia, vt vna cum globis igneis vel flammis etiam lapides exuſtos & arenam eiiciat. Hæc ille: qui ſane luculenta hac ratiocinatione omnes reliquos in explicanda quæſita ratione ſuperaſſe videtur.

EQ. Ego vero cum iis facile aſſentiar, addendum etiam puto, non ſolum in tartarearum pœnarum quaſi arram à Deo conſtitutos hos ignes, verum etiam vt homines metuant, cum animaduertant impietatibus puniendis eiusmodi ſupplicia parata, eaque longe maiora eſſe in ipſis terræ viſceribus.

TH. Hoc ſane terribilius eſt perterrefaciendi genus: cum enim Dominus Moyſi daturus eſſet legem in excelſo Synai monte, ignibus coruſcationibusque viſus populum in legis timore continuit. Sic enim habetur Exodi 19. *Cæperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clamorque buccinæ vehementius perſtrepebat, & timuit populus, qui erat in caſtris: totus autem mons Synai fumabat, eo quod deſcendiſſet Dominus Deus ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo, quaſi de fornace, eratque omnis mons terribilis.* Hæc ibi: quod etiam breuioribus verbis ſcriptum eſt Deuteron. cap. 4. *Timere enim Dominum tunc didicit populus, cum acceſſit ad radices montis, qui ardebat vsque ad cœlum, erantque in eo tenebræ, & nubes, & caligo, loquebaturque Dominus de medio ignis.* Hactenus ibi: quod etiam repetitum videtur Deuteron. c. 5. cum diceret populo Moyſes, Dominum de medio ignis in monte locutum, atque ideo eos timuiſſe ignem. Et ſane ignis huiusmodi omnium animos concutit, ac docet humanum genus extremum iudicii diem exhorreſcere, quo omnia igne ſoluentur, 2. Petr. cap. 3. atque ita apertiſſimum fit, montes omnes ignem vomentes non

non fruſtra, neque caſu exortos, ſed à Deo ordinatos, vti ad extremum diem iudicii, ac propterea ad tartareas pœnas indicandas eos fuiſſe à Deo productos, ſanctiſſimus Pion Presbyter docuit hora ſui martyrii, vt eſt apud Metaph. 11. Martii. Lipom. Tom. 7.

Fato diuino quodam certo montes extant ignei.

EQ. Nemo pius vmquam de re hac dubitabit: attamen vt terrori ſunt accedentibus, ita quoque eadem diuina prouidentia effecit, vt nauigantibus atque itinerantibus eorum ignium proſpectu noctu præcipue viæ dirigantur; tenent enim illum excelſum locum, nempe cacumina montium, vt vndequaque etiam nihil tale cogitantibus procul ſe conſpiciendos offerant, illo exemplo, quo Dei populus in deſerto per noctem in columna ignis ducatum habuit. Exod. c. 13.

TH. Nec hoc ambigendum eſt; tanta eſt erga humanum genus Dei benignitas: ſed ſi velimus igneos montes enumerare, vt norit vnusquiſque nullam eſſe orbis partem, in qua non ſint ad excitandos vbique omnium animos erga Deum, qui aut terret ignibus, aut ſpem præbet bene agentibus, facile id præſtare poſſumus: ac vt proſequamur nobis confines Italiæ, Hiera Inſula eſt hodie Vulcani nomine celebrata, in ea collis nocturnas euomit flammas; ſed & in Strongyle dicta Inſula mons & alter, in altera etiam Lypara dicta, flammis celebres, ſed in Lypara liquidior flamma, cuius fumo, quinam flaturi ſunt venti, in triduum prædicere incolæ traduntur. Plin. lib. 3. c. 9.

EQ. Eſt etiam inſignis in Italia Veſuuius Campaniæ, ſed de illo nihil Plinius quoad conflagrationis miraculum ſcripſiſſe compertus eſt, præſaga forſan mente inde ſibi exitium futurum, vti vere ſe res habuit: id enim diuina diſpenſatione factum videtur, vt non ipſe ſcriberet, ſed morte potius experiretur; nec enim ea morte tum obiiſſet, ſi Veſuuii conflagrationes iam antea prænouiſſet, quas vt incognitas perſcrutans obcubuit. De hoc igitur Veſuuio Solin. cap. 40. ſic habet: *Quod in Campania Veſuuius, in Sicilia Æthna, hoc in Lycia mons Chymera eſt, mons nocturnis æſtibus fumum exhalans.* Hæc ille. Vnde compertum eſt, Solinum Plinio poſteriorem. Et ſane plus fumo celebris eſt, quam igne, atque eo fumo Plinius ſenior extinctus eſt: libet igitur ex eius nepote rei totius ſeriem hic attexere; is eſt Plinius iunior, ſcribit id omne, vti contigit, ad Cornelium Tacitum Hiſtoricum, atque ita ſe habent eius verba: *Erat auunculus Plinius Miſeni, claſſemque imperio præſens regebat: Calendis Nouembris, hora fere ſeptima, mater mea indicat ei apparere nubem inuſitatam & magnitudine, & ſpecie, ſurgit ille, & vt è Sole ſolebat, frigida guſtata, iacens enim ſtudebat, popoſcit ſoleas, aſcendit locum, ex quo maxime miraculum illud conſpici poterat. Nubes incertum procul intuentibus ex quo monte (Veſuuium fuiſſe poſtea cognitum eſt) oriebatur: cuius ſimilitudinem & formam non alia magis arbor, quam pinus expreſſerit. Nam longiſſimo velut trunco efflata in altum quibusdam ramis diffundebatur: credo quia recenti ſpiritu euecta, dein ſeneſcente eo deſtituta, aut etiam pondere ſuo victa, in latitudinem vaneſcebat: candida interdum, interdum ſordida & maculoſa, prout terram cineremve ſuſtulerat. Magnum id, propiusque noſcendum, vt eruditiſſimo viro viſum eſt. Quadriremem aſcendit, omnes illius mali motus, omnes figuras, vt deprehenderat oculis, dictauit enotauitque. Iam nauibus cinis inciderat, quo propius accederet, calidior & denſior, iam pumices etiam, nigrique & ambuſti, & fracti igne lapides; iam vadum ſubitum, ruinaque montis littora obſtantia. Interim dum apud* Pompeianum *ſenior Plinius iam conſediſſet, è Veſuuio monte pluribus locis latiſſime flammæ atque incendia relucebant, quorum fulgor & claritas tenebras noctis excipiebat. Area, ex qua dieta adibatur, ita iam cinere mixtisque pumicibus oppleta ſurrexerat,*

Veſuuius mons Campaniæ magis fumans quam ardens creditur.

vt ſi

vt ſi longior in cubiculo mora eſſet, exitus negaretur. Crebris vaſtiſque tremoribus tecta nudabant, & quaſi emota ſedibus ſuis nunc huc, nunc illuc abire, aut ferri videbantur. Sub dio rurſus, quamquam leuium exeſorumque pumicum caſus metuebatur, ceruicalia capitibus impoſita linteis conſtringunt: id munimentum aduerſus incidentia fuit. Iam dies alibi, illic nox omnibus noctibus nigrior denſiorque, quam tamen faces multæ variaque lumina ſoluebant. Deinde flammæ flammarumque prænuntius odor ſulphuris alios in fugam vertunt; ipſe vero Plinius duobus ſeruis innixus, ſtatim concidit craſsiore caligine ſpiritu obſtructo, clauſoque ſtomacho interiit. Hæc ex iuniore Plinio. Vnde coniicitur, ſeniorem ipſum Veſuuium incendia non nouiſſe, alioqui cautius egiſſet, cum exoriri ea iam cognita perſenſiſſet ipſo fumorum exordio.

PH. Fuere & alii, qui huius incendii inſignem mentionem egerunt, quamquam Plinii non meminerint. Oroſius enim lib. 7. c. 9. *Abruptum* (inquit) *tunc Veſuuii montis verticem magna profudiſſe incendia ferunt, torrentibusque flammarum vicina regionis cum vrbibus hominibusque deleuiſſe.* Hæc ille: quo auctore videtur colligi, tunc primum Veſuuium abruptum, ideo fuiſſe Plinio ſeniori incognitum incendium. Et ſane Strabo lib. 5. fatetur, nusquam fuiſſe traditum vllum Veſuuii incendium, niſi quod coniici poteſt, à cineribus & ambuſtis lapidibus monti circumſtantibus aliquando illis locis aliqua fuiſſe incendia. At cum aliunde aliaque cauſa incendia eſſe potuerint, nihil certi habemus, à cratere Veſuuii vmquam flammas prodiiſſe, vel ipſo Strabone teſte. Procopius autem ſic habet bell. Gott. lib. 2. Veſuuius abeſt à Neapoli ſtadiis ſeptuaginta, præciſusque vndique eſt; inferiora eius frequentibus ſyluis vmbroſa, ſuperiora vero abrupta & fere inuia, huius in montis cacumine medio hiatus profundior patet, ita vt coniectari ſat poſſit, in penitiſſima terræ hunc penetrare, ignemque ex infima parte exiſtere, quiuis poterit conſpicari, qui in eius voraginis ſupernum os procumbere auſit, vnde & flamma in ſemet commota altius excitatur: nulli tamen, qui ea in regione ſunt, hominum negotium exhibet; verumtamen aliquando ſonitum mugienti ſimilem is mons edidiſſe memoratur, ac non longe poſt cineris vim quandam ingentem emiſiſſe, ac deprehendiſſe, qui illac iter facerent, ita vt nulla vitæ ſpes ſupereſſet, quandoquidem & quas domos contigiſſet, ad caſum impulerit: quin & vento flante in remotiſſimas regiones is cinis delatus eſt. Aliqui memorant, Conſtantinopolim vsque delatum, ac perterruiſſe incolas adeo, vt annuæ preces eam ob cauſam fuerint inſtitutæ. Sed & Tripolim Libyæ vsque delatum memorant. Cum igitur in ſuam tantum regionem is cinis eructatur, omnium frugum iactura imminet. Eſt alioqui in ipſo monte aer quidam nitidiſſimus, & ſuapte natura omnium ſaluberrimus, quo à Medicis mittuntur, qui diutina tabe affecti ſunt. Procopius ibidem lib. 3. addit, aliquando cum cinere etiam lapides eructari, quandoque etiam flammas, quarum velut illuuie ignis vsque ad radices montis protenditur omnia abſumens; ſunt tamen ad montis infima aquæ potabiles. Zonaras quoque in Tito ſic habet: Primo anno Titi, ſub autumnum, ſubito ingens in Campania incendium extitit: Veſuuius enim mons iuxta Neapolim copioſos ignis fontes continens in medio dumtaxat ardet, exteriora carent igni. Proinde cacumina in circuitu veterem altitudinem obtinēt, medietate exuſta & depreſſa, vnde noctu flamma, interdiu fumus, alias maior, alias minor erumpit: aliquando etiam ſubito dehiſcens cinerem, & ſaxa vi ventorum impulſa eiaculatur, & cum murmure reſonat, ob ſpiracula non denſa, ſed rara & libera, ac talis eſt Veſuuius. Tum autem immani tumultu, quaſi montes inter ſe

Ignis omnia abſumit.

colli-

collidercnt, ſubito exaudito, primum ingentia ſaxa exilierunt, deinde magnus ignis,& fumus immenſus, vt Sol occultaretur,& lux in tenebras conuerteretur. Eſt & cineris vis ineffabilis effuſa, quo in aere, terra & mari diſſipato, piſces & volucres perierunt, & duo oppida, Herculanum & Pompeianum, populo in theatro conſidente, ſunt oppreſſa. Tantum porro cineris fuit, vt aliquantum etiam in Africam, in Ægyptum & Syriam, ipſamque Romam perferretur. Hæc ille. Nicephorus quoque lib.3.c.12. illam Veſuuii conflagrationem his verbis narrat: *Sub Veſpaſiano mons Veſuuius ruptus tantum euomuit incendii, vt regionem proximam ciuitatesque vicinas prorſus ſuſtulerit.* Hactenus ille: qui auctor etiam primum ignem tum erupiſſe videtur ſentire; ruptum enim, non autem patuiſſe incendii hiatum ſcribit cum Oroſio. Sic ita deprehendimus, poſt primam Veſuuii eructationem Plinii tempore fuiſſe alios euomitos ignes: nam quando reſtrinxit ignem Veſuuii Sanctus Ianuarius ſub Diocletiano, omnem fere Europam ſuis cineribus attigerat anno Domini 305. Alius deinde fuit emiſſus ignis Europam fere totam puluere contegens anno Domini 471. vt ſcribit Marcellinus Comes; recolit Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus Cardinalis Baronius 19. Septemb. Et ii ignes ſunt, quos Procopius & alii tradiderunt. Alios Veſuuii ignes audiui erupiſſe poſtea, ſed quod valde memorabile eſt, illam Veſuuii eruptionem præceſſere ſigna, quibus natura adnitebatur erumpere multos ante annos: terræmotus enim quæque vicina & adiacentia loca concuſſit viginti & eo amplius antea annis, quo ſi non fuerat eruptio peracta, via tamen proſtrata eſt, vt alio poſtea ſpirituum niſu crater aperiretur. Id deprehendimus verbis Senecæ lib.6.c.1. quæ alias recoluimus, quando Regulo & Virgilio Coſſ. Herculanum & Pompeianum oppida, quę ad Veſuuii radices ſita erant, cum aliis ſubiacentibus regionibus cladem, imo ſtragem perpeſſa vaſtata ſunt: quo argumento firmius aſſerere non poſſumus, primam Veſuuii eruptionem fuiſſe, qua Plinius ſenior occubuit.

EQ. Ego & in eandem tranſeo ſententiam, ſcilicet Straboni & Plinio ſolertiſſimis ſcriptoribus incognita fuiſſe Veſuuii incendia, neque illis id fuiſſet occultum, ſi aliquando antea ille conflagraſſe compertus fuiſſet, ſed tunc primum hiatum aperuiſſe conſtat: nam & hoc noſtro ſeculo in Paſti Peruaci mons ſponte ſeſe aperuit, magnoque hiatu facto lapidum plurimam emiſit copiam, fumo multo præmiſſo. Petr. Hiſp.5. cap.28. Vbi igitur, rupto Veſuuii cratere, flammæ eruperunt, poſtea etiam ad eadem incendia perfacilis fuit motus, cuiusmodi iam dictum eſt: nam & ſub Benedicto II. Romano Pontifice tradit Platina, ex Veſuuio ipſo tantum ignem erupiſſe, vt loca circumquaque poſita exuſta ſint. Cauendum tamen eſt nobis, ne hunc Campaniæ Veſuuium eundem putemus, qui eſt inter Alpes eminentiſſimus: adeo enim prærupis eminet lateribus, vt aſcendentes ſæpe pedibus ac manibus reptent caſus timore perculſi; in ipſo vertice ſcatet fons, vnde Padi fluminis ampliſſimi Italici origo manat, hunc montem Veſulum dicunt. Leander de ortu Padi.

PH. Eſt igitur cum his commemorandus mons Idæus, de illo Mela lib. 1. c.6. Orientem (inquit) Solem Idæus aliter, quam in aliis terris ſolet, aſpicit: oſtentantur namque ex ſummo vertice eius ſpectantibus pene à media nocte ſparſi ignes paſſim micare, & vt lux appropinquat, ita coire, ac ſe coniungere videntur, donec magis magiſque collecti pauciores ſubinde,& vna ad poſtremum flamma ardeant; ea cum diu clara, & incendio ſimilis effulſit, cogit ſe, ac rotundat, & fit ingens glo- *Idæus mons orientalis.*

 bus,

bus, diu is quoque grandis, & terris adnexus apparet, deinde paulatim decreſcens, & quanto decreſcit, eo clarior, fugat nouiſſime noctem, & cum die iam Sol factus attollitur.

TH. Non videtur Mela aſſerere flammam vere eſſe manantem aliquo ſpiraculo, ſed potius lumen tantum: nam de Athlante monte ſimile quidpiam referunt Solinus & Plinius; ille quidem cap. 26. *Mons Athlas* (inquit) *ſilet per diem vniuerſus, nec ſine horrore ſecretus eſt, lucet nocturnis ignibus.* Hæc ille. Cui concors eſt Plinius lib. 6. c. 1. *Athlantis* (inquit) *incolarum nemo interdiu cernitur, ſilent omnia, haud alio, quam ſolitudinum horrore: noctibus idem micat crebris ignibus.* Ita ille. Atque ita fit, vt nihil deprehendas, num hi montes ignem vomant, & inter vomentes commemorandi ſint.

EQ. Commemorandus præcipue eſt is mons, quem Græci vocant Theon ochema. Mela enim de illo habet lib. 3. cap. 4. *Circa Africæ infima littora mons altus eſt, quem Græci vocant Theon ochema, perpetuis ignibus flagrans.* Ita ille: quod & Plinio probatur lib. 2. cap. 106. *Maximo* (inquit) *ardet incendio Theon ochema dictum Æthyopum iugum, torrentesque Solis ardoribus flammas egerit.* Sed & lib. 6. c. 30. in fine: *Æthyopiæ à media eius parte imminens mari mons excelſus æternis ardet ignibus, Theon ochema dictus Græcis.*

PH. Sunt & alii ardentes montes non contemnendi in Lycia, vt iam meminimus, & Plinius habet lib. 5. cap. 27 *Mons Chymæra noctibus flagrans, Hephæſtium ciuitas & ipſa ſæpe flagrantibus iugis.* Verum de montibus huiusmodi fuſius idem Plinius tradit lib. 2. cap. 106. *Flagrat* (inquit) *in Phaſelide mons Chymæra, & quidem immortali diebus ac noctibus flamma. Ignem eius accendi aqua, extingui vero terra aut fœno Gnidius Cteſias tradit. Eadem in Lycia Hephæſtii montes tæda flammante tacti flagrant adeo, vt lapides quoque riuorum & arenæ in ipſis aquis ardeant, aliturque ignis ille pluuiis. Baculo ſi quis ex iis accenſo traxerit ſulcos, riuos ignium ſequi narrant. Flagrat in Bactris Cophanti noctibus vertex. Flagrat in Medis & Ceſtia gente confinio Perſidis: Suſis quidem ad turrim albam è quindecim caminis maximo eorum, & interdiu. Campus Babyloniæ flagrat quadam veluti piſcina iugeri magnitudine.* Hæc ex illo.

EQ. Nullum vmquam montem vel campum ardentem aut legi, aut audiui interdiu tantum, ſed vel noctibus tantum, vel ſimul diebus, noctibus. Quæ eius rei ratio eſt? niſi id repente acciderit præter omnem loci conſuetudinem, velut in agro Mutinenſi, quando duo montes ſeſe mutuo colliſerunt, de quo Plin. lib. 2. c. 83. & infra fuſius dicam.

PH. Iam ex iis, quæ diximus de ignium huiusmodi cauſa, ratio eadem percipi poteſt: eius ignis fomenta ſunt ſulphurea materia, & ventorum ſpiritus; verum niſi adſit plurimus humor, non ardeſcit in flammam. Locis igitur illis, quibus humor perpetuus eſt cum reliquis fomentis, perpetuus quoque ignis erit, aut ſaltem noctibus, quibus & aeris occluſi, & terrarum, ac eius viſcerum humor longe magis, quam die adaugetur: atque ita fit, vt interdiu tantum ignes huiusmodi eſſe non poſſint, ſed noctu; quoniam nuſquam compertum eſt, vt interdiu plus humoris habeant terræ concauitates, quam noctu. Propterea aliquibus etiam locis cum nec diu, nec noctu ignes accendantur, accenduntur tamen in tertia vigilia ac quarta, vsque ad Solis exortum, quoniam pars illa noctis præ reliquis eſt humorum genitrix præcipua: atque ita fit, vt Olympus mons ille, qui in Æthyopia eſt ad mare rubrum, (ſunt enim multi Olympi montes, vt iam diximus) oriente Sole, vsque ad quin-

quintam diei horam flammas emittat, vti teſtatur Manutius, non quia tum humores ſcaturire incipiant, ſed quia per noctem collecti tum facile incendantur. At quod ex Plinii lib. 2. c. 83. enarratum eſt; tunc tantum interdiu ignis exarſit, collecta iam humorum copia, vnde tunc interdiu ſic contingente euaporatione flamma coruſcauit.

TH. His rationibus illud conſequitur, vt, quamquam in Æthyopia, præcipue meridiana, nunquam pluat, vnde humidior terra fieri ſolet, nihilominus huiusmodi montes etiam perpetuo ardentes ſint, quoniam quod pluuiis alibi accidit, hoc in Æthyopia nocturni rores efficiunt: ac præterea ardor Solis immenſus tametſi terræ ſuperficiem exurat, ad interiora tamen viſcera humor pulſus compreſſius exprimitur, atq; ideo pabulum ignibus præbet, vti Solini teſtimonio patet; is enim c. 32. *In Æthyopiæ* (inquit) *meridiana parte mons editus mari imminet, ingenito igni per æternum feruidus & inquietus, iugis flagrantibus, inter quæ incendia iugis æſtus.* Hæc ille.

EQ. Hactenus commemorati ſunt montes igniti, quos priſci ſcriptores tradidere, ſcriptisque commendarunt: at luſtrato vndecumque orbe plurimi nobis alii innotuere montes iis omnibus longe feruentioribus incendiis celebrati, ac primum in nouo orbe, ad nouæ Hiſpaniæ vrbem, cui nomen Churultecal, in prouincia Taſcaltecal ſublimis mons eſt, cuius ſummum verticem diu noctuque fumus occupat, globi ſphæræque rotunditatem ſeruans, nullisque ventorum flatibus diſpergitur, aſcendens vsque ad nubium altitudinem, celerrimeque in celſiſſimam ſublimitatem fertur, non aliter atque ſagitta. Haud dubie perpetuus ignis eſt, qui fumum illum emittit, tametſi ignis ab hiatu non erumpat. Ferdin. Corteſ. in 2. relatione & 3. ſed & iuxta Temiſtitan Mexicum primariam Peruaci vrbem mons eſt, in cuius verticem, leni tamen aſcenſu, quatuor leucis aſcenditur. Hiatus ſeu crater ibi eſt, qui ad paſſus mille patet, ex eo quotidie geminatis vicibus, ac noctu vehemens erumpit fumus, quem nec ventorum vis vlla valeat diſſipare, quin globo integro ſeruato in nubes vsque aſcendit, quem fumum & ab igne latente promanare non eſt ambigendum. Alumnus Corteſii de Temiſtitan.

TH. Eodem orbe nouo circa prouinciam Ciapotulan in Mexicani regni ditione mons eſt eructans ſaxa tantæ amplitudinis, quanta ſunt plauſtra onuſta; vbi eructata ſunt, ardent, adeo vt vniuerſus mons flagrare videatur. Deinde ab hoc monte alius abeſt circiter ducentum mill. paſſ. è quo ingens fumus manans recta in cœlum tendit: neque enim illius latitudo minor eſſe poteſt bis mille paſſ. hoc eſt, ad leucæ dimidium, vt admirari hinc liceat, quam ingens ſit hiatus, vnde fumus tantus prodit; atque ideo propter hiatus amplitudinem ignis non erumpit, ſed in viſceribus proximis non cohibitus, ſed largiter alitus ſponte retinetur. At, quod eſt præcipue commemorandum, ab ipſo monte fluuius manat adeo feruidis aquis, vt ob ipſum ſolum feruorem tranari non poſſit. Petr. Aluarad. ad Corteſium.

EQ. Apud Indos quoque Orientis plagæ iidem ignes comperti ſunt. Nam in Malucco Inſula in Regis Ternatis ditione excelſus mons eſt frequentibus antris, ex iis plurimus ignis in longum ductus, ac etiam fumus exhalatur, iactanturque ab imo tantæ amplitudinis ſaxa, quanta ſunt, quibus ad molendum vtimur. Horror fragoris æquandus eſt cuicumque in toto orbe terrarum: propemodum enim tonitrua inde exaudiuntur, non minore ſtrepitu, quam ſit bombus ingentium bombardarum; eiusmodi vero ignis ater eſt, ſicut & cineres, nil enim ſplendeſcit. Ita Balthaſſar Diaz ex Malacca 1556.

TH. Eiuſdem cœli orientalis plaga ſub eadem Regis Ternatis ditione Inſula quoque eſt, de qua alias occaſione alia egimus, cui nomen *Delmoro*, proxime Tolo: mons ibi tanto fremitu ignem eructat, vt maximarum bombardarum crepitibus adæquetur, tanta cum caligine, vt nocti compararetur; cinerum quoque tanta copia, vt illius pondere domus collapſæ ſint, arbores in triennium diuulſis ramis ſterileſcerent, cinerum aggeribus congeſtis, omnia itinera facta imperuia, & adæquata ita omnia ſunt, vt quacumque quis velit ſibi viam poſſit ſponte dirigere, enecata omnia animantia, tum fame, tum tabe, quin & aquæ prius omnes potabiles in amaras verſæ ſunt; ex eodem Balthaſſar Diaz ex Malacc. 1556.

EQ. Sed & in Iauæ maioris proxima Inſula, cui nomen Nucopora, ab ipſius mediterraneis montibus perpetuus ignis manat, vti teſtatur Odoardus Barboſa, & Ioannes Gaetanus Caſtulonenſis.

PH. Omiſimus & alios montes orbis noui: nam in prouincia Quahutemallam duo ſunt montes inuicem duas ad leucas proximi, ex vtroque ignis manat: &, quod eſt commemoratione dignum, cum eructatur ignis, tremunt vterque. Petr. Hiſp. p. 5. c. 23. Sed & in Peruaco eiuſdem orbis ex monte Nanauata è pluribus ſpecubus ignis manat: at ex vno fluit aqua feruens, è qua ſal conficitur. Petr. Hiſp. p. 5. c. 31. Eodem quoque Peruaco in vico Molahalo mons ignem vomit, nec vno atq; altero die, ſed diebus pluribus lapides cineresque eructans, quibus multa oppida oppreſſa ſunt. Petr. Hiſp. p. 5. c. 33.

TH. Et quanquam de Africę montibus nonnullis iam diſſeruimus, adhuc tamen ſuccurrit mihi commemorare alios ignem vomentes. Mons enim Guazeual ex ampliſſimo hiatu perpetuum ignem vomit, qui ſtatim obuia quæque ſua vi abſumat. Leonius p. 3. Sed de montibus igniuomis ſatis.

EQ. Non fuerit nobis ad ratiocinandum minus argumentum, ſi orationem noſtram conuertamus ad montium vertices, quibus amœnitas periucunda eſt, ſcatentque inde non ignes, ſed fontes, aut laci: atque in primis poſt illos montes, quos antea commemorauimus eſſe in Balaxiam & Pallene, occurrit mons Chindaculle: iacet is penes lacum Vener, in Oſtrogottorum ditione, in tantamque ſurgit celſitudinem, vt quadraginta mill. paſſ. conſpiciatur; ad eumque vndequaque adnauigatur, quod portum eximium eius radices præbeant, vertex eius adeo amœnus eſt, arborum fructiferarum ordinibus egregiis conſitus, vt præter id, quod omnium fructuum, etiam olerum genera ibidem ſapidiſſima naſcuntur ſponte, absque hominum cultura, etiam auium concentus audiantur, vt quaſi Paradiſus quidam cenſeatur, vt habet Olaus lib. 2. c. 20.

PH. Has ob res commendandus eſt mirum in modum mons alter, de quo Strabo lib. 11. *In Bactriana Siſimitra ſaxeus mons eſt, qui erigitur in altitudinem ſtadiorum quindecim: ambitus vero eius eſt ad 80. In ipſo eius vertice amœnus campus patet frugifer, adeo vt captus dulcedine loci Alexander ſit ibi ſplendide regio more epulatus, ducta in vxorem Roſſiana Oſsiartis filia.* Hæc à Strabone.

Thabor mons Iudææ peramœnus, in quo Saluatoris noſtri ſumma Maieſtatis gloria ſplendidiſſime illuxit.

TH. Si de huiusmodi amœnitate diſſerere libet, pluribus præſtat reminiſci de monte Thabor: is enim Iudææ eſt, & excelſus, vel ipſa Euangelica ſcriptura teſte; ibi enim Chriſtus Dominus longe nobilius epulatus eſt, quam Alexander prophanus in commemorato monte. *Cum enim aſſumpſiſſet Petrum, Iacobum & Ioannem, ibi facies eius reſplenduit ſicut Sol, adeo vt dulcedine captus Petrus ſibi eum locum in perpetuum habitaculum deligeret, dicens: Domine, bonum eſt nos hic eſſe, ſi vis, faciamus hic tria taberna-*

cula,

cula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum. Quis enim vnquam id mente aſſequi valeat, quanta animi voluptas, quanta ſpiritus ſuauitas Apoſtolis fuerit, Chriſti facie perinde vt Solis lumine coruſcante conſpecta? Abſorpti enim tanta ſuauitate omnino ſunt: atque ita fit, vt tunc mons ille hac re omnes, quotquot orbis vniuerſus complectitur, montes antecelleret. Hæc à Matth. 17. Marc. 9. Luc. 9. 2. Pet. cap. 1.

EQ. Sed ô vtinam hunc montem vel procul conſpicere liceret nobis, vt tanti myſterii dum oculis carneis locum ſpectaremus, excitaretur & mens, erigereturq; ad contemplationem ſuperni alterius montis, qui in cœlis eſt, in quem aliquando hac carne exuti conſcendendi deſiderio teneamur: vana enim omnia reliqua ſunt ei, cui vnus Chriſtus pro ſummis deliciis ſit: *Vanitas enim vanitatum & omnia vanitas,* dicebat ſapiens Eccleſiaſtes.

PH. Ita ſane eſt, & nos quidquid noſtris ſermonibus efficere adnitimur, huc tendit, vt Chriſti gloriam prædicemus: atque ſi admiranda ſunt hæc terreſtria eius opera, quanta ſunt illa, quæ poſtea ſperamus, quæ præparauit ipſe omnium Dominus ſe diligentibus, eiusq; præcepta ſeruantibus, inq; eius integra fide cum Eccleſia Catholica perſeuerantibus? Quidquid igitur admiramur hic, ſpem rerum futurarum in nobis fouet: ideoque & de montibus, quorum vertices non ignem, ſed aquam emittunt, non paruum eſt ratiocinandi argumentum. Eſt equidem memorabile in excelſorum montium verticibus ſcatere fontes, ſed admirabilius, ſi ex tanta celſitudine ſequantur ſuppoſiti maris naturam. Nam in Hyberniæ Connachia in excelſo monte fons eſt, qui cum ſuppoſito mari bis in die naturali deficit, bisque exundat. Ortellius in Hybernia. Eſſe autem fontes in verticibus montium tradit Solinus cap. 58. *In Fortunatis* (inquit) *Inſulis, quarum primæ videlicet nomen eſt Ombrion, ædificia nec ſunt, nec fuerunt: iuga montium ſtagnis madeſcunt.* Quod expreſſius habet Plinius lib. 6. cap. 32. Iuba tradit de Fortunatis Inſulis primam vocari Ombrion, nullis ædificiorum veſtigiis habere in montibus ſtagnum; arboribus ſimiles ferulæ, ex quibus aqua exprimatur, ex nigris amara, ex candidioribus potui iucunda.

EQ. Strabo lib. 12. alium mõtem commemorat Cabyræ Armeniæ proximum, qui cum totus ſaxeus ſit, præruptis vndique lateribus, in ſummo vertice fontem habet plurimam aquam ſcatentem, cum nihilominus fluuium etiam à radicibus mittat. Commemorandum æque eſt, quod in Scotia occurrit ad oſtium Forteæ fluminis medio mari: ibi enim altiſſimus ſcopulus eſt, è cuius ſummo vertice largiſſimus aquæ dulcis fons ſcaturit, vt ita mirari oporteat è mari dulcem, largumque fontem manare, & ex aridiſſimi altiſſimique ſcopuli vertice largas fluere aquas: id recolit Ortellius in Scotia. Sed & in Hiſtriæ monte, cui nomen mons maior, cum altiſſimus ſit, in ſummo vertice exorientem fontem vberrimum habet. Ortellius in Hiſtria.

PH. In Africa quoque (alioqui imbribus ac aquis expers cum ſit) in Æthiopico quodam regno, cui nomen Fatigar, mons eſt editus, cuius in ſummo vertice lacus patet ambitu duodecim millia paſſuum. Franciſcus Aluarez; ſicut in orbe quoque nouo in Hiſpaniola Inſula ipſo ſummo montis cacumine lacus eſt trium millium paſſuum ambitu patens, piſcium eximiorum copiam præbens. Petrus Mart. in ſumm. Et in Italia iam pridem dicebamus in Gargani Apuliæ montis cacumine lacum eſſe non iſto minorem tum amplitudine, tum piſcium copia:

nos ipſi vidimus magna cum voluptate, præſertim cum mons ille, qua in Apuliam vergit parte, totus ſaxeus ſit. Sed iſtas adeo admirandas aquarum è montibus ſcaturigines ſuperauit illa, quam Dion, Xiphilinusve commemorauit in Antonino Pio. Montis enim vertex diductus in continenti terra maritimum fluctum euomuit, ſpumamque puri & limpidi maris procul inde in terram proiecit. Hæc ille.

TH. Sunt hæc naturæ miracula, at homini Deo vere famulanti non hic aut ille mons quærendus eſt ob aquarum voluptatem, quocumq; enim in monte ſcaturigines excitabit, vimq; naturæ inferre facile poterit: ſicut S. Benedictum egiſſe compertum eſt, vti alias paucis diximus, nunc dicendum eſt pluribus. Is ob receſſum in obſequio Dei cum plura monaſteria conſtruenda iuſſiſſet, ſummis rupium verticibus ea locauerat, vt longius à mundo, quem deſerendum ſibi monachi elegerant, abeſſent; atq; etiam vt ieiunii meritum augeretur, cum procul, atq; ab imis montium radicibus in cacumina ſummo labore aqua ferenda eſſet: ob eum igitur laborem conqueſti aliquando monachi ſunt, qui Caſſinum montem incolebant. Ille vero oratione ſeorſum facta, ibiq; petras tres in ſanctæ Trinitatis ſignum collocans, iuſſit eos inde haurire; qui accedentes fontē excauantes compererunt tantam aquæ ſcaturiginem, vt nunc vsque adeo vbertim defluat, vt à ſummo montis cacumine vsque ad ima deriuetur: vti teſtatur diſcipulus B. Benedicti Gordianus in vita S. Placidi circiter principium, & ex eo excerpſit S. Gregorius Dialog. lib. 2. c. 5. Nec hoc tantum poteſt Dei ſeruus, vt in ſummo montium aquarum ſcaturigines excitet; verum & ipſos montes transferre permittitur, ſi vel tantam fidem quis habeat, quantum eſt granum ſinapis, vt promiſit expreſſis verbis Dominus noſter Matth. 17.

EQ. Id feciſſe nonnullos literis proditum eſt; nam Gregorius Neocæſarienſis id fide feruenti præſtitit. Sanctus enim Hieronymus lib. de viris illuſtrib. ſic habet: *Cum Eccleſia in quodam loco arctiſſimo inter montem & fluuium poſito conſtrui deberet, & ſpatium ſufficiens non eſſet, ipſo ſancto in orationibus pernoctante, mane facto inuenta eſt rupes tanto ſpatio loco ceſſiſſe, quantum erat competens pro Eccleſia fabricanda*: eadem etiam tradit Ruffinus in translatione Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Euſebii lib. 7. cap. 24.

PH. Id etiam habet Gregorius Nyſſenus in vita ipſius Thaumaturgi Gregorii: habet etiam Nicephorus lib. 6. cap. 17. Neque fuit inane aut inutile miraculum, ſed longe magis ad Chriſti gloriam profecit: Sacerdotem enim idololatram conuertit huiusmodi miraculo, qui relictis genere, domo, vxore, poſſeſſionibus, filiis, amicis, ſacerdotio, focis & penatibus, ad fidem conuerſus eſt, vt idem Gregorius Nyſſenus teſtatur.

EQ. Poſt hoc omnibus ſæculis commemorandum Thaumaturgi miraculum, ſuccurrit mihi & aliud non prætermittendum, quod narrat Marcus Pol. lib. 1. c. 8. Babyloniorum enim Imperator totus in eam rem incumbebat, vt Chriſtiana religio ab ſuæ ditionis finibus eiiceretur; accitis igitur Chriſtianis propoſuit oportere eos vel propriæ fidei ſignū aliquod edere, aut ioco cedere, ac ſolum vertere. Montem enim illis eſſe transferendum, quod ſic dictent Chriſti dogmata: abſterrita tota Chriſtiana plebs miracula faciendi virtutem apud ſe non agnoſcens mœſta cœpit eſſe: dediti igitur omnes orationibus ac ieiuniis obtinuerunt à Domino, vt eorum Epiſcopus moneretur, quid agendum. Fuerat igitur is à Deo monitus Cerdonem

donem quærendum inter eos, eiusque opera virtuteque tantum miraculum per Dei gratiam perficiendum eſſe. Erat is Cerdo caſtitatis humilitatisque egregiæ: nam oculum ſibi eruerat ob ſimplicem Euangelicam literam, cum carnis incentiua, oculo cauſam præbente, aliquando perſenſiſſet. Quæſitus igitur & inuentus Cerdo, quanquam ad ſe pertinere, neq; apud ſe eſſe edendi miracula virtutem intelligeret, attamen omnium precibus adactus oſtenſo ab Imperatore monti iuſſit, vt alio ſe transferret in nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, & translatus eſt. Quo miraculo Imperator cum plurimis ciuib. Chriſti fidem ſuſceperunt: eoque loci dies feſtus præſcriptus eſt in huius miraculi memoriam. Hæc ipſa quanquam ſint apud Marc. Polum, eſt tamen penes me liber ante annos trecentos manu ſcriptus, qui inſcriptus eſt, De initiis Regnorũ, in quo hæc quoq; hiſtoria profuſioribus verbis conſcripta eſt, contigiſſeq; aſſerit ſub Gregorio X. Tum enim Marcus Polus in Aſia vlteriore degebat, Venetorum nomine Orator, aſſentiente Romano Pontifice. Ex iis igitur patet, montes ipſos parere Dei ſeruis, atq; ideo parum eſt homini Deum timenti in montibus eſſe, aut plano, ſaxeis an fructiferis, ignitis an aquis ſcatentibus montibus, fides vera vbiq; tuta eſt, & vbiq; ei ſuppetunt omnia. Sed ad reliqua transeamus.

PH. Montium materias ſulphureas, aqueas, & ſaxeas proſecuti ſumus, nunc non eſt importunum alia genera commemorare. Montes enim ſalis integri comperti ſunt, vt eſt apud Plinium his verbis: *Sunt & montes natiui ſalis, vt in Indis Oromenus, in quo lapidicinarum modo cæditur renaſcens; maiusq; Regum vectigal ex eo eſt, quam ex auro atque margaritis.* Nec hoc differt ab iis, quæ tradit Solin. cap. 30. *Amantes* (inquit) *gens Africæ ſalibus domos extruunt, quas in modum cautium è montibus excitatas ad vſum ædium cæmentitiis nectunt ſtruibus: tanta ibi huiusce venæ copia eſt, vt tecta faciant è ſalinis.* *Montes ſalis.*

EQ. In Arabia ſunt præcipui huiusmodi montes: Plin. enim lib. 31. tradit, Carrhis Arabiæ oppido muros, domosq; maſſis ſalis facere, aqua ferruminantes: quod & Iſidorus lib. 16. cap. 2. ſcripſit his verbis: *Salis montes natiui ſunt, in quibus ferro cæditur vt lapis renaſcens in agris tantæ alicubi duritiei, vt muros domosq; maſſis ſalis faciant, ſicut in Arabia.*

TH. Noſtro quoque cœlo hæc narrantur: Olaus enim lib. 13. cap. 5. ſcribit, in Polonia excelſos montes eſſe ſalis lapidibus conſtantes, præſertim in Vieliſca atque Bothna, ibique fodinas lapidicinarum modo eſſe: ſeque eas conſpexiſſe anno Domini 1528. in tanta fodinarum altitudine, vt ſcalis quinquaginta acceſſus daretur.

EQ. In Hiſpaniæ quoque Alpibus circa Iberum Marcus Cato de originibus ſcriptum reliquit, montem ex ſale mero eſſe, ac quántum demas, tantum accreſcere; quod annotauit Aulus Gellius noctium Atticarum libro ſecundo, capite vigeſimo ſecundo.

PH. Accedunt iis montibus montes magnetici: cuiusmodi in Cantabria eſſe teſtatur Plinius lib. 34. cap. 14. *Magnes* (inquit) *in Cantabria naſcitur, non ille magnes verus caute continua, ſed ſparſa bulbatione, ferri vtique inficit aciem, vt magnes.* Accedit ad hæc, quod tradit Viues in Scholio ad S. Auguſtinum de ciuitate Dei libro 21. cap. 4. his verbis: *Narrant nautæ noſtrates in ima India eſſe maritimas cautes magneticas, quæ medio curſu nauigia, ſi quid ſit in eis ferri, vel clauus vnus ſiſtant, detineãt, attrahant.* *Montes magnetici.*

Idcirco,

Idcirco, qui illac ſunt prætern auigaturi, poſtes nauium ligneis clauis ſolitos compingere. Hæc ille.

EQ. Eſt præterea commemorandum, quod habet Plin. lib. 2. c. 96. ſcribit enim iuxta flumen Indum duos eſſe montes, alteri naturam eſſe magneticam, vt ferrum omne teneat, alteri contra, ſcilicet reſpuat. Itaque (inquit) ſi claui in calceamento ſint, veſtigia auelli in altero non poſſe, in altero ſiſti. Propterea nō caret fide, montes eſſe iuxta Caſpios, quibus ea vis ſit, vt quidquid ferri accedat, ad ſe trahant, ſagittas, atque alia eiusmodi ferrea inſtrumenta. Id tradunt Apoſtolici Legati Dominicani de reb. Tartar. lib. 1. cap. 10. quibus accedit quod apud Tartaros montes huiusmodi exercitum ferreis armis munitum non liberum proficiſci in proximo permittunt: arma enim quælibet ferrea, ac quidquid ferreum eſt, trahunt ac retinent. Ioannes Apoſtolicus Legatus, qui illud præterea addit, ex iis demum montibus oriente Sole, permotis vaporibus, atq; occultis meatib. erumpere ſpiritu adeo ingentes ſtrepitus, ſonitusque exaudiri, vt ſuſtineri à quouis homine non poſſint: nam fragoris maximi vi plurimi exanimantur: atq; ideo incolę defoſſis antris ſubterraneis vitam degunt. Idem Ioannes Legatus. Vinc. hiſt. lib. 31. cap. 12. Sed de magneticis montibus hactenus.

PH. Et de aliis montibus æque eſt mirandum, in Peruaco ſcilicet promontorio S. Helenæ picem fluere fontis modo, vt annotat Petr. Hiſpal. parte 5. capite vigeſimo quinto.

EQ. Memorabilius eſt, quod quandoque montes homini longæuitatis cauſa ſunt, quandoq; vero vitæ breuioris, cuiusmodi iam de monte Atho diximus, quo incolæ duplo lōgæuiores fuere, quam reliqui homines: quod etiam monti Tmolo feliciter contigit: nam in illius cacumine, quod vocant Tempſin, CL. annis viuere Mutianus auctor eſt, vti commemorat Plin. lib. 7. cap. 48.

PH. Id ſane accidit ob depurati aeris hauſtum: inde enim humorum in homine & elementorum æqualitas, leuitas ac ſalubritas contrahitur: vnde lōgæuitas ſequitur, niſi adeo leuis, atque abſq; humore vllo ſit aer, cuiusmodi iam diſſeruimus de monte Olympo, in cuius verticem aſcendentes ſpongias aqua infuſas ore ferunt, ac naribus admouent, ne inanitate aeris illius deficiant; vt S. Auguſtinus nos docuit. Illo igitur aere homo non viuit, nulla quidem aeris infectione, ſed tenuitate nimia, de quo iam antea diximus.

At in Ægypto in regno Fatigar mirum eſt ibi montem excelſum eſſe, in quo quadrupedes viuant ac reliqua animantia, cum ſolus homo ibi quinto die moriatur, vti tradit Franciſcus Aluarez cap. 118. Neque tamen id contingit in qualibet montis eius parte, ſed in quadam tantum, vt ſic pateat infectum halitum trahere lethales ſpiritus, ſicuti in antris & ſpecubus aliquando diſſeruimus: & ſicut apud Volaterram vallis eſt, quam ob tetrum odorem itinerantes omnes deuitant; quandoquidem adeo fœtidus eſt odor, vt ſuperuolantes aues interimat. Leander in Etruria.

TH. Sæpe etiam audiui ac legi, montes ſponte aperiri ac dehiſcere: optarim rei veritatem ac cauſam perdiſcere.

EQ. Mons ingens in Burgundia à proximo monte dehiſcens, vallesque proximas coarctans multa agricolarum millia oppreſſit, vt Wernerus in Faſciculo refert, ac per multa milliaria ſe diffundens rurſum quinque millia ſuffocauit: ac tandem mirandum in modum aliis montibus acceſſit. Append. Vincent. anno circiter

citer

citer 1230. Naucler.gener.41.ſub finem. Sed & apud lacum Benacum,non procul à Salodio magnum in modum ſe aperiens ad imum dehiſcere viſus eſt mons anno Dom.1457. vt Matthæus Palmerius tradit: ſicut econtra plures montes ſponte in vnum coiſſe memorãtur, id enim accidiſſe in cremo Sabæ ex terræ motu an.Dom. circa 734. ſcribit Theophanes Iſaurus apud Anaſtaſium Bibliothecarium. Sed omnibus vetuſtior Seneca natur.lib.6.cap.25. memorat aliquando Oſſam Olympo cohæſiſſe, deinde terrarum motu receſſiſſe,& ſciſſam vnius magnitudinem montis in duas partes. Ita ille.

TH. Sane contingunt montibus plura, quæ ſunt commemoratione digna. Nam quid audiri poteſt, aut legi magis admirandum, quam quod de Cyrenaica rupe traditur? Mela enim lib.1. c.4. *Ad Catabatmon* (inquit) *Cyrenaica prouincia eſt Africæ pars,in eaq; rupes eſt quædam ac fons Solis appellatus,quæ cum hominum manu attingitur,fons immodicus exurgit,arenas quaſi agens ſic ſæuit,vt æquor fluctibus:* quod & apud Plin.legi lib.2.c.45. *In Cyrenaica* (inquit)*prouincia rupes quædam ſi attrectetur hominis manu confeſtim Auſtro voluente arenas mittit: quæ alias occaſione alia commemorauimus.* *Fons Solis.*

PH. Eſt quoque commemorandum, montes aliquot vmbram non reddere, vt ratio fert aliorum montium: id præcipue mirum in monte Maleo, de quo iam diximus ex Solino cap. 53. Vltra Polymbrotum (inquit) mons Maleus, in quo vmbræ hyeme in Septẽtrionem,æſtate in Auſtrum cadunt, viciſſitudine hac durãte ſenis menſibus: auctor eſt Betho, cui congruit Plinius libr.2. cap.37. In Indiæ gente Oretum mons eſt Maleus nomine, iuxta quem vmbræ æſtate in Auſtrum, hyeme in Septentrionem iaciuntur. Sed & lib.6.cap.19. A Palymbrotis(inquit) in interiore ſitu Monedes & Suari, quorum mons Maleus, in quo vmbræ ad Septentrionem cadunt hyeme, æſtate in Auſtrum per ſenos menſes. Bethon auctor eſt.

EQ. Nec prætermittendum,quod duo mõtes ſe mutuo colliſerint:Plin.enim lib.2.cap.83.factum eſt ſemel,quod equidem in Hetruſcæ diſciplinæ voluminibus inueni, ingens terrarum portentum L.Marcio, Sex.Iulio Coſſ. in agro Mutinenſi: namque montes duo inter ſe concurrerunt, crepitu maximo aſſultantes, recedentesq;, inter eos flamma,fumoq; exeunte interdiu, ſpectante è via Æmilia magna Equitum Romanorum,familiarumq; & viatorum multitudine. Eo concurſu villæ omnes eliſæ, animalia permulta,quæ intra fuerant, exanimata ſunt. Eadem Fulgoſ.lib.1.de prodigiis.

PH. Et illud quoq; commemorandum,montes ablatos vel abſorptos, vel in planum campum redactos. In Campano enim ſinu mons Epopon, cum repente flamma ex eo emicuiſſet, campeſtri æquatus eſt planicie; & alio quodam terræ motu, prouolutis montibus, Inſula Prochyta extitit: Plin.lib.2.c.88.Quibus accedit, quod idem Plinius tradit lib.2.c.91. Montes abſorptos, atq; à terra deuoratos, Cybotum ſcilicet altiſſimum montem cum oppido Curite, Sipylum montem in Magneſia, atq; in Æthiopia Phegium iugum excelſiſſimum.

TH. Id accidit etiam Leonis Imperatoris tempore, quod ſcribit Euagrius libro 2.cap.14. ex priſco eius temporis hiſtorico: Conſtantinopoli & in Bithynia adeo ingentes pluuias ad tres aut quatuor dies extitiſſe, inſtarque fluuiorum de cœlo præcipitatas, inſuperque montes illarum violentia in planiciem fuiſſe depreſſos cum pagis; quod etiam tradit Nicephorus lib.15.cap.20. Vt autem montes in planiciem depreſſi fuerunt,alibi contrario opere è planis montes huiuſmodi

pluuiæ effecerunt: nam in Boana lacu, qui non longe abeſt à Nicomedia, ob crebram ſordidæ cuiuſque generis materiam in eum congeſtam collium modo Inſulæ factæ ſunt, vti Euagrius & Nicephorus ibidem teſtati ſunt, nosque alias etiam diximus.

EQ. Simile quiddam ſub Theodoſio quoq; contigerat, vt montes, qui non erant, repente aſſurgerent. Illo enim immaniſſimo terræ motu, qui ſub ipſo Theodoſio totum fere orbem concuſſerat, aggeres derepente in ingentes montes fuiſſe conformatos tradit Niceph. lib.14.cap.46. ſicut in Saxonia ſponte collis ſex millia paſſ. longus emerſit Imperatoris Lotharii anno octauo. Fulg.lib.1.de prodig. Sed & in Italia ex hiatu aſſurrexiſſe mons memoratur in Tripergola Campaniæ, qui patet 4.paſſ mill. Sed & Aſtrunus mons etiam repente emerſiſſe perhibetur. Leander in Campania.

PH. Nec prætermittendum videtur, alicubi montes à proximis conuallibus natura contraria eſſe, vt in Tumbez Peruaci; planis enim nunquã pluit, nunquam ningit, neq; fulgura fiunt: at in montibus proximis pluit, ningit plurimum. Petr. Hiſp.p.5.c.25. quin cum vallium campeſtria hyemem habeant, in montanis Ver floret, tepente cœlo, vt eodem cap. idem Hiſpal. commemorat.

EQ. E montibus quoque non paruum ſolet imminere periculum ab occulta quadam ventorum vi: non enim de ea loquor ventorum aereorum immanitate, qui in montibus flantes hominibus magno discrimini ſunt: ſed de ſpiritu quodam ab antris montium exhalante: cuiusmodi Vincent. hiſtor. lib.37.cap.24. cum Tartarorum regiones deſcriberet, commemorat montem ibi non admodum excelſum antrum habere, ex quo tantus hyeme ventorum ſpiritus exhalat, vt illac tranſeuntibus euidentiſſimum naufragandi discrimen immineat; æſtate vero erumpunt inde venti quidem, non tamen tanto fragore, neque periculo. Eadem Olaus lib.2.cap.4.

Monachus mons Noruegiæ.

TH. Contrarius mons eſt in Noruegia excelſus, cui nomen Monachus (nec id abs re) quandoquidem monachi formam gerit: eminet ſummo vertice, ſicut homini ab humeris eminet caput: deinde ſub humeris rupes abſcinditur efficiens cuculli monachalis formam: reliquum vero, quod à cucullo ab imum mõtis ſupereſt, referre videtur monachalis veſtis ad talos vsq; partem. Mirum huic monti eſt à natura inditum, vt radicib. tranquilliſſimum efficiat portum; quem ſi quis non ingrediatur, ſed alto proximo mari ſeſe commiſerit, naufragandi discrimen euidentiſſimum incurrit. Loco igitur aſyli mons Monachus habendus eſt: eumq; natura excelſum fecit, vt procul à nauigantibus ac periclitantibus conſpiciatur & adeatur. Olaus lib.2.cap.5.

EQ. Nec id immerito: nam montes Dei qui ſunt, niſi prædicatores Dei, vt docet S. Auguſtin. ſuper Pſalm.35. & ſuper Pſal.39. clari quiq; & magni Eccleſiæ ſpirituales viri, magni ſoliditate, non tumore? Ad hos igitur, quaſi ad aſylum in naufragii periculis recurrendum eſt, quos Dei lumen illuſtrat.

PH. Acute ſane ducta translatio: ſed redeamus ad montium naturas, & de eorum etiam longitudine agamus: nam adeo in longum porrigi comperti ſunt montes Peruaci, vt in eis via quædam extructa comperiatur perpetuo ducens à Quito ad Cuzo, calce ac lapidib. ſtrata, lata pedes 25. exciſa marmore, podiis hinc inde extructis in longũ ad leucas 600. Italica ſcilicet milliaria bis mille & vltra, opus id & pyramides Ægyptias, & quælibet Romanorum ædificia ſuperat. Pet. Hiſp.p.5.c.25.

TH. Non

TH. Non eſt adeo mirum iuga montium vallium planiciem imitari, ſed mirum eſt, quod tantus in illis ſumptus fuerit erogatus: verum magis admiror in iugis montium naues profunde defoſſas compertas fuiſſe, cuiusmodi ſeſe vidiſſe teſtatur Fulgoſus, effoſſo monte, qui à mari diſtaret cubitis centum. Terra enim plurima è monte excauata, comperta eſt nauis humore abſumpta propemodum cum inſtrumentis omnibus ferreis, cum quadraginta hominum cadaueribus, oſſibus exſiccatis anno Domini 1460. Eadem retulit Petr. Hiſpal. p. 2. cap. 11. Idque ex diluuio accidiſſe putandum eſt, quo omnium locorum facies immutatæ ſunt, valles in montes, monteſque in valles depreſſi. Qua ex re illud accidit, vt in pago Zichen apud Traiectum ad Moſam eruantur à terræ viſceribus lapides, in quib. ſunt conchilia redacta in duritiem lapideam, & oſſa animantium, vt tradit Gregorius Bruin in Traiecto ad Moſam. Idem accidit iuxta Veronam. Idem Bruin in Verona.

PH. Id certe quo ad nauim contingere potuit vel ex ingentium maritimorum fluctuum tumore, quo nauis in proximos colles fuerit eiecta fluxu, refluxu vero non redierit. Nam apud Epidaurum Hilarionis tempore naues à præruptis montium cacuminibus pependiſſe ob tumorem maritimum teſtatur Hieronymus in eius vita: & nauigia ſuper tecta domorum conſtitiſſe diſſeruimus in colloquio de mari. Niceph. lib. 9. c. 35. Potuit etiam nauis extra mare in littore iacuiſſe: atq; è mari euomitione cinerum ac pumicum tanta copia emiſſa, vt montis fere modo eam oppreſſerit, ſicut apud Puteolos, lacumque Auernum pumicei montes aggeſtu confecti ſunt: viciq; ibidem adhuc ſepulti iacent: nam & qui ab eo caſu ereptus eſt puer, homo mihi narrauit.

TH. Antequam hinc abeamus, quaſi colophonem addere libet ex Clemente Alexandrino rem ſane commemorandam: ille enim ſtromat. libro ſexto: *Ii* (inquit) *qui compoſuere Perſica, referunt tres montes in longo campo deinceps eſſe poſitos, eos autem, qui locum transmittunt, cum ad primum quidem montem peruenerint, audire vocem confuſam, veluti clamantium non paucorum millium hominum, perinde ac ſi eſſent in acie: ad medium autem cum venerint, maiorem ſimul & euidentiorem ſtrepitum apprehendere: tandem autem audire in fine canentes, perinde atque viciſſent. Cuiusuis autem ſoni cauſa eſt, vt exiſtimo, & locorum leuitas, & concauitas: reiectus itaque, qui ingreſſus eſt ſpiritus, in eundem locum procedens, ſonat vehementius.* Hæc ille.

EQ. Et ille eſt memorabilis mons in maiore Polonia prope Suenum oppidũ, vbi res incredibiles, ollæ, amphoræ, cacabi, & aliarum figurarum vaſa fictilia, ſponte naſcuntur, & ſub terra effodiuntur mollia, ſed mox in aerem prolata dureſcunt. Cromer. Polon. deſcript. lib. 1.

PH. Superſunt & alia iure de montibus commemoranda: nam in monte Corina Cretæ, vti alias diximus occaſione alia, nulla muſca, neque mel ibi natum, alibi muſcæ attingunt, vt ex aliis auctoribus Bocatius tradit. Et mons Cariæ Laternus ſcorpiones habet, qui indigenas perimunt, hoſpites non lædunt, eodem Bocat. teſte. Quin ille eſt memorandus etiam mons Olyſippo Hiſpaniæ, quo equæ, Fauonio flante, prægnantes redduntur, vt Bocatius probat, quod etiam diximus in quadrupedibus.

TH. Et mons Climax Æthiopiæ eſt ſecus rubrum mare; quo fœminæ prolixis barbis degunt, quæ tigres, pardosq; ſibi obſequentes ad venationẽ habent; ſed

& in monte Milo homines degunt auerſis plantis, qui & octonos digitos in pedibus habent, vt memorat Bocatius.

EQ. Eſt etiam memorandus mons Tilarus eo nomine illuſtris, quod centum & eo amplius fontes habeat. Mons quoq; Vranius non procul à Chalcedone fontem habet olei, cui volentem propinquum fieri nudum eſſe oportet: hauſto igitur oleo, augetur magis. Eſt quoque ibi lapis, quæ æſtate flammam emittit, hyeme autem pro flamma gelidiſſimam aquam, Bocatio teſte. Sed & Felulanus mons lapides habet plumbeos, qui ſi excidantur, breui nouis incrementis inſtaurantur, quod & Bocatius adnotat. Optarim autem noſtro hoc cœlo reperiri montem illum, cui nomen eſt Maul in Britannia, cuius in radicibus lacus eſt, cuius aquæ adeo animalia feſſa reſtaurant, vt nullo videantur attrita labore, quod & Bocatius ſcripſit. Sed abeamus.

SINGVLARES

PROPRIETATES LOCORVM AC TERrarum quarumdam,

COLLOQVIVM DECIMVMSEPTIMVM.

PHILOSOPHVS.

QVÆ eſt ſubobſcura hæc fornix, in tantam amplitudinem concamerata, ac ferme ſubterranea?

EQ. Non aliam ob cauſam conſtructa, quam ad æſtum euitandum, & cum propemodum ſubterranea ſit, illud adnixus ſum, vt in eam nullum animal ingrediatur, reptile præſertim atq; inſectum, quibus huiuſmodi loca ſcatere ſolent magno noſtro incommodo.

TH. Qui id fieri potuit, vt nullum animal hunc vnum locum ingrediatur?

EQ. Pauimenti, quod videtis, atq; incruſtationis ratione: nam è Thracia aduectum quendam puluerem plurimum effudi; quem omnia animantia effugiunt: idque auctore Ariſtotele perdidici de admirandis cap. 115. ſic enim ille: *In Thracia Chalcide, quæ proxima eſt Olyntho, locus eſt paulo maior area, Cantharolethrum dicitur, interfector ſcilicet ſcarabæorum: in hunc locum quodcumq; perueniat animal, loci abhorreſcentia diſcedit, incolume tamen; at ſolus ſcarabæus nequit diſcedere, ſed locum circumambiens & vagans fame deniq; moritur.* Hæc ibi: quod & in Gallia quodam quoq; loco compertum auctores tradunt: nam prope vrbem Grationopolim turris vetuſta eſt, quę araneas non patitur, neq; aliud venenoſum: quin, ſi aliquid in eam inferatur, ſtatim moritur; quod & in Hyberniæ Inſula Iſlandia contingit. Fulgoſ. lib. 1. cap. 6. Quin & Ipra Flãdriæ vrbe idem eſt compertum: nam turris ibi eſt, qua nec aranea, nec tela eius vlla vnquam viſa eſt, vt tradit Georg. Bruin in Ipra.

PH. Quod ſi fuiſſet incruſtationi ac pauimẽto aſperſum terræ genus illud, quo animalia omnia interimuntur, ſicut de Cretæ puluere alias diſſeruimus, quo ſerpentes necantur, aut de Scotiæ lapillis, quibus apes moriuntur, aut de Carini montis terra, intra cuius ſpatium nulla muſca reperiri poteſt, nunquid locus hic fuiſſet eodem priuilegio munitus?

EQ. Gra-

EQ. Gratius mihi eſt, noxias res à me diſcedere, quam apud me perire: quæ namque forèt huius loci felicitas, ſi aut reptilia, ſerpentina, aut inſecta (noxia quidem animalia) huc profecta morerentur? Eſſent nobis maiore incommodo mortua, quam viua; cautius igitur mihi viſum eſt, arte aliqua arcere, quam abigere: ductus enim ſum ſimilitudine carminis egregie poetici:

Turpius eiicitur, quam non admittitur hoſpes.

Noueram etenim terram reperiri, qua omnia necarentur animantia, ex Ariſtotele de admir. c. 117. *In Biſaltarum* (inquit) *Gaſteoniæ regione locus eſt non latior iugeris ſpatio, in quem quodcumque animal ingreſſum fuerit, moritur.* Propterea forte ſuperſtitioſum non eſt, quod Ortellius memorat in Hyberniæ Mononiæ Boreali in lacu quodam Inſulam eſſe, in qua ſit ædes quædam, quam nulla fœmina, nullumque fœminei ſexus animal ingredi poteſt, quin ſtatim moriatur, idque frequentiſſimis experimentis dicit conſtare.

TH. Cogitemus, quam multis miraculis plenum eſt quodlibet opus Dei, ſiue terrarum naturas, ſiue cœlorum, ſiue aquarum excogitemus. Augentur ipſarum rerum miracula ipſa varietate, vt ſic virtutis Dei agnoſcamus immenſitatem, ac benignitatem omnia ad hominis beneficium condidiſſe; qui ſi vnicam terræ ſpeciem creaſſet, putaret forſan aliquis virtutis imbecillitate, veluti aliter creare non potuiſſet, Deum illam vniformem creaſſe: quam fallaciam, ne ſtolidorum animis irreperet, abſtulit diuina omnipotensque prouidentia, quando tot terrarum proprietates effecit, aliis quædam, aliis alia tribuens, aliis alia negans, vt pateret omnibus, quæ fecerit, voluntatis ſuæ fuiſſe, non neceſſitatis. *Opera Dei mirabilia.*

PH. Quia voluit, ſic egit diuina potentia. Terram Paradiſi quanta virtute diſtinxit à reliquis terris? quin & reliquas terras à ſe ipſis tot diſcriminibus naturisque ſeparauit, vt vix vlla portiuncula alii compar eſſe videatur, ſiue ſoli, ſiue cœli ratione.

EQ. Hic igitur conſideamus hodie, diſſeramusque de terrarum varia proprietate, ac primum de terreſtri Paradiſo, ad quem ſi redire nobis non ſit permiſſum, liceat tamen contemplari.

TH. Paradiſi terra ab omnibus reliquis mirum in modum exempta eſt, voluptatis locum ſacra appellat ſcriptura, Gen. 2. vt omnium ibi deliciarum intelligeretur eſſe locus, nullis cœli perturbationibus ſubiectus, ibi terra nemoroſa & fructuoſa eſt. S. Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 13. c. 18. & vt idem Auguſtinus habet de Geneſi ad literam lib. 8. c. 1. amœniſſimus fructuoſis nemoribus opacatus, magnus, magnoque fonte fœcundus.

EQ. Paulo fuſius de eo habet Iſidorus lib. 14. cap. 3. *Paradiſus* (inquit) *locus eſt in Orientis partibus conſtitutus, cuius vocabulum ex Græco in Latinum vertitur Hortus: porro Hebraice Edem dicitur, quod in noſtra lingua Deliciæ interpretatur, quod vtrumque iunctum facit Hortum deliciarum. Eſt enim omni genere ligni & pomiferarum arborum conſitus: habens etiam lignum vitæ, non ibi frigus, non æſtus, ſed perpetua aeris temperies. Eius medio fons prorumpens totum nemus irrigat, diuiditurque in quatuor naſcentia flumina: cuius loci aditus poſt peccatum hominis interclusus eſt; ſeptus eſt enim vndique romphæa flamma, id eſt, muro igneo cinctus, ita vt eius cum cœlo pene iungatur incendium. Cherubin quoque, id eſt, Angelorum præſidium arcendis ſpiritibus malis ſuper romphææ flagrantia ordinatum eſt, vt homines flammæ, angelos vero malos Angeli boni ſubmoueant, ne cui carni vel ſpiritui transgreſſionis aditus Paradiſi pateat.* Hæc ille. *Paradiſi deſcriptio.*

Paradiſi locus vbi terrarum ſit ignoratur.

TH. De Paradiſo egregie eſt locutus Iſidorus, ſed vbi ſitus ſit, inanis eſt quæſtio, quoniam omnibus eſſe occultiſſimum Deus conſtituit, vti habet S. Auguſt. de peccato originali contra Pelagium lib. 2. cap. 23. & id etiam habet Petrus Lombardus ſentent. lib. 2. diſt. 17. Nec niſi diuina reuelatione cognoſci, nec niſi diuino auxilio adiri poteſt. Eſt enim, vt tradit poſt Bedam & Damaſcenum Monopolita dec. 1. c. 3. q. 7. quæſtiuncula 1. locus ſecluſus ab habitatione hominum, inacceſſibilis propter impedimenta maris & montium, vel deſertorum, aut regionis feruentis & æſtuoſæ; cuiusmodi eſt regio ſub æquinoctiali. Ideo nemo vmquam de illo ſcripſiſſe compertus eſt præter Moyſen, à quo reliqui didicerunt.

EQ. Quomodo adiri nec cognoſci poſſit? ſitque in huius terræ noſtræ orbe, quomodo non eisdem frigoribus aut ardoribus, aut pluuiarum irrigationibus, aut terræ humoribus, aut horum aliquo non ſubiicitur? Niſi forſan tanta eius altitudo ſit, vt aeris ſitum videatur excedere, quod ob ignis ſphæram erit impoſſibile.

PH. Hac ratione ducti nonnulli, etiam ſanctiſſimi, vt Beda, & doctiſſimi, vt Petrus Lombardus, ſenſerunt, Paradiſum in Lunæ vsque globum eleuatum fuiſſe, ſed ignis ſphæra eorum ſententiæ obſiſtit: is enim eſt intra reliquæ terræ rotunditatem & orbem, & quatenus diluuium Noe pertingere potuit, id eſt, ſupra quoscumque montes cubitis quindecim, eam altitudinem terreſtris Paradiſus non excedit. Diluuio tamen non fuit inundatus, tum quia eiecto Adam & Eua Deus illi terræ non maledixit, ſed in præcipuum beatitudinis terreſtris locum præſeruauit, & in illum aliquos induxit, cuiusmodi Enoch, Gen. 5. ac poſtea Eliam, atque etiam Ioannem Euangeliſtam, atque alios plures, præcipue eos, qui ſurgente Chriſto ſurrexiſſe quoque viſi ſunt.

EQ. Inundationis diluuii Noe tempore quis erat in Paradiſo terreſtri, vt illi parceretur?

TH. Enoch. Eccleſiaſt. cap. 44. *Enoch placuit Deo, & translatus eſt in Paradiſum:* quin etiam (ſi ſequamur illorum ſententiam, qui computatis Mathuſalem filii eius annis, tradiderunt eum diluuio quatuordecim annis ſuperuixiſſe) oportebit fateri, eundem Mathuſalem cum patre in eodem Paradiſo, diluuio durante, ſeruatum; nam cum in arca cum Noe non fuerit, alibi ſeruari non potuit, niſi hoc Paradiſi loco. Hanc rem ita ediſſerit S. Auguſtinus de Ciuit. Dei. lib. 15. c. 11. *Detractis* (inquit) *nongentis quinquaginta quinque annis ab ortu Mathuſalem vsque ad diluuium, remanent quatuordecim, quibus vixiſſe creditur Mathuſalem poſt diluuium. Propter quod cum nonnulli, etſi non in terra, vbi omnem carnem, quam viuere in aquis natura non ſinit, conſtat fuiſſe deletam, cum patre ſuo Enoch, qui translatus fuerat, aliquantum fuiſſe, atque ibi donec diluuium praterierit, vixiſſe arbitrantur, nolentes derogare fidem Codicibus, quos in auctoritatem celebriorem ſuſcepit Eccleſia.* Hæc ille. Sed rem hanc maxime dubiam cenſet lib. 2. de peccato originali contra Pelagium, cap. 23. his verbis: *Quum quaritur, vbi potuerit Mathuſalem viuere, qui in arca non fuit, qui, ſicut in plerisque Codicibus, & Gracis & Latinis, numerantur anni, reperitur ſuperuixiſſe diluuio: vel vtrum paucioribus, qui rariſſimi inueniuntur, potius credendum ſit, in quibus ita eſt numerus conſcriptus annorum, vt ante diluuium defunctus fuiſſe monſtretur; quis enim non ſentiat, hanc variam quaſtionem ad obſcuriſſima opera Dei, & ſcriptura apertiſſimas latebras pertinere, ac definire difficile eſſe?*

EQ. Optarim autem noſſe, quomodo diluuium euitarit Paradiſus terreſtris, cum in ſuperficie huius terræ ſit, neque adeo excedat altitudine?

TH. Eam rem Monopolita explicat dec. 1. cap. 3. q. 7. quæſtiuncula prima, ex ſenten-

ſententia S.Thomæ in ſumma p.1.q.103 & aliis: *Temperies* (inquit) *Paradiſi, & puritas aeris ſuperpoſiti illi regioni defenditur miniſterio Angelorum à nubibus, ventis & pluuiis, & ab omni perturbatione in perpetuum, quia propter peccatum hominis nihil indiſpoſitionis paſſa eſt, nec in eius aere vſque ad cœlum, nec in ſubſtantia terræ vſque ad centrum, ſed adhuc perſeuerat in illa optima diſpoſitione, quam habuit ante peccatum, & habuiſſet in ſtatu innocentiæ in memoriam originalis integritatis, vt appareat, quanta Deus diſpoſuit homini etiam in terra, ſi ei obediuiſſet, & quantum propter eius peccatum natura, & diſpoſitio temporum & regionum deteriorata fuit. Ideoque aquæ diluuii, quamquam quindecim cubitis aſcenderint altius omni monte ſub vniuerſo cœlo, tamen non ſequitur, quod irruerint etiam in regionem Paradiſi, quia fieri potuit diuina virtute, vt aquæ, quamuis altiores illa regione eſſent, non tamen irruerent in Paradiſum, ſed illo remanente ſicco, quaſi murus circumſtiterint, quemadmodum mare circumſtitit filiis Iſrael ambulantibus in ſicco.* Hactenus ille: atque addere nos poſſumus, omnia maria littoribus longe eminentiora eſſe, non tamen irruunt in continentem terram. Beda igitur & Lombardus, atque alii, qui ad lunarem globum eum compararunt, non de altitudine intellexiſſe putandi ſunt, ſed de aeris temperie, puritate, perturbationibus omnibus vacua, vt intellexiſſe patet ſanctum Thomam in ſumm.p.1.q.103.& ſent.2.diſt.17.q.4. Hactenus de deliciis Paradiſi aeris cœlique ratione: at ibi alia erant inexplicabilia deliciarum genera. Nam præter terræ ſummam fœcunditatem ac cœli influxum admirandum, quo germina omnia ſponte creſcunt, nullo ſatore adhibito, pulchritudine arborum mirabili, quia viſus paſceretur, & ſapore omnem ſuauitatem ſuperante, locus excellit, Geneſ. 2. *Duæ ibi fuere, ac adhuc ſunt, ſingularis virtutis plantæ, nusquam toto orbe aut plantatæ, aut viſæ: arbor ſcilicet ſcientiæ boni & mali, & arbor vitæ.*

Virtute diuina factum eſt, vt aquæ diluuii in Paradiſum haud irruerint.

PH. Sed quomodo lignum ſcientiæ boni & mali nuncupatum eſt, cum antequam priores parentes de eo ſumpſiſſent, & bona & mala omnia nouerant, poſt eſum in rerum omnium ignorationem prolapſi ſint?

TH. Nouerant ſane bona & mala priores parentes ante ligni illius eſum. Nam (vt ait) Io.Chryſoſt. Geneſ. hom. 16. *Adam, qui nomina omnibus animantibus dedit, quique admirabilem Prophetiæ gratiam fuit aſſecutus, quam de muliere pronunciauit, quomodo ignorauit, quid bonum, aut quid malum?* Hæc ille: ſed cur ita dictum ſit hoc lignum, ibi explicat Chryſoſtomus: *Lignum* (inquit) *ſcientiæ boni & mali à ſcriptura, non quod homini ſcientiam dederit, ſic vocatum eſt, ſed quia per illud facta eſt transgreſſio mandati, & ex illo poſtea intrauit ſcientia & erubeſcentia: & propterea ſic appellatum eſt; mos enim diuinæ ſcripturæ eſt, à rebus contingentibus nomina locis imponere, ſicubi res contingat, eaque propter lignum hoc vocatum eſt lignum ſcientiæ boni & mali.*

Cognitio boni & mali primi hominis vnde?

EQ. Hanc ratiocinationem egregiam beati Ioannis Chryſoſtomi ante eum explicaſſe videtur Ioſephus libro antiquitatum, & tandem Petrus Lombardus ſententiarum auctor lib. 2. diſt.17. apertiſſimis verbis diſſeruiſſe legitur: *Lignum* (inquit) *ſcientiæ boni & mali non à natura hoc nomen accepit, ſed ab occaſione rei poſtea ſecutæ. Arbor enim illa non erat mala, ſed ſcientiæ boni & mali ideo dicta eſt, quia poſt prohibitionem erat in illa transgreſſio futura, qua homo experiendo diſceret, quid eſſet inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum. Cognouit ergo homo, priusquam tangeret hoc lignum, bonum & malum, ſed bonum per prudentiam & experientiam, malum vero per prudentiam tantum.* Hactenus ille.

TH. Hæc fere omnia verba ſumpſit Lombardus ab Auguſtino de natura boni aduerſus Manich.lib.1.c.35.

EQ. Num-

EQ. Numquid arbor hæc ficus fuit, vt nonnulli aſſerunt, ac præcipue Hebræi?

TH. Non puto vere ficum fuiſſe, ſed fici eximii nobiliſſimique ſpeciem. Sicut enim cibo abuſi fuerant Adam & Eua, ita eiusdem arboris verenda foliis nudata contegere æquum fuit, Gen.3. vt ſenſit Petr.Comeſtor.in hiſtoria,& Monopolita dec.1.c.3.q.7.quæſtiuncula 2.

PH. Sed de ligno ſcientiæ hactenus: lignum autem vitæ num faciebat immortalem hominem, quia vitam præbebat?

TH. Ex verbis B.Ioannis Chryſoſtomi Geneſ.hom.18. videtur affirmari poſſe. Sic enim ille: *Lignum vitæ, vt exiſtimo, & veriſimile eſt, edentem Adam immortalem feciſſet.* Et ſane conſentire etiam videntur verba ſcripturæ Geneſ. cap. 3. quibus excluſus eſt à Paradiſo Adam: *Ne, ſi ſumpſiſſet de ligno vitæ, viueret in æternum.* Sed huiusmodi immortalitas erat ita accipienda, vt poſſet ſemper viuere, numquam mori, numquam peccando, vt Auguſt.de Ciuit.Dei, lib.13.c.20. *De ligno* (inquit) *vitæ propterea guſtabatur, ne mors eis vndecumque ſubreperet, vel ſenectute confecti, decurſis temporum ſpatiis, interirent.* Hæc ille. Sed poſt peccatum lignum vitæ immortalitatem præbere non potuiſſet, quia ex peccato mortis conditio ſuperuenerat, quam lignum vitæ abigere non potuiſſet: ita enim ſe habent verba S.Tho. in 2.ſent. diſt. 19. ar.4. in nouiſſ.ſcrip. *Principali cauſa* (inquit) *remota, ſcilicet innocentia, nec aliis cibis, nec ligno vitæ potuiſſet immortalitas conſeruari, quamuis eius ligni vitæ ad vitam diuturniorem contuliſſet.* Et eisdem modis intelligi oportet, quæ Hugo de ſancto Victore conſcripſit, cum diceret: *Inter cætera Dei dona ad iucunditatem vitæ humanæ præparata etiam illud mirandum commemoratur, quod in Paradiſo lignum vitæ eſt, cuius virtus tam mirabilis eſſe perhibetur, vt certis temporibus ſumptum vitam corporalem in homine, quamdiu ipſe homo illo vteretur, non ſolum à morte, ſed ab omni defectu illæſam cuſtodire potuiſſet.*

Homo ante lapſum immortalis.

PH. Ergo illud ſcripturæ verbum, *In æternum*, quod poſt peccatum à Domino prolatum eſt Geneſ.3. æternitatem non ſignificat?

TH. Non ſignificat æternitatem temporis, ſed diuturnitatem, vt iam audiuimus à ſancto Thoma; & id apertiſſimis verbis tradidit Monopolita decad. 1. c.3. q. 7. quæſtiuncula 2. Sed redeamus ad reliquas delicias eius loci.

Erant flumina irrigantia quatuor, originem ab vnico fonte trahentia, qui in eius medio manabat. Magna ſane & vaſta eſt Paradiſi regio, quam irrigant hi fluuii, Nilus omnium ampliſſimus, Ganges, Tigris, Euphrates, quorum tamen nomina mutata ſunt, eorumque origo duplex eſt; altera quidem Oceanus, ipſo Damaſceno teſte; altera proxima, quæ eſt ipſe Paradiſi fons; neque refert quidquam, eadem flumina ſuas habere origines adeo longe ſibi inuicem remotas. Nam ſanctus Auguſtinus de Geneſi ad literam lib.8.c.7. ſic reſpondet: *Quod de iis fluminibus dicitur, aliorum eſſe fontes notos, aliorum prorſus incognitos; ideo non poteſt accipi ad literam, quod ex vno Paradiſi flumine diuiduntur? cum potius credendum ſit, quoniam locus ipſe Paradiſi à cognitione hominum eſt remotiſſimus, inde quatuor aquarum partes diuidit; ſicut fideliſſima ſcriptura teſtatur: ſed ea flumina, quorum fontes noti eſſe dicuntur, alicubi eſſe ſub terras, & poſt tractus prolixarum regionum locis aliis erupiſſe, vbi tamquam in ſuis fontibus nota eſſe perhibentur; ſed ibi hoc ſcitur, vbi non diu ſub terris currunt.* Hactenus ille. Fuitque eiusdem ſententiæ S.Thom.2.ſent.diſt.17.q.4. *Flumina* (inquit) *Paradiſi quod alibi habere originem videantur, ex hoc prouenit, quod à Paradiſo egreſſa iterum ſub terra demerguntur, vnde ibi originem habere dicuntur, vbi iterum renaſcuntur.*

EQ. Ego

EQ. Ego mire oblectatus ſum his rebus, iureque factum puto, vt hęc flumina Paradiſo egreſſa demergantur, lateantque, ac poſtea cognitis locis rurſum emergant, & orbem fere totum alluant, perditis peccato innocentiæ virtutibus, ac poſtea redemptoris beneficio recuperatis. Nam ii quatuor fluuii abſque dubio quatuor virtutes ſpiritali intelligentia repræſentant, prudentiam, fortitudinem, temperantiam atque iuſtitiam, vti tradidit S.Auguſt.de Ciuit.Dei lib.13.c.21. & S.Gregor.Moral.lib.2. cap.27. *Quatuor* (inquit) *Paradiſi flumina terram irrigant, quia dum quatuor virtutibus cor infunditur, ab omni deſideriorum carnalium æſtu temperatur.* Hæc ille. Perdita igitur originali iuſtitia, abiectisque à Paradiſo primis parentibus, ceſſantibus originali iuſtitiæ virtutibus, ſpiritalique irrigatione, æquum fuit, irrigationem quoque fluuiorum illorum abſcondi latereque: verum quia in omnes orbis partes profugum humanum genus diffundebatur, neque tamen à Dei gratia deſtituebatur, quæ ad reſtaurandam animam eos perpetuo inuitaret & adiuuaret, æquiſſimum fuit figuratione fluminum, quæ alias haberent origines atque meatus, ita quoque virtutes à lege, à ſacrificiis, à ceremoniis, à iudiciis promanare occultis quibusdam modis, & excellentius vera collata gratia per Chriſti Sacramenta videmus, & ſic omnis terra irrigetur.

TH. Recte ſane excogitatum myſterium. Erant igitur infinitæ illæ deliciæ, quas vnico bolo perdidimus: egregiis enim verbis eas deſcribit ſanctus Auguſt. de Ciuit.Dei lib.14. cap.26. *Viuebat* (inquit) *homo in Paradiſo, ſicut volebat, quam diu volebat, quod Deus iuſſerat: viuebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus: viuebat ſine vlla egeſtate, ita ſemper viuere habens in poteſtate: cibus aderat, ne eſuriret; potus, ne ſitiret; lignum vitæ, ne illum ſenecta diſſolueret: nihil corruptionis in corpore, vel ex eo corpore vllas moleſtias vllis eius ſenſibus ingerebat: nullus intrinſecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinſecus; ſumma in carne ſanitas, in anima tota tranquillitas: ſicut in Paradiſo nullus æſtus aut frigus, ſic in eius habitatore nulla ex cupiditate vel timore accedebat bonæ voluntatis offenſio: nihil omnino triſte, nihil erat inaniter lætum: gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat charitas ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, atque inter ſe coniugum fida ex honeſto amore ſocietas, concors mentis, corporisque vigilia, & mandati ſine labore cuſtodia: non laſſitudo fatigabat otioſum, non ſomnus premebat inuitum.* Hactenus ille. *Deliciæ Paradiſi.*

EQ. Eisdem igitur deliciis adhuc perfruuntur Enoch, Elias, Ioannes Euangeliſta, ac reliqui illo translati, de quibus iam diximus: ſola mater Dei Maria maius priuilegium in ſua carne ſentit; nam in cœlum aſcendit, non in hunc Paradiſum terreſtrem: vt enim filius reſurgens in carne ad dextram Patris aſcendit, ita mater, è cuius carne Deus carnem aſſumpſit, eundem in locum aſſumpta eſt, Ioanne Damaſceno claris verbis explicante, atque omni Dei Eccleſia ita firmiter aſſeuerante.

PH. Numquid autem Paradiſi felicitatem fœdarit diaboli & ſerpentum, beſtiarumque præſentia, ſæpe excogitaui.

TH. Nequaquam: omnia enim creata bona ſunt, nec niſi peccatum fœdum eſt, quod fœdat omnia; in Paradiſum enim per Dei diſpoſitionem inducta, non ibi creata fuere bruta animantia, ſerpens tamen magis diaboli operatione, vti ex ſancto Thoma tradit Monopolita dec.1. cap.3.q.7. quæſtiuncula 3. in fine. Erant igitur ibi omnia ſumma cum tranquillitate, nec (abſque peccato hominis) diaboli vlla poteſtas erat perturbandi, nec inde abigendus fuit, quoniam ex ipſa loci tranquillitate nihil ſibi gaudii quærebat, cum corpus non habeat, ſed potius pœnam,

& liuorem; ex ſancto Thoma 2.ſentent. diſt. 21. art.3. Belluæ quoque ac ſerpentes nil detrahebant amœnitati, paci ac loci illius felicitati: ſæuire enim non poterant, quum non niſi poſt peccatum lædere cœperint. Adam enim ipſe, beſtiis omnibus ad ſe adductis, nomina impoſuit: ipſe etiam ſexto die lege verbi Dei cum omnibus communes cibos accepit, vt tradit S. Auguſt. de Geneſi ad literam lib.8.c.10. Nihil ergo illi felicitati obfuit, niſi peccati conſenſus, quo diabolo & brutis ſæuiendi poteſtas collata eſt: erat enim debiliſſimus aduerſarius, *quum* (ex Bernardi ſententia) *non vincat, niſi vinci volentem.* Ex eodem S. Thoma eadem diſtinct. 21. articulo primo.

EQ. Cum igitur fuerit totius humani generis origo in Paradiſo primum decorata, mirum nullum eſſe hominum genus, quod illud fateatur, præter nos Chriſti ſeruos, qui à Moyſe vno id didicimus.

PH. Plato doctiſſimus de Paradiſo, in quo hominum origo fuerit, aſſeruit apertiſſimis verbis in Sympoſio, appellatque hortos Iouis homo Ethnicus, & fidei lumine deſtitutus, vt teſtatur Euſeb. præpar. Euang. lib. 12 c.6.

TH. Plato in Ægyptum perrexerat, ibique Moyſis ac Iudaicæ legis ſenſa perdidicerat, vti tradidit ſanctus Auguſtinus de Ciuit. Dei lib. 8. cap. 11. & de doct. Chriſt. lib. 2. cap. 28. & Retract. lib.2. c. 4. quod ante eum tradiderat ſanctus Ambroſius libro, quem de Sacramentis ſeu Prophetia ſcripſit. Et ante hos omnes Euſeb. Cæſar. de præpar. Euang. toto fere lib. 11. id proſequitur, Platonem ſcilicet Iudæorum dogmata pernouiſſe. Is igitur Plato hortorum Dei reminiſcens, eorum amœnitatem egregiis verbis explicat; audiamus igitur Euſebium eius verba promentem libro duodecimo, cap.8. *Cum Moyſes* (inquit) *primam hominum vitam in Paradiſo Dei nulla re indigentem quaſi diuinam aſſerat, omniaque ſponte à terra producta, nudosque fuiſſe confirmet, Plato ea Græce ſic conſcripſit: Nulla tunc erat Reſpublica, nec liberorum procreatio; à terra enim homines emergebant, & hæc omnia, quæ modo ſunt, habentes magna optimorum copia fructuum facilime atque optime viuebant, quos non culta, ſed ſponte terra edebat, nudi ſine aliqua erant moleſtia: viciſſitudines enim temporum ſumma temperie connectebantur.* Hactenus ille.

PH. Erat autem Platonis acre ingenium, deſtitutusque ille fidei lumine nimium captui proprio deferebat, propterea quæ pie ab Hebræorum ſcriptis didicerat, ad proprium ſenſum conuerterat, & eo trahebat, quo ſuum impelleret ingenium, detrahens, addens, aut etiam immutans, vti ab eius verbis audiuimus; propterea mulieris generationem ac ſerpentis fraudem ex Moyſe cum didiciſſet veritatem, ſuo tamen ductu conſcripſit, vt libuit, non vt didicit, ad allegorias quaſdam traducens in eodem Sympoſio, cuiusmodi etiam meminit Euſeb. præpar. Euang. lib.12.cap.6. Atque hactenus de Paradiſo terreſtri, de quo numquam ſatis diſſerere licet.

TH. Adhuc de eo libet plura dicere, cum nemo vmquam eius delicias expreſſerit: propterea ſocordia ducti Origeniani & Seleuciani, ne naturæ miracula eius faterentur, corporeum terreſtremque negarunt, vt habet ſanctus Auguſtinus de hæreſ. cap. 43. & 59. ex Epiphanio: & de Geneſi ad literam lib. 8. cap. 1. Sed nos cum Catholica fide firmiter tenentes confitemur vtrumque, & terreſtrem & cœleſtem.

EQ. Agamus nunc de illo terrarum ſitu intemperato, qui huic adeo felici pene contrarius videatur, & omnium aduerſantium rerum infelicitate ſit refertus:

nam

nam & commemorandus præcipue fuerit, ſicuti apud Melam lib. 3. c. 4. legimus: *Contra Taprobanen* (inquit) *illa oſtia ſunt, quæ vocantur Solis, adeo inhabitabilia, vt ingreſſos vis circumfuſi aeris exanimet confeſtim, & inter ipſa oſtia rara tenet regio ob æſtus intolerabiles alicubi cultoribus egens*. Hęc ibi. Et ſane Paradiſo contrarius hic locus eſt, quod ille omnes ſeruet, hic omnes perimat.

TH. Admirandum hoc ſane eſt, ſed non eſt commemoratione indignum, quod de Gomorrhæo agro tradidere plerique Scriptores ſacri, vt inde pateat, naturam deſerere etiam ſolum ipſum, cum quis in illam nefarie peccet: id libentius refero, quod noſtris ſacris Scriptoribus etiam accedant Ethnici ipſi. Solinus c. 36. de agro illo ſic habet: *Duo oppida, Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrhum, apud quæ pomum gignitur, quod habeat licet ſpecimen maturitatis, mandi tamen non poteſt: nam fuliginem intrinſecus fauillaceam ambitio tantum eximiæ cutis cohibet, quæ vel leui preſſa tactu fumum exhalat, & fatiſcit in vagum puluerem.* Hactenus ille; cui ſuccedit Tacitus lib. vltimo: Haud procul (inquit) inde campi, quos ferunt olim vberes, magniſque vrbibus habitatos, fulminis iactu arſiſſe, & manere veſtigia, terramque ſpecie torridam vim frugiferam perdidiſſe: nam cuncta ſponte edita, aut manu ſata, ſiue herbas tenues, aut flores, ſeu ſolidam in ſpeciem adoleuere, atra & inania velut in cinerem vaneſcunt. Ego ſicut Iudaicas quondam vrbes igne cœleſti flagraſſe concesserim, ita halitu infici terram, corrumpi ſuperfuſum ſpiritum, eoque fœtus ſegetum & autumni putreſcere reor, ſolo cœloque iuxta graui. Hæc ille.

EQ. Egeſyppus excidii Hieroſolymitani lib. 4. cap. 18. in eandem ſententiam ſcripſit: Quinque (inquit) vrbes incenſæ, quarum vmbra quædam & ſpecies in fauillis videtur, arſere terræ, ardent aquæ, in quibus cœleſtis ignis reliquiæ cognoſcuntur, atque adhuc manent. Spectes illic ſpecie poma viridantia, formatos vuarum racemos, vt edendi generent ſpectantibus cupiditatem; ſi capias, fatiſcunt, ac reſoluuntur in cinerem, fumumque excitant, quaſi adhuc ardeant. Hæc ille.

TH. Scriptores ii ſunt non modicæ auctoritatis in hac re enarranda: verum libet adiicere ſacros quoque. Sanctus Cyprianus in ſuo carmine contra Sodomam ſic habet:

Nullus arat fruſtra piceas fuligine glebas,
Semiperempta etiam ſi qua illic iugera lætas
Autumni conantur opes, facile optima ſeſe
Promittunt oculis pyra, perſica, & omnia mala,
Donec carpantur: nam protinus indice tactu
Soluitur in cinerem, fit vana fauillaque pomum.

Sanctus etiam Auguſtinus de Ciuit. Dei lib. 21. cap. 5. ſic habet: *Poma in terra Sodomorum gignuntur quidem, & ad maturitatis faciem perueniunt, ſed morſu preſſuve tentata in fumum ac fauillam, corio fatiſcente, vaneſcunt.* Cui accedit & Iſidorus lib. 14. cap. 3. *Ibi* (inquit) *naſcuntur poma virentia ſub tanta ſpecie maturitatis, vt edendi deſiderium gignant, ſi carpas flacceſcunt, & reſoluuntur in cinerem, fumumque exhalant.* Ita iis auctoribus contrarium Paradiſo locum inuenimus ſine fructibus, ſine aquis, ſine amœnitate cœli, omnibus animantibus inhabitabilem: quod vero quinque tantum vrbes eo loci conflagrarint, vt dixit Egeſyppus, putarim ego fuiſſe plures: nam Strabo lib. 16. memorat fuiſſe tredecim, primariam Sodomam ambitu ſtadiorum 60. vti alias diximus.

EQ. Sunt & alii locorum ſitus, qui terreſtris Paradiſi ratione aliqua contra-

riam habere videantur naturam; cuiuſmodi ſunt deſerta quædam loca, quale eſt Libycum, cui nomen Godon: itinerantibus enim per dies nouem nullum aquæ genus terra ſuppeditat. Sunt vero quædam alia deſerta dierum trium, aliqua quinque, alia ſex, quibus nulla penitus aqua comperiatur, vti teſtatur Leonius p.6. Quin aliquando contigit, quod iam alias diximus, vt aquæ calix ad ducatorum millia decem fuerit emptus: fuerit tamen tam venditori, quam emptori minus ſalutaris, cum nihilominus vterque præ ſiti poſtea ibidem expirarit. Leonius p.1.

PH. Vt video, totus orbis aliqua ratione terreſtri Paradiſo fuit contrarius: vt enim alicubi alia ſunt, alia deſunt eorum, quæ de Paradiſi amœnitate diximus; neceſſario conſequens eſt, quod homo, qui inde in exilium eſt miſſus, illa perdiderit, nunquam recuperaturus, alibi deteriora omnino adinuenturus, niſi quod viri pii, qui ſe peccatis norunt obnoxios, deſerta & inuia petunt, vt qui corpori Paradiſum terreſtrem non quærunt, inueniant animæ atque ſpiritui. Sic Anachoretarum vita plerumque inſtituta eſt, Pauli, Pachomii, Onufrii, Antonii. Hac igitur ratione in Hiſtriæ deſerto adnumerata ſunt Monachorum millia circiter quinque, penes quos tanta fuit rerum omnium penuria, vt aliquid habere puderet: libro enim de vitis ſanctorum Patrum parte 2. cap. 206. inter hæc quinque millia Anachoretarum repertum quemdam, qui lina texendo centum ſolidos toto vitæ tempore collegiſſet: defunctum, Macharius, Pambo & Iſidorus infodiendum cum ſua pecunia ſtatuerunt; quamobrem pauor per totam Ægyptum monachos omnes inuaſit, vt vnum ſolidum habuiſſe grande videretur crimen. Verior igitur illis via comperiendi Paradiſi eſt, quæ contraria putatur Paradiſi deliciis: breuior eſt & rectior, ſi nullam quis deliciarum partem norit. Deſerta igitur loca ad Paradiſum viam ſternunt homini Dei præcepta ſeruanti.

TH. Ei, qui ſe totum Deo dediderit, rebus omnibus caruiſſe ſumma voluptas eſt, deſertusque locus pro Paradiſo eſt, quod exemplo iam dicto, & alio, quod dicturi ſumus, confirmatur. In Scythi eremus in Ægypto eſt: etenim quatuor ſolis monaſteriis incluſi degebant patres quaſi ter mille quingenti; attamen cum vni ſplen indoluiſſet, modicumque aceti quæſitum fuiſſet, omnibus iis cœnobiis non eſt inuentum, tanta erat apud eos animi cura, reiectis corporis omnibus commodis, vti teſtatur Sophronius prat. ſpir. cap. 113. ſane ii Paradiſum fere tenebant. Ibi enim bona ſunt omnia, vbi nil delicioſum prorſus quæritur, cuiuſmodi libet addere de ſeptem probatiſſimis viris, quos commemorat idem liber de vitis patrum c. 188. Illi in omnium rerum penuria quibuſdam tantum, & paucis fructibus abſque pane in ſterili vaſtiſſimaque Ægypti ſolitudine pene hominibus inhabitabili degentes, aqua etiam carebant, veſtimenta ex palmarum foliis habentes: nullo alio potu vtentes, quam exeuntes mane, ac diſcurrentes per diuerſas herbas colligentes rorem, qui affluentiſſime ibi cadit, tantũmodo bibebant, cum pluuiarũ etiam regio eſſet expers, quem ob Paradiſum ab illis poſſeſſum ductus inuidia diabolus Sarracenorum opera vſus vi eos inde abiecit, & Martyres glorioſiſſimos effecit, vt quos ſuaſionibus eiicere non valuiſſet, vt Euam & Adam, adhibita vi propelleret feliciore propulſione migraturos in maiorem Paradiſum, nempe cœleſtem.

EQ. Sunt hęc nobis magno pudori, quandoquidem tot deliciis diſtentos nullis incommodis nos diabolus vexat, quoniam forte iam poſſideat, neq; liuore nos proſequatur, quos deuictos norit. Ita fit, vt quicumque ita ſe inſtituunt, vt in rebus omnibus deliciarum affluentiæ ſtudeant, etiam ipſas delicias ſummas eſſe mi-

ſerias experiantur; imo miſerrimus is eſt, inque omnes miſerias labitur, qui nullum incommodum ſuſtineat. Verum agamus de aliis locis, vbi nulla ſit irrigatio cœli.

PH. Iuxta Babylonem in Suſiana & Sitacena nunquam pluit, ideoque tegulis, tectisque domorum ibi non vtuntur, vt tradit Strabo lib.16. Sed ipſa Ægyptus hoc habet præcipue. Mela enim ita ſcribit lib.1.cap.5. in princip. *Aſiæ* (inquit) *prima pars Ægyptus ad meridiem refugit, terra expers imbrium, mire tamen fertilis & hominum, aliorumque animalium perfœcunda generatrix.* Hæc ille. Cui ſubſcribentes recentiores dicunt ex Herodoto & Strabone libro vltimo, viginti millia vrbium Amari regnante numerata in ea fuiſſe; id etiam memorat Budæus de Aſſe libro 4. Quin etiam hodie ob Soli præcipuam fœcunditatem, & hominum frequentiam adeo eam excultam ſcribunt, vt decem & octo millia inſignium vrbium in ea extructa adhuc numerentur, vt teſtatur Surius ab anno Dom.1517. Et noſtra in Europa, quæ valde culta eſt, non poſſumus hac vrbium multitudine gloriari, niſi forte velimus Hannoniæ hortulum, qui in longitudine ſolummodo 20. milliariorum & latitudine ſexdecim, 24. continet oppida, & nongentos ac quinquaginta pagos, & vt Robertus Cerealis ait, bis mille ducentas villulas turri campanaria munitas; vti ex Guicciardino recolit Georgius Bruin in Hannonia: vt ita pro ratione exigui ſpatii putent Hannonici ſe comparandos Ægyptiis. Sed Itali, quorum frequentiores ſunt vrbes, oppida, pagi ac villæ, quam vlla parte Europæ, fatentur hac re ſe ab Ægypto vinci ſimul & ab Æthiopia, atque ita in Europa portiunculæ quædam ſunt admirandæ quidem, ſed nulla proportione cum Ægypto: nam, vt hoc quoq; non omittam, Turingia & longitudine & latitudine non excedit duodecim milliaria, continet tamen duodecim comitatus, totidem Abbatias, centum quadraginta quatuor ciuitates, totidem oppida, bis mille pagos, & centum quinquaginta arces, adeo frugum ferax, vt lumen Germaniæ dicatur. Ortellius in Turingia. Sed quid iſta hæc cum Ægypto? *Turingia Germaniæ lumen propter fertilitatem dicitur.*

EQ. At de Æthiopia Ægypto, eiusque (ſine imbribus) feracitate mira recenſentur. Seneca enim natur. lib.4.cap.2. *Æthiopiam* (inquit) *feruentiſſimam eſſe indicat hominum aduſtus color, & Troglodytæ, quibus ſubterraneæ domus ſunt; ſaxa velut igni feruescunt; non tantum medio, ſed inclinato quoque die ardens puluis, nec humani veſtigii patiens: argentum replumbatur; ſignorum coagmenta ſoluuntur, nullum materiæ ſuperadornatæ manet operimentum. Auſter quoque, qui ex illo tractu venit, calidiſſimus eſt: nullum ex his animalibus, quæ latent, bruma vmquam reconditur, etiam per hyemem in ſummo & aperto ſerpens eſt.* Hæc Seneca. Admirandum tamen recolit Æthiopici cœli feracitatem Franciſc. Aluarez. Scribit enim in Corcora Angottæ adeo feracem terram eſſe, vt qualibet anni parte fruges metantur: eodem enim menſe reperiuntur ſata tantum, alia aucta in frondoſam herbam, alia creuiſſe in ariſtam, alia maturam habere ſpicam: quod omnib. menſibus cõtingit; ſed & eodem teſte in Caxumo eiusdem Ægypti parte alia vua Perſica Ianuario ac Februario matura ſunt: ita ille cap.41.& 51. quin etiam eſt commemorandum Æthiopicas paleas, quibus tuguriorum tecta teguntur, in ſeptuageſimum & octuageſimum perdurare annum, eodem Aluarez teſte: mirum ibi in regione Batra, quod hyems ſit Iunio, Iulio atq; Auguſto menſib. vt idem Aluarez tradit cap.9.& 11.

TH. Cum ibi omnia perluſtrarit Aluarez, facile adhiberi fides poteſt: nam & libro de vitis Patrum p.3.cap.1. huic rei auctoritas accedere poteſt. Africanis enim

littoribus, in finibus Cyrenorum inquit pluuiam illic fuiſſe, nec aliquando quidē auditum eſſe, ſed ventorum tanta vis eſt, vt ſi quando vel clementiore cœlo aliquantum ſpirare flatus cœperit, maius in illis terris, quam in vllo mari naufragium fit: nulla ibi germina ſata proueniunt, quippe in inſtabili loco arentibus arenis ad omnem motum ventorum cedentibus: verum ibi aduerſa quædam à mari promōtoria ventis reſiſtunt, terra aliquantulum ſolidior herbam raram atque hiſpidam gignit, ea ouibus eſt pabulum ſatis vtile, incolæ loci illius lacte viuunt, qui ſolertiores ſunt, vel, vt ita dixerim, ditiores, hordeaceo pane vtuntur: ea ibi ſola meſſis eſt, quæ celeritate prouentus per naturam Solis ſiue aeris ventorum caſus euadere ſolet; quippe fertur à die iacti ſeminis trigeſimo die matureſcere; conſiſtere autem ibi homines non alia ratio facit, quam quod omnes tributo liberi ſunt: extrema ſiquidem Cyrenorum ora eſt deſerto illi contigua, quod inter Ægyptum & Libyā interiacet; per quod olim Cato Cæſarem fugiens duxit exercitum. Quid ſit fraus, atque furtum, neſciunt, aurum atque argentum neque habent, neque habere cupiunt; oblatum quoque reſpuunt. Hæc ibi. Quod ſi in arena, aridiſſimáque terra trigeſimo die fruges matureſcunt, quid futurum putamus, vbi humus, non arena fuerit?

EQ. Accedit iis, quod ſcripſit Andreas Corſalius de Arabia etiam Ægypto contermina circa vrbem Adem, vbi tradit nullam prorſus aquam neq; à cœlo pluere, neq; à terra manare, neq; fontem aut ſtagnum, fluuium ve vllum eſſe, quin nec puteum: at nihilominus omnia cœleſti, nocturnoque rore vireſcere, & mirum in modum adoleſcere, vixque ſexennio ſemel ibi pluiſſe compertum; quin ibi niuem numquam, ſed gelu viſum ſcripſit Aluarez.

PH. Hyrcaniæ idem propemodum contingit. Plin. enim lib. 31. c. 3. tradit, in Hyrcanis montibus à meridiano latere non pluere, ſyluasq; ab Aquilonis tantum parte naſci, fertiliſſimam tamen regionem eſſe tradidit Oneſicritus. Ficus enim ibi multum noſtris dulciores, fertilioresq;, vtque modios 270. ſingulæ ferant, vti idem Plin. tradit lib. 15. c. 18. Quin etiam eodem Oneſicrito teſte, in ipſis Hyrcaniæ conuallibus arbores ſunt, quæ ficis ſimiles eſſe perhibentur, vocanturq; occhi, ex quibus defluat mel horis matutinis duabus, vti recenſuit Plin. lib. 12. c. 8. & Strabo lib. 2. quin & frumētum ibi naſci ex ſemine, quod cadit ex culmo, tradit Strabo lib. 2. adeo imbrium penuria nil obeſt.

India melliflua eſt regio.

EQ. Si de melle, cuius incidit mentio, differere libet, non deſunt plurimi loci, regionesq; ob eam cauſam commemorandæ. Mela lib. 3 c. 4. *India* (inquit) *tam pinguis alicubi, & tam feracis ſoli, vt in eam mella frondibus defluant, lanam ſyluæ ferant,* quæ etiam habet Strabo lib 15.

PH. Eadem habet Ælian. hiſt. 15. cap. 7. *In India* (inquit) *& maxime in Praſiorum regione liquido melle fluit, quod in herbas ac paluſtrium arundinum comas decidens mirificas paſtiones ouillo & bubulo pecori præſtat.*

EQ. Non adeo liquidum mel in India, vbi durum ſaxorum modo eſt in regno Tigremahon Africæ; ibi enim non ſolum durum eſſe traditur, verum & candidum inſtar niuis, vti ſcripſit Aluarez. Quod mellis genus eſſe etiam in regno Tadogaſt Aſcora eiuſdem Africæ tradidit Leonius p. 2.

PH. Non eſt hoc incredibile, quandoquidem Ariſtoteles de admir. capite decimo octauo: *Mel* (inquit) *plurimum naſcitur in Lydia ex arboribus, ex quo incolæ paſtillos ſine cera conficiunt, quibus vtuntur cum abſciderint, iique duriores ſunt, quam vt poſſint conteri.*

EQ. Sed

EQ. Sed ne à liquido melle diſcedat noſtra oratio, idem Ariſt. de admir. c. 16. in Cappadocia loca quædam eſſe tradit, vbi mel ſine fauis conficiatur, eſſeq; ſpiſſum, atque oleo perſimile.

PH. Ælianus etiam lib. 5. c. 42. idem teſtatur de melle in Cappadocia abſq; fauis confecto: additque in Media mel etiam ex arboribus ſtillare; ſed & Cytherone tradit dulces ex ramis guttas manare. In Thracia quoque ex plantis mel naſci ſcribit: ita fit, vt tanta ſit Dei benignitas ac prouidentia, vt nusquam non homo ſit commode victurus, ſi parſimoniam colat, ſoliq; diuinæ contemplationi ſeſe dediderit, abiecta omnis luxus cura: & ſane recta Senecæ ſententia eſt: ***Si ad naturam viues, nusquam eris pauper; ſi ad voluptatem, nusquam eris diues.***

TH. Poſſet & in hac ciborum penuria eſſe voluptas: nam & in cæpis & lenticulis, S. Hieronymo teſte, gulæ irritamenta ad animæ perniciem eſſe poſſunt, nihil minus, quam in ſuauiſſimis piſcibus: ex animo enim metienda eſt voluptas, non à rebus ipſis. Nam & huiusmodi vilia etiam animi venena eſſe poſſunt, vti fuere ipſi Eſau.

EQ. Id ita eſt tanto doctore, nempe Hieronymo: poſſet igitur mel huiusmodi etiam animæ venenum eſſe, ſicut alicubi etiam corpori huiusmodi mel ſponte ex arboribus fluens guſtantibus venenum eſt. Ælianus enim lib. 5. cap. 42. tradit in Trapezunte Pontica ex buxo mel naſci, illudque cum ſit odoratu graue, tum eos, qui deducti eo ſint, de mente ad inſaniam reducere.

PH. Cum hunc locum legiſſem aliquando apud Ælianum, codex dictabat dementes ad ſanitatem reſtituere mel illud: at vbi incidi in Ariſt. locum de admir. c. 17. vnde Ælianus ſententiam decerpſerat, contrarium animaduerti: ſic enim Ariſtoteles: *Naſcitur mel ex buxo in Pontica Trapezunte grauis odoris, quod aiunt ſanos in inſaniam conuertere, ſi odor percipiatur: at inſanos ab ægritudine prorſus abſoluere ſtuporis.* Hæc ille. Sed vt perpendo vtrumque ex Æliano & Ariſtotele, verum eſt, vt ſanos reddat inſanos, inſanis reſtituat mentis ſanitatem; illud tamen facile crediderim, quoniam & vino immodice ſumpto hoc contingit: at vt reſtituantur inſani, nusquam hoc vere compertum eſt. Inſanientium enim perpetuus morbus & ægritudo eſt: neq; vidimus vmquam quemquam reſipuiſſe. Propterea Plinius ſolertiſſimus rerum indagator ſubſcribit veriori ſententiæ, cogere quidem illud ad inſaniendum, reſtituere vero ad ſanitatem non putat: ſic enim ille lib. 21. cap. 13. Heracleę in Ponto mella quibusdam animis pernicioſiſſima exiſtunt ab apibus facta: venenati mellis ſigna ſunt, quod omnino nō denſatur, quod color magis rutilus eſt, odor alienus, ſternutamenta protinus mouens, quod ponderoſius innoxio; qui edere, abiiciunt ſe humi refrigerationē quærentes: nam & ſudore defluunt. Et mox: Aliud in eodem Ponto gente Sannorum genus mellis, quod ab inſania, quam gignit, mænomenon vocant: idque cum exitiale ſit, non venditur. Sed & in Perſide & in Mauritaniæ Cæſarienſis Getulia contermina Maſſæſulis venenati faui gignūtur. Hæc ideo natura dedit, nec aliud ſibi voluit, niſi vt cautiorem, minusq; auidum faceret hominem. Mirum tamen eſt apes venena portantes ore, fingentesq; ipſas non mori; niſi quod illa domina rerum omnium hanc dedit repugnātiam apibus, ſicut contra ſerpentes Pſyllis, Marſisq; inter homines. Hactenus ille.

Inſania incurabilis.

EQ. At homini Deo ſeruienti nihil tale poteſt accidere: venenata enim eum non lædunt, ſicuti promiſit Chriſtus Dominus, cum diceret: *Signa eorum, qui crediderint, hæc ſequentur: ſi mortiferum quid biberint, nihil eis nocebit.* Propterea iuſtiſſimus

ſimus ac fideliſſimus Ioannes Baptiſta ſylueſtri melle tuto paſcebatur, Matth. 3. Marci 1. nihil tale metuens; quod etſi Ponticum fuiſſet exitialiſſimum, illi tamen nequidquam obfuiſſet. Sed agamus de aliis regionibus, in quib. quia noxia omnia ſunt, vel cœlum ipſum, animantia non viuunt.

PH. Sed ante omnia mihi occurrit memorabilis Zelandia Inſula, in qua vt nulla arbor eſt, ita quoque nulla ſerpens, nec venenoſum vllum, vt Ortellius memorat in Scotia. At deterior eſt Septentrionalis Cauchiorum gentis regio: ibi enim nullum pecus, ideoque nec lac, nulla fera, nec vlla arbor, aut frutex: quin & illis aqua deeſt, imbribus tantum potum præbentibus, aquis eorum ſeruatis in ſcrobibus, in domorum veſtibulis, vti tradit Plin. lib. 16. cap. 1. Eſtque hoc digne admirandum, vbi imbres & niues ſint, animalia non viuere, & plantas non naſci, cum tamen finitimæ gentes omnia hæc habeant: & ne fabuloſum putetur, ſe id ſpectaſſe teſtatur Plinius.

EQ. Ita ſe habent quarundam terrarum ſitus, vel ob frigora, vt apud Cauchios, vel ob æſtum quoque. Nam in regno Melli Africæ nulla quadrupes viuere poteſt nimium ob æſtum, vti ſcribit Aloyſ. Cadamuſt. ſicut & ob eandem cauſam in reliqua Africa nec apri ſunt, nec cerui, nec capræ, nec vrſi, vti tradit Plin. lib. 8. cap. 58.

TH. Accedit iis commemorandum, quod habet Ariſtoteles de hiſtor. anim. lib. 8. cap. 25. Aſinus etenim cum frigidiſſimum animal ſit, frigoris tamen (non ſine miraculo) eſt impatientiſſimum. Cum igitur Pontica, Scythicaque tellus frigoribus algeat, aſinus ibi nullus viuere poteſt. Cum tamen videantur frigida animantia algenti cœlo commodius viuere, vti Salamandra pluuiis ingruentibus iam diximus.

EQ. Sunt hæc inſcrutabilia: nam & lupi, cum ſylueſtribus locis degant, ac montanis, in ipſo Macedoniæ monte Olympo omnino non ſunt. Plin. lib. 8. c. 58. & mures cum vbiq; ſint admirãda multitudine, in Scotiæ tamen Argadia nec mus naſcitur, neque illatus viuere poteſt, vt Ortellius tradit in Scotia.

PH. Conſimile, quod in Coronæa Bæotiæ non poſſunt talpæ viuere, neque terram fodere, cum alioqui magna ſit talparum copia in reliqua Bæotia, vti tradidit Ariſtoteles de admirand. cap. 120. Idipſum quoque Plinius tradidit libro 8. cap. 58. his verbis: *Talpæ in Bæotia Lebadia illatæ ſolum ipſum fugiunt, quæ tamen iuxta in Orchomeno tota arua ſubruunt: quarum è pellibus cubicularia vidimus ſtragula.* Sed id habuit Plinius ab Ariſtotele de hiſtor. anim. libro octauo, cap. 28. *Verræ Bæotiæ* (inquit) *in Orchomeno agro talpæ habentur multæ: at in Lebadico vicino nullæ ſunt; neque ſi aliunde portatæ eo fuerint, volunt infodere.* Hæc ille. Vnde patet, non ob duritiem ſoli eas nequire infodere, ſed naturæ auerſione ab ipſa telluris ſpecie refugientes.

EQ. Æque commemorandum eſt, Indiam, cum præ regionibus omnibus feraciſſima ſit fructuum, plantarum, auium, animantium, quin & gemmarum quoq;, dedignare ſues gignere. Cteſias enim ait nullum ſuillum pecus, nec agreſte, nec domeſticum in India naſci, vti tradit Ælian. hiſt. anim. lib. 3. c. 3.

India pretioſiſſimis delectãs, vilia reſpuit.

TH. Mirum id ſane, ſed admirabilius fuiſſet, ſi Iudaica lex ibi viguiſſet, qua id genus animaliũ velut immundum reiicitur. Sed ego putarim dedignari Indiã illud gignere; cum enim inſignis virtutis omnifariam animantia mittat, elephantes, leones, pantheras, ac quicquid aliud nobiliſſimum ferarum eſt, pudet ſuilli pecoris pa-

ris parentem eſſe: ſicut & in metallis ac gemmis, margaritis quoq;, cum abundet auro, æris, plumbiq; aut nihil mittit, aut minimum; mauultq; pretioſiſſima ſua vilibus noſtris permutare, vt habet Plin.lib.34.cap.17.

EQ. Sunt tamen ibi omnifariam venenata animantia: qua in re Europæ cœlo illud cedit. Licet enim aliqua regio, ſicuti de Inſulis legimus, ſerpentibus, venenatisq; abundet, vt etiam in Theſſalia, attamen plures quoq; diximus Inſulas omnibus venenatis carere: ſed nihil adeo elucet in hac re, vt Bothnia Septentrionalis regio Gotticæ terræ terminus; ibi nullum noxium animal, neque mari, neque terra compertum eſt. Olao teſte lib.20. cap.1. Theſſaliæ vero tametſi ſerpertum tanta copia ſit, vt incolis migrādum eſſe videatur, nihilominus tanta ſuperfluit ciconiarum copia, vt earum virtute interimantur: adeo Deus rebus prouidit, vt antidota contrariis omnibus addiderit. Ariſt. de admir. cap.22. cui etiam aſſentiri videtur Plin.lib.10.cap.23. Sed de his ſatis.

TH. Nunc igitur differendum nobis illud eſt, formas ſcilicet, naturasque animalium ab ipſis regionibus immutari. Eſt equidem ea res valde admiranda: nam in Sambris nulla eſt aurita quadrupes, nec elephanti quidem: ea regio eſt Africæ Æthiopiæ contermina. Solinus cap.32. Neque id alia ratione factum puto, quam quod minimum humoris craſſi ſeu melancholici animantibus ſit, ob feruentem cœli ambitum.

PH. Non longe differt hoc ab eo, quod de Phrygiæ armentis tradunt, quibus cornua omnibus mobilia ſunt flexibiliaque, vt aures ipſæ. Plinius libro vndecimo, cap.37. Materia enim cornu in ſiccitatem nequit conuerti, vt indureſcat, ſed perpetuo humore, rarioreque alitur, ideoque carnea potius materia eſt, quam cornea.

EQ. Memorabilius eſt, quod in Paphlagonia perdicibus bina corda ſunt, vti ſcribit Plin.lib.11.c.37. & ſubſcribit Aul.Gell.lib.16.c.15.

PH. Concinne huic eſt, quod eodem capite Plinius tradit cuniculorum exta in Bætica gemina reperiri: & ſane mira eſt ambientis cœli potētia. Nam cum Aſiæ, Africæ, Europæque diuerſa ſint climata, diuerſa gignunt animantia. Aſiaticæ beluæ ferociores ſunt, in Europa firmiores: at in Africa multiformes, quod Aſiæ & Europæ non contingit: eſt enim Prouerbio locus datus: *Nunquid noui fert Africa?* ex eo, quod ex aquarum penuria animalia ibi ſiti frequentiſſime laborent, vnde contingit, vt etiam inuicem infeſta atq; difformia, diuerſarumq; ſpecierum ad potum concurrentia miſceantur, indeq; nouæ animalium formæ gignantur, vt tradidit Ariſt.hiſt.animal.lib.8.c.28. Ita quoq; aliis regionibus quædam corporis partes cœli ambientis virtute magis minusve aluntur, vnde auribus careant, cornua mobilia ferant, bina habeant corda & exta: ita & de oculis & reliquis membris hominum contigiſſe alias differuimus.

EQ. Eadem (vt puto) ratione fit, animalium quorundam naturam à cœli ambitu immutari; nam quod alias occaſione alia diximus, cicadæ loquaciſſimæ cum ſint, aliquando ex ipſa ſoli natura obmuteſcunt. Nam à Seripho Inſula naſcuntur, & viuunt mutæ: quæ tamen ſi alio migrent, loquaces & canoræ ſunt. Ælianus hiſt. lib.3.c.36. ex Theophraſti ſententia. In Macedonia quoq; mutæ ſunt. Ælian.lib.3. c.34. Sicut & in Italia mutæ ſunt apud Rheginos: at illud ibi admirādum, proximo in agro Locrino eſſe canoras, vt tradit Solin.c.7. Plin.lib.11.cap.27. Strabo lib.6. At Ælian.lib.5.c.9. mirum addit. Cum inter Rheginos & Locrenſes medius fluuius ſit

non latior iugere, tamen neutræ cicadæ tranſuolant in alterutrius proximum locum: ſed quæ harum ratio eſſe poteſt?

PH. Theophraſtus loquacitatis ac ſilentii cauſam tribuit aeri, aquarumque tepori, vt frigiditati, quod Straboni quoq; viſum eſt eodem lib. 6. Rheginas enim cicadas vltra flumen in Locrinum agrum illatas canere tradit, quoniam ibi feruentior Sol ſit. Sed hæc pluribus iam pridem perſecuti ſumus in inſectis.

TH. Eiuſdem igitur ex cauſis ranæ quoq; & canoræ, & mutæ ſunt. Cyrenis enim mutæ naſcuntur, vti alias occaſione quoq; alia diximus: attamen quæ aliunde Cyrenem inferuntur, adhuc canoræ in loquacitate perſeuerant: ſed & quæ ranæ in Seripho naſcuntur mutæ quidem ſunt, ſed alio tranſlatæ canoræ fiunt: ſicut & in Theſſaliæ lacu ranarum nulla vox exauditur vnquam; alio tamen ſi transferantur, canoræ inueniuntur, vt ſcribit Plin. lib. 8. cap. 58. quæ omnia à frigiditate, humiditateque cœli fieri non eſt ambigendum. Canoras autem in Cyrenem illatas perſeuerare loquaces inde eſt, quod aridiſſimum animal iam motui exercitatum, & in motu adultum non facile veterem, conſuetumque canendi, mouendique habitum deponit.

EQ. Eſt eidem ratiocinationi aliud concinne commemorandum. In agro enim Mileſio, proximisq; locis cicadæ omnino non gignuntur: at quodam ibi proximo loco paruo interuallo gignũtur. Sicut & in Cephalonia Inſula amnis eſt, cuius circa alterum latus cicadarum copia eſt, vltra alterum latus nullæ omnino, vti tradit Ariſt. hiſt. anim. lib. 8. c. 28. Sed hæc quoque alias diximus.

Ranarum myſteria quæ?

TH. Nec temere hæc omnia à natura prodita ſunt, ideo ſi libet, ranarum & cicadarum myſteria loquacitatis & ſilentii diſſeramus: libro enim Apoc. Ioan. Apoſtoli cap. 16. ranarum mentio facta eſt, his verbis: *Et vidi de ore draconis & de ore beſtiæ, & de ore Pſeudoprophetæ exire ſpiritus tres immundos in modum ranarum.* Hæc ille. Ranæ igitur in malum ſonant: ſic enim ibi S. Auguſtinus c. 13. tom. 9. *Ranæ, præter horrorem proprium etiam loco immundo ſunt, quæ cum aquarum incolæ & indigenæ videantur, non ſolum aquarum refugæ, & ſiccitatis impatientes ſunt, ſed etiam in ipſis aquis, in aquæ ſordibus, & cœno volutantur: ſic hypocritæ non in aqua, vt putantur, degunt, ſed in ſordibus, quas credentes in aqua deponunt. Ranis etiam ſimiles ſunt homines, qui peccata, vel crimina, quæ alii per pœnitentiam, vel per Baptiſmum deponunt, illi ibi volutati non erubeſcunt: quando aliquis ſe conuertit ad Deum, & pœnitet fuiſſe ſuperbum, adulterum, ebrioſum, vel cupidum, quod iſta peccata, quæ alius confitendo relinquit, imitatur cogitans apud ſe dicens: Facio, quod volo.* Et poſtea: *Quomodo agit iſte pœnitentiam, & ego ago. Et ſubito dum ei ſuperuenit vltimus dies, perit confeſſio, & reſtat damnatio. Iſte, qui talis eſt, dum alios non ad bonum, ſed ad malum vult imitari, in luto, vnde alius liberatus eſt, velut rana inuoluitur, & volutatur. Ranæ ergo ſignificant ſpiritus dæmoniorum facientes ſigna.* Hæc ibi: ſed in Pſalm. 77. *Rana* (inquit) *eſt loquaciſſima vanitas.* Et in Pſalm. 45. *Arreptitij* (inquit) *Idolorum, tanquam ranæ de paludibus perſonabant, tanto tumultuoſius, quanto ſordidius ex delictorum cœno.*

PH. Vbique S. Auguſtinus peritiſſime ſemper loquitur, vti locis citatis locutus eſt: ſed de ranarum loquacitate ad rem noſtram opportunius de temp. ſerm. 87. *Plaga* (inquit) *in qua inducuntur ranæ, indicari figuraliter arbitror carmina Poetarum, qui inani quadam, & inflata modulatione, velut ranarum ſonis, & cantibus ſimiles mundo huic deceptionis fabulas intulerunt, ad nihil enim animal illud vtile eſt, niſi quod ſonum vocis improbis & importunis clamoribus reddit.* Hæc ille. Vnde aptiſſime colligitur feliciores eſſe-

eſſe eos, vbi neque cicadarum, neque ranarum loquacitas eſt: quoniam vel non naſcantur ibi, vel ſaltem taceant: loquacitatem enim & ranarum, & cicadarum in eundem ſenſum accipio.

EQ. Et alium ego ex ſancto Auguſtino de ranis & cicadis adfero: is in ſerm. 95. *In ranis* (inquit) *hæretici intelliguntur, atque Philoſophi. Philoſophi enim, vel hæretici, quia in Chriſto omnia falſa eſſe dicunt, ranæ ſunt clamantes in paludibus limoſis: per ſuperbiam & inanem contentionem, ſtrepitum vocis habere poſſunt, doctrinam veræ ſapientiæ inſinuare non poſſunt: qui enim Chriſtianæ veritati contradicunt, & in ſua vanitate decepti decipiunt, ranæ ſunt tædium afferentes auribus, non cibum mentibus.* Hæc ille. Quas ob ratiocinationes eadem de cicadarum loquacitate ferenda ſententia eſt: tametſi in ſolis feruore canant, limum deferentes, arbores inhabitantes, nihil tamen in eis niſi vocis ſtrepitus importunus eſt, qui eas ad mortem tandem trahat: ita hæretici, qui ſe mundos putant, eleuantes ſe in ſummas arbores, durante tantum æſtus felicitate canunt: tandem ipſi conficiuntur, diſcinduntur que ac moriuntur etiam abſque perſecutore.

TH. Eſt & aliud myſterium in taciturnitate & loquacitate earundem cicadarum ſeu ranarum. Nam Ælian. lib. 5. cap. 9. mirum ſcribit, quod nondum diximus, neque alius id dixit, ſcilicet Locrenſes cicadas in Rhegino agro ſilere, ac viciſſim Rheginas Locris mutas eſſe: ſi id ita eſt, ſunt vterque ſimul & canoræ & mutæ, ob loci diuerſitatem. Id ipſe vnus Ælianus dixiſſe legitur: nec id vacat myſterio, vel ipſo B. Gregorio doctore: is enim ſuper 7. Pſalmos, ſuper ſecundum ad illa verba: *Dum clamarem tota die,* ſic habet: *Cum clamare & tacere inter ſe repugnent, quomodo poteſt fieri, vt aliquis taceat, & clamet? ſed ille tacet nimirum & clamat, qui peccata quidem ſua ſilentio contegit, merita vero per vocem magnificationis extollit. Aut certe ille tacet, & clamat, qui peccata quidem præterita per confeſſionem non annuntiat, & per cor impœnitens alia committere, accepta peccandi libertate, non ceſſat. Nam quod peccatum clamor ſit, teſtatur Scriptura, quæ dicit: Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum aſcendit ad me:* Et iterum: *Deſcendam videre, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerit. Peccatum quippe cũ voce culpa eſt in actione, peccatum cum clamore eſt culpa cum libertate. Igitur tota die clamat, qui publice peccare non trepidat.* Hæc ille.

EQ. Omnia elegantiſſima fuere myſteria, vt ſic pateat nil adeo in rerum natura vile videre, quin in eis maxima latere poſſint myſteria. Sed properemus ad alias locorum proprietates.

PH. Iam paulo antea, cum de imbrium penuria ageremus, inciderat feracitatis Ægypti mentio, & cum aliorum locorum feracitatem prætermiſerimus, non fuerit importunum illud argumentum modo proſequi, olim ſemper de Indis orientalibus præcipua ratio eſt habita. Tradunt ibi quinque millia oppidorum præcipua capacitate populorum nouem millium: reperiri credita eſt etiam tertia pars terrarum, nec mirum de hominum, vel de vrbium copia, cum ſoli Indi nunquam à natali ſolo receſſerint. Ibi igitur binas meſſes in anno, binasq; æſtates, media inter illas hyeme. Etheſiarum flatu prodidit Solinus c. 53. Plin. lib. 6. cap. 17. Quin Synarum regiones illas tradunt tertio reddere fructum quotannis, præcipue vero iuxta Cantaon, vt tradit Melchior Nugnez 1555. Sed poſtquam nouus orbis compertus eſt, feracitas illius Indicam propemodum ſuperare videtur. Nam vt à noua ibi Hiſpania exordiamur, bis ac ter fruges feruntur quotannis, atq; metuntur, vti ſcripſit alumnus Corteſii. Auget admirationem, quod in eadem regione orbis no-

ui,in Inſula Hiſpaniola, cuius ambitum ad paſſ.mill.2600. iam alias diximus patere in tanta feracitate ſoli quinq; tantummodo quadrupedum genera memorant fuiſſe comperta; Huntia,Chemi, Mochui,Cori, quæ omnia animantia ex genere cuniculorum ſunt; comperti quoq; fuere canes quidam præparui ac muti: at nullum præter hæc prorſus animal quadrupes in adeo vaſta fertiliq; Inſula inuentum eſt. Ouet.hiſt.lib.12.tom.1.& 5. Quod ea quoq; ratione admirabilius eſt,quod cœli clementia incredibilis ſit,cum ibi perpetuo dies æquales ſint, & ex vna ariſta bis mille grana numerata fuerint. Petr.Mart.ſumm.Ind.

EQ. Petrus idem Martyr in eodem ſummario tradit in Vrabæ cõtinenti eiuſdem orbis tertio eos ſerere & metere quotannis: quod eſſe verum ſuadet perpetuũ æquinoctium adeo conſtans,vt quantum inter hyemem &æſtatem intercedat diſcriminis, vix à peritis Aſtronomis diſcerni poſſit. Ouet.ſumm.c.10. Propterea ibi cucumeres,pepones,cucurbitę poſt vigeſimam à ſatione diem maturæ colligũtur. Lactucæ vero ac betæ, bugloſſa,caules,decima. Petr.Martyr.

TH. Eiuſdem orbis noui prouincia Breſilia, cui Baiæ Saluatoris impoſitum nomen eſt, bis quotannis vites fructum ferunt exuberantiſſimum, vti teſtatus eſt Ambroſius Perez Ieſuita anno Domini 1555.

EQ. Quin totus ille orbis, tum in continenti,tum in Inſulis toto anno penitus viret:nulla enim arbor frondibus vnquam deſtituitur,præter paucas quaſdam, vt teſtatur Ouet.ſumm.cap.79.& hiſt. lib.9.c.16.

TH. Vt ferax eſt regio frugibus,ita quoque lapidibus ac ſaxis,vt iure putes vbiq; ibi naturam auxiſſe miracula. Nam in Inſula Cuba vallis eſt, quæ tota referta viſitur ſilicibus prærotundis, perinde ac ſi arte eximia fuiſſent confecti:extant minimi,magni,maiores,maximi,ampliſſimi,omnesq; ad integrum adeo ſphærici, vt ſingulis tormentorum æneorum formis apti ſint,ceu de induſtria confecti. Id fecit natura ſua ſponte tanta copia,vt vallis illa,quæ ad duodecim paſſ. mill. porrigitur,tota illis ſit oppleta. Ouetan. hiſt. lib. decimo ſeptimo, cap. ſeptimo, & ſumm. Ind. cap. 5.

PH. Si ita eſt,dubio procul noui orbis feracitas Indicæ, Aſiaticæq; præferenda eſt:non enim vbique in Aſia hæc frugum exuberantia eſt. Licet enim alicubi lanas ferant Aſiaticæ ſyluæ,& mella frondibus defluant,vti iam ex Mela diximus lib. 3.cap.4, hoc alicubi tantum eſt, cum orbis nouus illo longe maior pleriſque locis toto anno frondeat & fructum reddat: ſcio in promõtorio Indico Comorin ficus toto anno recentes ab arbore legi,& menſis apponi,vt ſcripſit Balthaſſar Nugnez ex regno Tranacor eiuſdem Indiæ anno Domini 1548. Scio etiam in Cantaon Iaponii vrbe ob multas agrorum irrigationes quotannis ter fructum agricolas referre,vt tradidit Melchior Nugnez & ipſe Ieſuita 1555. Sed ea loca immenſis inter ſe interuallis diſiuncta ſunt: ita quoque ſcio Albaniæ miram eſſe fertilitatem, omnia enim ibi ſponte naſcuntur, ſi nullum occationis aut ſationis ſtudium adhibeatur,omnia ſemper ibi virent:ſata bis,aut ter fructũ reddunt quotannis,priorq; fructus ad quinquageſimum peruenit,vt Strabo tradit lib.10. Vndefit, vt & Aſia tota laudetur,ſed orbis nouus præferatur.

Africa ſteriliſſima licet, fertilis tamen quibuſdam in locis extat.

EQ. Aliorum iſtud eſto iudicium,agemus alias de hac re,quando de rerum affluentia & opulentia erit ſermo. Redeamus ad feracitatem. Cum omnium ſteriliſſima ſit Africa, quibuſdam tamen locis mire fertilis eſt: nam præter Ægyptũ,quæ ipſi contermina eſt,alicubi commemorandi fructus referuntur.Nam regioni,cui

Centopozzi

Centopozzi nomen impoſitum eſt, adeo immenſa eſt frumenti vis, vt defoſſum fuerit ſeruatum annis centum. Leonius p.2.

PH. Eſt hoc mirandum, præſertim cum frumentum Africæ locis quibusdam totius orbis fœcunditatem ſuperare compertum ſit: vbi enim plurimus fructus refertur, minus durationis habere videtur, viribus fertilitate laſſatis. Strabo de Africæ frumentis tradit, in tantam altitudinem adoleſcere, vt ad quinque cubitorum proceritatem aſcendant, ſintque eius calami non minores digito, fructum referre tradit ad ducenta, quin & ad quadringenta: augerique huius rei miraculum, quod bis in anno metatur, ac poſt prima ſata vlterius non ſeratur; ſed ſponte quæ à culmo grana conciderint, in nouam meſſem reſurgant. Hæc ille lib.17. Cui Plinii accedit ſententia, qui tradidit, in Bizzatio Africæ campo ex vno modio centenos, quinquagenos reddi, vti ex eo loco ad Auguſtum miſit procurator eius ex vno grano (vix credibile dictu) quadringenta paucis minus germina: de ea enim re extant Epiſtolæ, ſed & ad Neronem miſit 340. ſtipulas ex vno grano; ita ille lib.18. c. 10. Atque hæc quidem admiranda in Africæ locis quibusdam contingunt.

EQ. Accedit iis, quod vuarum acini in Haſcora Africæ gallinarum ouis quodammodo æquari videntur, mirum in modum amplitudine ſuperant reliquarum prouinciarum acinos, vti Leonius tradit part.2. & quod commemorandum eſt, in Beni Achmed monte Africæ vina ſeruantur in annos quindecim. Leonius parte tertia.

PH. Huiusmodi acini magno debent oppleri nucleo, vt perdurent, alioqui non ita fuerit; ſi in acinis nullus inſit nucleus, cuiusmodi in vrbe Menin Syriæ vuarum acini ſunt. Ludou. Barthema in princ. cap.3. Quin in Inſula Madera vuæ nigræ absque nucleo in acinis ſunt, & Martio, Aprili ac Paſchate maturæ ſunt. Leon. p.9. Præterea absque nucleo acini vuarum ſunt in Aman Palæſtinæ. Ludouicus Barthema lib.1.c.3.

TH. Audio, legoque multa regionum miracula, ſed quod ad vuarum amplitudinem ſpectat, nullum adeo commemorandum comperi, quale ſacræ literæ prodiderunt: Moyſes enim, cum exploratores in promiſſionis terram, Palæſtinam ſcilicet, deſtinaſſet, iuſſit quoque adferri de terræ fructibus. Igitur abſcindentes palmitem cum vua ſua portauerunt in vecte duo viri botrum vnum. Num. 13. Sane amplitudo illius botri maxima fuit, qui, vt ferri poſſet, duorum hominum viribus habuit opus. Sed id non vacat Sacramento: Myſterium enim enarrat ſanctus Auguſtinus de temp. ſerm.100. *Duo viri* (inquit) *qui vuam miræ magnitudinis in phalanga detulerunt ad filios Iſrael, multis modis intelligi poſſunt. Nam & duo Teſtamenta non incongrue ſignificaſſe creduntur, & duo præcepta, quibus diligitur Deus & proximus: vua autem illa Chriſtum Deum figurauit, ita & terra repromiſſionis, in qua natus eſt, ſancta Maria videtur imaginem prætuliſſe: in ipſa enim impletum eſt: Veritas de terra orta eſt. Hanc vuam duo deferunt inſerto vecte pendentem; poſſunt iſti duo etiam Chriſtianum & Iudaicum populum figurare: & quia prior fuit Iudæorum populus, præcedit Iudæus, ſequitur Chriſtianus; ſalutem ſuam, Chriſtum ſcilicet, ante conſpectum ſuum gerit, ille poſt dorſum, hic obſequium præfert, ille contemptum.* Hæc ex illo.

PH. Acutiſſime ſimul ſane, atque ſanctiſſime: & reuera tanta fructuum vbertas in iis regionibus, in quibus & ſoli humor, & cœli feruor fœcunditatem gignit, eſt admiranda. Sed frigido cœlo id fieri longe magis annotandum. In ipſis enim Veſtrogottorum regionibus (eæ Aquilonares ſunt perpetuo fere gelu rigentes

longe magis,quam credi poſſit) tanta frigoris eſt vis in Aquilonaribus, & circa eas regionibus, vt interdum areſcant arbores, ac aqua ex editiore loco effuſa, priusquam terram contigerit,in glaciem concreſcat;lacus quidam,& paludes, ac flumina duobus tribusve menſibus hybernis,nonnunquam vel quinque glacie concreta non modo pedibus, verum & equitibus, ac curribus, & plauſtris grauius onuſtis longo ſpatio peruia præbent itinera, equidem aliquando vltima die Martii Viſtulam in Naſouia per firmam adhuc glaciem cum curru, & quadrigis, & aliquot equitum comitatu tranſiui, inquit Martinus Cromerus in Pol. deſcript. lib.1. Ibi igitur cum alicubi plurium menſium noctes perpetuæ ſint, ſata tamen ac fruges optime celerrimeque & vireſcunt, matureſcunt, & exuberantiſſimum fructum reddunt,quaſi cœli frigiditas videatur(incredibile)accelerationis cauſa eſſe. Seritur ibi frumentum trigeſima Iunii, quod Auguſti dimidio maturum metunt, reliqua ſata intra trigeſimum ſextum diem reſecantur, & colliguntur maiore miraculo, quam in India, nouoque Orbe locis ſane feruentioribus. Id tradit Olaus libro 13. cap. 1. propterea admirabile eſt, quod tradunt in Podolia gramen triduo ſuccreſcens perticam contegere, & aratrum in locis graminoſis derelictum ſæpiat, & cooperiat ſex aut circiter diebus. Ortellius in Polonia: ita quoq; admirari licet, quod in Carnis Hiſtriæ contermina regione campus eſt, cuius gramen vigeſima die ſecari ob amplitudinem conſueuerit, vt Ortellius ex Georgio Vernero memorat in Goritia.

PH. Eadem ratione Britannia tametſi Sole deficiat, tamen circumfluentis maris tepore recreatur, vt Minutius Octauius tradit apud Arnobium lib. 8. ideoque vehementius ardere Solem in Septentrionalibus, quam in cæteris memorat Bodinus lib.5. Reip.cap.1. Propterea anno Domini 1540.in Vaſconiæ frigido cœlo Nainum oppidum Solis actione incenſum ac conſumptum fuiſſe idem auctor tradit; ſicut & anno Domini 1556. in Anglia Solis ardore totius regionis pagos & arua arſiſſe eodem auctore compertum eſt; quæ recenſuit etiam Scholion ad Arnobii librum octauum contra gentes. Vt autem frigidior regio eſt, eo Solis æſtate feruor acutior eſt, vnde contingit, ſyluas pagoſque, atque ipſas etiam ſegetes æſtu incendi; quod accidiſſe memorant in Moſcouia anno Domini 1526. quin etiam ob incendii illius fumum multos viſu orbatos fuiſſe, memorat Georgius Bruin in Moſcouia. Quæ incendia ideo admiranda ſunt, quod opera aut negligentia non acciderunt, ſicut Romanum incendium ſub Nerone, quando ex 14. vrbis regionibus decem combuſtæ conſumptæ ſunt diebus ſeptem perpetuo vagante igne, vt Tacitus memorat: ſicut etiam in Dordraco vrbe, quando incognita origine ducentæ domus conſumptæ ſunt, vt Georgius Bruin tradit in Dordraco & in Delphio an. Dom. 1086. improuiſo incendio ducentæ ſupra mille domus abſumptæ, quinta vrbis parte vix ſalua. Sed & Francoburgum an. Domini 1476. totum igni conflagratum eſt,vt Bruin memorat in Delphio & Francoburgo. Sed iſta incendia non ſunt à cœlo, ſicut priora, quæ diximus: & ſicut illud, quod admirabili modo in Suecia præfrigida Aquilonari regione, ac fere omnium Borealium extrema accidit an.Dom.1407. Oppidum enim Stoxholm inſigne Sueciæ emporium de cœlo fulmine tactum fere totum conflagrauit, peremptis mille ſexcentis hominibus: &, quod eſt miſerabilius, innumera reliqua multitudo, & in iis puellę ac mulieres, cum promiſcuo vulgo, dum ſibi ac rebus putant nauigiis conſulere euitando incendio, nimio onere naufragio omnes periere. Krant. Suec. lib.5.c.33. vt ita perſpicuum ſit,

Incendia frigidæ regionis acutiſſima.

iſta

iſta incendia,quæ frigidis regionibus accidunt,eſſe vehementiora & frequentiora.

EQ. Non igitur abſque miraculis Europa eſt:ſed admirandum in illa eſt præcipue, quod multorum menſium noctes habeat alicubi perpetuas, in Aquilonari cœlo,adeo vt Cimmeriæ tenebræ incolas obuoluant,ſicut & Ponticæ.

TH. Recte dictum, Cimmerias ibi tenebras eſſe: in prouerbium enim eſt hoc iam translatum,cuius meminit Lactan.lib.4.dicens: *O mentem Cimmeriis* (vt aiunt) *vmbris atriorem. Cimmeriis etenim* (vt ait Cicero Academ.8.) *aſpectum Solis ſiue Deus aliquis, ſiue natura ademerat.* Verum Cimmerii populi alii fuere in Italia: Ephorus enim Cumæus Hiſtoricus ſcribit, Cimmerios extitiſſe iuxta lacum Auernum, eosque in ſubterraneis habitaſſe domiciliis, eorumque patrium morem fuiſſe, vt nemo Solem aſpiceret,noctu vero egrederentur, vt Manutius quoque teſtatur. Cimmerium autem oppidum iuxta Auernum etiam Plin.tradidit lib.3.c.5.

Hæc qui tradidere Scriptores, non paruæ ſunt auctoritatis: verum doctiſſimi ac ſanctiſſimi, Gregorius Nazianzenus & Baſilius Magnus,aliter deque aliis regionibus id dici crediderunt. Baſilius etenim inter ſuas epiſtolas connumerat quandam Nazianzeni epiſtolam ad ſe ſcriptam, cum in Ponto ipſe degeret, quæ eſt vigeſima prima. In illa ſic habetur: *Ego tuum Pontum admirabor, & Ponticam tenebroſam ſterilitatem, & menſura conceſſum aerem, & deſideratum Solem, quem velut per fumarium aſpicitis, ô Pontici Cimmerii, & Sole carentes, & non tantum ſemeſtri nocte condemnati, quod ſane de quibusdam proditur, imo ne partem quidem vitæ ſine vmbra habentes, verum noctem vnam longam, omnem vitam habentes, & reuera vmbram mortis.* Hæc ibi, & recte. Nam Cimmerium oppidum in Boſphoro ſitum eſſe Plinius lib. 6. c. 6. memorat. Claudius quoque Cęſar de eo tradidit, vt idem habet Plin.lib.6.cap.11.& inter Scythas Cimmerios ſtatui tradit idem Plin.lib.6.c.13. Ideoque inde potius natum adagium puto,non à Cimmeriis,qui (Feſto teſte) inter Baias & Cumas in Italia fuere, quibus nulla lux vnquam defecit,niſi quatenus ipſi ſibi eam adimerent.

EQ. Id mihi plurimum arridet, alioqui ſi Cimmerias tenebras eorum eſſe dicamus, qui Solis lucem ſponte deuitent, Athlantici, quibus feruentiſſimus Sol inurit agros, Cimmerii dici poſſent, quod nunquam diu, nocte tantum videantur, aut audiantur. Mela enim lib.1.cap.4. vitam eorum Cimmeriis Italicis conſimilem his verbis explicat: *Athlantes Solem execrantur, & dum oritur, & dum occidit, vt ipſis agrisque peſtiferum.* Solinus quoque c.33. *Athlantes* (inquit) *ab humano ritu prorſus exulant, nulli proprium vocabulum, nulli ſpeciale nomen. Ideo mons ipſe Athlas* (vt idem habet c.26.) *ſilet per diem vniuerſus, nec ſine horrore ſecretus eſt, lucet nocturnis ignibus, choris Ægipanorum vndique perſonatur, audiuntur & cantus tibiarum, & tinnitus cymbalorum.* Plinius quoque id ita eſſe affirmat, celebratosque auctores id tradidiſſe teſtatur lib. 6. c.1. Ita fit, vt illi quoque Cimmerii dici poſſent, quod interdiu Solem non videant: ſed id abſurdum eſſet, eos ſcilicet nuncupare Cimmerios, aut tenebris Cimmeriis obuolui, quibus dies ſolaribus radiis ſemper ferueant.

PH. Non ſoli Athlantici id pro more habent, ſed & illi quoque, qui montem colunt, quem Græci Theon ochema vocant. Mela enim de illo ſic habet lib.3. c.4. *Mons hic altus perpetuis ignibus flagrat. Panum Satyrorumque hinc opinio cauſæ fidem cepit, quod cum in illo nihil culti ſit, nullæ habitantium ſedes, nulla veſtigia, ſolitudo in diem vaſta, & ſilentium vaſtius, nocte crebri ignes micant, & veluti caſtra late iacentia oſtenduntur, crepant cymbala & tympana, audiunturque tibiæ ſonantes maius humanis.* Hæc ille: ac poſt eum etiam meminit eiusdem Æthyopum montis Plin.lib.2. c.106. & lib.6. cap.30.

Poſſent

Poſſent igitur hac quoque ratione & ii Cimmerii nuncupari, ſed non vere Cimmerii fuerint, quod interdiu illis Sol valde illuceat.

TH. Erunt autem Cimmerii ii omnes, quibus noctes diuturniores ſunt, quibusque Sol longo tempore non videatur alia ratione, quam nubium, aut nebulæ; cuiusmodi vltra Britanniam in Inſulis, præſertim Thule, ſicut quoque Riphæis montibus, locisque aliis non paucis. Mela enim lib.3.c.2. *Riphæi* (inquit) *montes ſub ipſo ſyderum cardine iacent, ibi Sol non quotidie, vt nobis, ſed primum verno æquinoctio exortus autumnali demum occidit.* Hæc ille; & ideo ſex menſibus dies, & totidem aliis noctes eſſe in rebus Meteoricis commemorabamus, atque ita iure ibi Cimmerias ac Ponticas regnare tenebras aſſeremus.

EQ. Id etiam habet Solinus cap.21. *Sunt Hyperborei* (inquit) *in Europa, apud quos mundi cardines eſſe credunt, & extimos ſyderum ambitus ſemeſtrem lucem, auerſum tantum vna die Solem, quanquam ſunt, qui putant, non quotidie ibi Solem, vt nobis, ſed vernali æquinoctio exoriri, autumnali occidere, ita ſex menſibus infinitum diem, ſex aliis continuam noctem.* Hæc ibi: atque ita fit, vt dubio procul & inter Cimmerias tenebras eos verſari iure cenſeamus.

TH. Thule vltra Britanniam in eadem cauſa eſt. Mela de illa ſic lib. 3. c.3. *In ea Sol longe occaſurus exurgit, breues vtique noctes ſunt, ſed per hyemem ſicut alibi obſcuræ, æſtate lucidæ, quod per id tempus iam ſe altius euehens, quanquam ipſe non cernatur, vicino tamen ſplendore proxime illuſtrat: per ſolſtitium vero nullæ, quod tum iam manifeſtior non fulgore modo, ſed ſui quoque partem oſtentat.* Cum Mela & Solin. cap.24. *Circa Britanniam* (inquit) *Thule vltima, in qua æſtiuo ſolſtitio Sole de Cancri ſydere faciente tranſitum, nox pene nulla, brumali ſolſtitio perinde nullus dies, vt ortus ſit iunctus occaſui.* Quod etiam Plin. ſcripſit lib. 4.c.16. & iam alias nos recoluimus.

PH. Non hoc tantum eſt iam dictis regionibus, ſed magna in parte Aquilonaris plagæ. Nam & in Biarmia id eſſe, ſcilicet vna die vnaque nocte totum annum ibi volui, ſcripſit Olaus lib. 1. c. 1. Sed & in Finmarchia dies vna ac nox integrum annum percurrunt, ibidem c.2. Oritur enim ibi Sol vigeſima quinta Martii, latet luce adhuc perdurante Kalendis Auguſti; adeo igitur toto ſemeſtri illuſtratur terra, vt nulla penitus ſtella illo tempore conſpiciatur. Quin Luna plena in ſuperficie tantummodo terræ apparet ignita carbonum modo: nox autem, tametſi ſemeſtri perduret, non adeo tamen tenebroſa eſt, vt in noſtro cœlo eſſe ſolet; ſcribendi enim pecuniasque numerandi facultatem non adimit, lucem quandam præferens, quam nos in crepuſculis habere ſolemus. Olaus lib.1.c.2. quæ alias occaſione alia recenſita meminimus.

TH. Hæc ſemeſtris diei ac noctis dimenſio non vniuerſam Aquilonarem plagam tenet: ſed regiones ſingulæ mira varietate diſcernuntur. Alicubi enim quinque menſium dies, vt in Suetia, Elſingia, Angermania & Noruegia: alicubi trium menſium, vt Gottia, Moſcouia, Ruſſia, Liuonia, vti ex Ptolomæo ſcribit Olaus libro quarto, capite 9. Ac tandem quo à Cardinibus Septentrionum quis fit remotior, dies ac noctes breuiore dimenſione tranſiguntur, adeo vt alicubi nox ad horas 20. redigatur. Olaus lib.11.c.22. vt & Ruthenis æſtiuus dies horarum octodecim eſt, vti Surius in Commentario prodidit anno Domini 1501. atque hactenus de iis, quos Cimmeriis tenebris verſari iure cenſemus.

EQ. Non eſt prætermittenda ratiocinatio climatum, quorum tanta eſt in diebus ac noctibus ſingulis varietas, vt mirari magis oporteat, quam intelligere: alicubi

cubi dies numquam longior eſt horis duodecim circiter. Ideo in Barra Æthyopiæ hyems menſe Iunio incipit, deſinit in Septembri. Franc. Aluarez. Sed id pluribus mox dicendum eſt.

PH. De Æthyopum hyeme aut æſtate diſſerere difficile eſt: nam vaſtiſſime patet, atque in tantam longitudinem latitudinemque propemodum immenſam porrigitur, vt cœli climata multa pertingat. Illa igitur parte, qua proximior eſt Nili fontibus ad Promontorium Bonæ Spei, quia intra Oceanum longe magis penetrat, vltra polum antarticum à Martio menſe vsque ad Auguſti menſis dimidium hyems riget, non pluuiis, ſed ventis, ibique eſſe Antipodes nobis Mela teſtatur lib. 1.c.5. his verbis: *Si eſt alter orbis, ſunt oppoſiti nobis Antichtones, ne illud quidem à vero nimium abſceſſerit, in illis terris ortum amnem Nilum, vbi ſubter maria cæco alueo penetrauerit, in noſtris rurſus emergere, & hac re ſolſtitio creſcere, quod tum ibi hyems ſit, vnde oritur.* Hæc ille. Cui conſentire videntur recentiores etiam, qui Orbis illius partes perluſtrarunt. Gaſpar enim Ieſuita 1549. ſcripſit, Nili ortum iuxta Bonæ Spei Promontorium eſſe, eoque loco tum eſſe hyemem, quando in Ægypto fuerit æſtas, & è conuerſo. Chriſtophorus quoque Riberius Ieſuita idem teſtatus eſt, videlicet à Martio ad Auguſti menſem rigere hyemem in Æthyopiæ parte quadam, quæ forſan Bonæ Spei Promontorio contermina eſt: cui rei bene congruit, quod tradidit Thomas Lopez, ſcilicet in ipſo Bonæ Spei Promontorio Iunii diem non excedere horas circiter octo. Alia igitur regio eſt, de qua Surius in Comm. anno Domini 1501. cum dicat ex Alberico Veſpuccio, regionem quandam vltra Æthyopiam intra Oceanum recta Bonæ Spei Promontorio longe remotam vltra polum antarticum Iunio menſe hyemem perpeti, pariaque eſſe noctis ac diei ſpatia. Aliam inſuper regionem eiusdem cœli ac climatis, Aprilis menſis ſeptima die, vbique compertam noctem horarum quindecim, hyememque rigentem ſcribit.

EQ. In Promontorio alio nempe S. Iuliani dies Iunio ac Iulio menſe non excedit horas quatuor, atque ita fit, vt ibidem noſtri quoque Antipodes ſint, cum ibi nox ſit, cum nobis dies illuceſcit, ex collega Odoardi Barboſæ. Nam Maximil. Tranſyluanus tradidit, in eodem Promontorio ſancti Iuliani Nouembri noctes non excedere horas quinque, apud Ramuſ. Tom. 1. At in regione Gambra Nigritarum menſe Iulio nox breuior non eſt horis 11. vti ſcripſit Aloy. Cadam. & ideo in Malauar Indica regione ab Aprili in Octobrem hyems riget, vt Odoard. Barboſ. ſcribit. Hinc igitur tot agnoſcuntur admiranda per orbem, de quibus nullus erit dicendi finis: hinc & India illa præfert miracula, quorum ratio nulla reddi poteſt. Tanta enim climatis eſt in vnico monte in Zanton regione vis varia, vt qua vergit ad Orientem, albi ſint qui & naſcuntur, & incolunt: qua vero vergit in Occidentem, nigerrimi: cum tamen omnes belluino more viuant. Oderic. poſter. in princ. Propterea quoque, quod nobis tanto ſumptu ac labore quæritur ſericum, ob cœli clima feliciſſimum in Taprobane Inſula paſſim in ſyluis reperitur, quamquam non adeo eximium. Id memorat Ludou. Barthem. rerum Ind. lib. 3. cap. 19. & 28. vt ita pateat, nos, qui tanti facimus ſericum, non vrbibus, ſed ſyluis incolendis digniores eſſe, cum ſylueſtrem rem tanto pretio æſtimemus, & excrementa vermium nobis maximo eſſe ornamento cenſeamus. Tantam igitur climatum varietatem quis non miretur? Quis rationes capiet? Tanta maris ſpatia impoſſibile eſt verum dierum numerum rationemq; ſeruare: dies enim aliquis ſemper interpolatur ob occidentem Solem. Nam Solis ortus pro climatum ratione variantur: nam in Hiſpali

Antipodes noctem, cum nobis dies eſt, habent.

Hiſpaniæ horis ſeptem prius oritur, quam in Mexico noui Orbis, vti ſcribit Surius anno Domini 1558. quin Eclipſes, æquinoctia, ſolſtitia totidem horis prius in Europa ſolent accidere, vt idem tradit.

TH. Eadem ratione ii, qui fretum Magelonicum incolunt in Orbe nouo, nobis Antipodes ſunt: iis Octobri menſe nox non excedit horas 4. Anton. Pigaf. Sed & Iaponio Inſula, in qua degunt nobis veri Antipodes, illis nox eſt cum nobis dies, & è conuerſo, vti teſtatur Surius in Comm. anno Domini 1552. ſed de iis rebus hactenus.

EQ. Poſt dierum noctiumque varias dimenſiones operæ pretium eſt de vmbrarum varietate differere; & quamquam alias diebus elapſis differuimus, libet tamen ſæpius, quæ placent, audire, alia id ſuggerente occaſione.

PH. A Sole vmbrarum differentiæ omnes proficiſcuntur; cum enim Septentrioni fit proximior, mittit vmbras alias, cum remotior, alias, quia cum perpetuus illi ſit motus, perpetuo quoque immutat vmbras: verum non de hac mutatione differere in animo eſt, ſed de ea, quæ ipſius Solis regionisque ratione contingit. Fingamus nos in Hiſpania, in Germania, Gallia, aut demum Græcia eſſe: propemodum idem genus vmbræ mittitur, niſi quod paulo longior aut breuior fuerit; at admirandum eſt, quod de India & Ægypto tradita ſunt, atque Arabia. Plin. enim lib. 2. c. 73. *In Syene* (inquit) *oppido, quod eſt ſupra Alexandriam quinque millibus ſtadiorum, ſolſtitii die medio nullam vmbram laci puteumque eius experimenti gratia factum, totum illuminari: ex quo apparere tum Solem illi loco ſupra verticem eſſe, quod & in India ſupra flumen Hypaſin fieri tempore eodem Oneſicritus ſcripſit.* Et mox: *In Meroe Inſula, quæ eſt caput gentis Æthyopum, bis in anno abſumi vmbras.* Et mox: *Indiæ gentis Oretum mons Maleus eſt, iuxta quem vmbræ æſtate in Auſtrum, hyeme in Septentrionem iaciuntur.* Et mox: *In eadem India Patales Sol dexter oritur, vmbræ in Meridiem cadunt.* Hæc ille. Quibus accedit, quod in Iaua Inſula eiusdem Indiæ maxima Iunio menſe vmbræ mittuntur in Auſtrum, vt Ludouic. Barthema tradit rerum Ind. lib. 3. c. 30.

EQ. Sunt hęc omnia præter vmbrarum reliqui Orbis rationem: ſemper enim aliquid vmbræ rebus omnibus eſt, quocumque tempore, etiam ſolſtitii meridie, quoniam numquam rectiſſimus ſupra verticem Sol eſſe conſpicitur, hoc quod diximus ſingulare eſt in Syene & Meroe. De Meroe, quæ Nili Inſula maxima omnium eſt, nullas vmbras in ea ſolſtitio fieri ob Solis diametrum tradidit Nearchus: adeo enim ab Aquilone eæ regiones remotę ſunt, vt proxima ibi Ægyptus, & Troglodytæ Septentriones conſpicere non poſſint, Plinio teſte lib. 2. c. 30. Huiusmodi enim diſtantia à Septentrionibus efficit, vt in æquinoctiali media totius globi parte ſupra verticem rectius Sol irradiet: vltra vero æquinoctialem circulum rurſum obliquæ ſunt vmbræ, ſicut citra. De reliquis vero vmbris, quas Plinius commemorauit, non facile putarim rationem adferri, præſertim de monte Maleo, & de India Patale.

TH. Puto rationem adferri non poſſe, niſi coniectura quadam: Baſilius enim exemero hom. 6. qui eadem recenſet miranda, rationem non adfert. Sic enim ille: *Longiſſimi ſunt dies, vbi breuiſſimæ ſunt vmbræ, & vice verſa, breuiſſimi ſunt dies, qui vmbras longiſſimas habent: ſunt autem aliqui per duos anni totius dies penitus vmbra carentes, dum in meridiem exiſtunt, quos à vertice illuſtrans Sol vndequaque ex æquo circumcirca illuminat, vt etiam aqua puteorum profundorum per anguſta oſcula illuminetur. Qui vero vltra aromatiferam Arabiam habitant, in vtramque partem vmbras alterant.* Hæc ille. Propterea in

Orbe

Orbe nouo, in Breſilia, in Piratininga nullæ vmbræ fiunt, ob Solis diametrum, quando ibi longiſſima ſit dies horarum quatuordecim, ſcilicet decima tertia die Decembris, cum ſint nobis fere Antipodes. Ioſeph Ieſuita 1560.

EQ. Quod de Arabibus meminit Baſilius, dixerat etiam ante illum Solinus cap.35. aliis verbis: *Vmbræ* (inquit) *quæ nobis dextræ ſunt, Arabibus ſunt ſiniſtræ.* Hæc ille. Cuius rei quis rationem audeat afferre? Sed de iis ſatis. Miratus ſæpe ſum, (vt ad alia transeamus) qui fiat, vt cum campi, ac reliqua plana ac depreſſa loca feruentiore ſint calore, quam montes, nihilominus ignes perraro ac parum erumpant à planis? omnes enim pene à montibus manant, vt antea diſſeruimus paucioribus agentes de montibus.

PH. Manant & à campis alicubi: Ariſtoteles enim de admir. cap.13. tradit, in Pſitacina Perſidis frequentem eſſe flammam, ac ſplendidam, atque idcirco Perſarum Regem multas ibi coquinas extruxiſſe, eosque ignes non in ſalebroſis eſſe locis, aut montanis, ſed planis: in Mediæ quoque planis ignes alios eſſe, idem ibi teſtatus eſt, vti etiam Plin. habet lib.2.c.106.

EQ. Id illis tantum locis contigiſſe compertum eſt, cum toto fere Orbe montes ignem vomant. Quin Plinius perinde ac miraculum narrat Babyloniæ campum flagrare, adeo vt obſonia ollis quoque terra ibi obrutis concoqui poſſint, nec maior locus iugeri magnitudine. Alterum etiam campum Æthyopum iuxta Heſperium montem noctu ab ignibus micare, & in Melogopolitano agro alios etiam ignes eſſe tradit lib.6.c.106. Strabo quoque miraculi loco refert, in ea Cappadociæ parte, quæ Argeo monti ſubiacet, ignem haberi, lib.12. Ideoque admiror, cur ignis longiora quærat in cacumina montium itinera, cum poſſit breuiore via è campis erumpere. Eius rei expecto rationem explicatiorem, quam alias fuerit expoſita.

PH. Ratio hæc eſt; plana longe magis intra ſe ſolidiora ſunt, quam montes: ideo enim depreſſi ſunt campi, & tument montes, quoniam vacui plerumq; ſunt, & cauernoſi, deinde montes perpetuis ventis agitantur, atq; ita calor intra validius retunditur ad intima viſcera montium, qui cum numquam quieſcat, ſemperque nitatur ſurſum aſcendere, cum ſicciora ſint montium viſcera, quam camporum, facilius montes penetrat ignis, quam campos, adiutus euaporatione ventorum ac ſpirituum, qui montibus magis ſuperfluunt, quam campis; at quoniam ſibi viam aperuit aliquando in montium cacumina, humorem cum redundant venti in ipſa viſcera, illud eſt poſtea ignis alimentum, cum reliqua ſulphurea materia: eo igitur tendit ignis, quo venti ac ſpiritus rimas eum tum ſequentem ducunt aut trahunt, qui in montibus plurimum abundent, atque ita, quod iam paucis diſſeruimus in montibus, hic pluribus explicauimus.

EQ. Iam abunde mihi eſt factum ſatis.

TH. Aliquando tamen terra ſuccreſcit absque igni in campis nullo prodigio mali euentus, ſed miraculo ad Sancti alicuius perpetuam vbique commendationem, veluti de campo, vbi Diuus Ioannes Euangeliſta ſponte ſepulchrum ſubiit, de qua re ita Auguſtinus ſuper Ioannem ad illa verba: *Sic eum volo manare. Epheſi* (inquit) *cum ſibi Ioannes ſepulchrum effodi iuſſerit, in quo ſe condiderat, omnes inde terram pulueremque exportant, ſemper tamen ſuccreſcit, ac ſi numquam ab eo loco quiſquam exportaſſet.* Hæc ille ibi, quin, vt Petrus Damianus tradit in ſerm. 2. de ſancto Ioanne apud Surium Tomo 7. Decembri, manna inde ſcaturire compertiſſimum eſt. Terram autem inde ſenſim ſcatere, & quaſi ebullire, atq; ab imo ad ſuperficiem tumuli

aſcendere à non leuibus hominibus ſe audiiſſe teſtatur S. Auguſtinus ſuper Ioan. tract. 124. Et licet à piis viris fere quotidie auferatur inde terra, nihilominus perpetua ſcaturigine nunquam potuit deficere, ſed harum rerum nulla naturæ ratio ſuppetit:ſolius enim Dei illud opus eſt.

EQ. Hæc recte dicta, & vt perſuadeant, ſufficiunt: ſed cur terræ motus alias infeſtat terras,alias non?

PH. Eadem concauitatum cauſa. Ideo Laodicea,& regiones,quæ fluuio Mæandro adhærent,terræ motibus obnoxiæ ſunt,& facile etiam tota illa humus comburitur,quod inanior ſit. Strabo lib.12. ſed & Bæotia & Eubæa mire terræ motibus ſubiacent, ob ſubterraneas exhalationes, eiusdemque cognominis vrbs olim ibi abſorpta eſt, vt Strabo tradit lib.10. Sed & noſtro hoc cœlo (vt Plin.lib.2. c.94.) in Gabienſi agro,non procul ab vrbe Roma,iugera ferme ducenta equitantium curſu terram tremere, & ſimiliter in Reatino agro conſtat. Sed de terræ motibus iam antea diligenter diſſeruimus.

EQ. Sunt tamen quidam loci à terræ motibus immunes, veluti ferunt de Locris & Crotone: ibi enim nunquam terræ motum, nunquam peſtilentiam inualuiſſe,ex annotatione veterum tradit Plin.lib.2. cap.96. Hyberniam quoque nunquam ſenſiſſe terræ motum, vixque ibi tonitru audiri ſemel in anno teſtatur Ortellius in Hybernia.

Aliud tremor terræ, aliud terræ motus eſt.

PH. Terram tremere, & terræ motum pati longe differunt: is enim tremor, quem in Reatino agro eſſe diximus, terræ inanitatem demonſtrat in ſoli ſuperficie, vbi terræ motus nunquam gignitur, cum in imis viſceribus exoriatur: ac propterea cauernoſa terra ſæpe etiam procul accedentes ſonitu quodam ſubindicat ad multa paſſuum millia; cuiusmodi hi, qui nouum Orbem luſtrarunt, ſcriptis mandarunt:referunt enim in Hiſpaniola Inſula, in prouincia Caizimum iuxta fontem quendam ibi commemorandum à tribus millibus paſſ. audiri equitem accedentem, peditem vero à paſſ. mille perſentiri, ſi terræ quis aures admouerit; ita Petr. Martyr ſumm.quod alias diximus in fontibus.

TH. Roma autem à terræ motu non eſt immunis: etenim ſolidiſſimum eſt Romanum ſolum,ſolidiſſimum eius cœlum,ſolidiſſimaque parit ingenia. Ibi conſtans quædam rerum omnium,præcipue vero religionis, perſeuerans firmitudo,vt ſic terræ motum quidem ſentire poſſit, lædi non admodum poſſit, ſicut in reliquis ſummis vrbibus vidimus contigiſſe, ex ſacris & probatiſſimis hiſtoriarum ſcriptoribus. Illarum igitur vrbium ceſſauit religio, extincta quoque fuit auctoritas & Imperium, Roma ſceptrum ſuum ſemper tenente: propterea etiam ante Chriſti aduentum dixerat Plin.lib.2. cap.84. *Nunquam vrbs Roma tremuit, vt non futuri euentus alicuius id prænuntium eſſet.*

EQ. Ab ipſa igitur cauitate omnia diſcrimina terræ contigerunt, ſiue ignis eruperit, ſiue terræ motus, vento emiſſo,loca excuſſerit, ſiue montes depreſſerit,ſiue terras abſorpſerit.

PH. Quando terra ipſa ſe condens deuorauit altiſſimum montem Cybottum cum oppido Curite, & Sipylum in Magneſia, & clariſſimam vrbem Tantalim, agros quoq; Galanis, & Gamales Phœniciæ vrbium, ſed & Phegium Æthyopiæ iugum excelſiſſimum, non niſi à concauitate eæ clades profectæ ſunt. Plin. lib. 2. c.91. Ita planis æquari montes eadem à cauſa fit, cum cauitates replentur, tumoriq; cedunt. Id enim contigit circa Pithecuſas Campaniæ:mons enim Epon,cũ repente

pente flamma ex eo emicuiſſet, campeſtri æquatus eſt planicie, vt habet Plinius lib.2.cap.88.

TH. Ego puto eiusdem ciuitatis ratione etiam fieri quod Strabo tradit lib.4. non longe à princ. intra Marſiliam & Rhodani oſtium campum ſtadiorum centum eſſe, locumque refertiſſimum, ſilicibus pugno hominis non maioribus, ibi ſponte ab ipſo eius campi ſolo ventum efflari, cui nomen Melemborio eſt impoſitum, cuius tanta vis eſt, vt eosdem ſilices per turbinem eleuet grandinis modo, hominesq; ſternat, quia & è curribus deiiciat, armis quoq; denudet ac veſtibus.

EQ. Erit igitur eadem cauitas cauſa terrarum tumoris & ebullitionis, quemadmodum cum Arca fœderis à Philiſthæis capta in Azotum illata eſt: *ebullierunt enim villæ, & agri in medio regionis illius, & nati ſunt mures, & facta eſt confuſio mortis magnæ in ciuitate,* vt habetur 1.Reg.c.5. Tametſi illud Dei miraculo in pœnam fuerit illatum. Tamen per medias naturæ cauſas id Dominus operatus eſt, ſicut igne aliquando; aliquando aquis, aliquando hiatibus, iram exercet, etiam naturæ vſus opere. Et de his hactenus, nunc ad alia.

TH. Quæ autem erit cauſa eorum populorū, qui omnes hermaphroditi ſunt? num id à cœlo, an à ſolo, regioneq; ipſa, an ab ipſa monſtroſa gentium ſpecie? ſicut Monoculis, Cinocephalis atq; aliis conſimilibus contingit? Plinius de eis ſic lib.7. cap.2. *Supra Naſamonas (Africæ gens eſt) confinesq; illis Maclias Androgynos eſſe vtriusq; naturæ inter ſe vicibus coeuntes Caliphanes tradit.* Ariſtot. adiicit dextram mammam iis virilem, læuam muliebrem eſſe: in eandem quoq; ſententiam tradidit Aul. Gell. lib.9.cap.4. & alias iam diximus. *Hermaphroditi vnde orti?*

PH. Ego non adeo puto eos à cœlo aut ſolo tales naſci, quin exiſtimē à monſtris monſtra huiusmodi generari. Verum ibi frequentiores, quam alibi comperti ſunt; alibi enim, etſi reperti quandoque fuerint, vt teſtatur S. Auguſtinus de ciuit. Dei lib.16.c.8. tamen ab omnibus monſtra haberi ſcribit, ſicut & lib. de Trin.12.c. 6.& de Geneſ. ad literam lib.3.c.22. Sed iis ob frequentiam vtriusque ſexus coitus ſuos per vtrumque ſexum in procreatione produnt, non ita vbi rationes ſunt, cum omnibus horrori ſint, ſed id genus monſtri, Deo permittente, natum eſt; vt inde quoque myſterium forte perdiſcamus.

TH. Myſterium eſt etiam ab huiusmodi: Hæretici enim Androgyni dicūtur, qui reiecta veritate, verborum & fabulorum floſculos ſequuntur, neque docentes vera, neq; addiſcentes: ita enim nuncupantur apud Metaph. in Oratione de geſtis Nycenę Synodi poſt 10. Iulii apud Lipom. tom.6. Hermaphroditi quoq; dicuntur, qui neglecta ratione veritatis ſuperflui ſermonis ornatu in prædicando verbo Dei abutuntur, de quibus Paul.2.Thim.c.4. ibi. *A veritate ad fabulas conuertentur,* atq; ita interpretatur Albericus de Roſate in verbo Hermaphroditus, & recte. Propterea Plato in Sympoſio fabulatur, cum dicit, initio etiam Hermaphroditos genitos, id enim damnat Euſebius præparat. Euang. lib.12. cap.6. quoniam vitium id genus hominum fecit, non natura: fidesq; vera ex ſacris Scripturis nos aliter docet. *Hermaphroditi impii.*

EQ. Africæ regionis hæc vitia ſunt: etenim nusquam tot hominum atq; animantium monſtra vt in Africa prodeunt, vti in Colloquio de homine tradidimus. In morib. quoq; iidem monſtroſi ſunt. Nam Garamantes in extremis Africæ partibus communia omnia habēt in Rep. teſte Pomponio Mela, vti meminit Ficinus in argumento ad librum quintum de Rep. Platonis. Erit hoc aliquatenus laudabile, niſi contingat, quod in Inſula quadam Oceani meridiem verſus, in qua Diodoro

 teſte,

teſte,non bona omnia tantum habent communia,verum & vxores, quum tamen Philoſophiæ & Aſtrologiæ dediti ſint. Ficinus eodem loco.

PH. Si de abſurdis hominum moribus agere velimus, totus orbis luſtrandus eſt,&non diuina colloquia,ſed annalia proponenda fuerint,præſertim in argumẽto pudicitiæ: nam Indi Semni nudi totam vitam tranſigunt, neq; vtuntur mulieribus: ſeq; ipſos caſtrant,virginitatem mulieribus omnibus ſeruantibus. Clem.Alexand.ſtrom.lib.3.

EQ. Hos ſuperant Bothniæ Aquilonaris noſtri cœli Incolæ, vbi absq; caſtratione admiranda omnium caſtitas,vitia nec nominetenus noſcunt; videntur enim ſanctorum hac in re vitæ comparandi,Olao teſte lib.20.c.1.Sed quorſum hæc pauca,cum annalium volumina de ea re conſcribi poſſent? At de longæuitate iuſtius agi non poſſet, quæ à ſoli, cœliq; proprietate prouenire conſueuit.

TH. Mors & vita in manu Dei: Veruntamen & eius voluntate,perambientis aeris virtute,& victus regimine pluribus diu viuere contingit. Sed de populis loquimur,nõ de ſingularib. Strabo enim 15.lib.tradit,Seres ann.200.viuere,quod tempus excederent,niſi occiderentur. Diodoro Siculo teſte.

EQ. Felicius noſtro Europæ cœlo, Aquilonari plaga viuere homines traduntur. Scribit enim Olaus Dauidem Epiſcopum Scotum vixiſſe ad annos 170.Sed & alia gens ibi proxima,& alibi etiã hodie viuit ad annos iam dictos. Sed de ea re iam diſſeruimus Colloquio,quo narrauimus quæcumque contigerunt mirabilia.

PH. Nec caret noſtrum Europæ, imo Italiæ cœlum, ac ſolum ſuis miraculis: nam quo ad feracitatem ſpectat, Campaniæ felicis, Dionyſio Halicarnaſſæo teſte tanta fuiſſe memoratur, vt vno ex agro quotannis tertio fructus referretur Vere, Æſtate, Autumno. Addit Strabo,far bis,deinde panicum, quarto olera. Leander in Campania felici, Lucius Florus,addit bis in anno poma arbores reddere, idem Leander.Sed & in agro circa Velinum lacum Reatinum interdiu abſciſſa gramina noctu excreſcunt, vt omnia tegant; Plin.lib.17.cap.4. Leander in Sabinis;& quod non pudet commemorare Interamno Vmbriæ vrbe rapæ in tantam amplitudinem excreſcunt, vt librarum 33. ſint, vt vix aſinus ſeptem valeat humeris deferre. Leander in Vmbria, hæque exiguæ laudes Italiæ à natura comparatæ ſunt, ſicut & de caulibus in Calabria, cuius caudicem trium palmorum ambitum tenere, & vnius pedis altitudinem. Idem Leander in Calabria memorat; cum tamen tota Italia ſumma rerum omnium felicitate præ orbe toto frui videatur : ſed reuera, vt ridicula omittamus, ſunt in Italia ob clima miracula, quæ ſingulis libris enarrauimus. Nonne admirandum eſt, in agro Narnienſi, vt puluis ex pluuiis fiat, & ex Sole lutum? quod ex vetuſtis auctoribus tradit Leander in Sabinis, repetemusque nos opportunius in lapidibus. Sicut & illud etiam memoratu dignum eſt, vt Iris quotidie iuxta caſtrum Haronis ab ima valle cœlum ſpectantibus videatur: nam id etiam ex vetuſtis auctoribus memorat Leander in Sabinis, eiusq; rei ratio eſt,quod ob Alpium anguſtias, vnde fluuii decidunt, vapores frequentes aſcendunt, & Solis repercuſſu,vt rorida nubes radios admittunt in concauo, vt ita Iris effici, apparereque videatur. Et certe plurima ſunt in Italia miracula naturæ, quæ per ſingula Colloquia commemorauimus magis opportune.

LAPI-

LAPIDES.

COLLOQVIVM DECIMVMOCTAVVM.

EQVES.

ABſumenda nobis eſt hæc dies domi ob hos ingentes imbres, vitabimusque tædium, imo oblectabimur plurimum in ſecretario noſtro, in iis ſpectandis rebus, quas eo ex omni orbe collectas contuli. Eſt ille mihi velut inæſtimabilis theſaurus, quod naturæ miracula in iis plurima eluceant, præcipue in lapidibus ac gemmis.

PH. Erit hoc nobis ſtudii quoddam genus, ac librorum vicem præbebunt res ipſæ oculis ſubiectæ.

TH. Legi apud auctores multa de terrarum, lapidumq; admirandis, animaduertiq; nulla in re maiores coruſcare naturæ vires, quam in lapidibus: quamobrem cum difficile fides perſæpe adhibeatur, plurimum oblectamenti animo accedit, cum experimento veritatem aſſequimur.

EQ. Erit nobis velut exordium teres hæc virga, quæ videtur lapidea, mittenda eſt in ignem, nec comburetur neque inflammabitur, cum tamen interius lignea ſit; ſed quoniam alumine illita eſt, ignis vim ſuperat: hoc enim materiæ genus, velut lapideum quidpiam, omnia ab igne tuetur, profuitque ſummis viris, etiam in re bellica, iſta hæc naturæ cognitio. Quinctus enim Claudius optimus & ſinceriſſimus ſcriptor in annali ſuo vndeuigeſimo tradit de alumine hæc, quæ ſequuntur: *Cum oppugnaret Sylla in terra Attica Piræum, & contra Archelaus Regis Mithridatis Præfectus ex eo oppido propugnaret turrim ligneam defendendi gratiā ſtructam, cum ex omni latere circumplexa igni foret, ardere non quiuit, quod ab Archelao alumine oblita fuiſſet. Syllæ autem ille conatus non paruus fuit: nam tempore magno eduxit copias, vt Archelai turrim illam incenderet: venit, acceſſit, ligna ſubdidit, ſubmouit Græcos, ignem admouit: ſatis diu ſunt conati, nunquam quiuerunt incendere: ita Archelaus omnem materiam obliniuerat alumine, quod Sylla & milites admirabantur: & poſtquam ſuccendit, reduxit copias.* Hæc ab Aulo Gell. noct. Attic. lib. 15. cap. 1.

PH Facile abſq; hoc experimento, quod oculis ſpectamus noſtris, ego fidem adhibuiſſem: nam legi alumen non ſolum non admittere ignem, verum etiam aliquando accenſum extinguere: imo ipſum eſſe ſolum fere neceſſarium ad ignem quendam extinguendum. Iuxta Babylonem naſcitur bituminis genus, cui naphta nomen eſt, in quo illud admirandum cernitur, quod ſi illo homo liniatur, ignem ad ſe trahit, neque aqua extinguitur, ſed magis accenditur: verum vt extinguatur, aut luto aut aceto eſt opus, aut opportunius alumine. Id Alexander Magnus vt experiretur, puerum quendam mandauit illo liniri, eum ſtatim flamma complexa eſt, ſummo cum vitæ pueri periculo, at alumine obrutum à periculo exemit, vti Strabo tradit lib. 16. Quod eo admirabilius eſt, quod illud natura non facit, ſed induſtria hominum: nam iuxta loca ſulphure referta collectæ glebæ quædam lapideæ in fornacibus excoquuntur: deinde perpluribus diebus illis aqua infunditur, & in cineres reſoluuntur: inde pingue quidpiam manat concretum in vaſis velut lixiuiū; tandem induratum glaciei formam accipit, nec inde poteſt auelli, niſi ferro: atque hoc eſt, quod alumen nuncupamus. Leander in Campania. Georgius Bruin in foro Vulcani.

Alumen ignem extinguit.

TH. Albo

TH. Albo lapillo notanda equidem hæc ſunt: propterea adhibendum iis fidem cenſeo, qui tradunt lapidum quædam eſſe genera, quæ non ardeant, neq; ſolida, neque contuſa, neq; contrita: Amiantum enim ſimilem facit Plinius alumini lib.36.c.10. eumq; nihil deperdere ab igni tradit, quod vel ipſe D. Baſilius diſertis verbis tradidit hom.30. de Ieiunio: *Eſt quædam* (inquit) *corporis natura, quam Amiantum vocant, inconſumptibilis igne, quandoquidem in flamma poſita in prunas redigi videtur, exempta autem ab igne, velut aqua illuſtrata durior euadit.* Hæc ille. Iſidorus quoq; lib.16.cap.4. ita habet: *Amianthon lapis appellatus è veteribus eo quod, ſi ex ipſo veſtis fuerit confecta, contra ignem reſiſtat, & igni impoſita non ardeſcat, ſed ſplendore accepto niteſcat: & eſt ſciſſi aluminis ſimilis.*

Amianthō haud conſumitur.

EQ. Id ſcio, Amianthon enim Cyprius lapis eſt, qui conteritur malleis, vt linum, inde capillamenta quædam manent, quæ nentur & texuntur in telam, fiuntque mappæ, quarum ſordes neque aquis neque pigmentis purgantur, ſed igne: in eum enim iniectæ abſterguntur, ſalua & illæſa mappa: hocque linum eſt, quod Solinus & Plinius Cyprium appellarunt, de quo etiam Strabo lib.10. vidiſſeq; ſe Lodouanii Viues affirmat, ac Pariſiis, de quo poſtea diſſeremus plurib. in herbarum miraculis, ſed hodie eius ita meminimus, vt ſolidum lapidem eum adhuc admiremur, vt in ignem iniectus non vratur, neque abſumatur.

Ætites lapis nec ignē ſentit.

PH. Ignem quoq; non ſentit Ætites lapis: aquilarum enim genus quintum hoc lapide nidum ſternit, quoniam ad multa remedia vtilis eſt, in igne poſitus nihil amittit: eſt etiam lapis iſte prægnans: intus, cum quatias, velut in vtero alios ſonantes ſentias. Plinius lib.10.cap.3. cui comparandus lapis Ceraunius, quo plurimum, vti gemma, pollet Luſitanum littus, quam etiam Indicis præferunt: huius color è pyropo, qualitas igni probatur, quem ſine detrimēto ſui perferat, aduerſus vim fulgurum creditur opitulari. Iſid. lib.16.cap.13.

Carbunculus ignitus.

EQ. Sunt lapides multi, qui ignem non ſentiunt: nam Carbunculum, qui adeo ſplendide lucet in tenebris, ignem non ſentire prodit Plinius lib.37. c.7. ipſe tamen ſuas flammas mittit, non vt ardeat, ſed vt luceat, vti Iſidorus memorat lib.16. cap.13. *Carbunculus* (inquit) *ignitus, vt carbo, fulgorem habet, qui nec nocte vincitur: lucet enim in tenebris adeo, vt flammas ad oculos vibret.*

PH. Crediderim Carbunculorum veram ſpeciem igne non affici, quales ſunt Indici & Garamantici: at Thraci, cuiuſmodi Anthracites, & ipſe Carbunculus, ignei quidem coloris, ſed candida vena præcinctus iactatus in ignem velut intermortuus extinguitur, at aquis perfuſus exardeſcit. Plin.lib.37.c.7. Iſidorus lib.16. cap.13.

Galatias lapis cādidiſs. & adamātinus.

TH. Suum quoque frigus in igne retinere commemoratur Galatias lapis: is grandinis candorem præfert, & figuram, duritia adamantina: ſi in igne ponatur, manet ei ſuum frigus, vt Plinio videtur lib.37.cap.11. Iſidor.lib.16.cap.10.& c.13. Inter quos lapides etiam adnumerarim eos, qui oleo extinguuntur, velut Gagates, de quo hæc Solinus cap.24. *Plurimus, optimusq; lapis eſt Gagates, ſi decorem requiras, nigro gemmeus; ſi qualitatem, nullius fere ponderis; ſi naturam, ardet aqua, oleo reſtinguitur; ſi poteſtatem, attritu calfactus applicita detinet, vt Succinus.* Ideoq; Auicenna quamuis lapidis nomen non exprimat Can.2. affirmat tamen lapidem compertum, qui aqua accendatur, oleo reſtinguatur. Vinc.natur.lib.8.cap.4.

EQ. Hunc Auicennæ lapidem Gagatam eſſe oportet; Plinius enim lib.36.c.19. *Gagates* (inquit) *lapis nomen habet loci, & amnis Gagis Lyciæ: aiunt & in Leucola expelli mari,*

mari, atque infra duodecim ſtadia collìgi: niger eſt, planus, pumicoſus, non multum à ligno differens, leuis, fragilis, odore ſi teratur grauis; fictilia ex eo inſcripta non delentur, cum vtitur; odorem ſulphureum reddit, mirumq; accenditur aqua, oleo reſtinguitur, fugat ſerpentes. Eadem Iſid.lib.16.cap.4.

TH. Et Thracius lapis eiuſdem quoque naturæ eſt, vt aqua accendatur, reſtinguatur oleo; id habet Plin. lib.33. c. 5. *Calx* (inquit) *aqua accenditur, atq; ita ignis pabulum, quod præcipue oleum eſt, amittit in iis lapidibus vires: & aqua ignis præcipue inimica vim eius adauget.*

PH. Sunt & alii lapides non pauci, qui aqua incendãtur: nam in ipſa Thracia alius lapis eſt, qui appellatur Spinus, diſſectum aſſerunt comburere, atque rurſus compoſitum ſicut & Smarilla iuxta ſe poſitum aqua irrigatum inardeſcere, quod ipſum etiam facit Maritha. Ariſtoteles admir. cap.39. quo auctore etiam didici in flumine Pontho (eſt autem in regione Indica, & Mæonica) lapidem eſſe, cuius ſuffitu fugantur ſerpentes, quem ſi quis aqua perfuderit, exardeſcit: ſin flabello magis incendere velis, reſtingui: quod & Nicandrum ſenſiſſe teſtatur: quin & Ælianus lib.9.cap.20.idem recenſet.

EQ. Perſpicuum ergo fit, non abhorrere à veroſimili, quod Plinius tradidit de Nympheo lapide: ex illo enim flammam erumpere memorat, quæ fluentibus deſuper aquis fluuii accenditur. Hæc ille lib.2.cap.107. qui etiam addit, ad aquas Scantias eandem flammam è petra prodire, fontemq; ibi manantem fraxino contegi perpetuo virente. Perſimile etiam tradit Vincentius natur.lib.6.c.25. Quamobrem dolendum eſt omnibus, Ciceronis librum quendam excidiſſe, quo de rebus admirandis, præcipue de lapidibus agebat: ex quo Plinius fragmentum recolit lib.31.c.4. in hæc verba: *Quædam terræ imbribus ſicciores fiunt, veluti Narnienſi agro, quod admirandis ſuis inſeruit M. Cicero, ſiccitate lutum fieri prodens, imbre puluerem.* Hæc ille. Licet nos alias diximus, quandocunque alia occaſio tulit. Vnde perſpicuum fiat, petras reperiri, & terræ genus eſſe, quod ad ardendum aquis ſit aptius, fiatq; ideo pluuiis ſiccius.

PH. Eadem quoque ratione fidem adſtruit, quod tradit Plinius lib.2. c. 104. *In Comagenes* (inquit) *vrbe Samoſata ſtagnum eſt emittẽs limum (Maltam vocant) flagrantem, cum quid attingit ſolidi, adhæret; præterea tactus ſequitur fugientem, aquis etiam accenditur, terra reſtinguitur.*

EQ. Non erit igitur nouum, aut valde admirandum, quod ſit inuentus lapis, qui aliquamdiu ignem, & aliquamdiu aquam emittat, quaſi eius aqua in ignem conuertatur, aut ignis in aquam. In Carrhaginenſium ditione, in monte Gonio, iuxta fontem naſcitur petra magnitudine non exigua, quæ æſtate flammam igneam emittit, per hyemem vero ex eadem petra riuus aquæ ſolet defluere: neque hoc fit per exiguum tempus, ſed per vniuerſam æſtatem ſcatet ignis, per reliqua omnia anni tempora aquæ erumpunt: fit ergo de igne aqua, & de aqua ignis, perpetua hac durante viciſſitudine. Ariſtoteles de admirand. capite centeſimo nono. Similem naturam Bocatius in monte Vranio tradit reperiri.

PH. Fuit equidem hæc res commemoratione digna: at libet narrare lapidum varia genera, quæ ignem quidem admittunt, ſed diuerſis adeo modis, vt luſiſſe in eis natura putetur. Primum quidem nonnulli ſunt, qui & ab igne accenduntur, &

 per-

percuſſione, attritioneve, aut colliſione exardeſcunt, veluti in frigidiſſima ſilice quotidie experimur: id enim admiratur Lactantius de ira Dei cap. 10. *Quid* (inquit) *quod duriſſimi rigoris materiæ ſi ictu vehementiore collidantur, ignis excutitur? num in ferro, aut ſilice atomi latent? quis incluſit? aut cur ſua ſponte non emicant? aut quo modo ſemina ignis in materia frigidiſſima permanere potuerunt?* Hæc ille: quod etiam admiratur Baſilius in exemero homil. 1. quod ſcilicet à frigidiſſimis lapidibus alliſione ignis erumpat. Accedit ad hæc proxime lapis, qui ſolo digitorum attritu vrit, cui nomen Pyrites. In Perſide fuluus lapis eſt, tenerique ſe vehementius non ſinit, at ſi quãdo arctiore manu premitur, digitos adurit. Solin. capite trigeſimo octauo, quod etiam Plinius ſcribit lib. 37. cap. 11. Iſidorus autem id habet explicatius lib. 16. cap. 4. & 11. *Pyrites* (inquit) *Perſicus lapis fuluus aeris ſimilans qualitatem ita eſt dictus, quoniam illi plurimus ſit ignis, ſiquidem facile ſcintillas emittit: hic tenentis manum, ſi vehementius prematur, adurit, propter quod ab igne nomen accepit.*

Pyrites lapis Perſicus.

EQ. Aliud lapidum genus eſt, quod igni admotum ſudorem emittit, cuiusmodi integra recentia oua ſudorem emittere admota igni videmus, nomen lapidi Droſelitus. Iſid. lib. 16. cap. 12.

At lapis in regno Bisnaga Orientalis Indiæ in Eccleſia D. Thomæ Apoſtoli, quotannis ipſa eius feſtiuitatis die, dum Euangelium intra Miſſarum ſolemnia pronunciatur, exudat valde propalam coram omni multitudine. Is lapis eſt, ſuper quem martyrii ſanguinem ille fudit, exſculpto ſigno crucis: ob quod miraculum indigenæ cum Rege valde deuouentur erga ipſum Apoſtolum, eiusque templum, tametſi Chriſtiani non fiant. Reb. Sinar. part. 4. cap. 19. Atque hinc libet recolere Moyſis miraculum, quo geminato virgæ ictu è petra ingentem eduxit aquarum ſcaturiginem, quæ ſexcentis & eo amplius hominibus, ſimul & iumentis ſatis eſſet, flueretque amnis perennis modo. Exod. 17. Feciſſet ſane idem diuina illa virtute, ſi libuiſſet, etiam tantam inde aquam profluere, quantam habet Nili origo, quæ & ipſa ex petra eſt. Nero enim Cæſar, ad inueſtigandum Nili caput, duos Centuriones miſit; quos Seneca ipſe audiuit narrantes comperiſſe petras duas, ex quibus ingens vis fluminis excidebat. Hæc Seneca natur. lib. 6. cap. 8.

TH. Non eſt prætermittendus lapis Phrygius, qui vino tantum vritur perfuſus, flatusque follibus rubeſcit: is naſcitur in Phrygia colore pallidus, mediocriter grauis, eſtq; gleba pumicoſa dulci vino intinctus ternis vicibus tingendis veſtibus tantum vtilis. Iſid. lib. 16. cap. 4.

PH. Et ille non eſt prætermittendus, de quo Ariſtoteles admir. cap. 34. tradit enim in locis montanis Apolloniatidis iuxta Atitaniam petram quandam eſſe, ex qua ignis emanans non cernitur, at cum in illam oleum effunditur, cõtinuo flamma exurgit: cui confine eſt, quod lib. 2. cap. 107. tradit Plinius in agro Sabino, & Sidicino vnctum flagraſſe lapidem: ſed illud eſt admirabilius, quod recolit Ortellius in Scotia, in Archadia naſci lapidem, qui ſi ſupponatur ſtuppis, aut ſtramentis, incendium facit.

EQ. Nec ille eſt omittendus, cui nomen eſt Epheſtites: is enim ſpeculi naturam habet in reddendis imaginibus, quanquam rutilet: experimentum eius, ſi feruenti aqua addita ſtatim refrigeret, aut ſoli oppoſitus aridam materiam accendat: naſcitur in Coryco. Iſid. lib. 16. cap. 14.

PH. Ad-

PH. Adhuc multa ſuperſunt de lapidibus & terris, circa ignem admittendum aut excludendum à natura formatis: nam in Africæ agris ſi carbo deciderit, ardet terra. Plinius lib. 2. cap. 107. Apud eos, qui fere nobis ſunt antipodes, in Cattaio genus lapidis eſt, in quo ipſa carbonum natura apparet: admoto enim carbone accenſo, ignelcit lapis è parua ſcintilla, ſenſimq; totus igneſcit, ac quaſi ingens carbo incenſus noctem omnem ſua luce illuſtrat, ardore quoq; calefacit aſſantes. M. Polus lib. 2. cap. 23. Cui confinis ille lapis eſt, qui apud Belgas carbonum vicem domeſticis neceſſitatibus præbet. Vehitur in vrbes, venditurque ligni modo; eſtque indigenis magno vſui, perinde ac reſtincti carbones in Italia eſſe ſolent: ſed non adeo abſumitur; durat ignitus, & cum neceſſe eſt, reſtinguitur, ſeruandus in aliud tempus, quo rurſum accenditur. Res hæc adeo apud omnes perſpecta eſt, vt pigeat auctores quærere. Libet tamen recolere, quæ memorat Ortellius in Scotia in Tifa lapidem nigrum naſci, ad ignem non ſecus ac ligna aptum: ſed & apud Aquisgranum glebæ lapideæ nigræ effodiuntur, quibus ad ignem velut ligno indigenæ vtuntur. Georgius Bruin in Aquisgrana. Idem accidit apud Namurcum: nam nigro lapide vtuntur, velut ligno, ad ignem. Georgius Bruin in Namurco: ſed & apud Nouiodunum etiam lapidibus quibusdam vtuntur ad ignem. Idem quoq; fit in Franicheria, vt tradit idem Georg. in Nouioduno & Franicheria: quin in Hannonia idem dicit.

Belgæ lapide quodam inſtar carbonum vtuntur.

TH. Et hiſce confinis eſt Chryſolectrus gemma: is enim proximus igni celerrime ardeſcit; ſimilis auro eſt, vergens tamen in electri colorem, matutino tantum affectu iucundus, rapaciſſimus ignium. Iſidorus libro decimo ſexto, capite decimo quarto.

Chryſolectrus ſimilis auro gemma.

EQ. Eſt equidem memorabile, lapides facile exardeſcere, ſed longe memorabilius, ſi diu ardorem retineant, neque crementur: velut Chalcides eſt, qui fornacibus ærariis Cypri ingeſtus non niſi compluribus diebus crematur: Ariſtoteles anim. lib. 5 cap. 19. At memorabilior eſt Abſicthos, qui ſemel ignitus diebus ſeptem calorem ſeruat, vtique extra ignem. Eſt enim Abſicthos gemma nigra & ponderoſa, diſtincta venis rubentibus. Iſidorus libro decimo ſexto, capite vndecimo.

TH. Excedit omnes reliquos lapides Asbeſti natura, qui cum ſemel fuerit incenſus, nullo vmquam tempore extinguitur. Solinus id memorat cap. 12. *Asbeſtus* (inquit) *lapis ferri colore accenſus ſemel extingui non poteſt.* At eum naſci in Arcadiæ montibus tradit Plinius lib. 37. cap. 10. Iſidorus lib. 14. cap. 4. qui libro poſtea 16. cap. 4. adiicit, perſpecta hac lapidis natura, mechanicos artifices molitos eſſe, vt ſacrilegos gentiles fallerent numinis opinione. Nam in templo quodam Veneris ſtatuerant ſub dio candelabrum, & in eo lucernam Asbeſto ardentem, adeo vt nulla tempeſtas, nullus imber illud lumen extingueret.

EQ. Propterea ſtulti, hebetesque Tyranni, cum in ſanctum Georgium ſæuirent, putantes lapidis huius naturam à Chriſtiano homine vinci non poſſe, dum illum incendio cremare nituntur, obruendam curarant hoc Asbeſto, verum cum omnis creatura cedat creatori, tametſi ignis ille non extingueretur, vim tamen amiſit, velut extinctus: quandoquidem ſancti Martyris etiam crines ipſi ab igne illæſi perſtitere. Metaphraſt. in encomio ſancti Georgii poſt diem 23. Aprilis, apud Lipom. tom. 7.

PH. Eſt compertiſſima omnibus hæc Asbeſti vis, vt ſemel accenſus ex eo ignis numquam reſtinguatur: nam diuus Auguſtinus rerum omnium peritia illuſtris de eo quoque pluribus agit de ciuitate Dei lib. 21. capite quinto & ſexto. Recolit enim Veneris templo adhibitum cum lucerna candelabrum; quæ ſub dio cum noctu, dieque arderet, nulla tamen tempeſtate, nullis imbribus extingui potuerat. Vnde neceſſarium fuit coniicere, ſicut lapis, ita lucerna quoque ac lichnus ex Asbeſto conſtarent. Propterea de illo ipſo Fano Veneris ac lucerna inextinguibili (inquit) ita ſentimus, vt in ea mechanicum aliquid de Asbeſto ars humana molita ſit: aut arte magica factum ſit, quod homines illi mirentur in templo; aut dæmon quiſpiam ſub nomine Veneris tanta ſe efficacia præſentauit, vt hoc ibi prodigium & appareret hominibus, & diutius permaneret. Hæc ille ex veterum annalibus. Cum igitur ea tanta Asbeſti vis etiam diuo Auguſtino pro comperta habeatur, non eſt, quod de ea ambigamus, ſed rei rationem eſt impoſſibile aſſequi humano ingenio: diuinum id miraculum in lapide hoc indi- tum cenſendum eſt. Sed de lapidum naturis cum igne ſat ſuperque diximus: nunc ad alios lapides conuertenda noſtra oratio eſt; primumque de Magnete.

Magnetis vis inſcrutabilis. EQ. Magnes præ cæteris omnibus naturæ arcana multa continet, neque ad integrum vis eius humano generi comperta eſt, vt cenſeo: propterea de ipſo ſolo librum ſcripſit doctiſſimus Ioannes Baptiſta à Porta Neapolitanus, longe plures, quam centenos eius effectus enumerans incredibili ſolertia & obſeruatione.

TH. Dubio procul nemò mente aſſequi eius naturam, vimq; ac rationem vnquam potuit ad integrum: præſertim qua ratione ferrum ſua natura grauiſſimum ad ſe leuiſſime trahat: propterea virtute cœleſti id illi eſſe inditum, nulla autem elementali vi tradunt ſancti viri, & in iis præcipuus D. Thomas Aquinas quodlib. 12. art. 15. Quamobrem ne fruſtra disquirendæ eius rei cauſæ incumbamus, quam aſſequi non valeamus; differendum puto de rebus memorabilibus, quæ ob eam Magnetis vim acciderunt.

Inuětor eiꝰ quis? PH. Exordiri libet ab eius lapidis origine, vbi inuentus primum: tradunt in Ida monte repertum primum ab homine, vnde nomen accepit, Magnete nuncupato, vt Nicander teſtatur, ac Plinius libro trigeſimo ſexto, capite decimo ſexto: Inueniſſe enim eum narrat ob clauos ferreos crepidarum, & baculi cuſpidem ferream, cum ſolo nimis velut tracta hærerent, cum armenta paſceret. Id quoque ſcribit Iſidorus libro decimo ſexto, capite quarto, qui & illud adiicit, ferrugineum colorem illi eſſe, atque ideo ferrum apprehendere, velut cognatione *Cuius coloris ſit?* naturæ complectendum: attrahereq; tanta vi ferrum, vt catenam faciat annulorum non ſimul inſertorum, ſed ſolo attractu adhærentium; vnde & eum vulgus appellat ferrum viuum: liquorem quoque vitri, vt ferrum, trahere creditur: quamquam & alius in Æthiopia Magnes eſt, qui ferrum non ambit, ſed reſpuit. Hæc ex illo.

TH. Vt coniicio fallitur Iſidorus in Æthiopico Magnete: nam ibi lapis quidam naſcitur Theamenes nuncupatus non procul à Zimiri monte, contraria Magneti natura, vt omne ferrum reſpuat, atque ita fit, vt Magnes dici non debeat, vel ipſo beato Hieronymo teſte ſuper Matth. ad cap. 9. teſte quoque ſancto Augu-

ſtino

ſtino de Ciuit. Dei lib. 21. c. 4. quod ante vtrumque etiam Plinius tradiderat lib. 36. c. 16.

PH. Memorantur igitur de Magnetis vi multa: recolamus igitur primum, quæ Plato in Io ſcribit: *Magnes,*(inquit)*qui & Heraclius lapis, non ſolum ferreos annulos trahit, ſed vim etiam annulis ipſis infundit, qua hoc efficere poſſint, ac perinde vt lapis alios annulos trahant; vnde longa plerumque concatenatio ferri & annulorum inuicem pendet, & omnibus iis ex ipſo lapide vis trahitur.* Hæc Plato. At Plinius lib. 3. cap. 14. *Ferrum*(inquit) *vires à Magnete accipit, retinetque longo tempore, aliud apprehendens ferrum, vt annullorum catena ſpectetur interdum, quod imperitum vulgus appellat ferrum viuum. Lapis hic & in Cantabria naſcitur, non ille Magnes verus caute continua, ſed ſparſa bubbatione, ita appellant. Eodem lapide Dimocrates architectus Alexandriæ Arſinoes templum concamerare inchoauerat, vt in eo ſimulachrum eius ferro pendere in aere videretur, interceſſit mors.* Libro quoque 36. cap. 16. *Quid*(inquit) *lapidis rigore pigrius, quid ferri duritia pugnatius? Sed cedit, & patitur mores, trahitur namque à Magnete lapide domitrix illa rerum omnium materia: ad inane neſcio quid currit, vt propius venit, aſſiſtit tenetúrque, & complexus hæret.* Hæc ille.

Vis eius maxima in attrahendo ferro.

TH. Multa de illo Diuus Auguſtinus memorat digna, quæ à nobis hoc loco recenſeantur: lib. enim de Ciuit. Dei 21. c. 4. Magnetem(inquit)lapidem nouimus mirabilem ferri eſſe raptorem; quod cum primum vidi, vehementer inhorrui, quippe cernebam à lapide ferreum annulum raptum atque ſuſpenſum: deinde tamquam ferro, quod rapuerat, vim dediſſet ſuam, communemque feciſſet, idem annulus admotus eſt alteri, eumque ſuſpendit, atque vt ille prior lapidi, ſic alter annulus priori annulo cohærebat; acceſſit eodem modo tertius, acceſſit & quartus, iamque ſibi per mutua connexis circulis non implicatorum intrinſecus, ſed extrinſecus adhærentium quaſi cathena pependerat annulorum. Quis iſtam vim lapidis non ſtuperet, quæ illi non ſolum inerat, verum etiam per tot ſuſpenſa tranſibat, & inuiſibilibus ea vinculis ſubligabat? Sed multo admirabilius, quod à fratre & coepiſcopo meo Seuero Milleuitano de iſto lapide cognoui: ſe ipſum namque vidiſſe narrauit, quemadmodum Bathanus quondam Comes Africæ, cum apud eum conuiuaretur Epiſcopus eundem protulerit lapidem, & tenuerit ſub argento, ferrumque ſuper argentum poſuerit; deinde ſicut ſubter mouebat manum, qua lapidem tenebat, ita ferrum deſuper mouebatur, atque argento medio, nihilque patiente concitatiſſimo curſu ac recurſu infra lapis ab homine, ſupra ferrum rapiebatur à lapide. Dixi, quod ipſe conſpexi: dixi, quod ab illo audiui, cui tanquam ipſe viderim, credidi. At eodem libro c. 6. Ex hoc(inquit) quod Magnes ferrum attrahit tam mirifica fiunt arte mechanica, vt ea, qui neſciant, opinentur eſſe diuina. Vnde factum eſt, quod in quodam templo lapidibus Magneticis in ſolo, & in camera proportione magnitudinis poſitis, ſimulachrum ferreum aeris illius medio inter vtrumque lapidem, quaſi numinis poteſtate penderet.

EQ. Quod hic narrat Auguſtinus de ferreo ſimulachro in aere pependiſſe vi Magnetis, quamquam locum, vbi id fuit, non explicet, tamen Alexandriæ in Serapidis fano id erat, vt ante Auguſtinum Ruffinus Aquileienſis ad Euſebii hiſtoriam memorauerat lib. 11. cap. 23. in hæc verba: *Alexandriæ in templo Serapidis hæc fraus erat natura: lapis Magnetis virtutis eſſe perhibetur, vt ad ſe rapiat, & attrahat ferrum. Signum Solis ad hoc ipſum ferro ſubtiliſſima manu artificis fuerat fabricatum, vt lapis, cuius natura ferrum ad ſe trahere diximus, deſuper in laquearibus fixus, quam temperate ſub ipſo ad libram*

fuiſſet poſitum ſimulachrum, aſſurrexiſſe paulum, & in aere poſtea pendere videretur. Hæc ille.

PH. Iſta igitur Magnetis vis tanta eſt, vt alicubi ob Magneticos montes naues, quibus ferri aliquid inſit, ſiſtantur. Conſtantinus enim Philoſophus libro graduum id adnotat ex Galeni lib. de Lapidibus: ac propterea nautas nauigia clauibus ferreis compacta non auſos littoribus ſubducere Indicis. Vincent. natur. lib. 8. c. 2. Viues quoque Scholio ad librum ſancti Auguſtini de Ciuit. Dei 21. ad c. 4. *Narrant* (inquit) *nautæ noſtrates, in ima India eſſe maritimas cautes Magneticas, quæ medio curſu nauigia, ſi quid in eis ferri, vel clauus vnus, ſiſtant, detineant, attrahant; idcirco, qui illac ſunt prænauigaturi, poſtes nauium ligneis clauis ſolitos compingere.* Hæc ille. Sed quod libet hoc loco de Magnete recolere, nouo miraculo habendum eſt: In Sardiniæ mediterraneis ad radices montium, qua parte vergunt ad Orientem, Magnes inuenitur ferrum trahens; at qui inuenitur ea parte, quæ ad Occidentem, Meridiem aut Aquilonem ſpectat, ferrum non trahit, ſed reſpuit ac repellit. Leander.

EQ. Propterea hæc Magnetis vis non niſi cœleſti afflatu valere cenſenda eſt, quod iam dictum eſt ex Diui Thomæ Aquinatis ſententia; ideoque humano generi etiam ſalutaris fuit, ita numine diſponente, vt ſummo pelago, vel ipſis in tenebris, ipſo cœlo ſyderibusve non conſpectis, vti iam pridem diſſerebamus, cum quo nauigiorum itinera dirigenda ignorantur, lapis hic ducatum præbeat, indexque ad quæque loca ſit, & ad quaslibet prouincias iter dirigat. Magnes enim ferream acum cogit aciem à Septemtrione in Meridiem dirigere, id quoniam animaduertere nautæ, noctu in tenebris, in abditis etiam nauigiorum cellulis Septemtrionem ex illa acu norunt, quod adeo diuturno frequentiſſimoque experimento iam in omnibus Orbis regionibus compertiſſimum eſt, vt res auctore non egeat, quo confirmetur. Quin ſi tu acus aciem vertas in Auſtrum, Orientem Occidentemve, nihilominus Magnetica vis mox in Aquilonem inuertit, vt ita ſecuri nulla ratione ambigere de ea re poſſint nautæ, ab axe Orbis Septẽtrione vias quaqua verſus dirigentes. Id primum animaduertiſſe memorant Italum quendam Amalfitanum ciuem, vt alias diximus, atque ad nauigationes inſtruxiſſe velut artem. Iouius hiſtoriarum libro vigeſimo quinto in fine. Veruntamen quum ita eſſe non diffitearnur, aut Amalfitanus primus Magnetis vſum nauigationibus adhibuerit, etiam Ariſtotelis tempore illa vis, vt ferrum ad Septemtrionem ſiſtat Magnes, comperta fuerat, & paſſim agnita, vt ipſe Stagyrita libro de Lapidibus meminerat; quod etiam recolit Vincent. natur. libro octauo, capite 19. Illius hæc verba ſunt: *Magnes ferrum trahit, & ferrum obediens eſt huic lapidi per virtutem occultam, quæ ineſt illi, ipſum mouet ad ſe per omnia corpora ſolida, ſicut per aera, & vno quidem ipſius angulo trahit ferrum: ex oppoſito autem angulo fugat ipſum; angulus quidem eius, cuius virtus eſt attrahendi ferrum, eſt ad Zaron, id eſt, Septemtrionem: angulus autem oppoſitus ad Aſon, id eſt, Meridiem. Itaque proprietatem habet Magnes, quod ſi approximes ei ferrum ad angulum ipſius, qui Zaron, id eſt, Septemtrionem reſpicit, ad Septemtrionem ſe conuertit; ſi vero ad angulum oppoſitum ferrum admoueas, ad Aſon, id eſt, Meridiem ſe mouebit.* Hæc ibi.

Horologium Magneticum. Sed & annos ab hinc ſexcentos Gibertus vir Gallus, qui poſtea in Pontificatu Romano Syluestri Secundi nomen conſequutus eſt, comperto Magnetis virtute Septemtrione, atque axe, apud Meſpurgum horologium egregium inſtituerat. Id ſcribit Dithmaurus Epiſcopus Meſpurgenſis in Chronico, & ex illo Maſſonus in ipſo Syluestro Secundo. Propterea naturæ illud opus magnum in modum admiror,

ror, cur Magneticos montes ibi conſtituerit, qui ex aduerſo axis Aquilonaris ſint, vnde Septemtriones ob locorum, graduum zonarumque diſtantiam conſpici non poſſint, niſi dicamus, ibi ideo naturam tantam Magnetis copiam inſtituiſſe, vbi maior nauigantibus axem ſpectare nequeuntibus neceſſitas vrgeret: ab Indis enim Septemtriones conſpici non poſſe memorat Plinius libro ſexto, cap. 22. vt diximus alias.

Allium atque Adamas Magnetis vires frangit debilitatque.

TH. Magnetem tamen hunc vincentem ferrum fortiſſimum vincunt magno certe miraculo quædam, quibus exigua vis eſſe videatur. Allium olus viliſſimum Magnetem ſuperat, ſed & Adamas nobiliſſima & exigua gemma. Id ita tradit Solinus c. 53. *Inter Adamantem & Magnetem eſt quædam naturæ occulta diſſenſio, adeo vt iuxta poſitus non ſinat Magnetem rapere ferrum, vel ſi admotus Magnes ferrum traxerit, quaſi prædam quandam quidquid Magneti hæſerit Adamas rapiat.* Plinius quoque lib. 20. in prooemio: *Magnes* (inquit) *ferrum ad ſe trahit, allio à ſe abiget.* Quod etiam Diuus Auguſtinus adnotauit de Ciuit. Dei lib. 21. cap. 4. & 5. *Iuxta* (inquit) *Magnetem ſi ponatur Adamas, non rapit ferrum, & ſi iam rapuerat, vt ei appropinquauerit, mox remittit. India mittit hos lapides.* Hæc ille.

EQ. Id vero cur non eſt admirabile, vt Magnes Magnetem, quoniam Magnes quadam ratione ferrum eſt, non trahat, vt maior maſſa ad ſe minorem trahat?

Hæmatites ſpurius non genuinus Magnes.

PH. Nihil in ſe ipſum agit, nec ignis quidem, nec elementum aliud, propterea attrahendi vis, qua Magnes præditus eſt, in alium Magnetem agere ad attrahendum non poteſt, ſed auget potius in minore maſſa vim ad alia attrahenda. Illud tamen compertum eſt, genus eſſe quoddam Magnetis ſpurium, quod à vero Magnete trahitur, id ita habet Plinius lib. 36. cap. 16. *Hæmatites* (inquit) *lapis Æthyopicus Magnetem alium ad ſe trahit, vterque enim Magnes eſt.* Hæc ille. Sed vt arbitror, Hæmatites ſpurius eſt Magnes, tametſi ad ſe ferrum trahat: nam & Andromantius lapis Magnetis genus quoddam eſt, ſimilitudine illa, quod argentum æsque ad ſe trahat. Eſt equidem colore niger, pondere & duritia inſigni, vnde & nomen habet, præcipuus reperitur in Africa, attritus vt Hæmatites in colorem redigitur ſanguinis. Iſidor. lib. 16. c. 4. Eum autem etiam apud Arabes reperiri, nitorisque argentei eſſe lateribus quadris, vt ab Adamante nonnihil mutuatum putes, tradit Solinus c. 35. Ex hac igitur vi, qua argentum & æs trahit, ad Magnetem pertinere quadam ratione videtur; ſed reuera Magnes non eſt: nam & aliis lapidibus attrahendi indita vis eſt, vt in Succino eſt perſpicua vis iſta paleas trahendi, de quo poſtea.

EQ. De Adamantibus agi velim, quod Magnetis vim impediant: nam cum eorum durities tanta ſit, vt nullis viribus infringi poſſit, ſingulare hoc ſolis illis eſſe videtur. Indici enim & Arabici, ſi incudibus ac malleo percutiantur, ita reſpuunt ictum, vt ferrum vtrimq; diſſultet, incudesque etiam ipſæ diſſiliant, quippe ob inenarrabilem duritiem. Præterea cum omnia fere igni cedant, ignium victrix eſt Adamantis natura: numquam enim igne incaleſcit, vti Plin. tradit lib. 37. c. 4. Solinus tamen c. 53. Cyprios Adamantes frangi poſſe malleis cenſuit his verbis: *Adamas in ferrariis metallis lectus, & qui in Cypro deprehenduntur, frangi queunt. Plerique etiam Adamantes altero perforantur, cum alii nec ferro, nec igni vincantur, nunquam vltra magnitudinem nuclei auellanæ reperiuntur: hircino ſanguine penitus macerantur.* Hæc ille.

Adamas ignem ſuperat natura.

Frangitur hircino ſanguine.

PH. Conſentit Plinius lib. 37. cap. 4. *Inuicta* (inquit) *Adamantis vis duarum violentiſſimarum naturæ rerum ferri ignisque contemptrix hircino rumpitur ſanguine, nec aliter, quam recenti calidoque macerata: & ſic quoque multis ictibus, tunc etiam præterquam eximias incudes,*

incudes, malleosque ferreos frangens, & cum feliciter rumpere contingit, in tam paruas frangitur cruſtas, vt cerni vix poßint.

EQ. Quis vnquam hoc animaduertit? quis hircino ſanguini ſordidiſſimo miſcendum nitidiſſimum Adamantem excogitauit?

PH. Suaſit hircini ſanguinis caliditas: hæc enim ratio eſt, cur inde maceretur Adamantis vis; id tradit Iſidorus lib. 12. cap. 1. *Hircorum* (inquit) *natura calidißima eſt, adeo vt Adamantem lapidem, quem nec ignis, nec ferri domare valet materia, ſolus huius cruor diſſoluat.* Quod pluribus explicat lib. 16. cap. 13. recentem enim calidumque ſanguinem illum oportere eſſe ſcribit, adiicitque hæc verba: *Adamas Indicus lapis paruus & indecorus ferrugineum habens colorem, ac ſplendorem cryſtalli, nunquam vltra magnitudinem nuclei auellanæ repertus eſt.*

TH. Sunt hæc iam omnibus nota; ſed admirabile quippiam audiui, ac legi, quod referre hæret animus: Viues enim in Scholio ad Diui Auguſtini de Ciuitate Dei lib. 21. ad cap. 4. ſeſe à pleriſque didiciſſe affirmat, Principi Rauaſtaſio eſſe in Larario Adamantes, qui fœtificent, & alios pariant Adamantes.

PH. Fides eius rei ſit penes auctores, quanquam iam diximus, Ætitem lapidem prægnantem reperiri. Plin. lib. 10. cap. 3. at nunquam peperiſſe compertum: ſed & Gaſidanes lapis, qui in Media reperitur, & in Arbellis coloris olorini, veluti floribus ſparſis concipere dicitur, & intra ſe partum fieri concuſſum; concipere autem trimeſtri ſpatio: attamen de partu nulla memoria. Plin. lib. 37. cap. 10. quanquam Theophraſtus & Mutianus tradunt, aliquos eſſe lapides, qui ex ſe pariant. Plin. lib. 36. c. 18.

Lunaris lapis.

EQ. Sunt tamen & alii auctores, qui parere lapides non diffitentur: nam & Auicenna Can. 2. vti retulit Vinc. natur. lib. 8. cap. 5. tradit, Lunæ denominatum lapidem, qui & Lunę ſplendor & ſpuma, aut ſputum dici conſueuit, inueniri apud augmentum Lunæ in terra Arabum; leuis eſt, ſuſpenditur autem ſuper arborem, atque ita fœtificat. Hæc ex illo. Quin etiam oua ſua parere Adamantem auctores aliqui tradunt; nam iuxta Briſtoliam in Anglia littoris quidam montes ac cautes Adamantum fertiles ſunt, adeo magnum in modum, vt naues onerariæ iis impleri poſſint: conglobati & orbicularibus ſilicibus incluſi effodiuntur, ruſum colorem imitantur ii ſilices, fragiles & intra caui, quos ſi fregeris, ſtatim Adamantes pellucidi concauo ſeſe oculis offerunt circumcirca affixi, vt Adamantum oua gignere, ceu matrices, hi ſilices non inepte dici poſſint. Quin etiam ii Adamantes non ſolum orbiculari forma ibi reperiuntur, verum etiam à natura in mucronem turbinati, interdum ſuperficie plana figuraque quadrangulari cælati, non ſecus, quam à peritis artificibus fiant; duritie vincuntur ab Indicis, ipſis tamen tanta eſt, vt vitrum ſcalpant, vt memorat Georgius Bruin in Briſtolia. Pariunt igitur fœtum & Adamantes.

Durities Adamantis tanta, vt vitrum ſcindat.

PH. Non dubitarim, leues lapides aut pumicoſos parere; ſicut enim augentur, ita quoque parere poſſe puto. Fluit enim ab eis humor vel paruus, qui mox vbi conſtringitur, iam lapillus eſt, iam fœtus ac partus alterius eſt, ſed in denſiſſimis lapidibus, velut Adamas eſt, aut perſimiles, vnde humor non manat, qui in lapidem dureſcat, aliter ſentiendum eſt; quod ſi id forte accidit, vt ſudor emiſſus indureſcat, vt Viues memorat, res plane omni memoria digna cenſenda eſt. Animaduertendum igitur putarim, id accidere iis lapidibus, qui Lunam imitantur, velut accidit etiam Selenitæ lapidi, de quo Solinus cap. 38. *In Perſide* (inquit) *Selenites inuenitur, trans-*

tranſlucet fulgore candido (inquit) *melleoque continens Lunæ imaginem, quem iuxta curſum aſtri ipſius perhibent diebus ſingulis vel minui, vel augeri*; quæ narrat Auguſtinus de Ciuit. Dei lib. 21. c. 5. & Iſid. lib. 16. c. 4. & c. 10.

TH. Ita fit, vt lapides cœleſtes afflatus præ cæteris rebus ſentiant: ſunt etenim vt Lunæ, etiam qui aſtrorum imagines contineant. Nam Aſtrion in India ortus cryſtallo perſimilis in centro ſtellam continet lucentem fulgore Lunæ plenæ: ſumpſit autem nomen, quod aſtris oppoſitus fulgorem rapit, ac gerit. Iſidor. lib. 16. cap. 13. Sed & libro eodem cap. 10. Aſteritem gemmam candidam appellat incluſam lucem continentem, velut ſtellam introrſus ambulantem, reddereque Solis candidantes radios. Syrtites quoque lapis eiuſdem fere naturæ eſt, quandoquidem, vt Solinus ſcribit cap. 7. erutus in parte Lucaniæ facie adeo iucunda, vt languentes intrinſecus ſtellas & ſub nubilo renidentes croceo colore perfundat. Accedit ad eoſdem lapides Hiacynthus, qui cœlum ſequitur; is optimus eſt, ac cœruleus ab Æthyopia nobis miſſus, ſentit auras, ac cum cœlo facit mutationes, nec æqualiter ſemper rutilat, cum aut nubiloſus eſt, aut ſerenus dies. Propterea etiam in os miſſus magis friget, ſculpturis minime accommodatus, nec tamen penitus inuictus eſt: nam Adamante ſcribitur & notatur. Solinus cap. 33 Sed hiſce contrariam naturam gerit Chryſotapſus, quem Æthyopia mittit, hunc lux celat, prodit obſcurum; hæc eſt enim in illo diuerſitas, vt nocte igneus ſit, die pallidus. Solinus c. 32. Hunc Iſidorus Chryſopaſſum Æthyopicum quidem nuncupat lib. 16. c. 13. at c. 14. appellat Chryſolanſem, ex auro & igne vocatam gemmam, quod aurea ſit die, nocte ignea. Hæc ille. Quod & Topazio accidit, quod aureo colore lucidum ac ſplendidum interdiu videri vix poteſt, noctu autem prælucidum videtur ab omnibus. Strabo lib. 6 naſcitur in Thebaide. Sed de hiſce iam plus ſatis.

EQ. Occurrit, vt de cryſtallis agamus, &, quod primum in illo eſt admirandum, ex aqua gignitur congelata, tranſitque aqua in perpetuam duritiem contra quamlibet gelu naturam. Eius rei rationem reddit Seneca natur. lib. 3. c. 25. his verbis: *Quis non grauiſſimas aquas credat, quæ in cryſtallum coeunt? At è conuerſo eſt: tenuiſſimis enim hoc euenit, quas ob ipſam tenuitatem facilime gelat frigus, ſiquidem aqua cœleſtis minimum in ſe terreni habens cum indurerit, longioris frigoris pertinacia ſpiſſatur magis ac magis, donec omni aere excluſo in ſe tota comprimitur, humor qui fuerat, lapis efficitur.* Hæc commemorat Vincent. natur. lib. 5. c. 80. *Cryſtalli vnde procedant?*

PH. Nec abeſt à Senecæ Plinii ſententia: Cryſtallum (inquit) facit gelu vehementius concretum, nec alicubi certe reperitur, quam vbi maxime hybernæ niues rigent, glaciemque eſſe certum eſt. Oriens hanc mittit, ſed Indicæ nulla præfertur. Iuba auctor eſt & in quadam Inſula rubri maris ante Arabiam ſita, cryſtallum gemmam effoſſam cubitalem à Pythagora Ptolomæi Regis Præfecto, iuxtaque ſe ferre gemmam Topazion, ſexangulis naſcitur lateribus, nec facile ratio inueniri poteſt; & ita abſolutus eſt laterum leuor, vt nulla id arte poſſit æquari: Cryſtallus librarum 50. vt Xenocrates auctor eſt, à Liuia Auguſta dicata in Capitolio, quin idem Xenocrates etiam auctor eſt, vas amphorale viſum, & aliqui ex India cryſtallum ſextariorum quatuor. Nos liquido affirmare poſſumus, in cautibus Alpium naſci adeo inuiis, vt plerumque fune pendentes eam extrahant. Cryſtallum pila oppoſita Solis radiis vrit. Hæc omnia vnus Plinii locus libro 37. capite 2. In Italia autem in Æthna monte ſub niuibus reperiri frequentiſſime cryſtallum memorat Leander.

TH. His, quæ à Plinio narrata ſunt, aſſentiuntur Patres: ſanctus enim Baſilius exem. hom. 3. *Cryſtallus* (inquit) *ex humoris percolatione principium accipit, lapiſque eſt, quo per excellentem aquæ congelationem transmutatur.* Sed & S. Auguſtinus explicatius id habet: *Cryſtalli* (inquit) *natura à niue per multum temporis congelante, incommutabilis lapidis durities procedit, atque ita de aqua lapides fiunt.* Hæc ille de mirab. ſcript. lib. 1. cap. 24. Sed & alibi: *Cryſtallus* (inquit) *ſpecies eſt quædam in modum vitri, ſed candidum eſt: traditur enim, cryſtallum, durata per multos annos, & non reſoluta niue, ita congelaſcere, vt reſolutio non facilis ſit. In Aquilonari plaga ipſa diuturna & annoſa duritia reddit hanc ſpeciem, quæ Cryſtallus dicitur.* Hæc ille in Pſalm. 147. in enarratione: at in expoſitione docet, in Eccleſia Dei cryſtallo ſignificari prædeſtinatos, & eos, qui præſunt, & padſcunt, & qui aliis ſuo labore perutiles ſunt: *Cryſtallus* (inquit) *erat Apoſtolus Paulus, durus, obnitens veritati, clamans aduerſus Euangelium, tanquam indurans aduerſus Solem; quia ergo cryſtallus erat, nitidus videbatur & candidus, ſed durus, & nimium gelidus, ideo fractus in fruſta panis.* Hæc ille. Adiicit autem ad hæc Iſidorus lib. 16. cap. 13. *Cryſtallus* (inquit) *reſplendens & aquoſus colore traditur, quod nix ſit glacie durata per annos, gignitur in Aſia & Cypro, maxime in Septentrionum Aſpibus, vbi nec æſtate Sol feruentiſſimus inuenitur, ideoque ipſa diuturna & annoſa duritia reddit hanc ſpeciem: hic oppoſitus radiis Solis adeo rapit flammam, vt aridis fungis vel foliis ignem præbeat, ad poculi vſus eius deſtinatur; nihil enim aliud quam frigidum pati poteſt.*

TH. Septentrio frequentius hos mittit. Olao enim teſte lib. 2. c. 28. non procul è Sudercopia Oſtrogottorum vrbe cryſtalli fruſta paſſim reperiri tradit exagona forma, quorum magnitudo ſit æquanda hominis pugno, eſſeque percommoda ad domorum egregium ornatum. Libro quoque 12. cap. 1. tradit, iuxta Gotticum mare in Oſtrogottorum montibus lapides gigni Adamantina duritie exagona forma, cryſtallina luciditate, paſſimque ibi reperiri, quorum copia tanta eſt, vt percommode ex eis ſplendidiſſimæ ædes extrui poſſint, facileque id omnibus factu foret, ſi eius rei ſtudio tenerentur. Italia quoque fert cryſtallum; nam in Brutiis Calabriæque montibus gignitur. Leander in Brutiis. In Corſica quoque Inſula frigentibus quibuſdam vallibus perpetuo niuentibus reperiri tradit Leander in Cyrno Inſula.

Alectorius lapis cryſtallinus.

PH. Inter cryſtallinos lapides Alectorius quoque connumeratur: in modum enim fabæ gallinaceorum ventriculis reperitur; eſſe enim gemmam tradit Plinius lib. 47. agit autem de eo lib. 16. c. 13. & Solinus c. 3.

EQ. Ad cryſtalli naturam proxime accedit Specularius lapis, de quo hæc habet Plinius lib. 36. c. 22. *Specularium* (inquit) *lapidem humorem eſſe terræ autumant quidam, cryſtalli modo glaciari, & in lapidem concreſcere manifeſte apparet, quod cum feræ decidere in puteos tales, & medullæ ex oſſibus earum in eandem lapidis naturam poſt vnam hyemem figurantur.* Hæc ille: vnde nobis documentum certe inſigne præbetur, quod longe deterior ſit hominis defuncti putreſcens medulla, quam belluæ, cum ex belluina naſcatur gemma, & humana naſcantur diri ſerpentes, quod diximus in Serpentibus. Sed de hoc ſpeculario lapide tradidit quoque Baſilius exemero hom. 3. *Specularii* (inquit) *lapidis natura in metallis concreſcens, eſt autem lapis pellucidus peculiarem, eamque puriſſimam transparentiam adeptus, qui ſi iuxta ſuam naturam ſyncerus & abſolutus fuerit repertus, neque putredine aliqua exeſus, neq; ſegmenta, ac ſtirias in altum productas habet, fere aeri luciditate ſimilis exiſtit.* Hactenus ibi; nec minus egregie etiam meminit Iſidorus libro decimo ſexto, cap. 4. *Specularius* (inquit) *lapis vocatus eſt, quod vitri*

vitri more transluceat: inuenitur autem ſub terra, & effoſſus exciditur, atque finditur in quaslibet tenues cruſtas.

PH. Huiuſmodi naturæ lapides, qui transluceant, etiam in Arabia comperti ſunt; ibi enim pro ſpecularibus & inſpicillis translucido quodam lapide vtuntur, vitro transluciditate perſimili. Plinius libro trigeſimo ſexto, capite vigeſimo ſecundo. Propterea Obſidianum lapidem translucidum, qui apud Macrobios comperiri ſolet, illisque ſepulchris cadauerum in vſu eſſe conſueuit ad ſpecularium, aut Arabicum iam dictum lapidem ſpectare ſua natura videtur. Sunt autem ampliſſimi ipſi Obſidiani, & excauari facile poſſunt, includunturque in eis à Macrobiis cadauera, riteque occluduntur; vnde fit, vt non euaporet ater putredinis odor, etiam ab omnibus ſpectari poſſunt, vti Herodotus tradit lib. 3. Diodorus lib. 3. ac Porcachius recolit in funeralibus tabula 13. Hunc lapidem in Æthyopia etiam nigerrimi coloris eſſe, craſſioreque transluciditate, & in parietibus pro imagine vmbras reddere tradit Plinius lib. 36. cap. 26. & Iſidor. lib. 16. cap. 15. Sed de hisce lapidibus hactenus.

EQ. Ex aqua etiam congelata lapides gigni ſcio auctores eſſe, idque qua ratione fiat, Ariſtoteles memorauit: libro enim de vegetabilibus; *Lapides* (inquit) *etiam quidam ex colliſione aquarum fiunt: primum enim ſpuma coagulatur, vt lac vnctuoſum, & dum vnda arenæ illiditur, arena congregat vnctuoſitatem ſpumæ, ſiccatque illam maris ſiccitas cum ſuperflua ſalſedine, congreganturque partes arenæ, ac per temporis longitudinem fiunt lapides.* Hæc ille. Quæ etiam recolit Vinc. natur. libro quinto, cap. 80. Præterea idem Ariſtoteles Meteor. lib. *De aquis* (inquit) *fiunt lapides quatuor modis; vnus eſt, quando congelatur guttatim cadens aqua: alius, quando de aqua currente deſcendit quiddam reſidens in ſuperficie fundi ipſius, fitque lapis. Sunt etiam certa loca, ſuper quæ aquæ effuſæ vertuntur in lapides diuerſorum colorum: ſunt etiam aquæ, quæ ſeorſum acceptæ non gelantur, ſed ſi prope alueum ſuum fundantur, congelantur, fiuntque lapides.* Hæc ille; quæ etiam recolit Vincent. natur. lib. 5. cap. 80. Hinc colligitur, quo modo lapideæ illæ formæ accidunt apud Tibur vrbem, vbi candidiſſimi lapilli dulciariis condituris, velut amygdalorum, coriandri, aniſi, atque aliarum huiusmodi rerum formas reddunt adeo veriſimiles, vt non niſi prudentes diſcernant. Gregorius Bruin in Tibure.

Generatio lapidum ex aquarum congelatione.

PH. Vitruuius archit. lib. 8. Ariſtoteli conſentanea tradit his verbis: *Hierapoli feruent aquæ calidæ, quæ circa hortos & vineas foſſis auctis emiſſæ poſt annum cruſtæ lapideæ ſunt, quibus ſcilicet cruſtis in agris ſepta efficiunt; hoc ideo videtur naturaliter fieri, quod in his locis, & ea terra, quibus naſcuntur, ſuccus ſubeſt coaguli naturæ ſimilis, deinde cum commixta vis per fontes extra terram egreditur, à Solis & aeris ardore congelatur, ſicut etiam in areis ſalinarum videtur.* Hæc ille: ſed & apud Strabonem lib. 13. me legiſſe memini, hos, qui iuxta Neapolim ab aquis lapides fiunt, adeo perpetua connexitate coniungi, vt non compage hærere videantur, ſed canales, per quos aquæ ipſæ fluunt, vno lapide confecti videantur. Propterea ob huiusmodi percolationem, qua ex aqua lapides fiunt, aliquando in antris accidit, vt hominum defunctorum corpora & inſtrumenta alia perpetua humectatione inaucta & exſiccata, lapidea poſt diuturnum tempus ſint inuenta, quod alias occaſione alia diximus ex Ariſtotele admirand. cap. 50. *In metallis* (inquit) *Lydiæ iuxta Pergamum, quorum Eraſus fuit auctor, conſertum eſt quoddam prælium, atque opifices eo confugerunt, verum ore obturato ſuffocati ſunt. Poſtea longo tempore interiecto, metallis apertis, inuenta ſunt vaſa, quibus ad*

manuum vſum vtebantur, in lapides commutata, ac amphoræ, & vaſa reliqua huiusmodi, quocumque liquore plena fuerant, vna cum hominum oſsibus in lapides conuerſa. Hæc ille; recolit Vincen. natur. lib. 5. c. 80.

EQ. Digna certe memoratu hiſtoria, quam repetitam nemo faſtidiat, ideoque albo lapillo annotanda; at alii ſunt plurimi loci eiusdem naturæ, vt humoris admixtione lapides fiant. Plinius lib. 35. cap. 13. *In Cyzicena* (inquit) *regione terra: non enim puluis ille eſt, qualibet magnitudine exciſa, & demerſa in mare lapidea extrahitur: hoc idem circa Caſſandriam produnt fieri, & in fonte Cnydio dulci intra octo menſes terram lapideſcere. Ab Oropo quidem Aulidem vsque quidquid terræ attingitur mari, mutatur in ſaxa.* Hæc ille.

TH. Hoc audio contingere etiam Puteolano pulueri; id enim natur. lib. 3. cap. 20. Seneca habet. Cum etenim aquam attigit, ſaxum eſt, qui antea puluis erat, exque eo recolit Vincentius natur. lib. 5. capite 80. quod & Plinius memorat lib. 35. cap. 13. *Puluis* (inquit) *Puteolanus ex Puteolanis collibus opponitur maris fluctibus, merſusque protinus fit lapis vnus inexpugnabilis vndis, & fortior quotidie, vtique ſi Cumano miſceatur cæmento.* Iſidorus autem lib. 16. cap. 1. adiicit in ſaxum mutari, ac ſicut argillam igne, Puteolanum puluerem vndis in lapidem verti. Præterea ex libro de naturis rerum Vincentius eodem capite 80. memorat, non paucos eſſe fontes, in quibus iniecta quæque lapideam ſuſcipiant formam, & in iisdem cotes eximias etiam fieri, ſed in fontibus ea perſecuti ſumus. Propterea is Puteolanus puluis Romanis religioſus fuit. Caius enim Princeps cum ex Ægypto naui obeliſcum Vaticanum Romam vehi curaſſet, ſuperſtitione quadam nauim illam mergi iuſſit, quæ ne vnquam vlterius aliqua ratione emergeret, Puteolano puluere impleri voluit, vt illo in lapidem conuerſo, velut ædificio lapideo obruta depreſſave perpetuo ſubſideret, ex Plinii lib. 16. cap. 40. At inter Chriſtianorum geſta veriore religione lapidea omnia in naui verſa eſſe ſine vllo terræ aquæve marinæ miraculo, ſed diuino numine compertum eſt. Mendicus quidam decrepitus in maris littore à nautis petebat Chriſti nomine eleemoſynam, efflagitabatque modicum in cibum ex iis rebus multis, quibus nauis onuſta eſſet. Præfectus plus æquo immiſericors reſpondit: Abi hinc ſenex, nihil hac in naui eſt, præter lapides. At mendicus: Si ita eſt, vt nihil præter lapides habeatis, faxit Deus, vt ita appareat. Mirum, mox quidquid eſculentum ibi eſt inuentum, verſum eſt in lapidem: erant autem plurima eius generis parata, & deuecta è longinquo Dactyli igitur, oliuæ atque alia huiusmodi omnia, genuina retenta forma ac colore, lapides erant, quos ſe vidiſſe attrectaſſeque memorat Gregorius Turonenſis hiſtoriæ ſcriptor lib. glor. Confeſſ. c. 108. Vinc. hiſtor. lib. 22. cap. 107. Iure equidem hæc ita facta; petenti enim eleemoſynam modicam ſi negetur, crimen eſt, erit ſcelus, ſi addatur verborum procacitas, quæ ex lapideo corde proficiſcitur. Vnde cordi lapideo iuſte rependendi ſunt lapidei fructus, vt quale cor ſit, tales ſint hominis res reliquæ. Odit valde Dominus cordis duritiem, qua laboraſſe veteris legis Iudaicæ ſectatores præcipue memorantur: carneum vero cor valde Deo gratum eſt, dareque ſe illud nobis in ſummam gratiam ſuis verbis indicat apud Ezechielem cap. 36. *Auferam* (inquit) *cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum.* Propterea magno myſterio Gen. 19. in excidio Gomorrhæo, cum vxor Loth retro contra præceptum Domini inobediens per cordis duritiem reſpexiſſet, verſa eſt in ſalis ſtatuam: quod myſterium D. Auguſtinus in Pſalmum 75. his verbis explicauit: *Facta eſt autem vxor Loth ſtatua ſalis, vt illius contẽplatione condian-*

Lapideum cor hominis odit Deus, diligit carneum.

diantur homines: cor habeant, non ſint fatui, non retro reſpiciant, nec malum exemplum dantes, ipſi remaneant, & alios condiant.

EQ. Eſt hoc myſterium ſemper præ oculis habendum, præcipue vero iis, qui præſunt non modo diuinis rebus, verum etiam iis, quæ ſeculari præfulgent poteſtate; ad omnes enim illud pertinet, vt idem diuus Auguſtinus recolit in ſermone 34. ad fratres in eremo: *In Loth* (inquit) *& vxore ſua duo genera hominum deſignantur; ſcilicet mundum derelinquentes, quorum vnum perfecte deſerit, aliud quoque tepidius, & reſpiciendo retro venit ad mortem. Fugere Sodomam quid aliud eſt, quam incendium libidinis, luxuriæ, ſuperbiæ, auaritiæ fugere? Quibus etiam præcipimus non retro reſpicere: quia victor mundi, & montem ſanctæ religionis ingreſſus non debet retro reſpicere. Quare melius eſſet viam veritatis non agnoſcere, quam poſt agnitam retro abire.* Hæc ille.

PH. Certe non modo iis, qui & ſæculo & diuinis rebus præſunt, myſterium eruditioni eſt, ſed & iis omnibus quoque, qui ſubſunt, quod iam prolata Auguſtini verba demonſtrant. Sed diui Cypriani carmina recolenda cenſui, quibus eius ſtatuæ miracula multa in vnam illam concurrentia enumerantur; ſic enim ille in Sodomæ excidio:

Namq; comes coniux, heu me, male tum quoq; legis
Fœmina non patiens, diuina ad murmura cœli
Audaces oculos ne quidquam ſola retorſit;
Non habitura loqui, quod viderit, & ſimul illic
In fragilem mutata ſalem, ſtetit ipſa ſepulcrum,
Ipſaq; imago ſibi formam ſine corpore ſeruans
Durat adhuc etenim nuda ſtatione ſub æthram,
Nec pluuiis dilapſa, ſitu, nec diruta ventis:
Quin etiam ſi quis mutilauerit aduena formam,
Protinus ex ſeſe ſuggeſtu vulnera complet.
Dicitur & viuens alio iam corpore ſexus,
Munificos ſolito diſpungere ſanguine menſes.

TH. Eluxit in vno illo optimo viro, imo glorioſiſſimo Martyre Cypriano omnis ſcientia, præcipue vero poſt Theologicam facultatem, qua ille egregie præditus erat, etiam Poeta inſignis fuit: vt ita cum nihil ignorarit, eo maiore fide, quæ cecinerit, ſuſcipienda ſint. Sed de hiſce rebus hactenus: nunc vertenda oratio eſt ad lapides ad ſalis ſaporem pertinentes, poſtquam ſtatua illa nobis argumentum ſuppeditauit. Imprimis autem quibus rebus ſal conſtet, explicandum eſt, aliorum Philoſophorum prætermiſſa ſententia, vnius B. Hilarii Pictauienſis verba recolemus, is in Matthæum Ca. 4. *Sal* (inquit) *eſt in ſe vno continens aquæ & ignis elementũ, & hoc ex duobus eſt vnum: hic igitur in omnem vſum humani generis effectus incorruptionem corporibus, quibus fuerit aſperſus, impertit. Salis natura eadem ſemper eſt, nec immutari vnquam poteſt.* Hæc ille de ſale miracula: quæ cum ſint multa tum in vulgatiſſimo ſale, tum in aliis quibuſdam generibus, admiranda eſt eius vbique copia: quandoquidem montes ex ſale tantummodo comperti ſunt etiam in Europa: in Hiſpaniæ enim Alpibus circa Iberum id ita eſſe tradidit M. Cato in libris de originibus, ſicuti memorat Aul. Gell. lib. 2. cap. 22. Quibus accedit, quod ſcribit Martinus Cromerus in deſcriptione Poloniæ lib. 1. In minore enim Polonia lapidea duritie ſolidus ſal inſtar ingentium ſaxorum in ſubterraneis ſpecubus alte, lateque excauatis,

& villas, & templa, oppidaq; ſuperædificata ſuſtinentibus ferro exſcinditur, & mola teritur ad hominum vſum.

EQ. Saxa quoque ingentia è ſale ſcopulorum modo circa littora S. Michaelis in orbe nouo comperta eſſe tradunt, qui eo adnauigarunt. Pet. Hiſp. p. 5. cap. 25. At in Africa etiam montes memorantur; Solinus id habet c. 30. vti alias commemorauimus; ibi enim ſalibus domos extruunt, quod & de Carrhis Arabiæ oppido tradidiſſe Plinium diximus alias: muros enim ac domos maſſis ſalis facere aqua ferruminantes ſcribit lib. 31. cap. 7. Sed & lib. 6. c. 28. memorat in oppido Gerra in ſinu Capæo Arabici maris turres eſſe conſtructas è ſalis quadratis molibus. Propterea hos lapides è ſale conſtat eſſe pellucidos: ſunt enim etiam in Italia: nam apud Camerinum ſal eſt adeo ſaxeus, vt in eo reddantur pure imagines perinde, ac chalybe aut vitro, cryſtalloque, cum ſpeculorum formam tenent. Plin. lib. 31. cap. 7. Leander. At, quod memorabile eſt, tradunt ii patres, qui Ægyptum, atque alias adiacentes regiones peragrarunt Anachoreticæ vitæ cauſa, compertam à ſe vallem ex ſeipſa humorem gignentem ſalſum, quem illico ſolis calor velut hyemalem pruinam in glaciem ita in ſalem ſtringit; & tanquam ſudes acutas ex ipſo ſale efficit: vnde omnia illa exaſperantur loca, vt non ſolum nudos pedes, vt illis Anachoretis erant, ſed & calceamentis munitos terebret ac ſecet. Hæc in vitis S.S. Patrum p. 1. ante vitam S. Pauli primi eremitæ.

PH. Sed & circa Vticam in Africa Plinius tradit conſtitui aceruos pulueris ſalis ad collium ſpeciem, qui vbi Sole, lunaq; induruere, nullo humore liqueſcunt, vixque etiam ferro ceduntur lib. 31. cap. 7. Sed præ omnibus orbis regionibus Ormutium Perſici ſinus Inſula ſale ſcatet, imo tota, cum ipſa ampla ſit, è ſale conſtat, fluitque perpetuo, atque in montes coagulatur, adeoq; mordax, vt præ maximo acumine quidquid illo ſale conditur, abſumatur: nulla ob id in Inſula herba eſt, auis nulla neque fera, imo nec cicures animantes, fons nullus potabilis; ac cum præ nimio calore tota ferueat Inſula, indigenæ perpetuo in aquis degunt toto corpore, præter caput, demerſo. Gaſpar Ieſuita anno Domini 1549. Surius in Commen. anno Domini 1565.

TH. Non admodum abſimilia ſunt, quæ de eadem Inſula Ormutio tradit Marcus Polus lib. 1. cap. 15. vix enim eo loci homini licet viuere, niſi ſe aquis mergat, ob ventorum vim vrentem, quæ à ſale cauſatur: *Quadam enim* (inquit ille) *die vento huiusmodi inualeſcente, cum repentino aeris feruore hominum ſpiritus opprimeretur, obſtructis meatibus, vno momento exanimata ſunt prope ſeptem hominum millia, quorum cadauera elixata videbantur: dilabebantur enim cadauerum membra ſolo tactu.* Hæc ex illo. Iure igitur ibi nullum animal viuit: nam neque fruges, neque frutices ibi eſſe poſſunt: ea enim ſalis vis eſt, vt agros cogat ſterileſcere, vel ipſarum ſacrarum literarum teſtimonio: nam cum Abimelech Sichimam vrbem expugnaſſet, ſolo æquauit, atq; in ea ſal diſperſit, vt in perpetuum ſterileſceret: Iudic. cap. 9. Quamquam Dei miraculo ſalis vi etiam amariſſimæ aquæ perpurgatæ inuentæ ſunt, ac redditæ dulces & potabiles: id egit Eliſæus in Hiericho 4. Reg. c. 2. Quod non elementi, ſaliſq; vi actum eſt, ſed diuina tantum poteſtate, ſicut & illud, quod perhibent de S. Porciano: is enim magnis æſtibus feruidiſſimo ſole poſt longa ieiunia, areſcentibus inteſtinis, ſalem mandere conſueuerat: cumque ſalis acumine augeat internum ardorem ac ſitim, diuino tamen miraculo ſal Portiano ſitim ſedebat, refrigerabatq; viſcera. Gregor. Turonen. in eius vita.

EQ. Quod ego etiam in ſale valde admiror, eſt generum copia, ac naturarum varietates: nam Plin.lib.31. c.7. tradit in Cyrenaico tractu intra ſpecus ſuas ſalem eſſe leuiſſimum, at in lucem vniuerſam prolatum, vix credibile quanto pondere ingraueſcat: eiusq; rei cauſam putat, quod cuniculorum ſpiritu madido facile leuis videatur, ſicut vaſa plena ſub aquis facile à quouis eleuantur.

EQ. Diſcamus varietates naturæ ſalis, & imprimis de Agrigentino agamus. Solinus cap.10. *Salem* (inquit) *Agrigentinum ſi igni iunxeris, ſoluitur vſtione, cui ſi liquor aquæ approximauerit, crepitat, velut tereatur:* propterea ſi Agrigentini ſalis naturam nouiſſet Thaletis Philoſophi mulus, hero ſuo fraudem non ſtruxiſſet, neq; rurſum ipſe à domino peſſime fuiſſet habitus, vt iam pridem dicebamus ex iis, quæ ſcribit Ælianus lib.7. cap. 37. Is enim mulus ſi Agrigentino illo ſale fuiſſet onuſtus: qui admota aqua crepitat, audito crepitu, velut terrefactus longe celerius flumen traieciſſet, neque caſum ſimulaſſet, vt, ſoluto in aquam ſale, onere leuaretur; atque ita hero ſuo gratior factus numquam ſpongiis, quibus onus augebatur, dum aqua opplebantur, fuiſſet oneratus: ſed omittamus malitioſum illum mulum.

PH. Agrigentini ſalis hanc reliquis aduerſariam naturam tradit etiam Plinius lib.31. cap.7. & Iſidor. lib. 14. cap.6. & lib.16. cap.2. Sed eum ſuperat ſal Traguſæus, qui in igne poſitus nec crepitat, nec exilit, vt memorat Iſidorus lib.16. cap.1. ſed vtrumque ille ſal ſuperat, qui Sacerdotum benedictione ſanctificatur: nam etiam incendium extinguit. Sal enim à ſancto Bonifacio Moguntino ſanctificatus, cum monaſterium Biſchofsheim incendio fortuito flagraret, ignem illum diuina virtute iniectus reſtinxit. Rudolfus in vita S. Liobæ. Surius tom.5. Septembri. Vt tamē ſale humanæ res maxime iuuantur, ita quoq; ſali ſua venena ſunt: ſi enim ſumatur immodice, eſſe venenum tradit S. Auguſtinus de morib. Manich. lib.2. cap.8. Præterea in Salinis Borthnienſibus quiddam eſt ſali & pici perſimile, quod tritum & epotum ſoluit aluum. Mart. Crom. Polon. deſcript. Nitrum quoq; ipſum, ꝙ haud dubie ad ſalem ſpectat, venenum eſt: adeo enim obſtruēdorum meatuum vim habet, vt plurimum lædat viſcera: quin in leonum, vrſorumve ora ſparſum tantā vim habet, vt obſtructis vitalibus motibus, mordere nequeant, teſte Iſidoro lib.16. c.2. Sed de ſale hactenus: nunc vertenda oratio ad eos lapides, qui attrahendi vim habent, ſunt enim non pauci. *Nitrum.*

EQ. Succinum imprimis eſt commemorandum: præcipum eſſe putat Cornelius Tacitus in Sueuico mari, vt memorat Kr. Vand. lib.6. cap.7. at perſequamur reliqua ex Plinii lib.37. c.3. Succinum (inquit) erumpit humoris abundantia, denſatur rigore vel tepore autumnali, cum intumeſcens æſtus rapuit ex Inſulis, certe in littora expellitur ita volubile, vt pendere videatur, atque conſidere in vado, quod arboris ſuccum eſſe priſci noſtri credidere, ob id Succinum appellantes: attritu digitorum, accepta vi caloris, attrahit in ſe paleas & folia arida, vt Magnes ferrum. Hæc ille. *Succinum.*

TH. Sanctus Baſilius in exem. hom.5. id iis verbis confirmat: *Ferunt Succinum ſeu electrum plantarum ſuccum eſſe in lapidis naturam concretum: teſtimonium autem huic ſermoni præbent feſtucæ, & minutiſſima animalcula in ipſo apparētia, quæ tenero ac molli exiſtente ſucco, apprehenſa detinentur concluſa.* Hæc ille, cuius animalculorū in Succino exiſtentiū ſententiam iam antea etiam Plin. ſcripſerat lib.37. c.3. Trahere aut paleas

atque feſtucas etiam tradidit S. Hieronymus ſuper Matthæum ad cap. 9. Sed Iſidorus paulo plura adiicit lib.16. cap.8. *Succinus* (inquit) *quem appellant Græci electrum, fului, cereique coloris fertur arboris ſuccus eſſe, & ob id Succinum appellari; accenſus tædæ nidore flagrat; naſcitur autem in Inſulis Oceani Septentrionalis ſicut gummi, denſaturque vt Cryſtallum rigore vel tepore; attritu digitorum, accepta caloris anima, folia, paleasque & veſtium fimbrias rapit, ſicut Magnes ferrum; quocumque autem modo libeat tingitur.* Hæc ille. Sed omnibus plura Olaus vir Aquilone ortus, & cui magis res innoteſceret, ſcripſit lib.12. cap.8. *Arbor picea, Sole cancrum obtinente, ſuccum emittit in Aquilone, qui in aquas lapſus dureſcit in lapidem: at priusquam obdureſcat, quidquid illi ſit proximum, retinet, ac glutinis modo etiam muſcas, ranas, ſorices, pulices, araneas, ariſtas, leguminaque commixta ſibi habet: quæ vna cum ipſo ſimul fluctibus iactata induruere.* Hæc ille: cui aſſentitur Martinus Cromerus in deſcriptione Poloniæ lib. I. qui hæc animantia in Succino inuenta, præcipue in Sarmatico mari commemorat.

PH. Concinnis huic lapidi eſt Ligurius; fit is ex vrina lyncis beſtię, induraturque tempore; fuluusq; eſt, vt Succinus, ſuo quoq; ſpiritu attrahit folia propinquãtia. Iſidor.lib.16.c.8. Sed & Ionis lapis excalfactus Sole, aut digitorũ attritu paleas, ac chartarum fila ad re rapit. Quin & alius lapis Charchedonius idem facit. Plin. lib.37.c.7. Habet & Lychnites eandem vim, nam à Sole calfactus trahit paleas, & fila chartarum. Iſidorus lib.16.cap.13. Nunc de aliis lapidibus, quibus aliæ naturæ quoque ſunt.

TH. Sunt ſane multæ ac variæ lapidum naturæ, quibus enarrandis dies deficiet, ſeligendæ tamen ſunt inſigniores: Enlydros erit nobis exordium, qui adeo exudat, vt in eo clauſam putes fontis ſcaturiginem. Solin. c.38. cuius propemodum verba Iſidorus recolit lib.16.c.13.

EQ. Memorandus eſt Dionyſius lapis, qui aqua perfuſus vini flagrat odorem: de illo ita Solinus cap.38. *Dionyſius* (inquit) *fuſcus lapis in Perſide rubentibus notis ſparſus, ſi aqua mixtus conteratur, vinum flagrat, & quod in illo odore mirificum eſt, ebrietati reſiſtit.* Eadem Iſidor.lib.16.c.4. & c.11 addit Plin.lib.37.c.10. etiam ſaporem vini facere, quo miraculo ebrietati reſiſtit.

Dionyſius lapis ebrietati medetur.

EQ. Sunt & lapides cibi vicem præbentes homini: eſt enim in Orientali prouincia Malauar lapis, quem indigenæ foliis cuiusdam oleris inuolutum ore die tota verſant: illius calida virtute, ſimul & oleris, veluti eſculento ſaturantur. Goanũ collegium id ſcripſit anno Domini 1551. Præterea ſunt inuenti lapides prædulces fici modo in Palymbrota; color incenſum imitatur, melleus autem ſapor & dulcor eſt, ad ficuum dulcedinem valde accedens. Strabo meminit eſſe apud Seres lib.15. Anton.Pigaf. Ipſe quoque Ramuſius tomo I. memorat in ratiocinatione de Iambuli nauigatione. Ad idem ſpectat Galactites lapis, qui in ripis Acheloi fluminis Græciæ inuenitur, ſcrupulusque eſt ater; ſi teratur, reddit ſuccum album ad lactis ſaporem; fœminis nutrientibus illigatus fœcundat vbera, ſubnexus paruulis largiuſculos hauſtus facit ſaliuarum. Intra os receptus liqueſcit, cum ſoluitur tamen, memoriæ bonum perimit. Solinus cap.13. Nec ab iſto longe abeſt Achates, qui intra os receptus ſitim ſedat, eodem Solino teſte cap.10. quod & Plinius ſcribit lib. 37.cap.10.

Achates.

PH. Si de Achate, in quem incidimus, libet diſſerere, multa occurrunt memoratu digna. Is Indicus lapis eſt, reddens nũc nemorum, nunc animalium facies,

quem

quem vidiſſe oculis fauet:ſunt & qui vſti redolent myrrhæ odorem; quin & in Creta qui Corallachates nuncupantur, ſunt corallo ſimiles, qui illiti guttis auro micantibus, & ſcorpionum ictibus reſiſtũt. Eſt etiam Achates è Sicilia in Achatis fluminis ripis repertus, quippe interſcribentes eum venæ naturalibus ſic notant formis, vt cum optimus eſt, varias præferat rerum imagines. Vnde annulus Pyrrhi Regis, qui aduerſus Romanos bella geſſit, non ignobilis famæ fuit. Cuius gemma Achates erat, in quo nouem Muſæ cum inſignibus ſuis ſingulæ, & Apollo tenens cytharam videbantur non impreſſis figuris, ſed ingenitis. Solin. cap. 11.

TH. Quæ de annulo Pyrrhi & Achate Solinus dixit, & Plinius habet lib. 37. cap. 1. at cap. 10. hæc adiicit: *In India Achates reddit ſpecies fluminum, nemorum, iumentorum etiam eſſeda & ſtaticula, & equorum ornamenta: ſpectaſſe etiam prodeſt oculis: quin etiam eam politura pingueſcere annotat.* Hæc ille. At in Italia comperti ſunt alii, qui formas rerum contineant ingenitas. In lapide enim Achate apparuiſſe Regium caput diademate ornatum, naturalibus id exprimentibus venis, absq; omni artificis manu, vidit Venetiis in Æde S. Marci Albertus Magnus, vt etiam Leander tradit, quod etiam Mantuæ in alio quoque marmore contigiſſe memorat Fulgoſ. libr. 1. cap. 6. Sed & in agro Placentino in Alabaſtrite lapide præpolito figura mortui hominis caput exprimitur: at Bergoma vrbe in Fano maiori in lapide Porphyrite, qui ad Baptiſterii ornatum eſt poſitus, tamquam picta ſerpens in orbes circumuoluta perſpicitur. Fulgoſ. ibidem. Romæ etiamnum in aula Palatina Regia in Porphyrite Romani Pontificis vultus & capitis conſuetum ornamentum absque artificis manu ingenitus conſpicitur.

EQ. In Mansfeldia lacus ſaxa habet, quæ è fodinis proximis eruuntur, in iis piſcium, ranarum, aliorumque reptilium formæ exactiſſime à natura effigiatæ agnoſcuntur, vel primo intuitu, vt ex Munſtero memorat Ortellius in Mansfeldia. Fiſſilia illa ſaxa ſunt cupro prægnantia, macerataq; igne etiam argentum reddunt. Ortellius ibidem.

PH. Ad hos autem lapides, præcipue vero ad Achatem laudibus proximus accedet Hexecontalithon lapis, qui ſexaginta gemmarum colores repræſentat: id ita Solinus cap. 34. *Hexecontalithon* (inquit) *tam diuerſis notis ſparſus, vt ſexaginta gemmarum colores in paruo eius orbiculo deprehendantur.* Eum in Libya naſci apud Troglodytas ſcribit Iſidorus lib. 16. c. 4.

EQ. Sed quid omittimus Smaragdum?

PH. Non omittimus, nec omiſſuri ſumus alias pretioſiores gẽmas: nam Smaragdus eximia quidem gemma eſt, ſed de illo pauca ſunt memorãda; ſcilicet, quandoque tanta amplitudine inueniri ac luciditate, vt thynni in Cypro perterrefieri conſueuerint ob oculos è Smaragdo poſitos in leonis quadam ſtatua: Plin. lib. 37. cap. 5. Inuentus autem eſt aliquando Smaragdus quatuor cubitis longus, ac tres latus, vt Theophraſtus ſcribit, à Rege Babylonio ad Ægyptiorum Regem miſſus. Plin. eod. cap. 5. At recentioribus ſeculis longiſſime poſt Plinii tempora, id eſt, Friderici Imperatoris ſeculo Sultanus cantharum ex Smaragdo capientem ſextarium balſami dono miſit ad illum, vt memorat Krantz. Metrop. lib. 7. cap. 5. Smaragdus quoque magnitudine peponis dimidiati propendebat in templo Moguntino ante annos 500. Conradus in Chronico. Sed Chryſolitus, cui in Italia apud vulgus Rubini nomen eſt, omnes certe gemmas pulchritudine ſuperat, quod ob flammeum colorem mire ſit ad proſpectum iucundus: exornantur Regum ac Pontifi- *Smaragdus.*

cum diademata illuſtrius ipſo, quam quibusuis aliis gemmis; nihil enim ſpectari poteſt elegantius. Memorant auctores admirabilem eius compertam amplitudinẽ in vnico, qui apud Regem Orientalis Inſulæ Zeilæ compertus eſt: cum enim alibi vix vmquam amygdalum ſuperaſſe magnitudine conſtet, apud illum tamen Regẽ extat ad palmi longitudinem, & ad humani brachii craſſitudinem, coruſcatione igneam flammam ſuperans: qui cum vnicus in omni orbe tantus cenſeatur, inæſtimabilis eſſe pretii cenſendus eſt. Marc. Polus lib. 3. cap. 19.

Zaphyrus. EQ. De Zaphyro, cum & ipſe amygdalum non ſuperet latitudine, miraculi tamen loco habitus eſt, qui in orbe nouo inuentus gallinacei oui magnitudine. Ouet. & Pet. Mart. ſum. Ita quoque ex Iaſpide vas, cuius ambitus ad palmos decem patebat, miraculi loco habitum eſt, Deoque dicatum, velut quidpiam inæſtimabile fuit in Sicilia in Montis Regalis templo ad Baptiſmales aquas ſeruandas. Leander. Sed & de Onychino lapide memorantur magna quædam: Hugo enim Francorum Rex ad ſocerũ Eduardum Anglorum Regem dono miſiſſe perhibetur vas ex Onychino lapide ita cęlatum, vt in eo fluctuare ſegetes, & gemmare vites, & hominum moueri imagines intuentibus viderentur: idque adeo lucidum & expolitum fuiſſe memorant, vt ſpeculi modo imagines aſtantium redderet. Vinc. hiſtor. lib. 24. c. 93. Sed de vnionibus plura & veteres, & recentiores commemorant; origo eorum eſt memoranda, & amplitudo pulchritudoq; eximia: ideo etiam inæſtimabiles aliquando ſunt.

Vniones. PH. Oriuntur pluribus modis Vniones, quandoq; ex oſtreis prodire comperti ſunt ad gallinacei oui magnitudinem. Spectauit id Ouetanus hiſt. lib. 19. cap. 8. emptumq; vnicum aureis 1200. ſcribit Petr. Mart. ſumm. Quandoque vero expiſcatione Vniones quęruntur ciceris magnitudine magna copia, & in fluminis ripis in foraminibus comperti ſunt pellucidi: ibi igitur quomodo exorti, an ex animantis cuiuspiam partu, adhuc incognitum. Ioſeph Ieſuita ita accidere in Peratininga ſcribit ex Braſilia anno Domini 1560. Plerumq; à conchis oriri tradidit Ælianus lib. 14. cap 8. Ichtiophagi (inquit) vrbem Indico nomine Porimuta incolentes margaritas, Vnionesve retibus comprehendunt: margaritiferæ conchæ magnorum turbinum ſimilitudinem gerentes gregatim natant: & quemadmodum examina duces, ſic eæ Regem habent tum formæ pulchritudine, tum magnitudine præſtantem: ſumma autem contentione vrinatores ideo certant ad capiendum gregis ducem, quod eo capto, cunctum gregem rectore orbatum non loco ſe mouentem aſſequuntur: quamdiu Rex fugiendo elabi poteſt, ſapienter eas regit. Hæc ille.

EQ. Amplitudinem Vnionum miram recolit Plinius lib. 9. cap. 35. *Duo fere* (inquit) *maximi Vniones per omne æuum; vtrumque poſſedit Cleopatra Ægypti Reginarum nouiſſima per manus Orientis Regum ſibi traditos: gerebat auribus, cum maxime ſingulare illud, & vere vnicum naturæ opus: vnicus igitur Romam delatus & diſſectus in Pantheo vtriuſq; Veneris auribus locatus: æſtimatur vtriuſq; pretium centies H.S. id eſt, ducenta quinquaginta millia.* Hæc ex illo. Macrobius vero ſcribit Plinio conſentanea Saturn. lib. 3. cap. 17. *Vnio* (inquit) *qui à Cleopatræ cœna ſuperfuit, Romam delatus ac diſſectus eſt, factaque ex vna margarita duæ, impoſitaque ſimulacro Veneris, vt monſtroſæ magnitudinis in Pantheo.* Hæc ille. Duo autem ſunt in Vnionibus commemoranda: in aqua enim molles ſunt, extra dureſcunt, vbi euiſcerati ſunt, Solino teſte cap. 54. Alteram, quod in acetum iniecti eius aſperitate, viq; in quandam velut tabem reſoluuntur,

adeo vt mandi poſſint, quod Cleopatra coram Antonio fecit. Plin. lib. 9. cap. 35. Macrob.eod.cap.17.

PH. Sed ſi ad gemmarum pretium ſpectemus, Opalis videtur omnium pretia ſuperaſſe: Nonius enim Senator, cum proſcriptus ab Antonio fugeret, Opalim habentem è fortunis ſuis omnibus annulum abſtulit ſecum; quem certum eſt ſeſtertiis viginti millibus æſtimatum. Plin.lib.37.cap.6.

Opalis gemma pretioſiſſima.

TH. Nihil tamen proſunt homini iſta gemmarum cariſſima pretia; quin vtinam non obeſſent magis: Leoni enim IV. Conſtantinopolitano Imperatori, cum gemmatum ferret caput, illa margaritarum vis & apoplexiam, & impræmeditatam attulit mortem, vt memorat Platina in Paulo II. Pontifice Romano; quem eodem mortis genere occubuiſſe etiam putat, ob gemmarum vim frigidiorem: iis enim ille oblectabatur. Obfuere igitur, non profuere gēmæ tanto ſtudio, ſumptuq; comparatæ ad necem.

EQ. Obfuit in ſummum exitium gemma Conradino Neapolitano Principi, qua ſi caruiſſet in tantum diſcrimen turpiſſimæ mortis non incidiſſet, latuiſſetque hoſti, vt nec captus, nec occiſus in hiſtoriarum libris legeretur. Nam aduerſus eum cum Carolus Neapolitanorum Rex fuiſſet victoria potitus, ipſe, agaſonis ſumpto habitu, aufugiens, retento in digitis annulo precioſiſſimo, incautus ſeſe prodidit non agaſonem, ſed magnum Principem; piſcator enim ex gemma ſimulatam credidit perſonam: atque ideo captus etiam vltimo ſupplicio capitis abſciſſione publice Neapoli mulctatus eſt. Peperit igitur annuli affectata gloria domino ſuo ſummam ignominiam ſimul cum vitæ interitu. Quamquam ob illum hominis nimium faſtum iam pridem Clementem IV. apud Viterbium infelicem futurum eius exitum prophetico ſpiritu prædixiſſe memorant annales. Mortui igitur ſunt omnes pretioſi lapides, mortuæ omnes gemmæ, mortuæ omnes margaritæ: tum quod reuera inanimes ſunt; tum quod poſſidentes plerumque reddant exanimes. At illi vere viui lapides conquirendi omni ſtudio ſunt, qui cum veram vitam viuant, omnibus proſunt, omnibus illuſtratione, irradiationeque ſua ſalutem afferunt. Lapides enim viui hi homines ſunt, qui puram, mundamque ſeruant conſcientiam, atque ideo reliquis hominibus lucem oſtendunt. Auguſtinus ſuper Ioannem tractat.6. Illis igitur exornandi ſunt Principes, Regesq; omnes ac palatia. Sed de hiſce rebus hactenus, nunc quasdam lapidum ſingulares naturas operæ pretium eſt recolere.

PH. Scyrus lapis, qui in Inſula Scyro naſcitur, mirum id habet, vt integer fluctuet, comminutus mergatur: id Plinius ſcribit libro 36.cap.17. & Iſidorus lib. 16.cap.4. quod naturæ priuilegium etiam ineſt Thyrræo lapidi, quamuis grandi: innatat enim ſolidus, mergitur comminutus. Plin.lib.2. cap.103. Sunt tamen lapides alii, qui aquis non ſubmergantur, ſed ſupernatent: nam in Sitana Græciæ, & in Tuſcia, & in Iberia lateres coctos ſupernatare ſcribit Strabo libro decimo tertio.

EQ. Maius eſt naturæ miraculum in Sagda lapide, vt è profundo ſponte ad ea, quæ in aquarum ſuperficie ſunt, petat: is apud Chaldæos compertus eſt, & ad nos vsque fluit haud facilis repertu, ſed ipſe ſe prohibet capeſſendum: namque ingenitus ſpiritus efficacia ſupermeantes naues è profundo petit, & carinis ita tenaciter adcorporatur, vt niſi abraſa parte ligni ſeparetur. Solinus cap.38. quod & Iſidorus

tradit lib.16.cap.7. Plus igitur eſt miraculi, vt lapis ab imo ſuperficiem aquarum petat, quam vt natura ſupernatet ac fluitet.

TH. Triplex eſt in Sagda miraculum; quod in ſuperficiem aſcendat; quod pertinaciſſime hęreat; tertium, quod à natiuo ſolo migraturus nauium ſe impingat carinis quæſiturus feliciores ſedes, ad quas nauigia illa peruenerint: propterea ad nos magis ille fluere, venireq; dicendus eſt, quam adferri. At tenacitas eius ſuperatur à Catochite lapide, qui in Corſica Inſula inuentus eſt, qui cæteris quidem maior eſt ſed mirabilis, ſi vera traduntur, impoſitam manum veluti gummi retinens. Plin. li. 37. c.10. quod & Solin. habet c.8. Corſicanus (inquiēs) ager ſolus edit vnicum, quē Catochitem vocant lapidem, fatu digniſſimum; maior eſt cæteris, qui ad ornatum deſtinantur, nec tam gemma, quam cautes. Idem impoſitas manus detinet, ita ſe iunctis corporibus adnectens, vt cum ipſis hæreat, quibus tangitur: ſed ei ineſt velut de glutino lentiore neſcio quid par, atque gummi.

EQ. Præterea flexibiles reperiri lapides, retenta duritie, cogimur admirari: licet enim tener videatur ac mollis quidam nunc in orbe nouo repertus lapis, ſuam tamen habet lapideam duritiem, quam tamen quiſquis tractu premit, flectit; experiturque in illo illud idem flexibile, quod in præduro corio videas: flectitur igitur in quaslibet velis partes: ac velut plures in vnum compacti lapides ſint, ſeſe oſtentat; vimque eandem gerit exacuendi gladios, quam cotes habere conſueuerūt, nomen illius adhuc incognitum. Id ſcripſit ex Breſilla Ioſeph Ieſuita anno Domini 1560.

PH. Forſitan is lapis fuit, quem nouacula ſecuit Actius aut Tarquinius; ſed certe non hoc tum fuiſſet mirum, ſi mollius quidpiam fuiſſet ſectum: ſed vere fuit cos illa duriſſima, ſaxeaq;: nam cum Centuriarum equitum numerum augere Tarquinius Priſcus Rex conſtituiſſet, Actius Nauius Augur negauit id fieri debere niſi conſultis pro ſua ſuperſtitione auibus. Rex, vt artem eluderet: *Diuina* (inquit) *ex arte, an fieri poſſit, quod cogito: cum ille ex arte reſpondiſſet poſſe: Seca* (inquit) *nouacula cotem, qua acuitur. Ille præſente & inſpectante populo Regeq;, hoc fecit.* Liuius lib. 1. Cicero primo de diuinat. Idque diabolica arte, viq; factum tradit S. Auguſtin. de ciuit. Dei lib.10.cap.16.

EQ. Neſcio an illius cotis durities ſit æquanda lapidibus quibusdam orbis noui, vbi ſecuribus noſtris acie ſua comparantur.

PH. Poſtquam diabolicum id opus fuit, parui referebat duriorem lapidem in id negotii ſeligere.

EQ. Et idipſum ego cenſeo: duriores igitur omnibus videntur lapides orbis noui: illorum enim tantam eſſe aciem ferunt, vt ferro æquentur, ſecuris enim miniſterium præbent, gladiorum ac reliquorum fabrilium inſtrumentorum, quæ apud nos ferro cōficiuntur. Sunt ii in regione Verzino Breſiliæ, Antonio Pigafetta teſte: ſed & in Hiſpaniola Inſula eos comperiri ſcribit Petr. Mart. ſumm. quin & in Darien atq; aliis Indicis eiusdem orbis locis in vſu frequentiſſimos eſſe idem Petr. tradit: ſed & detrahēdis ferarum coriis gladii acuti vſum præbere eos lapides memorat Ouet. ſumm. cap.10. Quin ex eis quoq; nouaculas fieri Ouetanus idem recolit hiſt. lib.17. cap.14. Excauant ingentes arbores, donec nauigii officium præſtent, vi aciei ipſorum lapidum. Ouet. hiſt. lib.6. cap.4.

TH. Eſt equidem commemoratione digna hæc lapidum acies, forteque perſimilis eis fuit illa, quando Ioſue lapideis cultris vernaculos ſuos circūcidit. Ioſ. c.5.

Sed

Sed ibi duplex myſterium fuit, ideo non durities quæſita, ſed opportunitas: tradit enim S. Auguſtinus ſuper Ioan. tract. 30. cum Chriſtus petra ſit, circumciſionem illam cultris lapideis Deo factam, vt Chriſti myſterium, quo humanum genus ſaluandum erat, agnoſceretur. Ideoque non admiranda fuit quæſita lapidis ſpecies ad id opus conficiendum; ſed quæ forte tamen obuia fuit, ad myſterium ſufficere viſa eſt, vt incideret, vt myſterium impleret: redeamus autem ad lapidum naturas varias.

PH. Sarcophagus recenſendus eſt; is naſcitur circa Aſſon Troadis, ipſoque omnia corpora abſumuntur, fiſſili vena ſcinditur, corpora defunctorum condita in eo abſumi conſtat intra quadrageſimum diem, exceptis dentibus. Mutianus ſpecula quoque & ſtrigiles, & veſtes, & calceamenta illata omnia lapidea fieri auctor eſt. Hæc Plinius lib. 2. cap. 96. plura lib. 36. cap. 17. Cui rei accedit, quod Romæ in puluere Vaticani agri compertiſſimum eſt in area Ædis, cui nomen, Campus ſanctus, humata ibi cadauera vnicam intra diem prorſus carnibus denudantur oſſibus arentibus; res etiam conniuentibus patet, inque re adeo aperta teſtes quærendi non ſunt. *Lapidum variorum varia natura.*

TH. Erit & ille admiratione dignus, qui non longe ab vrbe Colonia, vbi S. Vrſulæ virginum Collegium eſt, puluis, qui in area templi eſt, nullum prorſus ſuſcipit ſepeliendum, imo pueros recens baptizatos de nocte quaſi euomens in ſuperficiem reiicit viſendos; cuius rei miracula narrant incolæ non rara, quæ alibi non facile inueniantur, vt Lindanus doctiſſimus vir ſcriptum reliquit apud III. Cardinalem Baronium 21. Octobr.

EQ. Ita eſſe pie credo tanto viro; propterea extra diuina miracula puluis ſæpe pro regionum varietate magna continet admiranda naturæ: nam in Taurorum Peninſula in ciuitate Paraſino compertus eſt puluis adeo ſalubris, vt eo omnia vulnera ſanentur. Plin. lib. 2. cap. 96. In Balearibus Inſulis Ebuſitanus puluis ſerpentes necat. Plin. lib. 35. cap. 19. Galatæ Inſulæ puluis ſcorpiones necat. Plin. lib. 5. cap. 7. & lib. 35. cap. 19. ſicut & puluis lapisve Gangites in Meſopotamia inuentus fugat ſerpentes. Strabo lib. 16. Eſt autem etiam quandoque homicida immanior, quam gladius. Arena dubio procul puluis eſt, eius autem motus quandoque tantus eſt, vt non modo vnum atque alterum decemve opprimat homines, ſed etiam inſtructiſſimum exercitum. Cambyſes enim cum ad Ammonem miſiſſet exercitum, arena Auſtro mota, & more niuis incidens texit omnes, deinde obruit. Seneca natur. lib. 2. c. 30.

PH. Forma quoque lapides reddit admirandos, ſicut de Hannonis lapide auctores tradunt, quod cornu formam gerit. Solinus de illo ita cap. 29. *In Africa* (inquit) *iuxta Hannonis templum lapis eſt, quem vocant Hannonis cornu: nam ita tortuoſus eſt & inflexus, vt effigiem reddat cornu arietini, fulgore aureo eſt.*

EQ. Senſus ineſſe lapidi certe non poteſt: attamen in Megarenſium mœnibus lapis fuit, quem ſi quis calculo percuſſiſſet, non ſecus inſonabat ac lyra. Pauſanias ex eoque Cælius Rhodoginus lib. 22. cap. 5. Sed & Lapis, qui Memnonis fuiſſe memoratur, cum in egregiam ſtatuam fuiſſet exſculptus, mirum, Sole quotidie oriente radiis percuſſus vocem dare ſolitus ſemper fuit, vsque ad Chriſti aduentum; at tum ceſſauit, ſicut reliqua falſorum Deorum in Ægypto ſimulachra. Euſeb. Cæſ. Chron. ex interpretatione D. Hieronymi annno mundi 3580.

PH. Vitrum autem ſi gemmis adſcribamus, eſſet nobis argumento magno ad diſſe- *Vitrum.*

differendum: ſed mea quidem ſententia opportunius de illo inter metalla agendum eſt; illud tamen reminiſci hoc loco poſſumus, in Ptolemaide arenam eſſe, ex qua fiat vitrum, ablatamque recreſcere, ablutam in vitrum tranſire. Ioſeph. rerum Iudaic. & ex illo Rhodogin. lib. 22. cap. 5. Luciditate tamen vitrea lapides comperti ſunt: columnæ enim quatuor altare ſuſtinent in Eccleſia ſancti Marci Venetiis altitudine pedum decem, quæ perinde pellucent ac vitrum, id memorat Leander, idque cuique ſpectare licet; neque enim res illa eget teſtibus. Valde autem admiror in Transpadana regione lapides graues illos quidem, ac ſolidos cacaborum, ollarum, ac quorumcumque vaſorum ſupellectilis vſum officiumque eximie præſtare in admittendo ignem, vt in illis quæcumque excoquantur obſonia, ferueant in illis quæcunque liquida longe celerius, quam æneis, aut Campanis vaſis, argenteisve aut aureis; redduntur leuiſſima iſtiusmodi vaſa, excauantur turno, ſuntque ab igne ſemper illæſa, non aliter ac æs ipſum, ſi impegerint, facile franguntur, ſed fruſta ipſa reſuuntur æreo filo, conficiuntur hæc in Malongis montibus non procul à iugis Rheticis. Leander in Transpadana.

EQ. Vt video, Europa noſtra ſcatet quidem lapidibus, ſaxis, marmoribus, ſed gemmis ſterilis eſt, fert hæc, quæ diximus, ruſticiora, ſed eximia omnia, & pretioſiora apud Indos ſunt: lapis enim eximiam gemmæ naturam pulchritudinemque referens, cuius tamen nomen ignoratur, in regno Biſnaga venditus decies centenis millibus aureorum. Reb. Sinar. p. 4. cap. 19. Gemmæ itaque, quę inde ad nos deferuntur, maiore ſplendidioreque artificio à nobis excoluntur, exornanturque in adeo magnum modum, vt materiem ſuperare opus videatur: referam vnicum in hac re exemplum. Cum Matthias Vngarorum Rex nuptias celebraret magnificentiſſimo apparatu cum Beatricę Aragonia, ad eam traducendam Neapolim proceres decem direxerat, interque eos Varadienſem Antiſtitem Legationis totius Principem: is ab Vrbinatum in Italia Duce honorificentiſſimo exceptus hoſpitio eſt. In menſa ſalinum expoſitum, quod Principem etiam ditiſſimum in admirationem adduxit: id monti erat impoſitum, à latere arbor creuerat, ſalino prominens, quæ pomorum loco gemmis optimiſque lapillis onuſta pro vmbra conſpicuo nitore micabat, in monte latebræ affabre factæ, quæ gemmarias apothecas referebant. Bonfin. Rer. Vngaric. dec. 4. lib. 4. Hoc certe ſplendidius ſalinum fuit, & maiore gemmarum copia exornatum, quam vſquam legerim aliud quidpiam: ſed ſi conferamus Indicis Regibus, ne milleſimam quidem portionem continere videbitur earum gemmarum, quas in Oriente per hortos pendere iuſſit magnus Cham. Gemmis enim arborem pinum quidem veram proceram onuſtam habet, extat illa in Regia, quaquauerſus ſingulis à ramis propendent gemmarum botri, non aliter atque vuarum ſolent, ita rite ordineque compoſiti, vt ex vitibus vuæ prægrandes ſolent, neque ramuſculus vllus eſt in ipſa adeo procera pinu, à quo ſuus botrus non propendeat, vt ita credas, in omni Europa non eſſe tantam gemmarum copiam, quantam illa vna arbor ferat. Quis poſtea explicet, quanta ſit aliarum gemmarum copia, quas in Larario, in gazis, aut alibi is Rex ſeruet? Spectauit, qui ſcripſit Odericus lib. 1. Fateri tamen poſſumus, eos, qui Chriſto rite credunt, poſſe illam gemmarum copiam vel ex puluere colligere. Nam cum Godeleua fuiſſet à ſponſo Bertulfo Flandro necata, quia virginitatem colere deliberabat, humus, vbi ſtrangulata eſt, in candidos lapillos verſa eſt, & qui per deuotionem aliquid ex ea terra domum attulerant, in gemmas mutatam mirati ſunt. Drogo monachus

nachus in vita ipſius S. Godeleuæ, qui eas gemmas vidit oculis propriis, apud Surium Tom.4. Sed de gemmis hactenus.

TH. Agamus de ſaxis: nam non deerunt digna commemoratione argumenta, non equidem eo nomine, quod ex eis ſtructuræ admirabiles recenſeantur, id opportunius recolemus in iis, quæ arte confecta ſunt, hoc autem loco agemus aut de amplitudine, aut de indita natura, aut de diuinis circa ea patratis miraculis. Quod ad amplitudinem ſpectat, ſaxum plauſtri magnitudine in Thracia ad flumen Ægos cecidit anno ſecundo octauæ ſuper 70. Olympiadis, Fulgoſ. libro primo cap.4. At poſt Chriſti tempora non longe ante hæc noſtra ſecula, ſcilicet circiter annos Domini 1300. non longe à Crema in agro Ripaltenſi, cœlo ſereno, lapis magno fragore capitis humani magnitudine cecidit, qui ſe in terram penitus vltra duo cubita condidit, in duasque partes ſciſſus eſt. Sed & anno 1492. ad Rheni ripas, prope oppidum Eusheim ſexto Kalen. Decembris triangulari forma lapis ponderis trecentarum librarum cecidit. Fulgoſ. ibidem, & Ioannes Linthurius in appendice ad faſciculum.

EQ. Ergo quæ volitare viſa ſunt ſaxa ingentia etiam Ethnicorum Romanorum tempore, & prodigio erunt, & res fide digna habenda eſt: id enim tradit Liuius dec.3. lib.5.

TH. Aſſentiar & ego id prodigio factum, ſicut & illud, quod adiiciunt alii, Ludouico Imperatore ceſpitem longitudine pedum quinquaginta, latitudine 14. altitudine ſeſquipedali, ſine vlla hominum opera à proprio ſolo præciſum, ſponte abiiſſe, & ſeſe tranſtuliſſe vltra pedes 25. anno Domini 820. Vinc. hiſt. lib.24. c.27. id apud Thuringos accidiſſe tradit Vrſper. anno Domini 822. Quanquam ſaxa quædam ſunt, quæ naturæ inditæ miraculo ſponte alio migrant: id iis verbis Saxo Grammaticus ſcribit in præfatione ſua de rebus Danicis: *Saxum* (inquit) *in Islandia eſt, quod montium prærupta nulla extrinſeca agitatione, ſed propria natiuaque motione peruolitat.* Hæc ille. Sed quod natura aliis ſaxis, ne ſponte moueantur, inhibuit, ſolo iuſſu peregere ii, qui Deo pura fide famulantur: ſaxa enim, quo voluerunt, etiam longe maxima tranſtulerunt. Sanctus Gregorius enim Thaumaturgus non procul ab Amaſea ſaxum ingens, velut collis, cum ædificando templo eſſet impedimento, iuſſu ſolo ſummouit, alioque migrare iuſſit, quo miraculo Ethnicorum Idololatrarumque æditußs cum propinquis omnibus, relicto gentiliſmo, ad Chriſti fidem conuerſus eſt. Gregorius Nyſſenus in vita eius apud Surium Tom.4. Perſimile egit Sanctus Theodorus Siceorum in dilatatione templi S. Gregorii: magna enim rupes obſiſtebat, neque à fabris quauis arte excindi poterat; at illi iuſſit Theodorus, vt ſe alio conferret, permitteretque Eccleſiæ Dei locum dilatari, paruit rupes, cui iuſſum id fuerat, migrauitque dimiſſa ibi illæſa arbore, cui id non fuerat iuſſum. Georgius Presbyter in vita ipſius Theodori apud Lipomanum Tom.7. Sed & Nonnoſus vir Dei, cum magna moles ſaxea quinquaginta boum iuga loco non mouiſſent, hortulum magno incommodo afficeret, ſola oratione procul tranſtulit. Greg. dial lib 1.c.7.

EQ. Vt autem alio translata ſaxa diuina ope à ſanctis viris audiuimus, ita eorundem virtute, quæ ruerent, aut ad caſum vergerent, cohibita ſolo iuſſu ſunt: ſanctus enim Honoratus, cum ex altiſſima rupe erutum ſaxum iam præceps ad totius monaſterii ruinam ruens prolaberetur, ſolo crucis ſigno obiecto, iuſſit conſiſtere: paruit illud, ibique, vbi iuſſerat Honoratus, conſiſtens, locum omnem illæſum

permi-

permiſit. Spectatur adhuc miraculi gratia ſaxum. Greg. dialog. lib. 1. c. 1. Marſius quoque ſanctiſſimus vir ſaxi ampliſſimi teſtimonio populis eſt proditus: cum enim à prærupta altiſſimaque rupe ingens ſaxum præceps rueret, collabensque iam ad eius cellulam rotanda perueniſſet, ne aut Sanctum, aut cellulam vlla parte læderet, ſponte omnia tranſiliit, velut animatum eſſet, noſſetque ſuo pondere & Sancto, & cellulæ non eſſe nocendum. Gregor. dialog. lib. 3. c. 16.

TH. Sed etſi non tranſiliiſſet, poterat eadem Dei ope ruens in cellulam etiam non lædere; nam & ſaxa inuenta ſunt, quæ in caput cuiusquam caſu ſuo illidentes nihil tamen læſerunt, profuerunt potius, vti iam pridem diximus apud Aſſiſium in Æde D. Franciſci contigiſſe, cum ageret concionem Epiſcopus Hoſtienſis, qui poſtea Alexander IV. in Romano Pontificatu dictus eſt: tum enim ruens ex alto lapis in mulieris caput, tantum abeſt, vt eo caſu mulier fuerit necata, aut læſa, quin potius ob pietatem illam, qua magnum in modum erga Diuum Franciſcum afficiebatur, fuit adiuta, ſanataque capitis, quo diutius laborabat, dolore, aucta ſibi non diminuta corporis incolumitate. Ex ſancto Bonauentura in vita ſancti Franciſci c. 15. Ita fit, vt ſaxa reddantur mobilia immobiliave, noxia aut innoxia, ſalutariave ad Dei virorumque ſanctorum libitum: nam aliquando immobile redditum eſt quoddam non ingens ſaxum, vt nullis viribus loco cederet, ad diuinam indicandam vim, ac Sanctorum occultum myſterium, apud eandem vrbem Aſſiſium intuitu Diui Ruffini; eſt enim memoratu dignum, atque ita accidit. Iacebat obſita ſordido loco extra vrbem ſancti Ruffini marmorea vrna, eamque ciues curabant in vrbem referri, contentio tamen inter ciues orta eſt, aliis alium locum deſignantibus: mirum, ſexaginta viri eam loco dimouere non potuere, quod eum locum, quem illi ſtatuerant, diuinum conſilium non admiſiſſet; attamen ſeptem alii tantummodo viri, qui locum alium ex diuino conſilio delegerant, admiranda leuitate, quo voluere, tranſtulerunt. Petrus Damianus in ſermone de ſancto Ruffino. Lædunt igitur ſaxa, aut etiam innoxia ſunt, dum pendent ex diuino conſilio. Diuo enim Stephano Protomartyri necem attulerunt corpori, vt ad gloriam Martyrii animam efferrent. Act. cap. 7. Sed & ſanctum Lupicinum & Romanum Abbates permiſſi ſunt dæmones in vaſta eremo ſaxis impetere, & velut imbre lapidum eorum orationes impedire, ad maiorem ſanctitatis probationem, & virtutis incrementum, vt tradit Greg. Turon. in vita ſancti Lupicini.

PH. At leui manu paruoque negotio ſæpe reddita ſunt mobilia, quæ viderentur nimio pondere immobilia. In id erit nobis teſtis Socrates hiſt. lib. 1. cap. 16. Cum enim Iberorum Rex ad Chriſti fidem conuerſus templum Romanorum forma conſtrui iuſſiſſet, ex ingentibus marmoreis columnis vna manſit immobilis, nec vlla machina poterat commoueri, rumpebantur funes, & machinamenta frangebantur; at noctu ſancta quædam captiua mulier in precibus defixa peruigilans effecit, vt diuina prouidentia columna erigeretur in aere ſublimis ſupra baſim, nullo impoſito fulcimento, quo niteretur, aut librate ſuſpenſa hæreret: illuceſcente autem die, columna conſtituta loco reperitur, obſtupeſcunt omnes, & Eccleſiam perficiunt Deum laudibus efferentes. Hæc ex illo. Eadem Ruffinus ad Euſebii hiſtoriam lib. 11. & Niceph. lib. 8. cap. 34. Cui accedit & alia non abſimilis hiſtoria: In Ægea enim Ciliciæ vrbe Chriſtiani ab Æſculapii templo diruto columnas ad Dei templum ædificandum tranſtulerant; at Iulianus Apoſtata Imperator id non ferens in priſtinum locum reſtitui Epiſcopi ſumptibus iuſſerat: in id igitur opus ſedulam

dulam nauabant operam Ethnici, iamq; vnam columnam demoliti vsq; ad Eccleſiæ limen machinis pertraxerant, ſed cum irrito labore extrahere niterentur, ea relicta, opus intermiſere: defuncto poſtea Iuliano, nullo labore negotiove Epiſcopi iuſſu in priſtinum locum eſt reſtituta, vt Zonaras memorat in ipſo Iuliano.

EQ. Obſequuntur igitur marmora Dei ſeruis perinde ac animata ſolent: nam & Simeon Abbas Salus Antiochiæ paulo antequam is terræ motus inualuiſſet, qui Mauritii tempore fuit, ad columnas accedens aliis iuſſit ſtare, quæ ſteterunt, aliis neq; ſtare, neq; decidere, quæ inclinatæ, & à ſummo in imum vsque diffiſæ ſunt, ita omnes iuſſis paruerunt Simeonis magis, quam inualeſcentis terræ motus viribus. Leontius Neapolis Cypri Epiſcopus in vita ipſius Simeonis. Propterea in ipſius Domini obitu, vt parere illi viderentur, & vt velut condolerent, ſciſſæ petræ ſunt indicantes inditam ſe habere longe minorem duritiem, quam eſſet Iudęorum cordibus inſita: ſed quod non parum mentem oblectat, eſt, quod vt ſanctis viris deſeruiant ſaxa etiam aquis innatant, veluti leuia, cum ſint ipſa grauiſſima. Panthalemoni glorioſiſſimo Martyri cum Tyrannus collo ingens ſaxum alligaſſet, atq; in mare præcipitem dediſſet, ſaxum non ſecus atque arborum folia mari ſupernatauit, ipſe vero quaſi alter Petrus ſuper fluctus ambulauit ſecurus. Metaphr. apud Lipomanum Tomo 6. 28. Iulii. Et quod contigit viuenti Panthalemoni, contigit idem Vincentio Martyri iam defuncto: iuſſerat enim Dacianus tortor corpus eius corio inſutum, addito grauiſſimo ſaxo, in profundum demergi, ſed ipſe Dei virtute ſuper vndas innatans ad littus eſt delatus. Ado Treuerenſ. 11. Kal. Febr. Hæc igitur ſaxa, quæ innatarunt, tametſi non fuiſſent ingentia, erant tamen maxima, & ſi velut turres extitiſſent, eodem tamen miraculo Martyres illuſtraſſent.

PH. Ita eſt haud dubie: ſed de amplitudine ſaxorum non videtur prætermittendus ſermo; vidimus apud Rauennam in littore Adriatici maris templum, cui Diuæ Marię Rotundę ob circularem formam nomen eſt, cum antea fuiſſet Theodorici Gottorum Regis ſepulchrum latiſſime patens, mirandum, omne illud templum vnico ſaxo tegitur, vt latius ſaxum nemo in Europa vidiſſe putetur. Res in propatulo eſt, neq; eget teſtibus: eſt enim eius ambitus ſupra pedes centum, craſſities ſupra decem; ſed in Ægyptiorum hiſtoriis, quæ de ſaxorum amplitudine referuntur, hominum fidem ſuperaſſe videntur: ſaxum enim vnicum exciſum ac quadratum per ſingula quatuor latera cubitis 40. latum, vnicum efficit ſolidum templum, cum fuerit omne excauatum, manente craſſitie, quæ parietum locum tenerent, ac tecti cubitorum 4. Id recolit Herodotus lib. 2. c. 12. Sed quod habet eodem capite, inſaniam veterum oſtendit: tradit enim ſaxum longum cubita 21. altum cubita 8. latum 14. totum excauatum in arcæ formam non potuiſſe in deſtinatum locum vehi, niſi triennio, adhibitis fabrorum tribus millibus, præter nauigationem dierum 20. Recentiores autem, qui Africam perluſtrarunt, recolunt, in Æthyopia, in Chaxumo Eccleſiam extare Diuæ Mariæ de Sion dedicatam, quam indigenæ putant primam omnium Chriſti Eccleſiarum ibi exædificatam longe quidem ampliſſimam, vnico ſaxo illa tota conſtat. Eſt enim ſaxea ibi tabula longa pedes 130. ſeu cubita ſexaginta quatuor: latitudo autem eſt ad cubita ſex, ſeu pedes duodecim, craſſities ad pedes ſex protenditur; mirum tantam tabulæ amplitudinem erectam velut turrem proſtare in baſi quadam altaris formam habente: exhibuiſſe autem eam altaris vſum inde deprehenditur, quod in ſummo tabulæ quinque claui confixi adhuc videntur crucis forma. Franciſcus Aluarez. de rebus Æthyop. c. 38.

Amplitudo ſaxorum.

EQ. Hæc efficiunt humana ingenia, ſed quandoq; natura mirandum in modum ſaxis dat formam, velut artifices ſolent: nam in Peruaco noui Orbis adeo ingens ſaxum longumque natura flumini ſuppoſuit, vt cum à ripa in alteram porrigatur, excauatum inferius eſt fornicis modo, vt ita itinerantibus pontis præbeat vicem, ipſi fluuio permiſſa fluendi libertate. Petr. Hiſp. p. 5. c. 28. Et qui Aquilonem luſtrarunt, ferunt abſcindi à rupibus etiam tonitruorum vi adeo ingentia ſaxa, vt præter amplitudinem admireris alia columnarum formam, alia pyramidum, aut obeliſcorum, non aliter atque periti fabri arte peregiſſent. Olaus id memorat. Et quod eſt etiam memoratu dignum, natura artis æmula viſa eſt in Orbe nouo: valles inuentæ ſunt ſaxis ſphæricis oppletæ, non aliter ac abſoluti globi eſſe ſolent; alia exigua ſunt, alia paulo maiora, alia maxima, adeo militaribus vſibus apta, vt bombardis imponantur ad profligandos hoſtes, vti ferrei globi in Europa adhibentur. Petr. Hiſp. p. 5. c. 9. Et quod admirabilius eſt, natura, velut quæ expectaſſet Chriſtianorum in eas regiones aduentum, poſt globos adeo ingenti copia adiecit & tormentarium puluerem non minore copia, etiam ſulphuream materiam ſuppeditans, in prouincia Quautemallan: mirumque eſt, nulla arte egere, vt conficiatur is puluis, quandoquidem ſulphur ea natura ibi indita naſcitur ac vi, vt idem opus efficaciamque præſtet in ipſis bombardis, quam apud nos abſolutiſſimus tormentarius puluis præſtat. Petr. Hiſp. p. 5. c. 23. Vt ita minore labore hoſtium vires frangant apud Indos Chriſtiani, quam Hannibal è Gallia in Italiam exercitum ducens, per ſaxa aceto ſibi viam aperuerat, vt Liuius teſtatur, & recolit Abbas ſancti Trudonis Theodericus c. 2. apud Surium Tom. 7. menſe Iulio.

TH. Si probe animaduertamus, vix etiam quidquam in ſacris literis, aut ſacris diuiniſve myſteriis eſt, quod admixtam non habeat ſaxorum aut memoriam, aut etiam veritatem: Iacob enim oleo ſaxum inunxit, Geneſ. c. 28. titulumque erexit in loci ſanctitatis teſtimonium, & vt inde quoque myſterium in Dei Eccleſiam manaret, quo ſaxeis altaribus ſacroſancta & incruenta ſacrificia offerrentur, quod & Gedeoni Angelus etiam indicarat, quando iuſſerat & carnes & azimos panes ſupra petram in Ephra imponi; viſum enim tum eſt illud ingens miraculum, vt tactu virgæ Angeli ignis è petra eruperit, qui omnia abſumpſit, vnde permotus eſt Gedeon ſaxeum ibi Domino conſtruere altare, Iud. 6. Quas ob res cum in Eccleſia Dei ritus fuerit inſtitutus, vt altaria ſaxea fiant, in iiſque ſacroſancta myſteria celebrentur, non eſt cenſendum carere crimine, qui abſque lapideo altari ea celebrarit, cum ritibus aduerſetur, qui cum ipſius naſcentis Eccleſiæ exordiis originem traxerunt, cuius rei contemptus quantum Dei iram excitet, etiam puerorum ſimplicium ioci perſpicuum faciunt, quibus diuina miracula acceſſerunt; id à Sophronio mutuabimus prat. ſpir. c. 196. *In Gonago* (inquit) *Apamiæ agro pueri imitantes Sacerdotum in celebrandis Miſſis ritum, lapideum altare ſibi erexerunt, atque ex ſe & Sacerdotem & altaris miniſtros conſtituerunt, panemque ac vinum in altari huiuſmodi offerendum propoſuerunt: is igitur, qui Sacerdotis munus adimpleturus erat, cum per conſuetudinem ſacra verba conſecrationis perdidiciſſet, ea iuxta conſuetudinem ſuper oblatum panem ac vinum pronunciauit, mirum, prolatis iis, ignis cœlitus delapſus propoſita omnia conſumpſit, ſaxumque totum combuſſit, ita vt nihil omnino, neque ſaxi, neque eorum, quæ fuerant ſuperpoſita, relinqueretur, pueris omnibus præ timore propemodum exanimatis; quod vbi reſciuit Epiſcopus, perculſus magnitudine & nouitate miraculi, cum omni clero accurrens, ignisque veſtigia proſpiciens pueros omnes in monaſterium immiſit, locumque in monaſterium extruxit, extructa Eccleſia, atque*

Altaria ſaxea vetus Eccleſia habuit.

altari

altari ibi exædificato, idque ſe ore ipſorum puerorum didiciſſe tradidit Gregorius Africanæ prouinciæ Præfectus. Hæc ex Sophronio.

PH. Tantum illud miraculum neceſſarium fuit, vt indicaretur humano generi nihil eſſe ſublimius ſacroſanctis Miſſæ myſteriis, propterea per iocum circa ea verſari ſine ſacrilegio vel ipſos pueros non poſſe.

TH. Reuera ob id tantum miraculum obtigit: illa enim ſacroſancta verba indigne recoluntur à quouis, cui Epiſcopi manus non fuerit impoſita Sacerdotii conferendi cauſa; vis enim illorum verborum cum tanta ſit, vt Sacerdos, iis pronunciatis, præcipue vero in altari rite conſecrato, corpus ac ſanguinem Chriſti conficiat, qua ex re omnium cœleſtium ſpirituum exultatio eſt ob crucis Chriſti commemorationis gloriam, indeque efficitur humanæ ſalutis propitiatio & efficacia, quando ibi incruentum offertur ſacrificium viuis atque defunctis profuturum; quod ibi annotauit Lipomanus in breui ſcholio, Tomo 5. ad Sophronii caput 196. Propterea illa ſacri altaris lapidei conſecratio magnis ritibus fit, quibus peractis, Angelus velut ibi adſcriptus loci cuſtos adhibetur diuina poteſtate: id ſcribit idem Sophronius eodem prat. ſpir. c. 10. Abbas enim Barnabas iuxta Iordanem eximiæ ſanctitatis vitam degebat, altareque erexerat ad conſecrationem in ſpelunca ſua. Cum igitur ipſe inde alio migraſſet, Anachoreta quidam ſpeluncam ingreſſus vidit Angelum Dei ſtantem ſuper altare, aitq; ad Angelum Anachoreta: Quid hic agis? cui Angelus: Ex quo ſanctificata ſunt iſta, à Deo ipſo mihi credita ſunt. Hæc ex illo. Vnde animaduertenda eſt nobis, quanta ſit humanæ conditionis dignitas, pro cuius ſalute omnia laborant, ſi ipſe ſibi obicem non ponat.

EQ. Et hoc magno habendum eſt miraculo, vt è ſaxis prophaniſque locis ob conſecrationis adhibitum myſterium dæmonia eiiciantur, ac quidquid humano generi noxium eſſe poteſt, reddaturque ſalutare.

TH. Salutaria ſunt omnia, quibus conſecrationes adhibentur, quin ſi tanta ſit hominis fides, etiam proderunt non modo ad animæ ſalutem, verum etiam corporis: &, vt equidem cenſeo, ſi quid ibi lateret venenoſum, crediderim illa adeo mirifica ſanctificatione etiam ſuperari. Propterea ſi, ſicut Auguſtoduno accidit arce Virodunenſis agri, intra ſaxum bufo contineretur, haud dubie, adhibita ſanctificatione, fuiſſet peremptus. Bufo enim in ſaxi medio, dum ſecaretur, inuentus ibi perhibetur, vt memorat Fulgoſ. lib. 1. c. 6. Quin in Latio quoque Martino V. Pontifice ſerpens viua in media petra, cum ſcinderetur, inuenta eſt, vt eodem loco Fulgoſus tradit. Hæc ſanctificatione illa diuina abolerentur. At non ita forte putarim, ſi ex ea petra altare conficeretur, quæ apud Anconam frequentiſſima eſt, in qua mirandum in modum piſces enaſcuntur. Non enim adeo putandum eſt immundum animal piſcis, vt bufones ac ſerpentes ſunt, quibus perſæpe dæmones comparati ſunt, nunquam piſcibus. Quod vero intra lapides ſaxave comperiantur conchilia, animantiumque oſſa, non adeo admirandum putarim, quandoquidem ex diluuio generali, aut etiam alio caſu defoſſa illa oſſa terræ viſceribus diuturnitate temporis concreta, ſolidataque humo, ipſa ſibi ſeruata ſunt; reperiuntur huiuſmodi in pago Zichen apud Traiectum ad Moſam, vt tradit Georgius Bruin in Traiecto ad Moſam. Sed de rebus hiſce iam plus ſatis.

PH. At pro colophone adhuc ſaxum vnum commemorandum videtur: extat in Scotia in Coii prouincia ſaxum, quod à proprietate ſurdum nuncupant, altitudine eſt pedum duodecim, extenditur amplitudine ad 33. cubita, mirum, *Saxum ſurdum.*

ſi vno in latere fiat fragor aut ſonitus, etiam ingentis bombardæ non exauditur alio latere ex aduerſo, niſi quam remotiſſime abſit à lapide. Id recolit Ortellius in Scotia.

METALLA
COLLOQVIVM DECIMVMNONVM.
THEOLOGVS.

AFferenda nobis ex vrbe vitrea vaſa non pauca curaui, eaque heri huc perlata ſunt integra: iam enim animaduerteram aurea pocula ſedare ſitim vix poſſe.

PH. Recte ſane atque argute dictum, quandoquidem paucis id contingit, vt auro exſaturentur: quamquam enim aurea pocula ſitim ad tempus ſedare poſſint, ipſa tamen auri ſitis numquam extinguitur, vt carmine poëtico iam pridem legimus decantatum:

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.

Et:

Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

TH. Ego non illuc meum ſermonem direxeram, vt philoſophandum modo proponerem de auri cupiditate, ſed de poculis aureis argenteiſve memineram, è quibus non adeo iucunde ſalubriterve bibitur, vt à mundiſſimo vitro, quod cryſtallis æquandum pulchritudine nemo ambigit, niſi quod fragilius eſt. Sed hæc ad nos delata vaſcula eo nobis cariora eſſe debent, quod inſigniter ſui fecere periculum: nam cum ex alto ceciderint, & in ſaxa impegerint, confracta tamen non ſunt, magna naturæ vi.

EQ. Forſitan non ex vitro noſtrate ſunt, ſed ex vitro Obſidio, quod cum lapis ſit, non facile frangitur, vitrum tamen eſt, illudque Obſidius in Æthyopia adinuenerat.

TH. Non puto ex eo lapide vaſcula hæc confecta, quandoquidem pellucida ſunt, at Obſidiana nigerrimum habent colorem, quanquam etiam transluceant, obſcuriores tamen formas, quam ſpecula, ac pro imaginibus vmbras reddunt, aptiorque materia eſt ſtatuis efformandis, quam poculis. Auguſtus enim quatuor elephantos ex Obſidiano vitro pro miraculo dicauerat in Concordiæ templo. Plin. lib. 36. cap. 26.

EQ. Si igitur hæc pocula ac reliqua vaſcula ex vitro ſunt, quod non natura, ſed hominum inuenit ſolertia; mirum certe eſt, ea non frangi, quanquam metalli ſpeciem habeat, quod fuſile ſit.

TH. Niſi aliquando frangerentur, etiam auri pretium ſuperarent vitrea vaſa, nihilominus legimus comperta priſcis temporibus vitra, quæ flecterentur potius, quam frangerentur: id memorat Iſidorus lib. 16. Scribit enim, Tiberio Cęſare artificem excogitaſſe vitri temperamentum, effeciſſeque flexibile ac ductile, vt reliqua metalla ſunt: is cum Cæſari phialam ex illo confectam, velut rem nouam obtuliſſet, vix auditus eſt; indignatus enim Cęſar phialam in pauimentum abiecit. Artifex ſublatam ictu iam aliqua parte complicatam, adhibito malleo, velut æneam aut argenteam, auream ve in priſtinum reſtituit. Iniquius id ferens Cæſar rogat artificem, num quis alius eam artem noſſet præter ipſum? Reſpondit ille: Non eſſe. Indi-

Indignatus Cæſar iuſſit hominem vltimo ſupplicio affici, abſciſſa enim ceruice putauit eum iure mulctatum; quod diceret, ſi eius vitri ſpecies orbi innotuiſſet, futurum, vt aurum pro luto haberetur: ac metallorum omnium pretia detraherentur. Hæc ab Iſidoro. Et reuera ni obeſſet vitro fragilitas, ipſum quoque aurum charitate ſuperaret.

EQ. Sed quid oberat humano generi, præponi vitrum auro, vt ea occaſione arrepta, Tyberius hominē, optimumq; artificem, quaſi magni criminis reum perimendum iuſſerit?

PH. Nulla certe cauſa fuit, qua permouendus Cæſaris animus eſſet ad ſæuiendum in artificem: ſed inſigne eius odium in omnes, qui aliqua virtute eniterent: erat enim ipſe ſanguinarius, decreueratq; omnes in poſterum eo carere bono; laudariq; putauerat ſe eo nomine, quod in orbe nihil velut eximium probari, niſi ſe volente, poſſet: gloriabaturq; quod magnam iacturam poſteris inferret, aut aliquod detraheret bonum. Plinius tamen eam, quam audiuimus hiſtoriam, non recolit lib. 36. cap. 26. Sed hæc tantummodo verba prodit. *Ferunt* (inquit) *Tyberio principe excogitatum vitri temperamentum, vt flexibile eſſet, & totam officinam artificis eius abolitam, ne æris, argenti, auri metallis pretia detraherentur, eaque fama crebrior diu, quam certior fuit.*

EQ. Quid autem profuit is Tyberii conatus? quandoquidem vel illo ſeculo modici vitrei calices H. S. ſex millibus venditi ſunt? Noſtro vero ſeculo, quod Tyberiis caret, vitrum ipſum redditum eſt omnibus metallis vilius; vt vnico ſeſtercio plura vaſcula vitrea coemantur, iureq; vilitate ſua iam aurea, argenteaq; pocula fere paſſim ab aula pepuliſſe videtur, quod & ipſo Plinii tempore obtinuiſſe viſum eſt lib. 36. cap. 26.

TH. Cur igitur adeo vili æſtimatur id, quod aurum diliciis ſuis ſuperat?

PH. Copia vilitatis parens eſt: quæ autem ſunt in ipſo deliciæ ob colorem, & lucis transmiſſionem, & ob illam ſummam munditiem omnibus gratiſſimæ ſunt: quam cum nihil illi ſit cum Adamante gemma commune, ob fragilitatem, cum ille duriſſimus ſit ac ferrum vincat; attamen ob copiam cum omnib. ſuppetat vitrum, eſt homini quidem gratius & iucundius, ac prҽterea facultas cuiq; ſuppetit eius habēdi, ideo omnibus familiare eſt: quo oblectari quoq; omnibus ſemper licet, quod luciditate Adamanti nō cedat ac munditie: neq; magno ſit opus ſumptu in eo poſſidendo. Eſt ergo humano generi longe vtilius vitrum, quam Adamas, ſed vilius, & eo benignius, quod à Magnete, cum liquidum eſt, ſe trahi permittit, vt Plinio videtur lib. 36. cap. 26. *Vitrū licet vilius Adamante, tamen vtilius homini eſt.*

EQ. Vincuntur aliis quoq; rebus à vitro Adamantes: aliqui enim non equidem ferro perforari, ſed altero Adamante poſſunt: vitrum vero nūquam, niſi igne perforatur, potius frangitur: Adamas quoq; corrigitur, complanatur, in formasq; plurimas transfertur, cælaturque: vitrum autem donec frigidum eſt, non admittit ferrum, nullius effigiei efformandæ eſt patiens; lineas tantummodo leuiſſimas ſibi ab Adamante appingi ſuſtinet; atq; ita ipſum quoq; cælari poteſt, vt tradit Plin. lib. 36. cap. 26. Eſt igitur hoc mirum: id, quod eſt fragiliſſimum, non poſſe ferro in aliam figuram efformari; & quod ferrum non patitur, poſſit tamen ab alia gemma cælari; quamquam cælatura illa nil aliud eſt, quam linearum deductio in ipſa vitri ſuperficie; excauari autem vel minimum quidem non poteſt, cælatura autē, quam per linearum deductionem, diximus in ipſo fieri, nullo quamuis acutiſſimo cha-

lybe, aut ferro quolibet fieri poterit, ſed Adamante ſolo, à quo ſolo ſe vinci dignatur: ita fit, vt quod parua ligni percuſſione non modo frangitur, verum etiam comminuitur, nulla vi quamuis ferrea poſſit vel tantillum excauari, perforarive.

Argentum viuũ duriſſima quæq; excepto vitro corrodit.

PH. Ad hæc addendum illud eſt, quod argentum viuum vaſa omnia, tametſi ferrea, ærea, aurea, argenteave aut lapidea, quibus includitur, perforet: vitro tamen incluſum non perforat, diutius ibi ſeruatur. Eſt igitur admirandum duriſſima quæque perforari ab argento viuo, fragile vitrum non poſſe. Iſidorus lib. 16. cap. 18.

EQ. Si non perforatur vlla vi vitrum, quomodo ex illo organa fiunt ac reliquę formæ plurimum excauatæ? nam organa muſices concentum, melodiamq; edentia fuiſſe ex vitro confecta, triremes quoq;, atque reliquarum rerum ſimulacra ſe vidiſſe teſtatur Venetiis Leander.

PH. Nemo dubitat ex vitro quælibet fieri ſimulacra poſſe, dum igne molleſcit, artificum peritia: quæ tamen ad illud vitrum ſpectant, quod fuſile eſt atq; arte, non natura componitur: nam aliud vitri genus, quod natura gignit, velut eſt Obſidianum quod ad lapides magis, quam ad metalla ſpectat, omnia patitur, ſicut cæteri lapides; nam & ſculpi, excauari, perforari, cælarique percommode poteſt: quæque ſuſcipit ſimulacra, eſtq; pellucidum, tranſmittit formas, ſicut & vitrum, gignitur apud Macrobios, fiuntq; ex illo præcipua magnatum ſepulcra. Exciſam enim ingentem molem excauant, includuntq; cadauera, occluſaque non modo ſeruantur, verum etiam ſpectantur velut occluſa vitro, neque atrum odorem olent. Herodotus lib. 3. Diodorus lib. 3. & recentior Porcaccius recolit funeral. tabula 13. vti iam diximus in lapidibus.

EQ. Si Obſidius eo nomine eſt commendatus, quod in ſe condita exterius videnda indicet, erit certe vitrum longe præſtabilius, quod eam ob rem ſit omnibus præferendum; dolum enim, atq; inſidias ſi quis iniecerit calici, ſua prodit tranſmiſſione, quod metalla non poſſunt. Id Iſidorus ſcripſit lib. 16. c. 15. Metalla (inquit) quæ intrinſecus ſunt, abſcondunt. In vitro vero nihil latet, ſed ſiue is liquor ſit, ſiue ſpecies quæcumque, qualis ibi interius eſt, talis exterius declaratur. Idcirco lapides ſpecularii, atq; alii conſimiles tametſi transluceant, nihilominus vitri ſpecie non adnumerantur.

TH. Propterea cum beatus Petrus Apoſtolus nullo vmquam fuerit deſiderio permotus, vt quidquam auro, argentove confectum proſpectandum curauerit, cum accepiſſet tamen apud Inſulam Aradum vitreas reperiri columnas, cum Clemente ad eas ſpectandas eſt profectus, id Clemens ipſe ſcribit Recognit. lib. 7. *Cum Tripoli* (inquit) *Africæ Petrus ſubſediſſet in perſequendo Simone Mago, rogatus eſt ab aliquo aſſiſtentium, vt Aradum Inſulam proximam videndi in ea gratia mirum quoddam opus, columnas ſcilicet vitreas magnitudinis immenſæ, ſe conferret. Cui Petrus, vt erat clementiſſimus, acquieuit. Erant autem columnæ illæ mirabiles in Æde, in qua Phidiæ opera permagnifica habebantur: quibus intento vnuſquiſq; noſtrum detinebatur aſpectu: Petrus vero vbi ſoleas columnas miratus eſt vitreas, nequaquam raptus picturæ gratia egreſſus eſt.* Hæc ex illo; cui aſſenſus eſt Niceph. hiſt. lib. 2. c. 35. ſcribens in hæc verba: *Clementis* (inquit) *matrem in Inſula quadam inuentam, quum ad ſpectandas vitreas columnas diuertiſſet Petrus Apoſtolus, diuino regenerauit Baptiſmo.* Cui etiam recentior Mutius Iuſtinopolitanus conſentit hiſt. ſacr. lib. 1.

EQ. Optaſ-

EQ. Optaſſem vt Clemens & Nicephorus,atq; alij meminiſſent,num huiusmodi columnæ onus quodpiam ſuſtinerent, an exemptæ eſſent: maiore enim miraculo id fuiſſet habitum, vt tanta quoque in eis firmitudo comperta fuiſſet, qua marmoreis æquarentur.

PH. Poterat & hoc non eſſe mirum:nam architecturæ ratio efficere potuiſſet, vt pro columnarum amplitudinis viriumq; portione ſuperſtrueretur & onus:pręſertim quod vitrum, vbi teretem formam tenet, onus ſuperpoſitum competenti ſua craſſitie rectum ſuſtinebit: quandoquidem nil adeo eſt fragile, quod & amplitudine robur non acquirat: ſicut vel arundines ipſæ ob amplitudinem vice trabiũ domibus contegendis apud Indos in vſu ſunt. Propterea non vt fragile aliquid, aut breui duraturum conſtructum eſt illud ſepulcrum, quod ex vitro Ptolomæus Alexandro Magno exædificauit, Strabone teſte lib.17.

TH. Poteſt & vitrum reddi nõ fragile, quod vel ipſi artifices periculi cauſa indicarunt: nam cum è lapide fiat, poteſt etiam in duritiem lapideam verti: nam ſi originem, artemq; qua fit, noſſe velimus, non deerunt plures auctores præter Plin. lib.36. cap.26. & Iſidorum lib.16. cap.15. Ioſeph. belli Iudaici lib.2. cap.9. hæc recolit: *Vitrum naturaliter ex puluere fit: nam fluuius Beleus iuxta Ptolemaidem vitream mittit arenam, quam cum exhauſerint multæ naues pariter accedentes, locus idem rurſus impletur: venti ſiquidem quaſi dedita opera conuehunt illuc de circumſtantibus ſuperciliis arenam illam vtiq; communem: locus autem metalli ſtatim in vitrum, quod ſuſcipit, mutat; mirabilius quoq; videtur, quod iam conuerſa arena in vitrum, quæcumq; pars ſuper margines loci ipſius fuerit iacta, in vulgarem arenam denuo conuertitur.* Hæc ille. Poteſt igitur lapideam duritiem vitrum conſequi eadem arte, qua ex lapide conficitur. Illud certe inſigniter exceſſiſſe videtur humana ingenia artificiũ, quo lapidea craſſities, opacitasq; trãslucens ac transmittens ſit reddita. Hoc admiratus eſt & Philo Hebræorum doctiſſimus atq; diſertiſſimus in lib. de legatione ſua ad Caium; quandoquidem animaduerterat vitrum lucem quidem admittere, Solem autem ac ventum excludere. At nos plura in ipſa transmiſſione accidere admiramur. Cum etenim Solis radios nõ frangat, ſed intromittat, eorum quoq; lucem, cur eius caloris nihil admittat mirandum putamus. Deinde cum humorem aqueum, ac quodlibet liquidum ſiue frigidum, ſiue calefactum excludat, miramur cur frigiditatem, feruoremque admittat, penetrareq; ſinat; & quod aer penetrare non permittitur, penetrat tamen animantis oculus, qui duram, ſolidamq; huiusmodi materiam ob luciditatem velut perforat: omnia etiam, quæ vltra ſunt, videt illuſtrius, quod vel ipſis inſpicillis experimur, quibus quamquam ſit mollior, leuiorq; carta, tamen pertenue foliolum ſufficit ad oculorum radios impediendos, ne, quæ ſunt vltra, liceat proſpectare; ex vitro autem etiam craſſo nullum prębetur ſpectandi impedimentum: imo aliquibus maius præbetur ad id commodum.

Vitri compoſitio.

EQ. Propterea niſi ars, induſtriaque, qua homines ad ſequendas opes prouocantur, docuiſſet aurum aliquid eſſe pretioſum; vitrum ſua munditie, claritudineque homines ad ſui amorem pellexiſſet; id compertum eſt apud Indos, vbi adeo vitrum, quum primum videri cœpit, rebus omnibus prælatum eſt, permutatumq; inæſtimabili pretio, vt pauci vitrei calices, & hi quidem ruſticiores ſupra æſtimationem ſolidorum aureorum ducentorum permutati memorentur in regno Tidore Orientis plagæ. Antonius Pigafetta.

TH. Plura igitur à ſanctis Patribus legi facta ex vitro miracula, quam rebus a-

liis,

liis, quandoq; enim infringi non poſſe viſum eſt, quandoq; vt fragiliſſimum oſtenſum eſt, quandoq; etiam confractum ſolidatum eſt, quandoque vt ferro ſolidius oſtenderetur, eo velut Magnete ferrum, peccatores ad ſalutem ducti memorantur, quæ ſingula nobis recolenda ſunt. Exordiemur autem à beato Benedicto. Cum enim ille reformandis monachorum moribus totus incumberet; illi, quoniam grauis ſemper eſt improbis vita bonorum, inſidias ſtruxere huiusmodi, initoq; cõſilio venenum vino miſcuerunt: & cum vas vitreũ, in quo ille peſtifer potus continebatur, accumbenti patri de monaſterii more ad benedicẽdum fuiſſet oblatum, extenſa manu Benedictus ſignum crucis edidit: at vas, quod procul tenebatur, eodẽ ſigno rupit, ſicq; cõfractum eſt, ac ſi in illo vaſe mortis pro cruce lapidem immiſiſſet. Hæc ex Gregor. Dialog. lib. 2. cap. 3.

EQ. Concinne huic eſt, quod tradidit Leonius Epiſcopus Neapolis Inſulæ Cypri in vita Simeonis Abbatis cognomento Sali. Sic enim ille. Simeon Abbas ſemel ſedebat cum fratribus, & ſic calefaciebat prope caminum vaſorum vitreorũ opificis. Erat vero vitri opifex Hebræus, dixitq; ludens pauperibus: Ecce quando artifex facit poculum, faciam crucem, & franget: poſtquam ergo ſeptem fregit ordine, ira incenſus Iudæus illum eſt perſecutus; poſtquam autem receſſit, clamauit ei, dicens: Reuera Manzer, donec crucem in tua fronte feceris, cõterentur omnia: cumque rurſus tredecim alia fregiſſet ordine, compunctus eſt Iudæus, fecitq; crucem in fronte, nec vllum fregit amplius: hoc ergo modo abiit, & factus eſt Chriſtianus. Hæc apud Metaphr. Lipom. tom. 6.

PH Quis non exclamet felicem illam vitri fragilitatem, quæ hominem peccatis, & infidelitate confractum in fide ſolidauit, reddiditq; Adamantinum fortitudinis virtute, & à morte traxit ad vitam, à damnatione ad ſalutem?

TH. Adhæc accedit illud quoque artis miraculum, quo confractum vitrum ad integritatem reſtituitur, ſcilicet noua fuſione, abſq; igne, cuius tepore facta vitra conſolidari conſueuerunt; id docet Plinius libro 36. cap. 26. nam oui gallinacei candido calci viuæ admixto fruſta vitrea conglutinantur: vt idem habet lib. 29. c. 3. At viri, qui Deo famulantur, ſine igne, ſine glutino fruſta vitrea reſtituunt in integrum. Sãctus enim Donatus Tuſcus Epiſcopus & Martyr, cum ſacroſancta myſteria Miſſæ celebraſſet, & de corpore & ſanguine Chriſti eius populus venerabiliter recrearetur, Diaconus quidam nomine Antimus repẽtino paganorum impulſu cecidit, & ſacrum calicem comminuit: vnde valde triſtis tam ipſe, quam populus Chriſti effectus eſt, cuius triſtitiam Dominus per B. Donatum illico releuauit: nam collecta ſunt fragmenta Dominici calicis, & beato viro allata, quæ ille flendo ſuſcipiens, oratione facta, vas in priſtinam formam reſtaurauit; quo ſigno perculſi pagani ſimul cum Chriſtianis Deitatem Chriſti confeſſi ſunt, ac circiter ſeptuaginta nouem animæ in Chriſtum credentes per Baptiſmum ſaluæ factæ ſunt. Hæc Ado Treuir. 7. Idus Auguſti, quanquã antea D. Gregorius id quoq; retulerat dialog. lib. 1. cap. 7. qui perſimile aliud eodem loco recenſuit. Nonnoſius enim lampadem vitream, cum de eius manu lapſa in fruſta plurima fuiſſet confracta, collectis fragminibus, atq; ante altare poſitis, poſt orationem integram, ſolidamq; comperit, nullo fractionis exiſtente veſtigio. Hæc ex illo.

EQ. O felix vitrum, ô felicia eius fractionis fragmina: ſed ô felicior redintegratio; feliciſſimus autem rerum exitus, quando ob vnius vitri fragilitatem aperta ſalutis via eſt tot hominibus Chriſti fidem ſolidiſſimam, ab baptiſmum ſubeuntibus.

TH. Hæc

TH. Hæc operatur Deus ineffabili modo, contrariis autem miraculis efficit perſæpe, ne vitrum etiam tenerrimum confringi poſſit: ſancti enim Benedicti tempore alimentorum inopia Campaniam grauiter affligebat: eam ob cauſam cuncta Benedictus, quæ ad ſuum ſpectarent monaſterium, indigentib. diſpertierat, vt pene nihil in penu præter parũ quid olei in vitreo vaſe ſuperfuiſſet. Tum autem contigit, vt Agapitus Subdiaconus paululum olei ſibi dari rogarit: at qui præerat penui monachus nec iubenti quidẽ Benedicto, vt illi tribueret, paruit, excuſans ſummam monaſterii indigentiam: indignatione ſancta permotus Benedictus iuſſit, vt vas illud vitreum, quo illud puſillum olei ſeruabatur, extra feneſtram abiiceretur, ne aliquid domi ſeruaretur, quod per inobedientiam non fuerat erogatum. Accidit tum mirum: erat feneſtra in ſublimi poſita, in imo ſub illam ſolo magna erat lapidum cõgeries: proiectum eſt in ſaxa vitrum, impegitq; vehementer: at illæſum permanſit, oleum quoq; non eſt effuſum: iuſſit igitur ob miraculum Benedictus ad ſe illud afferri; ac tribuit Subdiacono petenti. Ex beato Gregorio Dialog. cap.28. Ita fit, vt vitrum fiat prædurum, cum ita ſaluti animarum expedit, ſicut & ferrum fit molle, cum itaque expedierit, vt ſuo loco dicemus, nunc ad alia vitri naturæ admiranda.

EQ. Illud inſigne eſt, ſi vitream pilam aqua repleueris, Soliq; aduerſam exponas, radiorum repercuſſu veſtis comburitur, aut quidquid incendio fuerit aptum, velut linea, laneave omnia. Plin.lib.30.cap.26.

PH. Id elegantioribus verbis recolit Lactantius de ira Dei lib. cap. 10. *Orbem* (inquit) *vitreum plenum aquæ ſi tenueris in Sole, de lumine, quod ab aqua refulget, ignis accenditur, etiam in duriſſimo frigore. Num etiam in aqua ignem eſſe credendum eſt? atqui de Sole ignis ne æſtate quidem accendi poteſt.* Hæc ille. Qui cum eius rei cauſam non exprimat, nos dicemus paucis: Solis radii, vbi ad vas vitreum aqua oppletum peruenerint, refranguntur quidem, ſed ab illo lumine, quod ab aqua refulget in alteram partem coeunt acutius, & violentius manantes, in quodlibet vſtibile peruenientes incendium aeris faciunt: atque ita res vſtibilis vritur: quod ſi ſolidum vas non eſſet, neque plenum, id non efficeretur: quandoquidem radii tranſmiſſi, neque refracti diſpergerentur, atque inefficaces eſſent: id præter ipſa experimenta etiam exemplo probari poteſt. Vitrum ad conficiendum ſpeculum præparatum, priusquam ſtanno, aut re alia obliniatur, altera parte, qua impedienda eſt tranſmiſſio, ſi obiiciatur ſoli, quia nulla ſolarium radiorum ſit reflexio, cum tranſmittuntur, nullus inde ignis accendetur: at vbi plumbo, ſtannove linieris, iamque cœperit eſſe ſpeculum ad reddendas imagines, atque ideo iam incipiat eſſe locus ad refrangendos radios, ſi Solis radiis illud obiicias, repercuſſu illo ignis etiam vehementiſſimus accendetur, ardebitque, ſi in vſtibile aliquid radios ſolares reflexerit. Plin. lib.2.cap.107.

EQ. Id ita eſſe iamdudum animaduerti: Archimedes enim in Syracuſana obſidione Marcelli, ſpeculo verſus Solem ſuſpenſo, radiosq; in nauigia dirigens, aere ob denſitatem & leuitatem ſpeculi ex iis radiis incenſo, effecit, vt ingens flamma recta in naues illata eas omnes concremarit. Zonaras tom. 2. Quin idem Zonaras in Anaſtaſio Dicoro Imperatore alia quædam de igne ex ſpeculis narrat in hæc verba: Anaſtaſius Vitaliano Thraci, qui Myſis & Scythis ſibi conciliatis, ſeditionem commouebat, & agro Byzantio prædas agebat, & claſſe vrbem obſidebat, per Marianum Præfectum reſtitit: naualique pugna commiſſa, ex Machina quadam

à Proclo viro excellentiſſimo facta (is enim tum & in Philoſophia & in mechanicis florebat, neq; Archimedis dumtaxat celeberrimi artificis cognorat omnia, ſed & ipſe noua quædam adinuenerat) claſſis hoſtium debellata eſt: nam ſpecula vſtoria fabricaſſe fertur Proclus, eaq; de muro è regione hoſtilium nauium ſuſpendiſſe, in quæ cum ſolares radii impegiſſent, ignem inde fulminis inſtar erumpĕtem claſſiarios, ipſasque naues hoſtium combuſiſſe, quod olim Archimedem excogitaſſe, Romanis Syracuſas obſidentibus, Dion refert. Hæc ille. Eadem quoq; narrat Ioannes Cuſpinianus hiſtoricus in Anaſtaſio I. refert & Petr. Hiſp. in vita eiusdem Anaſtaſii. Sed audio id præcipue accidere à ſpeculis concauis, vt videtur Plinio lib. 2. cap. 107.

PH. Id ita eſt: ſed & plana id quoq; efficient, at non æq; vehementer: propterea res poſtulat, vt de ſpeculorum formis atque effectis agamus ex Philoſophorum traditionibus. Ad ſpeculi integritatem requiritur continuitas & leuitas intenſa, ſuperficiesque regularis. Inſuper etiam neceſſaria eſt perfecta politura, patet in marmore & chalybe, pluribusque aliis lapidibus & metallis politis. Diaphoneitas autem ſi ſpeculari corpori acciderit, neceſſario opaco aliquo ſubducitur ſuperficiē eius terminante: ob id diaphonis, cuiusmodi ſunt vitra, plumbum ſupponitur vt radii pertranſire prohibiti ad videntem reflectantur: quod autem plumbum vitro, hoc eſt aquæ fundum terræ: radios enim aquam intrare manifeſte probatur inde, quod oculus exiſtĕs in aqua Solem videre poteſt directe. Radios autem nonnullos à ſuperficie aquæ reflecti ex eo deducitur, quod in ea tanquam ſpeculo, & Solem, & cætera obiecta oculus exiſtens in aere cŏtemplatur, & nummus in fundo vaſis aquæ oppleti in ſumma ſuperficie repræſentatur, vt experimento didicimus, & memorat Seneca natur. lib 1. c. 6. Ad illud mirum, ſi aquam effuderis, ſi fundum vaſis ſpectare non poſſis, nec nummum ſpectabis; ſi rurſum repleueris rurſum ſpectabis. At ſi aqua fundum non haberet, nihilominus in ſuperficie aliquos radios reflecteret, omnis enim ſuperficies media inter duo corpora diuerſarū diaphoneitatum rationem ſpecularem participat: ſunt autem ſpecula varia; quædam namq; ſunt vniformia & plana, in quibus res videri poteſt vti eſt, conuerſa tamen, & dextra videntur ſiniſtra, & contrario: maxime autem aqua quieta, ſanguis hominem oſtendit nigrum & pallidum: oleum iuuenilem & amabilem; gladius latum aut oblongum: hæc autem potius deformium ſpeculorum naturam participant. Sunt autem iſta aut concaua, aut conuexa: concaua rem maiorem, interdum vero minorem, aut æqualem: conuexa minorem repræſentăt, & latā quidem, ſi ſint ſphærica, oblongā vero, ſi fuerint pyramidalia, aut columnaria: omnia hæc in cochleari polito continentur: in manubii quidem baſi planum, in columna manubii columnare, vel pyramidale: ſinus autem ab intra concauum, exterius vero conuexum oſtendit. Accedit autem imagini rei viſæ multiplex variatio ſecundum diuerſum & obiecti & ſpeculi ſitum: vnde in ſpeculo multæ concauitatis pars inferior repræſentatur in ſuperiore, & è contrario, quia pars ſuperior ſpeculi dirigitur ad partem inferiorem rei repræſentatæ, & pars inferior ſpeculi dirigitur ad partem ſuperiorem repræſentati: atque ita homo in concauo ſpeculo repræſentatur, capite in terram verſo, pedibus ſurſum, & in eodem ſpeculo dextra repræſentatur vere dextra, ſiniſtra autem ſiniſtra. In concauis inſuper ſpeculis eiusdē rei plures quatuor imaginibus apparere non poſſunt, eo quod in ipſis ad eundem oculum in pluribus, quam in quatuor punctis reflexionem fieri ſit impoſſibile. Speculum in vna parte conca-

concauum, & altera planum duas repræſentare poteſt facies in colle quidem coniunctas, ſi ſit planum inferius, aut in vertice colligatas, ſi planum ſuperius ſituetur. Sic & in ſpeculo immerſo aquæ, & ſoli obiecto ſtella videtur, quæ ſtella non eſt, ſed ſecundarium Solis ſimulacrum ex diuerſitate ſuperficierum ſpeculi, & aquæ reſplendens: in aliis tamen lucidis hoc fieri nequit propter radii debilitatem. Duo etiam ſpecula ſibi mirum in modum cõmunicant ſimulacra repræſentata, quando in ſe mutuo obiiciũtur; adeo quod mihi occiput videbo propriis oculis, ſi poſt me habuero ſpeculum, in quo occiput repræſentetur, alterum autem ſpeculum ante me, in quo repræſentabitur omne, quod repræſentabatur in altero, quod eſt poſt me: atq; ita coram me videbo, quidquid in occipite meo ſit. Horum pleraq; à Gregorio Reiſcho viro doctiſſimo in ſua margarita Philoſophica lib. 10. tract. 2. cap. 13. recenſentur. Ecclypſis quoq; ſolis longe apertius cernitur in ſpeculo, quod vaſe oleo pleno ſit immerſum, quam in ipſo Sole, vt experimento didicimus, & memorauimus in Meteoricis ex Seneca.

EQ. Quid illud rei eſt, aut vnde accidit, vt in eodem ſpeculo nos ipſos cernimus velut in ſuperficie, at quædam alia videntur velut in profundo ſpeculi?

PH. Nulla alia ratio eius rei eſt, niſi rerum repræſentatarum diſtantia: quæcumque enim ſunt ſpeculo proxima, ſeu extra ſuperficiem videntur; cum tamen non appareant extra ſuperficiem: alioqui ventorum vi imago huiuſmodi corrumperetur, quia aeris commotione commoueretur: ſed permanet in extremo puncto naturali ipſius ſpeculi: at ſi diſtent parum res ipſæ à ſpeculo, earum imagines paulo introrſus repræſentabuntur: ſi plurimum diſtent, longe magis introrſum, imo in ipſa ſpeculi profunditate videbuntur: vnde res viſibiles in tanta profunditate ſpeculi apparent, quanta eſt earum à ſpeculo diſtantia, vti tradit idem Gregorius eodem loco.

TH. Sunt hæc veriſſima, at libet quædam addere ex beato Auguſtino commemoratione digna, ac poſtea ad alia metalla orationem conuertemus: *Mirum* (inquit) *quod in imaginibus videmus eorum, quæ ſpecula referunt: nam quamuis ingentia ſpecula ſint, non reddunt maiores imagines, quam ſunt corpora etiam breuiſſima obiecta. In paruis autem ſpeculis, ſicut in pupillis oculorum, etſi magna facies ſeſe opponat, breuiſſima imago pro modo ſpeculi formatur. Ergo & imagines corporum minui licet, ſi ſpecula minuantur, augeri, ſi augeantur, non licet? hic profecto aliquid latet.* Hæc ſanctus Auguſtinus ad Nebridium Epiſtola 151. cui Doctori perſpicaciſſimo cum ratio non ſubuenerit tanti miraculi, nec nobis quærenda eſt; ne plus illo ſapere videamur. Attamen animaduerti aliquando tum parua, tum magna ſpecula reddere proximarum rerum imagines æquales rebus ipſis, ita vt, ſi paruum ſit ſpeculum, reddat non totam imaginem, ſed eius tantummodo portionem proximam; id eſt, quantã ipſum ſpeculum capiat, ſi planum ſit ſpeculum; ita fit, vt ſicut tum in paruis non redditur rei imago minor, ita nec in magnis maior, ſed ſolam portionem pro ſua menſura referunt, quæ parua ſunt ſpecula. Sed & illud in cauſa eſt, cur magna non reddant maiores rerum imagines: videndi vis ad ea, quæ videt, habet ſe velut pyramidem, cuius conus ſit in ſpectante, baſis in imagine viſa: vt igitur baſis repræſentetur iuſta, non poteſt referre maiorem dimenſionem, quam quæ eſt in re ſibi proxima: propterea cum longius aberit à ſpeculo ipſa res, ſemper baſis fiet minor & conſequenter minor imago: hæc quo ad ſpecula magna, vt non reddant maiores imagines: ſed quoad minora, cur reddant minores imagines, eadem eſt ratio, ſi pyramis

formanda eſt ex ipſo, certe baſem non poteſt formare, niſi ſecundum ſui menſuram, & conſequenter non poteſt totam quantitatem rei repræſentare, quę ſibi proxima eſt: at ſi longe ſit poſita, reddit quidem integram imaginem, ſed paruam, ſicut etiam magna ſpecula reddunt minora ea, quæ longe ſunt poſita. Hæc de planis quidem ſpeculis: at in conuexis aliud agitur: ſi maxima ſunt, reddunt ſemper obiecta maiora, quoniam conuexum eſt longe maioris dimenſionis, quam planum, propterea effundunt magis rerum imagines, quam plana; ſed de hiſce rebus hactenus, nunc ad alia.

EQ. Vnicum ſupereſt adhuc, quod optarim explicari: cur vnicum ſpeculum, ſi confringatur in fragmina multa, poſtea ſuis locis reddantur partes, vnam reddũt imaginem, ſeorſum vero ſingulæ partes ſuam imaginem quæque reddunt?

PH. Cum confractæ portiones coniunguntur, vnicam rei continuationem efficiunt; hoc enim eſt ſpeculi proprium, quod iam diximus, vt continuum, planũ ac politum ſit: at cum partes ſeiunctæ ſunt continuatione ceſſante, tot ſunt ſpecula, quot fragmina, ideo tot repræſentabuntur imagines. Idem accidit aquis: in vaſe prælato nil aliud, quam vna repræſentabitur imago, ſi fiant autem eidem vaſi plura intermedia, vt ſint plures eiusdem aquæ loculi diſcreti, tot redduntur imagines, quot loculi fuerint.

TH. Volo & ego illud commemoratu dignum referre, quod ad vitri, ſpeculorumq; encomium pertinet non modicum, eius vi venenoſiſſimum animal baſiliſcum perimi. Sicut enim peſtilens illud animal viſu hominem necat, ita ſe ſua quoque vi imprudens perimit ſuorum ex oculis manantium radiorum reflexu: hac enim induſtria vtuntur, qui baſiliſcum velint perimere ſine ſui periculo: ſeſe totos vndiq; ſpeculis contegunt, atq; propius ad beſtiam accedunt, quæ cum ſe ipſam introſpiciat, reflexa radiorum venenatorum vi in ſeipſum, mox perimitur. Viues in ſcholio ad S. Auguſtinum de ciuit. Dei ad lib. 18. c. 13. Nec illud prætermitto, quod ad inſaniam veterum pertinuit, qui ex vitro cõſtruxerunt ædificia. Scaurus enim in ſua ædilitate fecerat opus maximum omnium, quæ vmquam fuere humana manufacta, Theatrum videlicet, cui ſcæna triplex altitudine 360. columnarum: ima pars ſcænæ è marmore fuit, media è vitro, inaudito etiam poſtea genere luxuriæ, in eiusque cauea octoginta hominum millia conſederant: Theatro enim Pompeii longe capacius fuit. Plin. lib. 36. c. 15.

Baſiliſcus inſpecto ſpeculo perimitur.

PH. Non fuerant hæc prætermittenda, libenter igitur audiuimus commemorari: nunc autem ad reliqua metalla conuertenda eſt oratio; atque imprimis ad aurum, non equidem vt illi ſeruiamus, ſed vt illud potius nobis ſeruiat, ſcrutabimur eius originem, exitumque, vt diſcamus contemnere.

TH. Terra cum ſit, non alia origine manat, quam terra reliqua: ex luto enim lutũ gignitur. E fodinis enim eruitur magno labore, ſed maiore periculo: nam quid aliud ſibi fodiunt ii operarii, qui in id laborant, quã euidentiſſimum profundiſſimumq; ſepulcrum, aditum ſibi parantes auri foſſione, vt ſubterraneis meatibus ad inferos properẽt facilius, per aurum transeuntes? Id enim eſt manifeſtiſſimũ in Septentrionali plaga, in qua adeo ſunt ingentes, in longumq; porrectæ metallorum fodinæ ad lucrum tantum excauatæ ſinuoſiſſimis latebris, vt in iis plurimi fame, tabeq; moriantur, velut labyrintho inextricabili occluſi: ſed & lapſu è ſublimi quandoq; ruunt, atq; inde extrahi nulla ratione poſſunt, immẽſam ob profunditatem, tametſi præ maximis clamoribus lamentari exaudiuntur. Olaus lib. 6. cap. 5.

EQ. Eos

EQ. Eos eo allicit dæmon, & allectos deridet, ſi in perniciem cadant, quin ad caſum quoque & lapſum impellit. Eadem enim Aquilonari regione (in fodinis præſertim) ſeſe dæmones hominum negotiis commiſcent: ipſi enim etiam excauant, ſaxa diſſecant, ex imo in ſummum funibus eadem trahunt, ſeſeque opificibus oſtentant, irrident, fallunt confictis etiam humanis vocibus. Nec enim aliam ob cauſam ſe operariis iungunt, quam vt impoſturis vtentes fallant magis, quam adiutorio ſint carnificis in ea re opus præſtantes: nam & ſcalas ſubducunt, funes abſcindunt, quibus operarii hærent, lapides in illos iactitant, ruinas commouent, vt obruantur; atrum quoque excitant ſubterraneum odorem, vt ex iis caſibus miſeri interempti in tartara deſcendant, nullo accepto ſalutis remedio. Sunt autem huiuſmodi dæmones eo moleſtiores, quo maioris lucri emolumentum fodina præbet, veluti ſolent aureæ argenteæve eſſe. Olaus libr.6.cap.9. Quibus accedunt, quæ Martinus Cromerus deſcript.Polon.lib.1. In fodinis Berchnienſibus, vbi è ſale lucrum quæritur, adeo profundas eſſe ſpecus tradit, & in eis fodi adeo alte, vt ob latebroſos ſinus & impenetrabiles, modo canum latratus, modo gallinaceorum cantus, atque aliorum animantium voces ibi exaudiantur, cum tamen numquam ibi aliquod huiuſmodi animal fuerit compertum, vt ita dæmonum illuſiones eſſe pro certo cenſeantur. Iſtud igitur auri fodiendi ſtudium deplorauit fuiſſe etiam apud maiores ſuos Seneca libris de quæſtionibus naturalibus.

PH. Ideo cum hæc contemplor, admiror non parum, hæreoque plurimum, fodinarum inuentores fuerintne laude an reprehenſione digni.

TH. Fuit, meâ quidem ſententia, laudabilis, ſed vt cætera morum corruptione, hæc quoque in deterius delapſa ſunt, auctores alios alii prodiderunt. Plinius enim alios nuncupat lib.7.c.56. alios Euſebius Cæſarienſis præpar.Euang.lib.1.cap. 7. & lib.10. cap.2. Sed cum ille ab Ethnicorum id tradat hiſtoriis, minore fide habendus eſt, quoniam à ſacris literis veritas magis hauritur: Tubalcaim enim Orbis principio primus inuentor opifexque fuit in ferro & omni ære. Geneſ. cap.4. Eoque vsque profecta eſt hominum cupiditas poſtea per Orbem, vt iuxta vnam vrbem Carthaginem quadraginta hominum millia vni argento fodiendo operam impenderent. Strab.lib.3.

Inuentor ferri & æris primus Tubalcaim fuit.

EQ. E fodinis autem variis modis æra fodiuntur eruunturve. Nam in noui Orbis plaga auri fodinæ quædam ſunt, in quibus magno miraculo aurum præmolle eſt tenerumque ceræ modo, donec intra fodinarum antra continetur; at vbi extractum eſt, ſuperueniente aerei ſpiritus virtute, dureſcit in conſuetam auri duritiem. Ouet.hiſt.lib.6.c.8.

PH. Commemorabilius quod eodem Orbe nouo in Hiſpaniolæ Inſulæ prouincia Cothoi tradunt, è terra ſurgere fruticum more, ſerpereque aurum ipſum iuxta arbores, hærereque vitis modo. Petr.Mart.ſumm.Ind. quod tamen hoc quoque noſtro Europæ cœlo accidit in Pannonia apud Firmium vrbem: iuxta enim vites capreoli vere aurei ſurgunt, ex iisque ibi cuſa moneta eximia eſt, idque oculatis teſtibus didiciſſe tradit Fulgoſus lib.1. c. 6. Propterea non fuerit à vero alienum illud, quod in Hiſpania memorant aratro frequenter glebas aureas è terra arando erui à ruſticis; id enim ſcribit Roder Palent.hiſt.Hiſp.p.1.c.3.

TH. Tolerabilius eſt hoc de Hiſpania: ſed vt aurum defoſſum creſcat neſcio quid ſentiam, quanquam id Ariſtoteles habeat admir. libro cap.45. *Dicunt* (inquit) *in Pieria Macedoniæ incertam quandam auri copiam ab antiquis Regibus fuiſſe defoſſam.*

Aurum defoſſum creſcens.

atque quatuor exiſtentibus foueis, ex vna ad palmi magnitudinem concreuiſſe. Hæc ille.

PH. Eadem hoc fide tenendum, qua & aliud eiuſdem libri c.40. memoratum habendum eſt: *Circa Philippos* (inquit) *Macedoniæ metalla eſſe aſſerunt, quorum fruſta etiam augeri inquiunt, aurumque producere, quod eſt omnibus perſpicuum.* Ita ille. Sed vereor hæc fabuloſa eſſe: nam illo libro etiam hoc minus veriſimile continetur c.41. *In Cypro* (inquit) *iuxta Tirrhiam nuncupatum æs fieri, quod in parua fruſta diſſecantes ſeminant, atque imbribus factis augetur, & exit, poſteaque colligitur.* Hæc ille. Ego, ſi ita eſt, ad Dei miraculum traho, ſed hoc noſtro Italico cœlo huiuſmodi fabuloſa eſſe creduntur: imbribus enim metalla ſata augeri ridiculum vbique putatur, ſed Ariſtoteli viro illi eximio, aut Theophraſto, vtrius ſit ille liber, ob ſummam auctoritatem nemo contradicit.

Æs ſeminatum fruſtillatim in terra augetur.

EQ. Æquius putamus, cui fides adhibeatur, quod memorant, qui Orbem nouum perluſtrarunt, retia in fluuios quoſdam mitti, expiſcarique piſcium more auri glebas ingentes; id præcipue accidit flumini Zeneo non procul ab vrbe, cui Carthaginis eo loci nomen inditum eſt: ingruentibus enim pluuiis accolæ, qui norunt glebas multas, magnaſque aureas vi fluminis trahi, retia tendunt, expiſcatumque aurum magna copia conſtat, compertaſque aliquando glebas oui gallinacei magnitudine. Petr. Hiſp. p.5. c.12. Ita fit, vt fodi, meti, vindemiari expiſcarique aurum iure poſſimus dicere.

TH. Non ſunt hæc ſine auctoribus: in ipſo enim illo Orbe in vrbe S. Dominici aurum lapidum more effoſſum exſcinditur, compertæque ſunt rudes auri glebæ ad pondus aſcendiſſe trium aureorum millium ſexcentum, eamque poſſedit Commendatarius Boadiglia Hiſpanus. Sed & alia rudis informiſque auri maſſa librarum ſeptem, aureorum ſeptingentorum pretio æſtimata memoratur comperta, quæ ad Regium theſaurarium pertinuit, cui nomen fuit Paſſamontio; ſed & aliæ librarum quinque, quingentorum ſcilicet aureorum pretii compertæ ſunt, vt memorat Ouet. hiſt. lib.6. c.8. Quin aliquando etiam quatuor aureorum millium compertas glebas idem auctor tradit ſumm. c. 84. Sed aureorum ſexaginta non fuerit dubitandum eſſe frequentes eodem loco is tradit: nam vnciarum nouem glebam ad rerum veritatem aſtruendam in Hiſpanias ad Regem fuiſſe miſſam ab Noieda Hiſpano viro memorat Petr. Mart. Vnciarum autem viginti quinq; compertam glebam iuxta montes Cibauos tradit Petrus Martyr in ſumm. Ind. Sed mirabilius eſt in Europa hoc reperiri: nam in Boemia ſunt putei, in quibus puri auri glebæ pondo decem librarum effodiuntur, vt Ortellius tradit in Boemia.

PH. Non ergo mirum, ſi aurum palleſcit, quum tot petatur inſidiis, foſſoriis, ligonibus, malleis, falcibus, retibus, forficibus, igne quoque. Hinc fit, vt qui ab omnibus capiatur, omnes ſui captiuos reddat, & quo magis à ſua ſede pellitur, eo reddatur illuſtrius ac potentius, fiat ornatius, & ex captiuo fiat totius Orbis Dominus ſimul & ornamentum.

TH. Id ita eſſe patet: nam & Reges ſummo hoc auxiliario milite hoſtium caſtra deuicerunt, & ſubditi ſeſe in libertatem hoc Duce vendicarunt; Attabalipa enim Cuſconiorum noui Orbis nouiſſimus Rex Cæſaris Caroli V. ſubactus armis, ſeptuaginta milliones aureorum Carolinorum, id eſt, ſeptuagies dena centena millia aureorum intra ſeptuageſimum diem ſe ſpoſponderat appenſurum, ſi libertati ſuæ (captiuus enim erat) reſtitueretur. Sed quoniam ſpem ſuam omnem in fallaci auro collocarat, ab eo deluſus eſt: duorum enim Tribunorum Cæſaris diſſen-

ſione

ſione & auaritia, poſt ſepties quadraginta auri vaſa appenſa morte violenta ſublatus eſt, non parua Caroli Cæſaris iactura, vt tradit Surius Com. ſub an. Dom. 1558.

EQ. Hoc vere admirandum vbiq; eſt, præcipue vero Europæ Principibus omnibus, quandoquidem ſimul in vnum omnes ſi vires colligant, nec tam breui interuallo, nec tantam auri copiam erogare ſe poſſe non diffitebuntur; at identidem fatebuntur iidem, quod in ęre, auro ſcilicet, Europę Principibus deſit, ſuppleri virtute: is enim, qui tantarum auri opum haberetur poſſeſſor, Europæ gentis virtute ſubactus eſt, tametſi non bona fide necatus. Diſpertita ſunt igitur Dei dona, vt illo Orbe, quo imbecilliores rudioresque animi ſunt, aurum ſuppetat vsq; ad contemptum, id fiet alio exemplo manifeſtum. Cæſar Carolus idem legem quandam tulerat Indis non admodum grauem, aut certe non intolerabilem. Illi vt ſe vna illa lege eximerent, longe plus auri Cæſari obtulerunt, quam Europæ Principes in totius Europę Imperio defendendo multis annis, magnis exercitibus, tum mari, tum terra abſumpturi forent: milliones enim vnum & viginti, (million Italico more accipitur decies centena millia) totidem etiam milliones eorundem ducatorum Philippo ipſius Caroli filio alter illorum Indorum Legatus poſtea obtulit. Idem Surius eodem an. 1558. qui & illud addit, quod fere videtur incredibile, & priſcæ Romanæ potentiæ etiam inauditum, ſeptem decades millionum auri ab Indis in Hiſpaniam delatas, totidemq; decades millionũ auri ex margaritis, gemmis, vnionibus, ac reliquis lapidibus, rebusque pretioſioribus noui Orbis, præter aliam ſummam, quæ annis quadraginta in ipſo Orbe nouo ſubigendo & muniendo in milites & præfectos Cæſaris conſumpta eſt, vnde non eſt ambigendum, Orbis noui Indos proxime ad Romanorum opes ſuis opibus acceſſiſſe. Plinius enim tradit lib. 12. c. 18. minima computatione millies centena millia ſeſtertium annis omnibus Indiam, & Seres Imperio ademiſſe, quod ad multas millionum decades aſcendebat, easq; annuas; quod ſane eſt incredibiliter admirandum, quoniam illud omne deliciis abſumebatur, ſed Indis quod ſuperfuit ab eo auro, quod in Hiſpaniam traiiciendum obtulerunt, & erogandum tradiderunt, quodque nulla æſtimatio, nulla numerandi facultas, nullum ingenium complecti poteſt, in vſus domeſticos conuertiſſe viſi ſunt. Ex auro enim, quæ confecta ſunt ibi, admiranda toti Orbi ſunt, vt mox dicemus.

PH. Non dubitarim plus auri nouo Orbe eſſe, quam Romano olim in Imperio, ibi tellus ipſa, fluuii mareque opes illas conferebant; at ferrum Romanis parturiebat aurum, id eſt, ea virtus, quam milites ferro in ſubigendis prouinciis exercebant, opulentiam illis inuexit. Sed quia poſtea auri fames Romanos captiuos fecit, & prodigioſa etiam prodigalitas ſimul acceſſit, ruit omne Imperium virtute comparatum & propagatum. Quis æquo animo audeat recolere illud, quod de Caligula memorant, decies centena millia aureorum in alea abſumpſiſſe? vt Zonaras tradit in ipſo.

Aureorum decies centena millia in alea abſumpta.

TH. Iure ergo Indis aurum vel ab ipſa natura obtigit, quod ibi nulla poſſidendi cupiditas videretur, non admodum magna habita rei familiaris cura; propterea ad eos aurum pertinuit, qui contemnerent: ipſe enim ſacræ literæ id videntur iam declaraſſe Salomone auctore, Eccleſiaſtici 11. Aurum ſcilicet effugere eos, qui nimium illi cogendo ſtudent. Eius hæc ſunt verba: *Si diues fueris, non eris immunis à delicto; ſi enim ſecutus fueris non apprehendes, & non effugies ſi præcurreris. Eſt homo laborans, & feſtinans, & dolens impius, & tanto magis non abundabit. Eſt homo marcidus*

Aurum fugientes ſequitur, ſequentes fugit.

egens

egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate, & oculus Dei reſpexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipſius, & exaltauit caput eius, & mirati ſunt in illo multi, & honorauerunt Deum: bona & mala vita, & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt. Hæc ibi.

EQ. Nihil poteſt legi apertius, opportunius & verius: nuſquam enim adeo iucunde viuitur, quam vbi aurum contemnitur. Marcus enim Curius, cum Samnites ab eo debellati ad eum veniſſent aurum dono oblaturi, in olla forte rapam cum coqueret, re, quam exercebat, aurum ſe contemnere oſtendens, etiam egregia adiecit verba: *Auro*, inquiens, *nihil tale prandium indigere, & ſibi melius eſſe imperare aurum poſſidentibus, quam aurum poſſidere.* Plutarchus apophtegm. quod & Plinius recolit lib.19.c.5. Max.lib.4.

Babytaces auri contemptores.

PH. Propterea feliciſſimi omnium ſunt Babytaces; ii enim aurum abhorrent, effugiuntque quaſi humani generis peſtem, quin comparant quidem illud, vt perdant, defodiuntque profunda humo, ne vmquam vlterius homini vſui eſſe poſſit. Solinus id tradit cap. 56. *Babytace oppidum Perſidis, in eo mortales vniuerſi odio auri coemunt genus hoc metalli, & in terrarum profunda abiiciunt, ne polluti vſu eius auaritia corrumpant æquitatem.* Eadem etiam Plinius lib.6.c.27. his verbis: *In Septemtrionali* (inquit) *Tygris alueo oppidum eſt Babytace, ibi mortalium ſoli aurum in odio contrahunt, id defodiunt, ne quo cui ſit in vſu.*

TH. Sunt ii certe aliqua ratione felices, ſed Chriſti vere ſerui longe illis feliciores, quod Domini imitatores facti aurum maiore odio contemnunt, virtute maiore ducti ob illam fidem ſingularem, qua mundus ſaluus factus eſt: nihil enim prodeſt odium auri, vbi Chriſti fides non habet domicilium. Contempſit aurum Thebanus Crates, illud in mare abiiciens demergensque, ne ipſe ab auro demergeretur, ſed ex eo opere nulla illi felicitas penſata eſt. At ſerui Dei contemptores auri, Chriſti Domini ſequentes conſilia, vbique felices, vbique ſecuri, vbique periucunde viuunt, vbique etiam glorioſi ſunt, gaudent quacumque ex re, quocumque tempore, quocumque loco, cum quibuscumque: illos magis aurum ſequitur, quam ipſi aurum; ab omni furum latronumve, quin & omnium periculorum metu ſemper vacui ſunt, velut quibus nihil vmquam deſit; ideoque omnia poſſidere videntur, ac quaſi auri conditores, non modo opifices eſſe comperiuntur, eritque inter innumera exempla illud opportunum. Bonifacius Florentinus Epiſcopus paupertatis incredibiliter cultor, cum nepotis ſui in conuictu ſibi etiam neceſſarii ex arca ſublatum aurum pauperibus erogaſſet, illeque contra Epiſcopum obiurgando quereretur aurum ſuum ſe inſcio fuiſſe abſumptum, optimus Epiſcopus hominem deliniuit, aurum velut conditor iubens miraculo etiam è cœlo adeſſe: non enim ad nummularios profectus eſt, ſed ad B. Mariæ Virg. Baſilicam, extenſoque veſtimento ſtans cœpit orare, vt è cœlo aurum præberetur, quo furentis nepotis inſaniam mitigaret, mox demiſſi in veſtimentum tot aurei fuere nummi, quot nepos ille ſibi ablatos querebatur. Gaudentius Presbyter miraculi teſtis, vt recolit Gregorius dialog. lib.1.c.9.

EQ. Ita ergo fiet, vt Chriſti imitatores etiam à parietibus aereque ipſo aurum fluere iubeant: Diuo enim Benedicto aurum inſigniter contemnenti id accidit. Quidam nimio grauatus ære alieno ad pauperrimum ipſum Benedictum opis cauſa confugit, vt ſua egeſtate, qua ſemper ditiſſimus eſſet, ſibi ſoluendo alieno æri ſuppetias ferret. Precibus ad Deum fuſis Benedictus, qui nihil auri poſſideret, mi-

raculo

raculo velut è cœlo apparere iuſſit tantum auri, quantum ad ſatisfaciendum creditoribus homini ſufficeret, elargitusque illi eſt. Peregrinus miraculi teſtis, Gregorius dialog.lib.2.

TH. Eſt hoc memoria dignum, ſed longe dignius, quod ab Ioanne Euangeliſta patratum recolunt auctores: nam cum quidam etiam ære alieno preſſus ſeſe in deſperationis foueam conieciſſet, tandem ad Apoſtolum acceſſit, vt eius conſilio auxilioque rebus ſuis ſuccurreret, aurum etiam poſtulans, quod ab illo non poſſideri ſciret. Ioannes ſtipulæ, quæ in proximo erat, tantum accipere hominem iuſſit, quantum manibus complecti poſſet: ille vero quamquam ignoraret, quid ex ſtipula facturus eſſet Apoſtolus, paruit tamen; facta igitur oratione, adhibitoque crucis ſigno, ſtipulam in purum putumque aurum conuertit, quo ſeſe ab æris alieni onere ille exemit. Metaph. in Oecumenio poſt Diui Ioannis Apocalypſim. Ita perſpicuum fit, dum ii, qui Chriſto famulantur, aurum deſpiciunt, ad eos illud ſponte accurrere: nam ex omnibus rebus gignitur, & ſi lateat quamuis abditiſſimis locis, etiam proditur. Egenus erat Spiridon Epiſcopus Cyprius, vti alias narrauimus, eratque illi filia Irenes, apud quam hoſpes quidam pecuniam quandam depoſuerat ſeruandam: illa ſuffoderat tutioris cuſtodiæ cauſa, ſed ipſa morte præuenta aurum illud omnibus incognitum fuit etiam Spiridoni, qui rogatus à pecuniæ domino, vt aurum ipſum inueniretur, adiit filiæ ſepulchrum, filiam interrogat, vbi ſit aurum; illa exurgens defoſſi auri locum indicat, atque ita inuentum depoſitum domino reſtitutum eſt. Ex Socrat. hiſt. lib. 1. c. 8. Tripart. lib. 1. c. 10. Nihil igitur eſt, quod lateat Dei viros: egent quidem, quia ita Chriſti imitatores facti tota mente delibe-rant, ſed nullis latebris adeo latere aurum poteſt, quod non illi, ſi velint, eruant; nam præter Spiridonis exemplum ſuccurrit & aliud: Donatus enim Tuſcus Epiſcopus Euphraſium defoſſo auro, atque è latebris eruto, magnis eripuit anguſtiis. Seruabat ille fiſci publicam pecuniam, vxorique Euphroſynæ caute ſeruandam tradiderat, at defoſſam illa humo condiderat, morteque præuenta, abſente viro, nulli locum indicauit. Exagitabatur à magiſtratibus Euphraſius, trahebaturque in iudicium: aufugit autem ad Donatum, qui miſeratus hominis vicem petens Euphroſynæ ſepulchrum, per Chriſti nomen adiurans iuſſit ſibi conditæ pecuniæ locum indicari, reſponditque illa è ſepulchro, in domus aditu latere pecuniam: refoſſum igitur hoc indicio aurum fuit, mœroreque omni Euphraſius liber. Ado Treuer. 7. Idus Auguſti. Nullus igitur theſaurus eſt, nulla abdita gaza, quam non ſint penetraturi ii, qui Deo ſeruiunt, ſed non expedit huiusmodi prodere, quandoquidem inuento auro non ſedabitur ſitis, ſed augebitur.

Stipula in aurum conuerſa.

EQ. Eſt re vera ita, quin & illud etiam, qui Deo ſeruiunt, maiore miraculo efficiunt, vt ſatum aurum augeatur maximum in modum. Et quamquam antea irriſimus eos, qui ſentiunt æs ſeri poſſe, & meti, id tamen cenſuimus, quia natura fieri non credimus, arteve hominum: ſed ſi ad diuina miracula, quæ piis viris ſemper aliquid præter naturam egerunt, non dubitamus, ſatum aurum fructum reddere centuplum, Chriſto ita pollicente ob ſanctæ eleemoſynæ fruticationem. Degebat Niſibi, de qua alias diximus, Chriſtiana mulier, gentili viro nupta, quidquid illis pecuniarum erat, vir fœnori erogandum cupiebat, ſed optima mulier centuplum dictitabat ſperandum eſſe, ideoque pauperibus erogandam ſuaſit viro, quem tamen breui pœnituit, quod & pecunia & emolumento ſe carere putaret, pia tamen vxor demulcebat hominis animum, futurum breui dicens, vt quę ſata fuerat pecu-

Auro ſitis non ſedatur.

nia, magno incremento meteretur. Forte igitur fortuna coemptus eſt ad obſonium piſcis, in cuius ventre inuenta eſt pretioſiſſima gemma, quam ille vendens decuplum, quam erogaſſet, exegit, & vt centuplum quoque conſequeretur, ductus rei miraculo Chriſti fidem amplexatus eſt, vt memorat Sophron. prat. ſpirit. cap.185. Hic igitur è mari metere viſus eſt, quod terra ſerere fuerat adnixus, ſed illuſtrius id eluxiſſe memoratur in Tiberio Secundo Imperatore. Prodegerat ille Chriſtiana pietate aurum plurimum in pauperum manus, adeo vt ab Auguſta etiam corriperetur: forte igitur fortuna deambulans Imperator in Palatina aula compertam marmoream crucem iuſſit in honeſtiorem locum reponi, ne pedibus conculcaretur; rurſum ſub illa alia reperta eſt, & iterum ſub ſecunda tertia reperta eſt: iubenti igitur omnes honeſtius collocari, apparuit locus, quo ingens theſaurus erat abditus, inuentumque ibi eſt tantum auri, vt ſupra mille centenaria æſtimaretur. Teſte Paulo Diacono lib.18. Gregorius Turonen. hiſt. Gall. libr.5. cap.19. Atque ita animaduertere poſſumus, Chriſtiana pietate prædito homini terram, aquam, cœlum, loca quælibet quolibet tempore auri copiam quamlibet ſuppeditare poſſe, idque ideo Deus ita inſtituit, vt eius cupiditas curaque liberius abiiciatur, alioqui auri ſtudium poſſeſſioque ſitim non ſedat, effœminatumque reddit hominem, vel ipſo Saluſtio teſte, cum in Catilina dixit: *Auaritia pecuniæ ſtudium habet, quam nemo ſapiens concupiuit, ea quaſi venenis malis imbuta corpus animumque virilem effœminat, ſemper infinita & inſatiabilis eſt, neque copia, neque inopia minuitur.* Hæc ille, quæ etiam Aulus Gellius noctium Atticarum libr.3. cap.1. recoluit: efficit præterea aurum, vt qua arte conflatum congeſtumque eſt, eadem defluat in nihil, cuiusmodi Lugdunenſi contigiſſe memorabamus alias, quando mercator vino aquam miſcens lucrum valde auxerat, nauigansque maioris lucri cauſa habuit vindicem ſuæ fraudis miluum, qui marſupium leporina pelle obtectum putans leporem rapuit, ſed cum ſibi nil exſiccatum illud corium profuturum animaduerteret, in fluuium demergi permiſit, vt eo rediret aurum, vnde fuerat quæſitum, æquiſſimum ipſe præ magiſtratibus omnibus iudicium ferens. Ex Gregorio Turonen glor. Confeſſ. c.109. Ita quoque nautarum lucra, quæ mari ſæpe fiunt, ſi forte fraudes interceſſerint, efficiunt, vt cum lucro etiam aurum iuſte poſſeſſum demergatur, vt memorat Leontius in vita beati Ioannis Eleemoſynarii. Iuſta igitur lucra vbique etiam naufragantibus in tuto ſunt: iniuſta autem nec equidem domi; ſed de hiſce rebus plus iam ſatis: nunc ad alia, quę ad idem auri metallum pertinent, transeundum.

Lucra iuſte quæſita vbique, iniuſta nec domi tuta ſunt.

PH. Hæc igitur ratio eſt, cur Indis diuino conſilio tanta auri copia collata ſit, quia illud ſine dolo, ſine auida cupiditate poſſiderent, vterenturque. Et certe tum Indi, qui Orientem, tum qui nouum Orbem inhabitant, in publicam Maieſtatem erogaſſe aurum multorum teſtimonio perhibentur: nam quoad Occidentem in Orbe nouo, inque eius Topira prouincia tanta abundat auri copia, vt quo loco nobis figulina habentur opera, eodem ibi ex auro opificia; domos enim aureis argenteisque tegulis contegebant. Franciſcus Vazquez apud Ramuſium Tomo 3. Hinc illa quoque non luxuries equidem, ſed neceſſitas, vt nimia ferri penuria pedibus equorum ſoleæ, ipſique demum claui ex auro adhiberentur, non procul ab vrbe Pachalcami, in eodem Orbe, vt incertus auctor rei ſpectator tradit apud Ramuſium Tomo 3. de rebus Peruaci. Quo etiam loco memorat extare ingentis fontis vas ex puro auro conditum, quod plures in partes diuidi, ac rurſum componi

Domus aureis argenteisque tegulis contecta.

poſſit

poſſit, cuius pondus ſupra duodecim millia pondo appendatur, vt ita longe Italicum auri millionem excedere videatur.

EQ. In Caxamalca eiuſdem Orbis vrbe Atabalipæ regia fontes ſunt prægrandes in ipſis porticibus, quæ laminis aureis exornatæ ſunt, eodem incerto auctore. Mirum quomodo ibi aurum effodiatur: ſolo enim igne ex ſpecubus eruitur, incenditur multus ignis in ipſis fodinarum antris, illo calore ex ſpecus penetralibus aurum percolatur, atque ita manans colligitur, eodem auctore; & quanta ibi copia auri inueniretur, inde fiet perſpicuum, quod è Cuſco Peruaci regia ad Cæſaris Præfectum ducenti viri aliquando miſſi ſunt auro onuſti, quo aliquando tanta mole laminæ confectæ ſunt, quas ſingulas duodecim ſimul viri non permouerent, eodem auctore. Qui & illud adiicit, in Collao prouincia domos quidem auro contegi, aureis filis, velut palea contexis, ſed omnes domos hac re illa præcellit, quæ in Inſula fluminis ibi exædificata eſt, cuius trabes, tecta ac pauimenta, murique aureis laminis obtegebantur. Sed & in eodem Cuſco, vbi conditum eſt Atabalipæ Regis caput, domus parietes, pauimentum tectumque laminis aureis argenteisque obtecta fuerant, numerabanturque in eadem vrbe viginti egregiæ domus, quarum quoque parietes interius exteriusq; auro obtecti viſebantur, eodem auctore. Erat vero ipſius Atabalipæ theſaurus adeo ingens, vt tres quidem domos aureæ glebæ maſſæque rudes impleuerint: numerabantur autem aliis quinque domibus ſeruatæ centies mille auri laminæ, quarum ſingulæ quinquaginta aureis æſtimabantur, eodem auctore. Adiiciunt alii in eadem, quam iam memorauimus, Collao prouincia inuentum Solis templum, cuius parietes introrſus aureis laminis argenteisque obtecti viſebantur. Petr. Hiſp. parte 5. capite 25. Quin cap. 28. addit, in Paſtis Peruaci, nomen eſt loci, perſimile etiam Soli dicatum templum, aureis argenteisque laminis interius contectis parietibus, vt ita perſpicuum ſit, eo loco ibi haberi aurum atque argentum, quo apud nos figulina opera.

Fontes laminis aureis conſtantes.

Templum Solis.

TH. Ita fit, vt hæc cum Salomonis templo, quantum ad aurum ſpectat, magnificentiam ornatumq; contendere videantur. Nam quod ad trabes pertinet, vnica fuiſſe in illo prorſus aurea memoratur, trecentarum minarum auri, id eſt, ſeptingentarum & quinquaginta librarum, quod pondus hoc ſeculo ad ſeptuaginta quinq; aureorum millia protendi poſſet; id tradit Zonaras Tomo 1. & Ioſeph Antiquit. lib. 12 c 14. At certe Salomonis templum illud, vt erat ampliſſimum, rebusq; omnibus cum omni opere ornatiſſimum, erat quoq; à ſumma altitudine in imum vsq; pauimentum perpetuo opere aureis laminis obtectum: non enim aureis bracteis obliniebatur, vt in tabellis aurum adhibent, inaurantve opifices pictoresve, ſed malleis contuſæ erant laminæ craſſitudine non modica, ſed & locus, cui nomen Sancta Sanctorum, alterq;, cui nomen Sancta, auro condita, ornataq; muſico opere: recolit hęc Mondognetus in Monte Caluario p. 2. c. 4. ex 3. Reg. c. 6. & 2. Paralip. c. 3. Vt autem perpendere liceat immenſam auri molem ex templi amplitudine, erunt nobis teſtes vel ipſi auctores Ethnici: Hecatheus enim Abderita Philoſophus, cum de Iudęis hiſtoriam conſcripſiſſet, templi hanc fuiſſe dimenſionē recolit, fuiſſe quinque iugerum longitudinis, id eſt, pedum 600. latitudinis autem cubitorum centum, vti retulit Euſebius præparat. Euang. lib. 9. c. 2. Licet enim aliter menſura templi explicetur, 3. Reg. c. 6. & 2. Paralip. cap. 2. putarim eo differre Hecathei hiſtoriam, diſſentireque à ſacris literis, quod cubiti aliter Hecatheo, aliter Hebręis acciperentur. Eſt igitur ſecundum ſacras ipſas literas valde admiranda amplitudo,

vnde laminæ aureæ, quibus illud obtegebatur, nulla æſtimatione penſitari poterant: nam & clauis aureis omnia affigebantur, quorum ſinguli ad quinquaginta ſyclos æſtimatione pretii valuiſſe feruntur, quin in vnicum illum locum, qui Sancta Sanctorum dicebatur, ſexcenta auri talenta poſita laminis & clauis memorantur, 1. Paralip. c. 3.

EQ. Si hæc perpendantur, nihili habendum erit altare illud ſolidum ex auro, quod in regno Goiamæ, in ditione Pretoiannis fuiſſe ab Helena Regina Æthyopiæ erectum prodidit Franciſcus Aluarez, neque admiranda magnum in modum fuerit ampliſſima illa ex ſolido auro tabula altari ſuperpoſita, quæ & gemmis quoque ornatiſſima eſt in templo Diui Marci Venetiis, vt Leander memorat. Nec erit admiranda ſolida illa ex auro columna, quæ Iunonis Laciniæ medio templo locata viſebatur non procul ab vrbe Sybaritana, vt Leander memorat in Magna Græcia.

PH. Erit tamen non contemnenda illius templi commemoratio, cuius meminere Ioannes & Olaus Archiepiſcopi. In Septentrionali enim plaga tradunt Idololatras, vbi nunc Vſpſala vrbs eſt, Chriſti fide imbuta, quæ etiam Gottorum Metropolis eſt, olim templum adeo eximie ornatum extruxiſſe, vt pauimentum, columnæ, muri ac reliqua omnia aureis laminis fuerint contecta, quin etiam omne tegumentum aureum fuit, catena quoq; ingens ex auro ſolida omne templum circumambiebat hominum ſuperſtitioni deſeruiens. Hæc ille lib. 2. c. 5. Recenſita autem inter nos hæc omnia ſunt, vt diſcamus, aurum apud exteros maiore à Deo datum copia, vt interim nos, qui Chriſtum colimus, pudeat ſola calce ipſius templa linire, cum Idololatræ in noſtram contumeliam diabolo exornarint plurimo auro.

TH. Sed, vt equidem ego cenſeo, impiis permiſſum eſt aurum ſæpenumero, vt pœnas ipſi ſuæ cupiditatis, aut etiam ambitionis luant, vt vna auri præda duo ſupplicia condigna ferant, is quidem, qui abutebatur, atque is etiam, qui illi rapto abſtulerit: nam etiam in Idololatris quidquid culpæ admittunt contra ius fasque, ac rationem, ipſe Deus vlciſcitur. Dionyſius Syracuſanus, expilato Apollinis delubro, pœnas luiſſe naufragio memoratur. Max. de contempt. relig. quamquam enim illa falſa eſſet religio, ipſe tamen, qui eam ſequebatur, contemptor Dionyſius primas pœnas luit, quod Idolis inſeruierit, dedit & alias, quod iniuſtiſſimus alienarum rerum expilator eſſet. Hinc illa diuina quoque numinis vltio in eos, qui aurum Tholoſanum expilarant: vt enim Aulus Gellius ſcribit lib. 3. c. 9. Cum oppidum Tholoſanum in terra Gallia Q. Cæpio Conſul diripuiſſet, multumque auri in eius oppidi templis fuiſſet, quisquis ex ea direptione aurum attigit, miſero cruciabilique exitu periit, vnde prouerbii veteris ſententia, *Aurum Tholoſanum.* Numen igitur non eſt vltum crimen velut ſacrilegium in falſos Deos admiſſum, ſed auaritiam iniuſtiſſimamque rerum alienarum direptionem: vbique enim iuſtus eſt Deus, etiam inter impios; quamquam ſi recte perpendamus cupidorum auri exitum, vbique auri Tholoſani vltio ſubſecuta eſt. Craſſus id expertus eſt. Sed & Aquilius Dux Romanus à Mithridate captus, quod in eam prouinciam ſola ſe cupiditate auri contuliſſet, infundi ſibi in os feruens aurum non didiciſſet experimento, ſi ſine crimine auaritiæ fuiſſet inuentus. Plinius lib. 33. c. 3. Omnem igitur Orbem ita afficit aurum, vt non Tholoſanum tantum reddat omnes aduerſis caſibus ſubiectos, ſed aurum quodlibet, ſi aut iniuſte poſſideatur, aut iuſte poſſeſſum iniuſte erogetur; ſed de auro hactenus, nunc de argento.

EQ. Eſt de argento imprimis commemorandum illud, quod cum ipſum ſit præcandidum, ac pernitens, nigras lineas tactu ſuo reddat impreſſas corpori. Iſidorus lib.16.cap.18.

Argētum.

PH Minus eſt in argento crimen, ipſum enim auaritiæ parens fuiſſe memoratur: in vſu enim eſſe cœpere ſycli in pecunia etiam ante Abrahamum: ipſe enim ea vſus eſt, vt agrum ad vxoris ſepulcrum emeret in ditione Canaan, Geneſ.23. Vt autem eius vſus pernicioſus expiaretur, offerendum ſibi etiam iuſſit Dominus. Exodi 30. Num.cap.3. Docuit igitur argentum priusquam aurum homines poſtea turpe pecuniæ ſtudium: nummus enim argenteus prior fuit, quam aureus annis 60. Cœpit enim Romæ cudi, & ſignari ſub Fabio Maximo Dictatore, vti teſtatur Plinius lib.33.cap.3. Zonaras tomo 2. in Pyrrho: poſtea vero creſcente auaritia, etiam addita æris mixtura à Liuio Druſo, vt ita quoq; auaritia incrementum acceperit, iisdem auctoribus. Quin auaritiæ nomen amiſit, aſſumpſitq; dignius, auri famis titulum: plus quam famelici ipſi auari ſunt. Cum igitur ab argento ea fames ortum duxerit, admiror cur Poeta illud carmen cecinerit:

Nummus argenteus prius auro fuit.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

EQ. Ego non admiror: prima argenti fames fuit, poſtea auri, quæ longe deterior eſt. Erant certe felicia ſæcula, cum ærei erant nummi, languebatq; tum pecuniæ poſſidendæ ſtudium: oneri erant nummi, neque ex illis homines opes ſuas metiebantur: tum quoque ſi quid erat argento permutandum; abſque inſigniis nummi erogabantur: nam in Luſitania, vbi ſemper argenti copia fuit, nullus nummus cum Principum inſigniis prodibat, ſed ex virgulis argenteis tantum abſcindebatur, quantum rei permutandæ pretio æquari poſſet. Strabo lib.3. in Britannia quoque Iulii Cæſaris tempore nummus æreus tantum fuit; quin pro nummo annuli ferrei ad certum pondus examinati in vſu erant. Cæſ. Comment. lib. 5. Felicia quidem tempora; feliciores poſtea Indi, qui neque ex auro, argentove, aut ære, ſed papyro, aliaue parui momenti materia erogandos nummos ſtatuerunt, vt recolunt, qui Orientem perluſtrarunt: ſed de nummo hactenus. Argento accedunt quædam non prætermittenda; primum quidem origo eius ex fodinis eſt, ſicut & auri, ſed qui præcipuum Deo exhibent famulatum, etiam ipſi vt aurum, ita argentum ex quacumque re conficiunt diuino verbo. Ioannes enim Patriarcha Alexandrinus cognomento Eleemoſynarius, cum naues eius frumento onuſtæ in Britanniam forte fuiſſent à tempeſtate propulſæ, vbi annonæ caritate plurimum laborabatur, ſtanno frumentum permutarat: mirum tum accidit, omne id ſtannum, vt ad Ioannis cederet emolumentum, cuius pietate fuerat Britanniæ gẽtis fames ſubleuata, in puriſſimum argentum diuino munere conuerſum eſt. Leontius Epiſcopus in vita ipſius Eleemoſynarii: quod ex ſtanno factum argentum eſt, poterat & ex luto fieri, neque enim aliud, tum ſtannum, tum argentum ſunt, quam lutum.

PH. Eſt tamen argenti magna copia, tum apud Indos, tum quoque fuit priſco tempore in Palæſtina eo ab exteris prouinciis prouecta: nam quoad Salomonẽ Regem pertinet, tanta Hieroſolymis argenti copia apud eum fuiſſe memoratur, quãta lapidum; nam per fora ac plateas ſaxorum modo iacebant argenteæ maſſæ, 3. Reg.cap.10. In orbe autem nouo noſtro hoc ſæculo Indi illi columbam ingentem (bombardæ genus eſt) ad Carolum Imperatorem in Hiſpaniam vsq; aduehendam

Argenti copia tanta, quanta lapidum.

curaſſe memorantur: erat illa ex argento ſolidiſſime ita conflata, vt nos ex ære cōflare ſolemus. Corteſius ipſe è Mexico in Hiſpanias miſit, cuius pretium quadraginta nouem aureorum millibus æſtimatum eſt anno Domini 1524. quod Surius recolit in Commentario ipſo hoc anno.

Argentum tamen, ſublata hominum cupiditate, metaphorica ſignificatione ob nitidum candorem, & luculentiam puriſſimam pro ſacris Scripturis, & Sanctorum doctrinis accipitur. S. Hieronymus ſuper Eſaiam ad cap. 1.

EQ. Argenti autem viui magna vbique penuria eſt, quod admirandæ præ cæteris omnibus metallis naturæ ſit: rara enim, quæ admiranda, & pulchra: vt de illo agamus, à Plinio primum exordiemur, ſic enim ille lib. 33. cap. 6. *Argentum viuum appellatum venenum rerum omnium eſt, exeſt, ac perrumpit vaſa promanans tabe dira: omnia ei innatant, præter aurum, id vnum ad ſe trahit; ideo & optime purgat, cæteras eius ſordes expuens crebro iactatu fictilibus in vaſis: ita vitiis abiectis, vt & ipſum ab auro diſcedat. In pelles ſubactus effunditur, perque eas ſudoris vice defluens purum relinquit aurum: ergo & cum æra inaurantur, ſublitum bracteis pertinaciſſime retinet.* Hæc ille multa paucis.

TH. Addit alia cum iis Iſidorus: *Argentum* (inquit) *viuum dictum, quod excidat materias, in quibus iniicitur, hoc & liquidū eſt, quia procurrit: inuenitur ſpecialiter in metallis ſiue in argentariis fornacibus guttarum concretione tectis inhærens: ſæpe etiam in ſtercore vetuſtiſſimo cloacarum vel puteorum limo: fit etiam ex minio impoſito conchulæ ferreæ, patena teſtea ſuperpoſita, cum circumlito vaſculo circumdantur carbones, ſicq; argentum viuum ex minio ſtillat: ſine hoc neq; argentum neq; æs inaurari poteſt, tantæ autem virtutis eſt, vt ſi ſuper ſextarium argenti viui centenariū ſaxum ſuperponas, oneri ſtatim reſiſtat: ſin vero auri ſcrupulum, leuitatem eius raptim ſinu recipit: ex quo intelligitur, non pondus, ſed naturā eſſe, cui cedit: ſeruatur autem melius in vitreis vaſis; nam cæteras materias perforat: potui autem datum interficit ponderis cauſa.* Hæc ille lib. 16. cap. 18.

Ferrum.

EQ. Agamus nunc de ferro, ſunt enim de illo tum naturæ, tum diuina miracula non pauca: exordiemur igitur ab igne, quod in ipſo & latet, & manat, cum tamen ſit frigidiſſimum, explicat id his verbis Lactantius de ira Dei cap. 10. *Quid* (inquit) *quod duriſſimi rigoris materiæ, ſi ictu vehementiore collidantur, ignis excutitur? nam in ferro atomi latent: quis incluſit? aut cur ſua ſponte non emicant? aut quomodo ſemina ignis in materia frigidiſſima permanere potuerunt?* Hæc ille, qui tametſi ferrum non expreſſit, ferrum intellexit, cui poſtea etiam D. Baſilius acceſſit in exemer. hom. 1. *Elementa* (inquit) *omnia in omnibus permixta ſunt, & in terra inuenies & aquam & aerem, & ignem, ſiquidem ex lapidib. ignis exilit, ex ferro autem, quod etiam ipſa à terra generationem habet, ignis abundans in affricationibus elucere ſolet: quod etiam admiratione dignum eſt.* Hæc ille, à quo non modo rem ipſam, ſed & rei rationem didicimus.

PH. Eſt certe in ferro ignis, & materia alia, quæ ignem non ſentiat. In fornacibus enim, quibus ferrum cōponitur in maſſas, aut qualibet ex cauſa concoquitur, dum percutitur ac ſcintillationes fiunt, etiam euaporationes multæ exhalant, non ab igne, quo candeſcit, ſed ab ipſa ſui materia; adeo vt lanugo quædā ſenſim augeri videatur, quæ multiplicata pendet à pariete, aut panno aliquo ibi proximo, aut etiā tecto fornacis: eius lanuginis tanta vis eſt, vt igni nunquam aduri poſſit: refert autem colorem quandoq; album, quandoq; fuſcum. Albert Magnus anim. lib. 25. in Salamandra. Ita fit, vt ferrum ex ſe ignem emittat, ſimul & materiam, quæ ab igne vinci non poſſit, tametſi leuiſſima exhalatio ſit, & lanugo præmollis.

TH. Eſt

TH. Eſt hoc metallum humanis vſibus longe commodiſſimum, propterea eius maxima copia eſt, animaduertimusq; apud Sanctos frequentiora de ipſo narrari diuina miracula, quam de cęteris omnibus: quoad naturæ miraculum illud valde eſt memorabile, quod Strabo recolit lib. 5. idque ſe oculis ſpectaſſe conteſtatur: tradit enim in Inſula Palmoſa circa Tuſciæ oram ferrum, quod ibi foditur, nulla ratione in ipſa Inſula excoqui poſſe, nec in maſſas redigi; at ſtatim vbi effoſſum eſt, in continentem vehi illud curant, vbi & igne excoquitur nullo negotio, & malleis cedit, in maſſasq; redigitur. Eſt hoc Piſtorienſis agri de ferro miraculum, cui adiicit perſimile aliud Leander in Inſula Sardinia reperiri: vbi defoſſum ferrum neq; vlla arte, neq; vllo igne confici, aut excoqui poſſit, vt ſolideſcat: ſed extra Inſulam delatũ mox perficitur: accedit ad hæc, quod is locus, vnde defoditur, tametſi valde excauetur, nihilominus tempore rurſum repletur eadem ferrea ſcaturigine perinde, ac ſi nunquam fuiſſet defoſſum. Et quamquam profundiſſimũ in modum excauatæ ſint foueæ, poſt annos tamen replentur, ex Strabone Leander. Quin etiã in fornacibus, quæ ſunt in Appennino, ferrum fluit, velut quidpiã liquidum: quod S. Antoninus Florentinus Archiepiſcopus ſpectaturus eo aliquando ſe contulit ſociatus aliquot comitibus. Ibique accidit res plane memoranda: Faber ipſorum aduentu permotus ad iracundiam, quod diceret ſibi eos eſſe incommodo, vsq; ad blaſphemia verba proruperat, qua ex re prodiit ingens miraculum: ferrum enim, quod ab igne velut aqua defluere conſueuerat, cœpit velut congelaſcere, ac nullis ignibus, nullis follibus, totius noctis interuallo incendi ac fluere: caſſum itaq; laborem faber animaduertens, Archiepiſcopum adiit veniam poſtulans, ſibique etiam benedici rogitans: mox vt homini benedixit Archiepiſcopus, reddita eſt ferro priſtina vis, vt incenſum etiam liquidum pro more defluxerit, velut ad Solis radios glacies. Vincentius Maynardus in vita ſancti Antonini apud Surium tom.3. Vnde cuiq; conſtat, ferro eſſe ſimul & mollitiem ac duritiem inſuperabilem: propterea Sancti Dei, quibus rerum omnium naturæ parent; flexibile reddidere ferrũ, quod ſumma duritie rigeret. Beatus enim Dominicus Loricatus, qui primum clericus, poſtea diui Benedicti inſtituti monachus fuit, initio conuerſionis apud fabriles officinas noua ferreorum nexuum argumenta confinxit, multisque ſe vinculis per diuerſa membra ipſe ſibimet iudex, & reus violenter arctauit: nam duo pendebant vincula ceruice tenus per humeros altrinſecus hinc ad ſexum, illinc ad ſemen: duos vero in coxalibus circulos, duos ſuſcepit in vlnis; his vinculis diu adſtrictus cũ ſanctitatis famam horreſceret, poſtulaſſetq; à Deo ſibi reuelari, num hæc diuinæ placerent maieſtati, reſponſum quidem accepit, placere, ſed Deo quoq; auctore etiã eadem reſoluenda. Die autem Apoſtolorum Simonis & Iudæ, repente duo illa ferramenta, quæ ſuper humeros poſita vtrimq; inferius dependebant, ventremq; cum renibus coarctabant, prorſus ſponte effracta ſunt; & vnum in duas, & alterũ in tres diuiſum eſt partes. Cæteri vero circuli non quidẽ per partes abrupti, ſed ita laxati ſunt, ac facti adeo mollita lenitate flexibiles, vt quodammodo nõ tam ferrei quam plumbei viderentur: adeo vt etiam, ſi vellet, defluentibus eis, ac prolabentibus aſtringere ſe vltra non poſſet: id narrat Petrus Damianus in vita S. Dominici Loricati: vt ita diſcamus, nihil adeo ferrum reddere molle, nec ignem quidem ipſum, vt poteſt ipſe vere erga Deum feruor caritatis.

PH. Nihil certe magis ferrum edomat, aut retundit, quam innoxia hominis vita: ſicut enim emollit illud, ita ab illius duritie non læditur; neque acie quantalibet

libet vulneratur, quin nec quisquam ferreis vinculis obſtringi poteſt, numine propitio homini Deum timenti: rerum harum omnium ſuppetunt exempla. Vicit Catharina ferreas rotas, ſunt enim confractæ: vicit Chriſtina Scotica virgo etiam ſancta eo quoque maiore miraculo, quod cum rotæ non fuerint fractæ, ſubiens tamen ipſa, permiſſa rotis ipſis omni vi ſua, vt læderent, illæſa tamen mãſit, ſuam vim amittente ferro. Dionyſius Carthuſ. libro de quatuor nouiſſ. art. 50. & in Colloquio de Iudicio, cap. 33.

TH. Inutilis igitur eſt ferro acies, vbi diuinam opem pietas humana implorarit: quod ſi vmquam tum maxime perſpicuum fuit, cum Vercellenſis mulier, de qua alias egimus, ferro publice irritis multis ictibus percuſſa eſt, quæ innocens & conſtans tametſi iudicio fuiſſet damnata, cum & primus ictus fuiſſet irritus ſimul & ſecundus ac tertius, tametſi eſſet acie acutiſſima gladius, quo à carnifice percutiebatur, irritus itaque etiam quartus, quin & ſeptimus ictus. Carnifex, ne gladii hebetudine id forte accidiſſet, gladii cuſpidem admouit, vt, quod collum ſecare nõ valuiſſet, perforando iugulum eam interimeret: mirum, gladius reflexus eſt, & velut dominum ſuum victum aſpiciens, confeſſus eſt ſe eam ferire non poſſe, quæ non deliquiſſet. Superata itaque ferri vtraque acie, bona mulier, illuſis lictoribus, ſimul & Iudice, aliquamdiu ſuperuixit, ex B. Hieronymo Epiſtolarum lib. 1. ad Innocentium Papam.

EQ. Hæc ſunt diuina in ferro miracula: quod vt ſua acie non lædit, ita quoq; ſuis vinculis non conſtringit. Cæcidere ſponte B. Apoſtoli Petri catenæ tum manibus, tum pedibus, tum reliquo corpore. Act. Ap. cap. 12. Ferrea munimenta, quibus occluſæ erant portæ, reſeratis illis, ceſſere transeunti. Vt ita ſe deſerat etiam metallorum vis, vt innocentiæ Sanctorum virorum deſeruiat.

TH. Et vt animaduerto, maiore vi ferrum abrumpitur oratione, quam lima, aut igne. Pro germano enim ſuo, qui captiuus erat, cui Huma nomen fuit, quod iam defunctus, pugnaque cum reliquis cæſus putabatur, ſacerdos Tuma nomine incruentum, velut ad defuncti gratiam, ſacrificium offerebat, vti iam alias dicebamus: mox enim vincula ferrea ipſa ſponte ſoluebantur, ne fratris quotidianæ illæ preces, quæ inferorum portas ſolent reſerare, in irritum abirent. Ex Beda hiſtor. Angl. lib. 4. cap. 22.

EQ. Obdureſcit igitur, emolleſcitque ferrum diuinis paratum ſemper præceptis. Licet enim limæ cedat, aqua ſe ſenſim conteri, comminuique permittit: aliquando tamen ad Dei gloriam amplificandam, neque limæ ferrum cedit, neque vlla ratione poteſt imminui, & quod admirabilius, paulum ſe permittit imminui, deinde imminui non permittit, vt agnoſcas in inanimata re erga Deum pronam obedientiam. In id promemus ex beato Gregorio hiſtoriam. Epiſtola quadam conſcripta Romæ B. Pauli catenas, quas & collo & manibus geſtarat, ſumma veneratione habitas teſtatur: propter eaque ad eas pietatis cauſa cum vndecumque multitudo conflueret, promanaſſe hæc memorat miracula, vt ſe aliquando limari, aliquando non permiſerit, pro hominum ſtatu: pie enim petentibus aliquando Sacerdotes adhibita lima aliquid pulueris inde potuerunt elimare ac tribuere deuotis: at aliis, qui forſitan minus pietatis præferentes rogaſſent, adhibita lima, vrgentes, quanta vi poſſent, illam Sacerdotes nihil prorſus inde eruere, excutereve potuerunt. Ioannes Diaconus in vita ſancti Gregorii lib. 3. cap. 56. Extat Epiſtola ipſius Gregorii ad Conſtantinam Auguſtam. Vt ita cuique liqueat ferrum, cum velit

velit ita diuina maieſtas, nullis virib. cedere, cum tamen prædurum ferrum ſolo filo ſeſe ſecare aliquando permittat: nam in orbe nouo herba eſt, cui nomē Cabuya, ſeu Henequen: frondibus illius incolæ filum ſubrufum conficiunt, quod admixta arena ferrum quodlibet non aliter, atq; firmiſſima lima aut ſerra diſſecat: ſit ipſum quantalibet amplitudine, duritieve ferrum. Secat quidem ferrum hoc filum, ſed vſu ipſum quoq; atteritur, filumq; aliud filo attrito ſubſtituitur, vt tandem opus perficiatur. Ouet. hiſt. lib. 7. cap. 10. & ſum. cap. 10. *Filum ferrũ ſecans.*

PH. Hoc inter cætera naturæ miraculum eſt inſigne, vt leuiſſima fili vi ferrum ſecetur omnium metallorum duriſſimum ac ponderoſiſſimum; propterea ita Deus naturæ vires omnes temperauit, vt mollia duris, & dura mollibus domet. In id pari miraculo elucet eadem diuina maieſtas, vt à Magnete etiam ipſum ferrum non tantum trahatur, velut ſeruiat iubenti quaquauerſus Magnes velit: vulgatior eſt res, nec eget vllo teſtimonio; ſed quoniam inde fraudulenti viri dolos ſtruxiſſe memorantur, peropportunum eſt hoc loco reminiſci, quid egerat Dinocrates egregius opifex, quando cameram totam è Magnete conſtruxerat, ferreamque ſtatuam in medio collocare ſtatuerat, vt ſic ſuſpenſa nullo retinaculo manens miraculi vicem præberet. Ex Plin. lib. 34. cap. 14. vti alias occaſione iam alia diximus.

TH. Præſtat quoque reminiſci, quod Ruffinus etiam grauis auctor perſimile recoluit lib. ad Euſeb. hiſt. 11. cap. 23. de ſimulachro, quod erat Alexandriæ in templo Serapidis egregie fabricatum, in eamquem molem, menſuram ac pondus affabre, atque ad libram ita compoſitum, vt vi Magnetis, qua ferrum trahi ac ſuſpendi poteſt, in ſuſpenſo teneretur in ipſo delubro: Magnetem enim in laquearibus fixum poſuerant artifices: vt autem ignaræ plebi magis illuderent, addiderant, vt Magnete remiſſius opus ſuum agente, aſſurgere paulum ipſum ſimulachrum ſponte videretur, deinde etiam aſcendere, & in aere velut ſuſpenſum permanere: quod alias etiam recoluimus, vel ab ipſo quoque D. Auguſtino lib. de ciuit. Dei 21. cap. 6.

EQ. Profuit naturæ tum miraculum ad dolum, profuit ad humani generis iacturam, vt dæmonibus, rei nouitate ignorata, deſeruirent incauti: ſed diuina miracula illa habenda memoriæ, cultuiq; ſunt, cum ferrum ſui natura ponderoſiſſimũ aquis ſupernatat, quod ad hominum ſalutem peregere Sancti Dei, ꝙ ſępe diximus. Imprimis Eliſæus ſecurim in imum fluuiũ delapſam ad ſuperficiem redire cōpulit ſolo iuſſu: feciſſeq; idem diximus Maurum B. Benedicti| diſcipulum in Sublacenſi lacu. Propterea ferrum vbiq; domuerunt viri Sancti, ferroq; propriam carnem edomantes ſubiugarunt. Euſebius enim apud Cyrrhos ferri libras ducētas ac quinquaginta perpetuis ferebat momentis, tum euigilans, tum quieſcens ſe illis numquam exonerans. Theodoretus in Pilotheo in vita Martiani. Quod eo admirabilius fit, cum perpendimus hominem vigiliis, orationibus, ieiuniisq; confectum onus tantum aſſidue tuliſſe, quod perimendo iumento ſufficeret, ſi illo numquam exoneraretur. Leuia igitur reddit omnia pondera feruens charitas.

PH. Redduntur quoque inania omnia hoſtium noſtrorum ſtudia, quibus ſe ferro muniunt, ſi nos charitate protexerimus: ſunt quandoque incredibilis amplitudinis è ferro confectæ catenæ: nam duorum ſtadiorum longitudine catena fretum concluſiſſe memorat Metaphraſtes 24. Octobr. apud Lipom. tom. 6. quæ dimenſio breuis eſt, ſi illi comparetur, quę portum Syracuſanum muniebat; nam ne

quis temere ingrederetur, catenis ferreis ad mille paſſus aditum obſtruxerant Syracuſani. Leander ex Floro & Polybio: ſed iſta quoq; irrita munimenta ſunt: Chriſtianis enim non obſtiterint, ſi Chriſti virtute innixi fidei cauſam tueantur, eritq; nobis exemplo, quod idem Metaphraſtes recolit. Hemeritarum enim Rex ad fretum, quod duorum ſtadiorum latitudine patebat inter Æthiopas, atque ipſos Homeritas catenam ferream prægrandem duxerat in vtrumque littus, vt Chriſtianis militibus aduerſum ſe à Iuſtino Imperatore miſſis aditum præcluderet: at tum illud inuentum eſt inane conſilium: nam tametſi ventorum, fluctuumq; vim catena ſuperaret, miraculo tamen nauigiis Chriſti non obſtiterunt catenarum repagula: intumentes enim fluctus naues decem vltra transmiſerunt, & ne fluctibus aut catenæ imbecillitati rei exitus ille feliciſſimus tribueretur, ſed Deo, accidit quidpiam maius: ſtatim enim atq; decem illæ naues catenam transmiſerant, catena ipſa ventorum, fluctuumq; vehementia disrupta eſt, hoſtisq; profligatus, captiuatus, atque ad internecionem vsque deletus. Metaphraſt. 24. Octobr. Lipom. tom. 6. in vita S. Arethæ Martyris.

EQ. Et quidquid felici rerum ſucceſſu ferro peregere Romani, fruſtra humanis eſt tribuendum viribus: nam vel Auguſtino teſte libris de ciuit. Dei, ob bene inſtitutam Remp. ſummumq; iuſtitiæ cultum, Imperium illis Deus ipſe propagauit; inde illud cõſequutum, vt ferrum, quod iam diximus, Romanis aurum pepererit, quod eatenus poſtea validum fuit, donec ſublatis legitimis Reip. legibus, prouocato in irã Deo, Romanorũ ferrum redditum eſt imbecillum: nam Apoſtolis captiuis ferro vinctis ac necatis, imminuta eſt imperandi illorum potentia, quæ ſenſim deficiens Chriſtianorum adauxit vires, nulloq; ferro, ſed ſola Dei virtute Eccleſiaſticæ maieſtati, quam Romæ videmus, via aperta eſt. Id enim ita cœlitus conſtitutum eſt, vt non numero militum regna ſtabiliantur, ſed digito Dei: vnicus enim miles mille ac duo decem millia in fugam vertunt, cum Dominica manus ſuffragatur. Deuter. 32. Dauid puer nihil ferri ſecum habens Goliath toto corpore ferro obtectum occidit, & cum illo Philiſtinorum exercitum deuicit, 1. Reg. 17. Præſtat igitur, dum bellum exercetur, non ferro, non militum numero, non inſtructiſſimæ nauium claſſi fidere, ſed Deo: nam claſſes præter naufragandi diſcrimina, ob magnam illam ferri copiam, qua muniuntur, inuenti ſunt periclitantes ob Magneticos montes, impedirique, ne vlterius nauigent, velut captiuatæ, vt Viues memorat in ſchol. ad S. Auguſtin. de ciuit. Dei lib. 21. cap. 4. & nos alias recoluimus. Sed vt equidem firmiſſime credo, ſi Chriſti cauſa ageretur, ſe ipſum Magnetis natura deſereret, præterlabique inſueto naturæ modo etiam nauigia ferrata permitteret.

Non vllis viribus ſed Deo fidendum.

TH. Nec ego addubitarim: qui enim indidit vim, poteſt & cũ expedit ſuſpendere: ſed de ferro plus ſatis, niſi quod vnum illud ſupereſt, ferri quidem pretium vili in Europa, vbi abundat haberi, in India vero longe carius auro æſtimari, quod ibi non ſuppetat. Tradunt qui orbem perluſtrarunt, ferri libras quatuordecim ducentis quinquaginta auri libris permutatas iuxta Inſulam Zabur, vt Antonius Pigafetta ſcriptum reliquit.

Ferrum carius auro æſtimatum apud Indos.

Æs.

EQ. De ære agendum nobis eſſe velim, quo perinde ac ferro humanum genus rebus egere videtur: neq; enim auro, argentove aut ferro eadem humanis vſib. inſtrumenta confici poſſunt, quæ ære fiunt: quamquam enim nulla in ære ſpectetur naturæ miracula, ſuppleuit ars ipſa, ſed in ipſo elucere voluit perſæpe diuina maieſtas:

ſtas: fiunt ſimulacra, fiunt campanæ, fiunt bombardæ illæ terrificæ, fit domeſtica fere omnis ſupellex.

TH. Sed quid proficit ærea vis, ſi Chriſti ſerui illam perfringant? eluxit tum diuinum numen in ære confringendo, quando S. Procopius in Paneade in Apollinis templo ſola oratione triginta ex ære ſtatuas contriuit, eoq; miraculo binas cohortes militares ad Chriſti fidem conuertit: vt ita fuerit illuſtrior illius æris memoria, ac longe diuturnior, dum deſtruitur, quam dum erigeretur. Metaphr. in ipſius S. Procopii vita 8. Iulii. Quin non ſola oratione, ſed ſolo quoque crucis ſigno, imo afflatu Sanctorum virorum diſſectæ omnifariam, præcipue vero æreæ ſtatuæ memorantur, quas nulla mallei ferrei vis confringere potuiſſet. Suppetunt quidem in id exempla plurima, ſed illis tantummodo contenti erimus, quæ de S. Felice Martyre ab auctoribus recenſita ſunt. Is enim cum in delubrum ingrederetur vbi plurimæ proſtarent ſtatuæ, moxq; eas diuina virtute demoliretur, tandem ad æreas Serapidis, cui ſacrificium exhibere iubebatur, adductus, exufflans in eam deiecit, ob eamq; rem, cum prꝺſtigiis id opus tribueretur, ne Chriſto iniuria irrogaretur, propalam eius virtute id factum conteſtatus eſt. Ado Treuerenſis 3. Kalend. Septemb. Sed hoc exemplorum genus quod frequentiſſimum ſit, reliqua prætermittimus, illud percurrentes, de quo apud eandem Paneadem auctores admiranda prodiderunt, quin ex ærea ſtatua Chriſti hominibus collata incolumitatum frequentiſſima remedia memorarunt, id libet recolere. Proſtabat enim Panea de Chriſto quædam ex ære ſtatua, in cuius baſi enata herba incogniti nominis viſebatur, qua cuiuscumque generis ægritudines curabantur, quam ſe vidiſſe Euſebius Cæſarienſis literis mandauit hiſtor. Eccleſiaſt. libro ſeptimo, capite decimo quarto. Subſcribunt Sozomenus lib. 5. cap. 20. Caſſiodorus hiſt. Trip. lib. 6. cap. 41. Metaphraſtes, Nicephorus.

EQ. Elucet quoque, eluxitq; illuſtrem in modum æs ipſum ad diuinarum rerum gloriam: Ethniciq; ipſi etiam ſacris ſuis adhibuerunt, ære ſcilicet campanas conflantes, quæ veteribus non campanæ, ſed ob aliud tintinnabula vocitata fuiſſe leguntur, quæ vetuſtiſſima eſſe nemo ſapiens dubitabit: Moyſen enim ipſum in ſuperhumerali adhibuiſſe tintinnabula conſtat, quamquam aurea. Exod. 38. Propterea Salomonis templum ſuper tectum tintinnabula habuiſſe memoratur, quibus abſterritæ aues abigerentur, eaq; fuiſſe quadraginta memorat Euſebius præpar. Euang. lib. 9. cap. 4. Sed & Porſenæ Hetruſcorum Regis tempore paſſim in vſu fuiſſe tintinnabula ipſius ſepulchrum teſtatur, quo catenulis pependiſſe tintinnabula plurima memorat Plin. lib. 36. cap. 13. At etiam campanulæ nomen comperti in literis Cyrilli Hieroſolymitani, inter beati Auguſtini Epiſtolas 206. in S. Magnæ, quo loco vſum campanulæ tum inualuiſſe conuocandis ad rem diuinam Sanctimonialibus auctor meminit. Et quamquam eam Cyrilli Epiſtolam eſſe non pauci dubitarint, compertiſſimum tamen eſt, ſi alterius ſit, non illo admodum inferiorem auctorem eſſe. Campanarum autem ampliſſimarum vſum in Aſia non adeo veteribus cognitum cenſuerim ante Baſilium Imperatorem: quandoquidem Vrſus Venetorum Dux duodecim ex ære magnas campanas antea Græcis incognitas ad eum dono miſiſſe perhibetur anno Domini circiter 870. Id ſcripſit Bergomas in Nicolao I. Pontifice. Campanam autem non ideo appellatam putarim, quod æs ipſum ſit Capanum, ſed quod in Campania primum hæ maiores fundi cœperint, auctore Paulino Nolano, quod ex veteribus collegit Pet. Hiſp. ſil. p. 2. c. 9.

Campana nomen vnde?

Vtcumque ſit, inde omnis diuinæ rei celebritas oſtenditur per omnem, vbi Chriſtus colitur, orbem: nam quoad veteres ſpectat, vel ipſo Clotharii Gallorum Regis tempore cum in vſu eſſent campanæ rebus diuinis, inſigne de ea re miraculum viſum auctores tradunt. Sanctus enim Lupus Senonenſis Epiſcopus egregiam quandam, eximiique ſonitus campanam in æde ſancti Stephani collocarat: vbi eam gratiſſimi ſonitus eſſe accepit Clotharius Rex, Pariſios velut in Regiam vrbem deferendam mandauerat: loco mota ſonum mox amiſit, quandoquidem Lupus Epiſcopus ei rei non fuerat aſſenſus: id cum Rex animaduertiſſet, reddendam priſtino loco iuſſit. Cum igitur referretur, à ſeptimo milliario conſuetum ſonitum edidit, obuiante populo miraculi gratia; propterea iure etiā ſacris ritibus Eccleſiarum campanæ dedicari conſueuerunt. Incertus auctor de vita ſancti Lupi apud Surium tomo 5. menſe Septembri. Sunt quædam valde memorabiles ob amplitudinem, velut Parmenſis, Mediolanenſis, Lauretana, & quæ per omnem Germaniam celeberrima eſt, Erfordienſis, de qua Ortellius in Turingia. At vero memorabilius tradunt, qui orbem perluſtrarunt; compertam fuiſſe in Orientalis Indiæ regno Pegu æneam campanam ambitu patentem ad palmos ſupra quadraginta quinque, diametro ſeptemdecim. Id tradit Ferdinandus Mendez Ieſuita anno Domini 1554. quæ certe amplitudo, vt reor, ſuperare omnes, quæ in Europa ſunt, cenſenda eſt.

Campanula furtum prodens.

TH. Non dubitarim equidem; ſed non ſuperabit illius campanulæ virtutem abditam nutu Dei inditam, quæ furta, & mortem nō aliter, atq; ſi animata res fuiſſet, prodere conſueuerat. Tradunt enim D. Medardo quendam furto ſurripuiſſe taurum, cuius collo tintinnabulum appenſum erat: vbi domi in tuto erat taurus: fur tintinnabulum abdidit, ne illius ſonitu furtum proderetur: mirum accidit, in cubiculo, in ſcrinio, in arca, vbiq; ſemper quibuslibet latebris ſponte tintinnabulum ſuum edebat ſonum, admirantibus eam rem etiam vicinis, qui eum ſonitum reddi animaduerterent absq; vllo alterius motu. Cum igitur nemini hominis furtum innotuiſſet, ea re conſcientiæ ſtimulus exagitatus rem amicis aperuit: quorum ſuaſu ad Medardum accedens, taurum reddidit etiam venia impetrata. Fortunatus Presbyter in vita S. Medardi apud Surium tom. 3. Tradunt præterea in Budicenſi monaſterio Saxoniæ æneam quandam campanulam extitiſſe ſonoram quidem, & eo nomine præreuerenter aſſeruatam, quod cum ex earum numero ſanctimonialis quæpiam è ſeculo migratura eſſet, præter illum humanum opus, auxiliumve ſponte ingentem reddebat ſonum: id memorat Gobellinus Perſona in vita ſancti Meinulfi Diaconi. Surius tomo 5. Octobri.

EQ. Fuit ære etiam veterum profuſa inſania: nam & templorum tecta æreis trabibus contecta etiam viſuntur, Romę id patet in Pantheo Agrippæ & aliis quoque locis, ſed diuino quodam præter omnem conſuetudinem miraculo memorant aliquando huiusmodi æneas trabes cœlitus fuiſſe incenſas: id tradit Olaus lib. 2. cap. 19.

PH. Non eſt magnum in modum id ſuſpiciendum, quod æneæ trabes fuerint: inſanum vere illud opus fuit ex ære Rhodienſis coloſſus, quem cū putaſſent auctores quidpiam futurum perpetuū, breuiſſimo tempore, minusq; quam ſi lateritius aut ligneus fuiſſet, perdurauit, vixque ad annos vsque 50. Extincta enim eſt auctoris memoria breuiore tempore, quam ſi figulinum opus conſtruxiſſet, & quod immenſo ſumptu effecerat, paruo pretio diſtractum eſt Iudæo homini, qui ex eo camelos

melos nongentos oneraſſe fertur, Conſtante Heraclii nepote imperante. Plin.lib. 34. c. 7. & Zonaras in eodem Conſtante. Fuerat ſeptuaginta cubitis altus, vixque vlli hominum tanta fuit extenſis brachiis amplitudo, vt illius digitum pollicem complecti poſſet. Plinius eo loco: memorat autem Nicephorus, altum fuiſſe pedes 127. Sed de illo agemus pluribus in rebus arte confectis.

EQ. Si æris vſus ſit in re domeſtica, æquior certe res eſt, ſed & id forte philoſophantibus ſuperuacaneum.

PH. Superuacaneum certe philoſophantibus, & quorum ſtudia omnia verſa ſunt in Deum. Quid ære illis eſt opus? nam magno etiam miraculo viſi ſunt lignei cacabi feruere inuſti; id nobis prodit Gregorius Turonenſis in glor. Conf. cap. 98. Duo enim Anachoretæ conuenerant, deque rebus diuinis verba miſcuerant: hoſpitem alter conuiuio excepturus olera ex propinquo horto collegerat ad vtriusque epulas, cumque æneum vas non ſuppeteret in illa tanta rerum inopia, accenſo foco, ligneum lebetem aqua plenum igni ſuperpoſuit, quem etiam maiorem in modum incendit. Feruente lebete, obſonia perinde excocta ſunt, atque æneo vaſe, nulla lignei vaſis aduſtione. Admiratus autem eſt rei miraculum hoſpes; at alter reſpondit: iam ſe plures annos eremum ibi colere, neque alio vaſe, quam illo ipſo ligneo obſonia concoxiſſe. Neque vero illud inſigne miraculum ſolis ipſis patuit Anachoretis, verum etiam, qui Auguſtodonenſem agrum inhabitarunt, plerique id ſpectarunt. Hæc ex Gregorio.

TH. Fuere alii Anachoretæ, qui contempta ærea ſupellectili lignea vaſa coquendis obſoniis adhibuerunt. In Ægypto Anachoreta quidam vas eſculentis oppletum ligneumque Soli exponebat: ob vaſis autem concauitatem coeuntibus in vnum Solis radiis, perfacile interior vaſis portio incaleſcebat, adeo vt nullo adhibito igne & lebes ligneus ferueret, excoqueretque obſonia, cum tamen illæſum vas ipſum illo ardore ſemper duraret. Id memorat ex traditione Patrum, qui Ægyptum percurrerunt, Vinc. hiſt. lib. 18. c. 14. Sed de ære nimis.

EQ. Numquid prætermittendum nobis eſt ſtannum? Eſt equidem memoratu dignum: eſt enim auri atque argenti, & æris patronus ac tutor; vt enim imbecilla illa metalla ſunt, & quæ facile igne aduri poſſunt, adhibetur ſtanni tutela, vt non vrantur: hinc ille in ſupellectilibus vſus, vt ſtannum introrſus adhibeatur, illaque ita delinita & ſapidius & mundius acceptum obſonium reddant, eaque eſt ipſorum ſupellectilium ab igne defenſio, quam illis ſtannum præbet. Præterea mixta & adulterata metalla ab inuicem ſtannum ipſum per ignem diſſociat, vt tradit Iſidorus lib. 16. c. 22. qui illud quoque addit, ſtannum illitum æneis vaſis efficere ſaporem eſculenti cuiuscumque in ipſis vaſis retenti, quandoquidem compeſcit virus æruginis. Eadem tradit Bartholomæus Anglicanus Franciſcanus de rerum proprietatibus lib. 11. de Stanno. *Stannum.*

TH. Et ipſis ſacris literis commendabile eſt ſtannum: Zacharias etenim Propheta c. 4. ſtannum Chriſto conferri poſſe ſentit his verbis: *Lætabuntur, & videbunt lapidem ſtanneum,* id eſt, Chriſtum Saluatorem; id enim Diuus Hieronymus explicat in hæc verba: *Sicut enim ſtannum ab igne alia metalla defendit, æs ac ferrum duriſſimum; ſi absque ſtanno fuerint, vruntur ac cremantur, ſic omnis Angelorum & hominum fortitudo, ſi non habuerit auxilium Saluatoris Chriſti, imbecilla probatur & fragilis. Lapis autem iſte, id eſt, maſſa ſtannea, ſeparans & ſecernens eſt: quomodo enim ſtannum mixta & adulterata inter ſe per ignem metalla diſſociat, ita & nunc Chriſtus verus probator ab auro &*

argento bonorum operum æs vitiorum plumbumque ſecernit, vt purum aurum argentumque remaneat. Hæc ex illo.

PH. Sapientiſſime ac pientiſſime pro ipſius diuini viri in omnibus doctrinis conſuetudine: ideoque, ſi ſtannum prætermiſiſſemus, magnæ id nobis culpæ erat

Plumbum.

tribuendum, velut rem diuinam ignoraſſemus; minus culpę fuerat, ſi plumbum omiſiſſemus, ſed & illud etiam pro ſua vilitate habet, quæ iure commemorentur: plumbum enim miſcetur metallis, quæ adulterata ſunt atque violata, vt materia ſeparetur aliena, & ſi forſitan purgata non fuerit, plumbum omne conſumitur, & in nihilum redigitur. Ita omne eloquium doctrinarum & ſermo propheticus perit in his, qui audire contemnunt. Hæc ſunt D. Hieronymi verba ſuper Hierem. in 3. Comm. ad c. 6. in fin. Tom. 4. *Vt ita plumbum non adeo ſit vbiq; contemnendum, neq; inter viliſſima abiiciendum, cum ſanctorum Prophetarum ac Doctorum eloquio comparetur.*

EQ. Deo æque ſua gloria eſt in condendo plumbo atque auro, quin potius plumbum condidiſſe non erit, quod pœniteat Deum, quod nulla ob illud hominem cupiditas inuaſerit: inuaſerit autem in ſummam totius generis humani perniciem ob aurum; dignatus eſt igitur Deus ſuorum Prophetarum ac Doctorum eloquia plumbo magis comparare, quam auro, cum proſint ſemper, obſint numquam: nam & in humanis corporibus plurimos annos manet illæſa & incorrupta carne, vt vulneratis ex ſclopetorum ictibus compertiſſimum eſt. Sed ſunt & alia in plumbo memoratu digna. Feruens enim & liquefactum ſi in chartam mittatur, non adurit, ſed pondere lacerat. Plinius lib. 24. c. 17. qui & illud addit, plumbeis vaſis ſi aqua addatur, non liqueſcunt, ſi vero in aqua calculus addatur, aut æreus quadrans, vas ipſum peruritur. Hæc ille.

PH. Addit aliud Ariſtoteles admirand. c. 60. *Apud Indos plumbum ibi natum, ſi in frigidam aquam liquefactum iniiciatur, exilire extra aquam.* Ita ille. Quod mea quidem ſententia ideo accidit, quod non adeo ibi ſit plumbum ipſum graue, ſed aliquanto rarius, ideoque mox ſua raritate ex frigida reſiliens non mergitur; aut forte id eſt, quod acrius inflammatur, ideoque acrius illi aqua ſuo frigore reſiſtit; ſit autem horum neutrum. Priuilegium id eſt plumbi non contemnendum, quo conſtat, viliſſimum metalli genus frigidam poſſe ſua virtute refugere, quod non poſſit aurum argentumve, ac ferrum, quæ omnia ſtatim frigida aqua, quamuis ipſa ferueant, demerguntur refrigeranturque. Accedit ad hæc, quod plumbum in maſſa mergitur, dilatatum fluitat, vt Plinius ait libro 2. cap. 103. ideoque ſuper frigidam cum mox totum dilatetur, cum liquefactum eſt, mergi non poteſt, ſed eiicitur. Quod autem frigidum ipſum malleis dilatatum fluitet vndis, non ſolius plumbi natura eſt, ſed metallorum omnium, quæ excauata ſicut naues ſuperficiem aquarum tenent. Id memorat Auguſtinus de tempore ſerm. 147. Quod igitur natura non permiſit, fecit ars, vt plumbea vaſa non demergantur, ſi caua ſint, vt inde nouerimus, nulla adeo ſtupida ingenia naſci, quæ ſolertia non poſſint maximum in modum excoli, & ad tantam frugem peruenire, vt maximis ipſa natura ingeniis comparari poſſint: ſed de metallorum naturis hactenus; nunc libet diſſerere, quantum Orbis ipſe genusque humanum aut boni, aut mali inde perceperint.

Omnia docilis ſolertia vincit.

EQ. Plurimum oblectabor hac ratiocinatione, quandoquidem etiam hiſtrionibus commune aurum eſt, ſicut & optimis viris.

PH. Imo plures maioresque in hiſtriones à Principibus populisque collatas opes animaduerti, quam in ſapientes; referam in id quod Marcus Aurelius Imperator

tor ſcripſerit in Epiſtola ad Lambertum Helleſponti Præfectum; in Ægyptiorum enim annalibus contineri tradit, ad Dianæ templi Epheſini ædificationem Amazones, quæ tum Aſiæ imperabant, cum ædificaretur, nihil pecuniarum aliud contuliſſe, quam id tantummodo, quod ab vnius hiſtrionis opibus rapuiſſent. Cum igitur inter Orbis miracula templum illud numeraretur, quod hiſtrionis vnius pecunia ſola fuerat extructum, iure merito hiſtrionis opes inter eadem miracula conſcribemus. Recolit epiſtolam Mondognetus in vita M. Aurelii lib. 3. cap. 50. Fuit & alia inſignis opulentia hiſtrionis illius, quem recolit Plinius lib. 9. c. 35. *Clodius enim Æſopi cuiusdam Tragœdi filius relictus ab eo in adeo amplis opibus eſt heres, vt aliquando in conuiuio primum ipſe vnionem abſorberet, deinde ſingulos conuiuas idem facere iuberet, quibus ſingulis vniones dederat.* Hæc ille. Quibus addo, cum Auguſtus è lateribus marmoreos vrbis Romæ muros extrueret, non tantum à totius Romani populi publicique ærarii collatione in eos ſumptus collegit, quantum à duobus hiſtrionibus, quorum hereditates ad fiſcum deuoluebantur, cum ab inteſtato, atque absque legitimis liberis deceſſiſſent, flumine demerſi. Id ſcribit Marcus Aurelius in præfata ad Lambertum epiſtola, qui & illud adiicit, vidiſſe ſeſe Corinthii Regis ſepulchrum, qui hiſtrionica arte tantum quæſtum in tota vita feciſſet, vt & opibus, & magnificentia ad regium culmen à Corinthiis fuiſſet prouectus: id enim Corinthiis annalibus contineri conteſtatur. *Opulentiſſimus hiſtrio quidam.*

EQ. Inſana equidem populorum Principumq; pecuniæ in hiſtriones collatio, qua de turpitudine fierent, qui infames ſunt glorioſi: modeſtius quidpiam eſt, ac non tanta reprehenſione dignum, cum aliis honeſtis quæſtubus opulentia quæſita eſt, aut erogata in quidpiam hiſtrionica turpitudine laudabilius: quanquam etiam illud ad inſaniam pertineat, quod de Pithio Bittino commemorant, quem tantæ opulentiæ fuiſſe conſtat, vt platanum arborem ac vitem Dario Regi ex auro confectas donarit, Herodoto teſte lib. 7. c. 4. Xerxis quoque copias, hoc eſt, ſepties centena 98. hominum millia excepit epulo ſtipendium quinq; menſium, frumentumq; pollicitus, vt è quinque liberis ſenectuti ſuæ in delectu vnus ſaltem concederetur. Plin. lib. 33. c. 10. Quis in Europa eſt Rex aut Princeps, cui ad tantum ſumptum ſuppetant facultates? nam ille ſumptus, ſi ſingulis militibus tres aurei menſtrui aſſignentur, aſcenderat menſe quolibet ad vicies centena millia aureorum, id eſt, ad milliones duos, vt ita decem milliones abſumpſerit quinque illis menſibus: ita enim colligit Bud. de Aſſ. lib. 5. Nemo certe Regum noſtratum id poſſet. Eſt ille Crœſo equidem diuitiarum nomine comparandus, tametſi vir priuatus, vt eodem loco cenſuit Plinius. Id igitur eſt longe admirabilius, in priuati hominis opibus tantum aurum inueniri, quod Regum diuitias ſuperet: nam 40. milliones in theſauro ei fuiſſe memorant Volaterranus & Budæus de Aſſe lib. 5. & quod commemoratu digniſſimum eſt, non modo poſt tantam profuſionem non impetrauit, quæ poſtularet, ſed indignationem Xerxis incurrit barbarum in modum furentis: filium enim ſuum occiſum in duas partes diſſectum illi ſpectandum ob oculos poſuit, & inter ambas corporis medietates ab vtraque viæ parte diſiectas exercitum pertranſire voluit. Budæus de Aſſ. libro 5. Sed non ii tantummodo ab Hiſtoricis commemorantur: nam quod ad Ciues Romanos ſpectat, Publius Clodius, quem Milo occidit, ſeſtertiis centum quadraginta ſeptem millibus domum emit, in qua & habitauit, quod equidem non ſecus ac Regum profuſionem ſe mirari Plin. tradit lib. 36. cap. decimo quinto, qui præterea adiicit aliam Milonis opulen- *Inaudita hominis priuati opulentia.*

lentiam adnotatam Romæ, ſed ſumma prodigalitate abſumptam; tanto enim ære alieno eum obſtrictum fuiſſe conſtat, vt aſcenderit ad ſeſtertia ſeptingenta millia: ſed hos ambos ſuperaſſe opibus videtur C. Cæcilius, Claudius Iſidorus, qui teſtamento ſuo edixit, quamuis multa ciuili bello perdidiſſet, tamen relinquere ſeruorum quatuor millia, centum ſexdecim, iuga boum tria millia ſexcenta, reliquis pecoris ducenta quinquaginta ſeptem millia, in numerato H.S. aut, vt aliqui tradunt, pondo argenti ſexcenta millia: funere autem ſe iuſſit ſeſtertiis vndecim millibus efferri. Plin. lib. 33. c. 10. Recentiores quidam, veluti Richardus Dinothus recenſet ex Budæo, hunc Cæcilium numerata pecunia poſſediſſe ad milliones 11. agrorum vero eius pretium aſcendiſſe ad milliones quinque, vt ita argento & agris poſſederit ſexdecim milliones. Ex Budæo de Aſſe 2.

TH. Hinc pateat, quantum humanarum rerum affluentia ſæpe impii ſuperent eos, qui recte ſapiant, Deoque ſumma fide famulentur. Nam Iob ille iuſtus, tametſi diues ſit habitus, tantummodo ſeptem ouium millia, ac tria camelorum millia, boumque iuga quingenta poſſidebat: erat certe, qui nihil vltra appeteret iis, quos commemorauimus, longe ditior, qui maiora, quam poſſiderent, appeterent; ideo diuino ſcripturarum ſacrarum teſtimonio inter Aſiaticos ampliſſime diues comprobatur, Iob c. 1. ea certe ratione, quod cum multa poſſideret, nihil vltra appeteret.

PH. Craſſus ideo iure pauper fuit, quod omnium fere ciuium Romanorum ditiſſimus nulla parte auri ſitim reſtinxiſſet: is enim ſuo ſeculo, præter vnum Syllam, opulentiſſimus eſt habitus; prouentu enim annuo poſſedit ex agris præter ſupellectilis copiam bis millies ſeſtertium, hoc eſt, quingentas myrrhiadas ſolidorum, aut ſi malis ita, quinque milliones in cenſu, vt Richardus Dinothus adnotat ex Budæo, librarum vero myrrhiades, ſeu chyliadas chyliadum decem, non computatis operarum & ſeruorum lucris, vnde plus redditus, quam ex agris accedebat in annos ſingulos. Rob. Cænalis libro de ponderibus. Scholion ad Tertulliani Apologeticum ad cap. 12. quæ omnes ſummæ cum ad multos noſtri temporis milliones aſcendant, compertum fit, ſummos noſtri ſeculi Reges vix vnius Craſſi opes æquare; propterea iure dictitabat: *Non ſatis magnam vllam opem eſſe alicui Romano ciui, qui ſui ſumptu exercitum in Republica alere non poſſet.* Plutarch. *Sed cum nec ita ſitim auri reſtinxiſſet, nihil illi profuere ingentes opes, niſi vt infelicius viueret, obiret infeliciſſimus: nam cum eadem cupiditate ad Parthicum bellum proficiſceretur, templumque Hieroſolymitanum ſacris theſauris, ipſa inſtigante nefaria cupiditate, ſpoliaſſet, eum diuina vindicta ſacrilegum perſecuta eſt; nam in prælio à Parthis non multo poſt ſuperatus vna cum filio cæſus eſt. Porro hoſtes in os eius apertum non ſine auaritiæ & ſceleris exprobratione aurum liquefactum infuderunt.* Habent hæc profani auctores: recolit tamen his verbis, quæ recenſuimus, Surius in Comm. an. Domini 1523.

TH. Hic igitur Craſſus vere fuit pauper Senecæ ſententia damnatus, quæ ait: *Si ad naturam viues, nunquam eris pauper, ſi ad voluptatem, nunquam eris diues*; quin etiam Poetico carmine damnatus in hunc modum:

Diues eget gemmis, Cereali munere pauper:
Cumq; egeant ambo, pauper egens minus eſt.

Propterea Craſſus alter, cui ne obolum quidem ſuppetebat, quod creditoribus perſolueret, Craſſus diues cognominatus eſt: Maximus enim lib. 6. de variet. caſ. memorat, Romæ Craſſum quendam, qui decoctor erat, cogendæque pecuniæ incu-

incurioſiſſimus,ſiquidem bona eius à creditoribus,quia ſolidum præſtare non poterat, vænierunt;itaque amara ſuggillatione non caruit, cum egens ambularet, diues ab occurrentibus ſalutabatur. Hæc ex illo.

PH. Fuerunt & alii Romani ciues ob opulentiam commemorandi. Demetrio Libertino Pompeii fuit cenſus nomine quotannis ſumma vnius millionis & octingentorum millium. Plutarch.in Pompeio. Bud. de Aſſ.lib. 2.

Pallanti Liberto Claudii Cæſaris fuere milliones ſeptem cum dimidio. Tacit. lib.13. Bud.de Aſſ.lib.2.& 5.& ex publico ærario decreta illi fuerant prope quadringenta millia aureorum. Plin.iunior Epiſt.lib.8.ad Montanum.

Lollius Paulinus nepti dono dedit gemmas pretii vnius millionis. Plin. lib. 9. Bud.de Aſſ.lib.2.

Lentulo Auguri fuere decem milliones. Budæus de Aſſe lib.3.

Annæo Senecæ fuere ſeptem milliones cum dimidio in cenſu annuo. Tacit.libro 13. Bud. de Aſſ. libro 5. Sed non ſine nota, cum ſemper paupertatem coluiſſet: eodem loco.

Hæc recolit Richardus Dinothus in hiſtoria. Ex tenui igitur fortuna eos, qui verſarentur in adeo opulenta ciuitate, diuites fieri non erat difficile, etiamſi mediocris eſſent induſtriæ: id fit perſpicuum in Regulo cauſarum patrono non admodum claro, qui ex paupere & tenui congregauit ſeſtertium ſexcenties, vt memorat Plin.iunior Epiſt.lib.2.ad Caluiſium;is autem numerus aſcendit ad quindecies centena millia aureorum, vt explicat Bud.de Aſſ.libr.2. & 5. Sed vix comperies ex millibus vnum,cui diuitiæ non obfuerint,aut qui diu eas feliciter poſſederit. Erat Alexandro Magno tanta gaza, vt vehi non poſſet à paucioribus quadraginta millibus mulorum, vt Curtio videtur, & ex illo etiam recolit Franciſcus Picus lib. 2.de ſtrigibus. Vix paucis annis,perpetuaq; peregrinatione,ac tandem etiam ægerrimo animo diem ſuum clauſit. Parco tamen iis,qui pro ſuorum regnorum amplitudine diuites ſunt:ibi enim magis regni,quam Regis perpenditur gloria;propterea non adeo putarim huiusmodi infenſa eſſe numina, ſi pro ſua dignitate vtantur. At plurimum id me mouet, quod legerim, Ptolomæum alium comparandum Ægypti Regibus, Varrone teſte, cum Pompeius Iudaicas res ageret, octona millia equitum ſua pecunia tolerauiſſe,ac ſimul mille conuiuas totidem aureis potoriis excepiſſe lautiſſimis epulis,mutatis ſemper vaſis ac ferculis,vt Plin.tradit lib.33.c.10.

EQ. Hunc Ptolomæum,cum Rex non eſſet,(nam Ægypto non potiebantur vlterius Ptolomæi, vt mox dicemus) forte probabimus velut prudentem virum, quod adeo profuſe ſe geſſerit, vt Pompeii iram ſibi conciliaret, redderetque beneuolum ſimul & exercitum:quædam enim opportune aliquando licent,quę alioqui non licuiſſent, vti inſania illa damnata eſt etiam in potentiſſima Regina Cleopatra.Illa cum Ægypto dominaretur,ab irato M.Antonio in iudicium vocata,atque ex Ægypto in Siciliam nauigaret,flumen Cydnum incredibili pompa ſubiuit. Nauis eius purpurea habuit vela,ſericeosq; rudentes,argento quoque remos exornatos, vt remigando tibiarum ſonum per dimenſa temporis ſpatia percuſſis vndis imitarentur, ipſa ſub aurea vmbella in media naui in Veneris ſpeciem ornata ſublimior ſedebat, circumfuſis virginum choris in Nympharum formam auro amictarum,ad extrema nauis latera puellæ permultæ aliæ inſignes aureis thuribulis ad fluminis ripas odoramenta profundebant. Itaq; haud iniuria tum diſſeminatum fuit, Venerem ad Bacchum profectam eſſe. Egreſſa poſtea naui, cum pro iudicio res in

conuiuiorum certamen deducta eſſet, inter cætera, quæ nimis profuſe delicateque egit, cum pepigiſſet cum Marco Antonio, ſe plus vno bolo, quam Antonium magno conuiuio abſumpturam, ingentem vnionem, cui ſimilis magnitudine ſpecieque nunquam viſus erat, ab aure detraxit, atque aceto maceratum abſorpſit: & cum iam manum ad alterius auris vnionem appoſuiſſet, ab Antonio, cum viciſſe eam declaraſſet, prohibita abſtinuit. Hunc luxum inſanum quis non damnarit? damnauit certe Plinius lib. 9. c. 35. & Baptiſta Fulgoſus, cuius verba recoluimus, damnarunt reliqui omnes. Inde enim inſania metienda eſt, quod ille vnio centies H. S. fuerit æſtimatus, quem inani gloria & absque vllo ſenſu per ingluuiem deuorarat. Plin. lib. 9. c. 35.

Prodigalitas futuri mali prænuntia eſt.

PH. Erat igitur irridenda, non admiranda prodigalitas, quæ prænuntia eſt non raro futurorum malorum. Hæc enim ipſa Cleopatra breui in ſe manum conijciens mortem conſciuit. Reuera Africana gens profuſiore luxu ſemper vixit: noſtro enim ſeculo Muleaſſes Tuneti Rex, cum Neapoli degeret anno Dom. 1544. à Prorege lautiſſime habitus, Neapolitanis nouo cultu, veſcendi more, & exquiſitiſſimis odoramentis, admirationi fuit. Dapibus eius ex Regiæ culinæ diſciplina prodigioſi ſumptus vnguenta infarciebantur, adeo vt pauonem cum duobus phaſianis conditum obſeruatum ſit centum aureorum impenſum exceſſiſſe. Id memorat Surius com. an. Dom. 1544. Luxum hunc breui ſequutus eſt exitus: nam poſt paucos menſes à filio Amida occupato regno, ipſe Muleaſſes pater fugiens, ac latens, nulla re magis, quam vnguentorum odore ab hoſtibus agnitus, etiam captus eſt. Eum ad ſe adductum Amida filius vtroque orbatum lumine crudeliter excæcauit, candenti ſcalpello proſciſſa vtriusque oculi pupilla; eodem loco Surius. Sunt hi profuſioris luxus fructus. Vitellii ingluuies, opiparæque dapes, vt Suetonius ait, profuſiores fuere, & verſæ in illius perniciem: nam cum ab amicis ſibi conuiuia parari ipſe ſæpe poſtularet, nemo in huiusmodi epulis minus pecuniarum abſumpſit, quam noſtro ſeculo pecunia numerata decies mille aureorum, & quæ ſuo ſumptu agebat conuiuia, longe erant profuſiora: nam Platina teſte, præter id, quod ſæpius die ederet, vna cœna ſuo iuſſu duo piſcium millia, & auium ſeptem millia appoſita ſunt. Cuius imitatione Albinus, & ipſe Imperator infauſtus, tantæ voracitatis fuiſſe memoratur à Codro, vt vna cœna comederit centum perſica Campana, decem pepones Hoſtienſes, quingentas ficus paſſarias, ac quadringenta oſtrea, recenſuit Platina in Pontiano I. Exitus hæc probauit, qua inſania fierent, præter id, quod Albinus breuiſſimo interuallo à militibus obtruncatus eſt. Vitellius quoque cæno fimoque iactatus, ac furca ſub mentum poſita, diu per vrbem tractus in ſcalis Gæmoniis omnium ludibrio iacuit, ac tandem excarnificatus in Tyberim proiectus eſt. Platina in Lino I. & Egnatius. Et hæc iure paſſus, qui ſe ipſum revereri non curaret. Oportet enim eum, qui in faſtigio rerum eſt poſitus, ab aliis tum demum venerationem expectare, cum ſe ipſum ipſe primum reuereatur, vt Democritus Philoſophus dictitabat, quod & Stobæus retulit ſerm. 29.

EQ. Sapienter equidem: cum enim opes inuentę ſint, vt honeſtiore ſplendore virtus ſapientiaq; excolatur, verſa eſt auri maieſtas ad omnem turpitudinem excolendam. Nam C. Caligula Imperator laſciuia Venereq; perditus nunquam niſi in odoribus lauabatur, citreoq; ligno naues ædificabat, ornatis auro gemmisque earum puppibus; in eis quoque odoratas arbores atque herbas plantabat, & viridaria porticibus atq; tricliniis auratis circumſepta conſtruebat, quibus nauibus circum

Cam-

Campaniæ littora inter ſonos, cantusq; ac ſcorta nauigabat. In conuiuiis aureo pane aureisque piſcibus in verorum ſimilitudinem expreſſis menſes inſtruebat, pulmenta, quibus excitari ſtomachus ſolet, detritis maceratisque margaritis conficiebat. Fulg. lib. 9. Ille igitur vt celerius Romanas abſumere poſſit opes, auri centies quinquagies millies mille in vſum aleæ abſumpſiſſe vna die memoratur à Zonara. Et certe prodegiſſet omnes Imperii opes, niſi agens vitæ vigeſimum octauum annum ferro miſere occiſus occubuiſſet. Sed dum hæc recolimus, veterum Romanorum nimias turpitudines aperimus, quanquam & Græci Imperatores, ſi non eidem luxui, eidem tamen cogendæ per raptum pecuniæ, quam poſtea prodigerent, cupiditati inſeruiuerunt: nam Nicephorus Imperator ciui cuidam vnam vendidit cœnam nonaginta libris auri, vt Zonaras memorat in Nicephoro generali.

PH. Erant tantæ opes Orbis ornamento, ſi pro ſapientia, quæ Imperatores decet, fuiſſent erogatę. Sunt certe qui Poetarum cantionibus oblectentur, non adeo reprehendam, ſi profundant in illos largiter; nam ſub Auguſto Virgilius Poeta aliquando ditatus memoratur, quod multa talenta, ſexto Æneidos libro in theatro à ſe egregie decantato, quæſiiſſet, vt Seruius in eius vita, & Iuuenalis ſatyra 7. memorarunt, quod & Petr. Hiſp. recolit p.3. c.9. Quandoque Rhetorum oblectantur eloquentia, ſi in eos multa profundant, non reprehendam: nam & Iſocratem vnam orationem vendidiſſe viginti talentis conſtat, Plinio teſte lib.7. c.30. Prodegere in Reip. commoda plurima priſci quidam Romani, quorum laudabile ſtudium nemo reprehendet aut illo ſeculo, aut noſtro. Q. Martius à Senatu iuſſus aquarum Appiæ & Anienis tegula ductus reficere, nouam à nomine ſuo appellatam, cuniculis per montes actis, intra Præturæ ſuæ tempus adduxit. Agrippa vero in ædilitate ſua adiecta Virgine Aqua cæteris corriuatis atque emendatis, lacus ſeptingentos fecit, præterea ſalientes centum quinq;, caſtella centum triginta, complura etiam cultu magnifica, operibus iis ſigna trecenta ærea aut marmorea impoſuit, columnas ex marmore quadringentas, eaque omnia annuo ſpatio: vicit antecedentes aquarum ductus impendium, quod peregit Claudius: is enim à lapide quadrageſimo ad eam excelſitatem eos extulit, vt in omnes vrbis montes leuarentur, erogataque fuere in id opus ſeſtertia quingenta quinquaginta quinque millia. Quod ſi quis montes perfoſſos, conualles æquatas cum reliquis ædificiis adiacentibus diligentius æſtimauerit, fatebitur, nihil magis mirandum fuiſſe in toto Orbe terrarum. Ex Plin lib.36. c.15.

EQ. Erant hæc commodo Reip. maximo: ſed illa Ægypti Regum inſania irridenda magis, quam reprehendenda fuit, quando ad illas pyramides labyrinthosque deſertis locis exædificandos animum adiecere, præcipue vero in Mæridi lacu conſtruendo incredibili ſumptu. Erat is campus viginti millium paſſuum latus, quem adeo excauarunt ii Reges, vt eius aquæ magnas onuſtasque naues admitterent, absque vllo Reip. beneficio, Mela lib. 1. Sed pluribus id habet Plinius lib.5. c. 9. *Inter Arſinoitem* (inquit) *ac Memphitem lacus fuit, circuitu ducentum quinquaginta mill. paſſ. aut vt Mutianus tradit, quadringentis quinquaginta mill. paſſ. & altitudinis quinquaginta paſſ. manu factus à Rege, qui fecerat, Mæridis appellatus.* Hęc ille de Ægyptii Regis inſania. Fecit certe longe vtilius Romanus ille, quem diximus, ciuis Claudius, quando perfoſſo monte ad lacum Fucinum emittendum inenarrabile impendium erogauit, & operarum multitudinem per plures annos conduxit, vt aut corriuatione aquarum, qua terrenus mons erat, egereretur in vertice machinis, aut ſi

lex cæderetur, omniaq; intus in tenebris fierent, quæ neque concipi animo, niſi ab iis, qui videre, neq; humano ſermone enarrari poſſunt, vt admiratur Plin. lib. 36. c. 15. in quorum ædificiorum numero etiam ea, quæ ad ornatum vrbis ſpectant, adnumerari conſentimus, vt pro maieſtate rite erogata om nia cenſeantur.

Cum pecuniis virtus ſimul & vitium creuit.

TH. Et vt colophonem ratiocinationi addamus, ex eo tempore, quo nummus inuentus eſt, vt aurum cœpit animos hominum occupare, cœpere vtraque ſimul virtus & vitium adoleſcere, in aliis quidem virtus, in aliis luxus. Aliquos excitant ad virtutem opes, alios ad ſocordiam trahunt: auro erecta diſciplinarum omnium gymnaſia, exculta in cœnobiis plerumque religioſorum maior diſciplina, exornata diuina templa, atque ita etiam illuſtrior viſus eſt diuinus cultus. Auro etiam in exilium à non paucis abiectæ virtutes diſciplinæque, inuadente cupiditate, & Reip. adminiſtratio exulare viſa, recta quoque conſilia, iuſtitia probitasque omnis abacta eſt, vt ideo Vates ille exclamare ſit adactus ironice vulgi proferens ſententiam:

O ciues, ciues, quærenda pecunia primum eſt,
Virtus poſt nummos.

Iſta omnium temporum ſemper corruptela fuit, ſed præcipue poſtquam aurum hominibus plus æquo placuit.

HERBÆ

COLLOQVIVM VIGESIMVM.

EQVES.

GArrulitatem hirundinum vereor vobis hoc mane fuiſſe moleſtiſſimam: veruntamen iam pulli eorum adeo plumeſcunt, vt auolare facile poſſint, quo ab huiusmodi moleſtia in poſterum hoc anno liberemur. In nido comperta eſt Chelidonia herba, quam detulere parentes naturæ ductu, vt cæcutientium pullorum oculis medeantur.

PH. Dubio procul id ita eſt: omnium enim auctorum hæc ſententia fuit, hirundines pullorum cæcitati herba Chelidonia mederi; ex Ariſtotele anim. lib. 6. c. 5. & Plinio lib. 25. cap. 8. vti iam alias occaſione alia diſſeruimus. Et ſane illud eſt admirabile, Chelidoniam hanc herbam, vt eodem cap. 8. recolit Plinius, velut pacto cum hirundinibus conuento florere aduentu ipſarum, diſceſſu marceſcere.

EQ. Eſt nobis cognita herba hæc, eſtq; noſtris hortis intra viridaria nata, eam vt videamus licet: eo igitur accedamus, licebit enim ibi commode ſedere, præbente nobis vmbram vaſtiſſima quadam hedera rupibus & arboribus quibusdam hærente, vnde perpulchra ambulacra xyſtosq; vndecumque obtectos conſtruendos curauimus, isque locus hortulo eminet, in quo quælibet ſimplicium herbarumq; genera ſtudioſiſſime excoluntur conſeruanturque; inde omnia ſpectabimus, deq; herbarum miraculis diſſeremus, æſtumque percommode vitabimus.

TH. Inuitat certe nos ad conſidendum riuulus hic hortulum irrigans ſub hoc xyſto exhibens & ſuaue murmur, & iucundum proſpectum.

PH. Herbæ ſane omnes naturam nobis commendant æque ac reliqua creata omnia, multa ſunt ſydera creata, multa animantia volucria, multæ quadrupedes, multæ ſerpentes, reptilia multa, inſecta, piſcesque innumeri, ſed & lapides ac

plantæ;

plantæ; at omnium horum ſimul generum numerus tantus non eſt, quantus herbarum tantummodo generibus inuenitur: quin vt in herbis diuina magis eluceret ſapientia, nullus morbus, nulla debilitas, nulla neceſſitas in rebus humanis eſt, cui ex herbis antidota non parentur, & remedia: quin artificia ipſa orbi herbarum notione adaucta ſunt: incolumitas ſeruata: aeris infectio perpurgata: ſterilitas illata fœcunditate ſublata, venenis aliis ipſæ herbæ venenum ſunt, vt ita credam vrendi vim herbis comprimi, frigus herbis in calorem verti, humidum in ſiccum, ſicca in humida transferri: lucida in obſcura, obſcura in lucida: quin metalla quoque ipſa aurum, argentumque herbis reddi meliora, & quandoque ipſis tantummodo herbis, quod neque argentum, neque aurum eſſet, ipſis æquatum eſt; vt ita fateri cogamur, etiam animam hominis herbis ſeruari, ingenium, memoriam, perſpicaciam, totiusque conſtitutionem, ipſamque eloquentiam, ac corporis decorem. Sed quia id non vnius diei Colloquio expediri poſſet, permiſſa phyſicis, medicisque aliis de ea re longiſſima diſcuſſione, libet, vt hodie quædam tantummodo naturæ in herbis inſigniora miracula recenſeamus, multiplicibus illis earum virtutibus prætermiſſis, de quibus vix milleſimam, aut verius milleſimę milleſimam omnes ſimul auctores prodiderunt: cum reliqua ignorarint, adhucq; ab illis, & ab omnibus etiam hodie ignorentur. Redeundum itaque eſt ad noſtram Chelidoniam, quæ vt oculos erutos renaſci, & amiſſum viſum reſtitui faciat: ſed illud eſt maius miraculum, eam virtutem ignoraſſe homines, nouiſſe volucrem, atque ab ea velut magiſtra medicorum, peritorumq; multitudinem didiciſſe, vt Plinius memorat lib. 8. cap. 27.

Herbarum vtilitas maxima.

Chelidonia viſui ſalutaris herba.

TH. Fuit id congruum humano generi, cum ſummi Dei præcepta non ſeruaſſet, velut qui illius ſapientia edoceri contempſiſſet, ab irrationalibus animantibus edoceretur, factus ipſe, velut irrationalis homo, & qui cæcus fuiſſet effectus, cum Deum fuiſſet auerſatus, herbas oculos reſtituentes à volucre perdiſceret, & ſe in tantam prolapſum ignorantiam animaduerteret, vt ſuæ tum animæ, tum corporis cæcitati nullis remediis poſſet proſpicere; poſſet tamen volucris propriorum pullorum oculis remedia conferre: ſed quoniam aduentu Chriſti inſtauratum humanum genus eſt, qui ad Deum rediere viri boni, & illi ſumma fide adhæſerunt, etiam videndi vim priſtinam reddiderunt, cæcisque non modo oculis erutis etiam pupillas renaſci & videre iuſſerunt; verum etiam caligantes, aut tenebris obuolutos depurgarunt nullo antidoto, nulla adhibita herba, ſolo Chriſti inuocato nomine, ſolo addito crucis ſigno. Scatent iis exemplis ſacroſancta Euangelia, ſcatent Apoſtolorum, reliquorumque Sanctorum hiſtoriæ; ſed quod naturæ legibus non ſubiaceant diuina miracula, etiam ii Sancti ex contrariis medicamentis, quorum vi inaugendi eſſent morbi, potius quam pellendi, immutata naturæ vi, oculos curarunt: Simeon enim Abbas, de quo alias egiſſe meminimus cognomento Salus ægrotanti cuidam ob oculi albuginem, acremque in illo dolorem, acriore remedio ipſe morbum curauit ſinapio, atq; allio, quæ oculorum morbum ob ſummam acrimoniam pariunt & inaugent, præcipue vero adhibito etiam aceto, iuſſit oculos liniri: cõuerſa herbarum eſt acrimonia in ſuaue collyrium ob vnam in Chriſti fide obedientiam. Leontius in vita S. Simeonis Sali apud Metaphr. menſe Iulio, apud Surium tom. 4. Non ergo artem edocendi ſunt medicam, qui Deo famulantur, cum ex quaque re collyria norint componere; at qui à Deo auerſi ſunt, etiam ab animantibus edocendi.

Dyctamū ferrum è vulneribus trahens.

PH. Non huius ſane ſolius herbæ Chelidoniæ vim ab irrationali animante edocti ſunt homines; ſed aliarum quoque: nam cerui Dyctamum herbam docuere eſſe homini ſalutarem, in ferro è vulnere extrahendo: ipſi enim ſagitta percuſſi paſtu eius herbæ telum eiiciunt. Plin. lib. 8. cap. 27. Quin non cerui tantum, verum & capri id, priuſquam homo noſſet, norunt, Ariſt. teſte de admir. c. 4. Ipſa quoq; teſtudo Bubulam herbam contra ſerpentium morſus nos docuit, atque alia præterea animantia herbas alias nos docuerunt Plin. eod. c. 27. Sed ne legibus naturæ, vt dictum eſt, diuina remedia ſubiacerent, etiam noua herbarum genera, quæ non ad vnum aut alterum morbum opportuna cenſerentur, edidit ſummus rerum opifex, ſed quæ vna omnes prorſus valetudines curaret: ſicut illa cōperta, & omnib. incognita herba fuit in Paneade, qua omnes ægritudines curabātur, de qua alias egimus paucioribus, nunc libet agere pluribus, id vt manifeſtius fiat, recolemus idonei teſtis verba Euſebii Pamphili, is enim hiſt. Eccleſ. lib. 7. cap. 14. *Eius* (inquit) *mulieris, quam Seruator à ſanguinis profluuio liberarat, pro foribus domus æneam mulieris effigiem genibus flexis, & manibus inſtar ſupplicantis in anteriorem partem extenſis, ſuper editum lapidem collocatam memorant: huic è regione viri erectam imaginem, & eadem materia conflatā, veſtitu ad talos demiſſo decenter ornatam, & manum mulieri porrigentem: ad eius pedes in ipſa baſi peregrinam quandam & inuſitatam herbæ ſpeciem enaſci, quam quidem vbi ad ænei veſtitus fimbriam excreuerit, morbis cuiuſq; generis medicandi vim & facultatem habere.* Hæc ille. Eadem Sozomen. hiſt. lib. 5. c. 20. Eadem Metaphr. in vita S. Procopii 8. Iulii. Sed Niceph. lib. 6. c. 15. Fuit igitur eius herbæ vis non natura indita, ſed diuino munere: erat illa herbæ ſpecies omnibus ignota Phyſicis, Philoſophis omnib. & orbi toti: neq; vlterius, aut alibi vnquam viſa, vt ſciremus, vbi fidei vis locum habeat, omnia naturæ iura ceſſare, credentibusq; prodeſſe omnia, vel ipſa contraria ac venenata, amarasq; herbas fieri ſuaues, & è quibus peſtiferum quidpiam exſpectaretur, ſequeretur opus ſalutare. Erit exemplo Eliſæus 4. Reg. c. 4. *Cum etenim fames permulta vrgeret in Galgala, colligerenturq; herbæ in alimentum Prophetarum, colocynthidæ ab imprudentibus miniſtris collectæ ſunt, & appoſitæ, eam ob amaritudinem veriti ſunt omnes imminere mortem. At Eliſæus, cui ſemper adeſſet Dei virtus, fa inæ paululum adiiciens, omnem non modo ſuſtulit amaritudinem; verum etiam mortis ſuſpicionem, conuerſis omnibus oleribus in ſuaues cibos.*

TH. Quid amarum, quid noxium poteſt eſſe credenti in Chriſtum homini? quandoquidem Chriſtus ipſe, qui ſumma veritas eſt, dixit: *Signa eos, qui crediderint, hæc ſequentur, ſi quid mortiferum biberint, non eis nocebit.* Marc. 16. Quod perſpicuum faciemus, præter plurimos alios Sanctos, quo ad herbas pertinet, in S. Martino, qui cum Arianam hæreſim vitans ſeceſſiſſet in Inſulam Gallinariam, ibique aliquamdiu radicibus herbarum victitaret, venenatam herbam imprudens in cibum ſumpſerat, qui cum veneni in ſe graſſantis vim vicina iam morte ſenſiſſet, imminens periculum oratione repulit, ſtatimq; omnis dolor fugatus eſt. Seruus Sulp. in vita eius Dialog. 1. Qua ex re id quoq; animaduertimus, plures eſſe Dei in huiusmodi condendis miraculis vias; quandoquidem vt venenata prius agnoſcantur, quam obſint, alio miraculo indicat, ſicut ne venenata obſint, opem affert: neque enim homo noxia quæque norit, præſertim ad eſum & potum; non igitur ea vitare propria virtute poteſt. Propterea etiam animantia id homines docere voluit, vt permixtis herbis venenatis, ſalutares ſolæ diſcernerentur etiam ad veſcendum; ita vt Phyſicam, medicamque à quadrupedibus quoque homo perdiſceret:

nam

nam alias diximus, apud Syenem quendam Anachoretam intimam eremum incolentem, herbarumque radicibus victitantem, ignoraſſe herbarum vires, noxia pleraque carpſiſſe, ſubiiſſeque mortis periculum. Sed Ibice docente didicit, quæ noxiæ, quæ ſalutares herbæ eſſent. Itaq; vir Sanctus ab illa, quod edere, quod reſpuere deberet, edoctus periculum famis euaſit, & herbarum venena vitauit volucre medica & magiſtra. Hæc ex eo libro, qui de vitis Sanctorum Patrum inſcribitur part.3.cap.9.

EQ. Non is tantum Eremita herbarum vim ignorauit, ſed orbis totus, niſi quædam didicerunt homines experientia, quædam ſuapte ingenio, adhibitaq; ſolertia, quædam docuere animantia naturæ ductu; dies vero, diuturnumq; tempus plura reuelauit; propterea hanc diem abſumemus, non equidē in recenſendis herbis, quatenus ad rem medicam pertinent, ſed ob quædam naturæ recondita iure admiranda: ſed pro portione erunt perpauca, quæ recolemus. Sunt enim infinita reliqua, quæ nos ignoramus.

PH. Exordiemur ab herba Flabia, illa enim M. Aurelii Imperatoris Philoſophi teſtimonio magna virtute prædita prædicatur, niſi Theologi, quorum iudicio rem ipſam ſubiicio, ad ſuperſtitionem pertinere decreuerint: cum enim ipſe Imperator ad Antigonum ſcriberet, de Flabia herba meminit in hunc modum: *Agens ego* (inquit) *ſeptimum ſupra vigeſimum annum, degebam in Inſula Cethir, cui & Cypri nomen eſt: ibi mons eſt non admodum excelſus, Arcadius nomine, in eo Flabia naſcitur herba, cui inditum à natura eſt, vt ſi excidatur, emanet ab ea liquor ſanguineus tepeſcens, quo, dum tepor durat, ſi quis ab alio contingatur, occulta quadam ratione trahitur in amorem eius, qui tetigerit; at ſi is ſuccus refrixerit, eoque quiſquam contingatur, amoris refrigerationem, beneuolentiæque auerſionem inducit.* Hæc ille: Qui etiam ſe experimento comperiſſe teſtatur, quandoquidem repente huiusmodi ſucco cum quempiam tetigiſſet, non prius mutuus cum illo amor refrixit, quam mors illius interceſſiſſet, qua ſola diſſolutus eſt. Hæc retulit Mondognetus in vita M. Aurelii lib. 3. cap.10.

Flabia amoris herba putatur.

TH. Superſtitioſum id eſſe non eſt dubitandum: amor enim & odium, cum ex animi electione proficiſcantur, & hominis animus nulla vi ad aliquid cogi poſſit, cum ſit liber, nec herbarum viribus adigi poterit, vt vel amet vel oderit: veneficia vero, quæ amoris vel odii ſeminaria ſunt, non niſi diabolica facultate fiūt, Deo ita pro ſua totius orbis diſpoſitione & gubernatione permittente. Poteſt tamen in herbis aliquid eſſe calefaciens aut refrigerans, ſicut inebriandi vis comperitur in vino: tunc enim corporeæ partes, ſanguis præcipue, excitantur, & ex eo motu ſuſcitatur & animi motus pro ſuo libitu conſentientis in concupiſcentiam: vnde fit, vt volens animus vel amet, vel oderit ſua ſponte; non autem herbarum vi. Sicut enim trahit ſua quemq; voluptas, & adulatorum verbis, lenocinioque conciliantur turpiſſimi amores, & inter beneuolos etiam diſſidia implacabilia diſſeminantur; ita neceſſarium eſt, vt neq; herbis, neq; verbis ii effectus adſcribantur, ſed illius animo, qui cum liber eſſet, illis libens eſt aſſenſus.

EQ. Si vere Flabiæ herbæ ea vis eſſet, præferenda foret rebus humanis omnibus; poſſet quisq; prætermiſſis tot laboribus, quibus in Principum ſe gratiam inſinuant homines, vt diuites fiant, aut honoribus cumulentur, huius herbæ beneficio conſequi: conciliarent eadem herba mutuo Principes, cum plebibus plebes, ſtultumq; eſſe tot laboribus, ſtudiis, ſumptibusq; defatigari in re conſequenda, quam

herba vna poſſet efficere: ſtultum igitur magis eſt, Marci Aurelii tametſi egregii Philoſophi ſequi ſententiam. Eſt enim id aduerſus Catholicam fidem, quæ arbitrii humani libertatem prædicat.

PH Idipſum quoque ego ſentio, cenſui enim Philoſophi referendam ſtultam ſententiam, vt error aperiretur illuſtrius: nam ſi ſyderib. eam ineſſe vim negamus, vt amare, odiſſeve quidpiam doceant, aut inducant: quomodo licebit id herbæ tribuere, quod ſydera ipſa ſuo afflatu non poſſint? Sydera enim in hominis animum non agunt, quin pro libitu quæq; amet aut oderit. Diuina autem infundente vim gratia, ſæpe contigit, vt rerum contactu quis ad diuinum amorem etiam in homines accendatur, & ad odium rerum peſſimarum conuertatur, quod poſtea pluribus proſequemur. Igitur reiecta Flabiæ falſa virtute, recolamus alias herbas admirandas.

Spongia.

EQ. Spongias marinas audiui, legiq; herbas eſſe, & eo miraculo eſſe inſignes, quod illis inſit ſenſus.

PH. Inter plantas & animalia medium quidpiam eſt ſpongia: alitur enim ſuis radicibus; excrementum egeſtione non repellit; certo loco fixa eſt; ramuſculos edit, cur non hac ratione dicenda eſt herba? at quia ſentit, dolet, reſiſtitq; ſe auelli, certe ad animantia hac ratione pertinebit: ſed quia ad piſces id magis pertinet, diſſerendum, quod iam egimus cum piſcibus. Verumtamen herbæ quædam compertæ ſunt, quib. ſenſus ineſſe animaduerterunt, qui orbẽ luſtrarunt. In Braſilia enim referunt reperiri herbam, cui inditam naturam eiuſmodi eſſe aiunt, vt herba viua ab incolis nuncupetur. Illi ſi quis accedat propius, ipſa ſeſe ſponte colligit, conglobataque conſtringitur, velut aut metuens, aut pudefiens: quod ſi is, qui acceſſerit, rurſum lõgius ab illa abeat, libera metu, pudoreue iam ſe rurſum dilatat: idem fuerit, ſi fuſte contingatur, claudit ſeſe ac colligit, dimiſſa rurſum ſe pandit, quaſi quę ſentiat hominum, animantiumve præſentiam ſimul & abſentiam, vnde iure viua nuncupata eſt. Id ſcripſit Ioſeph Ieſuita ex Braſilia anno Domini 1560. qui paſſim eam naſci conteſtatus eſt. Sunt auctores alii, qui eam apud Indos reperiri tradiderunt, magiſq; ad arborem pertinere memorarunt, quam ad herbas. Pudoriſq; cognomentum illi indiderunt, quod pudicam mulierem imitetur, quæ, accedentibus viris, ſeſe componat ac colligat, abſcedentibus, liberior exiſtat, vt differemus opportunius in arboribus.

Herba viua.

TH. Legi & ego eadem, ſenſumque herbis aliquibus ineſſe non putarim fabuloſum, ſi tamen Plinio fidem adhibeamus. Scribit is lib.13.cap.25.in fine in hæc verba: *Iuba tradit circa Troglodytarum Inſulam fruticem, qui vocetur Charitoplepharon, ſentire ſe capi durarique cornus modo, & hebetare aciem ferri.* Hactenus ille, quæ non difficile admitto: at quod in amatoriis addit herbam huiuſmodi eſſe efficacem, valde ſuperſtitioſum duco: forte vero illud aliud admittam, cum ait, ſi per inſidias ad illam herbam quis acceſſerit, durari eam in lapidem: pari enim ratione eſt, vt obduretur in corneam, ſicut & in lapideam duritiem; nam & Corallum id efficit, atque aliæ quoq; herbæ, vt poſtea dicemus, quamquam id illis accidat aeris immutatione non vllo ſenſu.

Charitoplepharon.

EQ. Eſt alia, quoad ſenſum ſpectat, admirabilior herba, cui Agnus nomen eſt, quam cognominis quadrupedis forma eſſe, edere, habere ſanguinem, ac radicibus fixam cõſiſtere auctores prodiderunt certe non contemnendi. De illa memorat Odericus lib.1.& in fin. compertamque eſſe in montibus Caſpiis tradit. At locorum

Agnus.

corum Aquilonarium incolæ id ita eſſe affirmant, eorumque teſtimonio, qui id nouerant, vtitur Surius Commentario anno Domini 1504. *Non longe* (inquit) *à Cazanenſibus Tartaris quadam Inſula à grauiſſimis viris narratur ſemen quoddam inueniri non abſimile peponum ſemini, paulo tamen maius, & rotundius, ex eoque in terram condito quiddam agno ſimillimum enaſci, quinque palmarum altitudine: nam & caput, oculos, aures, cæteraque omnia in formam agni recens editi, pellem etiam ſubtiliſſimam habere, qua permulti his in locis ad ſubducenda capitum tegmina vtantur: tum quoque plantam illam, ſi tamen ſic dicenda ſit, carnem quidem nullam, attamen ſanguinem habere, ſed carnis loco materiam quandam cancrorum carni perſimilem: vngulas vero, non vt agni, carneas, ſed pilis quibusdam ad cornu ſimilitudinem veſtitas: radicem illi ad vmbilicum ceu ventris medium eſſe: viuere autem tantiſper, donec depaſtis circum ſe herbis, radix ipſa pabuli inopia areſcit, denique miram eius ſuauitatem, quæ lupos & cætera rapacia animantia ad eam deuorandam inuitet. At hoc quidem propemodum commentitium eſſe videtur, niſi à multis minime contemnendis hominibus confirmaretur; ſed quid præpotenti Deo difficile eſt? quem admirari & laudare debemus in operibus eius.* Hæc ille. Ex quo multa quidem colliguntur naturæ miracula vna ſimul: ſed illud præ cæteris eſt admirabilius, plantam radicibus fixam eſurire & edere, ac belluarum more paſci herbis, ex oreque ſumere humorem plantam, qua radix viuat: non autem, vt in cæteris plantis eſt, radicem humorem è terra ſugere, quem ramis omnibus communicet.

PH. Niſi vir tantus, & alii, qui ſupra memorati ſunt, id affirmaſſent, ob rei nouitatem, & toti orbi incognitam, difficile fidem hiſtoriæ adhibuiſſem: cum ipſe hæc ſcriberet, iam verebatur ſibi fidem non adhibendam, ſcripſit tamen homo grauiſſimus, quia virorum, ſcriptorumque auctoritas, vnde didicerat, ipſum permouerant. Nos quoque ne Dei gloriam videamur imminuere, ac cæteris plus ſapere velle videamur, ita credimus, fides, quæ manet penes auctores, ſit nobis quoque communis; non enim eſt difficile perſuaſu aliquid plantæ ſimul, & animantis ſpeciem tenere, vt iam de marinis ſpongiis meminimus, quæ cum hæreant radicibus, ſenſum tamen ac ſanguinem habent, quas, quia paſſim nobis ſpectatæ ſunt, non ambigimus vtramq; ſpeciem continere: hoc vero quoniam rarius, atque à nobis remotius, difficilius videmur admittere.

TH. Id ita eſſe neque ego ambigo: nam & aliæ ſunt herbæ, quæ videantur habere ſenſum, & de iis nemo addubitat, ob auctorum grauitatem: ſcribit enim ex Ioſepho belli Iudaic. Zonaras hæc verba: *Iuxta Macheruntem Iudææ caſtellum in Septentrionali valle Baar locus eſt, qui radicem gignit eiusdem nominis, colore flammeo, veſperi iubar quoddam eiaculantem, ſed captu difficillimam: refugit enim neque prius conſiſtit, quam vrinam mulieris aut ſanguinem menſtruum affuderis; ac tum eam attingentibus indubia mors imminet, niſi quis eam radicem de manu ſuſpenſam abſtulerit: capitur etiam alia ratione citra periculum: nam vndique eam circumfodiunt, vt eius quam minimum terra tegatur, deinde canem ei alligat, qui cum Dominum ſuum comitari cupit, illa facillime euulſa ſtatim moritur; accipientibus vero eam poſt nihil eſt periculi: expetitur autem ob vnam virtutem: nam dæmonia, cum aliquem obſident, ſi ei ægrotanti admoueatur, facile expelluntur.* Hæc Zonaras tomo primo de excidio Hieroſolymitano. Alterum autem huius herbæ eſt miraculum, refugere eam, ac ſe capi non permittere, vt animantia ſolent: alterum eſt etiam maius, quod inde adeo effugiant dæmones, vt proximam vel eradicatam non patiantur: ſed id magis diuinæ virtutis, quam naturę vis eſt; nihil enim

Baar herba obſeſſis imprimis ſalutifera.

naturale dæmones ſponte effugiunt, ſed id tantum, quo diuinam in ſe vindictam reminiſcuntur.

EQ. Eſſe autem in hac planta ſanguinem, quem forte oderint dæmones contingit: ſanguis enim menſtruo illo mulieris ſanguine niteſcit in hac planta occulta, inexplicabilique virtute: atque ita ob eius memoriam refugiunt dæmones.

TH. Forte id quoq; verum eſt, ſed non legimus in hac herba Baar ineſſe ſanguinem, ſanguineumve ſuccum, ſed illos tantummodo nocturnos radios, aut iubar, quo illuſtris eſt. Idq; forte etiam oderit dæmon totus tenebricoſus, quem torquet caſus, quo lucem deſeruit, recordatio. Sed de hac re plus ſatis.

PH. Poſſunt ſupra herbarum naturas ii, qui Deo famulantur: in eis enim etiam ſanguinem inuenire, qui ibi non ſit, poſſunt, quando ita erga Deum pietas augeatur: Sanctus enim Martinus magnum in modum affectus erga ſanctos Martyres Mauritium ac ſocios, cum neque eorum ſanguinis vllas reliquias, quas vehementer expeteret, vt à plebe colerentur, haberet, exempto vagina cultello apud Agaunenſes gramen comprehendens ceſpitem incidit, ex quo denſus, copioſusque ſanguinis imber diſtillare cœpit, vaſculaque illo repleuit, atque Eccleſiam ex eo Metropolim Turonenſem conſecrauit: Ex Epiſtola Canonicorum Caſtri noui in Galliis apud Surium tomo quinto in vita SS. Mauritii & ſociorum, menſe Septembri.

TH. Hinc illa alia Sanctorum miracula, vt herbæ ipſæ tametſi aridiſſimæ ac ſine ſucco, ad amplificandam illorum memoriam ſuccum ſponte gignant, ac velut viuentes aut virentes, cum tamen mortuæ aridæque ſint, aliquo tempore, dieque conſpiciantur. *Lilia.* Lilia etenim toto anno mortua, atque arida ipſo Sancti Seueri feſtiuo die ſemper florere conſueuerunt, vt memorat Gregorius Turonenſis glor. Confeſſ. c. 51. At quamquam eadem miracula Ethnicis videantur accidiſſe, quibus aridiſſimæ quoque ſcopæ floruiſſe aliquando memorantur, tamen id ad eorum ſuperſtitionem pertinuit fallacia diaboli: cum enim huiusmodi aridæ ſcopæ floruiſſent, Romæ creditum eſt humiliſſimos & deſpicatiſſimos homines ad excelſos gradus aſcenſuros: nam tum Maximinus ignobilis præfectura Prætoriana in vrbe eſt auctus, vt Ammianus Marcellinus tradit lib. 28. At apud Chriſtianos quidquid ad plantarum iam aridarum refloreſcentem virtutem pertinuiſſe legimus, Dei miraculum fuit, & ad religionis erga eius Sanctos augmentum, vt in arboribus diſſeremus pluribus.

EQ. Sed nunquid ſenſus ineſt, cum arida floreſcunt? aut mortuus in illis vigor reſurgit?

PH. Id neque à reſurgente vi accidit, neque à ſenſu, ſed à diuino miraculo in ſanctitatis teſtimonium: id enim, quod de liliis modo diximus, æquiſſima ratione eſt actum. Seuerus enim Presbyter vir piiſſimus conſueuerat Eccleſiam liliis exornare: ipſo poſtea defuncto, quæ lilia adhuc appenſa viſebantur, & ob diuturnitatem temporis iam adeo arida, vt in puluerem abire viderentur, prope ipſius ſepulcrum ipſa, qua ille obierat die, manant folia, ſequuntur flores, non aliter, atque irriguis hortis lilia florent: augeturque eo nomine miraculum, quod nulla humo, nullo humore lilia huiusmodi poſſunt humectari, niſi diuino, cum appenſa maneant, ſintque proxima omnia arida, ipſa vero extra intusque aridiſſima. Itaque non reſurgit in illis natura, ſed ea tantum die ibi elucet virtus diuina. Sunt

na. Sunt tamen herbæ quædam, quæ tametſi frigore oppreſſæ inareſcant; ipſo tamen brumali die in tectis ſuſpenſæ, contempto hyemali tempore, florent, velut Pulegium, vt Plinius memorat lib.2.cap.41. Sed id ita natura inditum illi eſt: rumpuntur enim intentæ ſpiritu membranæ, vt eo loco Plinius ait: Propterea antiquis fuit in eſca, animique moderationem ſignificabat, vt Alciatus illo expreſſit carmine: *Pulegium hyeme floret.*

Pulegium antiquæ ſobrietatis olus.

Et reuera ea Pulegii natura, quæ hyeme floret, rigente vbique frigore, fortem virum indicat in aduerſis florere.

TH. Paulus Apoſtolus id expreſſit ſuis verbis, cum dixit: *Cum infirmor, tunc fortior ſum.* Et alibi: *Virtus in infirmitate perficitur:* id enim accidit, quia oculi eius ſemper ad Dominum.

PH. Hinc illa Eliotropii herbæ vis, quoniam ſemper ad Solem vertit ſe, ſuaque folia: vt ita floreat iucundius; hominem inde docens ſemper florere, ſemper iucundum eſſe, ſi rectam mentem, verba, actusque ſuos in Solem Chriſtum dirigat. Eſt enim Eliotropii natura, vt Plinius tradit lib.2.cap.41. *Abeuntem Solem intueri ſemper, omnibusque horis cum eo verti, & nubilo obumbrante.* Adiicit autem Iſidorus lib.17.cap.9. *Eliotropium nomen accepiſſe, quod æſtiuo ſolſtitio floreat, & quod Solis motibus folia circumacta conuertat: nam & Sole oriente flores ſuos aperit, & ſero claudit, cum Sol occubuerit.* Hæc ille. Quæ non ita accipienda ſunt, vt ſit aliquis in Eliotropio ſenſus, quo Solem lubens ſequatur, ſed is Solis virtute ad ſe omnia conuertente fit. Ita quoque in homine, qui Deum ſequitur, in eumque mentis oculos perpetuo figit. Chriſti gratia operatur omnia: infundit enim eam conſentienti; adiicit etiam gratiam concomitantem, dat quoq; perſeueranti gratiam ſubſequentem, vt videas etiam herbas ad Theologicam facultatem nobis imprimendam aliqua ratione fuiſſe creatas.

TH. Erit igitur ab hac herba pia ſimilitudo trahenda, ſicut erit magnæ impietatis ſymbolum in Chamæleonte herba; quod cum Solem non ſequatur, omnium tamen rerum, cui proxima adhæſerit, colores induit, vti Chamæleon animal, vnde ipſa nomen accepit, ſolet accipere. Plinius enim lib.22.cap.18. *Chamæleon* (inquit) *herba mutat cum terra colores, hic niger, illic viridis, alibi cianeus, alibi croceus atque aliis coloribus.* Hæc ille. Vt ita Protheum referat, quisquis huic herbæ comparabitur. Sed de illa hactenus. *Chamæleõ.*

PH. Eſt tamen herba hæc corporibus valde ſalutaris medica arte; ipſa tamen herba non prodit vitium odoris, & ingrati aſpectus etſi proſit ægrotanti aliquãdo, vt prodeſt Tyrannus vexans viros probos: non enim ideo laudandus eſt impius, ꝙ Martyres mittat in cœlos, quod ad æternam gloriam exerceat, purgetq; Confeſſores. Sed agamus nunc de venenatis herbis.

EQ. Erunt forte omnes herbæ venenum iis, quorum corporis conſtitutio eas in edulium non ferat.

PH. Non agendum eſt nobis de male affectis corporibus, quibus vel optima quæque noxia ſunt: ſed de iis oleribus aut graminibus, quæ etiam bene conſtitutis corporibus obſunt, velut ea herba eſt, quæ in Auſtrali Inſula ab Iambolo comperta eſt, in qua quisquis iaceat, leni quidem ſomno mox opprimitur, & poſt ſomnum æneum affert, quem mortem dicimus. Id memorat Diodorus lib. 2. Ramuſius tomo 1. Erit igitur longe magis noxia, ſi quis in edulium eam ſumpſerit, quando vel

ſolo contactu aut odore, occultave illa vi hominem dormientem necat. Sed quid Auſtralium Inſularum gramina memoramus? nobis proxima eſt Sardinia Inſula. In ea Sardonia herba eſt, quam alii Ranunculum nuncupant: eam quiſquis ederit, riſu ſoluitur, moriturque repentina neruorum contractione, vt Leander memorat: ſed de hac re libet Solini verba recenſere cap. 9. *Sardonia* (inquit) *ſi edulio fuerit, veſcentibus neruos contrahit, rictu ora diducit, vt qui mortem oppetunt, velut ridentium facie intereant.* Hæc ille.

Sardonia homines ridēdo necat.

EQ. Vt vbiq; parata eſſe diſcamus pericula, tradunt apud Indos laurino folio ſpinam eſſe, cuius liquor aſperſus oculis cæcitatem infert omnibus animantibus. Plinius lib. 12. cap. 3.

PH. Et de Cruſtumino fœno quis vnquam rationem inueſtigarit? ibi enim natum noxium eſt, extra vero illatum eſt ſalutare, vt Plin. tradit lib. 2. c. 96.

TH. Rododaphnes hæc ſuperat miracula: homini equidem eſt ſalubris herba, at reliquis animantibus mortifera; quin aduerſus reliqua venena homini eſt antidotum, iumentis ipſiſſimum venenum, de ea Plin. lib. 16. cap 20. & lib. 24. c. 11. *Herba* (inquit) *dicta Sabina, aliis Rododaphnes ſempiterna fronde roſæ ſimilitudine caulibus fruticoſa, iumentis, capriſq; & ouibus venenum eſt; eadem homini contra ſerpentum venena remedio.* Scribit enim Dioſcorides lib. 4. Econtra vero Napellum herba homini præſentaneum venenum eſt, paſſeribus vero ac turdis ſaluberrima eſca, vt Albertus Magnus memorat de animal. lib. 25. cap. 2. Propterea Ladislaus Neapolitanorum Rex per inſidias Phyſici cuiusdam, cuius filiam ille ſtuprarat, hoc Napello cum ipſa muliere necatus eſt, vt tradit Collenutius compend. lib. 5. Adeo varia ſunt, quæ natura condidit, vt iumentis aliquando necem, hominibus beneficium conferant: aliquando homini necem, animantibus ſalutē eadem ex re præbeant, ſed id ad myſterium pertinet: nam de Rododaphne inſignes viri ad Chriſtianarum mores, fidemque Catholicam myſteria traxerunt. Sacra enim Scriptura, malis, impiisque interpretibus, qui velut irrationalia iumenta vitam agentes voluptatibus deditiſunt, venenum eſt, quandoquidem falſo ſenſu eius verba, ſenſaque interpretantes, ſeſe quaſi ſpiritali veneno conficiunt, & vt belluæ moriuntur. Homines vero, id eſt, qui recta vtuntur ratione, mites ſunt, obſequunturq; piis Eccleſiæ præceptis, ac ſequuntur eiusdem interpretationes, eam ſibi inueniūt ſalutarem: Catholici enim ab hæreticis eo differunt, quo hoc à iumentis: hæreticis igitur noxia eſt Scriptura, Catholicis vero ſaluberrima: id tradidit optimus, ampliſſimusq; Stanislaus Hoſius Cardinalis Warnienſis libro de expreſſo verbo Dei, non longe à calce his diſertiſſimis verbis: *Nihil eſt* (inquit) *ſcripturarum lectione melius, nihil vtilius; ſed planta quædam eſſe dicitur Rododaphne, cuius folia quadrupedibus venena ſunt, hominibus præſidia aduerſus ſerpentes. Eadem eſt ſacræ quoq; Scripturæ ratio, quæ ſicut ſobriis ac prudentibus ſalutarem præbet alimoniam, ita ſtultis & impiis hæreſeos, & maioris impietatis miniſtrat occaſionem.*

EQ. Ex hac igitur piiſſima ſimilitudine nemo non animaduertit, omnes ſui caſus eſſe cauſam: nemo hæreticus niſi à ſeipſo, nemo malus, nemo impius, niſi ſuæ libidine voluntatis, cum ſe in beluam moribus, incredulitateq; transformet. Nulla eſt in ſacris Scripturis erroris occaſio; nullū in ea venenū, nulla in ſcripturis obſcuritas pernicioſa, nihil ibi contrarium, nihil irrationale, nihil impoſſibile, nihil abſonum: ſoli ii, qui libidine voluntatis ducuntur, incidunt in foueas, incidunt in venena: ac velut araneæ, tametſi ſuauem ab herbis ſuccum ſugant, vertunt tamen in vir-

in virus: quod contrarium eſt apibus, vt ex herbarum plantarumque ſucco quantumlibet amaro mel conficiant. Hæretici igitur ſuauitatem veritatemque ſcripturarum ſuo mentis alueo in virulentiam vertunt, vt araneæ: in mel autem vertunt apum more, quæque perdiſcunt Catholici; mortem igitur cum Manichæis ſibi omnes hæretici à ſcripturis pararunt, acciditque illis, quod odoriferæ cuidam innominatæque herbæ apud Indos compertæ accidere tradit Plinius lib. 12. cap. 8. Scribit is, odoriferam herbam per ſingula folia abdere ſerpentes minutulos, quorum ictibus læſi protinus moriuntur. Scriptura certe odorifera omnibus herba eſt, ſed vt latent ſacra veraque filiorum myſteria, ita ſub iiſdem ſe abdunt ſubdolæ hæreticæque diabolica ſuaſione interpretationes, quas qui ſequatur, moriatur Eccleſiæ neceſſe eſt: hæreticam enim prauitatem audire ac ſequi nil aliud eſt, quam ſerpentum morſibus exponi.

TH. Felicius ſuccedit ſcorpionibus quam hæreticis ſcripturam perperam interpretantibus: nam illorum obitus ſi acciderit venenatæ herbæ contactu, poſtea Elleboro ad vitam reſtituuntur; at hæretici neque Elleboro reſipiſcunt vnquam, neque ad vitam reſtituuntur: ſcribit enim Ælianus lib. 9. cap. 27. Tellitrophium herbam, ex Theophraſti ſententia, ſi ad ſcorpii dorſum admoueas, illum ſtatim perimere: at ſi contra candida Elleboro poſtea obliniatur, ſcorpius ad integritatem valetudinis reſtituitur. Vtinam hæretici poſtquam Tellitrophio perempti cum ſcorpiis ſunt, cum ſcorpiis quoque Elleboro reſtitui expetant, ſed vt nulla ratione, nullis conſiliis ad frugem poſſunt conuerti, ita etiam Ellebori vis in illis eſt inanis. Imo vt ſalutaribus conſiliis illi ob contemptum agnitæ veritatis fiunt deteriores, ita Elleborum illis non ad reſipiſcentiam, ſed ad venenum quoque foret: Elleborum enim alio modo eſt cibus, alio modo medicamentum, alio modo venenum, præcipue vero id eſſet hæreticis. S. Auguſt. de moribus Manich. lib. 2. c. 8. Sunt igitur ſcorpiis hæretici lónge deteriores.

PH. Deteriores ſunt hęretici reliquis omnibus infidelibus, eritque nobis Diuus Hieronymus teſtis in hæc verba: *Facilius* (inquit) *eſt furori gentilium occurrere, raptosque populos à beſtiali ſcientia ad fidei pietatem prædicando conuertere, quam hæreticum quemlibet ſui perfidia dogmatis confidentem ad fidem rectam reuocare.* Hęc ille. Id noſtro ſeculo experti ſumus, quando è Germania atque Anglia, ac reliquis adiacentibus prouinciis hæretici pertinacius in perfidia perſtiterunt, perſtantque, cum tamen Orbis nouus, atque Indi etiam nobis antipodes nullo fere negotio, dimiſſo gentiliſmo, Chriſtianam Catholicamque pietatem complexi ſunt adeo magnum in numerum, vt plures ibi Chriſti Baptiſma ſubierint, quam ſit hæreticorum eorum numerus, qui ab Catholica fide in omni Europa defecerunt. Propterea vt pateat, Deo vero magis hærere nos, qui Catholicam fidem ſequimur, quam hæreticos, quin ab ipſis Deum auertere faciem ſuam, exoſosque habere, & ab ouibus ſuis ſciunctos, inde argumentum trahi poteſt, quod in ſua propaganda fide dedignatus eſt, quempiam ſibi eſſe miniſtrum, qui aliqua hæreſi fuerit contaminatus; à vera vinea Sabaoth, à veris ſui cultoribus, & in recta fide perſeuerantibus voluit nouæ vineæ plantationem inaugeri, vt optimas vires, atque earum ſurculos eo transferendos curauerit Chriſtus, non autem labruſcarum vllum ſurculum ad ſuæ propagationem fidei admiſit: nam ſi animaduertamus, perpendamusque diligenter, comperiemus, nullam vnquam regionem hæreticos ad Chriſti fidem conuertiſſe, ſed tantummodo iam conuerſos ſua perfidia corrupiſſe, vt ita valeant tantummo-

do ad perimendas animas, ad ſaluandas autem nulla illis vis, nulla ſit conceſſa facultas; propterea Ethnici, ac quilibet extra fidem Chriſti poſiti, hæreticum odorem adeo vel inſcii oderunt, vt audire eos, ne dicam credere, non ſuſtineant: audiuntur tamen ipſi magna ipſorum pernicie à falſis Chriſtianis, in qua re libet herbæ ſimilitudinem recolere hoc loco: ſicut enim Catholica fides frumento comparata eſt, ipſo doctore Chriſto, ita hordeum hæreticam prauitatem, pabulumque belluinum indicat. At vt Ariſtoteles tradit de admir. cap. 111. locus quidam apud Scythas eſt non valde exiguus, qui viginti ſtadiorum ſpatium complectitur, in quo naſcitur hordeum, quo vtuntur quidem homines, at equi, boues ac reliqua omnia bruta exhorreſcunt, canes ſuesque tanto odio, vt hominum egeſtum illud ſtercus etiam exhorreant, velut mortiferum. Eſt igitur hoc hordeum hæreticorum doctrina, afficit certe infirmos, inſtabilesque in fide homines, iam Chriſti titulo inſignitos, at bruta quæque, id eſt, gentiles, idololatræ, atheiſtæ quoque ipſi adeo eorum dogmata exhorreſcunt, vt peſtiferum quidpiam eſſe agnoſcant, neque attingant, ſi integrum ac ſolidum eſt, neque ſi digeſtum, aut aliis rebus mixtum proferatur, aſſumant, vt ita hæreticorum perfidia nulla ſit Orbis parte ab Ethnicis admiſſa, ſiue proferatur ſolida aut explicita, ſiue proferatur obtrita aut egeſta, aliisq; mixtionibus velata.

TH. Appoſitiſſime certe & ſapienter deducta ſimilitudo, quandoquidem zizania loliumque hæreticorum dogma eſt, quo inficiuntur, qui cum frumento vel inſcii & incauti aluntur, velut animo ſtupefacti. Eſtq; alia præterea à nobis in idem proferenda ſimilitudo: irrigare nituntur quidem hæretici populorum animos ſuis aquis, at eos necant, cum tamen irrigatio herbis plantisque alioqui ſit valde vtilis, ſed quia peſtiferæ aquæ eorum ſunt, necant herbas, non autem fruges, aut plantas. Scribit enim Plinius lib. 17. cap. 26 *In Sulmonenſi Italiæ agro Fabiano, vbi arua rigantur, herbas aqua illa irrigatas necari, fruges vero ali, & irriguum pro ſarculo eſſe.* Hæc ille. Ita certe contigit hæreticorum irrigationi: herbas enim, quæ in terra ſerpunt, homineſque terrenarum rerum, commodorumq; cupidos necant; fruges vero ac plantas, quæ operibus bonis incumbunt, ac velut in cœlum tendunt, non necant, quin illi aduerſaria ea aqua magis coaleſcunt & proficiunt; præſtat igitur irrigatione hæretica carere, quam irrigari infirmos. Irrigationem autem herbarum ſignare ſpiritalem in fide profectum docet nos Diuus Gregorius dialog. lib. 3. c. 34. ex Ioſue cap. 15. *In ſacra* (inquit) *veracique hiſtoriæ figurata narratione deſcribitur, quod Axa filia Caleph ſedens ſuper aſinam ſuſpirauit, cui dixit pater ſuus: Quid habes? at illa reſpondit: Da mihi benedictionem: Terram Auſtralem & arentem dediſti mihi, iunge & irriguam. Deditque ei pater ſuus irriguum ſuperius, & irriguum inferius. Axa quippe ſuper aſinam ſedet, cum irrationalibus carnis ſuæ motibus anima præſidet, quæ ſuſpirans à patre terram irriguam petit, quia à creatore noſtro cum magno gemitu quærenda eſt lachrymarum gratia: ſunt namque nonnulli, qui iam in dono perceperunt libere pro iuſtitia loqui, oppreſſos tueri, indigentibus poſſeſſa tribuere, ardorem fidei habere, ſed adhuc gratiam lachrymarum non habent. Hi nimirum terram Auſtralem & arentem habent, ſed adhuc irrigua indigent, quia in bonis operibus poſiti, in quibus magni atque feruentes ſunt, oportet nimirum vt aut timore ſupplicii, aut amore cœleſtis regni, mala etiam, quæ antea perpetrauerant, deplorent. Sed quia duo ſunt compunctionis genera, dedit ei pater ſuus irriguum ſuperius, & irriguum inferius. Irriguum quidem ſuperius accipit anima, cum ſeſe in lachrymis cœleſtis regni deſiderio affligit. Irriguum vero inferius accipit, cum inferni ſupplicia flendo pertimeſcit.* Hactenus ille. Vt igitur cœleſti rore ir-

re irrigata gramina adoleſcunt, ſemperque proficiunt in melius, ita quæ ab impietate hæretica irrigantur, velut inferiore irrigatione ſemper proficiunt in peius. Sed de hiſce rebus plus ſatis.

EQ. Vt irrigatione opportuna proficiunt herbæ omnes ad incrementum, ita nimiis aquis opprimuntur, obruta virtute: hoc accidit & viris fide non conſtantibus, quando tentationis tempore recedunt à fide; ſed vbi conſtantiſſime aquarum, id eſt, tribulationum perferunt inundationem, proficiunt ſemper in melius: vt enim irrigatio lenem diuinam ſignat viſitationem, ita inundatio aduerſarum rerum ſucceſſum indicat, ex qua ſemper pii viri emergunt, Pſalmo 66. id teſtante his verbis: *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam, infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia: veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* Hæc ibi, ad demonſtrandam vim illam tribulationum maximam, at ſe deficere obruique, aut vinci non exprimit: nam ea omnia ſe ſuperare oratione ſua indicauit ibi: *Eripe me de luto & de profundis aquarum, non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum.* Hæ igitur ſunt orationes Sanctorum, ne à tribulationibus ingruentibus vincantur. Herbarum enim vicem populi tenent, fœnum enim nuncupantur, vt nos docet Diuus Gregorius ſuper ſeptem Pſalmos ad quintum, ad illa verba: *Percuſſus ſum vt fœnum.* Propterea de herbarum multitudine, quæ etiam in aquis viuunt, numquam obruuntur, velut ingentia prata, vnde fœnum ſecatur colligiturque, agendum cenſeo, vt ita cum obrutæ aquis herbæ videantur; vegetentur tamen magis, quam Sole: prius autem commemorabo eam herbam, quæ ignem gignit, qui nulla vi aquarum poſſit extingui, id habet Solinus c. 23. *In Myſia* (inquit) *in ea parte, quæ Pontica eſt, herba genus eſt, qua inficitur oleum, quod vocant medicum, hoc ad incendium excitatum ſi obruere aqua geſtias, ardet magis, nec alio ſopitur, quam iactu pulueris.* Hæc ille. Vnde recte trahi poſſe myſterium cenſeo, inſuperabilem eſſe Catholicorum virorum charitatem, quæ oleo ſignari conſueuit ſacris literis; vbi enim exardeſcit herba illa ſuperadiecta, nullis aduerſis, nullis proſperis poteſt extingui aquis, augetur in virtutem potius maiorem, ſolo autem puluere ſopitur, id eſt, nimia rerum terrenarum cura; ob eam enim ſolam charitas ſolet refrigeſcere.

PH. Propterea illæ herbæ, quæ in Patauino ſolo ſemper virent, à feruentibus aquis exortæ & irrigatæ, vt tradit Plinius lib. 2. cap. 103. feruentem piorum hominum ſocietatem ſignant.

TH. Non incongrue: ſed illas ingentes herbarum copias, quæ maritimos fluctus operiunt, & quæ ex imo mari in ſummam ſuperficiem vſque excreſcunt, cum in frigida ſint, numquid putabimus ad viros fortes poſſe ſua ſimilitudine pertinere?

EQ. Ego non inconcinne illud eſſe exiſtimarim: contemptibiles enim inter plantas ſunt herbæ. Si irrigentur, & adoleſcant in ſolo, nihil ob eam rem admiramur, ſed quod in imo mari radices emittant, numquam Sole tactæ adoleſcant, ſuperentque ſuperficiem maritimam non obrutæ, vt ad naturæ miraculum ea res ſpectat, ita fortium virorum ſummam virtutem indicat, qui obnitentes ſemper aduerſis rebus, infortuniaque omnia ſuperantes tandem in ſummam gloriæ lucem emergunt. Sed quæ dicimus, vt manifeſtiora fiant, narranda ſunt hæc naturę miracula, cum herbæ ab imo mari exortæ emergant magna diſtantia etiam ſupra ſuperficiem. Indico enim mari, cui Pacifici nomen eſt, iuxta Inſulam Caghaiam ex ipſo maris profundo herbæ radicibus fixis eriguntur, vſq; ad ſuperficiem peruenientes

longo interuallo: eminent enim etiam non parum. Anton.Pigaf. In Oceano quoque Orbis noui adeo denſa eſt omnifariam herbarum copia ex imo mari enata, & ſuperficiem ſuperans, vt amœniſſima prata eſſe cenſeantur, quæ maria ſunt, non modo colorum varietate iucundum proſpectum præbent, verum etiam ſyluarum amœnitatem ſimilitudinemque præſtant: ſunt autem adeo ſimul inuicem connexa ipſa herbarum capita ramuſculique, vt nauigiis impedimento ſint, ac retium more implicent transeuntes, ne aut progredi aut regredi liceat; quod vero maximum in modum eſt viſui periucundum, ventis pelluntur fluctus herbarum floribus obtecti, ac rurſum redeunt, non aliter, ac ſi prata ipſa ſegetesve, quæ multum adoleuerint, vento motæ velut vndas exhibent: hæc illo mari ſe ſpectaſſe, & impedimenta paſſum tradit Chriſtophorus Columbus, & ex illo quoque memorat Ouet.hiſt.lib.2.cap.5. Hæc autem præcipua ſunt in Pario mari, vt Petr.Martyr adnotat ſumm. Ind. Ne vero quiſquam putet paruam ibi maritimorum fluctuum altitudinem, tradunt ii, qui ea loca luſtrarunt, herbam in imo radicibus fixam, ad 40. palmos recta vsque ad ſuperficiem aſcendere: tanta enim ibi maris altitudo eſt; deinde emergens erigitur rurſum ad palmos quindecim, vt ita vnius herbæ ceſpes prope ſexaginta palmorum longitudinem æquaſſe videatur, cum ea potius arborea altitudo habenda ſit. Id memorat Franciſcus Vlloa loci ſpectator apud Ramuſium Tom.3. Perſimilem herbarum copiam ex aquarum profundo emergentium, & immenſas paludes occupantium, ne nauigiis aut peditibus traiici poſſint, retulere Neroni centuriones duo miſſi exploratores ad perueſtigandam Nili originem; cum iis collocutus eſt Seneca Natur.lib.6.c.8.

PH. Emergunt aliæ herbæ alibi è mari diuerſo miraculo. Nam oculatus teſtis Alexander Magnus cum in Orientis Indos penetraſſet, comperit frutices atque herbas imo mari radices emiſiſſe, viruiſſeque frondibus reliquarum herbarum more; at vbi extra aquæ ſuperficiem eminerent, frondes huiusmodi Sole tactę verſæ ſunt in ſalem, idque eius milites experti conteſtati ſunt. Plin.lib.13.c.25.

TH. Iure equidem, cum è mari capite emerſerint herbæ illæ, in ſalem vertuntur. Redduntur enim longe ſapientiores ii, qui deuicta tribulatione in cœlum tendunt, Pſalmiſta docente: *Bonum mihi, quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas.* Et alibi, *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt:* quin non modo ſapientia accedit, verum & maior animi fortitudo, ac vigor quidam etiam purpureus ad Coralli imitationem. Eſt Corallium frutex herba ve imo mari naſcens, de ea ita Solinus cap.7. *Liguſticum* (inquit) *mare frutices procreat, qui, quantiſper fuerint in aquarum profundis, fluxi ſunt, tactu prope carnulento: deinde vbi ſupra attolluntur, germinis natalibus derogatis, lapides fiunt, nec ſolum qualitas illis tantum, ſed & color vertitur: nam puniceo protinus erubeſcunt; ramuſculi ſunt, quales arborum viſimus, ſemipedem frequentius longi, rarum eſt pedaneos deprehendi, Cyrallium alii dicunt.* Hæc ille. Cui accedunt quæ Plin. lib. 32. c.2. tradit enim: *Corallium etiam imo mari radicatum & merſum fructus edere; baccas enim gignit, quæ ſub aqua molles ſunt, exemptæ confeſtim dureſcunt in lapidem, & rubeſcunt, auctoritas baccarum huiusmodi non minus Indorum viris quoque pretioſa eſt, quam fœminis noſtris vniones Indici.* Hæc ille. Corallio igitur perſimilem dicemus viri piam fortitudinem, qua tribulatione exemptus in ſplendentem quandam animi firmitatem tranſit: ſub enim fortior ſurrexit, ſplendidior ac longe felicior, poſtquam deuictis aduerſis ſucceſſibus velut è mari emerſerat, quod & Tobiæ accidit; propterea & Paulus dicebat, *Cum infirmor, tum fortior ſum.* Inuadente enim tribulatione, ipſis initiis homo

Corallium.

mo mollior quidem eſt male inſuetus; at vbi deuicerit, velut de cœlo confirmatus id experitur, quod Apoſtoli Hieroſolymis: ibant enim gaudentes à conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Quid enim aliud eſt Corallium è mari emergens rubere, quam ad martyrium etiam anhelare eos, qui magna paſſi Chriſto magis ac magis coniuncti ſunt? redduntur enim eorum ſtolæ purpureæ in ſanguine Agni. De Corallii laudibus non modo prophani ſcripſere, ſed & ſanctiſſimi viri. Baſilius enim in exem. hom. 7. ſic habet: *Corallium* (inquit) *in mari quidem frutex & planta eſt: cum vero in aerem prolatum fuerit, ad lapidis ſoliditatem transgelatur.* Hæc ille.

EQ. Ad Corallii vim prope accedunt marini iunci, ſimilemque fortitudinis in viro virtutem referre poſſunt: nam tyrannicam perſecutionem nobiles quidam cum neque ſuperare, neque æquare viribus poſſent, conſtanti animo vim quidem, vltroneo ſuſcepto exilio, pertulerunt, & quantus eorum pectoribus vigor eſſet, conficto ſtemmate oſtenderunt: appictos enim iuncos fluctibus repercuſſos præferebant, hoc hemiſtychio addito: *Iunci.*

Flectimur, non frangimur vndis.

Hos proceres non ad nudos quoslibet iuncos putarim alluſiſſe, ſed ad eos, qui apud Indos Alexandri nauigatione comperti ſunt. Vt enim noſtro Europæ cœlo iunci molles ac flexibiles ſunt, & quoquo propellantur illæſi vertuntur, neq; franguntur quauis maxima fluctuum alliſione, ita maiore miraculo in India comperti ſunt iunci inſignes. Alexandri enim milites, qui eo nauigarunt, retulerunt iuncos lapideos perquam ſimiles veris per littora reperiſſe. Plin. lib. 13. cap. 25. His igitur ſe comparari voluiſſe nobiles illos vim patientes cenſendum eſt.

PH. Ita hæc herbarum durities eo certe nomine inſignis eſt, quod è molli re fiat vertaturque; ſed admiranda longe magis Cobuyæ herbæ mollities, ex qua fila confecta ferri, ac marmorum duritiem ſecent, vti alias diximus.

TH. Sunt & herbæ, quæ ignem vincunt, quo omnia ſuperantur. Erit nobis Solinus primus teſtis. Scribit is, in Creta carbaſa eſſe, quæ inter ignes valeant, ſed id habet explicatius Plinius lib. 19. c. 1. *Inuentum* (inquit) *eſt linum, quod ignibus non abſumitur, viuum id vocant, ardentesque in focis conuiuiorum ex eo vidimus mappas, ſordibus exuſtis ſplendeſcentes igni magis, quam poſſent aquis. Regum inde funebres tunicæ corporis fauillam ab reliquo ſeparant cinere: naſcitur in deſertis aduſtisque Sole Indiæ, vbi non cadunt imbres, inter diras ſerpentes: aſſueſcitque viuere ardendo, rarum inuentu, difficile textu propter breuitatem. Ruffus de cætero color, ſplendeſcit igni. Cum inuentum eſt, æquat pretia excellentium margaritarum. Vocatur autem à Græcis Asbeſtinum ex argumento naturæ. Anaxilaus auctor eſt, linteo eo circumdatam arborem ſurdis ictibus, & qui non exaudiantur, cædi.* Hæc ille.

EQ. Strabo videtur his concinne ſcripſiſſe lib. 10. Creticum enim linum quaſi à Cyprio differat appellat, traditque petram eſſe, quæ attrita, capillamentis tantum remanentibus, excuſſa terrea materia, pectinibus aptari, contextamque telam inde peroptime confici: eam autem igne non vri, ſed ſordidatam in ignem proiectam emundari. Et ne ſolis veteribus fides adhibeatur, nouiſſimus Podocattarus Cyprius eques, qui de rebus Cypriis hoc ſeculo conſcripſit anno Domini 1566. linum Cyprium penes ſe habitum Venetiis oſtentabat in ignem iniiciens, illæſum ac perpurgatum, mundiſſimumq; recipiens. Verum illud magno eſt miraculo, quod huiusmodi contexta tela non ab herbis originem ducat, ſed à lapide Amianto, qui

in Cypro Inſula repertus malleis contunditur, concuſſus excuſſa terrea ſuperfluitate capillamentis ſuis lini ſpeciem retinet, ac contexitur in telam. Id viſum in Potocattari ædibus coram eximiæ virtutis viris non paucis teſtatur Thomas Porcacchius funeralium tabula 2. Propterea ex hoc Amianto linum confectum & inconſumptibile, vt perpetuo lampadibus arderet in baptiſterio ſuo Romæ Conſtantinus Imperator ſtatuerat. Damaſus in Sylueſtro Papa. Quin & Ludouicus Viues ſcholio ad Diui Auguſtini de Ciuitate Dei lib. 21. ad c. 6. teſtatur, ſe elychnia Pariſiis permulta vidiſſe, quæ lucernis ſemper ardentibus numquam abſumerentur. Mantile quoque Louanii medio conuiuio igni datum, redditumque domino mundius ſplendidiusque, quam poſſet aquis & ſmigmatis quibuslibet.

PH. De rebus tantis quis digne valeat philoſophari? Linum, quoquo te vertas, edit ſemper miracula, tum naturæ, præcipue vero diuina: primum fuerit, quod illud qualecumque ſit tinea non corrodit; cum etenim Act. c. 10. Petrus Apoſtolus in cœnaculo per exceſſum mentis viſione vidiſſet linteum magnum de cœlo ſubmitti, vbi erant omnia quadrupedum ac ſerpentum genera, deque cœlo vox inſonuiſſet, *Petre macta, & manduca,* apud Patres myſterio magno id habitum eſt, vt linteo ea fuerint viſa. Propterea recolenda nobis ſunt Diui Auguſtini verba hom. 45. ex. 50. Tom. 10. *Fortaſſe* (inquit) *quæratur, quare linteum erat, in quo erant illa animalia, non vtiq; ſine cauſa: nouimus enim, quod linteum tinea non conſumit, quæ veſtes alias corrumpit; & ideo, qui vult ad myſterium Eccleſiæ Catholicæ pertinere, excludat de corde ſuo corruptionem malarum concupiſcentiarum, & ita incorruptibiliter firmetur in fide, vt prauis cogitationibus, tamquam tineis non penetretur, ſi vult ad Sacramentum illius lintei pertinere, quo ſignificatur vel figuratur Eccleſia.* Hæc ille doctiſſime æque ac ſanctiſſime.

Tinea linteum non conſumit.

TH. Quæ linea audiuimus neque à tineis neque ab igne rodi, aut abſumi, innumera edidere miracula non naturæ, ſed ſummi Dei, vt piorum hominum rerumque ſanctitas, incorruptioque proderetur; itaque non Cyprium, non Creticum, ſed Romanum quoque ignem ſuperabit, ſi eadem fides in homine eluceat: propterea opportune reminiſci libet patrata in lino miracula ex Gregorio Turonenſi libro in glor. Confeſſ. c. 75. de Simplicio Epiſcopo alias à nobis commemorato, cui erat quidem vxor, ſed ſororis loco: integritatem enim cum illa ſeruabat. Incredulam autem plebem, quæ eorum ſanctitatem non crederet, miraculo Epiſcopus euicit: lineo enim velo impoſitum ignem per integrum horæ interuallum retinuit; neutrum enim velum, & proprium & vxoris non eſt læſum, eo miraculo cum plebs perfida credidiſſet ipſorum ſanctiſſimam conuerſationem, etiam mille ex eis ad ſacrum Baptiſma ſubeundum properarunt. Cum igitur miramur in lino Cyprio vim illam, qua ignem ſuperat, longe magis admiranda vis eſt Sanctorum, quæ quodlibet linum eadem vi præditum faciat, ſicut in tribus illis pueris in Babylone, qui cum in illam feruentiſſimam fornacem fuiſſent iniecti, thiaræ veſtimentaque eorum, quæ linea erant, ignis adeo eſt reueritus, vt illos illæſos ſineret, lineas Chaldæorum, ipſosque abſumpſerit, Dan. 3. Quod igitur in Gallia accidit Simplicio, reminiſci debemus accidiſſe & in Græcia Abbati ſanctitatis eximiæ viro. Porphyria quædam fuerat fornicaria mulier: ſtudio autem Abbatis ab eo ſcelere ad optimam frugem conuerſa apud illum vitam agebat, vti alias narrabamus, velut in aſylo, vbi optima inſtitutione confirmaretur: incidit interim, vt abiectus quidam infans ab alia meretrice præ pietate à Porphyria colligeretur foueretur que; fecit ea res, vt apud infidam plebem Abbas & Porphyria fornicationis ſuſpicionem incurrerint,

rerint, velut infantem illum ipſi genuiſſent. Coram igitur plebe Abbas in ſuam lineam veſtem ignem effudit, quæ perinde, ac ex lino Cyprio, non eſt ambuſta. Hæc ex Ioanne Eleemoſynario, Alexandrino Patriarcha, & ex Leontio Cyrrhorum Epiſcopo in eius vita, quod alias quoque commemorauimus.

EQ. Perſimilia narrat idem Gregorius Turonenſis hiſt. Gall. lib. 2. c. 1. de Britio Turonenſi Epiſcopo, de quo alias egimus, qui cum mulierem ſororis loco domi admiſiſſet, ambigeretque de eorum caſtitate plebs temeraria, ardentes prunas in proprium ipſe lineum capitis tegumentum iniecit, diu ita gerens, & longo interuallo inuſtum illæſumque plebi oſtendit, vti etiam alias diximus. Verum libet proferre inſignius, quod hoc noſtro ſeculo accidit miraculum, quo lini Cyprii vis aduerſus ignem ſuperata eſt, in lino, quod prius fuerat venale, poſtea ad diuinum obſequium translatum ac ſanctificatum ignem non ſenſit, qua parte Deo placuit, & alia parte ſenſit, vt ita diuinum miraculum amplius eluceret. Ea fuit Syndon, qua Chriſtus Dominus noſter, cum è cruce à Nicodemo & Ioſepho ab Arimathia deponeretur, fuerat ad ſepulturam inuolutus, iuxta ea, quæ ipſo Euangelio continentur Matthæi 27. Marci 15. Luc. 23. Ioannis 19. De qua re verba recolemus eadem, tametſi prolixiora, quæ alibi conſcripta legimus: Magno Sereniſſimorum Sabaudiæ Ducum ſtudio adhuc hodie ſeruatur Euangelica Syndon, in qua incredibili quadam ratione, omniumque iudicio admirabili Seruatoris ipſius D. N. Ieſu Chriſti imaginem expreſſim licet intueri, quæ partim pretioſiſſimo ſanguine figurata, partim quantum licet coniectari, eximiis vnguentis, quibus ipſe Dominus, priusquam humaretur, inunctus eſt, anterior poſteriorque corporis partes mirabiliter diſcernuntur, tum coronæ ex ſpinis contextæ locus, tum lateris, manuum pedumque vulnera diſtinguuntur, quod ſane opus, vel omnium pictorum, artificumque iudicio nulla arte aſſequi, nullo imitari penicillo, nullis coloribus exprimi fingive poſſe, quisquis acceſſerit, ingenue fatebitur: ibi enim reuerentia feruorque inſpectantis animum adeo mouent, vt ab alto diuinam adeſſe præſentiam ſe ſentire cognoſcat, eſſeq; Dei ipſius opus, non autem hominis alicuius. Seruabatur iam pridem pretioſiſſimus is theſaurus Camberio Allobrogum inſigni oppido Ducum Regia, nunc Taurino vrbe Italiæ, cum prioribus ſeculis ſeruorum Chriſti ſtudio Hieroſolymis, ac dein Cypro penes Reges ſeruatum antea fuerit hoc ineſtimabile pignus. At vbi cœpit ira Dei excandeſcere, & immanitati Turcarum regna illa exponenda permiſit, ne ſacratiſſima Syndon impiorum manibus aliquando pollueretur, ad piiſſimorum Ducum, quaſi aſylum eam migrare voluiſſe videtur, vti vetuſtiſſimi auctores tradidere, ſummique Romani Pontifices comprobarunt. Linea igitur hæc Syndon anno Domini 1532. ſecundo nonas Decembris Barbaræ Virginis feſto die, nocte media vix illabente, ſacellum, in quo ea reponebatur, flammis incognitis exarſit: accurrebant omnes, ſed omnium diligentiſſimus Philibertus Ducis à clauibus & conſiliis, aſcito ſecum ferrario fabro Guilielmo Puſſodo nomine, & Franciſcanis duobus, imperterrito animo per medios ignes gradiūtur, cancellos ignitos aræ maximæ affixos ſerasq; effringunt, Syndonem iam liquefacta capſa argentea extrahunt, & integram, cedente circum flamma, reportant. Effuſis ignibus graſſabatur incendium, abſumebantur marmora & columnæ, ſed potentiore hominum fide, viq; numinis ſuperata eſt ignis natura, fugiebant flammæ, & qui putabantur arſuri, velut frigido rore perfundebantur, ſeque ipſos ſunt admirati, velut illis quondam Hebræis pueris contigiſſe credimus, & obſtupuerunt.

Syndon Euangelica Chriſti ab incendio libera.

runt. Nec multo poſt Syndon publice repræſentata eſt integerrima, præter quod (extra tamen ſacræ iconis partes)in complicatu exiguę quędam combuſtionis notæ,veluti perpetuæ miraculi teſtes remanſerunt. Hæc oculatus teſtis retulit Philibertus Pingonius,qui de hac Syndone egregium librum conſcripſit,cui etiam ſuffragatus eſt Franciſcus Adornius Ieſuita eiusdem hiſtoriæ ſcriptor.Nec fortuito id factum exiſtimandum eſt,vt ſcilicet ambuſtionis in linteo ſigna conſpicerentur;in icone autem nulla prorſus fuerit læſio. Id enim contigit, vt ea ex re miraculi magnitudo adaugeretur,ſanguinisque Chriſti priuilegium fuiſſe cognoſceretur,non lini Cyprii, aut Indici, quod non exuritur: nam ſi id humana arte fuiſſet aut pictum, aut delibutum, aut forte lino Cyprio tela contexta putaretur, vtrique rei vnum reſpondet miraculum: ſeruato enim lino,pigmenta omnia igni fuiſſent obliterata, emundato, non combuſto lino, quod tamen tunc contra euenit, vt ſcilicet linum certis locis combureretur, ſanguis illæſus perſeueraret, vt non lini Cyprii priuilegium,aut natura,ſed diuina in icone potentia manifeſtaretur.

TH. Hæc legi,hæc annotaui, hæc quoque ſcio conſpecta non ab ipſis tantum Allobrogum Ducibus, Regibus quoque Gallis, ſed & ab ampliſſimis Cardinalibus, atq; ab ipſa demum Eccleſiarum matre Romana Eccleſia, Apoſtolicaq; ſede per Legatos ſuos rei cognitores comprobata, atq; ita fit, vt neque tineam,neque ignem metuant lina, quæ à fidelibus ad Dei gloriam conſeruantur. Altero prætereа exemplo rem hanc confirmare mihi in animo eſt. Nemini dubium, chartas papyreas, quibus ad ſcribendum vtimur, è lino abſumpto, & quaſi in minutiſſimum puluerem attrito confici,ac ſic ad ſcribendum idoneas reddi. Verum longe facilius longeque celerius aduruntur chartæ, quam linum ipſum, etiam hoc noſtro cœlo natum. Attamen ad amplificandam Euangelicæ legis gloriam,chartę geſta Chriſti continentes comburi aliquando non potuerunt: id memorat Zonaras in Baſilio Macedone. Pax (inquit) ab Imperatore cum gente Rhoſſica facta effecit, vt illa in cognitionem arcanorum noſtrorum perueniret, & cum ſe baptizare velle promiſiſſet, Pontificem eis miſit: cæterum à ſua religione ad noſtram tranſituri tergiuerſabantur, & dubitabant, ac niſi miraculum viderimus, (inquiunt Pontifici) qualia tu multa à Chriſto facta eſſe doces, numquam doctrinam tuam amplectemur. Tũ is petite inquit quod vultis:at illi dixerunt:Liber,qui de Chriſto docet,eſt in ignem coniiciendus, qui ſi inuiolatus manſerit, argumento nobis erit, verum Deum eſſe, qui à te prædicatur. Aſſenſo Epiſcopo, rogus eſt incenſus. Pontifex cum manibus & oculis in cœlum ſublatis dixiſſet: Glorifica nomen tuum Chriſte Deus, ſacrum Euangelium in rogum imponit, quod diu in flamma relictum illæſum manſit, & miraculo barbari ſtupefacti prædicationi crediderunt, & vt ſacro Baptiſmate initiarentur,efflagitarunt. Hæc ille:& ne quis forte putet è membranis confectum Codicem, ego cenſuerim ad euidentius miraculum, diuina ita prouidentia diſponente, è chartis fuiſſe confectum.

EQ. Ita fit, vt longe ſuperent hæc miracula lini Cyprii vim, ſed plurima alia ſuppetunt de lino diuina miracula aliis ex cauſis. Eſt equidem res arida linum,præcipue iam in telam contextum, nullus ibi eſt ſuccus, nullus humor: attamen inde aliquando ſanguis miraculo manaſſe perhibetur longe vtilius, ac longe verius, quam M. Aurelius Imperator à ſua herba Flabia manaſſe dixerit. Id igitur, quo & qua ex cauſa acciderit, Ioannis Diaconi verbis enarrabimus. *Petentibus*(inquit)*quibusdam occidentalibus per Legatos ſacras reliquias, Gregorius Pontifex pallæ ſeu corporalis*

portio-

portionem dedit; illi donum contemnentes, velut parui pretii lineam portiunculam accepiſſent, cum lineæ apud illos pallæ domi haberentur, apud S. R. E. Archidiaconum conqueſti ſunt. At Gregorius, cum id accepiſſet, poſt Sacroſancta myſteria coram aſtante populo, repoſita in altari palla, in orationem proſtratus efflagitauit, vt quanta veneratione habendæ pallæ huiuſmodi eſſent, præ cæteris reliquis omnibus, miraculo diuino perſpicuum faceret: intermiſſa demum oratione, gladio pallam pupugit imitatus Leonem primum Romanum Pontif. moxq; inde ſanguis effluxit: obſtupeſcentes legati ac pudefacti, cum reliquo populo efflagitarunt, vt pallæ in priſtinum ſtatum reſtituerentur. Hæc à Ioanne Diacono de vita S.Gregorii lib.2.cap.42.

TH. Hoc ipſum idem miraculum Leo I. Pontifex perſimili cauſa permotus effecerat, vti teſtatur ipſe Gregorius in Epiſtola ad Conſtantinam Auguſtam: quæ extat apud Ioannem Diaconum lib.3.cap.56. cuius quoque meminit Fulgoſ. lib.1. & nos quoque diximus alias.

PH. Perſimile miraculum, quod ab eisdem lineis pallis ſanguinem manaſſe legimus, libet ex eodem Fulgoſo recenſere. Eius hæc ſunt verba: Temporibus (inquit) noſtris eo bello, quod Carolus Octauus Gallorum Rex geſſit aduerſus Annam eius Galliæ partis, quæ Britannia dicitur, Ducem, quam poſtea in matrimonio coniunctam habuit, Britannus quidam cum ea militabat, qui Rhemenſi vrbe egreſſus cum aliis hoſtili terra prædatum pagum ingreſſus, vbi templum erat, in quod meliorem rerum ſuarum partem agreſtes detulerant, capſam confregit, arbitratus ſæcularium hominum eſſe, repletoque ſinu his rebus, quas auferre ſecum poterat, poſteaquam domum rediit, dum res raptas agnoſcit, in eas particulas quaſdam lineas vidit, haud abſimiles iis, quæ ad naſi purgationem conficiuntur, minimeque arbitratus ex eo genere eſſe, quibus Sacerdotes pro mappa, pallaque ad ſuſtinendam Chriſti hoſtiam vtuntur: neque enim in Gallia ita hæc, vt ab Italis inſtruuntur: fœminæ in ea domo, in qua ex hoſpitio accipiebatur, eas dono dedit. Cum autem ſanguine recenti infectas cerneret, primum manus ſuas inſpexit, quas cum illæſas cerneret, neque inde ſanguinem manaſſe ad fœdandam telam videret, in ſinum ſuum oculos deflexit, vbi integra pectoris cute, diploidem quoq; cum interiore ſanguine illitam animaduertit: quanquã vehementer miraretur; tamen eius rei cauſam intelligere non poterat. Fœmina quoq;, quæ munus acceperat, cum ad amnem lotura hos pannos lineos tuliſſet, non modo ex pannis huius ſanguinis maculæ non abibant, ſed aqua quoq; cruenta fluebat. Itaq; vehementer territa, cum rem narraſſet, ſuſpicata ſacram eſſe pallam, eius ſacrilegii error inuentus eſt, & pro comperto miraculum inuentum, & palam omnibus factum. Hæc Fulgoſus.

TH. Quidquid ad ſacroſanctum myſterium pertinet, ſumme venerãdum eſt, ſed præ omnibus lintea, quæ ipſi Euchariſtiæ ſubſternuntur, pallæ ſacræ nuncupantur: propterea inde miracula manaſſe leguntur; ſicut & ex lineis quoq; Chriſti Sanctorumve picturis: plerumq; enim linea tela pictores imagines ſacras affingũt, cuiuſmodi de illa ſacra ad Abagarum Chriſti imagine lineo panno per Chriſtum ipſum impreſſa auctores recolunt, cuius vi ipſi Abagaro à paralyſi incolumitas reddita eſt, & regnum ad fidem conuerſum; deuictiq; hoſtium exercitus; cæcis reſtituta oculorum acies; claudis ambulandi facultas reddita, ac reliqui abacti morbi: vt prolixa oratione memorat Conſtantinus Porphyrogenitus Romani Imperatoris Conſtantinopolitani filius, vt Metaphraſtes recolit apud Lipomanum tomo 6.

Tanta igitur ſunt diuina in lino quolibet miracula, vt linum Cyprium nihil fere in harum comparatione cenſeatur.

EQ. Nihil certe videri linum Cyprium poteſt, ſi conferatur diuinis hiſce miraculis: nam quoad ignem ſuperandum illud tantummodo valet: at lina cætera prorſus omnia per diuinam opem ſuperant: nam D. Paulus, cum apud Epheſum eſſet, miraculaque non pauca patraret, rapiebantur ab aſtantibus ipſius ſudariola, deferebanturque ad languidos, eorumque contactu non modo incolumitati reddebantur ægroti; verum etiam immundi dæmones propellebantur. Act. cap. 19. Et linteum illud Sacroſanctum, quo Chriſti facies, cum ad paſſionem traheretur, ſudore fluens abſterſa eſt, nonne eius contactu, cum beata Veronica attuliſſet ad Tiberium Cæſarem, à lepra mundatus eſt? vt ex Methodio Tyriorum Epiſcopo recolit Marianus Scotus. Quin Voluſiano ingentem in dorſo gibbum patienti eiuſdem ſudarii contactu morbus propulſus eſt. Seruatur hoc beatæ Veronicæ Sudarium Romæ, ac colitur ſumma veneratione. Teſtantur hæc præter Conſtantinum Porphyrogenitum etiam Bergomas, Polidor. Virg. inuent. lib. 6. cap. 13. Sed de lino plus ſatis.

TH. Vt de lino egimus, quod circa Euchariſtiam præcipue adhibetur, non fuerit incongruum de frumento agere, quo Euchariſtia conficitur: hoc vno enim germine mirandum in modum conſtituit diuinum numen, vt & corpus ſimul alatur & anima, vt inde cibus non modo præbeatur carni ac membris omnibus, verum etiam ſit animæ ſpiritualis eſca, qua Deo iungamur: recolemus igitur primum naturæ ex frumento miracula, poſtea etiam diuina. Præ cæteris omnibus frugibus frumenti incredibilis fertilitas memoratur: nam vnico è modio, ſi ſit aptum ſolum, quale in Bizatio Africæ campo, centeni quinquageni modii redduntur: miſit enim ex eo loco diuo Auguſto procurator eius ex vno grano (quod vix credibile eſt) quadringenta paucis minus germina, extantque de ea re epiſtolæ: miſit & Neroni ſimiliter 340. ſtipulas ex vno grano. Hæc Plinius lib. 18. cap. 10.

PH. Longe admirabilius eſt, quod ii referunt qui orbem perluſtrarunt; in Hiſpaniola etenim noui orbis frumenti ſpicas adeo ingentes eſſe tradunt, vt humano brachio æquentur: duo quoq; granorum millia ſingulas ſpicas continere compertiſſimum eſſe. Petr. Mart. Augetur præterea miraculi magnitudo, quod ſatum frumentum Februario exitu Martii menſis meti poteſt. Petrus Martyr. At illud frumentum Indicum, cui Maiz nomen eſt, in Arma Peruaci eiuſdem noui orbis ſemper centuplum refert, bisque in anno ſatum, bis metitur. Petr. Hiſp. parte 5. cap. 27.

EQ. Eſt hoc equidem memorabile: ſed noſtro hoc Europæ cœlo in Moſcouia iuxta flumen Diuidna frumentum naſcitur absq; aratro: iactum enim terræ & adoleſcit, ariſtam, ſpicamq; facit, vt Iouius memorat de Moſcou. c. 3.

PH. Africa in frumentaria re videtur omnes regiones excedere: ibi enim in tantam altitudinem augeri, adoleſcereq; memorant, vt ad quinq; cubitorũ proceritatem aſcendat: eſſeq; eius calamos non minores humano digito: reddere autem fructum ad ducentum, quin & ad quadringenta, & bis in anno meti; ac poſt prima ſata vlterius non ſeri tradunt, quod ſponte exurgant grana, quę à maturis ſpicis ſolent excidere. Strabo lib. 17.

EQ. Habet frumentum etiam ſupra reliquas fruges temporis diuturnam longæuita-

gæuitatem, aut non niſi à milio vinci poteſt. Plinius enim lib. 18. cap. 30. Varrone auctore tradit, ſi frumentum cum ſua ſpica condatur, durare annis quinquaginta: milium vero centum. Et nihilominus in tanta duratione, in tanta frumenti multiplicatione ſolum ipſum in pretio ſupra gemmas omnes extitiſſe aliquando memoratur: nam in Hieroſolymitana obſidione, quando vrbis illius excidium Tito Imperatore ſequutum eſt, minam frumenti talentum valuiſſe memorat Zonaras tom. 1.

PH. Frumentum non modo à fruge ipſa eſt admirandum, ſed vel ab ipſa eius palea: nam & maximæ durationis eſt, cum tamen ſit mollis ac tenera: nam ſub dio expoſitæ res quælibet molles facile corruptione abſumuntur: in Æthiopia tamen, ditione Pretoiannis, paleas, quibus domus conteguntur, durare ad hominis ſæculum compertum eſt: nam annum ſeptuageſimum excedunt, quin & octogeſimum, Franciſcus Aluarez. Ita fit, vt frumentum huiusmodi qualibet ratione ſit ſalutare, dum alit granis, dum tegit paleis; prodeſt homini frigenti, dum calefacit illum; prodeſt calenti, quum temperamento illi ſit.

TH. Si paleæ laudes, aut verius naturæ miracula velimus proſequi, Auguſtini auctoritas nos edocebit: ipſa enim palea prorſus efficit contraria: calidæ enim ac frigidę rei vtile officium exhibet, vt ſic vnica res contraria penitus operetur. Niues enim, quæ frigido, vt diutius conſeruentur, egent, palea eas diutius ſeruat, velut frigidæ rei vicem tenens. Calore autem cum egeant agreſtia poma, vt matureſcant, palea omnia matura reddit, velut calidæ rei vicem tenens: hæc diſertioribus verbis tradidit Auguſtinus de ciuit. Dei lib. 21. cap. 4. *Quis palea* (inquit) *dedit vel tam frigidam vim, vt obrutas niues ſeruet? vel ita feruidam, vt poma immatura maturet?* quæ etiam tradidit Iſidorus libro 17. capite 3. Sed quod omnem excedit hominum captum, eſt, vt hæc vna ſpecies, vt in corporis alimentum, ita etiam animæ ſalutem transeat; oblatione etenim panis in ſacro altari ad ſacrificium incruentum, cum Sacerdotis conſecratio acceſſerit, virtus tanta ſuperuenit, vt hominis animam illuſtret, viuificet, purget, atque ad diuinum amorem maximum in modum excitet, roboret, virtutesque omnes conferat; augentur ea re miracula, quod cum Sacerdos conſecrationis verba in ſacroſancto myſterio pronuntiarit; res ipſa, ſubſtantiaque frumenti tranſit in verum corpus ac ſanguinem Chriſti, & cum ipſa ſubſtantia frumenti ac panis eſſe deſinat, color tamen, odor, ſaporque, nutriendique ac conſimiles effectus manent: & quod etiam admirabile eſt Philoſophis omnibus, accidentia ſine ſubiecto exiſtunt, vt diuus Thomas tradit in 3. ſumm. quæſt. 77. ſed & contra gentes lib. 4. cap. 66. & alibi ſæpe. Effici hanc transſubſtantiationem ſacri Doctores cum tota Dei Eccleſia docent: atque inſigniter beatus Ambroſius ipſe de Sacram. lib. 4. cap. 4. in hæc verba: *Tu forte dicis, meus panis eſt vſitatus; ſed prius iſte panis eſt ante verba Sacramentorum, vbi acceſſit conſecratio, de pane fit caro Chriſti: hoc igitur aſtruamus, quomodo poteſt, qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti conſecratione.* Hæc ille. Perſimilia Ioannes Damaſcenus inter Græcos inſignis de Orth fide lib. 4. cap. 14. *Conſecratione igitur à Sacerdote peracta, in ipſa Euchariſtia continetur vere, realiter ac ſubſtantialiter corpus & ſanguis vna cum anima, & diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac perinde totus Chriſtus, ac qui aliter ſenſerit ei anathema dicitur,* Concil. Trid. ſeſſ. 13. præcipueque can. 1. & 2. ex omnium Patrum vnanimi conſenſu, & ſententia. Sed non fert tempus, vt patres recenſeamus. Quoniam vero hominum perfidia aliquando tantæ veritati aduerſata eſt, neque fidem adhibuit; promanarent

ab Eu-

ab Euchariſtia ſub illa panis ſpecie innumera miracula, quæ ſi referre velimus, dies deficiet: nam iram diuinam nullo maiore prodigio oſtendit Dominus, quam cum ex Euchariſtia viſibilem Chriſti carnem reddidit, vt hæreticam prauitatem deterreret,& bonos in fide confirmaret: pauca igitur quædam tantummodo enarrabimus. Theodoſii ſenioris tempore, cum monachus quidam pertinaciter verum corpus & ſanguinem in Euchariſtia contineri negaret,contrarium illi ſuadentibus viris Catholicis, conantibusque omni niſu errorem de eius animo abſtergere, ad orationem omnes vnanimes proſtrati ſunt: transacta igitur hebdomadæ vnius interuallo, omnes in templum conuenere: cumque ſacra perageretur myſtagogia, diuinusque panis eſſet propoſitus,infans viſus eſt eodem tempore tribus ſenibus is panis, qui in ſacra menſa erat propoſitus: cum autem acceſſiſſet is, qui errabat ſenex, vt eſſet particeps ſacrificii, carnis mundæ & cruentæ aperte fuit particeps: hoc viſum ab illo ſene, & illius non ſanum correxit iudicium, id effecit, vt Deo offerret gratiarum actionem cum lachrymis. Hæc Arſenius Theodoſii neceſſarius tradidit, & egregius Chriſti confeſſor Romanus, atque ex eo retulit Metaphraſt. 8. Maii in vita eiusdem Arſenii. Videri itaque voluit Chriſtus, tum vt veritatem corporis & ſanguinis huiusmodi incredulo in Euchariſtia ſuaderet; & infantuli ſpecie, vt teneritudinem immaculati agni, qui quotidie immolatur, repræſentaret oculis; quamquam ibi totus ſit idem Chriſtus, qui natus, qui mortuus, qui ſurrexit, quique aſcendit viri perfecti habens ætatem.

EQ. Gregorii quoque pontificatu idem accidit: cum incredula mulier de eadem veritate ambigeret. Ex hoſtia viſa eſt illi vera caro; vnde perterrita, ac ad fidem conuerſa,faſſa cum fuerit errorem, pœnitueritque,caro in priſtinam panis ſpeciem rediit. Ioannes Diaconus in vita S.Gregorii lib.2. cap.42. Accidit idem apud Vulſinium Hetruriæ oppidum Sacerdoti de veritate ambigenti; nam cum de more intra myſteria ſacra hoſtium confringeret, viuus ſanguis inde fluens mappam, quam corporale dicunt,infundit Vrbano IV.Pontifice Romano. Marul. lib.4. Pluribus id narrat Honufrius ad Platinæ Vrbanum 4.

TH. Compertum tamen eſt,vt eadem caro viuens apparuerit viris ſanctis, ad ingentis eorum fidei ſolatium: nam Eduardo Angliæ Regi, cum ſacris myſteriis intereſſet, apparuit in Euchariſtia ea forma ipſe Chriſtus, quam ex beata Virgine Maria deſumpſerat. Sed & Maria Decegnies ſanctiſſima mulier, dum Sacerdos de more oſtendendam Euchariſtiam caput extuliſſet, vidit pueri forma Chriſtum in ipſa Euchariſtia, vt idem Marulus memorat lib. 4. & ex illo Andr. Eborenſis. Quin ob hæreſim Vaſconum, qui veritatem corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia negabant, inter manus Sacerdotum Miſſas celebrantium viſa eſt humanis oculis aſtantium caro Chriſti apud Aurelianum, apud Soranam, apud Vindonienſes atq; Atrebatenſes anno Domini 1181. Vinc. hiſt. lib. 29. c. 24. Eodem quoque anno, eandemque ob cauſam apud Carnutum in villa Abbatis S.Petri, Sacerdote in Miſſa offerente, aſtantibus Chriſti caro apparuit. Robertus Montenſis anno 1581.

In Euchariſtia æterna eſca eſt, cœleſtis alimonia vere eſt.

EQ. Hinc illa quoque manare miracula putarim, quæ illis acciderunt, qui ſine cibo vixerunt: nam quia æterna illa eſca eſt, cœleſtisque alimonia, non poteſt non mirandum in modum inſtaurare: quin quam quotidiani cibi ſolent homini præbere inſtaurationem, ille Sacroſanctus cibus præſtat in diuturnum tempus efficacio-

ficaciorem nutritionem, ſi ita expediat. Vt enim Helias ſubcineritio pane quadraginta dierum inediam ſuſtinuit 3. Reg. cap. 19. ita ſæpe viris piis accidiſſe auctores tradunt. Petrus enim Ponticus, ſumpta Euchariſtia in monte Syna, vsque Alexandriam longo & locorum & temporis interuallo emenſo, absque vllo cibo potuque perrexit. Sophronius in prato ſpirituali cap. 100. Atque hæc quidem ante annos circiter mille, poſterioribus vero ſæculis in Gallorum annalibus proditum eſt, ſalutis anno trecenteſimo vigeſimo ſecundo ſupra mille in agro poſt Tullenſi puellam fuiſſe duodecimum annum non ſuperantem, quæ triennium ſumptam ſacram hoſtiam vixerit nullo alio aut potu aut cibo ſumpto, & poſt id tempus ad conſuetam viuendi normam rediiſſe. Fulgoſ. lib. 1. qui & illud addit ſua tempeſtate compertum, vt Peruſii Palumba mulier Interamnenſis annis nata viginti ipſa hoſtia, nullo alio ſumpto cibo, ſeptem annos vixerit: quod Innocentius Octauus Pontifex re diligenter quæſita inſpexit. At Marulus lib. 4. adiicit Liberalem Attinenſis Epiſcopi Heliodori diſcipulum nihil niſi ſingulis Dominicis diebus Euchariſtiam in cibum ſumpſiſſe, reliquosque omnes dies absque cibo, ac potu peregiſſe.

TH. Ita fit, vt is, qui rebus aliis eſculentis vim alendi contulit, ipſe longe excellentior, in quo omnis adſit virtus, ſit homini cibus nutriens, roborans & ſeruans, & quod admirabilius eſt; etiam mortem eliminans aduenientem, cum ita expedierit: comperti ſunt enim, qui hoc cibo ſalutari ſumpto, nec vi quidem illata mori potuerunt: vtemurque teſtimonio Laurentii Surii in Commentario ſub anno Domini 1567. quanquam alias occaſione alia id diximus. Vltima (inquit) Iunii apud Harlinghen Phriſiæ patibulo à Gubernatore addicti ſunt multi, è quibus vnus duntaxat ad fidem Catholicam ſe recipiens peccata ſua cuidam Franciſcano patri confeſſus eſt, petiitque Miſſam fieri, in eaque ſacroſanctam Euchariſtiam ſibi porrigi: quod cum factum eſſet, atque ille cum aliis ſuſpenſus iam ſpiritum exhalaſſe putaretur, animaduertit Præfectus eum etiamnum animam agere; iuſſit igitur lictori, vt mortẽ vno adhuc ſaltu illi acceleraret: quod cum ille tentaret, funis ruptus eſt, illeque humi collapſus, paulo poſt tum à Deo, tum à Præfecto ore titubante veniam & petiit & impetrauit, traditusque chirurgo curandus diu ſuperuixit: quotquot vero illi ſpectaculo aderant, miraculi loco iſtuc habuere, quod ſacroſanctæ Euchariſtiæ virtute à morte ſeruatus eſſet homo ille, & multi ſane in Phriſia hac re permoti quotidie ad Catholicam fidem rediere. Quæſitum etiam tum fuit, num funis firmus eſſet, num etiam ipſe homo ponderoſus eſſet, inuentus eſt non modo ipſe, qui cecidit, leuior, verum etiam funis ipſe firmior. Hæc Surius. E conuerſo ſi Euchariſtiæ irreuerentia habeatur, affert mortem, vel vno momento etiam violentam: nam in Traiecto ſuperiori cum in ponte multi choreas ducerent, interimque ad ægrotum Euchariſtia in viaticum deferretur, nec illi choreas intermitterent, ducenti in Moſam fluuium demerſi ſunt, ponte tum diuino miraculo cadente, cum iam Sacerdos cum Euchariſtia præteriiſſet, vnus tantum ex iis ſaluus fuit: haud dubie futuri ſalui omnes, ſi Euchariſtiam venerabundi fuiſſent ſecuti. Hæc Naucler. Gen. 43. in fin. anno Domini 1278. Krantz. Metrop. lib. 8. cap. 39. Sed & anno 1218. ob vnius pugilis habitam Euchariſtiæ irreuerentiam tota Phriſia æſtu maris demerſa eſt, periiſſeque memorantur centum & eo amplius hominum millia. Naucl. Gener. 41. ſub finem Trithem. Chron. Hirſaug.

Euchariſtia irreuerentia grauiſſime punita.

EQ. O felix germen frumentum, cuius ſpeciem dignetur Deus ſubire, conſecrato in altari pane, ſuamque ſubſtantiam, corpus, ſanguinem, animam cum diuinitate abdere ſub ſpecie illa, vt profit non modo in cibum, verum etiam aduerſus humanos caſus, & hoc & alio ſæculo in ſalutem. Legi etiam cæcitatem cibum hunc propuliſſe: nam mulier quædam apud Thebas in Romania cæca, dum Miſſa celebraretur, in elatione corporis Chriſti oculos præ deſiderio aperiens ob ſummam deuotionem digna habita eſt, quæ hoſtiam tum videret: quàm cum deuotiſſime adoraſſet, exclamaſſetque gratias agens Deo & B. Franciſco, omnibus, qui aderant, exultationi ac lætitiæ ſummæ fuit, peractoque diuino ſacrificio, mirum in modum ipſa hilaris & exultans iterabat frequentiſſime Deo ac B. Franciſco gratias, non ob id tantum, quod & videndi vis oculis fuiſſet reſtituta, ſed quod iis oculis ſacroſanctam Euchariſtiam ſpectare digna facta fuiſſet. S. Bonauentura in vita S. Franciſci cap. 15. Fierent autem mea quidem ſententia quotidie hæc miracula, ſi quotidie expediret: non enim ſemper expedit, ſicut beatus Petrus docuit, cum Petronillam filiam non reddit incolumem, qui vel vmbra ſola reliquos curabat ægrotos: ſicut & beatus Maiolus cæcus ipſe permanens cæcis vim videndi diuina ope conferebat.

TH. Seſe tamen aliquando Dominus in Euchariſtia contemni à perfidis patitur, vt inde perſpicuum fiat, non frumenti eſſe, panisque ſubſtantiam, ſed diuinam: ita enim ad fidem ſæpe Iudæi pertracti ſunt, qui tantam rem iniuria ſe afficere poſſe putarent. Salutis enim anno ducenteſimo nonageſimo ſupra mille in Pariſiorum vrbe quidam Iudæus per inopem mulierculam, cui veſtem, quam ab eo oppignoratam habebat, ſe gratis reſtituturum promiſerat, Chriſtianam hoſtiam in Paſchate aſſecutus, cum accenſo igne in ſartagine vellet aſſare, vt proſpexit eam non mutare formam, nec colorem, gladio eam pupugit, ex qua confeſtim ſanguis manauit: re autem detecta, ſuperuenientibus Chriſtianis, hoſtia in loco ei dicato reſtituta, Iudæi domus in templum conuerſa eſt, quæ etiam nunc Saluatoris bullientis nomine compellatur: vbi hoſtia, gladiusque etiam nunc oſtenduntur. Hæc Fulgoſ. lib. 1. Sed & alia multa occurrunt non modo recentiora, ſed & vetuſtiora, nempe D. Ioannis Chryſoſtomi tempore, vt tradidit Sozomenus hiſt. lib. 8. c. 5. ac poſt eum Nicephorus lib. 13. c. 7. his verbis: *Vir quidam Macedonij hæretici morbo laborans vxorem eadem contagione infectam habebat: hic cum aliquando in magnum Chryſoſtomum incidiſſet, quomodo de Deo ſentiendum ſit differentem, ſtatim priore opinione relicta, mutatus dicta illius laudauit, coniugemque itidem, vt & ipſa ſententiam mutaret, cogere inſtitit: vbi vero ex illa conſuetudine & colloquiis quotidianis familiarium muliercularum pendens admonitionem eius non ſuſcepit, & maritus re ſæpius tentata nihil effecit, poſtremo ei id denuntiauit, niſi communem atque eandem ſecum de Deo obtineret opinionem, minime eam ſecum habitare paſſurum eſſe: mulier poſtquam id per ſimulationem annuit; ex ancillis, quam fidam eſſe credebat, vni, quid factura eſſet, credidit, vt per fraudem virum falleret: & ſacrorum myſteriorum tempore accedens illa demum, ſicut mos erat (qui ſacris inſtituti ſunt, quid dicam intelligunt) accepit, atque id retinens perinde ac orationi vacatura, ſe inclinatam ſummiſit, myſteriumque ſacroſanctum occuluit, & quæ ei aßiſtebat ancilla pro eo panem communem domo allatum obtulit, quem illa ori admouens in lapidis naturam induratum eſſe, dum dentibus atterere conatur, ſenſit. Re autem Ioanni detecta, veniaque delicti petita, deinceps in eadem cum marito opinione perdurauit: lapis ille ad finem miraculi eius faciendam longo tempore in-*

ter Ec-

ter Eccleſiæ donaria aſſeruatus ſpectatoribus miraculo fuit. Hæc Nicephorus.

EQ. Sunt & alia noſtro ſæculo æque commemoranda de Euchariſtia miracula, quandoquidem ex ea ſanguis pugione manauit: anno enim Domini 1510. Februario menſe Paulus Form Marchiæ Brandenburgenſis villa Rnoblech nocte in Eccleſia furatus inauratam arculam venditurus Iudæum adiit, qui non ſolum eam, verum etiam contentam in illa Euchariſtiam expetens paruo emit pretio: diſcedente Paulo, Iudæus crebris pugionis ictibus ſacram hoſtiam confodere nitebatur, quæ tantum in tres deducta partes ſanguineo per horas humore madere cœpit: territus Iudæus particulam panno inuolutam menſem vnum apud ſe retinet; quam rurſum pugione conficiens cum ſanguinis guttulas dimanare conſpiceret, conſternatus, ne prodatur, particulam abſumere nititur, ſed non valet; mittit in aquam, illa vero enatat; in ignem proiicit, nihil is hoſtiæ nocet; ad extremum ſub Paſchate coctis azymis panibus pani particulam immixtam in clibanum mittit, reſplenduit miro modo clibanus, alioqui obſcurus, maſſulaque illa in Iudæi faciem inſiluit: re igitur comperta quæſtione, Paulus Form candentibus diſcerptus ferris in cinerem tandem redigitur, de Iudæo quoque igne ſupplicium ſumptum eſt. Hæc à Surio Commentar. anno Domini 1510.

TH. Adiiciam & ego aliud perſimile ac longe recentius ex eodem Surio Comment. anno Domini 1556. In Poloniæ regno Dorothea vilis fœmina in oppidulo Sacchazzeto cum Iudæo famularetur, ab eo præmiis ſollicitata, vt ad ſe Euchariſtiam, quam die Paſchatis ſumptura erat, aſſeruatam deferret, ſceleratiſſima mulier præſtitit: ille igitur accitis aliis Iudæis, pugionibus & cultris eam hoſtiam confodiunt: at ecce repente ab ipſa Euchariſtia multus emanat cruor, quam perfidi Iudęi cochleari in vitreum calicem transfundunt. Re comperta, omnes ſceleris cōplices combuſti ſunt; Rexque ipſe, accepto hoc miraculo, in Eccleſiæ Catholicæ communione retinenda valde confirmatus eſt. Hæc ex illo. Quantus autem hominum numerus fuerit his miraculis in fide confirmatus, quot ad fidem Catholicam peruenerint, quis digne explicabit? nunquam enim fruſtra tanta patrantur miracula, ſed cum Euchariſtia ſit ſymbolum totius Chriſtianæ vnitatis, pignus futuræ gloriæ, ſpiritualis omnium animarum cibus, antidotum liberans à culpis, inuiſibilis gratiæ forma viſibilis, animarum vita, perpetua mentium ſanitas, eſca Angelorum, ſummumq; myſterium; æquum eſt, vt ex ea maiora eluceant miracula, quam à reliquis rebus omnibus. Sed de tanta re nunquam ſatis, nunc ad alias herbas paucas, quæ ſuperſunt.

EQ. Videntur exteræ regiones ferre herbas maioris miraculi, quam ferat Europa: nam apud Æthiopes Sole peruſtos, ne gens ſiti forte deficiat, aut prę ſiti aquę forte fiat bibatior, atque ſeſe ingurgitet, lotum herba, quam alias commemorauimus, comperta eſt, cuius radicem qui in cibum ſumpſerint, nunquam bibunt, lotophagique dicuntur, vt Strabo tradit lib. 3. & lib. 17. Egebant hac herba Anachoretæ, qui vaſtas & arentes ſolitudines incolebant, cum ſine potu vitam tranſigere expeterent: iis ideo alio ordine diuino affuit gratia, etenim mirandum in modum ab herbis reliquis potum hauſerunt rore humectatis: in vaſta enim ſolitudine Scithi nuncupata ſeptem Anachoretæ nil vnquam biberunt præter rorem, qui mane herbis ſuperfuſus reperiebatur, vt continetur libro de vitis SS. Patrum, p. 2. c. 188. & alias diximus. Fuerant autem Anachoretarum nomina Petrus, Stephanus, Ioannes,

nes, Georgius, Theodorus, Felix, Laurus, qui poſt huius rigidiſſimæ vitæ miraculum etiam à Saracenorum furore martyrii coronas conſecuti ſunt, vt ita plus ſanguinis effuderint, quam aqua fuerit, quam illo eremiticæ vitæ toto tempore bibiſſent.

TH. Id certe verum eſt, vt exteris regionibus maiora eluceant herbarum miracula: nam vbi in Europa de Ruta id vnquam memoratum, quod de bello Iudaico meminit Ioſeph. & ex illo Zonaras? In Caſtello enim Macherunte in ipſa regia Ruta fuit miræ magnitudinis, nulla ficu vel altitudine, vel craſſitudine inferior, quæ ab Herodis duraſſe temporibus ferebatur, & longiſſimo forſan deinceps tempore manſiſſet, niſi à Iudæis, qui locum illum occuparant, exciſa fuiſſet. Quæ res ſingulari quadam admiratione recolenda eſt, vt herbarum caudices arborum ſtipitibus comparentur altitudine, craſſitudineque, cum herbarum caudices cum ramuſculis omnibus areſcant quotannis, cum arborum tantummodo folia, non rami areſcere videantur. Malua tamen, cum herba ſit, hac re eſt quoque ipſa mirabilis etiam in Italia, vbi paſſim Romæ, Neapoli, atque aliis prouinciis creſcit in arborem, etiam vsque pedes viginti. Quin & Fœniculum, Paſtinacam, Cardos, ad duodecim creuiſſe cubita, craſſitudine ad palmos quatuor teſtatur Strabo lib.17. Aſparagos quoque creuiſſe in altitudinem arundinum Indicarum, ad eandemque craſſitiem Strabo eodem libro recolit, fierique hæc iuxta Nilum non longe à Mauriſiis: atque ita ludere poſſumus velut adagio, *vna aſparago iuxta Nilum plures conuiuas recipi poſſe, cum in Europa nonniſi vnum conuiuam centenis aſparagis excipiamus.*

Malua.

EQ. Et ipſæ fabæ in Ægyptio ſolo non procul ab Alexandria in arborem fere ſurgunt: nam ſub vna conuiuantur: tametſi noſtris conueniant, illarum tamen foliorum tanta amplitudo eſt, atque durities, vt cum ſuapte natura concaua ſint, poculi miniſterium nullo prorſus adhibito artificio catinorum atque paropſidum vicem reddant, quin in ipſa vrbe Alexandria ad ipſos hos vſus illa folia publice venditantur. Strabo lib.17. Atque ita fit, vt Faba vna tegumentum vmbraculumq; multis conuiuis præbeat, pocula, paropſides, ſimul quoq; etiam eſculenta, panem ſcilicet & obſonium; & quod vtilius eſt, etiam plurimos durare ſolet annos is fructus: Pyrrhi enim Regis ætate quodam ſpecu Ambraciæ vsq; ad Pyraticum Pompeii Magni bellum duraſſe annos circiter centum viginti faba comperta eſt. Plin. lib.18. cap.30.

Faba.

PH. Ineſt quoque fabæ ſuum malum, quod miremur: ſiliquæ enim fabarum ſi ad radices arborum ponantur, quæ nuper ſunt plantatæ (vt Theophraſt. libro de cauſis naturalibus ſcripſit) plantæ ipſæ exſiccantur: quin etiam gallinæ domeſticæ, quæ eis aſſidue veſcantur, efficiuntur ſteriles, quod etiam mulieribus accidere tradidit Clemens Alex. ſtrom. lib.3.

EQ. Sed quid ad nos de Fabis? de Peponibus mallem audire, aut quod verius eſt, videre quæ tradunt ii, qui orbem nouum perluſtrarunt: in Hiſpaniola enim Inſula in tantam amplitudinem inaugentur, vt ſinguli homines vnico ſe ſentiant nimis onuſtos, vixq; humeris vnicum ferant. Ouet. ſumm. Ind. c.81. Et quod iucundius eſt, toto ibi anno ſemper matureſcunt, ſemperq; ſapidi, & ad veſcendum grati. Idem Ouet. & in hiſt. lib.11. cap.1.

PH. Sane de Peponibus iucundius eſt agere, quã de Rapis; in ipſis tamen quoque ſua ſunt indita miracula: teſtatur enim Plinius, vidiſſe ſe vnicam librarum quadraginta:

Pepones.

draginta, ſed ipſa etiam miraculo finem fecit lib. 18. cap. 13. Tubera quoque creſcunt in plurimam amplitudinem, ſed id non mirabimur, at nummum intra Tuber eſſe repertum, hoc fuerit admirandum, ſi vndique integrum ſit Tuber. Lartio enim Licinio Prætorio viro iura reddenti in Hiſpania Carthagine paucis his annis ſcimus (inquit Plinius) accidiſſe mordenti Tuber, vt deprehenſus intus denarius primos dentes inflecteret, quo manifeſtum eſt terræ naturam in ſe globari, quod certum eſt ex iis, quæ naſcuntur, & ſeri non poſſunt. Hæc ille lib. 19. cap. 2.

Rapa vnica 40. lib.

TH. Sed claudamus orationem ad herbam ſemper viuam: ipſa enim ſola ſemper viuit, nullo vnquam frigore vel feruore læditur, nulla ariditate vincitur, nulla humectatione ſuperatur ſemper eadem, eodem ſemper virore, nec loci anguſtia conſtringitur, nec diuiſa minuitur, nec auulſa commoritur, ipſa in ſe radices humentes ſeruat, vbilibet vel aridiſſimo loco radices figit, augetur, dilatatur ſiue in opaco ſit, ſiue in aprico, vere congrueque hoc digna nomine ſemper viua, refertque induſtrium fortemque hominem ſimul & ſapientem; nam ex poetico carmine:

Omne ſolum forti patria eſt.

Imo, vt equidem cenſeo, viro bono perſimilis herba eſt, quem illis verbis charitate feruentem indicat Paulus, cum dicit: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius? certus ſum quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque creatura aliqua poterit nos ſeparare à charitate Chriſti.* Rom. 8.

EQ. Sunt & Flagra nobis colligenda, ſed vereri poſſumus ea forte venenatis ſerpentibus infecta: id enim perſæpe accidit, ſunt certe ſuauia, ſi abſit periculum.

PH. Etiam intacta ſerpentibus poſſunt ipſa Flagra venenum eſſe: Melchior enim Epiſcopus Zuerinenſis cum toxicum infelix inter epulas ebibiſſet, ad refrigerium æſtuantis ſtomachi Flagra adhibuit; mirum, ob illa adeo in immenſum aluus intumuit, vt medius crepuerit: hoc enim cibi genus vim veneni adauget. Kr. Vand. lib. 9. c. 9.

EQ. Herbis fiunt eximia chryſtallina vaſa, quæ aurea ſuperare videntur, herbis ferrum ſolidatur, herbis ſal conficitur: nam ex portulaca non procul à Mirandula id accidit.

TH. Et herbæ ignem ſuperant, ſi ita culpa exegerit. Olera enim furto ſublata in hortulo Copretis ſancti viri, cum Ethnicus ille fur coquenda ad ignem exhibuiſſet, neque magno, neque plurium horarum igne concoqui vllo modo potuerunt: quamobrem obſtupefactus fur Ethnicus Chriſtianā fidem ſubiit, vt ita furtum ad conuerſionem profuerit: profuit tamen longe magis ignis contumacia, qui aut ſe vinci ab oleribus voluit, aut vim ſuam cohibere, vt ad frugem virum malum perduceret. Contra euenit beato illi viro, cuius in Metallis meminimus, cuius olera vaſe ligneo abſque igne ad Solem expoſito & feruebant, & rite concoquebantur; vt enim culpæ ſceleraque vim rebus omnibus ſæpe adimunt, ita egregia fides & opera vim rebus omnibus addunt, nullum de cœlo metuunt periculum viri probi: ſata enim etſi tempeſtate conculcentur, etiam renaſcentur, ſi ita expediat. Vitaliano enim Pontifice ignis maximo omnium terrore dies decem è cœlo emicuit, incubuere mox imbres vſque adeo ſæui, & ita horrenda frequentiaque fulmina, vt homines iuxta ac pecora de cœlo tacta viderentur, qua re eo anno tanta leguminum copia ſucceſſit, vt legi omnino nequiuerit, quæ autem neglecta fuerant, vltro renata ad maturitatem peruenere. Bonfin. dec. 1. lib. 8. Quin quandoque cum igni

ita conueniunt herbæ, vt ad terrendum hominem conſpiraſſe videantur. Scribit enim Diuus Thomas, quandam herbam compertam eſſe, cuius fumigationes trabes ipſæ ſerpentum formas humanis oculis habere videantur: refert Sil. de ſtrigim. lib. 2. c. 8. puncto 1.

PLANTÆ

COLLOQVIVM VIGESIMVMPRIMVM.

EQVES.

Maximum æſtum hodie futurum ſubindicat illa tanta, quæ hinc conſpicitur, maritimorum fluctuum quies: quamobrem, ſi libet, in lucum egregie conſitum nos conferamus; domus enim ibi opaciſſima eſt. Nam etſi in arduo & nemoroſo colle ſita videatur, aſcenſus tamen lenis fuerit, cincta eſt perpetuis vmbraculis ad amœniſſimas ambulationes: nam frondoſarum arborum rami ea ſerie inflectuntur, & fornicibus connectuntur, vt in quauis feruentiſſima die meridianisque Solibus æſtus non ſentiatur, & quod opacitatis gratiam implet, ſaluberrimis etiam fontibus paſſim diductis irrigatur.

PH. Tametſi verendum, ne ex nimia opacitate frigus nos lædat; (nuſquam enim obuerberant radii Solis, vnde vapor terreſtris aqueusque attenuetur) attamen cum nobis ſuggerat philoſophandi argumentum, parui momenti habendum eſt nobis, quantumuis frigus nos vna æſtiua die circumambiat.

EQ. Ego ob hanc cauſam extruendum ſtudui non paruo labore atque artificio lucum hunc, atque ad id me excitauit Iouius hiſtoriarum lib. 18. cum de Abyſſinorum Patriarcha conſcriberet: nam illum in perſimili colle habitare cum ſuo Senatu tradit, atque huiusmodi vmbratilis otii voluptatibus vitæ duritiem Sacerdotali lege impoſitam facile ſuſtinere; ita ego, quoad licuit, luci vmbraculorumque ſtructuram ſum imitatus.

PH. Non parua eſt ſylua hæc, quæ tantum collem veſtiat & circumambiat.

EQ. Eſt ſane, ſed æſtiuis ardoribus vitandis etiam amplior mihi quærenda eſt, aucupio & venationi ſufficiens. Non enim omnes, qui huc ex vrbe veniunt, Philoſophi ac Theologi ſunt: adueniunt enim perſæpe equites inſignes, quorum tantum aucupii venationisque ſtudium eſt, vt diem abſumant, quamobrem Arduenna aut Hercinia illis opus eſſet ſylua.

TH. Non tam venari illud eſt, quam laborioſe errare, & vitam etiam quandoque in diſcrimen trahere, tum ob feras, tum ob inuia loca, vti contingit in Arduenna ſylua totius Galliæ maxima, quam millibus paſſuum amplius quingentis in longitudinem patere tradit Cæſar Comment. lib. 6.

EQ. Nihil propemodum videbitur Arduenna, ſi Herciniæ ſyluæ conferatur Germaniæ, cuius latitudinem nouem dierum, longitudinem vltra dies 60. quin neminem eius initium atq; exitum ſimul nouiſſe ſcribit idem Cæſar eodem lib. 6. Vnde ſæpe contigit in eis erraſſe etiam ſummos Principes, non ſine vitæ diſcrimine, qui dum feras ſe venari exiſtimarunt, pro voluptate dolorem ſunt conſequuti.

Venatio ad quid conducat.

TH. Ad voluptatem enim magis animi, quam corporis inſtituta venatio eſt; ſed ſi etiam corporis, vt exerceatur, quo magis ad animi virtutem capeſcendam fiant ſenſus idonei, laudanda eſt.

PH. Ego

PH. Ego venationi per ſyluas aliquando etiam incumberem, ſi id contingeret, quod tradit Clemens Alex. ſtrom. lib. 6. Nam in quibusdam Britanniæ ſyluis tradit, cum mouentur folia, per repentinum & denſum ſpiritus impetum edi ſonum, auium cantui perſimilem, atque illud mihi obleǰamentum videtur in ſyluis eſſe quærendum: hoc enim etiam philoſophari dici poſſet; nam vel ipſa eius rei inueſtigata cauſa præbet obleǰamentum; ventus enim lenis, qui irruit in ſyluas, permeat varias arbores, repercuſſusque variis modis frangitur, ramis, foliis, atque aliis eiusmodi obſiſtentibus: cum igitur erumpat velut à ſciſſuris ac foraminibus, lenem illum ſonitum ſibilumque edit, velut cantilenam imitantem, vt colligere licet ex ſententia Senecæ Natur. lib. 2. c. 28. & alias quoque diximus.

EQ. In venatione (niſi ab ea à diuinis publicisq;, ad quas tenemur, rebus nos diuertamur) culpam abeſſe putarim; nam otium torporque vitantur.

TH. Sanctus Hieronymus aliter ſentire videtur: ſic enim ille in Pſal. 90. *Eſau venator erat, quia peccator erat, & penitus non inuenimus in ſcripturis ſanctis Sanctum aliquem venatorem.*

EQ. Attamen ſanctum Euſtachium legimus fuiſſe venatorem: de illo enim & Damaſcenus lib. 3. de imaginibus egregie loquitur, vt videas ex ſyluæ & venationis occaſione hominem ad ſanctitatem euocatum, accedente diuino miraculo. At Metaphraſtes 20. Septembris id ſic habet: Euſtachius, ſeu Placidas, quando ei à bello in hoſtes gerendo dabatur requies, oblectabatur venatione, quæ eſt belli meditatio; porro autem cum ei aliquando egreſſo ad venandum renuntiaſſet explorator, ceruos in armentum non procul paſci, Placidas quidem (vt mos eſt) diſponebat eos, qui ſecum venabantur, & ordinabat venationem; interim autem, dum occupati eſſent, qui cum eo erant, in dumis apparens quidam ceruus ingentis magnitudinis, & curſu alios anteuertens, illius ad ſe conuertit oculos, & tamquam inſignis quidam hoſtis prouocabat illum, vt ſecum confligeret; atque eorum quidem qui cum eo venabantur, alios, ſicut ordinauerat, ita armentum ceruorum perſequi ſiuit, ipſe autem cum paucis, laxatis frenis, vehementer illum magnum perſequebatur; deinde aliis iam defeſſis ſolus ipſe poſt eum currebat, cum nec equus eſſet defeſſus, nec retardatus eſſet eius impetus, donec ceruus, cum eum vidiſſet ſolum relictum ab aliis, in verticem montis & præruptam petram, quod quidem cerui naturam ſuperat, inſiliens, & pedes repreſſit à curſu, & venatorem à perſecutione: hoc autem erat, non venatorem eſſe prædæ propinquum, ſed ipſum cerni captum ab eo, quem perſequebatur. Nam cum Placidas conſideraret, quanam via poſſet petram conſcendere, & à tanta præda non excidere, capitur ipſe potius à diuina & magna ſapientia: nam ſupra caput cerui, qui apparuit, & ex vero eius cornu ſalutaris crucis erat ſignata figura, colore admodum ſplendido & luminoſo, in ipſa autem ille, qui carne fuit pro nobis paſſus, tamquam in tabula formatus erat in aere; ex illo autem ſpectaculo vox quædam audiebatur dicens: *Placida, quid me perſequeris?* & quæ ſequuntur: nam & Chriſti fidem ſuſcepit, Euſtachii nomine ſumpto, & egregius poſtea Martyr effectus, vt vel ſic gaudere licuerit ei aliquando fuiſſe venatorem, quando ex venatione & ſalutis, & gloriæ occaſio aliquando per Dei gratiam ei fuerit oblata, quæ etiam Nicephor. affirmat lib. 3. cap. 29.

TH. Hoc argumentum de venatione Euſtachii animaduerterunt etiam ii, qui ſacros canones interpretati ſunt diſt. 86. in c. Eſau. Verum venatorem eum fuiſſe

atte-

atteſtantur, dum peccator eſſet, at vbi fidem agnouerat, & ſe Chriſto iunxerat, à venatione prorſus abſtinuit, vt Deo ſeruiret. Verum ſi à diuinis nihil dimoueatur, qui venatur, venatoris nomen non acquirit, quaſi artificis: venatur quidem, ſed venator dici non debet: non enim quisquis venatur, ſtatim venator eſt.

EQ. Probe mihi hoc perſuadetur: nam & in venatione Principibus diuina quædam contigerunt commemoranda, dum laxandi animi cauſa venarentur, cum tamen venatores neque eſſent, neque dicerentur, libet adferre, quæ habet Nauclerus generat. 35. qui Henrici III. Imperatoris ad imperium prouectionem ex venatione promanaſſe ſcribit. Sic enim ille. Fertur, quod Luitpoldus Comes de Raſu pacis violator vitæ ſuæ timens Imperatorem Corradum II. fugitans cum vxore prægnante, venit in ſyluam, quæ nigra dicitur, latitansque in tugurio cuiusdam pauperis clam ſe cum vxore abſcondit. Contigit tum, quod Imperator, dum feras inſequitur, illuc caſu fortuito ad tugurium diuertiſſet: aberat autem Comes Luitpoldus, eaque nocte vxor eius maſculum peperit, quo vagiente vox audita eſt: *O Imperator, infans iſte erit tibi gener, & heres.* Territus Imperator, mane facto, famulis duobus præcepit, vt infantem occiderent, iam à patre & matre metu derelictum: famuli miſericordia moti puerum ſubtus arborem abſcondunt, & cor leporis pro corde pueri adducunt. Dux Sueuiæ Hermannus præteriens etiam venationis cauſa puerum reperit, atque recollegit, tandem in filium adoptauit. Longo poſt tempore Imperator (is erat Corradus II.) videns adoleſcentem hunc compoſitum, rogat Ducem, vt ſibi eum traderet moribus imbuendum, quo facto, incidit aliquando Imperatori commemoratio ex coniecturis variis puerum hunc eſſe, quem mandauerat occidi, & volens fata illudere, literas adoleſcenti tradidit Reginæ deferendas huiusmodi tenoris: *Si tibi vita propria curæ eſt, mox receptis literis clam facias portatorem occidi.* Arripuit iter adoleſcens nihil mali ſuſpicatus, Spiram celerius venit, & ad Decanum maioris Eccleſiæ diuertit: dormiente eo, Decanus curioſitate ductus literas aperuit, & abhorrens à tanto facinore, pro verbo, *occidi facias*, ſcripſit, *filiam noſtram vxorem tradas*, quod & Imperatrix feciſſe fertur. Ad hæc audita ſtupens Imperator, ſingulaque reuoluens, didicit à Duce Hermanno, adoleſcentem hunc filium eſſe de Raſu, & ſerie rerum audita placatus generum poſt ſe Imperatorem deſignauit. Ita Vincentius Gallus, Gotfridus Viterbienſis, Martinus, Hermannus & nonnulli alii ſcriptis tradunt. Hactenus Nauclerus. Ex quibus venatio tantarum rerum occaſio comperta eſt, ſed ob hæc venationi non eſt adeo indulgendum: nam & aduerſa quoque contingunt. Grimoaldus enim Longobardorum Rex, cum arcu columbam petit, aperta lacerti vena recenter à Medicis curata, tantum fudit ſanguinis, vt etiam fuerit exanimatus, id tradit Fulgoſ. lib. 9. ſicut & Ioannes Maurus Imperator Conſtantinopolitanus aprum arcu interempturus ſagitta venenata vulnerauit ſuam ipſius manum, vnde intra paucos dies occubuit, eodem Fulgoſo teſte.

Magnatum interitus ex venatione.

PH. Alii ſunt etiam commemorandi: nam Aſtulfus Longobardorum Rex ab apro in venatione ipſe interfectus eſt. Falco etiam Gallus Hieroſolymorum Rex leporem inſequens equo labitur, & exanimatur, vt eodem lib. 9. Fulgoſus tradit, & Petr. Hiſpal. in vita Corradi III.

TH. Baſilius etiam Macedo Imperii anno 20. à ceruo percuſſus in venatione moritur, vti habet Baptiſta Egnatius lib. 2. Sed & Ludouicus Bauarus Imperator venando, & concitatius equitando apoplexia correptus expirauit: nam à cibo cum vene-

veneni ſuſpicione angeretur, putauit venatione atque agitatione periculo ſe occurſurum, at contra euenit: nam vrſum inſequens apoplexia eſt correptus, & equo lapſus expirauit. Krant. Saxon. lib 9. c. 22. vt memorat Petr. Hiſpal. in ipſo Ludouico. Quamobrem ſi conferantur infortunia ſecundis rebus, quæ in venatione acciderunt, ſuperat infortuniorum numerus. Ideo ſobrie cauteque, atque ad animi relaxationem equitibus modeſte exercenda, non ad aſſiduam quandam quaſi artem. At de venationibus & ſyluis ſatis.

EQ. Nondum ſatis, ſi vt de terreſtribus, ita quoque & de maritimis ſyluis agere velimus, non vt nos irrideat Plautus, quaſi in mari velimus apros venari, aut nos irrideat Venuſinus ſuo carmine dicens:

Delphinum ſyluis appingit fluctibus aprum.

Veruntamen etiam in mari ſyluas reperiri apertiſſimum eſt, & in eis piſces, atque etiam haud dubie Delphinos, vt ſic & inter ſyluas Delphinos liceat appingere. Plinius enim lib. 13. c. 25. tradit, in rubro mari denſiſſimas eſſe ſyluas, easque vti in terris propagari, lauros videlicet oliuasque baccas quoque fructificare, vt & veræ ſyluæ cognoſcantur, etiam in eodem mari inter ſyluas fungos naſci, qui poſtea Sole tacti dureſcunt in lapides; & ne quis putaret arbores huiusmodi paruas eſſe, adiicit, eas ab imo mari aſſurgere in altum, multaque proceritate propagari, atque perpetuo ſeruare folia. Hæc ibi Plinius.

PH. Non eſt hoc incredibile: nam & ii, qui nouum Orbem perluſtrarunt, tradunt, maritimam oram Cubæ refertiſſimam eſſe arboribus Mangli; eæ enim radices in mari mittunt, ſalſiſſimisque vndis quo magis immerſæ ſunt, eo magis adoleſcunt, ſemperque virent, excreſcuntque in immenſam proceritatem ſupra maris ſuperficiem. Ouet. hiſt. lib. 20. circa calcem libri. Quin idem tradit lib. 9. adeo huiusmodi arbores ramoſas eſſe, vt à ſummo ſtipite flectantur, & adusque in terram propagentur, efficiantque opus egregium, quaſi concameratum, quod nulla arte fieri poſſet; quæ etiam narrat Petr. Martyr eſſe in portu Canai nouæ Hiſpaniæ.

TH. In mari arbores adoleſcere, miracula quoque habere paſſim legimus. Plin. enim lib. 13. cap. 25. tradit, arbores quasdam in Indico mari ſuccreſcere, quarum frondes ſub aqua virides ſint, at extra Sole tactæ vertuntur in ſalem, idque experimento didiciſſe Alexandri Magni milites prodit ibi Plinius, quod & alias occaſione alia diximus.

PH. Admiranda illa eſt arboris natura, quam explorarunt iidem Alexandri milites eodem Indico mari, arbuſculas videlicet reperere colore bubuli cornus ramoſas, & cacuminibus rubentes, quæ cum tractarentur, vitri modo fragiles erant, in igne autem vt ferrum inardeſcebant, vbi forent reſtinctæ, priſtino colori reddebantur. Hæc Plin. lib. 13. c. 25. quod alias quoque diximus.

EQ. Et aliud arbuſti genus admirandum eſt in mari: ſcribit enim Iuba, circa Troglodytarum Inſulas fruticem in alto eſſe Corallio ſimilem, ſine foliis, mutato colore in nigrum, dureſcere, cum cadat, frangi. Plin. lib. 13. c. 25. cui ligno accedunt, quæ in noui Orbis littoribus comperta ſunt ligna, intra mare exciſa tanta duritie eſſe, vt oſſea videantur, colore nigerrima, lapideo cortice, quæ admota igni numquam aliter ardere potuiſſe memorant, quam piſcium abdomine addito. Ouet. hiſt. lib. 20. c. 11. Rurſum aliud ligni genus eſt, quod certe probe accenditur, elucetque plurimum, ſed accenſum extingui non poteſt, priusquam totum abſumatur. Petr. Hiſp. p. 5. c. 26.

Myrica ſylueſtris aquatiliſq.

TH. Iure igitur admiratur ſanctus Baſilius, myricam reperiri non ſolum ſylueſtrem, ſed etiam aquatilem, & quia geminæ vitæ eſt, vt ſcilicet mari viuat, & terra iuxta ſolitudines, ſignificari docet hoc arbuſculo malignos homines, & in vtramque partem mores ambiguos habentes; propterea huic myricæ huiusmodi homines comparat Hieremias c.17. & 48. cum dicit: *Et erit quaſi myrice in deſerto.* Hæc ex S. Baſilio in exem. hom. 5. vt ſic myſterii plena res eſſe videatur, quum in mari arbores reperiantur.

PH. Quod eſt commemorandum, non ſolum ex myrice, verum & ab omnibus arboribus, quæ ſimul terra ac mari coaleſcunt, vt hominum illorum mores ſignificentur, qui in vtramque partem claudicant, ſicut Propheta Helias clamitat 3. Reg.c.18. cum dicit: *Vſquequo claudicatis in duas partes?* Sic ſane iis res hęc cõferri poteſt, qui in rebus publicis ita ſe gerunt, vt ſe cum ſeditioſis & cum piis componant, & vbi res profit, ibi ſe locent veſpertilionum more cum auibus, & cum quadrupedibus vitam degentes; ſed ad alias aquatiles arbores tranſeamus.

Lotos arbor.

EQ. Commemoratione mihi digna videtur arbor illa Euphratis fluuii, cui nomen eſt Lotos, interdiu terreſtribus aut aereis animalibus comparatur, noctu piſcibus. Eſt enim in Euphrate arbor hęc Lotos huius proprietatis, vt veſpere cum flore mergatur vsque in medias noctes, totaque abeat in altum, vt ne demiſſa quidem manu poſſit inueniri: vertitur deinde, paulatimque ſubmergitur, & ad exortum Solis emergit extra aquam, ac florem patefacit, atque etiamnum exurgit, vt plane ab aqua abſit alte. Plin.lib.13.c.18.

PH. Commemorabilis æque eſt illa arbor, quæ circa Tylem maris rubri Inſulam naſcitur: in illo enim tractu arbor eſt folioſior, roſeique floris, quem noctu comprimens aperire incipit Solis exortu, meridie expandit, incolæ dormire eam dicunt. Plin.lib.12.c.11.

EQ. Eiusdem maris Inſulæ Tylos tractu frutex eſt baculis tantum idoneæ craſſitudinis, varius tigrium maculis, ponderoſus, & cum in ſpiſſiora deciderit, vitri modo fragilis eſt. Plin.lib.16.c.41.

TH. Nec videtur prætermittendum, arbores etiam per mare vagari virentes erectas radicibus adhuc ſuis innixas, quod alias occaſione alia diximus. Plin. lib.16. cap.1. ſic habet: *Altiſſimæ haud procul à Cauchis Aquilonaris cœli incolis, circa duos præcipue lacus, littora ipſa obtinent quercus maxima auiditate naſcendi, ſuffoſſæque fluctibus, aut propulſæ flatibus vaſtas complexu radicum Inſulas ſecum auferunt, atque ita libratæ ſtantes nauigant, ingentium ramorum armamentis, ſæpe territis claſſibus noſtris, cum velut induſtria fluctibus agerentur in proras ſtantium noctu, inopesque remedii illæ prælium nauale aduerſus arbores intrent.*

EQ. Eſt hoc plane omni ſeculo memorandum, quandoquidem abſque pugna ea viciſſet claſſis, quæ & milite carebat & armis, ſola arborum amplitudine fulta. Verum hactenus de aquatilibus arboribus; admiror tamen adeo ingentes in Septentrione frigido cœlo arbores adoleſcere: nam in Germania compertas arbores, quæ ſolæ excauatæ faciant cymbam multorum hominum capacem, tradit Plin.lib. 16. cap.40. *Germaniæ* (inquit) *prædones ſingulis arboribus cauatis nauigant, quarum quædam & triginta homines ferunt.*

PH. Non eſt hoc incredibile, in tanta temporum vetuſtate, qua ſyluæ ibi non exciduntur, ſed ſua diuturnitate humido ſolo luxuriantur in quamlibet amplitudinem propagatæ, quodque aſibi ſumma caloris vis breui tempore efficit, illud in

Septem-

Septemtrione efficere poteſt diuturnitas: proceritas igitur arborum longe frequentior ſub cœlo feruido. In Hercinia igitur ſylua roborum vaſtitas tanta ex antiquitate eſt, vt attollantur colles occurſantium inter ſe radicum repercuſſu, aut vbi ſecuta tellus non ſit, arcus ad ramos vsque, & ipſos inter ſe rixantes curuari portarum patentium modo, vt turmas equitum transmittant. Plinius libro decimo, capite ſecundo. Sed & apud Nigritas (vulgo Gambræ regnum nuncupatur) viſæ arbores proceritatis tantæ, vt ad dimenſionem paſſuum 20. longitudine extendantur, at trunci craſſitie ambitu ipſo capiat pedes quadraginta circiter, vti ſe vidiſſe teſtatur Aloyſius Cadamuſtius, atque ita ſit coniectura, patuiſſe quaquauerſus eius arboris ſtipitem recta dimenſione planum ad pedes quindecim: totius enim ambitus circularis ſuperficies in lineam rectam tertiam, & eo amplius partem occupat.

EQ. Non ergo fuerit incredibile, quod de noui Orbis Braſiliæ arboribus tradiderunt nonnulli, craſſo latoque adeo ſtipite reperiri, quæ ſi excauentur, ſolidę rates ex vnica arbore fiant, capiantque etiam quadraginta homines, vti narrat Antonius Pigafetta.

TH. Non hoc tantum Braſiliæ arborum proprium eſt, quandoquidem etiam apud orientales Indos, nempe in ditione Calicutii rates paſſim fiunt ex ſingulis arboribus excauatis, in longitudinem etiam paſſuum tredecim, malus remique earum ex arundinibus fiunt. Ludou. Barth. de reb. Indic. lib. 2. c. 11.

EQ. Ita fiet, vt fides etiam adhiberi poſſit iis, quæ traduntur de arboribus, quæ iuxta fluuium Maragnon omnium maximum noui Orbis enaſcuntur. Ferunt enim eas (in terra Paria præcipue) tanti eſſe arbores ambitus, vt ſex homines amplexibus nequeant ambire, atque ita pateat, earum ambitum excedere palmos triginta, vti ſcribit Petr. Mart.

TH. Excedunt hanc dimenſionem arbores eiusdem noui Orbis in Inſula Ceiba, quas nec quatuordecim viri protenſis brachiis valeant circumambire. Ouetanus hiſt. lib. 9. c. 11. & Petr. Hiſp. p. 5. c. 22. *Arbores latiſſimæ craſſitudinis.*

PH. Erunt igitur eæ præcipue nauigiis faciendis percommodæ: ſic enim patere poſſunt rates ad palmos propemodum viginti; (cum pleræque ad duodecim patentes fiant) at ob proceritatem arborum adeo inſignem maximis perennibusque fluminibus transmittendis pontium loco à ripa in ripam ſuperſtatuuntur. Ouetan. ſumm. c. 79.

EQ. Nec hoc eſt à fide alienum, quum adeo in India excreſcant in altum, vt nec ſagittis transiaci poſſint. Solin. c. 53. & Plin. lib. 7. c. 2. Propterea quod Ouetanus tradit, arboris radices è terra adeo excreuiſſe, vt ſub curuatura earum currus permearet. Plinio conuenire videtur lib. 10. c. 2. Ita ille ſumm. c. 79.

PH. In Arabia morum adoleſcere ad cubita quinquaginta Iuba tradidit, vt teſtatur Plin. lib. 15. c. 24. ſed non adeo res eſt hæc inſignis, vti ea, quam narrat Plin. lib. 16 cap. 40. *Ampliſſima* (inquit) *arborum ad hoc æui exiſtimatur Romæ viſa, quam propter miraculum Tiberius Cæſar in ponte Naumachiario expoſuerat, durauitque ad Neronis Principis amphitheatrum. Fuit autem trabs è larice longa pedes 120. bipedali craſſitudine æqualis, quo intelligebatur vix credibilis reliqua altitudo faſtigium ad cacumen æſtimantibus.* Et mox: *Abies admirationis præcipuæ fuit in naui, quæ ex Ægypto Caii Principis iuſſu obeliſcum in Vaticano circo ſtatutum, quatuorque truncos lapidis eiusdem ad ſuſtinendum eum adduxit, qua naue nihil admirabilius viſum in mari certum eſt; 120. millia modium lentis pro*

ſuburra ei fuere: longitudo ſpatium obtinuit magna ex parte Oſtienſis portus latere læuo. Arboris eius craſſitudo quatuor hominum vlnas complectentium implebat. Et mox: *Maxima ea in Cypro traditur ad vndeciremem Demetrii ſucciſa centum triginta pedum, craſſitudinis vero ad trium hominum complexum.* Hæc ex illo ſumma commemoratione digna.

Arbores pedibus 144. altiores.

EQ. Apud eundem Plinium lib. 3. c. 32. legi, in Fortunatis Inſulis compertas arbores aſcendiſſe in tantam altitudinem, vt 144. pedes excederent.

TH. Digniſſima omnia hæc, quæ commemorentur: at illud mihi videtur inſigne, quod in arboribus ædes conſtruantur; in ipſa enim noua Hiſpania inter ingentium arborum ramos palatia ædificari à proceribus commemorant, præcipue vero à Regulo Abibeiba extructum fuiſſe, & ipſum ampliſſimum in arbore, cuius ambitum octo hominum vlnæ ſe complectentium non implebant, tradit Petr. Martyr Summ. inhabitaſſe autem vnam ex iis ædibus plusquam ducentos familiares, tradit Petr. Hiſp. p. 5. c. 26.

EQ. Ideo non abhorret à vero, quod tradit Plinius de quibusdam platanis mirum in modum in altum latumque ſe effundentibus: *Clara eſt* (inquit) *arbor in Lycia gelidi fontis ſocia amœnitate itineri appoſita, domicilii modo caua, octoginta atque vnius pedum ſpecu, nemoroſo vertice, & ſe vaſtis protegens ramis arborum inſtar, agros longis obtinens vmbris, tam digna miraculo, vt Licinius Mutianus ter Coſ. & nuper prouinciæ eius Legatus prodendum etiam poſteris putarit, epulatum intra eam ſe cum duodeuigeſimo comite, & cubuiſſe in eadem.* Et mox: *Aliud* (inquit) *exemplum Caii Principis in Veliterno rure mirati vnius tabulata, laxisque ramorum trabibus ſcamna patula, & in ea epulati, cum ipſe pars eſſet vmbræ 15. conuiuarum, ac miniſterii capace triclinio, quam cœnam appellauit ille nidum.* Hactenus ille.

TH. Sunt eæ Platani admirandæ tantam ob vaſtitatem, & humani vſus vtilitatem: verum admirari quoque libet à foliorum incredibili amplitudine; ſingula enim folia arborum tres pedes lata ac duodecim longa in continenti Inſulæ Hiſpaniolæ à ſe viſa tradit Ouet. hiſt. lib. 8. c. 1. & ſumm. c. 81.

EQ. Perſimilia folia ſunt in prouincia Malabar in Cael vrbe cuiusdam infructuoſæ arboris: ad ſex enim cubita longitudo eorum protenditur, totidemque fere latitudo; ſed quod eſt maxime memorandum, tenuia admodum ſunt, atque telæ modo ad plicandum percommoda; nam & papyri ad ſcribendum etiam vicem præſtant, atque in pluuiis ampliſſimum tutiſſimumque tectorum modo vmbraculum, vti tradit Nicol. de Comit. Cui accedit, quod memorant in Calicutis Regno compertam eſſe arborem, cui tantummodo ſint quatuor aut quinque folia ramorum vice expanſa, quorum latitudo tanta eſt, vt hominem à Sole ac pluuiis ſingula tegant, arbori nomen eſt Melapolange. Lud. Barth. Indic. lib. 2. c. 14.

Muſa arbor.

PH. Ex iis igitur fidem aſſequuntur ea, quæ tradit Leonius, in Africa videlicet exiſtere arborem fructiferam, cui nomen Maus, ſeu Muſa, cuius folia vnius brachii quaqua verſus menſuram occupent; eſt enim hoc in fructiferis arboribus perrarum. Leonius.

Ficus Indica.

EQ. Accedunt commemoranda, quæ de ficu Indica narrantur, tum ob foliorum amplitudinem, tum etiam ob admirandam caudicis naturam: *Indorum pomaria* (inquit Solinus) *ficus habent, quarum caudices in Orbem ſpatio ſexaginta paſſuum extuberantur, ramorum vmbræ ambitu bina ſtadia conſumunt, foliorum latitudo formæ Amazonicæ peltæ comparatur, pomum eximiæ ſuauitatis.* Hæc Solinus c. 53.

PH. De eisdem Plinius lib. 7. c. 2. tradit, tantum in ſoli ſpatium propagari, vt ſub

ſub vna ficu turmæ condantur equitum: quin etiam lib.12.cap.5. *Alexandri* (inquit) *Magni victoria mirata eſt Indicas ficus, quæ ibi exilia poma habet; ipſa ſe ſemper ferens vaſtis diffunditur ramis: quorum pondera adeo in terram curuantur, vt annuo ſpatio infigantur, nouamque ſibi propaginem faciant circa parentem in orbes quodam opere topiario: intra ſepem eam æſtiuant paſtores, opacam pariter, & munitam vallo arboris decora ſpecie ſubter intuenti, proculue fornicato ambitu ſuperiores eiusdem rami in excelſum emicāt, ſyluoſa multitudine, vaſto matris corpore, vt 60.p. pleraq; orbe colligant: vmbræ vero bina ſtadia operiant: foliorum latitudo peltæ effigiem Amazonicæ habet.*

TH. Ii qui noſtro ſæculo orbem luſtrarunt, Inſula Zamal, quæ inter eas adnumeratur, quæ latronum cognominantur, tradunt ficus Indiæ illius admirandæ quidem vaſtitatis eſſe, fructus vero oblongos ad palmi menſuram, folia autem patere ad brachii latitudinem. Ant. Pigaf. In Inſula autem Paulaoan fructum eius ficus non minori longitudine eſſe pedali, competentiſque etiam eſſe craſſitudinis. Idem Pigaf.

EQ. Cum ficuum mentio inciderit, & de eis diſſeramus, libet & de Ægyptiis agere, quorum proprietates quædam commemoratione dignæ ſunt: Solinus enim cap.34. De arboribus (inquit) quas ſola fert Ægyptus, præcipua eſt ficus Ægyptia, foliis moro comparanda, poma non ramis tantum geſtitans, ſed ex caudice, vsque adeo fœcunditatis ſuæ anguſta eſt, vt vno anno ſepties fructum efficiat, vnde pomum decerpſeris, alterum ſine mora protuberat: materia eius in aquam miſſa ſubſidit: deinde cum diu deſederit, in liquorem leuior facta ſuſtollitur, & verſa vice, quod natura in alio ligni genere non recipit, fit humore ſicca. In ſinu quoque S. Blaſii noui orbis à caudice ficus extuberant grandes peponum magnitudine. Ouet. ſumm. cap.71.

PH. Eadem narrat Plinius lib.13. cap.7. *Ficus* (inquit) *Ægyptia materies proprii generis inter vtiliſſimas cæſa ſtatim ſtagnis mergitur, hoc eſt eius ſiccari, & primo ſidit, poſtea fluitare incipit, certoque ſugit eam alienus humor, qui aliam omnem rigat.* Hæc ille. *Ficus Ægyptia.*

TH. Eſt hoc plane admirandum, humore lignum & leuius & ſiccius fieri, cum reliqua ligna humore pondus acquirant: quambrem non adeo facile aſſenſus fuiſſem, niſi id ipſum quoque ſancti Doctores tradidiſſent. Sanctus enim Auguſtinus de ciuit. Dei lib.22. cap.5. *Lignum* (inquit) *cuiusdam ficus Ægyptiæ, non vt ligna cætera in aquis natat, ſed mergitur; & quod eſt mirabilius, cum in imo aliquamdiu fuerit, inde ad aquæ ſuperficiem rurſus emergit, quando madefactum debuit humoris pondere prægrauari.* Quibus etiam aſſentitur Iſidor. lib. 17. cap.7. Illæ præterea ficus alia ratione admirandæ, quod fructum per omnem annum reddant. Nam circa promontorium Comorin toto anno ficus recentes colliguntur, ac menſis apponuntur, vnoque hoc miraculo in illis ficubus contenta natura fuit, vt ſcribit Balthaſſer Nugnez ex Regno Tranacor 1548. Sicut & Ægyptia quædam alia ficus non eſt alio miraculo inſignis, niſi quod ramis ſterileſcentibus, caudex emittit fructum: quaſi cerulei coloris gummi, & in ſuauem fructum augetur, vti tradit Leonius p.1.

EQ. Verum optarim, vt hic interſeratur fici arboris myſterium, foliorum quoque ac fructuum.

TH. Haud dubie ficus arbor quid ſignificet, explicat ſanctus Auguſtin. ſuper Ioan. tractat.7. *Quærendum* (inquit) *quid ſignificet arbor fici; inuenimus arborem fici maledictam, quia ſola folia habuit, & fructum non habuit. In origine humani generis Adam*

& Eua, cum peccaſſent, de foliis ficulneis ſuccinctoria ſibi fecerunt: folia ergo ficulnea intelliguntur peccata. Hæc ille.

EQ. Quod ergo ficus Indica in tantam latitudinem foliorum ſe diffundat, ſignificare videtur, peccata à peccatis ſæpe propagari.

TH. Ficus ipſa etiam myſterium aliud habet; nam vt ait ſanctus Auguſtin. de verbis Domini in Euangelium Lucæ ſerm.31. *Arbor ficulnea genus humanum eſt, triennio fructum non retulit, ſed folia; triennium enim tria ſunt tempora, vnum ante legem, alterum ſub lege, tertium ſub gratia.* Sed & de verbis Domini ſecundum Ioan. ſerm.40. idem S. Auguſtinus per arborem fici repetit ſignificari peccatum: *Cum enim primus homo peccaſſet, foliis ficulneis pudenda contexit.* Hæc ille. Sed cum arborum myſteria quærimus, non folia contemplamur, ſed fructum: cum igitur aut fici aut cuiusuis arboris propagationem miramur, ſimul in foliis atque fructibus bonorum mentes ſignificantur, verba ſcilicet eorum & opera, fidem in confeſſione, tum cordis, tum oris atque etiam operis. Sicut enim columba emiſſa ab arca Noe rediens ramum in arcam de oliua reportauit, qui ramus & folia, & fructum habebat, fidelium figuram tenuit, vt in eis non ſint ſola verba, non ſint ſola folia, ſed ſit & fructus, vt tradit S. Auguſtin. ſuper Ioan. tract.6. At vbi ſola folia ſunt inuenta in arbore, à Domino maledicta, myſterium noſcimus, Matth.21. Marc.11. Sicut igitur Euangelica illa ficus maledicta eſt, quæ toto triennio non niſi folia emiſerat, ita hominem folia ſola habentem ſub maledicto eſſe coniicimus iure: igitur arbores illæ, quas iam paulo antea adeo lata, patentiaque folia habere absq; fructu didicimus, vaniloquentiam hominum ſignificant, quorum nullus ſuccus in operib. bonis reperitur, cum ſeſe totos in verboſitatem, oſtentationemq; diffundant, quibus ſane poeticum illud congruit:

Proiicit ampullas, & ſesquipedalia verba.

Oliua. EQ. Sapienter dictum: verum poſtquam oliuæ in arcam delatæ mentio incidit, non fuerit importunum eius proſequi commemoratione dignas proprietates tum naturæ, tum gratiæ. Admiror in oliuis in brumæ ſolſtitio ipſarum folia conuerti, & quæ pars reliquo anno inferior eſt, brumæ tempore ſuperior fit. Aul. Gell. lib.9.c.7. quamquam id etiam commune eſſe populo ac ſalici, teſtatur Plin.lib.2.c.41. nec, vt puto, vlla eius rei ratio adferri poteſt.

PH. Commemorandum eſt, quod de eius liquore, nempe oleo traditum eſt: quod ſcilicet in profundo aquarum luciditatem adducit, vti habet Plin.lib.2.c.103. his verbis: *Oleo mare tranquillari, & ob id vrinantes ore ſpargere oleum, quoniam mitiget naturam aſperam, lucemq; deportet:* quod etiam memini me legiſſe apud S. Baſilium in exem. hom.2.

EQ. Referunt alia admiranda nonnulli; nam oleum in Syria ex arborib. ſponte naſci tradit Plin. lib.15.cap.7. *Color* (inquit) *fuluus ſponte naſcitur in Syriæ maritimis, quod Elæomeli vocant: manat ex arboribus pingue, craſſius melle, reſina tenuius, ſapore dulci.*

PH. Non ſunt hæc oliuæ proprietates, ideo non ad rem noſtram: nec enim veri olei nomine cenſendus ille liquor, quamuis perutilis ſit: ſicut etiam quædam de oliuis prodigia ſuperſtitioſiora contemnenda ſunt, quale habet Plin.lib.17.cap.25. In agro Marrucino Vectii Marcelli è primis Equeſtris ordinis oliuetū vniuerſum viam publicam transgreſſum eſt, aruiq; inde è contrario in locum oliueti profecti ſunt. Nam tametſi id etiam tradat, non aliunde ſane, quam à Plinio Baptiſta Fulgoſus

goſus lib.1. tamen Chriſtiano homini res cōtemptui habenda. Sicut & illud, quod eodem loco tradit Plinius, oliuam in totum ambuſtam reuixiſſe: fuere enim illa diabolica ludibria.

TH. Ita ſane, nec enim iſta fuerunt naturæ opera: commemorabilius eſt quod tradit S. Auguſtin. de morib. Manich. lib.2. c.8. videlicet oleum humanis corporibus eſſe percommodum, animantium autem multis, quæ ſex pedes habent, vehementer aduerſum: nam muſcas, apes, veſpas ac conſimiles animantes ſtatim necat: propterea aptius nobis fuerit, ſi gratiæ diuinæ miracula in oleo contemplemur.

EQ. Fuit Chriſto naſcente admirandum, de quo alias diximus, quod Romæ tota die oleum manaſſet, vt habet Oroſ. lib.6. c.18. Eutrop. lib.7. Petr. Dam. ſerm. de Natiu. Dom. in prin. Fulgoſ. lib.1. de prodig.

TH. Fuit hoc candido lapillo perpetuis temporibus ſignandum, ſed non oliuarum fuit, vnde nec ex eo Sacramenta confici potuiſſent, cum tamen oleum ipſum tum manaſſe, maximum quoddam fuerit Sacramentorum futurorum arcanum.

EQ. Non ergo ex omni oleo diuinæ res confici poſſunt, quibus oleo eſt opus?

TH. Omnino oliuarum oleum neceſſarium eſt in Catechumenorū vnctionibus, in Chriſmatis confectione, in extrema quoq; vnctione: in calicum, Eccleſiarum, altariumq; ac conſimilibus conſecrationibus, alioqui etiam ſi miraculo oleum redundaret, quoniam oliuæ myſterium non adeſſet, hæc rite fieri nulla ratione poſſent: nam oleum aliunde, quam ab olea ſæpe prodiiſſe conſtat; in Myrea enim vrbe ex marmore tumuli B. Nicolai ſacrum reſudabat oleum ad diuerſas ægritudines perutile. Quin cum aliquando eius vrbis ſucceſſor Epiſcopus à Magnate quodam factioſo fuiſſet vrbe illa eiectus, continuo deſiuit oleum tantæ profluere benedictionis. At vbi idem Antiſtes ſuam recepit cathedram, confeſtim ſalutaris liquor more priſtino cœpit, vti narrat Ioannes Diaconus S. Ianuarii ex Methodio, in vita S. Nicolai, apud Lipom. tom.2. Erat igitur oleum illud ad miraculum, non autem ad hæc Sacramenta idoneum. *Vtilitas olei de oliuis.*

EQ. Quid autem ſi ex aqua oleum fiat ſanctorum Dei manu, cuiusmodi Narciſſi Hieroſolymorum Epiſcopi ſanctitate factum fuiſſe narrat Euſeb. Cæſar. hiſt. lib.6. cap.6. *In magna* (inquit) *& ſolemni Paſchatis vigilia oleum Diaconis & miniſtris Eccleſiæ defuiſſe perhibent, vnde cum vniuerſam multitudinem grauis quædam ægritudo & demiſſio animi occuparet, Narciſſum ferunt his, qui luminaria apparabant, præcepiſſe, vt aquam ex puteo haurirent, & ad ipſum adferrent: quo abſq; mora peracto, eum ſuper aqua orauiſſe, & naturam aquæ in olei naturam commutatam.* Hæc ille: & ex illo oleo etiam ad ipſius Euſebii ætatem ſeruatum eſt: vti ipſe ſcribit eodem loco. Nunquid igitur huiusmodi oleo Sacramenta confici poſſent? *Aqua oleū facta eſt.*

TH. Non poſſunt, quoniam (vt diximus) oleæ fructus requiritur, non aliunde quæſitus: iſta enim miracula igni fouendo tantum facta ſunt, non Sacramentis conficiendis: nam & Conſtantius manſionarius Eccleſiæ Anconitanæ S. Stephani, cū oleo lampades omnes carerent, neq; opplendi eas ei vlla olei portio ſuppeteret, eas aqua oppleuit, elychnis impoſitis ac ſuccenſis: arſit aqua illa perinde, atq; ſi oleum fuiſſet, vt teſtatur S. Greg. Dial. lib.1. c.5. Vt igitur verum Sacramētum ſit, veritas quoq; elementi requiritur, quamobrē, ſi quando legimus in ſcripturis: Oleū de ſaxo duriſſimo, non ita accipiendum putemus, vt oleum melq; à petra manarint

abſque olea,atq; apibus. Ideo cum Iob diceret c.29. *Petra fundebat mihi riuos olei*, accipienda eius verba ſunt,ita vt è petroſo loco ſua oliueta fœcundiſſima multo oleo affluerent: ita enim interpretatur S.Thomas Aquinas illum locum. Eodem quoque modo accipienda ſunt Deuteronomii verba c.32. *Vt ſuggeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo*, *ex apibus in petra nidificantibus & oleis petra adultis*: hoc igitur oleo vere Sacramenta fiunt.

EQ. Quum vero oleum augetur,ſicut 4.Reg.c.4. Eliſæus ex modico oleo viduæ vaſa plura oppleuit,nunquid miraculo factum oleum,cum ex olea non manarit,verum oleum non fuit?

TH. Longe differunt, oleum aliqua alia re vel fieri vel mutari, & oleum augeri; ſicut enim idem homo eſt,qui infantulus creuit in hominem, & planta, quæ creuit in arborem, & verus panis,piſcesq; quos multiplicauit Chriſtus: ita verum oleum viduæ fuit oleo multiplicatum, ideoque fuiſſet idonea Sacramentis materia: ſicut etiam fuiſſet oleum illud, de quo meminit ſanctus Gregor. Turonen. lib. in glor. Mart. cap. 5. In Pictauienſi etenim ſanctimonialium Monaſterio,in quo à Radegundi Regina crucis Domini noſtri portiuncula allata ſumma religione colebatur, lampas erat perpetuo ardens, quæ quo magis ardebat, in ea magis oleum redundabat, adeo vt vnius horæ ſpatio plusquam ſextarium promanaſſe à parua lampade propriis oculis ſeſe ibi conſpexiſſe teſtetur Gregorius. Erat meo iudicio omne, quod profluebat, verum oleum,& Sacramentis idoneum, cum auctum oleum eſſet verum, non autem aliunde, atque ex alia vlla materia creatum.

EQ. Fiunt ergo (vt video) ex oleo in Eccleſia Dei longe plura Sacramentorũ arcana,quam rebus quibuscunq; aliis: nam adhibetur baptizato, adhibetur cum balſamo confirmando, adhibetur Sacerdoti ordinando, adhibetur morienti, adhibetur Epiſcopo,adhibetur Imperatori, Regibus quoq;, adhibetur Eccleſiis & altaribus,adhibetur calici; atq; ex his ſemper gratia Dei à piis hominib. ſuſcipitur: nam vt interim miremur ſanctificationem iſtam vnico exemplo,certum eſt ſanctificato & inuncto altari per Dei virtutem Angelum ibi perpetuo quaſi cuſtodem aſſiſtere,vti è Sophronii prato ſpirituali didici cap.10. & alias occaſione alia recenſuimus, iuxta Iordanem Barnabam Abbatem inſignis ſanctitatis virum altare erexiſſe, & conſecraſſe facultate ſibi conceſſa, atque eam ob ſanctificationem Angelum altari illi aſſiſtentem etiam poſtea viſum, qui diceret, ſe loci cuſtodem à Deo fuiſſe conſtitutum. Quapropter admiror, ſi hæc olei ſanctificatio efficit, vt Deus mortuo lapidi etiam Angelum adſcribat, quid putandum eſt; cum hæc olei ſanctificatio homini ratione pollenti,pro quo & Chriſtus mortuus eſt, adhibebitur? at vtinam hæc impii ceremoniarum hoſtes contemplarentur aliquando,& vt tantæ rei experimento virtutem perdiſcere liceret,reſipiſcerent.

TH. Conuertentur aliquando per Dei gratiam, niſi cognitam veritatem obdurato,impœnitentique corde velint impugnare,ſed ad rem redeamus. Ideo enim extra Sacramenta etiam ex oleo miracula quædam permittit Sanctis ſuis patrare; vt vel ſic diſcant impii longe efficaciorem in Sacramentis eſſe veritatem: oleo enim ſimpliciter benedicto aliqui incolumes facti ſunt abſciſſione brachii, vt ſcribit Greg.Turon.hiſt.Gall.lib.2.cap.37. Surdi etiam,muti, cæci eadem vnctione ſanati ſunt, eodem Gregor. teſte hiſt.lib.6.cap.7. Infirmos omnes curabat ſancta Genoueſa olei puri benedicti vnctione, non ex Sacramento,cum ſibi vti mulieri non congrue-

congrueret,ſed miraculo, vti ſcribit Ricard.diſp.23.diſt.2.q.2. Infinitos propemodum ſanauit B.Martinus,vti ſcribit Seruus Sulpicius in Dialogis de vita eius,& omnes Lipomani octo tomi huiusmodi benedicti olei miraculis referti ſunt, adeo vt pateat à Chriſto nato in hunc vsque diem ab hoc elemento benedicto ſemper miracula promanaſſe, vt inexcuſabiles ſint,qui Romanæ Eccleſiæ Catholicæ ritibus aduerſantur.

EQ. Quin etiam addendum puto, Deo placuiſſe,non ſolum ab oleo à fidelibus benedicto in piorum vtilitatem promanare miracula, verum etiam ad ſuperſtitiones abolendas, cum & dæmon ſua maleficia etiam oleo confingat. Cum etenim Myream ciues è Tanai B. Nicolai reliquias adoraturi adnauigarent, dæmon, mulieris ægræ perſona aſſumpta,illis oleum quoddam dono dat execrandum, diabolica confectum arte, vt ſic miſeri naufragium paſſuri à ſancta peregrinatione fruſtrarentur: naufragantibus igitur Nicolaus apparuit, iuſſit oleum naufragii cauſam in mare abiicere,abiectum fumum fœtoremq; emiſit, ac vndis ipſis cœpit ardere,adeo vt dæmoniacum opus euidētiſſime apparuerit: reſtituta ſerenitatē, felici aura peregrinationē peregerunt, vt teſtatur Ioannes Diaconus ex Methodio; & in vita S. Nicolai. Lip.tom.2. Sed & Leonardus Iuſtinianus in ipſius S. Nicolai vita idem tradit,atque hoc miraculo olei illius execrandam ſuperſtitionem apertam fecit,vt pii homines & ab ea diuerterent,& in vera fide confirmarentur. Sed de oleo hactenus.

PH. Succedere ex ordine debet liquor,qui in Sacramentis præcipuus eſt, & à vite cum inſigni omnium arborum prærogatiua promanat. De arbore igitur vitis primum diſſeramus quidquid egregium,commemorandumq; de illa fuerit. Atq; in primis annotandum, eſſe illi quendam quaſi ſenſum,olfactumq;. Plinius enim lib.17.c.24. ſic de ea: *Quarundam plantarum odor lædit vites, ſicut raphanus, & laurus, olfatrix enim intelligitur; & tangi odore mirum in modum. Ideoq; cum iuxta ſit, auerti & recedere, ſaporem inimicum fugere: odit & caulem & olus omne, odit & corylum, ni procul abſint, triſtis & ægra.* Hæc ille. *Arbor vitis.*

TH. Sunt alicubi vites à fertilitate incredibili, & ab amplitudine dignæ, quæ commemorentur. Romæ enim vna vitis in Liuiæ porticibus ſubdiales inambulationes vmbroſis operculis opacabat, eademq; duodenis muſti amphoris fœcunda. Plin.lib.14.cap.1.

EQ. Commemorabilius eſt, quod Strabo tradit de amplitudine caudicis vitium: ſcribit enim lib.2. in Margiana tantæ eſſe amplitudinis, vt bini homines ſtipitem nequeant iunctis vlnis amplecti. Quin memorat Plin lib.4.c.1. ſe conſpexiſſe in vrbe Populonia, ex vnius vitis ſtipite confectum Iouis ſimulachrum perſeueraſſe multis æuis incorruptum: vuarum autem botros tradit Strabo eod.lib.2. bipedali lōgitudine eſſe: quin etiam lib.11.tradit in Mauritania adeo grandes eſſe vites,&earum botros,vt ſinguli ad duo cubita in lōgum metiantur. In Carmania botros extendi ad duo cubita tradit lib.15. Eadem quoq; habet lib.17.

TH. His facile adhiberi fides poteſt,quandoquidē exploratores à Moyſe miſſi in terram Chanaan abſciderant palmitem cum vua ſua,quem portauerant in vecte duo viri: vt eius amplitudo inde pateat,quod duorum hominum viribus indigeret botrus vnus,vt commode ferri poſſet. Num.13.

EQ. Recentiores,qui orbem perluſtrarunt,admirantur vuarum & magnitudinem, & fertilitatem ſimul,& acceleratam maturitatem. Nam primum Leonius

Oooo tradit

tradit in Africa in vrbe Tagodaſt in Haſcora tantę eſſe magnitudinis vuarũ acinos, vt ſortiti ſint nomen, quo nuncupantur oua gallinacea, non quod vere æquentur illis, ſed quia præ reliquis omnibus vuis ouorum gallinaceorum magnitudini propius accedant. Ita ille p.2. Deinde Aloy. Cadam. tradit in Inſula Madera inter Canarias vuas longiores eſſe quatuor palmis, & Martio Aprilive maturas eſſe, acinosque nucleo carere, in vrbe Merim Syrię compertum ſibi eſſe tradit Lud. Barth. cap.3. Vuas agreſtes matureſcere Martio menſe in Inſula Hiſpaniola ſcripſit Petr. Mart. ſumm.

PH. Franciſcus Aluarez ſcriptum reliquit, in Caxumo Æthiopiæ vuas Ianuario menſe maturas, atque etiam alibi Æthiopicis regionibus Martio menſe, aut Aprilis initio.

EQ. Accedit & Ouetan. hiſt. lib. 4. c. 2. qui commemorat, in vrbe S. Dominici noui orbis Decembri, dieq; Natalis Domini vuas maturas excerpi.

TH. Ambroſius Perez ex Baia Saluatoris eiuſdẽ noui orbis ſcribens 1555. memorat bis vites fructum exuberantiſſimum reddere; verũ colonis incredibilis cura incumbit, vt ſub eis cubant, ne ingentium formicarum vi (quarum ibi maxima copia eſt) corroſis germinibus abſumantur.

PH. Quod ego in vite admiror, plurimum eſt, cum eius fructum ſuccumq; reliquæ arbores exſugunt. Arbores enim vinum bibunt, ex eoq; magis radicibus firmantur & adoleſcunt, vti tradit Plin. lib. 12. c. 1.

EQ. Si igitur arborum firmandis radicibus conducit, qui ex vite eſt ſuccus, quod vinum dicimus, lõge magis hominũ vires confirmabit. Nam toto orbe nulla arbor, herbave, nulla penitus condimenta, nulla aromata, nullæ res arte confectæ hoc efficiunt, quod vinũ homini, vt non ſolum corporeas vegetet partes, verũ etiam cum phantaſiam, cogitatiuamque facultatem coadiuuet, etiam ad animam ferme intellectiuam penetrare videatur, dum organa affixa adeo probe diſponat, vt hilarem faciat, illuſtret, atq; etiam ipſam corroboret memoriã, vnde intellectus ſuas functiones exerceat illuſtrius, ſi à ſapiente, morigeratoq; viro ſumatur: omnes enim humores adæquat: ideoq; dixit Plato in Thimæo, vinum calfacere hominis corpus ſimul & animam.

PH. Si libet de hoc ſucco, eiusque admiranda vi diſſerere, ſuccurrunt plurima ex rerum phyſicarum peritiſſimis Scriptoribus: atq; imprimis de muſto agam, quod magis obeſt conſpectum, & ſolo odore acceptum, quam epotum. Nam mu-

Muſtum. ſto recenti peruerſitas ſenſuum citius accidit, ita vt ſi aliquando in lacu remanſerit, aliquantulumq; ferbuerit, intuentes deſuper, percuſſo cerebro, præcipites agat; & niſi aliquo modo ſubueniatur, extinguat; ita tradit S. Auguſtin. de morib. Manich. lib. 2. cap. 16. Secus ſi bibatur, nam numquam inebriat. Macrob. Saturn. lib. 7. c. 7. Simile de pipere & ſinapi, quæ appoſita cuti vlcerant, in ventre nullam inferunt læſionem. Macrob. lib. 7. c. 8. Nunc agamus de vino: Iſaac n. in diætis lib. 3. ſic habet:

Vini virtus excellẽtiſs. *Vinum bonum dat nutrimentum corpori, ſanitatem reddit & cuſtodit, ſi accipitur vt oportet, & quantum natura ſuſtinere valeat, digeſtionem confortat ſtomachi: & etiam ſecundam, quæ eſt in hepate. Calor eius eſt ſimilis naturali calori, citoq; conuertitur in naturalem & mundiſſimum ſanguinem: turbidum quoque ſanguinem clarificat, & aditus totius corporis, maximeque venarum aperit & mundificat. Hepatis oppilationem aperit, tenebroſitatem aufert, fumoſitatem triſtitiæ generatiuam à corde expellit, totiusq; corporis membra corroborat: ſed & animam ipſam facit obliuiſci triſtitiam, & anguſtiam, laborem & dolorem: datq; ei lætitiam*

tiam & audaciam, ingeniumq; ſubtilius reddit. Igitur conueniens eſt omnib. ætatibus, & omnibus regionibus, ſi tamen ſumatur ſecundum ſui quantitatem, & bibentis conſuetudinem ac naturæ poſsibilitatem: calefacit corpora frigida, & infrigidat calida: ſicca humectat, & humida extenuat: eius tamen calefactio & deſiccatio eſt naturaliter humectatio, & accidentaliter infrigidatio. Quia cum ſui ſubtilitate & perforatione portat aquam ad membra, qua neceſſe eſt infrigidari & humectari. Hæc ab illo: quæ ſane egregia ſunt contraria ſibi inuicem vnius huius liquoris miracula.

Sunt alii etiam auctores, qui etſi non ita explicite, vt Iſaac, vini virtutem enarrant, prope tamen accedunt. Dioſcorides ſic habet: *Omnis vini natura calida eſt, vires ac motum corpori parat, eo quod calefacit & reſumit ac reficit.* Ita ille. Hali autem in libris regalis diſpoſitionis: *Vinum* (inquit) *calorem naturalem confortat, humores colericos temperat, purgans per ſudorem: membra dura humectat, appetitum iuuat, & digeſtionẽ: ventoſitatem quoq; ſoluit, oppilationem aperit, melancholiam mitigat, & hæc maxime facit his, qui temperatæ complexionis ſunt, & inclinantur ad frigidum, ſi mediocriter ſumatur.* Razi vero auctor non ignobilis: *Vinum* (inquit) *ſtomachum & hepar calefacit, inflationem diſſoluit, & cibum digerit, vrinam prouocat, & ventrem ſoluit: præter hoc & lætari & gaudere animam facit; & hunc vltimum bonitatis eius modum nondum inuenimus, quod ſuppleat vicem eius.* Hæc ille.

TH. Sane nulla res, inter quaſcumq; creaturas vnquam reperta eſt, quæ ad vsque animam ipſam gaudium valeat inferre: vnde hoc vino ſingulare eſt miraculũ. Conſtantinus in pract. lib. I. eadem propemodum recenſet: *Vinum* (inquit) *magis iuuaminis eſt cuſtodiendæ ſanitati, ſi opportune accipiatur: calorem enim naturalem confortat, & per totum corpus extendit, colericos humores temperat, eoſq; cum ſudore & egeſtione expellit. Melancholicos humores temperat, animum confortat & lætificat: hæc omnia facit, ſi conuenienter potetur.* Hactenus ex illo. Verum ſicuti admiramur eius vtiles homini vires, dum recte ſumitur, æquum mihi videtur, vt etiam admiremur, quam noxiũ ſit immoderate ſumentib. Hali tradit apoplexiam, ſpaſmum, epilepſiam, emicraneũ, obſtupefactiones ac paſſiones frigidas à nimia vini potatione proficiſci. Razi quoq; in 4 part. ſcribit, tremorem, ſpaſmum, paralyſim, apoplexiam, mortẽ ſubitaneam à ſuperfluitate vini contingere. Quibus addendum etiam puto Conſtantinũ eod. lib. I. practicæ: *Cauenda eſt* (inquit) *ebrietas, quæ mentis percuſsiua eſt, & qui morbo phthiſico parati ſunt, niſi caueant, proculdubio ad eum peruenient: aliorum etiam morborum cauſa eſt, arcteticæ ſcil. paſsionis & tremoris, apoplexiæ, ſuffocationis & ſubitaneæ mortis, quia vẽtriculos cerebri, & omnes venas replet. Vnde nullus locus, vel ſpatiũ reſtat, per ꝙ calor naturalis dilatetur, ſicut videmus in lucerna quæ funditus oleo plena lumẽ & ſuffocat & extinguit:* Hæc ille: de quib. ſi libeat aliquando prolixius vel legere vel audire, Vinc. Beluacẽſ. in naturali ſpecul. lib. 14. c. 13. 14. 15. 16. 17. & 18. ex probatiſſimis auctorib. ad ſatietatem tradidit. Atq; ex iis fit, vt nulla omnino rerũ creatarum vis huic vni, neq; mirandarum virtutum numero, neq; efficacia adæquari poſſit, ſiue dum prodeſt, ſiue dum obeſt, omni tempore naturæ humanæ proficuum, cum recte ſumitur, hyeme ad frigoris remediũ, æſtate ad tuendam ſanitatem viſcerũ, vt memorat Iuſtin. Martyr inſignis Philoſophus, ſcribens ad Zenam & Serenum fratres. Et de his ſatis.

EQ. Adhuc ſuperſunt aliqua commemoratione digna de vitibus & earum fructu. Palladius enim lib. II. vitibus hanc eſſe naturam dicit, vt alba vel nigra, ſi redigantur in cinerem, vino adiiciantur, ei vnamquamque formam ſui coloris imponere, vt ex nigra fuſcum, candidum reddatur ex alba. At vitem natura ipſa *Vitis.*

albam aliquando tuliſſe racemos nigros tradit Albertus Magnus de anim. libro 18. tract.1.cap.6.

TH. Eſt & aliud memorandum. Nam in Ægypto vina frigida ſunt, cum tamen ibi ſemper aer ferueat: eſtque ob eam cauſam, quod perpetuus ille calor frigus circa radices ſemper retundit, ne exhalet. Vnde ſuccus frigidus vinum efficit frigidum. Macrob.Saturn.lib.7.cap.8. Non igitur hoc idem fuerit calidis regionibus, quib. aliqua anni & diei parte aer refrigeratur: ibi enim calidiſſima vina procreantur, vti Cretenſia, Campana, ac conſimilium regionum.

PH. Quod longe magis admiror, eſt, è vino ſuccum fieri adeo contrariæ naturæ vini, vt ex ſeipſo contraria omnino operetur. Acetum enim (quod contra in vino eſt, cum tamen è vino fiat) frigidiſſimum eſt, imo nihil aceto frigidius. Solum enim hoc ex humoribus creſcentem flammam violenter extinguit, cum per frigus ſuum calorem vincat elementi, vt habet Macrob. Saturn. lib.7.cap.6.

EQ. Eſt aliud hac ex re admirabilius; vinum enim, ſiue illud ſit optimum, ſiue putre, cum igni diſtilletur, aquam efficit, non à vini ſapore, coloreque admodum abſimilem: eaq; ſi res aliqua madefiat, ignisq; admoueatur, exardeſcit ſubito flamma, quæ tamen non vrat: nam humectato ex ea linteo igni admoto coruſcat flamma, linteo illæſo: ita & manus hominis hoc humore perfuſa ab igne flammam recipit, non tamen vritur: quæ res auctore aut teſte non eget, cum lippis & tonſoribus vbique ſit cognita.

TH. Ego crediderim flammam illam vrere, aliquo ſaltem interuallo. Nam Carolus Nauarræ Rex huiusmodi flamma conſumptus eſt, vti his verbis narrant Fulgoſ.lib.9.& Andr.Eborenſis titulo de mortibus non vulgarib. *Nouum (inquit) ſæuumq; nimis mortis genus illud fuit, quo Carolus Nauarrenſis Rex Chriſti anno trecenteſimo atq; octogeſimo ſexto poſt mille interiit. Nam cum ſenio confectus neruorum quoq; dolore laboraret, Medicis ita ſuadentibus, aſſui toto corpori linteum aqua (quæ vitis aut viua dicitur) perfuſum iuſſit. Cum autem qui linteum conſuerat, candelæ igne abrumpere filum, peracto opere, vellet, & parum conſiderate linteum lumine contigiſſet, ſtatim totum, concepto igne, exarſit, neq; ante ferre opem quisquam potuit, quam Carolus Rex nimis propere, ſæuiente flamma, combuſtus eſt: cum ad repentinas ignis vires accederet, quod pedes ac manus lintei inuolutione vinctus, vna tantum lingua moueri poterat.* Hæc ille: eadem Robert.Guag.Gall. hiſt.lib.9. Atq; ita fit, vt aquæ illius flammæ non ardeant tantum, verum etiã vrant ſaltem poſt interuallum, præcipue vero quando non admodum ea aqua fuerit excocta: quo enim ſæpius excoquitur, fit ad flammam aptior, & ad vrendum imbecillior; erat igitur non exacte excocta, qua Rex hic exuſtus memoratur. Atq; de iis naturæ admirandis hactenus. Videtur mihi æquum, vt de ſpiritualibus operibus ex vite ad differendum transeamus.

EQ. Libet plurimum, verum nonnulla adhuc ſuperſunt, quæ commemorentur: nam cum hedera inimicitias gerit vitis: ſi enim vas ex hedera fiat, nihil vini in ea ſeruari poterit, cum totum effluat, etiam ibi dimiſſa aqua, ſi vino forſan permiſta fuiſſet: id habet Plin.lib.16.cap.25.

PH. Hanc vitis, hederæque hoſtilitatem efficit æmulatio quædam morum: vtraq; enim hæret proximis rebus, neq; aliter ſuis viribus ſubſiſtere poteſt: verum hedera vti beneficii accepti ingratiſſima fulcimentum ſuum comminuit ac deſtruit, parietem enim exedit, & ad caſum impellit, aut trahit arbores, quibus amplexu

plexu ſuſtinetur, ſuffocat, vt etiam exareant; vitis vero & muros, quibus hæret, non lædit, ſicut nec arbores, & ſuo ſucco vtentes corroborat & lætificat. Vnde ſicut ingrato homine terra peius nihil creat, vino autem nihil ſit vtilius, gratius ac beneficentius, æquum eſt, vt hederæ nulla ratione miſceri, nec quidem vaſis ex ea confectis poſſit. Propterea venali vino ſuſpenſa ſuperponitur hedera, ſicut venalibus mancipiis rebusque aliis ſuperponitur, quoniam eadem domo pudeat vinum incolatum facere, vbi vel hederæ veſtigia ſint, ideoque ſe etiam venale facit potius, quam ibi commorari, vbi regnet ingratitudo.

EQ. Egregia ratiocinatio, & non tradenda obliuioni: verum aliæ adhuc vitis ſunt prærogatiuæ; nam quia res bona eſt, accepit à Deo durationis diuturnitatem: nam in monte Beni Achmedo Africæ, cum ibi gutturoſi præcipue homines ſint, qui mero vtuntur, lymphis nunquam additis, vinum ibi natum ad annos quindecim aſſeruatur, vt habet Leonius p.3. Sed admirabilius, quod tradit Plin. lib. 14. c. 4. *Durant* (inquit) *adhuc vina ducentis fere annis, iam in ſpeciem redacta mellis aſperi: etenim hac natura vinis in vetuſtate eſt.* Hæc ille, qui quanquam locum non exprimat, tamen aut Romæ, aut in Italia id fuiſſe putandum eſt.

TH. Ego ad vini miracula duo commemoratione digna addenda cenſeo. Primum eſt, vinum fulmine gelatum (fulmine enim tacta vina gelantur) cum ad priorem habitum redierit, potum aut exanimat, aut dementem facit, ex Seneca natur. lib. 2. c. 53. Alterum eſt, quod Plinius tradit lib. 14. c. 21. *Circa Alpes* (inquit) *adeo frigoribus congelatur aliquando vinum, vt rupto vaſe, in quo ſeruaretur, ſteterit glaciata moles prodigii modo, quoniam vini natura non gelaſcit, alias ad frigus ſtupens tantum.*

EQ. Memorantur & alia: nam & in Arcadia fieri vina, quę fœcunditatem fœminis importent, viris rabiem, tradit Plinius, adiiciens Thaſios duo genera vini diuerſa facere, vnum, quo ſomnus concilietur, alterum vero, quo fugetur. Apud eosdem vitis etiam Theriace vocatur, cuius & vinum, & vua contra ſerpentium ictus medetur. Thaſiam vuam Ægyptus vocat apud ſe prædulcem, quæ ſoluit aluum: eſt contra in Lycia, quæ ſolutam firmat; ſed & canis ortu vina quædam in apothecis mutari, quæ poſtea reſtituantur ſibi, & mari nauigato, cuius iactatus his, quæ durauerint, tantum vetuſtatis adiicere ſentitur, quantum habuerint. Hæc à Plin. lib. 14. cap. 18.

TH. Cum igitur in hac vna planta tot ſint ſimul miracula, neſcio quid in illa diuinum ineſt, proptereaque ſe illi comparat Dominus noſter, cum dicit: *Ego ſum vitis vera*, atque ex vino Euchariſtiæ Sacramentum conſtituit; ita enim vini transſubſtantiatio fit in ſanguinem Chriſti, vt panis transſubſtantiatio fit in corpus eiusdem Chriſti. Concil. Triden. ſeſſ. 13. c. 2. Ex priſcorum patrum doctrinis, tota ita credente Dei Eccleſia.

EQ. Cur frequentiora, imo pene omnia miracula, quæ de Euchariſtia prodeunt, à ſpecie panis prodiiſſe libris fere omnibus continetur, à ſpecie vero vini rariſſime?

TH. Euchariſtia ſub vini ſpecie non ſeruatur, ſed panis tantum vbique in Eccleſiis ſumma veneratione pro Catholico more, vnde miracula frequentiora contingunt. Præterea panis tantum ſpecies laicis conceditur, vnde etiam hoc modo frequentiora ſunt miracula: veruntamen aliquando etiam ſub vini ſpecie commemorantur. Sanctus enim Donatus, Aretii Epiſcopus & Martyr, (vt ait Ado Treuirenſis ſeptimo Idus Auguſti) cum aliquando Miſſam celebraſſet populo, & de cor-

pore Chriſti, ac ſanguine ipſius populus venerabiliter recrearetur, quum ſubito paganorum impulſu vitreus calix ſanguine Chriſti oppletus fuiſſet comminutus, & cecidiſſet, collecta ſunt fragmenta Dominici calicis, & beato viro Donato allata, quæ flens ille ſuſcipiens, oratione facta, vas in priſtinam formam reſtaurauit, haud dubie ſanguine Chriſti etiam ſeruato, quo ſigno perculſi pagani ſimul cum Chriſtianis Deitatem Chriſti confeſſi ſunt, ac circiter ſeptuagintæ animæ in Chriſtum credentes per Baptiſmum ſaluatæ ſunt. Hæc ibi ad miraculum pro ſacroſancto ſanguine & corpore Chriſti ſub vini ſpecie, de quo tamen alias occaſione alia egimus.

EQ. Admiror tantam hæreticorum hominum perfidiam, circa hanc Euchariſtiæ transſubſtantiationem: norunt enim apertiſſime, ac diffiteri non poſſunt, in Euangelio Ioannis 2. primum Chriſti ſignum fuiſſe in conuerſione aquæ in vinum in Cana Galilææ, vt myſterio doceret Euangelium è ſcriptura veteri futurum, ſicut vinum ex aqua efficiatur; & ne quis putet, ſolum Chriſtum verum Deum tantum patraſſe opus, & nulli alii communicaſſe, conceſſit id ipſum beato Franciſco, qui apud eremum S. Vrbani ſeruo quodam Dei ægrotante, & vini auxilio indigenti, cum non niſi ibi aqua reperiretur, iuſſit aquam afferri, atque allatam ſigno crucis benedicens mox vinum effectum eſt optimum, quod aqua pura fuerat: quo epoto, ægrotus ſtatim conualuit. S. Bonauentura in vita S. Franciſci cap. 5. Hæc per Dei gratiam effecit & Franciſcus, effecere & alii plures, vt ſic frequentia miraculi incredula corda confundat: ſed ne pronior ſit aqua in vinum tranſire, quoniam ſic ex vite naſcitur, dum humor è terra per palmites traductus in botrum, ac deinde in vinum mutatur, quotidiano miraculo, vti tradit S. Auguſt. ſuper Ioan. tract. 119. contulit Dominus etiam ſeruis ſuis, vt econtra vinum in aquam mutent, cuiuſmodi Beatus Epiphanius egiſſe commemoratur. Cum enim aliquando viatores ingreſſi eſſent Monaſterium Luciani, vinum afferentes, quo tempore erat æſtus vehementiſſimus, & ſiti fere enecabantur, & petierunt aquam ad bibendum, nec inuenta eſt aqua in illo loco: aberant enim ad quinque milliaria. Cum igitur propter ſitim viatores deficerent, fratres propter eos lugebant: Epiphanius autem cum manum extendiſſet, & vtrem prehendiſſet, vbi erat vinum: Credite (inquit) fratres, quod qui aquam fecit vinum, vinum quoque aquam faciet, & propter ſermonem Epiphanii vtres, qui vino pleni erant, inuenti ſunt aqua pleni, quam cum accepiſſent viatores, biberunt, & etiam iumenta eorum, ſtetitque anima eorum in ipſis; hæc Ioannes ſcripſit ipſius Epiphanii diſcipulus vitam illius deſcribens apud Metaphr. 15. Maii.

TH. Quanquam enim poſſet ſanctus abſque conuerſione vini in aquam ſitim omnium illorum ſedare, vt illo tamen conuerſionis miraculo vteretur, Dei diſpenſatio fuit: aliter enim atque aliter ex eadem re, atque aliis quoque permixtis, miracula Deus inſtituit. Quando enim S. Martinus vitem quandam plantauerat, occaſionem præbuit, vt è vite illa miracula fierent, ad conferendam hominibus incolumitatem, quanquam ex aliis quoque eius rebus fieri poſſent, ſicut vere fiebant: ſed ita diuina prouidentia pro hominum captu plura incognita diuino conſilio diſpoſuit in vite; ſcribit enim Gregor. Turon. lib. in glor. Confeſſ. cap. 10. in hæc verba: *De vua ex vite, quam S. Martinus plantauerat, Aridius Presbyter aſſumptam eam in ampullulam recondidit, quam aqua compleuit; non poſt multum vero tempus venit ad eum homo, cuius os à puſtula mala tumefactum, caputque & oculi inflati ob nimium venenum præclude-*

cludebantur: cui ille, infuſa in os aqua de ampullula vuæ, omnis tumor ac dolor, gutta decidente, diſceſſit; aſſerebat autem grana vuæ illius in ipſa aqua poſt quatuor annos adhuc viridia perduraſſe. Hæc ex illo.

EQ. Iſta ſane vuæ mixtio non erat incolumitati neceſſaria, ſed quia id ita diſpoſitione diuina inditum erat: mixta enim & ſimplicia omnia ſeruiunt Deo, & ex eis produntur miracula, quando ita conſtituerit ordo diuinus, & quæ miſceri poſſunt, etiam non miſcebuntur; ſanctus enim Arbercius Epiſcopus Hieropolitanus cum aliquando Romam eſſet profecturus, ne ad alimoniam vaſorum numerus aliquo impedimento eſſet, vinum, acetum oleumque in vnum & eundem vtrem ſimul mixta omnia impoſuit. Comes igitur eius Trophimus vinitor, quodcumque horum erat neceſſarium, ex ipſo vtre hauriebat ſigillatim, ſi tamen iuxta Arbercii præceptum ab vtre rem exegiſſet. At quandocumque inconſulto Arbercio Trophimus, quaſi per fraudem, ad vtrem manus admouebat, horum aliquod expetens illud prodibat, quod erat contrarium, videlicet pro ſiti oleum, pro oleo vinum aut acetum: adeo Deus mira infinitis diuerſis modis operatur, vti tradidit Metaphr. 22. Octob. Atque hactenus quidem de inſigniſſima arborum vite, nunc ad alias.

PH. Palma non eſt prætermittenda, de ea tradunt auctores non pauca digna, quæ recenſeantur. Primum illud eſt, ponderi eam non cedere, ſed magis aduerſus illud exurgere, vti admiratur Aul. Gel. noct. Attic. lib. 3. c. 6. his verbis: *Perhercle rem mirandam Ariſtoteles in ſeptimo Problematum, & Plutarchus in ſeptimo Sympoſiacorum dicit. Si ſupra palmæ* (inquit) *arboris lignum magna pondera imponas, ac tam grauiter vrgeas oneresque, vt magnitudo oneris ſuſtineri non queat, non deorſum palma cedit, nec intra flectitur, ſed aduerſus pondus reſurgit, & ſurſum nititur recuruaturque. Propterea* (inquit) *Plutarchus, in certaminibus palmam ſignum eſſe placuit victoriæ, quoniam ingenium huiuſmodi ligni eſt, vt vrgentibus opprimentibusque non cedat.* *Palma.*

TH. Hoc in palmis eſt etiam admirandum, marem inter eas eſſe & fœminam: Sanctus enim Baſilius in exemero hom. 5. ſic habet: *Palmæ in mares ac fœminas diſtinguuntur: & videas vtique aliquando eam, quæ fœmina appellatur, demittentem ramos, velut libidine concitatam, & amplexum maris appetentem; videas & curatores earum ramis velut ſemina quædam maſculorum iniicere, atque ſic velut in ſenſu fruitionis ac voluptatis illam conſtitui, ac rurſus erigere ramos, & arboris comam ad propriam figuram redire.* Hæc ille. Habet eadem explicatius S. Ambroſ. in exemero lib. 4. *Eſt equidem* (inquit) *quod mireris, in arboribus diſcretio ſexus: nam palma dactylos generans ramos ſuos inclinat, & ſubiicit, atque in concupiſcentiæ amplexusque ſpeciem protendit arboris, quam marem appellant, vnde & ramis palmarum cultores ſemina maſculorum præiaciunt, quibus illi fœminæ arbori velut quidam ſenſus perfunctionis infunditur, & expetiti concubitus gratia repræſentatur, quo munere donato rurſus ramos ſuos erigit, & in veterem ſtatum comam ſuam attollit.*

EQ. Aſſentior iis, quin etiam addendum opportune puto, ſi palma fœmina longe abſit à maſculo, ſterileſcit abſque fructu, quin ſi mas frondibus careat vi vel caſu aliquo abruptis, fœmina viduarum more fit infœcunda. Petr. Hiſp. parte 1. cap. 30.

PH. Eſt etiam commemorandum, quod habet Solin. cap. 35. *Palma* (inquit) *Ægyptia proprie Adipſos vocatur, eaque guſtata arcet ſitim: odor enim, qui & malis Sidoniis, ſed demum ſitim ſedat, ſi, priusquam maturuerit, decerpatur; nam ſi matura ſumatur, ſenſum intercipit, greſſum præpedit, linguam retardat, obſeſſisque officiis mentis & corporis vitium ebrietatis imitatur.* Hæc ille. Aliud quoq; genus palmæ in Africa eſſe memorant non

pro-

procul à flumine Senega, qui Latinis Niger dicitur, è cuius caudice, ſi quis terebret, aut incidat, ſuccus manat aqueus, quo in potu vtuntur incolæ, inebriatque perinde ac vinum, ni aqua miſceatur; prior pars, quæ manat, dulcior eſt, deinde fit paulo aſperior, ideoque etiam potui ſuauior. Aloy. Cadam.

EQ. Admiranda eſt palma ob lignum præcipue: nam in Inſulis ac continenti noui Orbis palmę quoddam genus enaſcitur, cuius lignum nigerrimum atque eximium, lucidum, adeoque ponderoſum, vt ſupernatare non valeat; ſtatim enim mergitur. Ouet. ſumm. capite 67. Priuilegio etiam quodam ſola palma fulmen non patitur, Iſidoro teſte lib. 17. cap. 7. Folium quoque ex palmis perfecta verticis craſſitudine è terra enaſcens in altum aſſurgit, vt creſcente augmento longitudinis nullum in latitudinem additamentum accipiat à tempore. Gregor. Nyſſen. in vita S. Gregorii Thaumaturgi. Sur. Tom. 4. In foliis quoque longe à reliquis arboribus differt. S. enim Baſilius exem. hom. 7. perpetua folia retinere palmam ſcribit, eodem folio ex prima germinatione in fine vſque permanente, quod etiam habet Iſidorus lib. 17. c. 7. Palmam enim tradit frondes ſuas ſine ſucceſſione ſeruare. Nam tametſi aliæ arbores ſint perpetuo virentes, tamen folia quoque aliquando inueterata concidunt, aliis ſuccreſcentibus, quadam quaſi ſucceſſione: at in palma folium nullum decidit, cui aliud ſuccedat. Fructus quoque eius prærogatiua comperta eſt aliquando miraculo Dei: Honufrius enim in vaſtiſſima eremo vixit è fructibus palmæ vnius, quæ quotannis gigneret duodecim ſpathas, nempe ſingulis menſibus vnam; vnica enim ſpatha ſufficiebat illi triginta dies. Vnde patet, arbores, vt homini ſeruiant, propriam deſerere naturam, & aliam homini commodam induere. Hactenus de palma.

PH. Si arborum ſenſum perſequi differendo volumus, non deſunt arboribus aliis etiam quædam ſenſus veſtigia. In prouincia etenim, cui nomen Pudifetania, arbor eſt quædam infructuoſa quidem, & ab effectu ei pudoris nomen ab incolis inditum eſt; ſurgit in altitudinem palmorum nouem, atque ob eam rem pudoris nomen conſequuta eſt, quod ſi quis ei propius acceſſerit, illa velut retro cedens ramos in ſe ipſam colligit: at vbi, qui acceſſerit, receſſerit, rurſus ramos ſeſeque in priſtinum locum expandit ac reponit, vti ſcripſit Nicol. de Comit.

EQ. E conuerſo arbor alia eſt, quæ equos etiam inuitos attrahat, & abducat, occulto quodam ſenſu, neque alia animantia trahere comperta eſt, idque experimento contigit Alexandro Magno equo ſuo inſidenti, quem arbor quædam adhuc nomine incognita etiam inuitum ad ſe traxerat, vti habet Plin. lib. 12. c. 8.

PH. Senſus maior eſt eius arboris, quæ ſe capi ſentire videtur apud Troglodytas: etenim frutex reperitur, qui ſentit ſe capi, duraturque cornus modo, & hebetat aciem ferri, quod ſi fefellerint inſidiæ, in lapidem transfiguratur, vti Plin. habet lib. 13. c. 25. Sed hoc iam diximus in herbis.

TH. Sed nunquid ſenſum habere dicemus arbores illas, è quibus aues tum à foliis, tum à ramis procreari feruntur? vti recēſebamus alias ex Antonio Pigafetta, qui ſcripſit, in regno Burnei arbores compertas, quarum folia animantia cum ſint, viuunt ex arboris ſucco, ſicut reliquarum arborum folia; at ſi quando exciderint, ſcribit abſciſſas ab ramis aut truncis etiam pedunculis ambulare, nihil eſculenti recipere, atq; ita abſciſſa viuere in octauum diem. Idq; ſe expertum tradit: ſeruatum enim vnum ex huiuſmodi foliis ad octo dies, poſtea immobile redditum, nempe mortuum extra genuinum locum & alimentum memorat, vti diximus in auibus.

EQ. Niſi

EQ. Niſi hoc fabuloſum putarem, eius rei rationem expeterem; ſed tamen iam alias etiam diximus, compertum apud non contemnendos auctores, ab arborum ſucco aues naſci alatas, & quæ carne vt reliquæ aues veſtiantur: ex libro de naturis rerum, & Vinc. Spec. natur. lib. 16. c. 40. Præterea quoque ex Iacobo Aconenſi, qui Cardinalis fuit, in ſua orientali hiſtoria traditum diximus, arbores littoribus maris impendere, de quibus aues procreantur roſtris infixis à ſtipite pendentes, cum maturuerint, excidere, ac per incrementa proficientes creſcere, ac tandem euolare: vnde non ambigendum eſſe de eis putamus, neque exquirendam rationem in re perſpecta; id etenim etiam Olaus memorat lib. 19. c. 6. & Ortellius in Scotia & Hybernia, vti pluribus egimus in auibus.

TH. Agamus de arboribus, quas natura procreat, aut inutilia pro ſua ſpecie, aut non ſine animantium periculo aut noxa. In primis libet diſſerere de arboribus Sodomitici agri, de quibus alias quoque egimus; recolemus tamen iterum paucioribus. Solinus enim cap. 36. ſic habet: *Sodomi poma gignuntur, quæ licet ſpeciem maturitatis habeant, mandi tamen non poſſunt; nam fuliginem intrinſecus fauillaceam ambitio tantum eximiæ cutis cohibet, qua vel leui preſſa tactu fumum exhalat, & fatiſcit in vagum puluerem.* Eadem habet Tacitus lib. vltimo; eadem Ægeſyppus lib. 4. c. 18. Tertul. apolog. c. 39. Oroſ. lib. 1. c. 6. eadem S. Auguſt. de Ciu. Dei lib. 6. c. 30. & 21. c. 5. & ante eum S. Cyprianus in excidio Sodomæ.

EQ. Agamus de aliis noxiis arboribus: primum exordiar ab arbore Baxana, ea in regno Delii comperta eſt radicibus adeo venenoſis, vt ſtatim perimant tangentes; verum illius fructus, cui nomen Nirabix, adeo ſalubris eſt, vt huic veneno ac reliquis omnibus præſentaneum remedium ſit. Odoar. Barboſa.

PH. In Hiſpaniola Inſula arbor eſt, cuius fructus pyris muſcatis perſimilis eſt, iucundo odore, vſui quoque gratiſſimus, verum peſtiferi ſucci: nam Indi illo ſagittas obliniunt, veluti veneno; mirum aliud, ſi quis ſub ea obdormierit, breui temporis momento graſſantem capitis dolorem perſentit, intumeſcentibus oculis, ſuperciliis, atque ipſis etiam maxillis, quin ſi ros ipſa ab arbore in faciem hominis illabatur, aut obcæcat, aut multo dolore torquet, vredineque ipſam etiam cutim vlcerat: ſin huiuſmodi lignum comburatur, nemini tutum eſt illo igne calefieri; ilico etenim capitis dolorem gignit: ab illo etenim igne omnia animantia abſtinent. Ouet. hiſt. lib. 9. c. 12.

EQ. Taxus & ipſa arbor, quanquam noſtro cœlo nihil noxium habeat, tamen in Arcadia tam præſentis veneni eſt, vt qui ſub ea obdormiant, cibumve capiant, interimantur. Sunt & qui taxica hinc appellata dicant venena, quæ nunc toxica dicimus, quibus ſagittæ tinguntur, Plin. lib. 16. c. 10. in fin. In Orbe quoque nouo iuxta littora comperta eſt arbor, quæ dormientis ſub ea os oculoſque reddit tumentes, ipſeque ſtupidus exurgit, ligni eius aduſtione fumus capitis dolorem gignit, frequentiſſima eſt arbor in Vrabæ ſinu, ſed eadem arbor videtur, quam in Hiſpaniola eſſe diximus. Ouet. ſumm. c. 78. *Taxus arbor.*

TH. Non longe abſunt ab iis arbores, quæ in Coiba ſinu Beraguæ, hodie Caſtilia aurea nuncupata, naſcuntur: nam cum aduruntur, ſolo fumo peſtifero homines exanimant. Petr. Mart. in ſumm.

PH. His quoque confine eſt id, quod habet Ariſtoteles libr. de admirand. cap. 139. *Eſt* (inquit) *genus quoddam ſpinoſæ plantæ, vti ferunt in Ceo, cuius ſpinis ſi quis percutitur, moritur.* Ita quoque non eſt prætermittenda arbor, de qua Callimachus

ſcribit, in terra Trachimia arborem nomine Smitum naſci, ad quam appropinquantes & eam contingentes ſerpentes pereunt, vt ſcribit Ælian. hiſtor. libro 9. capite 27.

Fraxinus. *EQ.* Quoad ſolos ſerpentes, noxia memorabilis eſt Fraxinus, cuius tanta vis eſt, vt eius matutinas veſpertinasq; vmbras, quando longiſſimæ ſunt, ſerpens nulla audeat attingere, quin etiam procul quoq; aufugit. Experta ſe prodere inquit Plinius lib. 16. c. 13. Nam ſi fronde Fraxini in gyro claudatur ignis & ſerpens, in ignem potius, quam in Fraxinum fugiet. Mira igitur naturæ benignitas, priusquam ſerpens prodeat, floret Fraxinus, nec ante conditas folia dimittit: hæc Plinius. Eadem recenſet Vinc. hiſt. natur. lib. 20. cap. 14. Accedit aliud memorandum, vnam Fraxinum reperiri ad aquas Scantias, quæ perpetuo viret, cum tamen ibi fons ignitus ſit, & qui ſemper ignem emittat, vti tradit Plin. lib. 2. c. 107.

TH. Non ſolis ſerpentibus, verum etiam omnibus animantibus noxiam arborem quandam tradit Strabo lib. 15. Vidiſſe enim ſe plantam Lauro perſimilem ſcribit, quam guſtantes belluæ abalienatæ quaſi Herculeo morbo concidunt ore ſpumantes. Sed quid laboramus in enarrandis noxiis arboribus?

EQ. Narremus igitur eas, quæ ſunt homini aliqua ratione memorabili vtiles.

TH. Illæ præ omnibus nobis ſunt commemorandæ, quæ in terreſtri Paradiſo ſunt, altera quidem, qua bonum & malum ſcirent parentes primi experimento dignoſcere, ideo dicta ſcientiæ boni & mali, Gen. 2. Altera arbor vitæ dicta, qua edentes poterant ſemper viuere, numquam mori, de qua ſic habet Strabus ſuper Geneſim: *Arbor vel lignum vitæ Paradiſi hanc naturaliter habet virtutem, vt qui ex eius fructu comederit, perpetua ſoliditate firmaretur, beata immortalitate veſtiretur, nulla infirmitate, vel anxietate, vel ſenii laßitudine, vel imbecillitate fatigaretur.* Hæc ille: quæ etiam habet Vinc. hiſt. natur. lib. 10. c. 43. Verum neutram humanum genus poſt Adam & Euam expertum eſt, originali culpa homines iræ Dei ſubiiciente; ſed alia poſtea arbor fuit, quam humanum genus magno Dei beneficio ſortitum eſt: de illa ſic habet Sozom. lib. 5. c. 20. *Memorant* (inquit) *arborem eſſe, quæ Perſis dicitur Hermopoli, quod eſt oppidum Thebaidis, cuius fructus, aut folium, aut particula aliqua corticis ægrotis admota morbos à compluribus depulerit. Nam traditum eſt Ioſeph, cum propter Herodem aſſumptis ſecum Chriſto & Maria ſancta Deipara fugiſſet, veniſſe Hermopolim, atque ſimul vt portæ appropinquauit, iſtam arborem, licet plane maximam, aduentu Chriſti turbatam eſſe, atq; ad ſolum vsque ſe inflexiſſe, & Chriſtum adoraſſe.* Atque hæc quidem de hac arbore, ſicut à multis audiui, à me commemorata ſunt; quæ quidem, ſi quid ego iudico, vel ſignificabat Chriſtum iam in vrbe adeſſe, vel vt veriſimile eſt, non modo arborem, quam incolæ propter magnitudinem & pulchritudinem lege gentilitia venerabantur, dæmone iam, qui ibi colebatur, ob Chriſtum talium rerum euerſorem, qui eo in loco comparebat, perhorreſcente, ſua ſponte commotam eſſe, verum etiam omnes Ægyptiorum ſtatuas, adueniente tum Chriſto, iuxta prophetiam Eſaiæ concuſſas. Itaque dæmone inde abacto arbor, quo rei geſtæ teſtimonio eſſet, remanſit ibi, fideleſque morbis liberauit; atque Ægyptii & Palæſtini iſtarum rerum teſtes locupletes exiſtunt. Hactenus ille.

Arbor vitæ.

EQ. Viuebat virebatque magnis ſane miraculis hęc arbor; at non minora miracula ab aliis etiam areſcentibus lignis confecta ſunt Sanctorum Dei virtute, qui poſtea vixerunt, idque præcipue patet ab Oſvvaldi Nordamhimbrorum Regis ligno in

gno in crucis vexillum erecto. Beda enim Angl.hiſt.lib.3.c.2. *Oſtenditur* (inquit) *vſque hodie, & magna veneratione habetur locus ille, vbi venturus ad pugnam Oſvvaldus ſignum ſanctæ crucis erexit, ac flexis genibus Deum deprecatus eſt, vt in tanta rerum neceßitate ſuis cultoribus cœleſti ſuccurreret auxilio, & vſque hodie multi de ipſo ligno ſanctæ crucis aſſulas exſcindere ſolent, quas cum in aquas miſerint, eiſque languentes homines ac pecudes potauerint, ſiue aſperſerint, mox ſanitati reſtituuntur, vocaturque Anglorum lingua locus ille cœleſtis campus: nec ab re eſt, vnum è pluribus, quæ ad hanc ligneam crucem patrata ſunt, virtutis miracula narrare. Quidam è fratribus Hagulſtadenſis Eccleſiæ, nomine Bothelm, qui nunc ſupereſt, ante paucos annos, dum incautus forte noctu in glacie incederet, repente corruens brachium contriuit, ac grauißima fractura ipſius cœpit moleſtia fatigari, ita vt nec ad os quidem admouere brachium ipſum vllatenus, dolore arcente, valeret. Qui cum die quadam mane audiret vnum de fratribus ad locum S. Crucis aſcendere diſpoſuiſſe, rogauit, vt aliquam ille partem de illo venerabili ligno rediens adferret, credere ſe dicens, quia per hoc, donante Domino, ſalutem poſſet conſequi. Fecit ille, vt rogatus eſt, & reuerſus ad veſperam, ſedentibus iam ad menſam fratribus, obtulit ei aliquid de veteri muſco, quo ſuperficies ligni erat obſita: qui cum ſedens ad menſam non haberet, vbi oblatum ſibi munus reponeret, miſit hoc in ſinum ſibi, & dum iret cubitum, oblitus hoc alicubi deponere, permiſit ſuo in ſinu permanere; at medio noctis tempore, cum euigilaret, ſenſit quid frigidi ſuo lateri adiacere, admotaque manu, requirendo quid eſſet, ita ſanum brachium manumque reperit, vt ſi nil vnquam tanti languoris habuiſſet.* Hactenus Beda.

S. Crucis lignum.

TH. Hæc non ab ipſa ligni materia, ſed ab ipſa crucis ſigni virtute profecta miracula ſunt: lignum enim Chriſti crucem ſignificat, vti docet S. Auguſtinus ſuper Ioan. tract. 2. & de tempore ſerm. 101. Ideoque imputribilia ligna ſignificant puros homines, crucis ac ligni Chriſti virtute renatos, vt idem Auguſtinus habet ſuper Ioan. tract. 6. quod inde figuratum eſt: nam cum in deſerto Mara potabiles aquæ non reperirentur, Moyſes, quod ſæpe diximus, in eis lignum immiſit, quo factæ ſunt potabiles, Exod. 15. Cum igitur omnia ligna reſque omnes crucis virtute ſanctificata hominum languoribus mirifica operatione medeantur, quid cenſendum fuerit de virtutibus ab ipſo vero crucis Chriſti ligno profectis? nam præter id, quod ipſa inuentione eius ab Helena ſub Macario Hieroſolymorum Epiſcopo languores ſanati ſunt, Ruffino teſte lib. 1. cap. 7. Quin etiam mortui ſuſcitati ſunt Paulini Nolani teſtimonio in Epiſtola 11. ad Seuerum. Omnia quoque elementa ſuperat: nam cum ab omnibus peregrinis aliquid ab ea excerpatur, nunquam tamen minuitur, eodem teſte Paulino, eadem Epiſtola; etiam ignem ipſum ſuperat, non ſolum vt non vratur ipſa, verum vt aquæ officium peragens etiam extinguat, cuiuſmodi in magno quodam Nolano incendio contigiſſe ſe inſpectante narrat idem Paulinus in Natali 10. de Felice Martyre: cum enim graſſans vndequaque incendium egregio carmine deſcripſiſſet, ſubiicit hæc carmina:

——Cum flamma ſuis ingentior iret
Fomitibus, paruoque exorta repente ſigillo
Culmina cuncta ſimul perfunderet igne minaci:
Currimus ergo fide tantum, & prece ſupplice nixi
Ad vicina mei Felicis limina, & inde
Contiguam paribus votis adcurrimus aulam,
Poſcimus impoſitis ſubiecti altaribus ora.
Ipſe domum remeans, modicum, ſed grande ſaluti

De crucis æternæ ſumptum mihi fragmine lignum
Promo, tenensque manu aduerſis ingero flammis,
Vt clypeum retinens pro pectore, quo tegerem me,
Arceremque hoſtem collato vmbone reliſum.
Credite, nec donate mihi, ſed reddite Chriſto
Grates, & iuſtas date laudes Omnipotenti.
Noſtra ſalus etenim cruce Chriſti & nomine conſtat;
Inde fides nobis, & in hac cruce nixa periclo
Profuit, & noſtram cognouit flamma ſalutem.
Nec mea vox, aut dextra illum, ſed vis crucis ignem
Terruit, inque loco, de quo ſurrexerat ipſo,
Vt circumſeptam præſcripto limite flammam
Sidere, & extingui fremitu moriente coegit,
Et cinere exortam cineri remeare procellam.
Quanta crucis virtus, vt ſe natura relinquat?
Omnia ligna vorans, ligno crucis vritur ignis,
Multa manus crebis tunc illa incendia vaſis
Aſpergens largis cupiebat vincere lymphis;
Sed licet exhauſtis penſarent fontibus imbres,
Vi maiore tamen laſſis ſpargentibus omnem
Vicerat ignis aquam, nos ligno exſtinguimus ignem,
Quamque aqua non poterat, vicit breuis aſtula flammam.

Suppeterent plurima narranda eiusdem ligni miracula; ſed hactenus de illo.

PH. Omnem naturam hæc ſuperant, ideo de illo ligno nulla lingua valebit exprimere miracula; atque ideo quaſi multitudine perterriti vertamur ad alia naturalia: reperitur in Orbe nouo arborum genus, quod cum aduritur, nullum fumum emittit, ſed tantummodo mire gratum odorem. Petr. Mart.

EQ. Longe gratior vtiliorque arbor eſt illa, de qua Ioſeph Ieſuita ſcribit ex Braſilia 1560. Arbor enim ibi eſt, cuius terebratio quamuis modica, ſeu inciſio, guttulam diſtillat Balſamo odore perſimilem, cuius virtus eſt vulnera quæcumque curare, cicatricesque obducere prorſus.

TH. Sunt etiam arbores, quæ elementorum vicem teneant: nam quædam ſunt, quæ non vt aliæ igne egeant, quo ardere poſſint, ſed ipſæ ignem continent; nam attritione ab eis excutitur in noui Orbis Hiſpania: bacillum etenim inter duo compacta ligna iniiciunt, obuerſant celeri motu, illa accelerata obuerſatione ignis excutitur, & accenduntur ligna. Ouet. ſumm. cap. 79. Nec abſimile ſenſerat Plinius lib. 16. c. 40. *Teritur* (inquit) *lignum ligno, ignemque concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis, fungi vel foliorum facilime conceptum.* Hæc ille. Sed & Apuli ferulas ibi natas arefactas funiculo obuoluunt, indeque ignem eliciunt funiculi celeri attractione ac retractione.

Arbores aqueæ.

EQ. Aquæ etiam alterius ſcilicet elementi vicem tenent arbores quædam ad hominis potum. Plinius enim lib. 6. c. 32. tradit, inter Fortunatas Inſulas Ombrion eſſe præcipuam, in ea arbores ſimiles ferulis eſſe, ex quibus aqua exprimatur, ex nigris quidem amara, ex candidioribus potui iucunda. Propterea recentiores, cuiusmodi Ouetanus hiſt. lib. 2. c. 9. ac Petr. Martyr tradunt, in huiusmodi Ombrio Inſu-

Inſula,quam è ferro nuncupant nouo nomine,nullum prorſus aquę genus exiſtere,cum nec fluuii,nec ſcaturigines,puteive vlli ſint,neq; vnquam ibi pluere, ſicut nec in Ægypto: at Dei beneficentia ab arbore aquarum ſcaturiginem excitat quotidie ſummo crepuſculo, vti alias occaſione alia diximus paucioribus. Exudat enim plurimo quaſi rore arbor illa tum à ſtipite, tum à ramis ac foliis, non aliter, atque ſi nebula in aquas ſolueretur: vbi Sol irradiauerit,ſoluta prorſus circa arborem nebula, deſinit aquarum diſtillatio: profluit tamen illo modico crepuſculi interuallo tanta aquarum copia, quæ & incolis & iumentis ſuperſit, eſtque ſalubris, nec id facile ego admiſiſſem, niſi & Plinium & Ouetanum, ac Martyrem ſimul omnes conſentire animaduertiſſem. Cui accedit,quod tradit Plin.lib.12. c. 8. in Hircaniæ conuallibus duabus horis matutinis ex Occhi arbore mel plurimum fluere, vt ſic matutinales horæ etiam aquarum profluuium credibile reddant: quibus accedit,quod ab arboribus in Hiſpaniæ gleba Strabo teſtatur exciſo ramo lac effluere dulciſſimum. Rurſum quoq; circa Carthaginem Hiſpaniæ fuiſſe arborem idem perhibet, è cuius cortice tela pulcherrima conficiebatur. Rod.Palent. Hiſp. rerum p.1.c.2. Ob hæc, quæ diximus, deprehendimus arbores plurimam ad ſe aquam trahere ex humo radicum opera, velut fiſtulis: atque ideo auerti & fontes & ſcaturigines,ne profluant: propterea, cæſa ſylua, fontes promanaſſe compertum eſt: nam ex Theophraſto meminit Senec.nat.lib.3.cap.11. Cum Hemus aquarum inops eſſet, eamq; occupaſſent Gallorum gens, exciſis ſyluis, aquarum copia illis apparuit, quas in alimentum ſuum nemora ducebant; idemq; ait circa Magneſiā accidiſſe;& in Creta Inſula vrbe,quæ dicitur Arcadia, ait fontes & lacus ſubſtitiſſe, quia deſierit coli terra, vrbe diruta, at cum rurſum ſylueſtra exorta fuiſſent exciſa ob culturam aquas rediiſſe.

PH. Si philoſophari libet,& humanarum rerum contemptum prædicare,vna arbor ſola expetenda eſt,quæ in Temiſtitam noui orbis vrbe primaria,quæ & Mexicus nuncupatur,comperta memoratur: eſt arbori nomen Magueis,omnium rerum vna officium præſtat; ſunt illi folia oblonga binos palmos, craſſities eſt quantum hominis genu, ſcapus & caudex exurgit intra folia ad palmos ſexdecim, ſtipitis quatuor vlnarum eſt ambitus; cum perfecta eſt arbor, terebratur caudex, ex quo tantus promanat ſuccus aqueus, vt in multos dies ſeruetur collectus in vaſis ad potum: verum ſi quis largius biberit, obſtupeſcentibus ſenſibus, ebrietate laborat: Cortex eius leuis eſt ad omnia, etiam ad texendum percommodus, præſertim ad funes ac reliqua,quæ filo fieri poſſunt:lignum aptiſſimum eſt ad acus cōficiendas: ſumma enim acie attenuatur,atq; ita fit, vt ex ſucco eius vinū, ex cortice etiam veſtes ac telæ colligantur. Id tradidit alumnus quidam Corteſii in relatione. Addit auctor,qui de rebus Sinarum librum ſcripſit, frondes propellendis ægritudinib. ſalubres eſſe,eisq; perinde commode domos contegi ac tegulis,ſtipitem vero trabium loco eſſe. Hæc ille p.4.cap.4.

EQ. Petr.Hiſp.in ſylua p.5.cap.17.niſi forte idem arboris genus proſequatur, commemorat in Inſula Zebut arborem compertam, cui nomen Coccus,fructum eſſe peponibus, ſuccum autem in illis eſſe butyro perſimilem, qui poſtea vertatur in oleum: aquæ ſuperfuſum videtur Zaccharum, Soli expoſitum fit acetum. At ex eius arboris germinibus percommodum filum educitur, ab ipſo autem arboris ſtipite ſtillat aqueus humor ad potum ſuauis, qui magno pretio habitus ſeruatur in vaſis. Quin iuxta Callicutium ex eadem arbore Cocco etiam Zaccharum

colligi, atque oleum, tradit Lud. Barth. rerum Indic. lib. 2. cap. 15. & de eadem etiam tradit Odoard. Barb. & de rebus Sin. p. 4. cap. 8. vbi & ex trunco fieri nauigia, ex ramis funes, vela, ac prætereа aliis ligni partibus malum ac clauos ac remos confici conſtat.

TH. Præſtant arbores omne commodum: nam in eodem orbe nouo compertum eſt ex arborum radicibus contextis, quod alias diximus, pontes fieri, quibus perennes fluuii traiiciantur. Petrus Hiſpal. p. 5. cap. 26. In purgandis ſordidis pannis ſmigmatis præſtant egregium officium quarundam arborum fructus Hiſpaniolæ Inſulæ, arbori nomen Pater noſter: fructus eſt quanta auellana nux, cui ſi feruens aqua ſuperponatur, obuerſeturque in linteum, aut laneum pannum, cuiuslibet pigmenti vicem egregie præſtat maculis exterſis, ac quacumque labe, verum tamen nimia vi atque acrimonia lanea corrodit. Ouetan. hiſtor. lib. 9 cap. 5.

EQ. Non tamen is fructus abolere valet tincturæ labes, quas aſperſerit indelebiles Xaqua arbor eiusdem Hiſpaniolæ: eſt is fructus papaueris ſpecie, manat inde pellucida aqua albicans, qua quidquid aſpergitur, aut oblinitur, nigreſcit, adeo vt nulla vnquam lotione emundetur, præſertim ſi hominis cutis fuerit aſperſa: cũ enim nigredo illa ſuperet cuiusuis atramenti atrum colorem, adeo cuti inhæret, vt nulla arte deleri poſſit: veruntamen die vigeſima ſponte à cute color ille ater, nigredoq; abire ſolet. Ouet. hiſt. lib. 8. & in ſumm. cap. 77.

TH. Exhibent etiam arbores ſcriptoribus papyrum: nam in prouincia Mãgi Tal arbor papyri officium egregie præbet ex foliis. Nicol. de Comit. & ſuccum etiam præbet, quo incolæ perforato ſtipite vtuntur ad potum. Idem Nicol. & Marc. Pol. lib. 3. cap. 13.

TH. Cur prætermittitur arbor illa, è cuius medulla educitur præcipua farina in hominum alimentum? Eſtque ingens quercus modo arbor comperta in regno Fanfur, mirum, eius lignum adeo ponderoſum eſſe, atq; etiam duritie ferrea ad omnia penetranda, vt aquis ſtatim mergatur. Marc. Pol. lib. 3. c. 16,

EQ. Ferri vim atque aciem habet alia arbor in Iaua Inſula maiore: interior enim medulla ferrea eſt virgæ modo ab imo in ſummum verticem ducta: ſeruat hominem à læſionibus, ſicut ferrea munimenta. Ideoq; incolæ ſeſe muniunt huiusmodi ramuſculis, perſuadentes ſeſe futuros inuulnerabiles. Nicol. de Comitib. & Marc. Pol. lib. 3. cap. 16. Sed de hiſce arboribus hactenus.

Arũdines. *TH.* De Arundinibus referunt memoratu digna, licet hæc noſtro cœlo prorſus contemnantur: alibi tamen ingentium arborum officium implent: propterea libet de eis latius diſſerere. In Gilolo Inſula inter Moluccas reperiuntur craſſitudine crurium humanorum, nec inanes ſunt, ſed ſuaui oppletæ aqua, vt tradit Ant. Pigafetta. Propterea fides adhiberi poteſt, quod in Arabia equites grandibus arundinibus lancearum vice vtantur cuſpide ferrea munitis, vti tradit Ludou. Barth. in princ. cap. 7.

EQ. Non eſt incredibile, quandoquidẽ in Inſula Hiſpaniola arundines ſunt non multo noſtris ampliores, quæ tamen ſolidæ ſunt, vt ligna, firmoq; ſtipite, non autem inanes, vt noſtrates; quamobrem lancearum vicem præbere commode poſſunt. Ouet. hiſt. lib. 11. cap. 7.

PH. Noua Hiſpania quamquam rebus omnibus ferax præferenda ſit reliquo fere orbi, arundines tamen fert, quæ craſſitudine non excedunt hominis genu: ſin-

gula

gula internodia, quæ inania ſunt, ad tres palmos protenduntur, adeo vt in eis aquæ hemina capi poſſit: ſed quod valde mirum eſt, arundines illæ egent adminiculo, vt excreſcant, ſicut & vites, & cucurbitæ ſolent arboribus inhærere: ſerpunt arborib. hærentes vsq; in ſummum verticem, quo ſuperato, reflectuntur vsq; in ſolum: ineſtq; iis plurima aqua ad potum ſuauis: ſapida enim eſt, atque ſubfrigida, quæ diebus multis non putreſcat. Ouet. ſumm. cap. 80. Quæ ſi putreſcat, quamdiu intra ſua internodia cõtinetur, vermes humani digiti magnitudine inde naſcuntur prȩcandidi ad humanam eſcam ſuaues: transeunt ii poſtea in papiliones, alii in mures, vti ſcribit ex Braſilia Ioſeph Ieſuita 1560. Ipſam autem arundinum adoleſcendi luxuriam & teneritudinem, ob quam ſubſidio arborum egent, non aliunde profectam cenſeo, quam ab humore nimio, quem cœli feruor, quamquam maximus, nequeat abſumere, aut dilatare in craſſitiem; cum tamen alio cœlo, vbi augentur in craſſitudinem trium palmorum, non deeſt equidem par cœli feruor, ſed tantus in illis humor non eſt: propterea & ſicciores ſunt, & facilius ampliantur, cuiusmodi in Pegu Indiæ tanta ſunt craſſitie, quantus homo cingulo tenus, vt teſtatur Lud. Barth. de reb. Ind. lib. 3. cap. 15. Propterea ob illam ſucci humorisq; luxuriem illud quoq; accidit non procul à Iaua maiore, vt arundines aſſurgant ad paſſus 50. altitudine, aliquando per humum ſerpunt radicibus per ſingulos nodos emiſſis tanta propagatione, vt ad octo, & eo amplius ſtadia hac atq; illac graminis modo ſerpere inuentæ ſint. Odericus lib. 1.

EQ. In Taifu iuxta flumen Caromoran tantæ ſunt craſſitiei arundines, vt ſtipitis latitudo pateat ad pedes tres. Marc. Pol. lib. 2. cap. 32. Quin etiam teſtatur in prouincia Thebeth pari amplitudine exurgere & dilatari, ſingulorumq; nodorum longitudinem tres etiam palmos non excedere, vniuerſamq; arundinis proceritatem ad decem paſſus aſſurgere, eod. lib. cap. 37. Sed & in prouincia Quinſai, in vrbe Vguiu, tradit arundinum in ſtipite craſſitiem eſſe ad palmos quatuor, proceritatem porrigi ad paſſus quindecim, eod. lib. cap. 73.

TH. Ex illa amplitudine fit, vt Melæ credamus lib. 3. cap. 4. aſſerenti, ex arundinũ internodiis ſciſſis velut nauiculas fieri, quibus bini aut terni homines vehantur: quod etiam habet Solin. c. 53. cum ſcribit, in paludibus Indicis arundines creari adeo craſſas, vt fiſſis internodiis, lembi vice vehantur nauigantes, quod & Bocatius de Aceſino Perſidis fluuio agens etiam memorat.

EQ. Scio Straboni non probari hanc arundinum amplitudinem, quam fabuloſam putat, lib. 15. tamen Melæ, Solino, Marco Pol. quibus addere etiam Plinium poſſumus, fidem adhibere licet. Plin. igitur lib. 7. c. 2. affimat, arundinum Indicarũ internodiis nauiculas fieri, quæ tribus vehendis ſufficiant: quod etiam repetit lib. 16. cap. 36.

PH. Præter hos ſunt & alii auctores: nam & in ripis Gangis fluuii adeo grãdes arundines cõpertæ ſunt, vt hominis amplexũ ſuperent: quin ex iis ſingulæ nauiculæ fiũt piſcatoriæ, corticemq; earum ad palmi mẽſuram craſſum, ſingulaq; internodia æquari hominis cuiuscumq; proceritati tradit Nic. de Comit. Sed & in Ternatis Regis ditione, in Inſula Malucco, deciſis arundinũ internodiis, incolæ grãdia ex eis vaſa conficiunt, aquarum conſeruandarum cauſa, vti ſcribit Balthaſſar Diaz ex Malacca 1566. In Calicutii quoq; regno remos, ac nauigiorum malos ex arundinibus fieri tradit Lud. Barth. rer. Indic. lib. 2. cap. 11.

TH. Non mihi videtur dubitandum de huiusmodi amplitudine, quandoquidem

dem & in domibus ipſis ædificandis velut trabes conſtituuntur in Hiſpaniola. Ouet. ſumm.cap.80. Petr.Hiſpal.p.5.c.3. Sed & in prouincia Paucura Peruaci carceres reorum ex arundinibus fiunt, ſuntque trabis ingentis magnitudine præfirmæ. Idem Petr. Hiſpal.p.5.cap.32. Propterea non erit exſibilandum, quod Bocatius de flumine Odona ſcribens memorat, in illo adeo grandes arundines gigni, vt vnam vix triginta homines ferre valeant. Atque ita fit, vt plura præſtet beneficia neglectiſſimum hoc arboris genus, quam reliquæ arbores. Apud ipſos tamen ſacros Doctores, quoniam patienti Chriſto ſpongia myrrha acetoque plena in arundine oblata eſt, ſignificãtur plurima myſteria: arundine enim ipſius ſacræ Scripturæ ſimplex litera inaniter intellecta ſignatur, quam Iudæi perperam inaniterque interpretabantur, falſitate, malitiaque permixta, vti tradit S. Auguſtinus in Ioan. tractat.119. Verumtamen, quoniam etiam aliquando Angeli in ſacris Scripturis memorantur templum menſi fuiſſe aurea arundine, arundo illa militantium hominum Eccleſiam deſignat, carne fragilem, fide tamen auro comparatam; vti idem S. Auguſtinus tradit ſuper Apocalyp. hom.18. Adeo Deus Omnipotens leuia quæque etiam ad magna trahenda myſteria nos docet. Sed de Arundinibus hactenus.

PH. Nullius rei toto orbe copia tanta eſt, quanta arborum: neq; puto id eſſe, vt earum fructib. humanum genus deliciosius alatur, quandoquidem innumerabilis eſt infructuoſarum arborum copia: cenſuerim potius id eſſe fouẽdi ignis cauſa, quo omnes orbis partes indigent: nam ſicut plurima arborum pars igne abſumitur: ita plurima quoq; quotannis & naſcitur, & nata adoleſcit.

EQ. At vbi arbor nulla eſt, qua ratione natura ignem ibi non eſſe decreuit? ſicuti apud Cauchios Aquilonaris maris accolas, vbi nullum pecus, non lac, nõ fera vlla, cum nulla ibi prorſus arbor aut frutex ſit, vti diximus in quadrupedibus ex Plin. lib.16. cap.1.

PH. Apertiſſimum eſt, eos magis frigore vri, quam igne, cibos ex piſcibus nõ igne, ſed Sole concoquere: verumtamen ſi & ignem voluerint, etiam piſcium oſſibus illum ſibi comparant, vt Olaus tradit lib.1. cap. 4. aut herbis & ſiccatis iuncis paluſtribus, aut vluis (quarum copia ibi eſt) accendere ignem licebit: lignũ igitur proprium toto orbe ignis alimentum eſt ad humanos vſus: ſunt tamen arborum circa ignem miracula: nam hebenus numquam accẽditur, quamuis aridiſſima, ſed vritur tantum odore iucundo, vti Fabianus ſcripſit, quem & Plinius eſt ſequutus lib.12. cap.4. *Lignũ proprium ignis alimẽtum.*

EQ. Laricis etiam tabulæ flammam repellunt, carbonem non faciunt, vti Iſidorus ſcripſit lib.17. cap.7.

PH. Admirabilior arbor, quam Alexander Cornelius Conem appellauit ſimilem robori viſcum ferenti, ea nec aqua nec igni corrumpi poteſt, vt tradit Plin. lib.13. cap.22.

Iuniperus.

TH. Nec commemoratione indigna Iuniperus, cuius prunas ſub cinere ad annum durare compertum eſt, Iſidoro teſte lib.17. c.7. Sed quid vltra laboramus in conquirendis ligni & ignis Dei miraculis? Quidquid cum ligno commune habet ignis, omne mirandum eſt, nec ratione concipi poteſt: lignum aduſtum nigreſcit, cum lapis aduſtus albeſcat: lignum aduſtum ſeu carbo, cum ſit fragiliſſimus, nunquam tamẽ corrumpitur: ligno enim aduſto, ſeu carbone fragiliſſimo ſubſtra-

tum

tum fuiſſe Dianæ templum, quo immortalius foret, tradunt: vti hæc omnia S. Auguſtin. ſcribit, miraturq; lib. 21. cap. 4.

EQ. Non eſt prætermittendum, quod apud beatum Hieronymum legiſſe me mimini ſuper Leuit. ad cap. 27. *Facies,* inquit Dominus, *altare de lignis Sethim,* &c. *Ecce* (inquit) *altaris ligna, quæ de lignis Paradiſi ſunt, igne vicino non cremantur, ſed puriora redduntur; nec mirum, cum etiam Amithon genus ligni, quanto plus arſerit, tanto mundius inueniatur.* Ita ille: quod etiam ſcripſit Vincent. hiſtor. natur. lib. 10. cap. 43.

TH. Accedit commemorandum, quod narraſſe Gregorium Turonenſ. in glor. Confeſſ. c. 98. iam pridem diximus, è ligno vas confectum cacabi vicem præſtitiſſe homini pio in Auguſtodunenſi agro, igniq; ſuperpoſitum quotidianos cibos concoxiſſe, & non aliter, atq; ænea reliqua vaſa, incorruptum ſemper multos in annos extitiſſe: tametſi eſculenta in eo ardentiſſime feruerent. Et ſane ſunt hęc omnia memoria digna, ac longe magis, quam lignum illud, quod in aquis merſum nullo vmquam æuo corrumpitur: vti Alexandri Magni milites prodiderunt. Plin. enim lib. 16. c. 41. *Alexandri* (inquit) *Magni comites prodiderunt in Tylo rubri maris Inſula arbores eſſe, ex quibus naues fierent, quas ducentis annis durantes inuentas, etſi mergerentur, incorruptas.*

EQ. Non adeo longæuæ eæ fuere arbores, veluti fuit illa, quam Ægeſyppus commemorat libro quarto, c. 23. Scribit is in Memphi Terebynthum arborem à conſtitutione mundi ſatam ad ſua vſque tempora ſuperfuiſſe viuentem atque virentem, iam tum circiter quinque annorum millia. Digna igitur arbor illa fuit, cui nomen imponeretur ſemper viua, ſicuti herbæ cuidam impoſitum hoc nomen eſt.

Terebynthus arbor ſemper viua merito dicta.

TH. Et ſemper viua, & ſemper virens herba illa dici poteſt, quamquam plurimæ ſunt arbores ſemper virentes: ſunt enim quædam cœli climata, vbi arbores, quæ apud nos hyeme foliis deſtituuntur, ibi ſemper virent; cuiusmodi in Tylo rubri maris (de qua nunc meminimus) referta enim eſt tota arboribus ſemper virentibus, foliis numquam decidentibus. Plin. lib. 12. cap. 11. cui accedit S. Auguſtin. de ciuit. Dei lib. 21. cap. 5.

PH. In eadem, quam modo commemorauimus, Memphi nec vitis ipſa, nec alia arbor folia vmquam amittit, ſicut nec in Elephantina Thebaide. Plinio teſte lib. 16. cap. 22.

EQ. Sunt & in nouo orbe eadem naturæ priuilegia: nam nec in Inſulis, nec in continenti vlla arbor amittit vmquam folia, præter vnicam arborem, cui nomen Caſſia, Ouet. hiſt. lib. 9. c. 16. vbi ait vix ſex plantarum genera foliis deſtitui. At Caſſia ſingulari quadā prærogatiua prædita eſt arbor quædam: radices enim eius ſemper rectę profundum petunt, nec penetrare deſinunt, donec ſubterraneam aquam comperiant, etiamſi plurima foret à ſuperficie Soli diſtantia, quod nulli plantæ commune eſt. Ouet. ſumm. cap. 79.

PH. Inueſtiganda potius ea arborum nobis eſſent priuilegia, quæ cœlum petentes habent, quam quæ ſub humo aut aquis, quandoquidem nulla eius rei vel certitudo eſt, vel vtilitas. Scrutemur igitur nonnulla circa arborum fructus memoratu digna. Eſt in prouincia Malabay arbor, cui incolæ nomen indidere Cachi ſiue Cicara, vnicum quotannis refert pomum, nec plures fructus: extuberat pomum illud, non à ramis, vt poma reliqua, ſed à ſtipite, eſtque adeo immenſum,

vt vnicum oneret quemuis robuſtum hominem: continet autem Pini more intra ſe fructus 300. diſtinctis pelliculis: ſunt ſinguli noſtrorum pomorum magnitudine: rurſumque intra illos continentur & alii, quales in echino Caſtaneæ. Nicol. de Comitib.

EQ. Quod hæc ſemel toto anno vnicum pomum reddat, contraria eſt arboribus reliquis; quin aliquæ non plures tantummodo fructus reddunt, ſed eodem anno ſæpe. Plin. enim lib. 16. c. 27. *in Cea* (inquit) *Inſulæ Caprifici triferæ ſunt, biferæ, & in malis ac piris quædam. Malus ſylueſtris bifera, vites quædam & triferæ ſunt, quas ob id inſanas vocant, quoniam in iis aliæ matureſcunt, aliæ augeſcunt, aliæ florent. Marcus Varro auctor eſt, vitem fuiſſe Smyrnæ apud mare biferam & Malum in agro Conſentino. Hoc autem euenit perpetuo in Tacapenſi Africæ agro.* Hactenus ille.

PH. Hæc ſunt potius cœli, quam arborum priuilegia: quamquam etiam à ſolo plurimum hæc res pendet, ſicut commemorant vites, ac reliquas arbores obrutas montis Æthnæ cineribus longe fertiliores eſſe, iuxta Catanam, vti Strabo tradit lib. 6.

EQ. Fructuum amplitudo, ſicut feracitas, etiam à cœli climate perſæpe proficiſcitur, cuiusmodi Indicæ nuces, quarum amplitudo humano capite adæquatur, in regno præcipue Samara, non procul à Iaua minore: præbetque ex medulla tum ſapidum cibum, tum quoque & potum. Marcus Polus lib. 3. cap. 13. Eadem quoque comperta eſt in noua Hiſpania eiusdem amplitudinis ac ſucci. Pet. Martyr.

PH. Eadem cœli ratione in vrbe Ciangu Catay perſica ſapidiſſima ſunt, ſingula ponderis librarum binarum: neque iis maxima Campana æquari poſſunt. Marc. Polus lib. 2. cap. 50.

EQ. Pira quoque in vrbe Quinſai ſapidiſſima, albiſſimique ſucci, ponderis ſunt ſingula librarum decem, vt idem Marc. Pol. habet lib. 2. c. 68. Sed Sanctorum virtute ad indicandam alicuius ſimulati hominis occultam mentis leuitatem, quæ grauiſſima fuere poma, leuiſſima reddita ſunt, nō quod exſiccata fuerint, ſed etiam virentia & ſuccoſa papyro leuiora inuenta ſunt. Quidam enim ſanctiſſimo Antonino Archiepiſcopo Florētino donauerat fiſcellam pomis refertam, nullo amoris affectu, ſed remunerationis maioris ſpe; ſuſcepit blāde Archiepiſcopus, ſed gratias verbis tantummodo agens nihil aliud rependit. Is igitur abiens Archiepiſcopo detrahebat: rurſum igitur illū ad ſe accerſiuit Archiepiſcopus, ac coram eo afferri iubet trutinā; acceptaq; modica papyro, eam trutinæ imponit; altera autem in parte fiſcellam cum pomis collocat; elata igitur trutina, in ſublime papyrus, tanquam ponderoſior, ferri maſſa in imū deſcendit, fiſcella cum pomis in ſublime elata ſunt. Ita perſuaſit Archiepiſcopus homini, *quæ ex animo non offeruntur, leuiſſima omnino eſſe.* Vincentius Maynardus in vita S. Antonini apud Surium tom. 3.

PH. Fit quoq; cœli ratione ac vi, vt forma fructuum etiam diuerſa gignatur, vel ab eadem arborum ſpecie: Mali enim Punici in vrbe Mechuaſe Africæ acini omnes absq; nucleo ſunt. Leonius p. 3. Sed & proxime Euphratem in Babylone Syriæ mala Punica nullo à noſtris diuerſo ſapore ſunt inter acrem & dulcem: at ſunt cortice leni, vt nobis reliqua poma, acini quoq; absq; nucleis, atq; pelliculis vnico cortice obtecta ſunt: nulla parte diſtincta, adeo vt mordicus mandi poſſint, vt poma reliqua, neq; aliquid ex eis eſt expuendum: amplitudo noſtris compar. Ioſeph. Barbarus cap. 20.

EQ. Eiuſdem cœli ratione fit, vt quædam præparuę plantæ creſcāt in arbores. Malua etenim minima apud nos herba, de qua alias diximus, in adeo ingentē creſcit velut arborem, vt altitudo ſuperet pedes 20. craſſitudo complexum hominis in Mauritania: ſed & in Arabia, vbi ſeptimo menſe arboreſcit. Plin. lib. 19. c. 4. Cannabis quoq; in eandem aſſurgit amplitudinem, eodem Plinio teſte, ſicut & ferula in Inſulis Fortunatis. *Malua.*

TH. Nulla tamen arbor ſtatim naſcitur, neq; cœli, neq; ſoli virtute: propterea admiramur, arborem ſtatim creuiſſe, vt Ionæ vmbram præberet. Ion. 4. Cum enim ille, poſtquam Niniuitis excidium prædicauerat, egreſſus ab vrbe ſederet, feciſſetque ſibi vmbraculum; præparauit Dominus hederam, & aſcendit ſuper caput Ionæ, vt eſſet vmbra ſuper caput eius, lætatusque eſt Ionas eam ob rem: verum vti repente exorta fuerat, ita quoque eodem Dei nutu repente exaruit: nam in craſtinum diluculo vermis arroſit hederam, quæ exaruit, quod magno fuit factum myſterio. Hedera enim lex antiqua fuit, nihil præbens niſi vmbraculum, vermis Chriſtus fuit, qui legem exareſcere fecit, Euangelio inſtituto, vti exponit ſanctus Auguſtinus. Nos quoque poſſumus ipſam illam hederæ appellare ephemeram arborem, quod vnica die adoleuerit, ſimul & exaruerit. Sunt tamen, qui eam arborem cucurbitam appellent, & Elkeroa Syra, & Punica lingua. In Palæſtina arenoſis locis conſueta naſci, mirumque in modum, ſi ſementem in terra ieceris, cito confota conſurgit in arborem, & intra paucos dies, quam herbam videras, arbuſculum ſuſpicis: hæc enim Ionæ cucurbita fuit, cuius folia & pampini vmbram reddunt denſiſſimam. Hieronym. ſuper Ionam ad cap. 4. Eſt tamen aliud cucurbitarum genus in orbe nouo compertum iuxta Inſulam Guanaha, quod ſtipitem ſolidiſſimam, ampliſſimamque habet, non aliter atque reliquæ arbores habeant. Fructus vero qui inde naſcitur, & nomine, & re cucurbita eſſe dignoſcitur. Petr. Martyr ſumm. Indic.

EQ. Admirabilius eſt, ex arido ligno aſſurgere virentem plantam, quod ſæpiſſime contigiſſe legi apud ſacros auctores.

TH. Nulli dubium, id, quod natura ſuis nequeat viribus, efficiant ſerui Dei illius gratia; nam & aridas ſolo verbo rurſum virentes reddēt. Sicut enim Chriſtus ſecus viam à Bethania Hieroſolymam ficum ſolo verbo arentem reddidit. Matth. 21. & Marcii 11. ita ſane eandem contulit ſeruis ſuis virtutem. Cum etenim S. Seuerus Presbyter iter ageret, incaute Meſpili arboris ramo percuſſus in capite eſt: quāobrem areſcere iuſſit, & confeſtim exaruit: at quarta poſt die, cum rediens animaduertiſſet eam aridam, pœnitentia ductus, in ſe ipſum animaduertens, iis verbis eſt vſus: *Væ mihi, qui in amaritudine cordis maledixi huic arbori, & ecce aruit. Et equo deſcendens proſtrauit ſe, ad radicesq; eius orauit Dominum, vt reuireſceret arbor: mox ab aſtantibus viſa eſt & virorem, foliaq; recipere,* vti tradit Greg. Turon. in glor. Conf. c. 50. Atq; ita apertum eſt, in manu eſſe ſeruorum Dei per eius gratiam arbores & arentes, & virentes efficere, abſq; temporis curriculo.

EQ. Legi etiam aliquando, & iam alias occaſione alia meminimus, Gregorium Thaumaturgum, cum inundationes Lyci fluminis cohibuiſſet, infixiſſetque aridum baculum, creuit is oratione Sancti in elegantem, frondentemq; arborem, emiſſis radicibus, perdurabatque etiam beati Gregorii Nyſſeni tempore poſt centeſimum circiter videlicet à plantatione annum, vti ſcribit ipſe in ipſius Thaumaturgi vita.

TH. Non abſimile eſt, quod de Friardo recluſo proditur: is enim virgam, cui hærere ſolebat, poſt multum tempus longe aridiſſimam terræ infixit & irrigauit, creuitque in proceram arborem, atque ad eam miraculi cauſa vndecumque turbæ confluebant: verum applauſum metuens popularem, quo cordibus Sanctorum plerumq; vana ſolet gloria infigi, ſecuri illam abſcidit. Præterea cum alia quædam arbor ventorum impulſu corruiſſet, radicibus etiam à ſolo euulſis, ipſo ſtipite ſolo ſeruato, & ſudis modo acuminato, abſciſſisq; tum ramis, tum ipſis quoq; radicibus, infixit terræ ſtipitem, qua parte illum exacuerat: oratione facta, adeo viruit arbor illa, vt etiam ipſo illo anno fructus emiſerit, ſicuti narrat Gregor. Turon. in vita ipſius Friardi.

PH. Legi & ego aliquando illo volumine, quod inſcribitur vita Sanctorum Patrum, p. 2. c. 23. ſanctum quendam virum nimiam ob corporis valetudinem in virginis cuiusdam domum curationis cauſa ſeſe recepiſſe: verũ cum maledicorum hominum obtrectationib. male audiret, iamiamq; obitus eius dies inſtaret, aduocatis Monachis, ſic eos eſt allocutos: *Obſecro vos domini patres & fratres, vt cũ defunctus fuero, tollatis baculum meum, & plantetis eum ſupra ſepulcrum meum, & cum radices miſerit, feceritq; fructum, tunc ſcietis, quia munda eſt conſcientia mea à famula Dei, quæ mihi miniſtrabat.* Cum ergo vir Dei obiiſſet, patres plantauerunt baculum eius ſuper ſepulcrum, & fronduit, accedenteq; tempore, protulit fructum: atq; ad arborem viſendam vndecumq; miraculi cauſa erat accurſus, auctorq; hiſtoriæ ſeſe eam vidiſſe cum magna Dei glorificatione teſtatus eſt.

TH. Atq; ita fit, vt neq; radicibus, neque humore, neq; Sole egeant arbores à viris Dei per fidem plantatæ. Ficus enim quædam à beato Ioanne Epiſcopo Silentiario petræ cuidam ſiccæ, & absque ſucco ac muri modo præruptæ impoſita eſt: quæ tamen germen emiſit, ac paulatim etiam creſcens ad cellæ percurrit tectum, fructumque etiam protulit in teſtimonium ſpei, quam in Deum conceperat, ſe æterna vita potiturum, ſi ex arido huiusmodi ſaxo arbor illa fructum protuliſſet. Scriptor hiſtoriæ tradit, ſe ad eum aliquando profectum, miraculumq; fuiſſe contemplatum, cum in ſaxo nulla appareret rima, excipiens arboris radices, neq; vllus humor eas alens, coactumq; ſe in hæc verba prorumpere: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam ſunt inſcrutabilia iudicia eius, & præſertim quod in laura Sabæ nulla ficus vllo in horto naſcitur ob ſummum aeris feruorem, ſoliq; ſiccitatem.* Hæc apud Metaphr. 13. Maii.

EQ. Ex huiusmodi igitur admirandis germinibus perſpecta eſt ſæpe virorum Dei ſanctitas viuentium, ſimul quoque etiam iam defunctorum. Cupreſſus inſigniſſima arbor eſt, magnoq; ſtudio eſt opus, vt adoleſcat & ad frugem perueniat, nihilominus comperta eſt, neq; ſata neq; plantata, ſpõte à terra emerſiſſe, & in propriam proceritatem aſſurrexiſſe in defuncti viri ſanctitatis teſtimonium, vti tradit Theoſterictus in funebri de B. Niceta oratione: erat enim Athanaſius quidam inſignis cœnobita, beati Nicetæ neceſſarius, is extrema obitus ſui hora rogatus à fratribus, vt pro eis poſt obitum apud Deum intercederet, reſpondit: Quam fiduciam apud Deum inuenero me defuncto, vos ipſi noueritis. Sepultus igitur & terra obrutus eſt: ac ne eius ſancti viri monumentum deinceps obſcurum eſſet, ſed manifeſtum omnibus fieret, omnium rerum Dominus Deus fecit, vt ſupra monumentum ex honorato illo ſancti viri pectore arbor cupreſſus naſceretur: quamobrem, multi fide ipſa impulſi illuc euntes arborem illam amplexantur, & frondes

Cupreſſus.

ex ea

ex ea decerpentes ad ſanitatem afferendam adhibere ſolent. Apud Metaphr. 3. Aprilis. Lipom. Tom. 3.

TH. Non modo reuireſcunt arentes arbores, vt Sanctorum integritatem teſtentur, aut ſponte naſcuntur, verum etiam ſponte transplantantur, cuiusmodi de populo arbore tradunt. Exciderant illi Decembri menſe folia omnia; at cum iuxta illam ſepulchro condita fuiſſet beata Gudila apud Brabantes inſignis virgo, cœpit arbor mox tota frondeſcere, perinde expanſis ramis virentibus ac æſtate conſueuerat, idque vno momento. Deinde vero cum eiusdem oſſa ad Baſilicam Morſellenſem transferrentur, altera à translatione die arbor eadem ſponte ſe eodem tranſtulit, ac ſacræ virgini ſe conſtituit proximam, cum inde abeſſet decem paſſuum millibus; ei miraculo accurrit Carolus Magnus, ac compunctione motus eſt, locumque donariis multis auxit ac priuilegiis. Vetuſtus incerti nominis auctor in vita ſanctæ Gudilæ apud Surium Tom. 1. Ianuario. Sed & fructum etiam repentinum emittunt quandoque arbores, ac miracula miraculis cumulant, vt ſanctitatis præbeant teſtimonium. In ciuitate Accitana Hiſpaniæ ad tumulum Torquati Epiſcopi die eius natalitio, hoc eſt, Idibus Maii, olea florem mittit, fructum facit, ac maturat, inde expreſſum oleum cuiusque generis ægritudini efficax ſalutareque eſt. Marul. lib. 6. de reuelat. cœleſt. beatit. ſed neſcio an modo abire liceat, cum veſper inſtet.

PH. Antequam hinc abeamus, optarim non pauca adhuc de arboribus commemorare; primumque libet recolere arborem, quam ad Gades eſſe tradit Strabo, cuius rami ſponte in terram inflectuntur, folia iis ſunt ſpatis enſibusve perſimilia, longitudine videlicet palmorum trium, latitudine digitorum quatuor. Ita ille lib. 3. in fine.

EQ. Non abſimilis alia quædam arbor Indica in Muſicano altiſſima, cuius rami excreſcunt ſupra duodecim cubita, reliquum poſtea flectitur ſponte deorſum, vsque in ipſum ſolum, terræque etiam ſponte figitur, ibique etiam radices mittit, rurſum nouam efficiens arborem, cuius etiam rurſum rami eodem ordine reflectuntur, & radicibus emiſſis, noua quoque arbore exurgente, adeo in longum ea propagatio arborum inaugetur, vt longiſſima ornatiſſimaque porticus vmbratilis efficiatur. Nec putet quis, exiguas eſſe arbores: ſunt enim tantæ amplitudinis, vt ſub ſingulis ad euitandum meridianum æſtum ſubſideant percommode homines 50. quin aliquando, ſi Ariſtobulo credimus, etiam 400. Hæc à Strabone lib. 15. Idem arboris genus, eiusdemque operis extare in Orbe nouo, non procul à portu Mirabulano, memorat Petr. Mart. ſumm. Indico.

TH. Admirandum, quod legi apud Plinium de Abiete: nam cacuminibus ramorum deciſis moritur, totis vero detruncatis durat; & ſi infra, quam rami fuere, præcidatur, quod ſupereſt viuit, ſi vero cacumen tantum auferatur, tota moritur. Ita ille lib. 16. c. 30.

EQ. Commemorabile eſt, quod de Fagis tradit Olaus. In Inſulis enim Aquilonaribus ſub polo ſitis extant continuæ cautes magneticæ, quibus ſi Fagi arbores adhæreant, aut miſceantur, natura lignea dimiſſa, mutantur in Magnetem ac ſaxum, cum eadem vi ferrum attrahendi, quæ ineſt Magneti. Ita Olaus libro duodecimo, cap. 1. *Fagi magnetica.*

PH. Non eſt prætermittendum in Fabiano Italiæ agro bruma, cum niues vitem ambiunt, aut gelu contingat, ne frigus huiusmodi vites adurat, circumfun-

dunt fluminis aquas, idque tepidare vocant: ex ea enim aqua tepeſcunt vites, contempta & niue & gelu, memorabili natura in illo amne ſolo, Plin. lib. 17. c. 26. Atque eſt ſane annotanda res, infuſam arboribus frigidam teporis vim habere aduerſus niuem aut glaciem.

EQ. Erit nobis pro huius ratiocinationis colophone putre lignum, in quo cum vetuſtior putredo eſt, lux quædam ſplendorque nocturnis in tenebris enaſcitur, præcipueque, ſi id lignum è quercu fuerit. Itinerantibus noctu percommodam lucem præbet, vt comitem quisque ſuum videat, ne aberret, Olaus lib. 2. cap. 14. Et quamquam in Europa id tantum videretur cognitum, tamen in noui Orbis Hiſpania etiam compertum eſt, noctuque itinerantibus, ne à comitatu quisquam aberret, in vſu eſt, vt quisque pone ſe putreſcentis eius ligni portionem deferat in humeris: tamdiu tamen durat hęc lucendi vis, quamdiu in corticę humor aliquis perſeuerat, alioqui eo penitus exſiccato ceſſat omnis ea lucendi vis. Ouet. ſumm. c. 79. eius rei cauſam diximus in inſectis. Abeamus.

TH. Adhuc & vnicum adferamus de lignis miraculum: ligna ſui natura leuiora ſunt lapidibus, compertum eſt tamen, trabem non admodum grandem nulla vi hominum boumque trahi potuiſſe in ſceleratorum hominum deteſtationem. Scribit enim beatus Petrus Damianus in ſermone de S. Ruffino in hæc verba: *Viri quidam trabem de ſylua operoſis exercitiis leuigatam ad beati Ruffini vectare Eccleſiam conabantur, quibus nimirum quidam Perusinorum violentiam ingerentes lignum hoſtiliter extorſerunt, & iam iam Peruſinis mœnibus, vno vix interiacente milliario, cum propinquarent, repente vehiculum hæſit, nullisque virium niſibus impelli vlterius potuit. Interea contigui quique homines ad auxilium confluunt non pauci, etiam iugati boues adduntur: ordinant diligentius machinam, inuicem exhortantur, in robur ſe colligunt, armos obiiciunt, vociferantes impingunt, lignum tamen immobile permanet, ac ſi fixum radicibus teneretur; demum magiſtra neceſſitas docuit, quod cæca hominum prauitas ignorabat: mens namque eorum perpetrati criminis conſcia, licet ſero, liquido cognouit, quia qui de beati Martyris ſubſtantia rapinam fecerant, merito illis diuina virtus obſtabat; mutato itaque repente conſilio, Aſſiſium verſus illico vehiculum dirigitur, & accelerandi facultate percepta beatiſſimo Martyri, quod ſuperbe rapuerant, humiliter reddunt.* Hæc ille; vnde diſcimus, pondus non in ligno fuiſſe, ſed in crimine: omnia enim eſſent homini leuia, niſi culpa grauaret. Vbi enim Peruſinorum per pœnitentiam culpa correcta eſt, ſublatum eſt pondus, leuique niſu (vbi omnis culpa abeſt) res ferri potuit.

EQ. Vnicam adhuc ego recolam arborem ſane admirandam, quæ cum proprio ſtipite ſuo naturam ſemper retineat, radices habet contrariis inter ſe proprietatibus differentes, vt aliæ ſint ſalutares, aliæ ſint noxiæ, perinde ac venenum: nam non procul à Malacca arbor eſt, cuius radices, cum multæ ſint, in varias diſperſæ ſunt partes; quæ enim ad Orientem ſpectant, antidotum præbent aduerſus venenum quodlibet, febresque pellunt aliasve ægritudines: at quæ vergunt ad Occaſum, ipſiſſimum venenum ſunt, valdeque vehemens, vt ita res eadem ſit ſimul antidotum & venenum. De reb. Sinarum p. 4. c. 17.

IGNIS

IGNIS

COLLOQVIVM VIGESIMVMSECVNDVM.

PHILOSOPHVS.

VNde hæc tanta terreſtrium teſtudinum copia?

EQ. Referunt agricolæ, reperiri eas ingenti ſimul numero congregatas, quando poſt meſſes campi exuruntur, ſiue id ſit, quod nudatis latibulis appareant, ſiue quod ignem exhorreant, & ideo conueniant quaſi migraturæ.

PH. Compertiſſimum eſt eas odiſſe lucem: nam interdiu eas latere, ſemperque quærere latibula videmus; horrent calorem, quem tum Solis, tum ignis ſemper vitant, quandoquidem in ędibus, vbi aluntur, longius, quam poſſunt, igne abſcedunt, atque ab eo ſe abdunt, cum frigidiſſima ſint animalia. *Teſtudines lucifugæ.*

EQ. Iure merito luminis caloriſque vim refugiunt teſtudines, & plus reliquis animantibus abhorrent, quoniam tardiſſimum ignauiſſimumque animal eſt; degeneri igitur natura ignem odit.

PH. Ignem quæcumque animalia horrent, haud ſtatim degeneri animo iudicabimus: nam & leonem ignes maxime terrent, Plinio teſte lib. 8. c. 16. Sed & elephantos, quandoquidem Hannibalis elephanti per ignem in Capuana obſidione exacti ſunt, vti tradit Liu. dec. 3. lib. 6.

EQ. Hortor in locum proximum nos conferre, ibi & teſtudinum maiorem copiam videre licebit ex domo, conſedebimus quoque in opaca area, quam platanus expanſis contextiſque mirum in modum ramis totam contegit, ad æſtum deuitandum, & ignis opera ſermocinatione complectemur.

TH. Vt video, ignis hic & ſtercorationis implet officium ſimul, & venatoris eximii, quum tot teſtudines captæ ſint.

EQ. Sed parua laus eſt, velociſſimum venatorem perſequi lentiſſimum animal.

PH. Cuique virtuti ſua laus eſt, etiamſi exerceatur in indignum. Aquilæ virtus non degenerat, capta teſtudine; ita neque ignis, cuius opus ſemper admirandum eſt. Nam vt habet Vitruuius lib. 2. ex acceſſu ad ignem cœpere homines inter ſe conuenire, & colloqui, ac communicare, vnde ſodalitatum auctor ignis ipſe fuiſſe videtur, qua à belluis homines diſcernerentur: inde nata etiam commercia, conuictus & ciuitates, vt idem Vitruuius teſtatus eſt.

EQ. Videtur mihi Lactantius Firmianus eius laudes vberius expreſſiſſe diſertiſſimis verbis de diuino præmio capite nono: *Non exiguum immortalitatis argumentum eſt, quod homo ſolus cœleſti elemento vtitur. Nam cum rerum natura his duobus elementis, quæ repugnantia ſibi atque inimica ſunt, conſtet, igne & aqua, quorum alterum cœlo, alterum terræ adſcribitur, cætera animantes, quæ terrenæ mortaleſque ſunt, terreno & graui vtuntur elemento. Homo ſolus ignem in vſu habet, quod eſt elementum leue, ſublime, cœleſte: & vt lux eſſe ſine igni non poteſt, ſic vita ſine luce. Ignis igitur elementum eſt lucis ac vitæ, vnde apparet, hominem, qui eo vtitur, immortalem ſortitum eſſe conditionem, cum illi familiare eſt, quod facit vitam.* Hæc ille. Sed ignis non adeo paucis explicari poteſt: nam noſter Antonius Perſius de ſolo igne octo conſcripſit libros recenſens omnia, quæ cum veteres, tum recentiores Philoſophi tradiderunt, originem, ſpecies, cauſas, effectus, & quidquid ad abſolutionem tanti operis exigitur, ſumma eruditione complexus eſt, ſpero breui opus ipſum proditurum in lucem. *Ignis laudes.*

PH. Si

PH. Si libet ex veteribus de ignis laudibus alia promere, erit Plinius locupletiſſimus auctor lib. 36. c. 27. *Ignis* (inquit) *accipit arenas, ex quibus alibi minium, alibi plumbi genera, alibi pigmenta, alibi medicamenta fundit. Igne lapides in æs ſoluuntur, igne ferrum gignitur ac domatur, igne cremato lapide cæmenta in tectis alligantur. Alia ſæpius vri prodeſt, eademque materia aliud gignitur primis ignibus, aliud ſecundis, aliud tertiis.*

EQ. Felicem igitur auctorem illum prædicandum, qui ignem humano generi primum præbuit, cenſere debet humanum genus omne.

Solus Deus ignis auctor habetur omniũ primus.

TH. Auctor nemo alius, niſi Deus: neque enim verum eſt, in Delo Inſula ignem primum repertum, vti falſo aſſerit Plinius lib. 4. cap. 12. neque à Prothogono eum compertum, ex conſtrictione lignorum, cuiusmodi Phænices fabulantur, de quibus meminit Euſeb. Cæſar. de præp. Euang. lib 1. cap. 7. Nam ſi perpendatur Geneſis liber c. 3. ſtatim eiectis Adam & Eua à Paradiſo flamma gladii forma conſtituta ibi eſt, ne vlterius liceret alicui eo reuerti. Præterea Abel tempore ſacrificium ab eo dicatum eſt, adipe agnorum oblato, Gen. 4. qui ſane non niſi per ignem offerri conſueuit, vt liquefiat & offeratur. Ignem enim ſacrificio adhibitum etiam Abelis ſacrificio videtur tradidiſſe S. Auguſt. aduerſus Fauſtum lib. 22. cap. 17. Quod ſi nec iſta ſufficiat ratio, eodem capite à Tubal organa confecta fuere. Tubalcain quoque malleator & faber fuit in cuncta opera æris & ferri, quæ non niſi igni confici potuerunt. Fateor tamen è ſilice ignem excutere primum potuiſſe Pyrodem, vti habet Plin. lib. 7. c. 56. aut Prometheum docuiſſe eum ſeruari in ferula, vt eodem loco tradit Plinius; aut etiam attritione lignorum docuiſſe Prothogonum: at primum eius auctorem verum Deum fuiſſe credimus, qui & homini à Paradiſo terreſtri eiecto illum pro maximo munere dederit, tum ob calorem, tum ob lucem in tenebris, præcipue vero ob ſacrificium offerendum, quando humanum genus carnibus nondum veſcebatur, nempe primo illo feliciſſimo ſeculo.

EQ. Arridet plurimum mihi hęc ratiocinatio: nam & aſſentiri oportet. Illi vero, qui aliter aut tradiderunt, aut cenſuerunt, coniectura ducti ſunt, atque euentum ipſum pro origine rei acceperunt. Ignis enim, cum pluribus Orbis partibus diu fuerit incognitus, illis primus inuẽtor fuiſſe putabitur, qui ad eos primus aduexerit: cuiusmodi exemplo nobis eſſe poſſuntii, de quibus Mela lib. 3. c. 4. *Non longe* (inquit) *à Macrobiis extrema Ægypti ora ad Oceanum quibusdam ante aduentum Eudoxi adeo ignotus fuit ignis, adeoque viſus mirum in modum placuit, vt amplecti etiam flammas, & ardentia ſinu abdere, donec noceret, maxime libuerit.*

PH. Plinius etiam lib. 6. cap. 30. tradit, Æthyopibus quibusdam ante Ptolemæum Lathyrum Regem Ægypti ignotum fuiſſe ignis vſum; quamobrem & ego in eandem tranſeo ſententiam, vt ſi quis illis illum inuexiſſet, iure eum pro auctore ignis apud illos habendum. Et ſane res eſt ignis, qui non niſi Deum conditorem habere pro ſua excellenti virtute cenſendus ſit, neque homini ab alio auctore tantum munus fuiſſe conferendum, quam à Deo, adeo rebus omnibus præfulget tum dignitate, tum miraculis.

TH. Dei opus eſſe præcipuum vel ex eo patet, quod Lactantius habet libro de Ira Dei cap. 10. Licet enim alias occaſione alia ipſum recoluimus paucioribus, libet tamen hoc loco pluribus recenſere. Confutat ille vanam illorum ſententiam, qui putarent, omnia ſponte nulloque auctore eſſe generata: at ipſe velut miraculo defendit, quod ignis à rebus etiam ſui natura frigidis oriatur. Sic enim ille: *Vaniſſimum eſt, ſi ignis & aquæ naturam ex atomis eſſe credamus. Quid, quod duriſſimi rigoris materia,*

teriæ, ſi ictu vehementiore collidantur, ignis excutitur? Num in ferro aut ſilice atomi latent? Quis incluſit? Aut cur ſua ſponte non emicant? Aut quo modo ſemina ignis in materia frigidiſſima permanere potuerunt? Omitto ſilicem ac ferrum: orbem vitreum plenum aquæ ſi tenueris in Sole, de lumine, quod ab aqua refulget, ignis accenditur, etiam duriſſimo frigore. Num etiam in aqua ignem eſſe credendum eſt? Atqui de Sole ignis ne æſtate quidem accendi poteſt. Videamus autem nihil eſſe in omni mundo, quod non habeat in ſe maximam mirabilemque rationem, quæ quia ſupra hominis ſenſum & ingenium eſt, cui rectius, quam diuinæ prouidentiæ tribuenda eſt? Hæc ille. Sic itaque quamquam ſacris literis in totius creatione nulla ignis mentio facta ſit, non tamen ideo cenſendum eſt, ignem ab alio, quam à Deo promanaſſe in hunc infimum orbem.

PH. Optimo argumento Lactantius aduerſarios confutauit: à contrariis enim natura deſtruitur, non autem efficitur, ideoque ſolius Dei eſt, à contrariis etiam naturam inſtruere, & adiuuare; quod igitur etiam à frigidis rebus ignis emanet, poſſumus inſigniter demonſtrare. Primum quidem inde exordiemur, quod ſal eſt in ſe vno continens aquæ & ignis elementum, & hoc è duobus eſt vnum, vt tradidit S. Hilarius in Comment. in Matth. can. 4. quod eſt ſummopere admirandum, ſimul hæc duo tantum conſiſtere, aquam & ignem, ſic frigidum & calidum: ac propterea ſal in igne crepitat, quia humor aquæ reſiſtit, quanquam ſalis quædam ſpecies eſt Agrigenti, qui quoniam plus ignis, quam aquæ habet, contra alias ſalis ſpecies facillime eius aqua illa in igne diſſoluitur; & ideo ille vnus non crepitat in igne, ſicut reliquæ ſalis ſpecies, ob reſiſtentem in eis aquam: propterea enim reliquæ ſpecies ſalis in aqua poſitæ, quia plurimum aquæ habent, minimum ignis, in aquam facilime diſſoluuntur, in igne crepitant, aqua reſiſtente. Huiuſmodi Agrigentini ſalis eſſe naturam tradit Solinus capite decimo, & Plinius libro trigeſimo primo, capite 7. Ita & Tragaſæus ſal in igne nec crepitat, nec exilit, quia aquę permodicum habeat, Plinio auctore ibidem. Sic igitur mirum eſt hoc in ſale quocumque, ignem frigidæ aquæ tenaciſſime inhærere. *Sal in igne cur crepitet.*

TH. Sacris literis plura narrantur miracula, quibus è re frigida ignem naſci & ali conſtat: id patet 3. Reg. c. 18. Elias enim aduerſus Prophetas Baal in altari tantum aquæ impoſuit, quantum quatuor hydriæ caperent, ter ſuperfudit holocauſto, adeo vt aquæ currerent circum altare, & foſſa aquæductus in circuitu altaris repleretur. Cecidit ignis Domini, & vorauit holocauſtum, & ligna, & lapides, puluerem quoq; & aquam, quæ erat in aquæductu, lambens. Libro quoq; Machabæorum 2. c. 1. cum, deſolatione Hieroſolymitana ſub Antiocho facta, in Perſidem ducerentur Sacerdotes, acceptum ignem de altari occulte abſconderunt in valle, vbi erat puteus altus & ſiccus, & in eo imponentes eum ſtuduerunt, vt omnino ignotus eſſet locus. Cum autem præteriiſſent anni multi, & placuit Deo, vt mitteretur Nehemias à Regis Perſidis, nepotes Sacerdotum illorum, qui abſconderant, miſit ad requirendum ignem, & non inuenerunt niſi aquam craſſam, & iuſſit eos haurire, & afferre ſibi: & ſacrificia, quæ impoſita erant, iuſſit Sacerdos Nehemias aſpergi ipſa aqua, & ligna, & quæ erant ſuperpoſita; vtique hoc factum eſt, & tempus affuit, quo Sol refulſit, qui prius erat in nubilo, accenſus eſt ignis magnus, ita vt omnes mirarentur. Cum autem conſumptum eſſet ſacrificium, ex reſidua aqua Nehemias iuſſit lapides maiores perfundi, quod vt factum eſt, ex eis flamma accenſa eſt, ſed & ex lumine, quod refulſit ab altari, conſumpta eſt.

EQ. Memini me legiſſe Iudicum cap. 6. etiam à lapide ignem ſponte manaſſe:

cum etenim Gedeonem Angelus ſub quercu ſalutaſſet, & eius iuſſu carnes & panes ſupra petram poſuiſſet, & thus deſuper fudiſſet, aſcendit ignis de petra, qui carnes ac panes conſumpſit; atque ita fit, vt omnibus ſacris literis hoc pateat, ex rebus frigidiſſimis ignem etiam manare diuino tantum miraculo.

PH. Non deſunt etiam naturæ conſimilia miracula, vt ignem alant & gignant frigidiſſimæ materiæ. Nam in Chymæra monte ignis eſt, qui aquis accenditur, terra fœnoque extinguitur, vti ſcribit Plin. lib. 2. c. 106. Is mons eſt in Pharſelide Lyciæ, immortaliſque diebus ac noctibus eius flamma flagrat, eodem ibi teſte Plinio. Quin in eius Lyciæ Hephæſtiis riuis lapides tæda flammante tacti, quin & arenæ ipſæ in ipſis aquis ardent. Plin. eod. c. 106. Illum autem ignem pluuiis ali tradit, quin ſi quis baculo ex eo accenſo traxerit ſulcos, riui ignium ſequuntur, vt ille eodem loco teſtatus eſt.

EQ. Conſimilis eſt ignis natura in Nymphæo: ibi enim è petra flamma egreditur, quæ pluuiis accenditur, exit etiam ad aquas Scantias, hæc quidem inualida, quoniam tranſit, nec longe in vlla alia durat materia; &, quod mirandum magis eſt, hunc igniuomum fontem Fraxinus quædam ſemper virens contegit, vt habet Plin. lib. 2. c. 106. latius 107.

PH. E petra Nymphæi ignem ſponte manare non eſt dubium, & pluuiis ali, vel Theopompo teſte; at admirabilius eſt, quod de huiusmodi illo igne tradit Ariſtot. lib. de admir. c. 34. Sic enim ille: *In locis montanis Apolloniatidis, iuxta Atitaniam (is Nymphæi locus eſt) petram quandam eſſe aiunt, ex qua ignis emanans non cernitur, at cum in illam oleum effunditur, continuo flamma exurgit.*

TH. At ego non adeo miror, addito oleo, flammam exurgere; admirarer, ſi, addita aqua, flamma coruſcaret, vt Conſtantio Aconæ in Eccleſia S. Stephani contigiſſe diximus alias, quando accendendis lampadum luminibus oleum non haberet, omnibus Eccleſiæ lampadibus aquam infudit, eæque omnes non aliter arſere & fulſere, ac ſi oleo ignis pabulo fuiſſent inſtructæ, vti ſcripſit Gregor. dialog. lib. 1. cap. 5.

Ignis ardens, non vrens.

EQ. Accedit huic miraculo & aliud, ignem quidem ardere lucereque, non tamen vrere. Nam Ariſt. de admir. c. 35. tradit, in Pythecuſis feruentem & calidum ignem mirum in modum reperiri, non tamen comburere.

PH. Sed id non admodum diſcrepat ab eo, quod habet Plinius lib. 2. c. 106. In Megapolitano enim agro tametſi internus ſit ille iucundus ignis, frondemque denſi ſupra ſe nemoris non adurat, iuxta gelidum fontem ſemper ardet, neque diſcrepat ab eo quoque igne, quem in Æthna monte à Strabone & Solino alias didicimus eſſe ita niuibus mixtum, vt inuicta in vtroque violentia, nec calor frigore mitigetur, nec frigus calore diſſoluatur. Quod miraculum etiam diximus augeri ex iis, quæ S. Auguſt. tradit lib. de Ciuit. Dei 3. c. 31. cum ſcribit: *Legimus apud Ethnicorum libros, Æthnæis ignibus ab ipſo montis vertice vsque ad littus proximum decurrentibus ita ferbuiſſe mare, vt rupes exurerentur, & pices nauium ſoluerentur, hoc vtique non leuiter noxium fuit, quamuis incredibiliter mirum.* Hæc ille. Mirum ſane, proximam niuem non poſſe diſſoluere, poſſe vero remotum mare calefacere.

Et frigidus & calidus quandoque ſimul exiſtit.

EQ. Fit igitur hoc exemplo concluſio, ignem aliquando frigidum reperiri, ſimul & calidum, ardendo calet, non vrendo frigeſcit, vti iam in Meteoricis diximus in prouincia Vochan, in planitie Pamor ſub magni Cam ditione adeo ingens eſt frigus, vt illius vi ignis prorſus reprimatur, vt nec lucere valeat, vti alibi, nec aliquid illo

illo coqui vnquam poſſit, ex Marco Polo lib. 1. cap. 28. Simillimum ignem narrat Ioannes Diaconus in vita S. Nicolai in Methodio in principio his verbis: *Eſt penes vrbem Pateram Lyciæ quidam locus campeſtris, qui totus per noctem, quaſi ferrarii fornax igniuomam vaporat flammam, cuius natura dicitur eſſe, vt ſi quis experientiæ cauſa manus propius admouerit, ardorem quidem ſentit, ſed nullam patitur aduſtionem.*

PH. Nullus ignis, quocunq; adueniente contrario, niſi penitus extinguatur, innatum perdit calorem, ſed opus tantum & efficaciam. Auicenna enim rationem huiusmodi aſſignat, cur aliquis ſignis non adurat: dicit enim, aeris circumambientis humidi & frigidi partes intrare in ipſum ignem propter ſuam raritatem, vnde illius operationem refrigerant per accidens, atque ita fit, vt non adeo vrat.

TH. Hæc ratio etiam à noſtris Theologis approbatur; eam enim refert Bartholomæus Sibylla Monopolitanus in Dec.1.ca.3.q.4.quæſtiuncula quinta, & ego eidem ſubſcribo. Nam & S. Aug.lib.de Ciuit. Dei 21. cap.4. cum miretur montes ſemper ardere, nunquam abſumi, non eſt cenſendus alia ratione id aſſeruiſſe, ſcilicet non abſumi, niſi quia frigoris & humoris perſeuerans ſucceſſio efficiat, ne mons ipſe abſumatur, qui ſemper tamen ardeat. Illius hæc ſunt verba: *Notiſſimi ſunt Siciliæ montes, qui tanta diuturnitate temporis atque vetuſtatis vsque nunc & deinceps flammis æſtuant, atque integri perſeuerant, ſatis idonei teſtes ſunt, quod non omne, quod ardet, abſumitur.* Hactenus ille. Ardere igitur ex ipſius ignis eſt proprietate, at non abſumere ab inefficacia proficiſcitur, inefficacia autem ipſo frigido humidoque ſuperfluente.

PH. Si libet agere diſſerereque de huiusmodi ignis inefficacia comburendi, non erit breue colloquendi argumentum: erunt enim nobis commemoranda plurima.

TH. Libet plurimum: nam & ſacris literis, & ſacris hiſtoriis innumera propemodum narrantur, quibus ignis ad ardendum inefficax fuit.

PH. Ego de naturalibus tantum loquar, atque de volucribus Creticis repetemus, licet alibi occaſione alia de eis egerimus. Itaque Solinus capite decimo ſexto tradit, ignem impune inuolare, Caryſtiæ nuncupantur: vermis quoque, cui ſtellæ nomen eſt, quod nocte vt ſtella luceat, nunquam niſi imbribus prouenit, & ſerenitatem adeſſe ſignificat; huius tantus rigor eſt, vt ignem tangens non alio modo, quam glacies extinguat, vti tradit Vinc.hiſt.natur.lib.20.cap.168. ex libro de naturis rerum, quæ res ſerpenti quoque, cui nomen eſt Salamandra, communis eſt. Arbores quoque & herbæ quandoque ignis efficaciam non ſentiunt; nam vt habet Ariſt.de admir.cap.123. in Apollonia, quæ proxima eſt Atitaniæ regioni, ignis eſt, qui perpetuo ardeat, vt narrant loci illius coloni: locus, qui ardet, non eſt magnus, vt par eſt, ſed quantum ſpatium quinque thororum capax ſit, oletque ſulphur & alumen, circa quod naſcitur herba denſa, &, quod maxime videri poſſet admirabile, arbores prægrandes non diſtant ab igne per maius, quam quatuor vlnarum ſpatium, atque ita fit, vt volucres, ſerpentes, vermes, plantæ, herbę ignis vires frequenter non pertimeſcant.

EQ. Quæ commemorata ſunt candido lapillo digna ſunt: at libet illud ſæpe repetere, quod iam pridem dicebamus apud Gregorium Turonenſem lib. in glor. Conf.c.98. fuiſſe apud Auguſtodunum illum Anachoretam, cui vas erat ligneum, quo vteretur cacabi vice in coquendis eduliis quibuscunq; feruore plurimo, plurimisq; annis ſuſceptis hoſpitibus, ſemper eodem vſum eſſe, quod nunquam neque

exuſtum, neque ſuperficie tenus, vel minima parte abſumptum eſt, ingenue cenſeo, non ligni priuilegio id fuiſſe, ſed Dei miraculo, ad retundendum hominum ſtudium, qui in inſtruenda ſupellectile nimia ſe cura torquent. At aliud prætcrea libet recenſere, quod vrendi vim in igne retundat: lignum enim quodlibet ouis gallinaceis perfuſum non ardet, ac ne veſtis quidem contacta aduritur, vt Plin. tradidit lib. 29. cap. 3. Quæ virtus maiore miraculo in alumine eſt, quod non à natura naſcitur, ſed induſtria hominum adinuenit: nam meminiſtis nos iam pridem ex libro vndeuigeſimo Annalium Q. Claudii, vti Aul. Gel. lib. 15. cap. 1. recolit, recenſuiſſe, cum oppugnaret L. Sylla in terra Attica Piræum, & contra Archelaus Regis Mithridatis Præfectus ex eo oppido propugnaret, turrim ligneam defendendi gratia ſtructam, cum ex omni latere circumplexa igni foret, ardere non quiſſe, quod ab Archelao alumine oblita fuiſſet.

PH. Et hæc digna, quæ vbique commemorentur: & alia ſuccurrunt non abſimilia ad retundendam ignis virtutem, quæ ab igne non ſolum non lædantur, ſed ſeruentur; linum etenim Indicum ſiue Cyprium malumus nuncupare, ex Amianto lapide confici alias diximus, vbi in telam contextum eſt, mantiliaque ex eo fiunt, in ignem proiiciuntur, & ſordes omnes ignea vi perinde ac ſmigmate pelluntur, ſemper tela illæſa, ex Plinio, qui ſe vidiſſe teſtatur lib. 19. c. 1. quod & Solinus habet c. 16. cum ſcribit, carbaſa quædam eſſe, quæ inter ignes valent. Cui rei accedit & textura, quæ è pilis chamæleontis fieri ſolet. Nam vt habet Vinc. Beluac. ex vetuſtis ſcriptoribus hiſt. natur. lib. 20. c. 58. *Chamæleon quadrupes lacerti forma profert ex cute quaſi lanam quandam, è qua quæ contexuntur, comburi non poſſunt.*

EQ. Non eſt abſimile hoc ab eo, quod tradit Saxo Grammaticus in præfatione Danicæ hiſtoriæ, & Surius Commentar. ſub anno Domini 1537. memorant ii, in Iſlandia montem Heclam eſſe Occidentem verſus, è quo ignis emergit quidam, qui aquam abſumat, ſtuppam non abſumat. Et alius eſt in Puteolano monte ſulphureo ignis manans, qui neq; oleo, neq; cera, aut quolibet pingui, neq; ſulphure quidem accenditur, aut augetur, neque aqua reſtinguitur, aut incenditur, ſtuppam iniectam non adurit, nihil ex eo accendi poteſt luminis, imo accenſum extinguitur, vt ita ignium reliquorum naturam abhorrere ille vnus videatur, qui cum ſe ipſos omnibus communes faciant luce & calore, nihil ſibi detrahentes, & manentes integri, ipſe ille vnus ſeſe reddit incommunicabilem, ſed vt puto non ignis, ſed ignita aqua potius eſt.

PH. Id obliuioni non eſt tradendum, neq; ſicco prætereundum pede. Nam ignis ille, qui aquam vorat, ſtuppam non vrit, fulgurum ignem imitatur, qui quandoq; poroſa ſine vlla reſiſtentia ingreditur, ac propterea non vrit, at ſolida, quia reſiſtunt, longa mora reluctando diſrumpit atque reſoluit. Retia enim extra aquam pertranſit illæſa, at quæ intra aquam retium partes ſunt, abſumit, gladium ferreum abſumit, lignea vagina illæſa, vti etiam profuſius diſſeruimus in Meteoris ex Seneca, Oroſio, atque aliis tum vetuſtioribus, tum recentioribus, quorum effectuum ratio eſt, quod tenuiſſimus ignis ſit atque rariſſimus, vnde rariora impune penetrat, immorando circa denſiora.

TH. Hæc veſtra omnia exempla naturæ fuere; at ſi diuina quæramus miracula, quibus vſtibilia ignem ſuperarunt, erunt innumerabilia: primum illud celebre eſt, de quo Exodi cap. 3. *Moyſi enim apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi, videbatque Moyſes, quod rubus arderet in igne, & non combureretur.* Accedit huic proximum, quod

quod de curru Eliæ ſcriptum eſt 4. Reg. c.2. *Nam inter Eliſæum & ipſum Eliam, dum incedentes ſermocinarentur, currus igneus, & equi ignei diuiſerunt vtrumque, & aſcendit Elias per turbinem in cœlum:* quam rem admiratur Ioannes Chryſoſtomus ſuper Epiſtolam ad Coloſſ. hom. 5. ſcil. quomodo curru igneo potuerit aſcendere, cum ignis non ſubuehere, ſed comburere conſueuerit. Et ne quis addat hos ignes non fuiſſe è rebus combuſtilibus incenſos, adiicere poſſumus vulgatiſſimum trium puerorum exemplum, de quo Daniel cap.3. *Fornacis enim ampliſſimus ignis erumpens combuſſit Chaldæos extra fornacem, at intra fornacem à pueris abſtinuit, ne capillus capitis eorum adureretur; quin nec ignis odor agnoſceretur.* Id rurſum admiratur ipſe idem Ioannes Chryſoſtomus ſuper Geneſ. homil. 12. & ne quis contra hæc aliquid obiiceret, ſic adiicit: *Et ne quis putaret viſibilem hunc ignem operatione carere, idcirco miſericors Deus illius efficaciam & operationem non impediuit, ſed vim illam vrendi illæſam ſeruauit, & ſeruos ſuos illo ſuperiores fecit; at in illos, qui foris erant, ignis ſuam operationem exercuit: nam exuſſit & abſumpſit. Quando enim Dominus vult, elementa omnia in contrariam mutat operationem.* Hæc ibi, qui & in Pſalm. 96. exaggerat idem miraculum his verbis: *Edax ignis in tribus pueris ſanctum & diuinum ternarium reuerebatur, & tremebat: ſuæ enim naturæ oblitus tam nihil nocuit, vt etiam capillum læſioni valde obnoxium non offenderit.* Hæc ille. Miratur eadem S. Gregor. Dialog. lib.3. cap.18. quod vno eodemque tempore eadem flamma in obſequio iuſtorum fuerit ad ſolatium, dum eorum vincula vrendo diſſoluerit, & ſimul vrendi vim non habuerit, ne foret illis in tormentum. Ita ille. Ego vero cum hæc admirer plurimum, etiam ſimul ſuſpicio, quæ à Chriſto nato Sanctis contigere. Nam innumerabilis numerus eſt illorum Martyrum, qui ignem ſuperarunt illæſi: ſed quia de fornace eſt mentio facta, quædam inſigniora exempla libet commemorare; inter quæ præcipuum ſit nobis de beato Mamante ſub Aureliano Imperatore. Is igitur in Paphlagonia apud Gangras, ne ſacrificiis pollueretur, in fornacem ſe mitti paſſus eſt. Sed qui Aſſyriis pueris fornacem rore aſperſit, is hic quoque aderat, auferens ignis operationem: ac tres quidem dies eum tenuit fornax: deinde cum flamma ceſſaſſet, diſſolutique eſſent in cinerem carbones, miſſi lictores ad verrendam fornacem illæſum compererunt athletam Domini, nullo ignis veſtigio in eo relicto, vt tradit Metaphr. 2. Septembris.

PH. Simillimum huic eſſe mihi videtur, quod narrat B. Greg. Dial. lib.3. c.18. Gothi enim Totilæ milites Benedictum Campanum monachum, quem in cella manentem cum exurere miraculo non potuiſſent, in ardentem clibanum iniecerunt atq; concluſerunt: ſed poſtera die, reſerato ore clibani, integer, inuſtis etiam veſtibus, compertus eſt.

EQ. Eſt hoc diuinum quidem obſtupeſcendum inter fidei Chriſtianæ ſectatores miraculum: at admirabilius eſt, contigiſſe perſimile in homine nōdum Chriſti fidem aſſecuto, Chriſto tamen auctore, cuiuſmodi Conſtantinopoli in Hebræi filio puerulo contigiſſe commemorat Euagrius hiſt. lib.4. cap.35. *Verſabatur is cum reliquis coætaneis Chriſtianis pueris, & cum ii pro conſuetudine particulas corporis Chriſti de manu Sacerdotum ſumerent, ipſe quoque inter eos ſumpſit: id cum nouiſſet pater, odio Chriſtianæ fidei accenſus, puerum in vitream fornacem iniecit (vitriarii enim artem exercebat) triduo ibi puer illæſus extitit; at tandem ſtudioſe quæſitus ab ignara matre, ibi forte repertus eſt adhuc in clibano inter ignes verſans vlla abſq; læſione: qui cum rogaretur, quo pacto illæſus manſerit? Mulier* (inquit) *veſte amicta purpurea crebro ad me venit, carbonum, flam-*

marumque vim reprimens, ac etiam cibo refocillans. Quare ad Iuſtinianum delata, pater in perfidia ſua manens ſupplicium ſubiit; puer ac mater ſunt lauacro regenerationis initiati: eadem Niceph.lib.17.cap.25.

TH. Et huic perſimile etiam contigit alii Hebręo Archiſinagogo Conſtantinopoli vrbe:is ob impoſitum crimen à iudice acriter excruciabatur ſub Leone Imperatore, præ dolore igitur exclamauit: O Deus ſancti Sergii, adiuua me: contempta tamen Hebræi voce, Iudices eum, vt viuus cremaretur, ad ignem damnarunt. Et ecce in media flamma equites duo candidis induti ſtolis horis multis illum ab igne intactum conſeruarunt: vnde ereptus fidem Chriſti ſubiit, extructo Sergii templo, vt tradit Niceph.lib.15.cap.23.

EQ. Vt igitur ignis ſæpe veretur ſacra corpora attingere, ita & quæ ſacranda ſunt, vt pueri, de quo diximus, & huius Hebræi. Sed proſequamur alia: nam iuuat recolere Polycarpum inſigniſſimum Martyrem ne attingeret flamma, ignis ipſe in fornicis, ſeu cameræ formam ſeſe elongans compoſuit, ac quaſi velum nauigii inflatum corpus Martyris omne procul circumdedit: vti alias diximus ex Epiſtola, Smyrnenſis Eccleſiæ, quæ extat apud Euſeb.hiſt.Eccl.lib.4.c.14. Niceph. id habet lib.3 c.35. Sunt itaq; hæc vera Chriſtianorum miracula. Propterea ſi quando Ethnici Sacerdotes perhibentur ſuperaſſe ignem, præſtigium id fuit, & diabolicę fraudis opus, ſicuti in Feronia memorat Leander in vrbe Roma non longius quam 30. p.m. nam & Solinus & Plinius referunt illos conſueuiſſe, ſpectante populo, ignem illæſos inambulare, atq; ob miraculnm ſtultam gentem ad illos confluxiſſe, quod & Strabo memorat: ſed is aut certe ignis non erat, aut vis illius diabolica arte præpediebatur: ipſi enim illum ſibi ignem parabant, quod non ita in Chriſtianis fuit, qui ab aduerſario Tyrannove paratum illæſi ſuperarunt. Varro etiam non pietati eam vim tribuit, ſed medicamento, quo illi plantas tingerent, ne à flammis vrerentur: vt ita vel ipſorum paganorum teſtimonio falſum fuiſſe, quod agerent Sacerdotes illi Feronienſes, nobis ſit perſpicuum.

PH. Ita equidem cenſendum eſt: nam ignis hominem nunquam adeo reueritus eſt, vti poſt Chriſti aduentum: nam tametſi laudetur Scæuola, quando coram Porſena inuicto animo manum igni cremandum obtulit & aduſſit, egit opus ſuum ignis, nihil niſi animi vigor in Scæuola eluxit: ſed in Chriſtianorum membris, nō ſolum animus inuictus oſtenditur, verum & ignis reuerentia: quæ vel nō attingit, vel tactos lambit, quaſi blandiens ſacram carnem, quin & veſtes, vti iam exemplis docuimus: & quanquam etiam egregium facinus in Alexandri puero commemoretur, nihilominus animi tantum pertinacia fuit, non virtutis diuinæ ve poteſtatis ignem cohibentis, ſed ſæcularis poteſtatis timor, vt S. Ambroſius tradit de virginibus lib.3. Proditum eſt (inquit) Alexandro ſacrificante Macedonum Rege puerulum barbarum, qui ei lumen accenderet, excepiſſe ignem brachio, atque aduſto corpore manſiſſe immobilem, nec dolorem prodidiſſe gemitu, nec tacito pœnam indicaſſe fletu: tanta in puero barbaro fuit diſciplina reuerentiæ, vt naturam vinceret, atq; ille non Deos, qui nulli erant, ſed Regem timebat. Quid enim timeret eos, qui ſi idem ignis eos contigiſſet, arſiſſent? recolit hoc Lipom.tom.2. in vita S. Marcellæ; ſed certe admirabilior Chriſtiani pueri Heleni fuit virtus: tanta enim ſanctitate tenella ętate adhuc ille enitebat, vt cum ignis cauſa ad vicinos accederet, in ſinu exceptum ferret, ſe, ac veſte illæſa: vita ſanctorum Patrum p.1. de S. Heleno, & eadem p.1. in vita ſanctæ Eugeniæ.

TH. Recte ſane: propterea ne illa Scæuolæ & Alexandri, quem diximus, pueri exempla laudem Chriſtianis eriperent, Deus omnipotens etiam Procopii Martyris voluit exemplum, vt & animi veram conſtantiam, & ignis operationem ſanctus homo Dei amore ſuſtineret: non ira ductus vt Scæuola; non timore vt puer, ſed vt interius igne Dei, amoreq; feruens externum non ſentiret ignem: vti alias ex Metaphraſte 8. Iulii recoluimus, quando iubente Tyranno afferri aram, & ſuper eam extendi dexteram Martyris Procopii ardentibus repletam carbonibus, quæ & diu vrebatur immota ſemper Martyris mente, obſtupeſcentib. omnibus, qui aderant. Propterea tot ignes, totq; incẽdia permittit Deus tum in Eccleſiis ac ſacris rebus, ac perſonis initium vrendi facere, vt verus ignis fuiſſe agnoſceretur: ac etiam miraculo reſtinxit, vel piorum oratione, vel Sanctorum reliquiis, aut aliis rebus ſacris allatis, vt Dei, non naturæ virtus agnoſceretur. Sed de iis diſſerere nimis longum eſſet; innumera enim ſunt miracula, & quæ dies plurimos exquirant.

EQ. Afferamus ſaltem pauca quędam de igne miracula, quibus conſpectis populi aliquando reſipuerunt, aut fidem Chriſti agnouerunt, aut in officio ſeſe magis continuerunt.

TH. Quæ dicenda ſunt omnia, B. Chriſtinæ Scotæ operibus inferiora ſunt: nam illa non ſemel tantum ignem illæſa ſuperauit, ſed ſæpiſſime. Nam vel teſtimonio Iacobi Aconenſis Epiſcopi & Cardinalis, ſe in ardentes fornaces iniiciebat, in quibus præ doloris vehementia horribiliter exclamabat, nec tamen in ea egrediẽte læſio apparebit: frequẽterq; ſeſe proiiciebat in ignem vel manum, vel pedem tamdiu in igne tenebat, quod iuxta naturæ curſum potuiſſet in cinerem redigi: ſæpe ingreſſa grandes cacabos bullienti aqua repletos vsq; ad renes aut vbera, & cæteris membris aquam feruidam ſuperfudit, in quibus pœnis clamaret, velut parturiens: at nullum læſionis veſtigium apparebat, vt ſcribit Dionyſius Carthuſianus in lib. de quatuor nouiſſ. cap. 50. & in Colloquio de iudicio animæ, c. 33. vt ſic pateat nobis fuiſſe plures Scæuolas, longeq; maiore laude dignos. Sed accedamus ad exempla quædam, quibus fides igne propagata eſt: exordiẽdum eſſet à Rhoſſiorum prima ad fidem conuerſione, de qua egimus alias occaſione alia pluribus, quando ex Zonara narrauimus Baſilio Macedone imperante gentem Rhoſſiorum, vt de fide Chriſtiana periculum aliquod fieret rogaſſe, qui illis verba Chriſti euangelizaret, Epiſcopum, vt Euangeliorum librum in ignem coniiceret: qui ſi illęſus perſiſteret, conteſtabantur ſe omnes Chriſti fidem ſuſcepturos: fecit id optimus Pontifex, in accenſum rogum coniecit Euangeliorum volumen, diuq; ibi perſiſtens illud & illæſum permanſit, & eo miraculo Barbari ſtupefacti prædicationi crediderunt: &, vt ſacro baptiſmate initiarentur, flagitarunt.

EQ. Inſignis ſane hiſtoria, qua Idololatræ ad fidem tracti per ignem ſunt: at qua hæretici confutati ſint, enarrat Nicephorus lib. 15. cap. 23. his verbis: *Leone Imperante Conſtantinopoli euenit, vt duo Epiſcopi, quorum alter rabie Arii infectus dicendi & diſputandi arte inſtructiſſimus, alter virtute, religione & recta fide ornatiſſimus erat, de doctrina religionis concertarent. Porro orthodoxo, & recte ſentienti viſum eſt, verborum contentione relicta, ad rem ipſam deſcendere, & veritatem explorare, vt rogo ingenti accenſo, ſe in ignem coniicerent. Quod vbi Arianus detrectauit, orthodoxus igni ſe commiſit, atq; inde cum impio ſermonem conferens diſputauit, ſaluusq; etiam veſtibus intactis permanſit.* Hæc ille.

PH. Huic perſimile aliquando legi apud Volaterranum lib. 21. in Benedicto:

Ioan-

Ioannes (inquit) Gualbertus ſigna ſanctitatis varia prodigia monſtrauit, inter quæ olim dicitur, dum apud Septinuenſe cœnobium contra ſimoniacam labem concionaretur, vt oſtenderet eam Deo maxime inuiſam, ignem in medium ſuccēſum, ſpectante populo, iuſſit nudis pedib. prodigioſe incolumem tranſire monachum, cui Petrus nomen fuit; qui cuſtos ab initio pecoris apud monachos factus ex viliſſimo officio ob virtutem Abbas Fucetienſis factus, deinde ad Cardinalatum vsq; prouectus eſt. Hæc ille. Narrant autem reliqui omnes, Petrum hunc, cum ſtruem illam ligneam ſuperne, inferne, atq; hinc & inde conflagrantem illæſus pertranſiret, crucis vexillum præ manibus adhibuiſſe. Garimbertus Epiſcopus de vitis Cardinalium id enarrat, citatq; reliquos ſcriptores, quorum præcipuus illiusq; ſeculi fuit Franciſcus Binus.

TH. Non abſimile miraculum eſt, de quo Gregor. Turonenſ. in glor. Confeſſ. cap. 14. Certantibus Catholico & hæretico de fide diuinitatis Chriſti, cum flecti non poſſet hæreticus, ſubiecit Catholicus: Eſt in digito meo annulus aureus, ego eum in ignem iacio, tu candentem collige; proiectum inter prunas annulum ita igniri permiſit, vt ei ſimilis cerneretur; conuerſus autem ad hæreticum ait: Si vera eſt perſecutio tua, ſume eum ab igne; illo autem renuente, ait vir: Immenſa Trinitas Deus, ſi aliquid indignum te credo, oſtende; certe ſi recta eſt fides mea, nihil mihi præualebunt hæc incendia ſæua: & ablatum ab igne annulum diutiſſime palma ſuſtinuit, confuſusq; hęreticus Catholicos reliquos feruore ſuæ fidei roborauit. Hæc ibi.

EQ. Non mihi videtur prætermittendum, quod Sophronius tradit prat. ſpir. c. 36. Monachus quidam Stylites hæreticus Seuerianus in controuerſia contra S. Ephrem Patriarcham obtulerat hanc conditionem: Accendamus ignem, & ingrediamur ſimul, & quem flamma non læſerit, ille orthodoxus erit. Tunc ait D. Ephrē aſtantibus omnibus: Benedictus Dominus, afferte huc ligna, quibus allatis à Patriarcha ſuccenſus, vocans Stylitem inuitauit, vt in ignem deſcenderet, qui recuſauit. At ſanctus Patriarcha accedens ad ignem orauit, completaque oratione, iactauit ſtolam ſuam in mediis ignibus. Cum autem ignis quaſi per tres horas duraſſet, lignaq; iam conſumpta eſſent, tulerunt inde ſtolam integram, ita vt nulla ignis indicia in ea deprehēdi poſſent. Tunc Stylites anathematizauit Seuerum & eius hæreſim, acceſſitque ad ſanctam Catholicam Eccleſiam.

TH. Et aliud præterea omitti non debet, quo Seueriani ab hæreſi reſipuerunt. Simeon enim Abbas cognomento Salus apud Fuſcarium hoſpitabatur, qui cum vxore Seuerianæ hæreſis ſectator erat: Simeon igitur veſpere conſueuerat thus in igne offerre: at cum teſtam & vas non inueniſſet, manum miſit in focum, eamque prunis impleuit & ſuffumigauit. Cum Deus autem vellet ſaluum facere Fuſcarium, vidit vxor eius Simeonem illo modo ſuffumigantem, quæ etiam obſtupuit: Simeon vero ſimulans ſe ſenſiſſe ignis vim in manu, prunas transmiſit in pallium, in quo etiam ſuffumigauit; virtute vero Domini nec Sanctus ſenſit flammam, nec eius pallium. At Fuſcarius cum vxore, derelicta hæreſi, reſipuerunt. Hæc ex Leontio Neapolis Inſulæ Cypri Epiſcopo in vita eius Simeonis Abbatis. Atque perſpicuum ita fit, ſeruos Dei etiam irrationabilibus creaturis dominari, perinde atque ſolent veri Domini ſeruis: cuiusmodi etiam patet de Abbate Iuliano, qui cum diſtaret viginti millibus paſſuum à Mardando villa Æginæ vrbis Ciliciæ, ad Presbyterum ibi degentem miſit ſalutationis cauſa pannum inuolutum habentem intus

tres carbones ignis. Presbyter vero ſuſcipiens ſalutationem, & carbones ardentes, remiſit ad eundem Iulianum Abbatem ipſum pannum inuolutum aqua plenum, vt tradit Sophron. prat. ſpir. cap. 27. atque ita ſeſe mutuo in amore fraternitatis conſeruarunt.

PH. Conſeruarunt etiam populos in officio nonnulli alii, quibus ignis præ ſanctitate dominantibus inſeruiuit. Nam illa, de qua alias egimus, Cunegunda Henrici primi Imperatoris coniux falſo adulterii inſimulata, quum ſe Veneris cuiuscunq; neſciam probaſſet, quindecim paſſus ſuper candens ferrum nudis pedib. illæſis plantis perambulãs, vt Baptiſta Fulgoſ. habet lib. 8. Naucl. poſt eum Krantz. Metrop. lib. 4. cap. 5. perſpicuum omnibus fecit, nullo eam maiore miraculo tum Imperatori, tum populo, vt in officio ſe cõtinerent, oſtendere potuiſſe, quam igne ſuperato.

TH. Epiſcopi nonnulli populos in officio cõtinuerunt eodem exemplo: nam igne caſtitatis virtutem comprobarunt, ſicuti alias occaſione alia diximus. Britius ignitas prunas in birro per longum iter tulit, vt eſt apud Greg. Turon. hiſtor. Gall. lib. 2. cap. 1. Simplicius quoque Epiſcopus in pallio ac velo ignem per horæ ſpatium illæſo pallio & velo tenuit, vt populum ſuſpicioſum ad officium reduceret, vt idem Gregor. habet lib. in glor. Confeſſ. cap. 76. Ita & Abbas inſignis in ſuæ caſtitatis probationem prunas in proprio publice tenuit veſtimento, nec vllatenus vſtum fuit, vti habet Leontius Cyrrhorum Epiſcopus in vita S. Ioannis Eleemoſynarii: quandoque autem id ad Sacramenti virtutem oſtendendam accidit: nam circiter annum Domini 1044. mulier quædam Landunenſis Sacerdoti homicidium confeſſa eſt: aliquãdo autem Sacerdos illud illi exprobrauit, vnde cum in iudicium vocata eſſet, & ad ignis experimentum ducta coram populo, nullo igne neque lædi ipſa, neque veſtis, tametſi ſæpe in ignem iniecta, potuit. Segeb. anno Domini 1904. Vinc. hiſt. l. b. 25. cap. 90.

EQ. Sed de iis hactenus; operæ pretium nunc eſt, vt ad reliqua naturæ ignis miracula redeamus, & vt ignem deuictum pluribus exemplis edocuimus; ordo videtur expoſcere, vt ignem inextinguibilem aliquo modo eſſe diſſeramus, vt ita è conuerſo eum inuincibilem eſſe demonſtremus: Asbeſtum enim lapidem, vti alias quoque commemorauimus, ſi quis ſemel igne accenderit, nunquam extinguitur, propterea in dæmonum delubris, vt diuinitatis aliquid inde coniiceretur, conſueuerunt nonnulli eius impietatis ſectatores Sacerdotes hunc lapidem ignorante vulgo accendere, vti ſcribit S. Auguſtin. de ciuit. Dei lib. 21. cap. 6. Et ne in dubium vertatur, huic lapidi eam naturam eſſe, præter veraciſſimum S. Auguſtinum habemus plures auctores, de quibus cum de lapidibus egimus, meminimus. Solin. c. 12. de eo præcipue ſic habet: Asbeſtus lapis ferri colore accenſus ſemel extingui non poteſt, ideoque in fanis Idolorum, tum in ſepulcris collocatum eum ſcriptores tradidere, vt ibi perpetuo arderet: Viues enim ad ipſum cap. 6. Auguſtini ita ſcribit: *Erutum eſt ſepulcrum memoria patrum, in quo ardebat lucerna condita ibi, vt ex inſcriptione apparebat, ſupra milleſimum & quingenteſimum annum; eaque tota extemplo, vt contrectari cœpta eſt, inter admotas manus friata in tenuiſſimum abiit puluerem.* Hæc ille: Cuius rei vel magicæ artis ratio erat, vti S. Auguſtin. illo cap. 6. cenſuerat; aut ex Asbeſto lapide, qui, quanquam nunquam abſumatur in eo ignis, ipſe tamen per tanta temporum interualla atteri adeo poteſt, vt intactus quidem perſeueret, at friatus in ſuum puluerem abeat. Poteſt etiam ignis ille lychnis quibusdam incendi,

Ignis perpetuus.

qui nunquam abſumuntur: Viues enim eodem loco teſtatur ſe Pariſiis pluribus in locis huiusmodi lychnos vidiſſe, qui accenſi nunquam abſumerentur. Propterea quod à Solino narratum eſt, cap.24. in Britannia, in Mineruæ delubro *perpetuos ignes* fuiſſe, eosque nunquam caneſcere in fauillas, ſed vbi ignis tabuiſſet, verti conſueuiſſe in globos ſaxeos, vel à magica arte fieri potuiſſe coniicere licet ex eadem iam dicta S. Auguſtini ſententia; aut ſmigmate aliquo eius naturæ ita compoſito, aut etiam ex lapide, qui apud Belgas eſt frequentiſſimus, qui ſuccenſus ſemper carbonum colorem, & ignem ſeruat, & reſtinctus adhuc lapis eſt, rurſum ad ardendum aptiſſimus: ſed de iis lapidibus opportunius, cum de lapidibus ſermonem conferebamus.

TH. Quæcumque magorum ars, aut etiam quæ ipſa peculiari miraculo agit natura in Asbeſto lapide, aut etiam ars honeſta quęlibet circa ignium durationem, id longe maiore virtute agit per diuinam gratiam Sanctorum religioſa voluntas: quæ & ipſarum rerum miracula in contraria vertit. Nam beatiſſimum Georgium Martyrem cum impiiſſimi perſecutores ad ignis ſupplicium damnaſſent, verentes Chriſtiani nominis virtutem etiam ignibus extinguendis, Asbeſto lapide per inſaniam Sanctum ipſum obruerunt, illius naturæ priuilegio moti, putantes non extingui eius ignem, ſed certe tunc extinctus eſt, adeo vt nec crines ipſi ab igne illo læſi fuerint, quin omnino intacti fuerunt, vt tradit Metaphraſtes in encomio eiusdem ſancti Georgii apud Lipom. tom. 7. 23. Aprilis. Vnde patet, etiam communem rerum naturam Sanctis obtemperare, eas etiam res, quæ peculiari aliquo miraculo à Deo dotatæ ſunt, eisdem præſtare obſequium.

EQ. Omnis certe natura obſequitur viris Dei, ac præcipue ignis, vt extinguatur, vel etiam, vt accenſus perſeueret. Nam cum mori ſe ſentiat materiæ defectu, Sanctis tamen ne obſequi deſinat, ad durandum materiam ſuppeditatam habet, vt patet in Ioanne Anachoreta, qui in Socho in antro degebat, viginti ab Hieruſalem milliaribus. Habebat is in ſpelunca imaginem immaculatæ Dominæ noſtræ Dei genitricis, ſemperq; Virginis Mariæ, in vlnis ferentem Chriſtum Dominum, & Saluatorem noſtrum: ſæpe quoque per longa itinerum interualla ad ſancta inuiſenda loca peregrinari conſueuerat. Primum igitur diſceſſurus reficiebat candelam, & accendebat, vt ſibi conſuetudo erat, atq; ad orationem ſtans, & Deo vt ſuum iter dirigeret, ſupplicans dicebat ad Dominam intendens in imaginem ipſius: *Sancta Domina noſtra Dei genitrix, quia longum iter iturus ſum, diebus multis perficiendum, candelæ tuæ tu curam habe; eamq; ne extinguatur, iuxta propoſitum meum ſerua.* His peractis, reuertebatur aliquando poſt menſem: ſæpe etiam poſt duos, vel tres, nonnunquã poſt quinq; vel ſex menſes, & ita reperiebat integram candelam & ardentem, ſicut eam initio dimiſerat, & numquam eam à ſe ipſa extingui vidit, neque de ſomno ſurgens, neq; à peregrinatione rediens. Hæc Sophronius in prat. ſpirit. cap. 180. Atque ita perſpicuum fit, etiam Sanctos Dei Asbeſti lapides vim rebus poſſe aliis inferre, & reliquas inextinguibiles ignium materias in poteſtate habere, vt & ipſam quoque Asbeſti vim, ſi velint, immutent.

EQ. Præter Asbeſtum lapidem, aliam quandam naturam ligni compertam tradiderunt ii, qui nouum orbem perluſtrarunt; ignis enim, qui inde accenſus ſit, & lucet, & numquam extinguitur, donec abſumatur, iuxta Vrabam, vt Petr. Hiſpal. tradit in Sylu. p. 5. cap. 26. Sed de illo iam egimus, cum de plantis agebamus.

TH. Huius

TH. Huius quoq; ligni inextinguibilis vim viri, qui Deo in fide famulantur, quocumque alio ligno imitabilem reddent: nam & alias diximus, aquis oppletas lampades, olei pinguedinem exhibuiſſe ad lumina conſeruanda, ita ſane, ac multo magis è lignis ipſis: at (quod longe admirabilius eſt) ſolet efficere diuina gratia, vt non ſolum duret conſumptibilis materia in obſequio Sanctorum, vt ignis perſeueret: verum etiam efficit, vt ardendo ipſo magis augeatur igne, & quæ aliis hominibus abſumitur, ipſis Sanctis ardendo exundet abundantius. Id patet exemplo, quod iam alias occaſione alia commemorauimus ex Greg. Turon. lib. in glor. Mar. c. 5. In Pictauienſi ſcilicet monaſterio Radegundis Reginæ, vbi Dominicæ crucis portio argenteis thecis condita erat, cui perpetuo lumina accendebantur, quorum lychni non tantum non abſumebant oleum, verum etiam perpetuo parturiebant: adeo enim exundabat, vt ſubiecta vaſa opplerentur ex lampadum redundantia, quod cum ipſi Gregorio incredibile videretur, ſe inſpectãte, miraculum apparuit. Ita ille oculatiſſimus teſtis, qui & ſanctimonialium teſtimonium quoque addit ad rei tantæ maiorem fidem.

EQ. Nec ſolum non extinguuntur ignes, aut eorum deficit materia, ſi pro ſanctorum virorum pietate id expediat, verum ſponte quoq; accenduntur, nullo interueniente hominum miniſterio, longe maiore miraculo, quam ſit illud, quod referunt auctores, qui de igne quodam tradiderunt, qui ſponte ex oleo, quod cærulei vermis carnibus conficitur, qui in Indo flumine naſcitur, manat, accediturque, cuius olei vis tanta eſt, vt ſine vllo igne admoto eius infuſa hemina quemcumque lignorum aceruum comburat, ac ſi vel hominem velis, vel aliud animal exurere, primum vt hoc infuderis, funditus ſtatim deflagrauerit: ipſorum enim Perſarum Regem aiunt ad hoſtium vrbes neque arietes, teſtudines, aliave bellica tormenta ad eas capiendas adhibuiſſe, ſed olei huius igne adhibito, vti alias commemorauimus ex Æliano hiſtor. anim. lib. 5. cap. 3. At Dei famulis non cærulei oleo vermis eſt opus: ſponte enim ignis illis accenditur, quum Dei ita voluntas decreuerit, cuiusmodi Spoleti Longobardorum Arianorum tempore contigiſſe narrat B. Gregor. Magnus in Eccleſia S. Pauli. In qua licet extincta eſſent omnia eius luminaria, ob Arianorum rabiem: attamen irrumpentibus in eam vt fores effringerent, ſicut portæ ſponte reſeratæ, ita luminaria quoque ſponte omnia accenſa ſunt, duce ipſorum obcæcato: atque deinceps à nefario opere abſtinuerunt, vt pateret omnibus, ibi ſolum verum Deum inhabitare, Arianos vero profanos eo loci, neq; in Eccleſia Dei aliquid iuris habere poſſe, vt tradit S. Gregor. Dialog. lib. 2. cap. 29.

TH. Non abſimile eſt, quod narrat Ioannes Diaconus in vita eiusdem S. Greg. lib. 2. c. 32. Romæ in Suburra Ariani aliquando Eccleſiæ cuidam ſuo hæretico, profaniſſimoq; ritu deſeruierant, vnde cum B. Greg. eam ad fidei Catholicæ ritum reſtituiſſet, illatis venerandis Sanctorum reliquiis præter reliqua miracula tum ibi Deo auctore viſa, lampades ſine lumine ſponte ſunt accenſæ: ac rurſum poſt dies aliquot extinctæ à cuſtodibus, rurſum tamen ſponte accenſæ ſunt; ſed & tertio, cũ iidem cuſtodes easdem omni ſtudio extinxiſſent, poſt aliquot horarũ interuallum redeuntes eas ardere compererunt, lucemq; Domini rediiſſe, abiectis Arianorum tenebris, huiusmodi miraculo animaduerterunt.

PH. Libet mihi & aliud iis concinne promere exemplum ab eodem Ioanne Diacono depromptum, cum verius ipſius Greg. Magni verba ſint in Epiſtola ad

Conſtantinam Auguſtam, eius hæc ſunt verba: *Nuper Adriani Pontificis tempore viſum mihi eſt, vt altare ſanctæ Dei genitricis Mariæ, quod extra oratorium S. Ioannis in apertiſsimo atrio poſitum congruis luminaribus honorari non poterat, intra oratorium locari debuiſſet: accerſitus vero Gaudentius Veliternus, qui adhuc ſupereſſe videtur Epiſcopus, cum hymnis & canticis ab altari veteri pyxidulas duas ſigillatas excuſſit; quarum alteram me deprecante nimium timoratus aperiens, de tunicis S. Ioannis, quantum ex ſimilitudine curioſis oculis potuit deprehendi, particulas reperit, quas ſolemniter ſub nouo altari depoſuit, vbi ex tunc, ſicut multi norunt, qui adhuc ſuperſtites eſſe probantur, diuinitus accenſæ lampades frequentius ſolito patuerunt; nam iſta octaua indictione in hebdomada ante Dominici Natalis diem, cum ego ſuper huiusmodi earum quid dubitarem, completis matutinalibus hymnis, manſionarius candelam extinxit, quam poſt veſperas ſuccendere cupiens, accenſam reperit, eamque ſe negligenter extinxiſſe perpendens, die altera ſolicitus prorſus extinxit, & obſeratis ianuis, ad veſperum ſuccenſurus lampadem remeauit: quam vbi nihilominus accenſam reperit, ex conſcientia ſeruatæ à ſe clauis, & miraculo non diminuti olei profecto cognouit, quia lampadem ille ſuccenderat, qui, ne oleum in ea diurna ſucceſsione minui potuiſſet, diuinitus ampliarat.* Hæc ibi Gregorius, quæ retulit & Ioannes Diaconus in eius vita lib. 3. cap. 58.

TH. Sunt hæc miracula frequentiſſima, quibus ignes ſponte micant in rei diuinæ gloriam, præcipueque ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio, in die ſancto Pentecoſtes, cum omnes Apoſtoli cum beatiſſima virgine Dei genitrice Maria in cœnaculo vnanimiter perſeuerarent in oratione, apparuerunt diſpertitæ linguæ, tamquam ignis, ſupra ſingulos eorum, vti habetur act. Apoſt. cap. 2. Fueruntque ignes illi in futuræ virtutis teſtimonium, ad accendenda, illuminandaque credentium corda: propterea aliis quoq; Dei ſeruis huiusmodi ignes micarunt ſponte in ipſorum pietatis teſtimonium, velut compertum eſt in Ioanne Anachoreta cognomento humili. Ille enim defunctus in antro ſyluæ iuxta Roſum Ciliciæ, ignorantibus omnibus, ibi ſeptennio latuit; tandem tribus perpetuis menſibus noctu lux plurima videbatur ſuper illud antrum: quare commoti vicini ſyluam perquirẽtes, antrum repererunt atq; in eo iacentem Anachoretam cilicio indutum, ac pallio, crucem argenteam manibus amplexantem, vti ſcribit Sophronius prat. ſpir. c. 87. & alibi occaſione alia iam diximus. Quod quidem exemplum defuncti teſtimonium fuit, at & viuentis quoq; exemplum traditur in eod. prato Sophronii. Cum n. Nonnus Presbyter in Eccleſia pernoctaret orans genib. flexis feruentiſſime, luciđiſſima ſtella velut ignis in eius capite conſpecta eſt ab Theodoſio Abbate, & Epiſcopo Capituliadis, vt ſic eius ſanctitas proderetur, quod & alias quoq; diximus.

EQ. Vere hæc in ſanctitatis teſtimonium ſunt, quandoq; vero etiam in ipſius Sancti ſolatium: Iulianus enim apud Cilicas, qui omnino nihil poſſidebat, præter cilicium, ſagum, vaſculum ligneum, & librum, ſeptuaginta annis in breui quodam ſpeleo moratus eſt; is toto vitæ ſuæ tempore nunquam accendit lucernę lumen, ſed per noctes cœlitus illuſtrabat eum lux, ita vt clare legere poſſet. Hæc idem Sophronius prat. ſpirit. cap. 51.

Ignis ſponte ardens.

TH. Contingit tamen aliquando diuina quoq; prouidentia ignem ſponte ardere etiam in re non vſtibili, ob eius maieſtatis iram demonſtrandam. Nam vt Oroſius tradit lib. 2. c. 19. æneæ trabes Romæ cœlitus incenſæ fuiſſe memorantur: aliquando autem etiam ad detegendas diabolicas fraudes, quod apertiſſimum fit ex ipſius S. Nicolai geſtis: erat Lycia idololatrię deditiſſima, purgarat tamen eã Nicolaus:

laus: at id non ferens diabolus oleum Midiacon ad præſtigia facienda inſidam plebem pro more occulto docuerat, ſuaſeratque vt Eccleſia Myream illo linirent; ſed id animaduertens Nicolaus, ſibi dari oleum iuſſit, illudque in pelagus miſit, detegens diabolicæ fraudis nequitiam. Mox enim vbi oleum æquoreas tetigit aquas, ilico accenſus eſt ignis, & contra naturam elementi prolixo maris ſpatio viſus eſt ardere. Quare obſtupefacti ſpectatores firmius ſancto viro adhæſerunt, reiecta impietate, vt colligitur ex Ioanne Diacono, qui ex Methodio Patriarcha B. Nicolai vitam compilauit, vt eſt apud Lipom. Tom. 2.

EQ. Mare vt ardeat, fieri non poteſt abſque prodigio, aut ira Dei: nam arſiſſe mare, habitumque prodigio magno teſtatur Liu. dec. 3. lib. 3. ac prætere a Alarico Italiam vaſtante, & Ioan. Chryſoſt. à ſede ſua pulſo, cum terræ motus inuaſiſſent, ignis è cœlo delapſus viſus eſt, quem diuina benignitas vento vehementi demiſſo in mare abiecit. Videre tum erat ſpectaculum nouum, fluctus ipſos perinde ac regiones quaſdam marinas plurimum igni ardere, ac tandem flamma prorſus in vndis extincta eſt, vti tradit Niceph. lib. 13. c. 36. *Mare ardens.*

TH. Citra dubitationem vllam credendum eſt, ſi flumina ardeant aut maria, excandeſcere Dei iram. Id probari poteſt optimo exemplo, de quo alias alia ratione egimus, quando Aſſiſii B. Ruffini feſtum ſumma pietate celebrari recolebamus, & qui non ſeruaſſent, textrinis ac ruralibus operibus incumbentes, repentina quadam flamma domos eorum corripiente, vt ab igne ſeruarent, ſupellectilem ardentem cum in proximum amnem iactarent, non humectabantur res ipſæ, ſed ardebant magis, aqua ipſa vrendi vim ſubminiſtrante, ita in illos excandeſcente Dei ira. Auctor eius rei eſt Petr. Damianus in ſermone de S. Ruffino Martyre.

EQ. Poſtquam violati feſti mentio incidit, non omiſſo noſtræ ratiocinationis argumento, differere poſſumus, ignem ſæpe accidere ob contemptam religionem, præſertimq; ob Dominicum diem. Greg. enim Turon. hiſt. Gall. lib. 10. c. 29. narrat, apud Lemouicinam vrbem ob id, quod Dominico diei illata fuiſſet iniuria, dum in eo publicam operam exercerent, pleroſq; igne cœleſti conſumptos; in Turonico quoq; agro tradit, nonnullos ab eodem igne, ſed non die Dominico, aduſtos fuiſſe, quin & lib. in glor. Confeſſ. c. 81. commemorat quendam, qui B. Mariani feſtum diem celebrare cum reliquis contempſiſſet, adeo diuina vltione per ignem percuſſum, vt domus, ſupellex tota, pecudes, ac quidquid illius eſſet, igne fuerit abſumptum: at ne quis ea fortuito caſui tribuenda putet, addit nulli vicinorum proxime habitantium ex eo igne illatum fuiſſe damnum. Hæc ex illo. *Memento, vt diem Sabbati ſanctifices.*

PH. Ignis, cum importune graſſatur, ferme ſemper Dei iram ſubindicat, aut ſaltem piarum eſt mentium ita de ſe iudicare, vt mens ab aliqua iniquitate reuocetur, & erga Deum pietatis ardor longe magis humilitaſq; accendatur, quamquam ſæpe incendia per imprudentiam aliquam, aut etiam hoſtilitatem ingerantur. Attamen ſi Aaron filios contemplemur Leuit. 10. à Deo egreſſus eſt ignis, qui deuorauit eos, quoniam contra Dei præcepta alienum ignem obtulerant. Ita & de ſacro igne iudicari conſueuit, quem etſi ad probandum viri patientiam Deus quandoque infligat, vti Iob lepram, tamen ex periurio compertum ignem huiuſmodi hominem inuaſiſſe. Nam Greg. Turon. hiſt. Gall. lib. 8. c. 16. tradit, hominem periuriis aſſuetum, cum de incendio inquireretur, obtuliſſe ſeſe purgandum coram altare B. Martini, vbi conſtitutus, cum negaſſet, conſcientia repugnante, periurio adhibito, inde abſcedens, viſus eſt quaſi ab igne circumdari, ruenſq; in terram clama-

re cœpit, ſe à B. Antiſtite vehementer exuri, profitebaturque, ſe vidiſſe de cœlo ignem cadere, qui ſe exureret, & ſic dicens ſpiritum exhalauit. Romæ quoq; in Diui Antonii æde patent periuri hominis oſſa igne ſacro combuſta: ipſe enim in ſui criminis conteſtationem ſeſe eidem Eccleſiæ deuouerat, oſſa combuſta ferri, publiceque oſtentari mandauit, periurii quoque ſeriem conſcribi publice, quæ omnia propalam ibi conſpiciuntur.

TH. Quandoque ignis huiuſmodi infernalis ignis arra eſt, vt vel hic incipiant noſſe, quod non metuunt impii: narrat enim egregium miraculum beatus Gregorius dialog. libro quarto, capite trigeſimo ſecundo, cuius verba libet recenſere: *Terribile* (inquit) *quiddam in Valeriæ prouincia contigiſſe vir vitæ venerabilis Maximianus Syracuſanus Epiſcopus, qui diu in hac vrbe meo monaſterio præfuit, narrare conſueuit, dicens: Quidam Curialis illic ſacratiſſimo Paſchali Sabbato iuuenculam cuiusdam filiam in Baptiſmate ſuſcepit, qui poſt ieiunium domum reuerſus, multoque vino inebriatus, eandem filiam ſuam ſecum manere petiit, eamque nocte illa, quod dictu nefas eſt, perdidit; cumque mane facto ſurrexiſſet, reus cogitare cœpit, vt ad balneum pergeret, ac ſi aqua balnei lauaret maculam peccati: perrexit igitur, lauit, cœpitque trepidare Eccleſiam ingredi: ſed ſi tanto die non iret ad Eccleſiam, erubeſcebat homines, ſi vero iret, pertimeſcebat iram Dei, vicitque humana verecundia, perrexit ad Eccleſiam, ſed tremebundus, ac pauens ſtare cœpit, atque per ſingula momenta ſuſpectus, qua hora immundo ſpiritui traderetur, & coram omni populo vexaretur, cumque vehementer timeret, & in illa Miſſarum celebritate, quaſi aduerſi nihil contigit, qui lætus exiit, & die altero Eccleſiam iam ſecurus intrauit, factumque eſt, vt per ſex continuos dies lætus ac ſecurus procederet, æſtimans quod eius ſcelus Dominus aut non vidiſſet, aut viſum miſericorditer auertiſſet: die autem ſeptimo ſubita morte defunctus eſt, cumque ſepulturæ traditus fuiſſet, per longum tempus, cunctis videntibus, de ſepulchro illius flamma exiit, & tamdiu oſſa eius concremauit, quo vsque omne ſepulchrum conſumeret, & terra, quæ in tumulum collecta fuerat, defoſſa videretur. Quod videlicet omnipotens Deus faciens oſtendit, quid eius anima in occulto pertulit, cuius etiam corpus ante humanos oculos flamma conſumpſit. Qua in re nobis quoque audientibus exemplum formidinis dare dignatus eſt, quatenus ex hac conſideratione colligamus, quid anima viuens ac ſentiens pro reatu ſuo patitur, ſi tanto ignis ſupplicio etiam inſenſibilia oſſa concremantur.* Hæc ille. Fuit enim illa aduſtio vel ipſius S. Gregorii ſententia arra inferni ignis, quoniam cognatione ſpirituali nulla eſt maior; plus enim cognationis eſt ex Baptiſmate aut Chriſmate, quam vel ipſa corporis generatione parentum, vnde iure merito tantum inceſtus crimen tanto quoque ſupplicio à Domino fuit coram omnibus vltum hoc ſeculo, vt inferorum pœnæ, quibus damnabantur, etiam viuentibus innoteſcerent.

EQ. Propterea eadem Dei miſericordia factum puto, vt tot miraculis oſtenſæ fuerint purgatorii inferniquе igneæ pœnæ, vt quod fide credendum tenendumq; eſt, etiam ſenſibus vel inuiti diſcamus. Id enim duobus egregiis exemplis, quamquam plura alia ſint comperta, contenti erimus. B. enim Gregorius de Paſchaſio Cardinali, de quo alias quoque egimus, viro ſanctiſſimo, dial. lib. 4. c. 40. ſcribit, fuiſſe ſchiſmati Laurentii aduerſus Simmachum Papam, ideoque thermarum Anguillanarum feruidis aquis damnatum fuiſſe ab obitu, vbi criminis pœna expiaretur; at Germani Capuani Epiſcopi orationibus inde fuit & exemptus & abſolutus. Hæc ex Gregorio, qui præterea alium feruentibus, vbi purgabatur, exemptum vnius hebdomadæ interuallo incruenti ſacrificii oblatione teſtatur, eodem lib. 4. cap. 54.

Sed

Sed longe magis horrendum eſt, quod Petrus Damianus tradit libello de miraculis ad Deſiderium: Colonienſis enim Clericus fluminis vadum traiiciens obuium habuit B. Seuerinum Epiſcopum iam defunctum, admirans igitur tam ſanctum virum ibi demerſum ab eo petiit, quid ibi ageret? Reſpondit vero Seuerinus: Da mihi manum tuam, & quæ circa me ſunt, non auditu diſce, ſed tactu; cumq; datam manum fluctibus impreſſiſſet, tantus eam ardor abſorbuit, vt vndiq; carnes eius reſolutæ diffluerent, & oſſa nuda vix hærentibus articulis remanerent. Petiitq; Clericus, qua ex culpa tot tormentis affligeretur, reſponſumque habuit: Non alia, niſi quod Canonicarum horarum quotidianum penſum Aulæ curis diſtractus indeuote percurreret, ſed ſi ſacrificia pro ſe obtulerit, inde ſe euaſurum ſperare. Hæc ibi. Idcirco iure Dionyſius Carthuſianus de quatuor nouiſſ. libro ar. 39. tradit, pluribus reuelatas fuiſſe purgatorii pœnas à defunctis, qui ad indicandum vehementiſſimum ignis illius feruorem ſcintillas ſui incendii inſtillarint in manus eorum, quibus apparuiſſent, vnicoque momento manus huiuſmodi ignis illius contactu contabuiſſe; & ideo libet referre, quod duobus clericis Nannetenſibus acciderat: Conuenerant, vt qui prior diem obiret, ſuperſtitem de purgatorio igne admoneret; altero defuncto, is qui ſuperſtes fuit, per quietem vidit defunctum guttulam ignis ſibi in fronte inſtillantem, excitatus incredibilem perſenſit, ſolo illo contactu, dolorem, vt memorat Vinc. hiſt. lib. 25. c. 89. idq; accidiſſe tradit an. Dom. 1000.

Ignis purgatorius.

PH. Eſt immaniſſima, exceditq; omnem hominum captum illius ignis vis, ac propterea & reuelandus ſæpe fuit, vt aliquo experimento (per Dei miſericordiam) innoteſceret: quod ſi non ſufficiant quæ iam dicta ſunt, libet enarrare, quæ Cyrillus Hieroſolymitanus tradit apud Auguſtinum Epiſtola 206. quam non eſſe apocrypham vel iudicio Dionyſii Carthuſiani patet lib. de quatuor nouiſſ. art. 39. 53. & colloquio de Iud. ani. art. 10. 29. 35. Narrat ibi Cyrillus, vnum ex iis tribus, qui in S. Hieronymi obitu reuixerant, de purgatorio igne ſic fuiſſe locutum: *Si omnes, quæ in mundo cogitari poſſent pœnæ, tormenta, afflictiones, minori, quæ illic habentur, pœnæ & tormento comparentur, ſolatia erunt. Mallet enim quilibet viuentium omnia, quæ hic videntur, tormenta ſubire, & vsque ad finem mundi omnibus ſimul ſine remedio cruciari pœnis, quas omnes homines ab Adam huc vsque ſigillatim pertulerunt, quam vno die in inferno, ſiue in purgatorio minori, quæ illic habetur, pœna torqueri.* Cui videtur conformis ſententia Diui Gregorii ſupra ſeptem Pſalmos, ad tertium in princ. *Scio* (inquit) *futurum eſſe, vt poſt huius vitæ exitum alii flammas experiantur purgatorii, alii ſententiam ſubeant damnationis; ſed quia illum tranſitorium ignem omni tribulatione æſtimo præſenti intolerabiliorem, non ſolum in furore æternæ damnationis opto non argui, ſed etiam in ira tranſeuntis timeo correptionis purgari.* Hæc ille ſanctiſſimus ex perſona Dauid.

EQ. Optarim audire, qui fiat, vt ignis ille adurat ſpiritus?

TH. Quidquid de infernali igni traditur, eſt miraculis plenum, primumque illud eſt, quod cum corporalis ſit eiuſdemque ſpeciei, cuius noſter hic eſt ſpiritus, cruciat ſuo tactu, vt tradit ſanctus Auguſtinus de Ciuit. Dei lib. 21. cap. 10. S. Greg. dialog. lib. 4. c. 28. Sanctus Thom. 4. q. 44. Propterea cauendum eſt Lactantii dogma lib. 7. cap. 21. Sic enim habet: *Quid mirum, cum immortales ſint animæ, tamen paſſibiles ſint Deo? Nam cum in ſe nihil habeant ſolidum & contrectabile, à ſolidis & corporalibus nullam vim pati poſſunt.* Hæc ille. Quo loco ignem inferni cruciare animas non poſſe videtur ſentire: reiicienda igitur eſt eius ſententia, quod etiam animaduertit Monopolita dec. prima, capite tertio, q. 3. quæſtiuncula nona in fine. Deinde ſicut

ignis

ignis huius ſeculi ad ſolatium ardet electis; & lucet ad gaudium, ita improbis ignis inferni ardet ad pœnam, & lumen non habet ad conſolationis gratiam, ſed tamen lucet ad pœnam, vt damnatorum oculis ignis ſupplicii & nulla claritate candeat, & ad doloris cumulum, delicta qualiter crucientur, oſtendat, vt tradit ſanctus Gregorius Moral. lib. 9. cap. 38. & 39. Cui etiam accedit ſancti Auguſtini ſententia in ſermon. 26. ad Fratres in Eremo: *Ignis* (inquit) *inferni ſua flamma concremationem habet, lucem non habet*. Accedit & S. Ioan. Chryſoſt. ſuper Epiſtolam ad Hebræos hom. 1. Ignis ibi & tenebræ ſunt; vides igitur, quod ille ignis ſæuior eſt iſto: non enim habet lumen, aut vllam luminis claritatem; ſi ignis eſt, quomodo ſemper ardet? & in hoc ſæuior noſtro eſt: non enim extinguitur, propter hoc etiam inextinguibilis appellatur. Eſt igitur hoc etiã in illo igne miraculum, vt ſemper & perpetuo arſurus ſit: eodem Ioanne Chryſoſt. teſte ſuper Epiſt. 1. ad Corinth. hom. 9. vbi finem non habere eum ratione defendit, ſicut etiam ſanctus Greg. dialog lib. 4. cap. 44. finem numquam habiturum ratione confirmat. Cum igitur perpetuo ſit arſurus, erunt quoque animæ ibi perpetuo duraturæ, vt habet S. Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 21. cap. 2. Nam & Ioan. Chryſ. adiicit, ideo ſemper duraturas animas in flammis, quia ignis ille vim reſoluendi non habet, nec lucere poteſt, & corpus, cum incorruptionem induerit, inſolubileque fuerit, in infinitum protendetur eius ſupplicium, nec exceſſus vllus tormentorum perimet animas noſtras, neque hoc corpus poterit in illo tempore conſumi cruciatibus, afflictum permanebit cum anima, nec finis vllus erit. Hæc ex illo in Epiſtola 5. ad Theodorum lapſum Tom. 5.

EQ. Ergo ſi eiuſdem ſpeciei ignis ille eſt, cuius & hic noſter; non ergo differre debet operatione aut ſubſtantia.

TH. Eiuſdem eſt ſpeciei, corporalis quoque, ſed plura in eo ſunt diuinæ poteſtatis miracula iam dicta, quod agat in ſpiritus, quod inextinguibilis, quod non luceat, quod perpetuo, quod non diſſoluat. Addenda ſunt & alia: nam noſter non detinet illa, quibus adhæret, ille detinet; noſter corruptibilis, ille incorruptibilis; noſter indiget ſuccenſore, ille abſque eo ſemper ardet: deinde ille non omnes vno modo affligit, ſed pro ratione culparum. S. Greg. dialog. lib. 4. c. 43. ſed fuſius moral. lib. 15. c. 17.

EQ. Optarim audire alia.

TH. Detinet ignis in loco mirabiliter, quæ vrit, ſcilicet & diabolicos ſpiritus, & animas: ſecundo impedit, ne dæmon aut anima operentur, vbi volunt, aut vt volunt: tertio ſubiugat dominatione quadam, cum & ſpiritus, & anima ſint ei ſubiugati viliſſime ab diuina iuſtitia: quarto inimicitias excitat, quia odium, iram & voluntatis inquietudinem ac moleſtiam continuam habebunt damnati. Hæc ex S. Tho. 4. quæſt. 44. & diffuſe diſputat Bartholomæus Monopolita in peregrinis quæſtionibus dec. 1. c. 3. q. 3. quæſtiuncula nona, vbi & alios locos citat ex S. Thoma.

PH. At optarim ſcire ego, cum in inferis purgatorius locus ſit, an ignis idem vtriuſque loci ſit, inferni ſcilicet & purgatorii?

Differentiæ inferni & purgatorii quæ?

TH. Pluribus inter ſe modis differunt ignis inferni, & ignis purgatorii, & eæ differentiæ miracula ſunt. Primum ignis purgatorii temporaneus eſt, quoad effectum purgationis, eſt tamen æternus, quoad ſubſtantiam, ſicut etiam ipſe ignis inferni. Deinde ignis inferni indurat, deuorat, ignis purgatorii excoquit & maturat. Deinde ignis inferni res fortes & pulchras debiles facit & turpiſſimas: Ignis purgatorii fortiores reddit & pulchriores, quia ignis purgatorii eſt purgatiuus; at ignis infer-

inferni eſt exterminatiuus, quum ignis purgatorii ad finem purgationis ſit ordinatus; ignis autem inferni ad perpetuam afflictionem. Deinde ignis inferni (vt diximus) tenebricoſus eſt, ſed purgatorii ignis lucidus ac fulgidus eſt. Tandem ignis inferni proximo tempore Dei Iudicii extremi in ſuis operationibus manebit immutatus: at ignis purgatorii augebitur in eos, qui diu ibi moraturi forent, vt quod longo tempore purgandum fuerit, breuiore ſed auctiore tormento compenſetur. Hæc latius apud Monopolitam eodem cap. 2. q. 4. quæſtiuncula 5. vbi S. Thomæ & reliquorum Doctorum citat locos, quos omiſimus, ne colloquii rationem excedamus.

PH. Eſt mihi optime hac breuitate perſuaſum tantæ veritatis documentum, verum redeamus ad naturæ miracula, quæ in igne conſtituta ſunt: ego enim puto, locos omnes igniuomos naturæ miracula eſſe, & inferni ignis eſſe ſpiracula.

EQ. Id ita eſſe non dubito: nam & ipſo naſcentis Eccleſię exordio Pionius ſub Decio Martyr ita ſenſerat, vti teſtatur Metaphraſt. in eius martyrio ſub 11. Martii, apud Surium Tom. 1. Illum enim ita loquentem coram Tyranno repræſentat: *Vos Decapolim Lydiæ regionem igne combuſtam videtis ad impiorum exemplum, vsque in præſentem diem; Æthnæ item incendium, & Siciliæ, atque Lyciæ, & Inſularum: quod ſi hæc quoque videntur vobis abeſſe longius, cogitate vſum aquæ calidæ ex terra ſcaturientis; vnde enim niſi ex igne in intimis terræ partibus ſito contrahit caliditatem? Ad hæc memoriæ proditum eſt, aliquas orbis partes tum igne vaſtatas eſſe, tum etiam aqua, vel tempore Deucalionis, vt vos dicitis, vel Noe tempore, vt nos aſſerimus: quamobrem ex rebus ſingularibus poſſunt vniuerſa cognoſci. Itaque teſtamur vobis & denuntiamus, Iudicium per ignem à Deo per Verbum ipſius Ieſum Chriſtum factum iri, & idcirco æneos veſtros Deos, & ſtatuam auream nolumus adorare.* Hæc ibi. Et certe vt viuens Pionius contempſit Tyrannum, quem docebat æternum ignem metuere, ita & defunctus terrenum ſe ignem contemnere miraculo indicauit: nam cum cruci affixus fuiſſet, & iam ſpiritum exhalaſſet, Tyrannus ignem admoueri iuſſerat, ſed & cutis & veſtis prorſus intacta fuit, vt oculatus teſtis tradit apud Metaphr. & Surium Tom. 1. Februario menſe.

TH. Id ipſum & recentiores affirmant: Surius enim ſuo in comment. ſub anno Domini 1537. tradit, in Islandia Heclam montem furere, horrendique tonitrui modo inſonare, proiicere ſaxa ingentia, ſulphur euomere, cineres egerere, vsque ad vigeſimum lapidem, vt agri infra eum terminum coli non poſſint, eſſeque ibi voragines cineribus opertas, quæ incautos eo accedentes abſorbeant, viderique ibi defunctorum ſpiritus in nota ſpecie: quæ terribilia loca (inquit Surius optime) voluit omnipotens Deus in terris extare, vt rectius norint mortales, quæ pœnæ maneant impios poſt hanc vitam, & diſcant timere Deum, vt poſſint ęternos ignes euadere, veriſimileque eſſe (contra Philoſophantium ſententiam) in iis locis, atq; ſimilibus eſſe Tartari loca aut oſtia puniendis animabus deputata.

PH. Quamobrem, ne vlla Orbis pars eius rei ignorationem prętendat, omnibus regionibus huiusmodi ignes comperti ſunt. Primum enim Ariſtot. de admir. c. 35. tradit, miraculi loco extra Herculis columnas ignes quosdam ſplendere noctibus, alios ſemper etiam diu, ſicut in Hannonis nauigatione conſcribitur; quos ignes illos eſſe puto, qui in Inſula Teneriffa inter Fortunatas conſpiciuntur: de qua in colloquio de Montibus peropportunè diſſeruimus.

EQ. Ita eſt: omnes enim Orbis partes eiusmodi ignes habent; nam in Orbis noui Mexicano regno, in prouincia Ciapotulan, mons eſt, qui eructat lapides non

minore amplitudine, quam ſint domus ipſæ, qui eructati adhuc flammas retinent, vt ardere vndiq; videantur, magnoq; fragore diſiiciuntur, adeo vt totus fere mons flagrare putetur, Petr. Aluarad. ad Corteſium. Sed & in prouincia Quahutemallan eiuſdem Orbis duo montes ſibi ad duas leucas proximi ignem vomunt ac tremunt, Petr. Hiſp. p. 5. c. 23. In Peruaco quoque ex monte Nanauata ignis vomitur pluribus è ſpiraculis, ex vno vero ſpiraculo aqua feruens fluit, è qua ſal conficitur, Pet. Hiſp. p. 5. c. 31. Sed & eodem Peruaco, in vico Molahalo, ignis vomitur, diebusque pluribus lapides cinisque eructatur, pluribus etiam oppidis oppreſſis. Pet. Hiſpal. p. 5. c. 33.

PH. Ipſis quoque orientalibus Indis hæc ſunt ex igne miracula; in Inſula enim Molucco Regis Ternatis tantus manat ignis ex profundiſſimis antris ſimulq; eructantur lapides molaribus comparandi, horrificis fremitibus, vt his tonitrua æquari vix poſſint, aut ingentium bombardarum ictus, nigerrimusque ignis eſt. Balthaſſar Diaz Ieſuita ex Malacca 1556.

EQ. Sub eodem Rege Ternate in Inſula *del Moro* proxime Tolo, eructatur tanto fremitu ignis, vt maximarum bombardarum crepitibus adæquetur, tanta cum caligine, vt nocti comparetur: cinerum quoque tanta copia, vt pondere domus collapſæ ſint, arbores in triennium, detruncatis ramis, ſteriles factæ fuerint, cineribus omnia facta peruia, enecata omnino animantia fame ac tabe; aquæ etiam ſuaues in amaras ſunt verſæ, vt idem Balthaſſar tradit eodem anno 1556.

TH. In ipſa quoque Sauciorum prouincia (quæ Sinarum regionum pars eſt) cum aquarum repentinis ſcaturiginibus campeſtria fere omnia diluuio mergerentur, omnes, qui ſibi fuga ſalutem quærendam putauerunt, igni de cœlo miſſo, conſumpti ſunt. Melchior Hugnez è Coccin 1558.

EQ. Iauæ quoque maiori proxima eſt Inſula, cui nomen Nucopora, in ipſius mediterraneis perpetuus ignis ardet, vti teſtatur Odoardus Barboſa, & Ioannes Gaetanus Caſtulonenſis. Hæc quoad Orientis regiones vlteriorisque Aſiæ partes: at non procul à noſtro cœlo præter Æthnam, Veſuuium Italiæ atque Siciliæ montes, ac illis proximos, ac præter Islandiæ Heclam, atque alios Septemtrionales, ac præter Africanos, quos hic longum eſſet recenſere, ac præter alios, quos ſuis locis de montibus, antris, Inſulis, terrarumque ſitu diſſerebamus opportunius. In Capadociæ parte illa, quæ Argeo monti ſubiacet, ſcribit Strabo libro duodecimo, ignem feruere, ſed non videri, niſi noctu: attamen herbis virere, ac fontes frigidos ibi eſſe; voragines tamen ibi incautos accedentes abſorbere. Plinius quoque lib. 2. cap. 106. tradit, in Megalo Politano regno ignem non videri, ardere tamen, nemora ſupra ſe habere virentia, & iuxta gelidum fontem. Ariſtoteles quoque de admiran. cap. 33. tradit, in Media ignes ardentes, & in Pſittacia Perſidis eſſe; at eos, qui ſunt in Media, parum ardere, at in Pſittacia frequentes eſſe flammas ſplendidas: idcirco Regem Perſarum multas coquinas ibi extruxiſſe, eſſeque eos ignes diu ac noctu conſpicuos, vt in Pamphilia ignes eſſe, qui nocte tantum luceant, proditum eſt.

PH. Non libet prætermittere, quod Strabo tradit libro primo, iuxta Modonem igneam exhalationem erupiſſe à continenti: intumuerat enim tellus ad ſeptem ſtadia in altum, tanto inſuper comite feruore, vt mare ibi proximum ad quinq; ſtadia ferueret, turbaretur autem ad ſtadia 20. tantaq; fuerat lapidum eructatorum congeries, vt turrium altitudini æquaretur; ſed ſi omnia velimus enarrare, de-

re, deficiet dies, & opportunius tempus prætermittemus. Vnum eſt nobis commemorandum, tot eſſe in Orbe ignis ſpiracula, vt Deo ſit perfacile homini palam facere, ignem eſſe ſemper paratum, & toti Orbi exurendo, & vt omnibus ſemper proximus ſit metuendus interitus, cum propemodum tot ſint ignium ſubterranea flumina, quot maria aquarum conſpiciuntur, aut ſaltem ęque, imo magis exhorreſcenda: non enim aquam imitatur ignis, quæ aliquandiu vitari poteſt, vel aſcenſu montium, vel nauium extructione, aut repagulorum obiectu; at igni tanto nihil obiici poteſt, pręſertim cum reperiantur ignes omnia ſuo ſpiritu ilico abſumentes, vt in quibusdam Africæ antris commemorauimus, & in Meteoris.

EQ. Omittamus igitur horrifica hæc: agamus de ignis miraculis, curioſis ingeniis accommodatioribus; eſt enim commemorandum attritione lignorum ignem excuti, vetuſtiſſimumque id inuentum eſt, Plinio teſte lib. 16. c. 40. Nam exploratores in caſtris, & paſtores in agris vſum hunc adinueniſſe commemorat, quoniam ad excutiendum ignem non ſemper lapidis occaſio eſſet. Indi etenim noui Orbis paſſim attritione huiusmodi eum accendunt: nam componunt, vt proxime hæreant ligna quædam, atq; inter vtrumq; aliud interponunt, quod verſantes motu celerrimo, velut terebellum, excutiunt ignem, ſi tamen arida ligna ſint. Ouet. ſumm. c. 79. & hiſt. lib. 6. c. 5. quod iam ante diximus paucioribus.

TH. Apuli apud nos non abſimili arte è ferulis ignem accendunt, ferulam funiculis obuoluunt, trahuntque ac retrahunt celerrimo motu funiculos, ita fit, vt ex eo motu atque attritu in ferula arida ignis accendatur. Vulgatiſſimum id apud omnes eſt, vt etiam antea diximus.

PH. Commemorandum magis eſt, è vitrea pila aqua plena Soli obiecta ignem mitti, veſteſque ac conſimilia aduri, quod iam alias diximus, vti tradit Plin. lib. 36. c. 26. Lactant. de ira Dei c. 10. At longe magis commemorandum, à ſpeculis Soli obiectis ignem tantum manare, vt claſſes maritimæ fuerint exuſtæ, vti iam pridem dicebamus, Archimede auctore, vt teſtatur Zonaras in obſidione Syracuſana ſub Marcello: ſed & Proclus, de quo etiam alias egimus, ſub Anaſtaſio I. Imperatore eisdem ſpeculis claſſem aduſſiſſe commemorabamus, vti teſtatur idem Zonaras in Anaſtaſio, & ante tradiderat Ioannes Cuſpinianus Hiſtoricus, ac tandem etiam retulit Petr. Hiſpal. in eodem Anaſtaſio. Quod vero eſt etiam admirandum, libet hoc loco non prætermittere: ligna enim nullo vmquam feruore Solis ſponte accenduntur; attamen Seneca natur. lib. 1. c. 1. ſcribit, etiam apud nos in Europa ſarmenta ſulphure aſperſa ignem ex interuallo trahere radiis Solis.

TH. Sunt hæc perpetuo memoriæ mandanda; at vt proſequamur reliqua ignis miracula, ignis in calce eſt ſola candens, in reliquis vero rebus omnibus nigreſcit. Iniecta aqua feruefcit, cum aqua ignes reliquos extinguat; oleo ignis ille extinguitur, cum oleum ſit præcipuum ignis fomentum ac pabulum. Hæc commemorat & admiratur S. Auguſt. de ciuit. Dei lib. 21. c. 4.

EQ. Et ipſe ignis in ſe ipſo miraculum eſt, ipſe lucidiſſimus cum ſit, omnia à ſe tacta aduſta ve nigerrima reddit. Prunæ fulgidiſſimæ cum ſint, in teterrimum carbonem conuertuntur: rurſum teterrimus carbo ſolo tactu minimæ ſcintillæ in lucidiſſimam prunam redit, aut aereo aliquo afflatu; ex eodem S. Auguſt. de ciuit. Dei lib. 21. c. 4.

PH. Accedunt iis & alia ex eodem S. Auguſtino capite 4. Ignis exuſtos lapides candidos reddit, cum ignis inimiciſſima materia ſit, hoſti tamen candorem præ-

bet. At ligna ſibi amiciſſima, nempe quod illis alatur, reddit nigerrima, vt neque ſplendeant, neque candeant.

Carbones. *EQ.* Carbonum & alia ſunt commemoratione digna: nihil enim fragilius carbonibus; attamen nulla temporum vetuſtate, nullo humore, nulla ſiccitate corrumpuntur, nulla admixtione perduntur. Propterea ad regenda ampliſſimorum ædificiorum fundamenta ſubſtrata ſunt, non tantum vt firmiore libramento ædificium ſtaret, verum etiam, vt durabilius ſeruaretur, auctore Cteſiphone Architecto, vt eſt apud Plinium lib.36. c.14. & meminit S. Auguſtinus eodem c. 4. Carbonum autem vis non ab incenſione eſt, ſed ab extinctione, vt tum demum is fiat fortior (magno miraculo) cum extinguitur, quam cum ſeruatur incolumis. Plin. lib.36.c.27. (& id docet quotidiana experientia) tradit, carbonem, cum vires habere incipit, reſtinctum, cum interiiſſe creditur, maioris fieri virtutis.

PH. Eſt aliud commemoratione dignum apud Ariſtotelem: tradit is, ignem in quibusdam eſſe lapidibus, in Scytharum Medorumq; regione, quæ dicitur Pontus, qui carbonibus ex ligno confectis contraria ratione ſe habeant; nam ſi agitentur, citiſſime extinguuntur, atq; irrigati & ardent, & ſplendent commodius, odorem mittunt bituminis, cum vruntur, & ſerpentes ab eis effugiunt. Sunt autem ii lapides in fluuio, in eoq; continue obuerſantur. Ita ille de admir. c.110.

EQ. Ignis animam ſenſibilem etiam rebus præbere quodammodo videtur: oua enim fœcunda facit, ac ceu ipſe maſculus ex ouo quaſi ſibi fœmina prolem emittit, vt differuimus de auibus agentes, quando de excludendis igneo tepore pullis agebamus. Deinde à rebus omnibus ſuccum emittit per vaſa teſtea, aut plumbea, ſimulq; contra liquoris naturam, quæ eſt ad deſcendendum procliuis, cogit illum aſcendere, inſtillatione perpetua. Et quod mihi experimento compertum eſt, cum in cacabo feruentiſſima ſit aqua, vel humor, ipſe tamen cacabus æneus in imo exteriore frigidiſſimus eſt, cum tamen eo tantum loci ignis eum perpetuo attigerit, ſummum vero cacabi, quod ab igne longius abeſt, nec tactum ab illo fuit, feruentiſſimum adeo eſt, vt tangi non poſſit.

TH. Maioris miraculi eſt, feruentiſſimam ollam (id enim aliquando accidit) iniecta ſacra Euchariſtia refrigerari: nam ad conuincendum Seuerianæ hæreſis ſectatorem, communio Seueriani in feruentem ollam iniecta ſoluta eſt; quæ vero ex Catholica fide fuerat conſecrata hoſtia, ollam refrigerauit, & ipſa integra, neq; madefacta manſit, idq; contigit in Cilicia, non admodum procul ab Ægina ciuitate, Sophron. prat. ſpirit. c.29. Vnde illud eſt admirandum, cœleſtem ignem, imo illum ignem, qui dicitur conſumens, terreſtrem ignem refrigeraſſe.

Fumus. *EQ.* Habet & fumus, qui ab igne manat, ſua miracula. Nam aduſta herba quædam, cum fumum emittit, trabes in ſerpentum forma oculis oſtentat, ipſo S. Thoma teſte, vt teſtatur Silu. de ſtrigim. lib.2.c.8. puncto 1. Ignis etiam in cyatho Maluatici ad carbones bullientis tactu accenſæ candelæ ſuccenſus aſtantes ſub forma adeo liuida repræſentat, vt infernales ſpiritus in humana ſpecie videantur: ex eodem S. Thoma. Silu. eodem capite, puncto 1.

TH. Fumus igitur igne nihil boni videtur efficere, tum rebus, tum homini, vt ſit etiam hoc miraculi loco, vt ab optimo omnium igne adeo inutilis res promanet, quæ cum videatur, non poteſt accipi, ſi accipitur, non retinetur, cum eſſe aliquid putetur, in nihilum mox reſoluitur, quod proprie ad humanam pertinet ſuperbiam, quæ ſe erigit, ſed cito deficiens, quaſi non fuerit, euaneſcit: & cum è

rerum

rerum opulentia intumeſcat, in altum elata, quaſi exhalans euoporata ac diſperſa in nihilum conuertitur, vt docuit S. Gregor. ſuper 7. Pſalm. ad Pſalmum quintum ad illa verba: *Quia defecerunt.*

EQ. Non eſſet importunum diſſerere de igni, qui arte conficitur, quem Græcum appellant, cuius admirandi effectus ſunt: nam quidam vt aquis accenditur, oleo reſtinguitur: quidam nunquam extingui poteſt, ſed immobilis & inextinguibilis rei hæret, adurens æra, lapides, murosque ipſos etiam ferreos: tantam etiam vim habet in bombardarum impetu, vt tonitrua adæquare videatur: domos etiam ſua vi funditus euertat: cautes, rupesque altiſſimas ſubruit disiectas, & euertit oppida: iter ſibi per ſaxa aperit, puteos ſaxeos effodit: eius ignis auctor fuiſſe videtur Amulius Romanus, de quo iam pridem agebamus in Meteoris, quem & tonitrua & fulgura imitatum dicebamus ex Zonara. Hodie tamen in nouo orbe, in prouincia Quahutemulan ſulphur adinuentus eſt, qui absque vlla arte id efficit, quod artificio efficit puluis tormentarius, vt teſtatur Petr. Hiſpal. p. 5. cap. 23. *Ignis Græcus.*

PH. De Græco igne non pauca ſuppetunt commemoranda: nam ſi originem quæramus, Segebertus Gemblacenſis hiſtoricus tradit, primum fuiſſe inuentum anno Domini 679. ſub Domino Romano Pontifice: ſunt tamen auctores, qui id referant in annum Domini 664. Nam Gallinichus Architectus ab Eleopoli Syriæ ad Romanos confugiens ingenio ignem à ſe compoſitum edidit, quo vſi in Saracenos Romani illorum naues exuſſerunt. Theophanes Iſaurus hiſtoricus apud Anaſtaſium bibliothecarium anno Domini 664. Vincent. hiſtor. lib. 23. cap. 123. Anton. tit. 13. cap. 4. §. 7. Vbi igitur in vſu eſſe cœpit, maximæ ex eo res in ſuperandis hoſtibus confectæ ſunt. Cum enim Inger Ruſſorum Rex Conſtantinopolim mille, & eo amplius nauibus profectus expugnandæ vrbis cauſa fuiſſet; à Romano tum ibi rerum in Imperio potiente profligatus eſt, omnibus nauigiis Græco igni exuſtis: vt Segebertus tradit anno Domini 936. Sed & Hugo olim in Gallia ſe pro rege gerens, cum ignem hunc ab Imperatore Conſtantinopolitano ad ſe miſſum accepiſſet, Fraxinetum diu oppugnatum, etiam nauibus Saracenorum exuſtis, expugnauit. Segebertus anno Domini 941. Hinc illi nomen Græcum, quod Græco inuentore prodierit in orbem. Alii illum maritimum appellant, quod maritimo bello conficiendo ſit aptiſſimus, dum maritimis aquis contemptis, opus vrendi vſum exerceat: eius autem vis tanta eſt, vt nullo præterquam aceto liquore extingui poſſit, vt Luitprandus Ticinenſis hiſtoricus tradit lib. 3. cap. 6.

TH. Sed nunquid Græcus ignis erit, quisquis aquis extingui non poterit?

PH. Si arte ſit confectus aut compoſitus, tametſi Latini inuentores fuerint, Græcum dicemus ab virtutis ſimilitudine: at ſi id natura igni ſit inditum, quia artis non eſt inuentum, proprio alio nomine ex loco vel ex effectu denominabimus: erit nobis exemplo ignis ille, qui apud Coloniam Vbiorum viſus eſt, cum Agrippina Claudii ibi moraretur, paulo antequam obiret. In ea enim vrbe, agroque magnis hiatibus aperta eſt tellus, ignemq; emittebat, qui neque aquis, neque humore poterat extingui, ſaxis autem & pannis dumtaxat opprimebatur. Fulgoſ. lib. 1. Perſimili exemplo erit is ignis omnia adurens non viſus; quādo Carolus Burgundionum Dux Geldrenſem occupabat vrbem, ante annos abhinc longe plures, quam ducentos; incenſa enim humo, nulla conſpecta flamma, herbarum, arborumq; ra-

 dices

dices comburebantur, atque ab ea regione pene in Burgundiam vſque malum illud penetrauit, neque remedia populi, aut aqua, aut re alia qualibet, ſatis inueniebant; etſi ingentibus foſſis incendio præcidere viam, vireſq; conarentur. Fulgoſ. eodem loco.

EQ. Perſimile quidpiam eſt circa craterem ſulphureum Puteolanum, circumquaque vidimus florentes, virideſque herbas: nam ſi terræ, vbi virent, ſuperficiem cultello, aut ligone eraſeris, quamuis leuiſſime, mox fumus plurimus igneus exhalat: cum tamen ibi frigida herba viret. Propterea is ignis, quem in Lycia in regione, quæ Ephæſtion dicta eſt, de qua iam ſupra meminimus, herbido, florenteque ſolo, terra ſi effodiatur, cum ignes euomat, quibus nulla in parte flores aut herbæ aduruntur, vel decorem amittunt, nulla arte extingui poteſt; ſed non propterea Græcum ignem dicemus, ſed admirandum, de quo Seneca ad Lucillum, vt Fulgoſ. lib. 1.

Igis ſacer. *TH.* Longe magis ille Græci nomen ignis non habebit, quem ſacrum dicere conſueuimus, qui neque vlla arte componitur, neque vllis remediis extinguitur, ſicut iam antea in periuro homine diximus: nam quandoque etiam gentem aliquam corripit, haud dubie ita excandeſcente ira Dei: Paſchali enim Pontifice ſecundo circa annum Domini 1100. prope Niuernam morbi genus horrendum inualuit: tacti enim homines igni inuiſibili ardebant, qui facile penetrabat præcordia, alii pedes, alii manus ea occaſione deciderunt. Krantz. Saxon. libro 5. cap. 15. Hæc iræ Dei veſtigia ſunt, hominum peccata incomprehenſibili iudicio vindicantis.

EQ. Felix igitur illud hominum genus, vbi neque inuiſibilis ille ignis, neque viſibilis, materiaque confectus ignis compertus eſt, vbi vt metus nullus incendii, ita nullæ ex eo deliciæ in vſu ſunt, quæ certe plura hominum millia occidũt, quam gladius; voracitas enim eduliorum tot genera adinuenit igne excocta, vt videas coquinas ampliſſimas igne quidem ardere, ſed frigidam mortem accelerare.

PH. Si ita eſt, feliciſſimi Scythæ quidam, aut Tartari, quibus nullum prorſus lignum eſt vnde ignis alatur, aut edulia concoquantur.

Boum equorumq; ſtercorib. inſtar lignorũ vſi quidã fuere. *EQ.* Scio, & iam diximus, Cauchis Scythis lignum non eſſe, ſed igne non carent; nam Tartarorum Imperator in Regno Mongal, ſed & reliqui Principes, cum lignis careant, obſonia quæque concoquunt boum equorumque ſtercoribus, vt Ioan. Apoſt. Romanæ Sedis apud Tartaros Legatus ſcriptum reliquit anno Domini 1245. quod recolit Vincent. lib. 31. cap. 3. Quin in eodem Aquilonari tractu iam dicebamus piſcium oſſibus aridiſſimis ignem ali, atque apud nos lignis: ſicut & in Phriſiæ Franicheria boum fimo ventis exſiccato pro lignis ad ignem vtuntur, & terram quandam pinguem etiam induratam ventis carbonum vice habent. Georgius Bruin in Franicheria.

MEMO-

MEMORABILIA
ARTE HOMINVM CONFECTA.
COLLOQVIVM VIGESIMVM TERTIVM.

EQVES.

QVoniam hic dies nimboſus eſt, nec per hortos nulla ambulandi facultas ſuppetit, domi conſiſtendum, atque in lario egregie exornato diem abſumemus: ſunt enim in eo incredibilis artificii recondita opera; & quæ alibi eſſe audiuimus, optimi pictoris manu ad viuum appingi curauimus, aut ſculpi. Locorum autem amplitudines, aut longitudines geometricis notis commenſurauimus: ac tandem totius orbis globum abſolutiſſimum in eo aſſeruādum curamus; vnde omnia climata proſpectari poſſint: &, quod iucundius eſt, itur à lario ac bibliotheca in labyrinthum probe concameratum, atque de rebus adeo variis ſuauiſſime colloquentibus dies nobis præterlabetur.

PH. Vt video, ſeptem orbis miracula hic repræſentata ſunt.

EQ. De ſeptem miraculis varia auctores conſcripſere, nec omnes cōſentiunt: quamobrem non ſeptem, ſed plura effingenda curauimus. *Septē miracula mūdi.*

TH. Sanctus Gregorius Nazianzenus in Monodia de his ita memorat: *Baſilius* (inquit) *Xenodochium ædificauit, in quo ægri & pauperes curarentur: ego autem hunc locum tanta magnitudine, & nobilitate conſpicuum contemplatus, ſeptem orbis miraculis non inferiorem dixerim: quorum primum Ægyptiæ ſunt Thebæ, centum portas habentes; ſecundum muri Babylonis à Semiramide coctis lateribus, & bitumine conſtructi, circuitu ſtadiorum trecentorum, latitudine cubitorum octoginta; tertium in Caria Mauſolei ſepulchrum ab Arthemiſia vxore ædificatum; qua. tum Pyramides in Ægypto, vt quidam volunt, ab Ioſepho Hebræo ad frumenti conſeruationem excitatæ, vnde nomen accepit: pyros enim triticum dicunt: alij ſepulchra eſſe ferunt ignis, quem colunt, in honorem conſtructa, ad eiusque ſimilitudinem in acutum quadrata ſpecie tendere: quintum in Rhodo Coloſſus, Idolum Apollini ſacrum, quidam æream eſſe columnam dicunt, altam (vt ait Ariſtoteles) cubitis ſexcentis; ſextum Capitolium Romanorum; ſeptimum Hadriani templum in Cyzico: ex quibus ſane omnibus nulla auctoribus vtilitas, niſi breuis admodum, & fragilis gloria emerſerit.* Hæc ille.

PH. Sanctiſſime quidem ac doctiſſime Nazianzenus: ſed alii addidere templum Dianæ Epheſiæ, quod ſummæ magnificentiæ fuit, & admirationis apud priſcos ducentis viginti annis factum à tota Aſia, in quo quaſi aliud miraculum columnæ centum viginti ſeptem à ſingulis Regibus factæ, ſexaginta pedum altitudine, ex iis triginta ſex cælatæ, vt memorat Plin. lib. 36. cap. 14. Alii addunt domum Cyri Medorum Regis, quæ à Memnone, illigatis auro lapidibus, fabricata dicitur, cuius non meminit Plin. vt animaduertit Aldus in Indice ad Plinii naturalem hiſtoriam. Addunt alii ſimulacrum Iouis Olympii, quod Phidias fecit ex ebore, de quo Plin. lib. 7. cap. 38. & lib. 35. cap. 8. & lib. 35. cap. 5. *Templum Dianæ magnificum.* *Domus Cyri Regis Medorum.* *Simulacrū Iouis.*

EQ. Miracula rerum metienda ſunt pro cuiusq; libitu, alii ſumptus admirantur, alii formas, alii artem & induſtriam, alii amplitudinem, alii rerum nouitatem: atq; ideo, quoad fieri poteſt, quæ orbis miracula colligi poſſint, ne ſolis ſeptem diſtineamur, de pleriſq; omnibus hodie diſſeremus. Redire tamen libet ad Thebas à

Nazian-

Thebæ Ægypti. Nazianzeno commemoratas. Fuere plures Thebæ, Ægyti ſcilicet, Bæotiæ, & Africæ, vti Iſidorus tradit lib.15.cap.1. Sed nos de Ægyptiis tantum agemus, in quibus centum portæ fuiſſe prædicantur, & horti penſiles, è quibus exercitus armatos educere ſolerent Reges, nemine è ciuibus id perſentiente, vt habet Plin.lib.36.c.14. Huiusmodi penſiles hortos alii Semiramidi tribuunt, alii Cyro Aſſyriæ Regi, vti adhuc dubitat Plin.lib.19.cap.4. Pomponius autem Mela putat vel centum portas fuiſſe, aut aulas centum, totidemq; Principum domos, quorum ſingulæ, vbi negotium exegerat, dena armatorum millia effundere ſolitæ erant, ita ex illo lib. 1. c. 9. quod recenſuit Surius in Commentario ſui temporis anno Domini 1517. Euſebius autem Pamphilus de præparat. Euang. lib.2.cap.1. Thebas centum portas habuiſſe confirmat.

PH. Adauxit tantæ vrbis ornatum, quod iuxta Thebas lapis Alabaſtrites naſcitur, intertinctus aureis guttis, vti habet Plin.lib.36.cap.8. quo lapide poterat vniuerſa vrbs exornari, cum nobis vix tantum eius lapidis ſuppetat, quo vaſcula, aut certe non magna opera conſtrui poſſint.

EQ. Tandem ab Alexandro Magno deſtructa tanta vrbs fuit, vti memorat S. Hieronymus ſuper Danielem ad c.11. Poſtea vero Dioſpolis eſt dicta, cuius longitudinem octoginta ſtadiorum fuiſſe memorat Strabo lib.17. cuius etiam veſtigia ſe vidiſſe teſtatur.

TH. Vt perſeueraret tanta vrbs, non ferebat æquitas: nam præter id, quod luxus ac ſuperbia ædificandæ eius cauſam dederant, etiam maxima eius pars hiſtrionum pecunia cōſtructa eſt: Marcus enim Aurelius Imperator in Epiſtola ad Lambertum Helleſponti Præfectum ſcribens teſtatur, Regem, cum pecuniam ad eam extruendam cogeret, à duobus tantum hiſtrionibus plus collegiſſe, quam à cæteris ſimul omnibus amicis ac ſubditis: recenſetur in vita ipſius Marci Aurelii lib.3. cap.50.

Babylon. *EQ.* Babylon autem, quæ miraculo quoq; habita eſt, Aſſyriæ vrbs fuit, cuius adhuc veſtigia patent, vt Surius in Commentario teſtatur anno Domini 1534. vbi etiam memorat hortos penſiles fuiſſe.

PH. Vetuſtiores auctores, cuiusmodi Plin.lib.6.cap.26. de ea ſic habet: *Babylon, Chaldaicarum gentium caput, diu ſummam claritatem obtinuit in toto orbe, propter quam reliqua pars Meſopotamiæ, Aſſyriæque Babylonia appellata eſt, ſexaginta millia paſſuum amplexa muris ducentos pedes altis, quinquagenos latis, in ſingulos pedes ternis digitis mēſura ampliore, quam noſtra, interfluo Euphrate, mirabili opere vtroque. Ferunt ibi plebis vrbanæ ſexcenta millia fuiſſe: ſitum vero mœnium Aquilæ pandentis alas: agrum totius Orientis fertiliſſimum.* Eadem fere etiam Solin.cap.58. Eam à Semiramide fuiſſe conſtructam ſcribunt Diodorus, Strabo, Iuſtinus. At Ioſephus, Euſebius, Marcellinus, à nepotibus Noe conditam aſſerunt; inſtauratam vero & muris munitam à Semiramide, quod & S.Hieron. tradit in lib. Oſeæ ad c.2. citato Poetico carmine:

——Babylon, quam dicitur olim
Coctilibus muris cinxiſſe Semiramis vrbem.

Eam autem per ſingula quatuor latera recta habuiſſe 15. mill. paſſ. recolit ex Herodot. lib. 1. idem Hieronymus ſuper Eſaiam ad cap.14. ad illa verba: *Et conſurgam,* &c. nihilq; ſupereſſe præter murorum circuitum; at reliqua omnia introrſus in ſolitudine verſari tradit.

EQ. Recentiores, cuiusmodi Aldus, murorum eius & latitudinem cubitorum 50. &

50.& altitudinem 200.cum Plinio affirmant: ſicut & ambitum ſexaginta millium paſſuum. Strabo tamen lib. 16. ambitum ad trecenta octoginta quinq; ſtadia memorat, vt non attingat ad quinquaginta paſſuum millia: adiicit tamen, turres ſexaginta fuiſſe altitudine, ac craſſitie pedum duorum, & triginta, murosq; adeo late patuiſſe, vt quadrigæ ſibi inuicem occurrentes facile pertranſire poſſent. Foſſa autem extrinſecus late etiam patens vice amnis circumfluebat, Aldo teſte, videndus Oroſ.lib.2.c.6. Q.Curtius lib.5.& Euſeb.de præparat.Euang. lib.9.cap.4.in fin.ex Abydeno vetuſtiſſimo auctore. Sunt in ea vrbe horti penſiles, qui in figura quadrata, quorum latus quodlibet quaternum eſt iugerum. Hi fornicibus continentur, ſeſe in forcipis modum intercidentibus, ſitis ſuper pilis, in aleatoriarum tabellarũ formam, aliis ſuper alias poſitis. Pilæ concauæ ſunt, & terra plenæ, vt arbores maximas conſitas recipere poſſint, ex lapide coctili, & bitumine ſtructæ, tam ipſæ, quam fornices & fornicum interſectiones: ſupremum tabularum aſcenſus ſcalares habet, & cochleas ipſis adiacentes, per quos continue aqua ex Euphrate in hortos afferebatur ab hominibus ad hoc ipſum conſtitutis. Nam flumen mediam vrbem interluit; eius latitudo ſtadium occupat. Horti ſuper flumine ſunt. Strabo lib. 16. in princip.

PH. Si inter miracula ideo Babylon adnumeratur, quod tanto murorum ambitu muniretur; licebit & nobis Niniuem adiicere ei numero. Diodorus enim (cũ Ninam vrbem vocet, quæ à Nino Beli filio condita eſt, & quam ſanctus Auguſtin. de ciuit.Dei lib.16.c.3. Niniuem dicit) tradit nullam poſtea vrbem tanto ambitu, tantaque magnitudine extructam. Altitudo enim murorum fuit pedum centum, latitudo, quæ tres currus iunctos caperet, ambitus quadringentorum octoginta ſtadiorum, facie quadranguli; turres in muris mille & quingentæ, centum altæ pedibus, vti etiam recenſuit Viues eo loco ad ſanctum Auguſtinum. Quin etiam Echatanis in Media vrbs etiam hoc Babylonis, & Niniuæ miraculum ſuperaſſe videtur: quandoquidem Arphaxad Medorum Rex eam ita ſtruxerat ex lapidibus quadratis & ſectis, vt muri eius aſſurgerent ad cubitos ſeptuaginta: quæ longe maior altitudo eſt, quam pedum centum: latitudo autem erat cubitorum triginta, quæ longe maior eſt, quam vt quatuor ſexve currus excipiat. Et quod valde memorabile eſt, turres circumquaq; ordine extructæ centum cubitorum altitudinem æquabant, quæ longe maior eſt, quam pedum centum, vt Iudith liber explicat cap.1. Sed non conſtat, eius vrbis amplitudo quanta fuerit, cum Niniuem ampliſſimam fuiſſe compertum ſit. Verum cum duas Niniues eſſe ex Ptolemęo ibi memoret, alteram ſcilicet Iudææ proxime Arabiam, videtur hęc poſterior fuiſſe illa, quam ſacræ literę appellant ciuitatem magnam trium dierum: vt ſcilicet trium dierum itinere circumiri poſſet, ex B.Hieronymi interpretatione.

Niniue.

TH. Nicolaus de Lyra ad cap.3 Ionæ memorat ex S.Hieronymo, ambitum eius fuiſſe leucarum duarum & triginta, quod ſane in idem recidit, vt tribus diebus circumiri poſſet.

EQ. Verum, vt adhuc de Babylone aliquid agamus, de turre eius, quæ etiam miraculi loco cenſenda eſt, libet differere. Eam à Nimbroth ædificatam legimus Gen.cap.11.eius altitudinem tametſi ſacris literis expreſſam non legerimus; tamen Iſidorus lib.15.c.1. ex Hebræorum ſcriptis memorat, altitudine turrim illam ſurrexiſſe vſq; ad quinque millia, centum ſeptuaginta quatuor paſſus. Sed D.Hieronymus ſuper Eſaiam ad cap.14.ad illa verba: *Et conſurgam*, &c. hæc habet: *Babylonis arx,*

Turris Babylonica.

nis arx, id eſt, Capitolium eius vrbis, eſt turris, quæ in altitudine quatuor millia dicitur tenere paſſuum, paulatim de lato in anguſtias coarctata, vt pondus imminens facilius à latioribus ſuſtentetur. Deſcribunt ibi templa marmorea, aureas ſtatuas, plateas lapidibus auroque fulgentes, & multa alia, quæ pene videantur incredibilia. Hæc ille. Sed de Babylone hactenus.

TH. Vt vrbium ſequamur memorabilia, admiramur, cum audimus Niniuem trium dierum vrbem; at nihilominus, qui hodie Indiam perluſtrarunt, referunt in Sinarum regione, quæ totius orbis ampliſſima cenſetur, Paquin Regiam Vrbem adeo late patere, vt ſeptem dierum interuallo recta pertranſiri non poſſit, cum præterea munita ſit tribus ambientibus muris. Quidquid ad alimenta Regi neceſſarium eſt, infra hunc ambitum naſcitur. Vrbe Rex nunquam egreditur: aſſiſtunt illi quingēti Gygantes, non minores pedibus quindecim Flumine tota vrbs alluitur, ex informatione Ieſuitarum, de rebus Sinarum tom. 2. Melchior Nugnez Ieſuita ſcribens ex Malacca.

PH. Ego quidem hanc amplitudinem admiror, ſed diffuſam fuiſſe vrbem putarim: quanquã enim diſperſiſſima ſit vrbs, non tamen miraculo carent muri, qui ſi ratione Geometrica, qua triplo longior eſt circulus recta linea, fateri oportebit viginti dierum interuallo circumiri hanc Indicam vrbem non poſſe.

Indici populi frequentiſſimi ſunt præ totius orbis omnibus. Marcus enim Polus Indic. rerum lib. 2 cap. 68. tradit, Quinſai vrbem in Magni Cham ditione centum paſſuum millium ambitum tunc fuiſſe complexam, atque in ea numerata foculorum mille ac ſexcenta millia, vt ſi quinque, ſiue mares, ſiue fœminæ per ſingulos foculos adnumerentur, vna illa vrbs octuagies decies centena hominum millia continuiſſe viſa fuerit. Verum cum omnium rerum viciſſitudo ſemper fuerit, poſt ducentos à Marco Polo annos, cum eo profectus fuiſſet Nicolaus de Comitibus, comperit adeo inſignem vrbem iam diu antea excidiũ paſſam, ac nihilominus adhuc inſtauratam, atque ad triginta paſſuum millium ambitum fuiſſe redactam. Id ipſe Nicolaus memorat in itinerario Indico apud Ramuſium tomo 1. In ea numeratos pontes ad duodecim millia, qui tantæ erant amplitudinis, vt onerarias naues admitterent, Polus eodem loco teſtatur, & Ortellius in Tartaria: Viam autem eius vrbis primariam protendi latitudine 40. paſſuum lõgitudine ad 38. millia paſſuum extendi Polus ait, ſcribitq; quaqua verſus reliquas extra vrbem vias proſtratas pluribus menſib. non permeari; nam 8. menſib. etiam Odericus poſterior tradidit. Adiicit quoq; Polus, ibi plateas eſſe ambitu ſingulas bis mille paſſuum. Adiiciunt recentiores, qui paucis ante abhinc annis ea loca luſtrarunt, vrbem Suntiam, ipſa eſt, quæ & Quinſai, eſſe ambitu ſupra centum paſſuum millia, neq; ab ingreſſu ad egreſſum recta linea obequitando peruenire vna die poſſe: ſuntq; ibi hinc, & inde ſuburbia eandem longitudinis dimẽſionem complectentia; vt ita ab initio ſuburbiorum vſque ad extrema alia ſuburbia transmittenda tridui iter ſit opus: atque ita fit, vt ambitus ad extrema ſuburbiorum eſſe videatur fere ad trecenta paſſuum millia. Incolarum eius tantus eſt numerus, vt ad pugnam idonei numerari poſſint vſque ad ducenta millia: quandoquidem trecenta domorum millia cõſcripta ſunt. Reb. Sin. lib. 1. cap. 8. lib. 3. c. 2. p. 2. c. 23. Adiiciunt alii in Iapone vrbem eſſe Vohacam ſane memorabilem, quod longa ſit ad quatuor paſſuum millia, habeatq; proximas ingentes turres & latitudine, & altitudine vndique conſpicuas, quod earum tecta inaurata ſint. Ludouices Froes Ieſuita in literis anno Domini 1586. Quod ſi

libet

libet orbis noui, aut Indiarum, aut extra Europam pleraſq; admirandas vrbes audire, facile mihi ſuppetent, ac breuibus recolam. Eſt Amaguci in eodem Iapone centum millia foculorum continens, vt Franciſcus Xauerius teſtatus eſt ſuis literis anno Domini 1553. Eadem quoque Inſula Meacus vrbs eſt, quæ memoratur centum octoginta millia foculariorum habuiſſe, eodem Xauerio teſte; habere autem adhuc centum millia conſtat. In eadem Inſula eſt Oſacci vrbs Reipublicæ ritum ſeruans, velut in Italia Veneti. Admiranda ibi eſt opulentia, numerati ſunt mille ciues, quibus non minores ſunt opes triginta millib. aureorum, ſupra autem ſunt plurimi: tanto faſtu educantur omnes, vt quiſq; Ciuis paterfamilias, ſiue viri, ſiue fœminæ, Reges aut Reginæ nuncupētur, filii Principes, vt Ferdinandus Mendez ſcripſit anno Domini 1554. Propterea ſi Conſtantius Conſtantini Magni filius, qui ſolebat, cum Romæ eſſet, dicere, tot ſe Reges videre, quot Ciues, in ea vrbe fuiſſet, verius id dixiſſet, quam Romæ, vbi nihil tale profitentur Ciues faſtuoſum, ſed omnibus rebus moderatione vtuntur. Sed ideo id dictitabat Conſtantius, quia iam longe ante ipſum Cyneas Pyrrhi Legatus, cum Romæ eſſet, id dixerat, vt Platina memorat in Felice II.

Odia autem Regia vrbs Indica Orientalis Sornai Regno Venetiarum in Italia vrbi & amplitudine & ſitu coæquāda eſt: tota enim in aquis exædificata per omnes vicos aquis adnauigatur; ſed illud valde eſt admirandum, numerari ibi plura, quam ducenta cymbarum millia, quæ ſex milliaria in latiſſime patente, & vrbem alluente flumine occupant, omnibusq; tranſitum impediunt. Ferdinandus Mendez anno Domini 1554.

Sunt & aliæ in aquis exædificatæ vrbes in Oriente: nā in Burnei Inſula, cognominem vrbem eſſe ferunt ligneam totam præter Regiam, quæ ſola lapidea eſt, in imo mari fixis ſtipitibus ſtruunt domos. Vici patent adeo, vt per ſingulos venalis annona cymbis deferatur: ſunt autem viginti quinque domorum millia à Mauris culta, vt Antonius Pigafetta teſtatur. Eſt & Lao vrbs in eadem Inſula, illa quidem amplior, eadem ſtructura, in vndis exædificata, atque ab Ethnicis colitur, eodem Pigafetta teſte. Eſt in eodem Orientis Indico tractu alia vrbs, cui nomen Vguiu, adeo autem proximis ædificiis abundat, ſuburbiisq;, oppidis & villis, vt toto biduo inter ædificia ſemper eatur, & vnam vrbem omnia huiusmodi ædificia complecti putentur. Polus lib. 2. cap. 73.

Quin & Ceuſcala duplo Venetiis amplior eſſe putatur, vt Odericus tradit lib. 1. Zaiton quoq; vrbs duplo Bononia in Italia amplior eſſe perhibetur: ibi in vnico cœnobio Idololatrarum numerata ſunt tria Monachorum millia. Extabant quoque vndecim ingentium Idolorum millia, quorum minimum hominis altitudinē ſuperabat. Oderic. lib. 1. & poſterior Odericus poſt princ. Sed & Fluxo, quæ in eodem Indico tractu iacet, ampliſſima eſt, patet etenim ambitu ad paſſuum millia triginta, vt Odericus lib. 1. tradit. At alia vrbs, cui Chileraphe nomen eſt, ambitum quadraginta paſſuum millium habet, atq; in ea lapidei pontes numerantur ad trecentos ſeptuaginta eximie ædificati, eodem Oderico teſte lib. 1. Adiicit autem Odericus poſterior, eſſe vrbem aliam Regiam, cui nomen Teſcol in Māgi prouincia, Venetiis triplo maiorē, in qua vna tot nauigia conſpiciuntur in vſu haberi per fluuium, quo alluitur, quanta omni in Italia, tum mari, tum mediterraneis fluminib. lacisve reperiri queant. At Cambalu Magni Cham Regia vrbs bipartita eſt. Pars altera ambitu protenditur ad paſſuum viginti quatuor millia, altera proxime ad

quadraginta millia. Vnicus autem murus vtramq; vrbem cingit, qui protenditur ad centum paſſuum millia. Atq; hæc quidem in Aſia etiam veteribus cognita. Ac memorant noſtro ſæculo, qui eo penetrarunt, præter has ingentes vrbes inuentam vrbem Chinchieu domorum ſeptuaginta millia continentem. Reb. Sinar. p. 2. c. 16. Megoa quoq; vrbs 40. domorum millia continens etiã inuenta memoratur. Reb. Sinar. p. 2. c. 21. Sed & vrbs Lanchin ab ingreſſu ad egreſſum tanta reperta eſt longitudine, vt recta linea toto triduo pertranſiri non poſſit; eius ambitus porrigi fertur ad leucas ſeptuaginta, id eſt, ad Italica milliaria 280. Reb. Sinar. p. 2. c. 23. At in orbe nouo noſtro hoc ſæculo comperta non ſine admiratione multa de vrbibus recoluntur. Nam qui illum luſtrarunt, affirmant, Mexicum vrbem centum viginti magnarum ædium habuiſſe; augerique admirationem, quod tota in paluſtri aqua fuerit exædificata: abeſt enim à continenti, quã proxime, octo millibus paſſuum, cum eius ambitus ſit ad duodecim millia paſſuum. Referuntque in ea tantæ magnitudinis templum fuiſſe compertum, vt quingentæ domus in eo extrui potuerint: in ambitu habere turres quadringentas præaltas, quadrangulares, centum quinquaginta paſſuum ambitu: itur in ſummum vsq; verticem percommode, primum quidem gradibus centum triginta per gyrum: deinde exurgunt à vertice duæ aliæ turres, ſingulæ altitudine pedum ſexaginta, vt recolit Corteſius in ſecunda relatione; & Corteſii alumnus de rebus Temiſtitan. In eam vrbem, cum lacus ſalſam ferat aquam è continenti, canalibus in ſuperficie laci locatis, potabilis plurima aqua deducitur. Corteſius eadem ſecunda relatione. Nec vnam tantum vrbem continet is lacus, ſed alias plures, vt alumnus Corteſii eodem loco tradit. Sunt in eadem Mexico horti porticibus ex Iaſpide lapide confectis exornati, eximioque artificio compoſiti. Eadem relatione Corteſii. Et quod valde libet adnotare, in eodem nouo orbe in prouincia Tapalam altera tantæ amplitudinis vrbs comperta eſt, quæ Mexico prorſus comparetur, vt Petrus Aluaradus ſcribit. In Peruaco autem eiusdem orbis Pachalchami vrbs Roma maior comperta eſt. De reb. Peruaci incertus auctor apud Ramuſium tom. 3. Sed & Cuſcum Regia vrbs in Peruaco, cuius muri amplitudine ſunt admirabili confecti ex grandibus lapidibus, quandoquidem quadrangulari forma ſunt, per ſingula latera pedes triginta, quandoque viginti, ad minus quindecim, vt idem incertus auctor tradit. Eſt in eodem orbe Taſcaltecal, in qua quadringentæ turres numeratæ ſunt, vt in eadem relatione memorat Corteſius.

Sed omnium rerum viciſſitudo eſt. Cum etenim Corteſius toti orbi nouo Caroli Quinti Imperatoris nomine præſideret, ob ſeditionem illam tantam vrbem Mexicum igne conſumpſit; at poſtea anguſtiſſime reſtaurari curauit, exædificato Regio palatio adeo magno ſumptu & amplitudine, vt cum ipſi, Senatuiq; vniuerſo, ac Præfectis prouinciarum pluribus percommoda hoſpitia darentur, quidquid eius palatii ſupereſſet habitabile, ad ſeptem ducatorum millia locaretur inquilinis, vti memorat Surius in Comment. anno Domini 1558. At quanquam ſint hæc memoratu perdigna, admirari tamen etiam libet, quanta eius vrbis adiacentis ſint oppida, quamq; ingens populorum frequentia, vt omnia fere orbis loca ſuperare numero hominum videri poſſint. Municipia enim prope vrbem quædam ſeptem, quædam quindecim, alia viginti, alia triginta, alia quinquaginta, alia ſexaginta, alia ſeptuaginta domorum millia obtinent. Adeo vero paucis annis tot baptizati ſunt in ea noui orbis plaga, vt alii ſepties dena cẽtena millia, alii quater decies dena centena

tena hominum millia in ſolo illo Mexicano Regno baptizata retulerint. Magna etenim in eo noui Orbis tractu eſt hominum copia, adeo vt in Inſula ſani D. Dominici quindecies centena hominum millia fuiſſe reperiantur, & quandoque in proceſſione centum millia hominum ſe Chriſtiano more cæciderint virgis. In archiuiis quoque Caroli Cæſaris lectum eſt, vnum quendam Sacerdotem ſepties centena hominum millia baptizaſſe, alium trecenta millia, alium centum millia. Accedit iis, quod ſolo in Mexico referunt multi ſumma fide digniſſimi, triginta fuiſſe Dynaſtas, quorum quilibet habuerunt ſub ſe centum millia hominum, aut circiter, & tria millia Toparcarum, qui & alios ſub ſe haberent clientes fiduciarios, ac beneficiarios Vaſſalos, Valuaſores & Valuaſinos. Qui Dynaſtæ certa anni parte familiam ſuam alebant in Ciuitate Mexicana curia Regis Montezumæ, & ex ea non licebat illis diſcedere ad ſuas prouincias, niſi Regis permiſſu, ac relictis ſiue filiis, ſiue fratribus ſuis in ciuitate obſidum loco: & quod dictu horrendum eſt, mille plerunque homines vno die in ciuitate Mexicana dæmonibus immolabantur, quę execranda abominatio inuicta Chriſti fide ſublata eſt. Hæc à Surii commentario anno Domini 1558. Propterea quæ de Roma memorantur, cum floreret in priſco illo Ethniciſmo ſub Conſulibus ac primis Imperatoribus, ſunt equidem admiranda, ſed quæ diximus, minuunt valde admirationem. De eius amplitudine ſic habet Plinius lib. 3 cap 5. *Vrbem tres partes habentem Romulus reliquit, aut (vt pluribus tradentibus credamus) quatuor mœnia eius collegere ambitu Imperatoribus, Cenſoribusque Veſpaſianis, anno conditæ vrbis octingenteſimo vigeſimo octauo paſſus tredecies mille ducentos, complexa montes ſeptem ipſa. Diuiditur in regiones 14. compita earum ducenta ſexaginta quinque, paſſuum eiusdem ſpatii menſura currenti à milliario in capite Romani fori ſtatuto ad ſingulas portas, quæ ſunt hodie numero 37. ita vt 12. portæ ſemel numerentur, prætereanturque ex veteribus 7. quæ eſſe deſierunt. Efficit paſſus per directum trigeſies mille ſeptingentos ſexaginta quinque. Ad extrema vero tectorum cum caſtris Prætoriis ab eodem milliario per vicos omnium viarum menſura colligit paulo amplius ſeptuaginta millia paſſuum. Quod ſi quis altitudinem tectorum addat, dignam profecto æſtimationem concipiat, fateaturque nullius vrbis magnitudinem in toto Orbe potuiſſe ei comparari. Clauditur ab oriente aggere Tarquinii Superbi inter prima opere mirabili; namque eum muris æquarunt, qua maxime patebat aditu plano. Cæterum munita erat præcelſis muris, aut abruptis montibus, niſi quod expatiantia tecta multas addidere vrbes in prima regione.* Hæc Plinius. Quibus perſuaſum nobis videri poteſt, venientibus Romam ædificia ac tecta reliqua vrbi adiacentia cœpiſſe videri, imo cœpiſſe eſſe Ocricoli oppido, quod hodie ab vrbe diſtat triginta, & eo amplius paſſuum millibus, continuisque ædificiorum ſtructuris hoc omne, quod ſupereſt, vsque Romam viæ hinc inde ornabatur, adeo vt qui paululum eius viæ ab Ocricolo confeciſſet, iam ſe Romam ingreſſum putaret, vt recolit Leander. Ideoque, quod Vopiſcus habet, Aurelianum Imperatorem ampliaſſe vrbis Romæ muros ad quinquaginta fere millia paſſuum, quod & Caſſiodorus habet in Chronico, & Oroſ. lib. 7. c. 23. non ita accipiendum eſt, vt omnia ædificia hoc ambitu continerentur, ſed tantummodo ipſius vrbis mœnia montesque eius ſeptem; at ſuburbia tectaque reliqua extra vrbem ad eam dimenſionem, quam diximus ex Plinio, porrigebantur. Quod igitur Plinius ait, expatiantia tecta multas addidiſſe vrbes, argumento eſt, omnem circumcirca regionem ædificiis ita cultam, vt Romæ adeſſe quisque videretur, etiam longe abſens; id manifeſtum facit Conſtantius Imperator, & alii, vt ex Ammiano memorat Leander. Veniens Romam Conſtantius itineris

1000. homines vno die dæmonibus immolati.

Roma.

neris comitem ſibi adhibuerat Hormisdam peritiſſimum Architectum genere Perſam: Ocricolo igitur diſcedens ſuis præcepit Conſtantius, ne quiſquam Hormisdæ Romæ initium ſignificet, ſed ſuo ille iudicio animaduertat. Suburbiorum itaq; parte maxima transacta, Hormisdam interrogat Imperator, quid ſibi de vrbe Roma videatur, & quantum iam itineris in ipſam confectum conficiendumve eſſet? Reſpondit Perſa, putare iam vrbis dimidium inambulaſſe, adeo ſplendida continuaq; iam ex Ocricolo ſuburbiorum ædificia ſemper fuerant ſpectata. Qui igitur nondum in vrbem peruenerat, iam ſe in vrbe eſſe putabat, quum multis adhuc abeſſet paſſuum millibus. Ex Ocricolo igitur ſuburbiorum erant initia; quod & Claudianus ſubindicat in 6. Honorii Conſulatu, vbi prætérita Narnia ſic habet:

Inde ſalutato libatis Tybride lymphis
Excipiunt arcus, operoſaque ſemita vaſtis
Molibus, & quidquid tantæ præmittitur vrbi.

Dionyſius quoque lib. 4. ſuffragatur his verbis: *Sunt omnia* (inquit) *circa vrbem habitata loca, multa ea & magna, facilimaque aduenientibus hoſtibus fieri obnoxia, ſique aliquis ad hæc ſpectans velit Romæ magnitudinem exquirere, is & errare cogetur, nec habebit ſignum vllum certum, quouſque ſit hæc vrbs progreſſa, aut vnde eſſe non amplius vrbs incipiat, ita vrbi contexta eſt regio, præbetque ſpectantibus opinionem extenſæ in infinitum vrbis.* Ariſtides quoque ſic ait: *Deſcendit hæc vrbs vſque ad mare, vbi commune Emporium, communisque omnium, quæ terra eueniunt, diſpenſatio, quacunque in parte eius vrbis conſtiterit quis, nihil prohibet, quo minus ſit pariter in medio: quidquid nunc Italiæ reſtat, completura eſſe mihi videtur, vnaque futura vrbs perpetua in Ionium mare protenſa.* Hæc ille. Recolit eadem Antonius Maſſa Galeſius I. C. apprime doctus libello de Origine Faliſcorum. Addere libet, quo magis miremur, & vt Plinium ſeniorem recte ſcripſiſſe teſtemur, ad ſeptuaginta millia paſſuum Romam protenſam fuiſſe, non modo vſque ad mare ipſam perueniſſe, verum etiam ipſum littus Oſtienſe ad multa paſſuum millia perpetuis propemodum ædificiis ornatum ſpectabatur: referam in id verba iunioris Plinii ex Epiſtola ad Gallum lib. 2. *Littus* (inquit) *ornant varietate grauiſſima nunc continua, nunc intermiſſa tecta villarum, quæ præſtant multarum vrbium faciem, ſiue ipſo mari, ſiue ipſo littore vtare.* Hæc ille: vt ita oporteat omnem Orbem admirari, tantam vrbem poſt Imperatores ceſſiſſe vni piſcatori Chriſti vicem gerenti, diutiusq; in ſucceſſoribus perſeueraſſe Pontificatum eius, quandoquidem iam millesimum ſexcenteſimumq; annum Chriſti Imperium eo loco manet, manebitq; in æternum.

Senatus Romanus. Quanta autem eius vrbis tum maieſtas eſſet, vel inde patet, quod mille Senatores eſſe conſueuerant, licet plerique abortiui, ſed horum immodicum numerum correxit Auguſtus, cuilibet cenſu annuo aureorum triginta millium adſcripto, vt Suetonius memorat in reformatione Senatus Octauii, & recolit Budæus de Aſſ. lib. 2. qui li. 5. adiicit, cum Senatoribus cenſus adſcriptus eſſet ſingulis ad quingenta ſeſtertia annua, paupertati tolerandæ id erogari conſueuiſſe, vt ita duodecim millium cenſus Senatorius paupertatis nomen non amitteret, cum hodie in Senatu ſacro, qui duodecim huiusmodi millium aureorum cenſum habuerit, inter diuites conſcribatur, præter id, quod longe maioris æſtimationis erant Romanorum tempore illa duodecim, quam hodie triginta, adeo aureorum valor eſt immutatus. Attamen etiam Adriani tempore, cum is aliquando centum Cellas vrbem veterem ſcilicet refocillandi animi cauſa diuerteret, (vt auctor eſt Cæcilius) Cellas centum Iudicibus, vt ſe ibi præſente cauſas audirent, extruxit, quæ poſtea in vrbis iuſtæ formam

mam cum creuiſſent, Saraceni Bernardi Regis tempore (fuit autem hic magni Caroli nepos, qui Italiam, Longobardis pulſis, obtinebat) diruerunt. Hic D. Auguſt. de Trinitate libros compoſuiſſe dicitur, Egnatius in ſcholio ad Commodum. Ideo autem diximus Centum cellas vrbem veterem, vt moneamur Centum cellas in Baiano quoque ſinu repertas, de quibus Leander in Campania. Ciuium Romanorum copiam tradidere plerisque in iis Euſebius Chronico ſub Claudio, & Freculfus, & alii, comperta fuiſſe aliquando ad 69. centena 163. millia, & eo amplius, quanquam nonnullis videatur, non ita ciues conſcriptos, qui Romæ degerent, ſed qui per Orbem Romani ciuis nomine decorarentur. S. Anton. 2. tit. 6. capite 22. 23. Quin & vt Polybius ſcribit, in publicis Capitolinis tabulis fuiſſe deſcripta ex omni Italia ſeptingenta peditum millia, ac equitum millia ducenta. Sed quod nuſquam ab Orbe condito contigit, erant ciuium Romanorum opes tantæ, vt diues non putaretur, qui annuo redditu ſuis ſumptibus legionem alere non poſſet, fuiſſeque eiusmodi plurimos vel inde conſtat, quod Lucullus Romanus ciuis (quem Cicero & Cæſar Xerxem togatum appellabant, vt Plinius & Blondus memorant) ad viginti quinque hominum millia honorificentiſſime hoſpitio excipere poterat, nec tamen ipſe ſolus id potuit in vrbe Roma, quandoquidem viginti ciuium millia, & eo amplius in ipſa vrbe comperta memorantur, qui cum Lucullo de diuitiis contendere potuiſſent, vt ex vetuſtis monumentis ſolo argumento hoc Franciſcus Albertinus affirmabat Pontifici Romano Iulio II. omnibus, qui Orbem incolunt, Regibus perſuaderi potuiſſe, nullam vnquam vrbem fuiſſe futuramve, quæ Romæ diuitiis æquari poſſet. Vt autem veriſimile id videatur, ſuadet quod Suetonius meminit, Cæſarem Campum Stellatem maioribus conſecratum, agrumque Campanum ad ſubſidia Reip. vectigalem relictum diuiſiſſe extra ſortem viginti millibus ciuium, quibus terni pluresque liberi eſſent, quod munus tanti fecerunt ciues illi, qui acceperunt, vt tanquam vna ſodalitas inde effecti, pro communi omnibus elogio ac titulo in monumentis ſe ſinguli Stellates inſcripſerint, vt memorat Blondus, qui adiicit, intra vrbem ciues illos omnes fuiſſe conſcriptos, fuiſſeq; non ſolum viginti, ſed multo plura ciuium millia tum Romæ, qui ædium, ſupellectilis, familiæ & apparatus omnis ſplendore lautitiaq; eminerent. Quantus autem ille Stellates campus eſſet, deprehendere licet à Liuii dec. 1. lib. 3. lib. 9. & 10. & dec. 3. lib. 3. Quod ſi forte ambigamus, non viginti millia, ſed duo millia ciuium Romanorum tantæ opulentiæ extitiſſe, adhuc incredibile videri poteſt, & longe admirandum, vt ſi animis concordaſſent, potuiſſent milliones multas militum conſcribere, ſi vnicam tantum legionem quisq; eorum aluiſſet. Erant autem Romæ innumeri valde diuites, ſed in eorum diuitum, quos diximus, numerum non referebantur, ac prætermiſſis reliquis ſint nobis exemplo duo Plinii viri doctiſſimi & diuitiis etiam affluentes. Senior enim præter id, quod Romanam claſſem Imperio regebat, pecuniæ plurimum poſſedit, idq; inde deprehendimus, quod cum procuraret in Hiſpania, vendere potuerit electorum commentarios Largo Licinio quadringentis millibus nummum; reſpuiſſe autem tam magnum pretium conſtat ob id, quod ſibi afflueret pecunia. Scripſit hoc nepos Plinius ad Marcum lib. 3. Alter igitur hic iunior Plinius ditior certe fuit ſeniore auunculo: at opes eius in eum, quem diximus, ditiſſimorum hominum numerum referri non poterant. Quantum autem pecuniarum illi afflueret, munificentia demonſtrat, qua ille non ſecus inſignis fuit, quam ſint noſtri temporis ſummi Principes. Nam Quintiliani filiæ nuben-

Opes Romanorum.

nubenti non rogatus, vltroque contulit quinquaginta millia nummûm, idq; munuſculum nuncupat ſcribens ad ipſum Quintilianum lib.6. Romano quoque Firmo ſibi ab adoleſcentia cognito, vt in Equeſtrem ordinem cooptari ille poſſet, dono dedit trecenta millia, extat Epiſt. lib.1. ad ipſum Romanum. Caluiniæ præterea affini centum millia dotis nomine largitus eſt, Epiſt. lib.2. ad ipſam Caluiniam. Suo quoque municipi Metilio Criſpo, vt ad Equeſtrem ordinem, in quem conſcribebatur, ſeſe inſtrueret, dono dedit quadraginta millia, Epiſt. ad Hiſpanum libro 6. Ad alendos ingenuos pueros quingenta millia contulit, triginta ſcilicet millia annua. Epiſt. ad Caninium libro 7. At quantus fuerit alias in res pro opportunitate abſumptarum pecuniarum numerus minore ſumma, quarum nulla in ſcriptis memoria? quantum quotidie, non dico in domeſtico ſumptu, in amicos, neceſſarios calamitoſos quoque profuderit? illæ, quas diximus, ingentes erogationes nos docent, quantum minoribus erogare potuerit. Animaduertimus igitur liquido, num ſummi noſtri ſeculi Principes illius munificentiam ſuperent. Erant certe illi villæ tanto ornatu & ſumptu excultæ, vt Regiam Maieſtatem adæquarint. Tuſci ſui villa ſcilicet apud Tifernates, ſicut & Laurentini in littore Tyrrheni maris, de quibus ſcripſit ſuis epiſtolis diſertiſſime, Regum magnificentiam adæquabant: habuit præterea plures villas in ripis Laci Larii, habuit Præneſtinam, Tuſculanam ac Tyburtinam ſplendidas omnes, habuit & alias, quarum vnam vendere potuit nongentis millibus; ipſe id memorat Epiſtolis ad Fabatum & ad Coreliam lib.3. Quid moror? additamentum villæ vnius illi fuit emptum ſeſtertio tricies, id eſt, octoginta fere millibus aureorum, Epiſt. ad Caluiſium Ruffum lib.3. Sed cur adeo multa de iuniore Plinio? ob id certe, quod quidquid confert ad eius gloriam, recidit ad Chriſtianorum laudem. Deus enim cœli & terræ Dominus contulit homini viuenti, velut rependens gratiam humanarum rerum, quod apud Traianum Imperatorem ſuis ex Aſia literis egerit, vt perſecutio Chriſtianorum intermitteretur, quod exorauit, editis in id à Traiano publicis literis, cum ipſe Plinius iam pridem, quod ad ſe ſpectaret, abſtinuiſſet perſecutione Chriſtianorum, quorum inſtitutum potius laudaret; extant enim & ipſius Plinii & Traiani literæ lib.10. Æquum igitur fuit, vt tanti hominis acta hoc loco recenſerentur. Libet præterea & de Seneca S. Apoſtoli familiari recolere, ter millies ſeſtertium habuiſſe, Tacito & Budæo teſtibus; atque ita ſupra ſeptem milliones poſſedit, quod recolit Dinothus, & iam alias diſſeruimus. Et eæ quoque Senecæ opes non conſcribuntur inter eas, quas ſupra diximus, ſicut nec aliorum plurium, de quibus egimus in Metallis. Sed de hac re hactenus. Excedebat igitur Romana Maieſtas omnem Orbem, iureque, vt iam diximus, Cyneas Pyrrhi Epirotarum Regis Legatus, & Conſtantius Imperator Conſtantini Magni filius dictitabant, ſeſe in vrbe tot proſpectare Reges, quot ciues viderent. Externæ autem vrbes, quarum meminimus, non adeo ex omni parte Romæ comparandæ ſunt, licet aliquo nomine ei præferantur, vel ambitu, vel ciuium numero, vel populorum adiacentium illa incredibili multitudine, quam apud Mexicum eſſe recoluimus.

TH. Dum ea, quæ de Mexicanis populis diximus, audio aut lego recens ſcripta, vlterius deſino admirari, quæ olim admirabar de Indis orientalibus, atque aliis ſummis Regibus. Legeram enim innumeram multitudinem eos in bellum educere. Solinus enim cap.53. meminit, Polymbrotæ vrbis Indiæ Regem in Praſia, olim validiſſima gente, ſexcenta millia peditum, equitumque triginta millia, elephantorum

rum octo millia omnibus diebus ad ſtipendium vocaſſe. Quod & Plinius quoque memorat lib.6.c.19. quo loco etiam tradit, in regione Partali Indica Regi centum ſeptuaginta millia peditum, equites mille, Elephantos ſeptingentos pro excubiis fuiſſe. Sed & Æthyopiæ Reginam Candacem ducenta quinquaginta armatorum millia habere ſolitam, alere autem quadringenta artificum millia tradit idem Plin. lib.6.c.29. Hæc admirari non licet, cum audimus noui Orbis incredibilem multitudinem.

EQ. Certe tum Oriens, tum Meridies, atque Orbis nouus Europam ſuperare videntur in exercituum numeroſitate militum, ſed neſcio an virtute. Hoc enim illis & Aſiaticis in more poſitum eſt, vt pro quacunq; re leui dedignati omnium virium fere ſuarum periculum ſubeant; ſitque nobis exemplo Darius, qui aduerſus Scythas pro leuiſſima re ſeptingenta militum millia conſcripſit, vt Oroſius memorat lib.8.c.8. Sultanus quoque Babylonicus, cum Gregorio Pontifice IX. aduerſus Tartaros totis collectis viribus leui ex cauſa irrumperet, deuictus ab iis eſt ob ſummam ſocordiam, nil metuens, hoſtem contemnens, profligatoq; innumerabili exercitu, præda omnis ad victorem Tartarum ceſſit. Colligimus autem innumerabiles eius copias ab ipſa præda: comperta enim fuere quadraginta millia curruum loricis & armis onuſtorum, & quadraginta haſtarum millia, quarum cuſpides auro, non ferro prominebant, vt faſtus ſemper apud huiusmodi barbaras gentes virtute maior extiterit. Fuerant in eodem exercitu ſcalæ prorſus aureæ & argenteæ, vt memorat ex eius auctoribus S. Antoninus p.3. tit.19.c.8.§.15. Europa autem fere ſemper conſilio virtuteque pugnaſſe comperta eſt ab vrbe condita. At ante conditam vrbem ſubſtrata videbatur, præſertim Italia occupanti cuilibet. Nam & ii, qui vltra Gades tum inhabitabant, omnem Hetruriæ oram ſubegerant, Platone ex Athenienſium annalibus id affirmante. Reliquum Italiæ, quod valde illuſtre eſſe videbatur, in Magna Græcia bella magis faſtu, quam virtute geſſere. Id perſpicuum fuit in Sybaritanis aduerſus Crotoniatas bellum gerentibus, de quibus alias opportune diximus, illos trecentorum millium militum tum peditum, tum equitum exercitum comparaſſe, faſtuq; ac mollitie detentos, quod equos ſaltationi exercitatos modulatione tibiarum alerent, in congreſſu cum Crotoniatis prima fronte, audita modulatione conſueta, omiſſa pugna, ipſorum equi ſaltationem exercuerunt, atq; ita deuicti ſunt à Crotoniatis Sybaritæ faſtuoſiſſimi, vel illo antiquo adagio notati: *Sybaritæ per plateas.* Id recolit Diodorus lib. 12. & Aldus, & nos hoc loco velut opportune repetendum cenſuimus. At vbi Romulea ſuperuenit virtus, faſtus ceſſauit, propterea diuturnius regnat. Quod ſi diſciplina arsq; militaris non ſeruetur, fiunt illæ incredibiles numeroſiſſimæque ſtrages, qualis illa fuit, defuncto Vitellio quando quingenta hominum millia Romæ vna die cæſa ſunt, & ſub Probo Imperatore, quando trecenta Germanorum millia vno conflictu perempta ſunt, vt ſanctus Antoninus memorat tit.7.c.8. §.14. Aut qualis illa fuit ſub Aureliano Imperatore, quando quingenta hominum Aquilonarium barbarorum millia vna dimicatione cæſa ſunt, vt idem S. Antoninus recolit tit.7.c.8.§.13.

Quando autem militaris ars diſciplinaque exercitum regit ac ducit, quoniam conſilio prudentiæq; ſuus locus eſt, inde victoria poſtea conſequatur neceſſe eſt, & is hoſtis cadat, tametſi innumerabilis, qui impetu magis quam conſilio moueatur; propterea Athenienſium millia decem aduerſus Darium ſexcenta militum millia in fugam verterunt, vt Oroſius tradit lib. 2. c. 8. Et quod longe eſt admirabilius,

Leonidæ Spartani ſexcenti tantummodo maximę virtutis milites in ſexcenta Xerxis millia irrumpentes omnem huiuſmodi numeroſitatem diſpalarunt, vt Oroſius quoque refert lib.2.c.9.ibique in ſcholio etiam recenſetur id ipſum pluribus. Ambroſius quoque officiorum lib.1. c. 40. memorat, tria hominum millia protriuiſſe octo ſupra quadraginta millia, ex Machabæorum lib.1. At id plerumq; etiam accidit diuino nutu, (quod iam antea diximus) vt ſuperbientium ceruices deprimantur, velut contigit Gildo Comiti, cum omnem ſibi Africam per tyrannidem ſubigere adniteretur; Maſcexil eius germanus diuinæ opis ſtudioſiſſimus milite longe inferior, orationibus, ieiuniis, pſalmodiis, ac ſacroſancta munitus Euchariſtia in aduerſarium mouens, ac ſine cæde ſuorum ad fluuium Ardalium quinq; tantummodo militum millibus exercitum hoſtilem ſeptuaginta millium profligauit, eodem Oroſio teſte lib.7.c.36. *Cœlitus igitur, non numero militum, victoriæ cedunt:* ſæpe etenim illa numeroſitas belluina eſt, vt nihil interſit, habeas boum arietumve tot in exercitu millia, quales ſunt ruſticorum hominum opes. Erit ne bello potens is ruſticus, qui ſub ditione Babylonica Sultani illi obtulit ſeptemdecim equorum, camelorum boumque millia, quem & heredem inſtituit, vt Vinc.tradit hiſt.lib.30.c. 150. Anton.p.3.tit.19.c.8. §.15? Aut is fuerit bellator inſignis, qui in eadem ditione Babylonici Sultani compertus eſt poſſediſſe ſuo ſumptu, hordeoque domi pauiſſe decem arietum millia, pręter eos, qui in paſcuis degerent, ſimulq; decem equorum millia domeſticis præſepiis aluiſſe, præter eos, qui in paſcuis alerentur? Id compertum eſt anno Domini 1240. Vinc.hiſt.lib.30.c.143. Hodie quoq; in Orbe nouo inuenti ſunt noſtrates, qui ditati adeo pecoribus ſunt, vt octo millia boum alant. Ouet.in ſumm. Ind. c.2. Non alio igitur loco ſæpe habendi ſunt exercitus numeroſi, quam pecorum, ſi ars militaris abſit. Sed de his hactenus.

A Deo omnis victoria.

PH. Igitur non erit ſuſpiciendum nobis, quod inter Molucas viſus eſt exercitus continens decies centena militum millia iuxta Iauam, cuiuſmodi memorat Nicolaus de Comitibus in itinerario Indico ſub finem. Neque ſuſpiciemus Tamburlanem, licet validiſſimum bellatorem, equitum Tartarorum quadringenta, peditum ſexcenta millia ad ſubigendam Aſiam eduxiſſe, ac cum ignobilis homo eſſet, etiam Imperator decretus fuerit, vt Nauclerus tradit anno Domini 1400. & Baptiſta Fulgoſus & Petrus Hiſpalenſis in ſylua. Sicut & illud facile ceu verum admitti poteſt, quod M. Aurelius Imperator ad Senatum ſcribens ait, ſibi eunti in Germanos nongenta ſeptuaginta quinq; armatorum millia hoſtium obſtitiſſe, ſed profligatos omnes fuiſſe paruo negotio. Propterea facile in eam credulitatem adduci poſſumus, vt qui ibi apud Indos ſcilicet militiam non ſequuntur, ſint longe innumerabiles, vt in Sinarum regione, in Bandon prouincia; ibi etenim gymnaſia longe Pariſienſi maiora comperiri non diffitemur, vti atteſtatus eſt Ferdinandus Mendez ſcribens ex Malacca 1554. Quod certe vel inde deprehendere licet, quod in ipſa Sinarum regione octo carceratorum millia vnica in vrbe Regia Paquin incluſa memorantur, vt conſtat ex informatione rerum Sinarum apud Ieſuitas Tomo 2. Neq; id valde laborioſum eſt Magiſtratibus, quandoquidem quinque Senatorum millia in ea prouincia numerantur, vt Strabo recolit lib. 15. Nam homines, qui Sinarum Regi tributum pendunt, numerantur ad milliones ſex & triginta. reb.Sin.lib.3. c.3. at militum, qui illi militant, numerantur milliones quinq; peditum, equitum vero decies centena millia. reb.Sin.lib.3.c.6. Superant itaq; ii numerum non modo totius Europę, ſed & totius Turcici Imperii. reb.Sin.p.4.c.12. Hinc admi-

admirandam nouerimus eſſe hominis cuiusdam Iaponici inſaniam, qui hodie etiamnum viuit, illi nomen eſt Quabacondonus, qui à puero & adoleſcentia ligna aut cædebat, aut colligebat, humerisq; ſuis in vrbem deferebat, vendebat, eoq; lucro victum ſibi parabat; factus vir adeo ſtrenue arma exercuit, vt hodie regnet, exercitumq; educat militum quidem ſupra ducenta millia, cum impedimentis ſupra trecenta millia: hic igitur audet bellum Sinarum Regi inferre. Epiſtola Ieſuitarum 1591. 1592. Inſania igitur Quabacondonus laborat, nec audax dici poteſt, ſicut nec virtus in illo eſt, ſed temeritas, qualis olim fuit in Viriato Luſitano, licet huius etiam virtus alia enituerit, de quo ita Plinius iunior in viris illuſtribus: *Viriatus genere Luſitanus ob paupertatem primo mercenarius, deinde alacritate vector, audacia latro, ad poſtremum dux bellum aduerſus Romanos ſumpſit, eorumque Imperatorem Claudium Vnimanum, deinde C. Nigidium oppreſſit, pacem à Popilio maluit integer petere, quam victus, & cum alia dediſſet, & arma retinerentur, bellum renouauit. Cæpio cum vincere aliter non poſſet, duos ſatellites pecunia corrupit, qui Viriatum humi depoſitum perimerent; quæ victoria, quia empta erat, à Senatu non probata.* Hæc ille. Vt ita ſuppetant exempla ſummæ temeritatis latronum bella mouentium in ſummos Principes, Viriati huius inter veteres, & Quabacondoni inter noſtrates in Sinas omnium Principum potentiſſimos.

EQ. Credi certe illa tanta Sinarum potentia facile poteſt: nam in eadem India in Mangi prouincia mille atque ducentas vrbes inſignes diuitiis, artificiis ac populis eſſe Marcus Polus memorat lib. 2. c. 68. Adiicit Odericus eiusdem cum Polo ſeculi auctor, duo eſſe inſignium vrbium millia in Mangi prouincia, quarum nulla minor Vincentia vrbe Italiæ, quæ & ipſa inſignis eſt. Oder. lib. 1. & Oder. poſterior in princ.

PH. Solinus c. 53. admirabilius aliud addit, in India quinque eſſe oppidorum millia, quorum ſingula ad minus nouem hominum millia habeant. Idque tribuit cauſæ, quod ſoli Indi nunquam à natali ſolo receſſerint. Eadem Plinius lib. 6. c. 17. quod & Strabo cenſuit, quando lib. 15. tradit, Hypane & Hydaſpe regionem continere quinque millia oppidorum.

TH. Si admirari libet oppidorum multitudinem, id precipue nobis continget ex Pomponii Melæ lib. 1. Scribit enim, Amaſi in Ægypto regnante viginti vrbium millia numerata fuiſſe, quod & Herodot. tradit lib. 2. c. 12. Quin etiam recentiores tradunt, ob ſoli præcipuam fœcunditatem & hominum frequentiam adeo Ægyptum excultam eſſe, vt decem & octo millia inſigniorum vrbium in ea extructa adhuc numerentur. Surius id habet in commentario anno Dom. 1517.

EQ. Quarum Ægypti vrbium præcipua eſt Memphis, vulgatiori nomine dicta Alcayrum, olim Ægypti alia Babylon, & quanquam ampliſſimo Nilo diuidatur, non duæ, ſed vna tantum vrbs cenſetur. Feruntin vno Alcayro viginti vicorum millia contineri. Iouius vero hiſt. lib. 18. in princ. his verbis Memphim deſcribit: *Memphis* (inquit) *vaſto ambitu tres ingentes vrbes complectitur, ſed eæ raris inter ſe iunctæ ædificiis vnam efficiunt, quarum frequentiſſimam hodie nouum Cayrum appellant. Ea in longitudine ſex milliarium ſecundum Nilum amnem protenditur, & ab Nilo paſſus mille paribus ſemper interuallis diſtat; latitudo eius decem ſtadia non excedit.* Memphi æquandam in Thebaide Ptolemaicam meminit Strabo lib. 17. tantaque latitudine aut ambitu, quo & Memphis, putat.

PH. Atque ex iis, quæ commemorata ſunt, illud colligimus, mirari alios nu-

merum militum, alios amplitudinem vrbium, alios decorem & ornatum, alios ſitum ac poſitionem, vti de Mexico Orbis noui in aquis, atq; etiam de Venetiis in Italia omnes omnino conſcribunt & memorant; alii alia, veluti quod in Sinarum regionibus Cantaon omnium quidem minimam memorabilem vrbem eſſe dicunt, ac ampliorem Olyſſipone in Luſitania: verum eo nomine inſignem toto in Orbe fieri aiunt, quod ad exercendam iuſtitiam eius Rex alat centum millia miniſtrorum ac militum, tuendæ vbiq; ſecuritatis cauſa; deinde quilibet eius vrbis vici noctu portis occluduntur, ne ex vno in alterum tranſitus pateat, vt ita cohibeantur maleficia, quæ haud dubie non niſi à proximis committuntur. Eſſeq; in ea vrbe memorant plures, quam mille triumphales arcus eximie ædificatos, terq; quotannis agrum referre fructum ob aſſiduas irrigationes. Hæc Melchior Nugnez Ieſuita in literis inde miſſis. Alii admirantur alia, cuiuſmodi muros in Praſia Palymbrota vrbs eſt ampliſſima quidem, ſcilicet longitudine ad octoginta ſtadia in Gangis fluminis ripa, latitudine vero ad quindecim; quæ cum tanta amplitudine emineat, reliquis nihilominus ligneis cancellatisq; muris cincta eſt, Strabo lib. 15. Alii admirabuntur ſingularem ædificandæ vrbis nouitatem, cuiuſmodi in nauigatione, qua itur ab Ormutio Goam, non longe à Bazzain vrbs quædam patet tota in monte lapideo exciſa, & excauata, perinde ac cœlaturæ fiunt: viæ enim plures, domus, vici, plateæ, ciſternæque centum ad ciuium vſum; excauata enim hæc omnia ſunt, non autem extructa, vt ſic vna tota ciuitas vno è ſaxo conſtare videatur, tuta à ruinis, inundationibus ac terræ motibus ſimul, & incendiis. Gaſpar Ieſuita anno Dom. 1513. Megu etiam Indica vrbs palatia cum ingentibus aulis & ipſa ampliſſima habet excauato ſaxo, vt Oder. memorat lib. 1.

Oxirincum ciuitas religioſiſſima.

TH. Propterea Chriſtianum hominem non hæc admirari decet, quæ etiam impiis hominibus communia ſunt, ſed vrbis amplitudinem maieſtatemque metiri non à muris, ſed à moribus. Memini enim me aliquando legiſſe apud vitas ſanctorum Patrum parte priore, de Thebaidis vrbe quadam inſigni, cui nomen eſt Oxirincum, quæ multos ſanctos ciues, imo ad multa millia numeratos, velut vna domo continuit viros religioſiſſime viuentes, de qua quibus verbis loquatur auctor, libet hic recenſere: *Venimus* (inquit) *ad ciuitatem Thebaidis nomine Oxirincum, in qua tanta religionis deprehendimus bona, vt ea nemo digne ſufficiat enarrare; repletam namque eam Monachis intrinſecus vidimus, & extrinſecus omni ex parte circumdatam, & ædes publicæ, ſi quæ in ea fuere, & templa ſuperſtitionis antiquæ habitationes tunc erant Monachorum, & per totam ciuitatem multo plura monaſteria, quam domus videbantur: ſunt autem in ipſa vrbe (quia ampla eſt valde & populoſa) duodecim Eccleſiæ, in quibus publicus agitur populi conuentus, exceptis monaſteriis, in quibus per ſingula loca orationum domus ſunt, quæ certis temporibus ad orationem frequentantur. Sed nec portæ ipſæ, nec turres ciuitatis, aut vllus omnino angulus eius Monachorum habitationibus vacat, quique per omnem partem ciuitatis die ac nocte hymnos ac laudes Deo referentes vrbem totam quaſi vnam Dei Eccleſiam faciunt. Nullus enim ibi inuenitur aut hæreticus, aut paganus, ſed omnes ciues Chriſtiani, omnes Catholici, vt nihil omnino differat, ſi Epiſcopus in platea orationem, aut in Eccleſia faciat. Ipſi quoque Magiſtratus aut Principales ciuitatis, & reliqui ciues ſtudioſe per ſingulas portas ſtatuunt eos, qui obſeruent, vt ſicubi apparuerit peregrinus aut pauper, certatim ad eum currant, & qui præoccupauerit, abducit, vt quæ ſunt neceſſaria, conſequatur. De iis autem, quæ circa nos ab ipſis populis geſta ſunt, videntibus tranſire nos per ciuitatem ſuam, & velut Angelis occurrentibus atque honorem deferentibus quomodo enarrem? aut de ipſis Monachis*

nachis & Virginibus, quorum innumeræ multitudines, vt ſupra diximus, in illa vrbe habentur? Requirentes enim à ſancto Epiſcopo loci ipſius viginti millia Virginum, & decem millia Monachorum inibi habere comperimus, quorum omnium affectum erga nos & honorem, quem exhibebant, exponere nec ſermo ſufficit, nec verecundia permittit: quomodo pallia noſtra ſcinderentur, vnoquoq; ſibi nos rapiente, & ad ſe adducere cupiente. Vidimus quoque ibi plurimos ſanctorum Patrum diuerſas Dei gratias habentes, alios in verbo Dei, alios in abſtinentia, alios in ſignis, & virtutibus miniſtrantes. Hæc ille. Hanc vrbem præ omnibus, quæ in orbe ſunt, admirari oportet, in qua nullus hæreticus verbo, aut opere, nullus paganus verbo, aut opere, ſed partes eius omnes colluſtratæ lapidibus viuis Virginum ac Monachorum. Ipſos quoque Magiſtratus tam ſancte præfuiſſe, vt nulli exteri pati quidquam in ea, neque quoad alimentum, neque hoſpitium poſſent, præter id, quod nullum omnino ſcandalum offenſionis conſpiceretur. O felicem vrbem, vereque admirandam intrinſecus & extrinſecus, cœleſtibus armis obtectam, atq; defenſam! recte quis poſſet aduerſus Indicas iam memoratas multitudines ſic ad Deũ cum fidelibus Iſraelitis exclamare & pſallere: *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini ſurreximus & erecti ſumus.* Pſal. 19. Rurſum: *Quomodo perſequebatur vnus mille, & duo fugarent decem millia?* Deuter. 32. Et illud: *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.* Pſal. 126. Moribus igitur fortior, ornatiorq; vrbs eſt, quam muris & munimentis.

PH. Id ſane ita eſt. Propterea cum monaſteriorum numeroſam Patrum imbellium multitudinem audio, non imbecillitatem, ſed terribilem caſtrorum aciem ordinatam intelligo: firmius enim ſuas ditiones omnes communiit Raymundus Barchinonenſis Comes, quod trecentas Eccleſias ædificauerit, congruisque dotibus, imo potius maximis locupletauerit, quam ſi armis, munitionibusque quibuscumque muniiſſet. Id recolit Franciſcus Tariſa rerum Hiſpan. in Alfonſo VIII. Ipſe quoque diuus Bernardus centum ſexaginta monaſteria cum ſex Germanis fratribus Monachis exædificauit. Anton. tit. 17. cap. 5. princ. & §. 8. Naucl. Gen. 37. Neſcio an aliquis vmquam ditiſſimus Rex id effeciſſet, quod paupertate ſua peregit vnus ſanctus Luanus, qui centum monaſteriorum fundator extitit, tum in Hybernia, tum in Scotia, vt ſcribit ſanctus Bernardus in vita S. Malachiæ, vbi & illud addit, ſub primo patre Congello nobiliſſimum cœnobium Benchor multa millia Monachorum generaſſe, multorumque monaſteriorum caput fuiſſe. *Monaſteria.* *Monachorum multitudo.*

TH. Eodem loco memini ſanctum Bernardum narraſſe, in Galliis, ſanctum Columbanum Lexouienſe conſtruxiſſe monaſterium in gentem magnam. Nam ſexcenti Monachi ſub Euſtachio Abbate ſponte eo confluxerant, vt Ionas Scotus tradit in ipſius ſancti Euſtachii vita cap. 1. Surius tom. 2. Adiicit igitur D. Bernardus: *Aiunt* (inquit) *tam magnam ibi fuiſſe multitudinem, vt ſuccedentibus ſibi viciſſim choris, continuarentur ſolemnia Diuinorum ita, vt ne momentum quidem diei, aut noctis vacaret à laudibus.* Et paulo inferius: *Ferunt quingentos ſimul vna die ibi à pyratis occiſos Monachos.* Sed & Miſnenſis Eccleſia diuinum cultum præ cæteris omnibus orbis Eccleſiis per ſingulas horas frequentat: nulla etenim hora, momentum nullum vacat à ſacrorum cantu Pſalmorum; vt memorat Hieronymus Emſer, in vita ſancti Bennonis Epiſcopi Miſnenſis, in præfatione. Surius tomo 7. menſe Iunio. Quibus accedit, quod ante hos omnes ſcripſerat venerabilis Beda Angliæ hiſtor. lib. 2. cap. 2. *Erat* (inquit) *in monaſterio Benchor tantus numerus, vt cum in ſeptem portiones cum præ-*

poſitis ſibi rectoribus monaſterium eſſet diuiſum, nulla harum portio minus, quam trecentos homines haberet, qui omnes de labore manuum viuere ſolebant. Hactenus ex Beda: vnde colligi liquido poteſt, bis mille ac longe amplius eodem cœnobio Monachos extitiſſe manu ſibi victum quærentes. Cui miraculo accedit, quod vnica die Petrus Cauenſis Abbas tribus Monachorum millibus inſtituti ſui Monachis monachalem veſtem impoſuit. Eius ſæculi auctor eſt apud Surium in vita ſancti Petri Cauenſis cap.6. Et quamquam non in tanta eſſet cœnobium illud ſolitudine, quali Ægyptii Monachi memorantur in Scythi fuiſſe, pari tamen paupertate vltro ſeſe affligebant.

EQ. Vere admirãda fuit illorum Monachorum Ægypti multitudo & inopia rerum omnium; nam ex Sophronio, qui omnia ibi perluſtrauit, prato ſpir. cap.113. alias commemorauimus, quendam ſenem ſplene indoluiſſe, & modicum acetum quæſitum fuiſſe in quatuor eius loci monaſteriis, & inuentum non fuiſſe. Tanta erat apud eos paupertas & nuditas, & continentia. Erant autem ibi patres quaſi ter mille & quingenti.

PH. Quinetiam in Ægypto quinq; fere hominum millia in monaſteriis habitaſſe memorat Theodoretus in Philotheo cap.vlt. ibiq; inter laborandum pſallentes Domino, & quorum laboribus & ipſi & hoſpites, & pauperes iuuarẽtur, tanta pietate, vt quod alias diſſeruimus, cum quidam ſuis laboribus ſibi ſolidos centum velut proprios comparaſſet, defunctum abiecerint cum ſua pecunia Monachi quinquies mille, qui eodem loco habitabant, Macario Rectore. Hæc liber, qui vitę Sanctorum Patrum dicitur, parte 2.c.206. Imo in vnico ex iis ſancti Macarii monaſteriis numerati ſunt mille quadringenti Monachi. Anton. p. 2.tit.15. cap.7.§.2. & mox dicemus.

TH. His armis munimentiſq;, reiecta Idololatrarum memoria, vincunt hoſtes ſuos, qui vere Chriſtiani ſunt: nec ferro, nec vallis, aliiſve machinis militaribus egent, nec numeroſis copiis: ſic enim ſacris literis præſignatum nobis eſt, quando recenti ſub Gedeone milites, qui aquas è fonte bibentes lambebant, quaſi humanis auxiliis non fidentes, abſq; gladiorum vſu, abſq; vllo armorum genere, plurima Madianitarum millia, ſolis buccinis, id eſt, oratione ac ſolis lucernis, id eſt, bonis operibus, & teſteis vaſis confractis, id eſt, ſenſibus humanis contritis, deuicerunt. Iudicum c.6. Eadem quoq; vi, id eſt, piorum hominum orationibus, ſolo adhibito buccinarum clangore, nullis machinis, muri vrbis Hiericho corruerunt Ioſue 6. Atq; ita compertiſſimum eſt, Dei ſeruos nullis egere armis, nullis machinis ad hoſtes, hoſtiumq; vrbes debellandas, ſi modo vera pietas, veraque fides adſit. Ita quoque portarum illarum, quas Caſpias, Caucaſiaſue dicunt, nulla firmitas fuiſſet neceſſaria, vt hoſtes excluderentur, cum ſolus fere naturę locus ipſe ſufficere ibi videretur. Nam apud Iberiam Caucaſiæ ingens naturæ opus, montibus interruptis repente, fores obditas ferratis trabib. habent, ſubter medias amne Dyriodori fluente: ex eis, perinde ac totus orbis terrarum ſit diſcluſus, arceri poteſt innumera gens, vt tradit Plin. lib.6.c.11. Caſpiæ autem in Media, interruptis anguſto tranſitu iugis, ita vt vix ſingula meent plauſtra, longitudine octo millia paſſuum, toto opere manufacto, dextera, læuaque ambuſtis ſimiles impendent ſcopuli ſitiente tractu, per triginta octo millia paſſuum. Anguſtias impedit corriuatus ſalis è cautibus liquor, atq; eadem emiſſus. Præterea ſerpentum multitudo, niſi hyeme, tranſitum non ſinit. Hæc Plinius lib.6. cap.14. Sunt autem forte ferreæ quoque illæ portæ, quas

quas ſub Alexandri nomine memorat M.Polus lib.1. c. 5. quas confines Georgianis ac Tartaris dicit. Anguſta enim via eſt, aſpera iumentis, atque hominibus fere inuia, hinc mare, hinc altiſſimæ exciſæque rupes. Portenditur in longitudinem 4. paſſuum millibus. Hæc igitur manufacta opera laudabilia ſunt, quod genti commodum afferunt aliquod: ſed ſi ad arcendũ hoſtem firmitudo adiecta eſt, id fecerit humana imbecillitas, quæ ſuis ſe artificiis tutam eſſe exiſtimat, *cum ſolis diuinis ſubſidiis homo vbique ſit ſecurus.*

EQ. Vere iſtiusmodi Monachorum ordines exercitus inſtructiſſimi putandi ſunt, quos Chriſtus ſua paupertate delegerit, neq; diuitum opera eos collegit, aut in militiam conſcripſit, ſed piorum, vt etiam duriſſima marmora infringerent ſolis verbis. Nam Simeon Abbas cognomento Salus marmoribus ita iubebat, vt columnæ, quibus iuſſiſſet ſcindi; in partes ſcinderentur; quæ flecti, flecterentur; quę ſaltare, & ſaltarent; quæ ſtare, ſtarent, vti alias diximus ex Metaphraſt. Lipom. tom. 6. Vnde colligimus maiores ſanctorum virorum vires eſſe, quam bombardarum. Deinde numeroſæ copiæ viſuntur in Monachis exercituum more: nam quæ diuus Bernardus Abbas centum quinquaginta exædificarat, vt diximus, Monaſteria, & quicumque alii ordines ab aliis patribus quadam velut fœcunditate vbique excitati ſunt, nullo claſſico ſigno dato, ſed ſolo ſpiritus Dei ductu, propagati ſunt, & in huiusmodi ſeſe militiam accinxerunt Monachi innumerabiles, & ad pugnandum cõtra quoslibet hoſtes ſeſe exhibuere inſuperabiles oratione, & crucis ſigno. Nam ſub vnius Serapionis pauperrimi Abbatis diſciplina in Ægypto numerati ſunt Monachi decies mille, vti ex vitis Patrum Ægypti compertum habemus p.1. Sed & in Nitria non procul ab Alexandria, quadraginta millibus paſſuum numerabãtur quingenta monaſteria, omnia ſibi inuicem proxima. Eodem libro p. 1. de Nitriæ monaſteriis agens, vbi quandoq; numerati ſunt quinq; Monachorum millia. Eodem lib. p.2. cap. 4. in recentiore quadam impreſſione Venetiis edita, & eadem p. 2. cap. 206. Verum igitur eſt, quod memorat Vincentius hiſt. lib. 17. c. 72. & Anton. p. 2. tit. 15. cap. 7. §. 2. in vnico cœnobio habitaſſe mille quadringentos Monachos in Thebaide.

Et in hoc Europæ noſtræ cœlo occiduo, ſcilicet apud Rothomagum in Gallia nongenti Monachi vixiſſe memorãtur, in vno Gimeſienſi monaſterio, vt Fulbertus tradit in vita S. Aichadri Abbatis, apud Surium tom. 5. menſe Septembri. Habet & Dominus ex ſacris virginibus velut apum examina, quibus hoſtes ſuperet: quin poſſumus etiam caſtra nuncupare, quandoquidem velut Amazones quędam Deo militantes mulieres in vnico Britãniæ monaſterio numeratæ ſunt Sanctimoniales in Winbruno quingentæ, vt Rudolphus ſcribit in vita S. Liobæ Abbatiſſæ apud Surium tom. 5. menſe Septembri.

TH. Sunt hæ ſane memorabiles Dei copiæ, quæ cum caſtrametatæ ſemel ſunt, fixis tentoriis, hoſtem deuincunt magis quieſcendo animis, & vno loco ſemper ſtationem ſeruando, quam circumeundo. Propterea omnium monaſteriorum admirabilius illud eſt, quod ingreſſi nunquam egrediebantur in Thebaide. Erat illud ampliſſimum; in eo omnes fruges, quæ ſufficerent ad alimenta, naſcebantur: vt ſic aut mundus ibi eſſe totus videretur, aut certe Paradiſus. Vtar verbis auctoris, ſiue is ſit Hieronymus ſiue Ruffinus: *In Thebaide* (inquit) *monaſterium eſt, in quod ingreſſis nunquam licet egredi: quandoquidem nulla re ibi prorſus extranea eſt opus, quaſi mundus totus ſit in eo. Nam ampliſſimis ſpatiis eſt circumſeptum, muro circumdatum; in eo habitan-*

habitantibus larga præbentur habitacula. Intrinſecus putei plures, horti irrigui, eiusq; pomorum, arborumq; quaſi Paradiſi; adſunt quæcunq; neceſſaria humanis vſibus ſat, ſuperq;. Ingreſſis nulla ſupereſt neceſſitas aliunde aliquid quærere: hoſpitalitas ſeruatur in ipſis ianuis extructis ædibus; ſed hoſpitibus nulla datur ingrediendi facultas. Lege enim cautum eſt, ne ſemel ingreſſi egredi poſſint, eaq; lex tenaciſſime ſeruatur ſponte, non vlla neceſſitate. Libro de vitis Patrum p. 1. de S. Iſidori monaſterio.

Canonici ſæculares. Et ne laus hæc numeroſi exercitus ſit Monachorum tantummodo, etiam Canonicorum ſęcularium numerus aliquando admirandus repertus eſt vna in Eccleſia Æthiopiæ ſub Patriarcha Abana Marco, ad octingentos Canonicos vnicum collegium conſtituentes, vt memorat Aluarez de rebus Æthiopicis c. 57. Sed vereri poſſumus, ne forte illæ ſint diaboli copiæ, cum Romanæ non hæreant Eccleſiæ. Nam & diabolus ſuarum copiarum agit delectum in monaſteriis condendis. In Inſula enim Iapone, vt vnico monte numerata ſunt quinq; Monachorum millia admirandæ caſtitatis, ſed Idolatriæ dedita, vti conſtat ex relatione rerum Iaponicarum apud Ramuſium tomo 1. Quin in vnica eius Inſulæ prouincia Bandon comperta ſunt duo millia, & octingenta monaſteria Idololatrarum. Et ideo profana erecta illa, quæ diximus, Gymnaſia ſtudioſorum adeo frequentia, vt Pariſienſem Academiam ſuperent, diaboli caſtra ſunt, vt Ferdinandus Mendez ſcripſit anno Dom. 1554. Noſtra autem intentio hoc ſermone fuit, vt Catholica caſtra commendemus ex diuino auxilio.

EQ. Quid igitur eſt opus humanis, cum diuina ſuppetunt auxilia? Iſta ſemper quærenda ſunt, aut ſola, aut non ſine iſtis illa: minus laboris eſt, ſecuriusque opus omne, cum Deo auctore agitur: nunquam humanæ vires ſine labore, ſine periculo ſunt. Cæſar cum in Britanniam milites duxiſſet, humanis quidem auxiliis innumeris habuit opus: vt enim ipſe terreſtribus vallis moliebatur ſuas tueri partes, ita Neruii aduerſarii ſumma ſolertia (quæ perſæpe fallax eſt) aduerſus illum vſi ſunt. Munitionem decem millium paſſuum longitudine per circuitum ab illis (tribus tantum horis) incredibili ſane celeritate confectam ſibi in ſummum auxilium putauerunt, vt Cæſar ſcripſit Cōment. lib. 5. Sed quorſum tantus labor, cum à Cæſare mox fuerint profligati? *Vera fides vbiq; vallis munita eſt: Montes enim in circuitu eius,* inquit Pſalm. 124.

PH. Ita eſt, humanarum virium inſania ſibi parum prodeſt: Muri illi adeo in longum producti heu quam inani labore confecti ſunt! Margianam regionem Antiochus circumduxit muro perpetuo, atque in ea Antiochiam quoque ædificauit. Erat autem muri ambitus ſtadiorum mille quingentorum, id eſt, prope ducentorum millium paſſuum, vt memorat Strabo lib. 11. Alium Milciades Dux Athenienſium fecit, qui à Thraciæ vrbe, quam μάκειν τειχὸς vocant, inciperet, ſupra fidem ingens vſque ad ſinum Melicum, excluderetque Cherſoneſum à reliqua Thracia, vt memorat Viues ad libros de ciuit. Dei Auguſtin. lib. 15. ad c. 27. Quo loco memorat Cæſarem quoq; alium duxiſſe murum à lacu Lemano ad montem Iuram, qui fines Sequanorum ab Heluetiis diuidit, ex illius Commentariis lib. 1. belli Gallici.

Duxit & Adrianus Imperator murum per octoginta millia paſſuum in Britannia, qui barbaros, Romanosq; diuideret, vt memorat Spartianus in eius vita. Oroſius autem lib. 7. c. 17. & Euſeb. in Chron. in Seuero memorat, Seuerum Imperatorem alium murum duxiſſe in Britannia, centum & triginta millium paſſuum longitudine

gitudine, à mari ſcilicet ad mare. Sed & Zonaras in Anaſtaſio Dicoro tradit, Anaſtaſium ipſum longum murum condidiſſe à magno mari ad Selybriam vſq; pertinentem, ob Myſorum, ſiue Bulgarorum, & Scytarũ incurſiones. Sed, vt dixi, quorſum tantus labor, cum vix hodie veſtigia videantur?

EQ. Carthaginenſes quoque murum ſexaginta ſtadiorum duxerant in ſuæ vrbis tuitionem in Iſthmo ipſius peninſulæ, vt Strabo memorat lib. 17. At nihilominus deleta eſt & ipſa, cuius ambitus 20. paſſuum millium fuit, vt Oroſius tradit lib. 4. cap. 22.

TH. Sed quid cõmemoramus iſtos tot inſanos ſumptus in extruendis prælongis muris ad hoſtes arcendos? maiore inſania legimus extructos muros inter Tartaros & Sinas: nam cernitur adhuc durare ad quingentas leucas, id eſt, duo millia milliariorum Italicorum; & cum pleraq; ſint ex montium rupibus, valles opplẽtur, iunguntur montes muro ad octoginta leucas lato pedes quatuordecim, ac totidem alto. De reb. Sin. lib. 1. c. 9. & p. 4. c. 12. Is forte murus eſt, de quo legimus in informatione Ieſuitarum de reb. Sinarum tom. 2. à Melchiore Nugnez è Malacca Indiæ vrbe, qui memorat in Sinarum regionib. murum extare Sinas ipſos à Tartaris disterminantem, eſſe magnitudine prope inexpugnabilẽ, atq; præaltum, porrigiq; in tantam longitudinem, vt menſtruo interuallo integro ad illius poſtremam partem nemo valeat peruenire; vt ſic deprehendatur prope ad decies centum millia paſſuum protendi longitudine.

EQ. Etſi de Sinarum murorum ac viarum longitudine libet cœptum ſermonem, qui modo incidit, perſequi, occurrunt alia commemoratione digna. Quamquam enim populorum commoditati conſtructa ſunt, nihilominus ob admirationem plurimam etiam videntur ea extructa. Ferunt enim, qui ea loca perluſtrarunt, quod quaquauerſum directæ, ac lapidibus perſtratæ viæ conſpiciuntur, in illis regionibus omnium totius orbis ampliſſimis, non in decies centena millia paſſuum tantummodo, aut ad menſtruum iter; ſed ad octimeſtre, atque ad ſepties centena millia paſſuum, id eſt, ſeptem millium milliariorum Italicorum directas eſſe ac perſtratas lapidibus vias huiuſmodi, tum quæ ab Oriente in Occidentem tendunt, & eæ ſunt plures, tum quæ ab Auſtro in Aquilonem, quæ etiam ſunt plures, adhibitis percommodis hoſpitiis quibuslibet itinerantibus, cum equorum ad itinerantium commodum incredibili multudine certis locis aptiſſime conſtituta, ex informatione Ieſuitarum de rebus Sinarum tomo 2. quod Marcus Polus lib. 2. cap. 20. expreſſius tradit, ſcilicet vbique Regia, quæ Reges capere poſſent, hoſpitia perpetuo, ſingulisque hoſpitiis ali equos curſores quadringentos, adeo vt itinerationis tantummodo cauſa numerentur in huiuſmodi hoſpitiis diſpoſita ducenta equorum millia.

TH. Hæc in Oriente ſunt: at in nouo orbe ii, qui eum perluſtrarunt, non abſimilia reperiri memorant. Cuſconiũ enim in Peruaco ampliſſima vrbs Regia eſt: eius Reges lõge potentiſſimi duas vias militares direxerunt è ciuitate Cuſconio in ſeptingentas leucas, id eſt, ad plura, quam bis mille milliaria Italica, aut forte etiam prope ad ter mille milliaria, quarum vna per Alpes, altera per valles ducebat, atque in iis viis ad ſingulas ſeptenas leucas diuerſoria conſtituta erant, in quibus ſingulis ſemper nudus, exarmatus, famelicus quadraginta, aut amplius millium hominum exercitus, ſubito appellens, veſtiri, armari, paſci in longum tempus poſſet, vt Surius ſcribit in Comment. anno Domini 1558.

EQ. Viam marmore excisam plana, ac montana plurimę paſſuum millia ac perpetuis literis exaratam meminere Saxo Grammaticus & Krantzius: ſic enim illi: Via eſt quædam apud Blekingiam admiranda, apta enim itinerantibus eſt rupes mirandis literarum interſtincta longiſſimo locorum tractu: ſiquidem à Meridiano mari in deſerta Verundiæ petroſa porrigitur ſemita, quam binæ lineæ exiguo diſcretæ ſpatio, protractis in longum ductibus, complectuntur: inter quas medium loco planum factis ad legendum figuris vndiq; ſecus exaratum oſtenditur, quod licet adeo ſitu inæquali exiſtat, vt modo montium alta proſcindat, modo vallium ima prætereat, eodem tamen tenore literarum veſtigia ſeruare dignoſcitur. Quarū ſignificationem Rex Woldemarus ſacri Canuti fauſta proles admirationis cauſa cognoſcere cupiens miſit, qui rupem permeantes patentium illic characterum ſeriem curioſiore indagatione colligerent; ac poſtmodum virgulis quibusdam ſub iisdem formarum apicibus adnotarent; qui ideo nihil ex eis interpretamenti comprehendere potuerunt, quod ipſa cælaturæ concauitas partim cœno interlita, partim commeantium adeſa veſtigiis figuratæ protractionis ſpeciem, obtrito calle, confuderat. Vnde conſpicuum eſt, etiam petrinæ ſoliditatis rimas diutino madore completas, aut ſordium colluuione, aut irrigua nimborum inſtillatione concreſcere. Hæc Saxo in præfatione Danicæ hiſtoriæ, eadem Krantzius Dan. lib. 2. c. 23. & in Suetia lib. 1. cap. 11.

At inſaniam non redolebunt viæ, quas Romani extruxerant ob publicam commoditatem triplicem, vt pedites, equitesq; perpetuo tum hyeme, tum æſtate ſiccas obambularent vias, tum vt rectæ ipſæ viæ nullum ad vrbem accedentem errare permitterent, tum ob maieſtatem ipſam oſtentandam. In iis præcipua fuit Appia, quam Appius Romanorum tum Cenſor conſtruxerat patentem, vt plauſtra duo ſibi occurrentia libere abirent. Appius ſiquidem ex longinqua regione exciſos lapides ſiliceos duriſſimos, nigerrimosq; in Italiam vehendos curauit, quos complanatos ac leues redditos, quadratosq; circumcidēdo factos, inuicem collocauit, metalli nihil, vel rei alterius interferendo. Sunt autem ita connexi, & inter ſe tam valide condenſati, vt ſpeciem præ ſe ferant viſentibus, non compoſitos eſſe, ſed natura ſic editos; & quamuis diuturno hi tempore atterantur, plauſtrisque frequentibus, & quibusuis animantibus continenter perui ſint, ſuo tamen ex nexu ne parumper diſcedunt, vel comminuti franguntur; nec ſui quidquam perdunt nitoris: perduxit ille eam hac forma vsque Capuam ab vrbe Roma, vt Procopius habet. Gott. bell. lib. 1. At Traianus poſtea Brunduſium vsq; perduxit, vt lib. 5. ait Strabo, quod memorat Franciſcus Albertinus Florentinus: At inſani artificii forte illa cenſenda eſt via centum ſtadiorum à Syene Ægypti vrbe vsque Filam, hinc inde perpetuis fere ornata pilis marmoreis nigerrimi coloris perpolitis; quarum diametrum duodecim pedum, vt memorat Strabo lib. 17.

TH. Sed hæc omnia humana ſtudia abſumit vetuſtas, & hoſtium immanitas, & ipſi ſæpe, qui tuentur, mutuo ſæuiunt, omniaque diruunt: ſæpe etiam ipſi incolæ propriis deſtruunt manibus, ſicut Bituriges, veniente Cæſare, viginti & eo amplius vrbes incenderunt, ne illi ſubderentur. Cæſ. Comment. lib. 7. *Niſi enim Dominus ædificauerit ciuitatem, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.* Pſalm. 126. Id indicant Romanæ magnificentiæ veſtigia, ex quibus miracula, quæ fuere, conſpiciuntur. Tum apud Puteolos, tum antiquiora in magna ipſa Græcia, in nihilum abierunt. Nam Gratus in Calabria fluuius, quæ ante Romanam gloriam ædificia ſuis in ripis habebat,

habebat,ne veſtigia quidem tenet. Nam ad ſex paſſuum millia in ipſis Grati ripis perpetua extitiſſe ædificia memorat Diodorus lib.12. Sed quidquid interiacet à Miſeno vsq; Puteolos,&à Puteolis vsq; ad extrema Baiani ſinus,perpetua ad duodecim & eo amplius paſſuum millia, viſebantur ædificia inſigniſſima, magnoque ſumptu cōſtructa,in ipſo littore,quorum adhuc præcipua vbiq; videntur veſtigia. Quin cum olim terreſtri ab omnibus iretur itinere via quadam ſecus littus maris perſtrata è Puteolano ſinu, vsque in extrema Baiani ſinus, nunc, quia omnia tum ædificia,tum via tota fluctibus maritimis obruta eſt; vndis, nauigiisque iter illud confici neceſſarium eſt, ſpectanturq; ab ipſis nauigantibus ſub nauigio imo mari ea adhuc ſupereſſe,quæ in littore aliquando videbantur pedibus peruia,vt memorat Leander in Campania.

Quin cum Nero deuitandorum maritimorum fluctuum cauſa foſſam 160. paſſuum millibus ab Oſtia vsq; ad Auernum lacum perduxiſſet tanta latitudine, qua quinque remes contrariæ commearent,adeo ruinis, humoq; aggeſta ac ſiliginibus oppleta eſt,vt vix cymbis vſui alicubi eſſe poſſit ad piſcandum, adeo omnia vetuſtas abſumit. Hæc à Suetonio Leander in Campania. Nec iſta tantum foſſa,verum & alia memoratur iuxta viam Appiam profunda perpetuis aquis tum paludum, tum amnium vicinorum plena,per quam Terracina Romam nauiculis ibatur. Eas ſub noctem ingrediebantur, mane in Appia egrediebantur,indeque in vrbem veniebant terra. Georgius Bruin in Terracina.

PH. Hæc equidem memoranda,quod ſub dio facta ſunt; at quæ viſcerib. terræ confecta fuere, longe admirabiliora ſunt, vti à quadrageſimo lapide aquarum ductus extruxit etiam perfoſſis montibus Claudius, vt memorat Plinius lib.36.c. 15. & diximus alias in Metallis. Illud autem erit valde admirandum,quod de Cloacis Romæ extructis tradit Caſſiod. variar. lib. 3. Epiſt. 30. ad Argolicum: *Tantum* (inquit) *viſentibus conferunt ſtuporem,vt aliarum ciuitatum poßint miracula ſuperare: videas illic fluuios quaſi montibus concauis clauſis per ingentia ſtagna decurrere: videas ſtructis nauibus per aquas rapidius non minima ſolicitudine nauigari,ne præcipitato torrenti marina poßint naufragia ſuſtinere.* Hæc ille. Per cloacas autem nauigaſſe M. Agrippam conſtat,qui cum eas expurgaſſet,per easdem ſubuectus eſt in Tyberim, vt auctor eſt Dio Caſſ. lib.49 ſub finem.

Amphitheatra præſertim Titi,Moles præſertim Hadriani, Mauſoleū Auguſti, Arcus triumphales, Aquæductus,Septizoniū,viæ tum Flaminia, tū Appia, Thermæ præſertim Diocletianæ & Antonianæ,columnæ ſingulares turrium altitudine, præcipue quæ fuit Traiani,Circi,Palatia,Templa,præſertim Pantheon Agrippæ, (cui tamen æquandū aliud eſſe in felici Arabia in vrbe Taeſa memorat Lud.Barth. lib.2.c.11.) Capitolium quoq; ipſum è miraculis ſeptem vnum, corruere hæc fere omnia hoſtili manu,& cum eis etiam ſe ipſos confecere ſuis propriis armis Romani,cum vinci non poſſent alienis. Quid poteſt audiri amplius, vt cædes reliquas omnes taceamus, quādo pro vna regnandi,imperandiq; in Romana Republica cupiditate quingenta hominum millia vna illa die cæſa ſunt, cum mox è crapula cæſus eſt Vitellius,præter alios,quos furor,libidoq; militum ſequenti die in necandis Vitellianis nondum exaturata perſeuerabat, in necibus perpetrandis pro Veſpaſiano Imperatore,in Palæſtina abſente,vt habet Ægeſyppus de excid.Hieroſolym. lib.4. cap.32.

EQ. Id omne haud dubie contigit, quoniam diuinam non coluere maieſtatem,

tem,in cuius manu ſunt omnium iura regnorum. Vicit Saul mille, ſed Dauid decem millij, vno Goliath occiſo, quia in Domini nomine pugnauit. Pauci ſuperant (quod antea diximus de Gedeone) innumeros, quoniam Deo innituntur, nō propriis fidentes viribus: *Non eſt difficile in conſpectu Dei cœli liberare in multis, & in paucis, quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cœlo fortitudo eſt.* Machab.3. Et quamquam etiam ſæpe id contigerit iis, qui Diuinum Numen contempſere, vt exigua cohors exercitum hoſtilem profligarit, ſed diuino quoque miraculo obtigit, cuius occultiſſima iudicia à nobis perſcrutanda non ſunt. Cæſar etenim memorat incredibile exiſtimans, cum Adrumentinorum equitum duo millia ab oppido erupiſſent, vt equites minus triginta Galli illam Maurorum multitudinem pepuliſſent, vi ſiſſentque in Adrumentum reuerti, vt ille ſcribit Comment. de bello Africo lib.5. Sed id etiam diuina ope factum quis ambigere poteſt? Ex hoſtibus enim Deus hoſtes ſuos profligat: *Vindicabo* (inquit) *inimicos meos de inimicis meis.* Propterea cum Iſraelitæ veri cultores Dei eius offenſam contraxiſſent, ab Idololatris deuicti fuere ſummo eorum vrbis excidio, quo tempore, præter multa alia omni memoria digna contigit, vt ex Hebræis nonaginta duo millia & ducenti periiſſe æſtimati ſint, à quingentis tantummodo equitibus, & tribus millibus exercitus pedeſtris necati, vt Ægeſyppus auctor eſt excid. Hieroſolym. lib. 4. cap. 15. Semper enim huius Iſraeliticæ gentis ſtrages fuere numero cæterarum gentium inſigniores. Nam ſub Adriano Imperatore cæſa Iudæorum millia quinquies centena & octoginta memorat Niceph. lib.3. cap. 25. cum tamen eius gentis Reges ditiores fuiſſe memorentur; quandoquidem Salomoni fuiſſe conſtat quadraginta millia præſepium equorum currilium, & duodecim millia equeſtrium, 3. Reg. 4. Peditum autem innumerabilis numerus. Verumtamen ob Chriſti necem ſemper in peiora prolapſi ſunt, vt cum excidio vrbis vlterius nusquam regnarint, vti Chriſtus ipſe illis prædixerat internecionem, & ad Romanos regni, religionisque translationem.

TH. Recte à nobis iam ſupra dictum, vt vnus fugarit mille pro Deo pugnādo: tum enim non militum numerus, non arma quæruntur, ſed vera pietas, vt poſtea patuit, quando Roma, abiecta Idololatria, vicit omnem orbem religione, non armis. Vt enim ſcribit B. Leo I. Papa in ſermone primo Nat. Petri & Pauli. *Iſti* (inquit) *ſunt Roma, qui per ſacram beati Petri ſedem te ad hanc gloriam prouexerunt, vt caput orbis effecta latius præſideres religione diuina, quam dominatione terrena; quamuis enim multis aucta victoria ius Imperij tui terra, marique protuleris, minus tamen eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quam quod pax Chriſtiana ſubiecit.* Hæc à Leone Papa. Et vt Latino, Romæque ipſius Pontifici addamus etiam Græcorum teſtimonium, libet diui Ioannis Chryſoſtomi verba recenſere: is enim ſermone trigeſimo ſecundo, in morali exhortatione ſuper Epiſtola ad Roman. hæc habet: *Ego & Romam propterea diligo, tametſi aliunde queam illam laudare, nempe à magnitudine, ab antiquitate, à pulchritudine, à multitudine, ab Imperio, à diuitiis, & à rebus in bello fortiter geſtis: ſed dimittens omnia, ob id illam beatam prædico, quod erga illos Paulus, dum viueret, adeo fuit beneuolus, adeo amauit illos, & coram deſeruit, & poſtremo vitam apud eos finiuit, cuius ſanctum corpus ipſi poſſident. Et propterea ciuitas illa hinc facta eſt inſignis longe magis, quam ab aliis rebus omnibus: & tanquam corpus magnum ac validum duos habet oculos illuſtres, Sanctorum videlicet Petri & Pauli corpora. Non ita cœlum ſplendeſcit, quando radios Sol demittit, quemadmodum Romanorum vrbs duas illas lampades vbique terrarum*

rarum effundens. Hinc rapietur Paulus, illinc Petrus: conſiderate & horrete, quale ſpectaculum viſura ſit Roma. Paulum videlicet repente è theca illa cum Petro reſurgentem in occurſum Domini ſurſum ferri, qualem roſam Chriſto mittet Roma? qualibus coronis duabus ornatur vrbs illa? qualibus catenis aureis cincta eſt? quales habet fontes? Propterea admiror hanc vrbem, non propter copiam auri, non propter columnas, non propter aliam rem, ſed propter columnas illas Eccleſiæ. Hactenus ille. Ita imbelles Romam verbo Dei religioneque, non armis ſubegerunt, reddideruntque ornatiorem & fortiorem, quia vnus, quod ſæpe diximus, fugat mille diuino auxilio, cum Dei res agitur, aut illi cultus legitimus exhibetur. Propterea Philiſtæi cum funibus volentem proque Deo pugnantem Sampſonem vinxiſſent, ac ſe eis mox ipſe ſoluiſſet, arrepta aſini mandibula iam Sole exſiccata, irruens in ingentem illam Philiſthinorum turbam ſolus mille (nullo prorſus humano adiutus præſidio) interfecit, Iud. cap. 15. vt ita viciſſe eos videretur armis debilibus: nam mitiſſimum, ignauiſſimum imbecillumque animal eſt aſinus.

EQ. Nemo vnquam hominum ab Orbe condito id egit, præcellit hac re vnus omnibus Sampſon, quem id Dei manu feciſſe compertum ex ea re eſt, quod mox profligato hoſte ei ob ſummum laborem ſitienti aperuit Dominus molarem dentem ex maxilla illa aſini, & ex eo egreſſæ ſunt aquæ, quibus refocillato ſpiritu Sampſon vires recepit, vt tradit liber Iudicum c. 15.

TH. Quod tamen alio nobis eſſe myſterio poteſt, vt ſimplicium hominum ore ſæpe Deus deuincat prudentium hominum apparentem ſapientiam, & ab iis, qui rudes ſunt & ignari, ſæpe doctrinæ fluenta ſuo munere manare largiatur, vbi plebes Dei ſitientes bibant. Nam mandibula & dentes elocutionem ſignificant. S. Hieron. in Eſaiam ad c. 2. verſ. *& naues.*

PH. Quid igitur tanto opus eſt ſtudio in fabricandis iaculis? nouis armorum adinuentionibus? Memini me legiſſe, cum apud Dyrrachium Pompeius & Cæſar pugnarent, in vnicum munitionis caſtellum triginta circiter ſagittarum millia coniecta fuiſſe à Pompeianis, quin in vnius Sæuæ Centurionis ſcuto ad Cæſarem allato inuenta ſunt foramina 230. quem Cæſar, vt erat de ſe meritus & de Republica, donauit millibus ducentis æris, atque ab octauis ordinibus ad Primipilum ſe traduce pronunciauit: eius enim opera caſtellum conſeruatum eſſe magna ex parte conſtabat. Hæc à Cæſare Commen. de bello ciuili lib. 3.

EQ. Adeo inſaniunt homines, vt in nullius commodi re tantum abſumant operæ, quandoquidem caſtellum ſagittis configi quidem poteſt, ſed iis capi non poteſt, niſi capiantur primum homines: fuere igitur irrita ſagittarum triginta millia, ſicut hoc noſtro ſeculo, quando aduerſus immanem Turcam pro nobis Deus in tuenda Melite Inſula, Chriſtianorum ſuamque rem agens propugnauit; oppugnabant enim Turcæ Inſulam, atque in vnam ſancti Elmi arcem æneis tormentis tredecim globorum ingentium ferreorum millia contorſerunt, adnotaruntque nonnulli, à barbaro hoſte in Inſulam ipſam coniectas fuiſſe ferreas pilas è tormentis æneis maximis ad ſeptuaginta octo millia, Surius id memorat in Comment. anno Domini 1556. Nos vero dum hæc reprehendimus, non ita humana ſtudia damnamus, vt exerceri homines nolimus, ſed hæc ideo commemoramus, vt diſcant humana regna non propriis fidere viribus, neque numero militum, aut maximo exercituum inſtructiſſimorum commeatu, ſed vt agant quidem, quod ſuum ad munus ſpectat; ſpem vero in vnum Deum collocent, quandoquidem etiam ipſis

Ethnicis teſtibus, quod repetere ſæpe delectat, *non in numero ac viribus militum conſiſtit victoria, ſed cœlitus datur.* Nunc ad alia.

PH. Turres igitur ſunt quidem & ornamenta, & munimenta, ſed cum ſuperbia eas ædificat, irritæ ſunt, quod iam in altiſſima ac latiſſima Babylonica diximus: ſæpe enim inſania eas ædificat. Ptolemæus enim Rex in Inſula Pharo prope Alexandriam egregiam turrim ædificarat quadrangularem, ampliſſimam, tum altitudine, tum latitudine; murorum autem craſſitie pedum 21. conſtat, tota ex lapide pellucido, adeo vt lumen interius irradiet exterius, ſicut in vitro fieri videmus, vt tradit Marcus Aurelius Imperator ad Pollionem in Zenone Philoſopho, extat in eius vita lib. 1. cap. 40. Turris eius ſumptus ad octingenta talenta aſcendiſſe tradit Plin. lib. 36. c. 12. poſt Herodotum lib. 2. cap. 10. Sed & in Cyzico vrbe iuxta portam, quæ Thracia vocatur, ad ſtultam voluptatem turres ſeptem ita exædificatæ ſunt, vt voces accepto numeroſiore repercuſſu multiplicentur, cui miraculo à Græcis nomen datum eſt *Echo.* Plin. lib. 36. c. 15. Memorant præterea ii, qui Orientem perluſtrarunt, admirandam eam eſſe turrim, quę viſitur in Fucheo Sinarum vrbe, quam tradunt ſuperare omnia Romanorum ædificia; eſt enim extructa ſupra 40. ſolidas columnas ampliſſimas, ſimul & altiſſimas. reb. Sinar. lib. 1. c. 9. Altitudinem putant nonnulli maiorem non reperiri in quauis turri Italica, ſiue Cremonæ, ſiue Bononiæ, quam in Africa vrbe Marocco, in exædificata à Rege turri; eſt ambitu pedum ducentum, ſuperat autem longe hunc numerum altitudine. Surgit enim in ſeptem ampliſſima ſolaria, ad quæ præplanis gradibus per girum aſcenditur. Vbi ventum eſt in ſummum, patet planities plurima, in qua locata eſt Pyramis in imo patens pedes quinquaginta, longa circa pedes triginta, in cuius ſummo vertice ordine locatę ſunt velut veru confixæ tres ingentes ſphæræ argenteæ. Extat & alia turris ad templi vſum, & ipſa ampliſſima, in cuius ſummo cacumine velut ordine veru confixæ conſpiciuntur tres ingentes ſphæræ aureæ, quarum pretium ad centum triginta aureorum millia æſtimari tradit Leonius de reb. Afric. parte 2. Hunc ſumptum ſuperant turres in Indiæ orientalis Regno Mien. Nam Regium ibi ſepulchrum extat inter duas turres locatum, ipſum quidem aureis argenteisque laminis digitali craſſitudine obtegitur. Turres vero ipſæ, præter id, quod in ipſarum ſummis verticibus aureas & argenteas campanulas ita conſtitutas habent, vt vento agitatæ è catenulis pendentes ſonitum ſuauem edant: etiam ipſarum tecta quanta, quæ maxima eſt, latitudine patent, vnius quidem argenteis laminis digitali craſſitudine, alterius autem aureis laminis etiam pari craſſitudine conteguntur, vt tradit M. Polus lib. 2. c. 44. Altitudinem certe turris admirari quidem quisq; videtur, qui Cremonam proficiſcitur, cum per Lombardiam ſeu Ciſalpinam iter agentibus aut nauigantibus à multis paſ. millibus vndequaq; ſpectabilis ſit: ſed reuera Argentinenſis altior eſt; nam ab imo ad ſupremum culmen quadris & pulchre figuratis lapidibus tota conſtat, patetq; eius aſcenſus cochleis: vbi vero craſſities eius in faſtigium incipit acuminari, ibi octo inſurgunt cochleæ, vertex, qui vix modii amplitudinem videtur habere, commode ſex homines capit; altitudo eius tota habet pedes geometricos 574. Ex Munſtero Georg. Bruin in Argentina. Quod vero de Bononienſi turri diximus, velut ea inter reliquas ſit præalta, duo augent de illa admirationem, quod exilis ſit, quod ex debilitate fundamentorum in imo dehiſcens paululum ad perpendiculum propendeat, inclinatave ſit. Eſt autem illi proxima alia turris tota prorſus inclinata, velut caſura: attamen arte ita confecta eſt, vt cadere videatur, cum

Echo vnde?

Turris Argentinenſis celeberrima.

cum ipſa firmiſſima ſit. At turris, quæ Venetiis apud S. Marcum exurgit, tota imis fundamentis ipſo mari ſubſtratis admiranda eſt, non modo craſſitie & altitudine, ſed ex gradibus quoque, quibus in ſummum itur: referemus autem in id Sabellici verba libro de ſitu vrbis Venetiarum lib. 2. *Superbiſſima* (inquit) *turris occurrit, adeo altis fundamentis innixa, vt pene plus operis latere credatur, quam ad auras exeat. ſummus apex adeo ſublimis, vt fulgor auri, quo illitus eſt, ad ducenta ſtadia ex alto nauigantibus velut ſaluberrimum quoddam occurrat ſydus.* Hæc ille. Adiicit autem Bordonius de Inſulis ſcribens, patere per ſingula latera pedes quadraginta: exurgere autem in altitudinem pedum ducentorum triginta, ſedentemque ſummo vertice Angelum habere verſatilem ad quosq; ventorum flatus, indeq; aurum emicare. Miranda igitur non eſt illa turris ſola amplitudine, ſed fundamentis, præcipue imo mari ſubſtratis; qua enim arte cohiberi potuere fluctus adeo lata, adeoq; profunda defoſſione?

Turris S. Marci, Venetiana.

TH. Ego magis admiror, quod turri Aldeburgenſis Eccleſiæ S. Petri accidiſſe tradunt, Henrico Imperium adminiſtrante, ſed id neſcio an fabuloſum. Vincentius tamen id ſcribit lib. 25. c. 66. Ipſa Dominici Natalis diei nocte procella ventorum atque imbrium turris ab imis fundamentis commota, inclinata eſt, caſum minitans: verum poſt ſextum diem, cum populus machinas adhiberet firmandæ eius cauſa, ſponte in priſtinum rediit locum, erecta rectiſſime, ſed fides ſit penes auctores; ſed quod lignea eſſet turris, non adeo res eſt admiratione digna, quanquam legiſſe me memini, turrim excelſam & elegantem lapideam in Æde S. Crucis in Briſtolia hac atque illac moueri, cum ingens campana illi ſuperpoſita agitatur ad ſonitum: diſcedit enim tunc turris à ſuo compagine tanto ſpatio, vt anſerinum ouum interponi poſſit, quin cum dorſum turri Ortellius ſubieciſſet ad experimentum, ruina ſe oppreſſum iri reformidauit, vt ex Ortellio recolit Georg. Bruin in Briſtolia.

EQ. Accedunt ad hæc nullius commodi opera Ægypti ſepulchra quædam, illudque præ cæteris per inſaniam factum mihi videtur, quod Amaſis Regis fuiſſe fertur: fuit autem eius forma ſphingis monſtruoſiſſimi fabuloſique animantis, cuius tanta amplitudo è marmore traditur, vt è ſaxo naturali elaborata ſphinx illa capitis ambitum per frontem centum duos pedes complecteretur, longitudo pedum 143. altitudo à ventre ad ſummum apicem in capite 62. vt Plinius habet lib. 36. c. 12. adeo monſtroſi homines monſtra condidere maiora.

At ornat magis vrbem Romæ Hadriani ſepulchrum, quin etiam munit, quod licet dirutum aliquando fuerit, tamen inſtauratum in arcis formam adhuc viſitur; veterem autem eius formam iis verbis exprimit Procopius: *Adriani* (inquit) *Romanorum Imperatoris ſepulchrum extra portam Aureliam, & ad lapidis iactum à mœnibus procul extructum, ſpectatu procul dubio dignum: Pario namque ex lapide ædificatum eſt. Saxa quadrata illi inuicem nexa alia nulla intermixta materia, & quaternis parietum pari dimẽſione lateribus eam porrectis in altitudinem, vt iactus ex angulo lapis alterum fere pertingat, altitudine tamen hac vrbis mœnia ſuperant; ſtatuæ quoque ex eodem Pario marmore virorum equorumque miro artificio factæ deſuper inſident, apparetque illud ſepulchrum altiſſimæ turri perſimile.* Procopius bell. Gott. lib. 1. Erat Romæ etiam inſigniſſimum Auguſti ſepulchrum, quod Mauſoleum nuncupabant, in Regione noua, in valle Martia, inter viam Flaminiam & Ripam Tiberis, hodie ibi S. Rocchi ædes extructa eſt. Auguſtus igitur Mauſoleum ſibi & omnibus Imperatoribus, totique denique genti ſuæ ſepulchrum inſtituit. Moles hæc inſtar turris erat. Mauſoleum autem propter Mauſo-

Mauſoleum Imp. ſepulchrũ.

Mauſolei Regis Cariæ ſepulchri ſimilitudinem, quod ei Arthemiſia vxor extruxit, ſuum etiam cognominauit Auguſtus, vt Marlianus notat lib. 6. c. 18. Sed ô ſtultum laborem, quo cadauera fœtidiſſima conteguntur! ô perditam operam, qua quis perpetuo locata ſua oſſa putat honorifice! cum barbarorum impiorumque manibus ipſe labor totus opusque omne ignominioſe ad iacentis ibi contumeliam deſtructum ſit. Felix certe Chriſtiana religio exequiarum quidem piarum ſtudioſa, ſed ſepulchri marmorei ſibi parandi immemor, quæ cum ipſa ſui obliuiſcatur, Deus ipſe memor eſt, qui miraculo etiam ſepulchra inſignia Angelorum manibus conſtruit. Clementi etenim I. Romano Pontifici, de quo alias occaſione alia egimus, quum Traiano imperante anchora collo alligata demergeretur, mare ad eius preces receſſit, & marmoreum, quo oſſa eius conderentur, ſepulchrum ab Angelis extructum eſt. Cedebat quotannis mare, vt ſepulchrum adiri ab omnibus poſſet, ſtatuta feſtiuitate, deinde rurſus tegebatur, Metaph. Freculfus lib. 2. c. 10. Ant. tit. 7. c. 2. Neque multa pecunia egent Chriſtiani ad illam ſumptuoſam exequiarum pompam, qua numeroſa multitudo ad funus per oſtentationem concurrat, Chriſti ipſa paupertas ditiſſima eſt, atque absque rerum poſſeſſione, vndecunque ob pietatem etiam ad cadauera hominum, velut exercitus, trahit. Nam funeri S. Martini Turon. Epiſcopi vere pauperis confluxere duo Monachorum millia, vt ſic eius paupertas humilitasque ſuperauerit Regum pompas, vt Sulpitius tradit in Epiſtola ad Baſſulam, apud Surium Tomo 6. Nouembri.

Pyramidum (nam & ipſas ſepulchrorum nomine iam recenſuimus) admirandam amplitudinem his verbis commemorat Mela lib. 1. c. 5. *Pyramides tricenum pedum lapidibus extructæ, quarum maxima (tres namque ſunt) quatuor fere ſoli iugera, quæ ſedem occupat, totidem in altitudinem erigitur.*

PH. Strabo lib. 16. tradit, in Babylone Chaldaica pyramidem extitiſſe lateritiam, cuius altitudo ad ſtadium aſſurgeret, & cum quadrangularis eſſet, per ſingula latera metiebatur ſtadium, vt ſic tota quatuor ſtadia complecteretur: ſed non longe à Memphi Ægypti primaria vrbe memorat pyramides plures eſſe, in Regum ſepulchra, tres autem præcipuas ac memoratu dignas putat, quod inter mundi miracula cenſeantur, eadem menſura, altitudo latitudoque eſt, quæ dicta eſt, vt ſcilicet & latera ſingula, & ſumma pinna ad ſtadii porrigatur menſuram.

Pyramides Ægypti.

EQ. Plinius videtur mihi hæc præ cæteris ita explicare, vt nemo melius: *Multa* (inquit) *circa Pyramides Ægypti Regum vanitas fuit otioſa ac ſtulta oſtentatio; vna eſt in Arſinoite nomo, duæ in Memphi, non procul à labyrintho, eæ ſunt conſpicuæ vndique adnauigantibus, ſitæ ſunt in parte Africæ monte ſaxeo ſterilique inter Memphim oppidum, & Delta, à Nilo minus quatuor millia paſſuum, à Memphi ſex. Pyramis igitur ampliſſima ex Arabicis lapidicinis conſtat, trecenta ſexaginta hominum millia annis 20. eam conſtruxiſſe produntur. Tres vero factæ annis 78. & menſibus quatuor, inter omnes, qui plurimi de eis ſcripſerunt, auctores non conſtat, à quibus factæ ſint, iuſtiſſimo caſu obliteratis tantæ vanitatis auctoribus. Aliqui ex iis prodiderunt, in raphanos, & allium, ac cæpas mille octingenta talenta erogata. Ampliſſima octo iugera obtinet ſoli, quatuor angulorum paribus interuallis per octingentos octoginta tres pedes ſingulorum laterum, altitudo à cacumine pedes 25. Alterius interualla ſingula per quatuor angulos pares 737. comprehendunt. Tertia minor prædictis, ſed multo ſpectatior Æthyopicis lapidibus, aſſurgit 363. pedibus inter angulos. In pyramide maxima eſt intus puteus octoginta ſex cubitorum.* Hæc ille lib. 36. c. 12.

PH. Ad pyramides accedunt obeliſci, inter quos eſt vnus precipua inſania extructus

tructus in vrbe Solis Ægypti cubitorum quadraginta; opus id feciſſe dicuntur 20. millia hominum. Ipſe Rex Mitres cum ſubuecturus eſſet, vereretur que ne machinæ ponderi non ſufficerent, quo maius periculum curæ artificum denuntiaret, filium ſuum adalligauit cacumini, vt ſalus eius apud molientes prodeſſet lapidi. Sunt & alii duo, vnus à Smarre poſitus, alter ab Eraphio quadragenum octo cubitorum. Alexandriæ ſtatuit vnum octoginta cubitorum Ptolemæus Philadelphus, maiusque opus fuit in deuehendo ſtatuendove multo, quam in excidendo. Et alii duo ſunt Alexandriæ in portu ad Cæſaris templum, quadragenum binum cubitorum. Alius, quem Diuus Auguſtus in Circo magno ſtatuit, centum viginti quinque pedum, & dodrantis, præter baſim eiuſdem lapidis. Is vero, qui eſt in campo Martio, nouem pedum minor. Hactenus ex Plinio lib. 36. c. 8. 9. ſed & c. 11. Tertius Romæ in Vaticano Caii & Neronis Principum Circo, ex omnibus vnus omnino fractus eſt in molitione. Alium memorat eodem loco Plinius à Nuncoreo factum centum cubitorum. Alium præ cæteris omnibus inſignem longitudine centum & quinquaginta pedum, latitudine vero ſpiſſitudineque quatuor & viginti ex Armeniorum montibus lapide exciſo, via nobiliſſima Babylone excitatus à Semiramide fœmina, etiam inter miracula ſeptem adnumerari conſueuerat, vt Rhodiginus memorat Antiq. lib. 23. c. 6. *Obeliſcus à Semiramide fœmina excitatus.*

EQ. Poſtquam igitur tantus ſumptus in vehendis & conſtituendis obeliſcis neceſſarius fuit, liberet audire, qua arte Romani vehere ex Ægypto eos potuerint ad vrbem.

PH. Plinius id partim explicat lib. 16. c. 40. quando maxima atque admirabili naui vectum ſcribit vna cum quatuor truncis eius lapidis ad ſuſtinendum eum, qui in Vaticano eſt. Sed lib. 36. c. 9. explicatius id habet his verbis: *Euectus eſt foſſa perducta vsque ad iacentem obeliſcum è Nilo, nauesque duæ in latitudinem patulæ, pedalibus ex eodem lapide ad rationem geminati per duplicem menſuram ponderis oneratæ, ita vt ſubirent obeliſcum pendentem extremitatibus ſuis in ripis vtrimque, poſtea egeſtis laterculis alleuatæ naues exceperunt onus ſtatutum.* Hactenus ille. Quo vero artificio conſtituti fuerint tot obeliſci Romæ in ſedibus ſuis, Ammianus Marcellinus explicauit lib. 17. qui quoniam præ cæteris de hac re ſcripſit pluribus, libet eius verba recenſere. Sic enim ille: Obeliſcus Romæ in Circo erectus eſt maximo, ſuper quo nunc, quia tempeſtiuum eſt, pauca diſcurram. Vrbem priſcis ſeculis conditam ambitioſa mœnium ſtrue, & portarum centum quondam aditibus celebrem, Hecatompylos Thebas inſtitutores ex facto cognominarunt. In hac vrbe inter labra ingentia diuerſasq; moles, figmenta Ægyptiorum numinum exprimentes obeliſcos vidimus plures, aliosque iacentes & comminutos, quos antiqui Reges, bello domitis gentibus, aut proſperitatibus ſummarum rerum elati, montium venis, vel apud extremos Orbis incolas perſcrutatis, exciſos erectosq; Diis ſuperis in religione dicarunt. Eſt autem obeliſcus aſperrimus lapis, in figuram metæ cuiusdam, ſenſim ad proceritatem conſurgens excelſam, vtq; radium imitetur, gracileſcens pauliſper, ſpecie quadrata in verticem productus anguſtum, manu leuigatus artificis, formarum autem innumeras notas hieroglyphicas appellantes, quas etiam vndiq; videmus inciſas initialis ſapientiæ vetus inſigniuit auctoritas: volucrum enim ferarumq; etiam alieni mundi genera multa ſculpentes, ad æui quoque ſequentis ætates Imperatorum vulgatius perueniente memoria, promiſſa vel ſoluta Regum vota monſtrabant. Non enim, vt nunc, literarum numerus præſtitutus, & facilis, exprimit quidquid

humana mens concipere poteſt. ita priſci quoque ſcriptitarunt Ægyptii: ſed ſingulæ literæ ſingulis nominibus ſeruiebant, & verbis nonnunquam ſignificabant integros ſenſus. Cuius rei ſciētiæ in his interim duob. exemplis per vulturem naturæ vocabulum pandunt, quia mares nullos poſſe inter has alites inueniri, rationes memorant phyſicæ; perque ſpeciem apis mella conficientis, indicant Regem moderatorem cum iucunditate, aculeos quoque innaſci debere, his ſignis oſtendentes & ſimilia plurima. Et quia ſufflantes adulatores ex more conſtantium id ſine modo ſtrepebant: quod cum Octauianus Auguſtus obeliſcos duos ab Heliopoli tanta ciuitate tranſtuliſſet Ægyptia, quorum vnus in Circo maximo, alter in campo locatus eſt Martio, hunc recens aduectum difficultate magnitudinis territus nec contrectare auſus eſt, nec mouere; diſcant, qui ignorant, veterem Principem, translatis aliquibus, hunc intactum ideo præteriiſſe, quod Deo ſoli ſpeciali munere dedicatus, fixusque intra ambitioſi templi delubra, quæ contingi non poterant, tanquam apex omnium eminebat. Verum Conſtantinus id parum ducens, auulſam hanc molem ſedibus ſuis, nihil committere in Religionem recte exiſtimans, ſi ablatum vno templo miraculum Romæ ſacraret, id eſt, in templo mundi totius, iacere diu perpeſſus eſt, dum translationi pararentur vtilia. Quo conuecto per alueum Nili proiectoq;, Alexandriæ nauis amplitudinis antehac inuſitata ædificata eſt ſub trecentis remigibus agitanda. Quibus ita prouiſis, digreſſoq; vita Principe memorato, vrgens affectus intepuit, tandemque ſero impoſitus naui per maria, fluentaque Tibridis, velut pauentis, ne quod pene ignotus miſerat Nilus, ipſe parum ſub meatu ſui diſcrimine mœnibus alumnis inferret, defertur in vicum Alexandri tertio lapide ab vrbe ſeiunctum. Vnde chamulcis impoſitus, tractusque lenius per Oſtienſem portam, piſcinamque publicam Circo allatus eſt maximo. Sola poſt hæc reſtabat erectio, quæ vix, aut ne vix quidem ſperabatur poſſe compleri, erectisq; vsq; periculum altis trabibus, vt machinarum cerneres nemus, innectuntur vaſti funes & longi ad ſpeciem multiplicium liciorum, cœlum denſitate nimia ſubtexentes, quibus colligatus mons ipſe effigiatus ſcriptilibus elementis, paulatimq; id per arduum inane protentus, diuque penſilis hominum millibus multis, tanquam molendarias rotantibus metas, cauea locatur in media, eiq; ſphęra ſuperponitur ahena aereis laminis nitens, qua confeſtim vi ignis diuini contacta, ideoq; ſublata, facis imitamentum, in figura aereum itidem auro imbracteatum, velut abundanti flamma canentis. Securæque ætates alios tranſtulerunt, quorum vnus in Vaticano, alter in hortis Saluſtii, duo in Auguſti monumento erecti ſunt. Qui autem notarum textus obeliſco inciſus eſt veteri, quem videmus in Circo, Hermapionis librum ſequuti interpretatum literis ſubiecimus Græcis, &c. Hæc Ammianus Marcellinus lib. 17. paulo poſt prin. Verum hodie Sixtus Papa V. vt ſedis Apoſtolicæ Principumque Apoſtolorum Imperium ſuper Ethnicorum Romanorum imperia oſtenderet, vtque beati Petri vere Principis auctoritas eluceſceret, quoniam ad Eccleſiæ potius maieſtatem à toto Orbe æra ac marmora Romam fuerint aduecta, in Chriſti magis ſequuturam gloriam, quam ipſorum tum imperantium Romanorum, Vaticanum obeliſcum obſcœniſſimo quodam velut latentem loco, magno ſumptu maioreque Dominici Architecti induſtria, tranſtulit temporis interuallo annuo, in ampliſſimum ſcilicet forum, quod patet ante Baſilicam D. Petri, vt omnibus fieret ipſe obeliſcus magis conſpicuus, & quanto ſublimior ſit ſedes Petri, animaduertere quisq; poſſet, quanto Imperatorem labores omnes ac ſumptus

ptus ceſſerint commodo & ornamento Apoſtolorum Chriſti, præcipue vero Beati Petri ipſorum Principis.

TH. Locatus quidem (illa grandi maieſtate) conſpicuus redditur Vaticani obeliſcus in illo foro, ſed is, quem modo commemorauimus in Circo maximo ab Auguſto poſitum idem Sixtus velut è latebris eruit, cum totus humo obrutus non appareret, in apertam lucem eduxit fractum, quem maxima eiusdem Dominici induſtria ante D. Ioannis Lateranenſis Baſilicæ fores, atq; ante ædes illas præmagnificas, quæ Imperialem reddant in vrbe Roma maieſtatem, quasq; ipſe idem Sixtus in Laterano mira celeritate extruxit, erigendum curauit incredibili induſtria, nunquam à Romanorum ſeculo in hunc vsq; diem aut audita, aut viſa. Spectatur magna iucunditate, tum ob latitudinem atq; altitudinem, ob notarum Ægyptiarum, quarum meminit Ammianus Marcellinus, in ea ſculptarum formas, vt tanta moles tam procul à Roma exciſa ac ſculpta, ad Imperatoriam Maieſtatem exornandam vecta, cedat Chriſto ac eius ſacroſanctæ cruci, vt ſic quidquid eximium Imperatorius labor ac ſumptus pepererat, Chriſto ſoli peperiſſe videatur: hoſtili enim manu moles illa proſtrata breuis fuit, dum Imperatoria laude floruiſſet, nunc autem nunquam vlla hoſtili manu caſura eſt, cum Chriſti gloriam ferat. Sed & alius obeliſcus, qui apud Mauſoleum Auguſti fractus iacebat, eiusdem artificis ſtudio, ita iubente Sixto, excitatus eſt inter hortos Sixtinos, ante Viminalem eorum portam & Ædem ſacroſanctæ Mariæ Virginis ad Præſepe.

EQ. Obeliſci igitur, (vt ad rem redeamus) quos commemorauimus, ex vno tantum exciſi ſunt porphyrite marmore, eoque prorſus integro, & ſane admirandi ſunt. Sed de quo legi apud Plinium lib. 37. c. 5. longe mihi videtur admirabilior: tradit enim ex Theophraſto & Ægyptiorum commentariis, obeliſcum in Iouis delubro conſtitutum, è quatuor Smaragdis, quadraginta cubitorum longitudine, latitudine vero in vna parte quatuor, & in altera duorum.

TH. Hæc omnia peperit hominum induſtria: at aliquando, quod arte non fit, compertum eſt, caſu fieri obeliſcos formæ & amplitudinis præcipuæ, vti alias diximus in Meteoris. Olaus enim lib. 1. c. 16. tradit, ſaxeos montes, quorum durities quælibet ſuperat marmora apud Eslingos populos, ſæpe fulminibus ictos fuiſſe, aut terræ motibus quaſſatos; ideo inde abrumpi ſaxeas moles ingentes, efformatas in pyramides atque obeliſcos, ac teretes columnas præmaximas, non minore formæ totius abſolutione, quam ſi peritiſſimi artificis manus adhibita fuiſſet.

EQ. Pyramides igitur & obeliſci, tum ipſi per ſe ſoli, vt artificia præcipua ſpectanda ſunt, tum ſæpe rebus aliis maximo ornamento fuere, vt in Mauſoleo contigerat. Nam vt de Mauſoleo agamus, quod tametſi inter ſeptem Orbis miracula iam commemorauimus, non tamen explicuimus, quid illud fuerit. Libet igitur à Plinio diſcere; is lib. 36. c. 5. ſic habet: *Mauſoleum* (inquit) *eſt ſepulchrum ab vxore Arthemiſia factum Mauſolo Cariæ Regulo; opus id, vt eſſet inter miracula, maximi artifices fecere: patet ab Auſtro & Septentrione ſexagenos ternos pedes breuius à frontibus toto circuitu pedes quadringentos 11. attollitur in altitudinem 21. cubitis, cingitur columnis 36. ac ſupra pteron pyramis altitudine æquali 24. gradibus, in metæ cacumen ſe contrahens. In ſummo eſt quadriga marmorea, hac adiecta 140. pedum altitudine totum opus includit. Cælatura mira huius operis fuit, ab inſignioribus eius ſeculi artificibus exacta.* Hæc à Plinio.

PH. Vbique fuere ornamento maximo pyramides & obeliſci haud dubie, ſed longe maiore in labyrinthis exornandis. Propterea de labyrinthis nunc agere operæpre- *Labyrinthi.*

ræ pretium eſt: ſimul etenim quod ſupereſt de obeliſcis aut pyramidibus agemus opportune. Quatuor præcipuos fuiſſe conſtat; primum Ægyptium in Heracleopolite; ſecundum Creticum; tertium in Lemno; quartum in Italia: hæc Iſidorus lib.15. cap.2. Strabo autem lib. 17. ſingulas Labyrinthi Ægyptii partes exacte conſcribit. At Plinius luculentius omnibus abſolutiſſime agit: libro enim 5. cap.9. memorat, maximum labyrinthum in lacu Mæridis extitiſſe, in Africa, exædificatum nullo addito ligno, & partes omnes explicat in hunc modum: *Labyrinthus portentiſſimum humani ingenii opus, durat etiam nunc in Ægypto in Heracleopolite nomo, lapide polito, fornicibus tectus, diuiſus in regiones atque præfecturas (quas vocant nomos) ſexdecim nominibus earum totidem vaſtis domibus attributis; præterea templa omnium Ægypti Deorum continet. Super Nemeſes quindecim ædiculis incluſæ, pyramides complures quadragenarum vlnarum, ſenes radice muros obtinentes, feſſi iam eundo perueniunt ad viarum illum inexplicabilem errorem, quin & cœnacula prius excelſa, porticusque aſcenduntur nonagenis gradibus omnes, intus columnæ porphyrite lapide, Deorum ſimulachra, Regum ſtatuæ, mons trificæ effigies. Quarundam autem domorum talis eſt ſitus, vt adaperientibus fores tonitruum intus terribile exiſtat. Maiore autem in parte tranſitus eſt per tenebras, aliæque rurſus extra murum labyrinthi ædificiorum moles, Pteron appellant, inde perfoſſis cuniculis ſubterraneæ domus.* Hæc de Ægyptio Labyrintho. Mela vero lib.1.c.5. adiicit quædam luculenter explicata: Pſammetici (inquit) opus labyrinthus domos mille & Regias duodecim perpetuo parietis ambitu amplexus, marmore extructus ac tectus, vnum in ſe deſcenſum habet, intus pene innumerabiles vias multis ambagibus huc & illuc remeantibus, ſed continuo amfractu, & ſæpe reuocatis porticibus ancipites, quibus ſubinde alium ſuper alios orbem agentibus, & ſubinde tantum redeunte flexu, quantum proceſſerat, magno & inexplicabili tamen errore perplexus eſt. Adiicit autẽ Plin. lib.37.c.5. in hoc labyrintho coloſſum fuiſſe Serapidis ex Smaragdo nouẽ cubitorũ. Adiicit autem Herodot. de eodẽ Ægyptio Labyrintho loquẽs hæc lib. 2. c.11. Labyrinthus in lacu Myrios circuit ſtadia 3600. Aquæ profunditas paſſuũ 50. in medio pyramides duæ, altitudo extra aquã paſſuũ 50. in ſummo coloſſus. Hæc ab illo. Hunc autẽ nullo prorſus ligno fuiſſe ædificatũ memorat Plin. lib.5. c.9. At de Cretico labyrintho ſic idem Plin. lib.36. c.13. *Dædalus labyrinthi, quem fecit in Creta, exemplar ſumpſit ab Ægyptio, ſed centeſimam tantum portionem eius imitatus eſt, eam ſcilicet, quæ itinerum ambages, occurſusque ac recurſus inexplicabiles continet, non (vt in pauimentis puerorũve ludicris campeſtribus videmus) breui lacinia millia paſſuum plura ambulationis continens, ſed crebris foribus inditis ad fallendos occurſus, redeundũq; in errores eosdem.* Hæc de Cretico, cuius nulla veſtigia ſuperfuiſſe ſuo tẽpore Plin. conteſtatur. Propterea is ſubterraneus meatus, qui inextricabilib. errorib. per tenebras duce aliquo perito, accenſisque facibus à curioſis frequenter viſitatur, non labyrinthus ille eſt, licet ſit labyrintho ob anfractus coæquandus: eſt autẽ lapidicina vetuſtiſſima multa habens diuerticula, & eos, qui apparent, amfractus, ac ſinuoſæ latebræ, vt memorat Petr. Bellonius, & ex illo Ortellius in Creta. Lemnius ſimilis illis, columnis tantum centum quadraginta, mirabilis fuit, quarum in officina turbines ita librati pependerunt, vt puero circumagente tornarentur. Italicum vero fecit Porſena Rex Hetruriæ ſepulchri cauſa, ſimul vt externorũ Regum vanitas quoq; ab Italis ſepararetur: Varronis autem verba de iſto hæc ſunt; *Sub vrbe Cluſio monumentum eſt lapide quadrato, ſingula latera pedum lata tricenum, alta quinquagenum, inq; baſi quadrata intus labyrinthus inextricabilis, quo ſi quis improperet ſine glomere lini, exitũ inueniri nequeat.*

Supra

Supra id quadratum Pyramides ſtant quinque quatuor angulis, & in medio vna, in imo lat. pedum ſeptuagenum quinum, altæ centum quinquagenum: ita faſtigiatæ, vt in ſummo orbi æneus, & petaſus imus omnibus ſit impoſitus, ex quo pendeant excepta catenis tintinnabula quæ vero agitata longe ſonitus referant: ſupra quas vno ſolo quinque Pyramides, quarum altitudinem Varronem puduit adiicere: adeo veſana dementia quæſiſſe gloriam impendio nulli pro futuro, præterea ſatagaſſe Regni vires, vt tamen laus maior artificis eſſet. Hactenus ex Plinio.

Eſt & alius in Vngaria labyrinthus, ſed non tantis extructis ambagibus, neque tanta lapidea mole, ſed horti amœniſſimi vicem præbet, Regia magnificentia excultus: ex arboribus etenim conſitus, inſtitutus eſt, & inſuper viuaria è peregrinis, noſtratibusq; auibus, quæ ferrea retia coercebant. In auiariis quoq; arbuſta, fructiferæque arbores, & nemus, item xyſti per ordinem digeſti, variisque arborum generibus circumuallati. Inſuper cryptæ, porticus, lithoſtrata, piſcinæ, turres quoq; cœnaculis ac pergulis obductæ, in quibus cœnationes cum vitreis ſpeculatoribus vsque adeo iucundæ, vt nihil putes amœnius. Hæc Bonfinius de rebus Vngariæ, Dec. 4. l. 7. qui adiicit præterea Reges ipſos ad has delicias addidiſſe alias, ſcilicet ad Vicegradum, hortos, fontesq; penſiles, qui porphyreo marmore, æneoq; ſolio culti ſunt. Hæc ideo recenſuimus, vt vaniſſimum humanarum rerum ſtudium nihil vnquam proficere, imo ſemper officere doceamus: Vngarici enim illius luxus exitus fuit mæror incredibilis: cum Reges ab Apoſtolicæ ſedis obedientia ſæpe defeciſſent, libertatem Eccleſiaſticam tum in rebus, tum in perſonis violantes: ea enim omnia, ac regnum quoque ipſum immaniſſimus Turcus rapuit, & tenet, ſuntque ea ad Turcicarum impietatum vſum conuerſa noſtro hoc ſæculo. Sed de labyrinthis hactenus.

EQ. In hoc Colloquio, cum inciderit mentio Viuariorum & Coloſſorum, res poſtulat, vt nonnihil de vtroque diſſeramus. Et primum de Viuariis aliquo nomine inſignibus. Viuaria alio nomine Leporaria dicta fuiſſe legimus, vt eſt apud Aulum Gellium, ſed nobis nulla cura fuerit de nominibus: res enim ipſas tantummodo quærimus. Leporaria duo maxima mihi recenſenda ſunt, vnum quidem in Oriente, alterum in Italia. Magnus ille Cam in Xanda vrbe, ſexdecim millibus paſſuum murum duxit, velut in orbem; omnia ferarum genera, ſed & auium ibi continentur; quod admirabile eſt, extat ibi domus mobilis, tota ex arundinibus inauratis extructa, quam columnæ inauratæ plurimæ fulciunt, ſubiectiſque draconibus alas expandentibus & inauratis, etiam ſolaria fulciuntur. Tectum omne ex arundinibus diſſectis canalium modo conſtat, vt imbribus fluxus aperiatur. Sunt autem prægrandes arundines, vt canalium noſtratium vicem præbeant. Vt autem ruſticitas operis minus aperiatur, tectum huiusmodi omne, ſingulæque arundines ita diſciſſæ encauſto, auroque contectæ ſunt, vt nulla aquarum colluuie lædi poſſint. Deinde vero, ne ob leuitatem ventis expoſita domus aut ruat, aut dimoueatur; vndecunque funes à ſummo vertice deducuntur (velut nauium malos colligari videmus) & ſtipitibus terra fixis, colligantur. Sunt autem funes 200. vt hinc pateat domus amplitudo. Omnis eius contignatio ex arundinibus conſtat: nam ad tres palmulos earum craſſities protenditur. Cum igitur tanta domus leuiſſima ſit, ita compacta eſt, vt percommode diſſolui, transferri ac rurſum componi poſſit. Polus id narrat lib. 1. cap. 55. *Viuarii.*

Extat autem in Italia proxime Ticinum aliud Leporarium à Mediolanenſium

Duce Galeatio extructum, quadrangulari forma, perpetuo muro ducto, ad viginti paſſuum millia, venationi ſingulorum generum animantium ſua ſepta erant lateritio muro confecta: ſumptus immenſus omnibus paſcendis animantibus præcipue rapacibus quadrupedibus. Murus nihil minus maieſtatis, firmitatisque habet, quam reliquæ Italiæ vrbes. Quod vero oppida intra illud ſint non pauca: eſt equidem memorabile; ſed ab eodem ibi ædificatum eſt memorabilius cœnobium Carthuſianorum ditiſſimum, ac quod paſſibus mille muro cingitur. Templo tanto ſumptu exædificato, plumbo vbique contecto, ac quod alibi non videas, ſacella quædam & arcæ non paucæ ex ebore viſuntur: nos vidimus ſummaque admiratione omnia perluſtrati ſumus, eius quoque meminit Leander. Itaque magna laude habendus is Princeps ob templi, non ob viuarii illos immenſos ſumptus. Fateor tamen publicos aliquos, aut etiam priuatos ſumptus laudari poſſe, quando in publicam vergunt vtilitatem, velut in oppido Pincia, cui vulgo Valliadolito nomen eſt in Hiſpania, Viuarii loco eſt forum venale ambitu obtinens ſeptingentos paſſus, ædificiorum pulchritudine adeo conſpicuum, vt in eo numerentur 330. ianuæ, feneſtrarum tria millia: numerauit Lucius Marinæus lib.3. prin. rerum Hiſpan. Viuarium certe illud eſt, quo omnia coemi poſſint. Reliquum eſt,

Coloſſi.

vt Coloſſos perſequamur, fuere etenim inſignis artificii opera. Memorantur plures admirandi, præter eum, quem antea diximus è Smaragdo nouem cubitorum in labyrintho Ægyptio Pſametici manu peractum, æneum alium in Galatia Iouem referentem, tradit Strabo lib.12. Quin & alios duos ex vno lapide in Thebis Ægypti idem Strabo ſcripſit lib.17.

PH. Plinius alios memorat lib.34. cap.7. *In Capitolio (*inquit*) erat translatus Apollo à M. Lucullo ex Apollonia Ponti vrbe 30. cubitorum, talentis 150. factus. Talis in campo Martio Iuppiter à Claudio Cæſare dicatus. Talis & Tarenti factus à Siſippo 40. cubitorum. Mirum in eo, quod manu (vt ferunt) mobilis, ea ratio libramenti fuerat, vt nullis conuelleretur procellis; id quidem prouidiſſe & artifex dicitur modico interuallo: vnde maxime flatum opus erat frangi, oppoſita columna.*

EQ. De hoc Coloſſo Tarentino etiam Strabo meminit, quem & æreum fuiſſe tradit, & Rhodiano fere adæquandum, quin & ibi Heraclis æream aliam ſtatuam Coloſſi amplitudine eiusdem Liſimachi induſtria confectam ſcribit libro ſexto.

TH. Rhodianum igitur Coloſſum omnes ſuperaſſe compertum eſt; quanquã de illo alias egimus, ſed paucioribus: nihil enim potuit audiri, viderive admirabilius. De illo etenim plerique auctores tradidere: Strabo igitur ipſius altitudinem, ruinamque commemorat lib.14. & Iſidorus lib.14.c.6. Verum afferenda ſunt Plinii verba, is luculentius de illo conſcribit lib.34.cap.7. *Ante omnes (*inquit*) in admiratione fuit ſolus Coloſſus Rhodi, quem fecerat Chares Lydius, ſeptuaginta cubitorum altitudinis fuit. Hoc ſimulacrum poſt quinquageſimum ſextum annum terræmotu proſtratum; ſed iacens quoque miraculo eſt, pauci pollicem eius amplectuntur, maiores ſunt digiti, quam pleræque ſtatuæ; vaſti ſpecus hiant de fractis membris; ſpectantur intus magnæ molis ſaxa, quorum pondere ſtabiliuerat conſtituens, duodecim annis tradunt effectum 300. talentis.* Hæc Plinius. Mirarique interim magis libet Rhodienſium ſtultitiam, qui tantam molem æream conſtruxerant auertendæ peſtis cauſa, quæ tum ſæuiſſime in ea vrbe graſſabatur, teſte Nicephoro lib.3. cap.11. ſpem impie coniicientes in murum ſimulacrum irridendumque Deum, qui nec ſuis viribus, nec hominum auxilio

poſſet

poſſet conſiſtere;eſſetq; iacens omnium cõculcationi expoſitus;quin etiam venalis factus,& in innumeras partes diuidendus.Zonaras enim in Conſtante Heraclii nepote memorat, ipſo Imperatore ab Agarenis in Phœnice Lyciæ portu deuicto, Agarenos, obſiſtente nemine,etiam Rhodo Inſula ſubacta,celebratum huiusmodi Coloſſum demolitos fuiſſe, cuius æs Iudæus quidam mercatus, nongentis camelis onuſtis fertur aſportaſſe. Hæc à Zonara,cui & Platina aſſentitur in Martin. I. Fuiſſe autem alios plurimos inſignes Coloſſos in eadem vrbe idem Plin. meminit eodem lib.34.c.7. Sed adhuc nobis alios Coloſſos libet recenſere non contemnendæ memoriæ; nam in vrbe Siri Ægypti complures eſſe memorat Herodotus lib. 2. c.12. præcipue inter eos vnum iacentis ſpecie cubitorum 75. ſed de ornatu eius nil meminit. At in regno Pegu Indiæ Orientalis Coloſſi plures admirandæ altitudinis extant prorſus laminis aureis contecti, capitib. diademata geſtantes protioſiſſimis gemmis exornata, ac proxime eos extant ſedes (vnde gentis leges promulgantur) præaltæ,velut nobis ambones, ſuntq; prorſus aureæ,vt tradit Ferdinand. Mendez anno Domini 1554.

Aurum itaq;,gemmæ,ac quidquid in iis Coloſſis compertum eſt, nulli proficit, niſi ad hominum perniciem,fouendæq; Idololatriæ. At longe vtilior fuit rudis illa ſtatua marmorea,quam in Apulia extitiſſe ferunt, quæ cum muta res eſſet, adeo egregie locuta eſt,vt aurum,quod ipſa non haberet,in vſum hominũ indicauerit è ſeruitute in libertatem reuocans homines. Nam ante annos abhinc prope 600.in Apulia marmorea extabat ſtatua,cuius tempora ex ære circulus ambibat iis inſcriptis literis: *Kalendas Maii exoriente Sole,aureum mihi caput erit.* Quidnam id portenderet,Saracenus quidam Roberti Guiſcardi captiuus interpretatus eſt. Quum Sol ad præſcriptum terminum peruenerit,ſi quis ſtatuæ vmbram aduerterit, quo capitis vmbra pertigerit, ibi theſaurum deprehenſurum,neq; interpretationem euentus fefellit. Nam Kalend.Maii magna auri copia ibi comperta eſt defoſſa,vbi capitis vmbra Sole oriente pertingebat: ſeq; ea pecunia Saracenus à captiuitate redemit. Segeb.anno Domini 1038. Vinc.hiſt.lib.25.cap.17. Bonf. dec.2. lib. 2. Platina in Leone IX. Stultitiam igitur ex ſtatuis Idololatrarum animaduertimus, & quas illi magno ſumptu egerunt,velut perpetuo duraturas, eas Chriſtiani ſolo habitu demoliti ſunt. Nam præter alias S.Procopius in Cæſarea in Peneade 30.ſtatuas ſolo crucis ſigno deſtruxit. Metaphr.Lip.tom.6.ſcol 5. Præter id,quod ſæpe vel ipſis viuentibus,cui dicatæ fuerant, dirutæ memorantur: trecentæ enim ſtatuæ Demetrio Phalereo honoris cauſa erectæ,ipſo adhuc viuente,ſubuerſæ omnes,ſublateq; ſunt,vt Plutarchus in Politicis memorat. Sed redeamus ad Coloſſos ex Plinii lib. 34.c.7. *Sunt*(inquit)*in eadem vrbe Rhodo alii hoc minores Coloßi centum numero, qui vbicumq; ſinguli fuiſſent nobilitaturi locum: Fuit & alius in Italia in Bibliotheca templi Auguſti, pedum quinquaginta à pollice,dubiumq; fuit,an ære,an pulchritudine eſſet mirabilior. Alium fecit noſtra ætate Zenodorus Mercurio facto in ciuitate Galliæ Aruernis per annos decẽ,omnes amplitudine ſtatuarum eius generis vincens, pedum 400.immani pretio, Romamq; accitus à Nerone Coloſſum fecit 60.pedum longitudine.* Hactenus à Plinio; ſed & Euſeb. Cæſarienſis in Chronico ſub Veſpaſiano Coloſſum pedum 107.Romæ erectum tradit, vti ſubſcribit etiam Caſſiodorus in Chronico.

PH. Nunc res expoſtulat,vt de templis,quatenus ædificia inſignia fuere,diſſeramus. Erat præcipuum,& inter ſeptem miracula, delubrum Cyzici, quod etiam Plinii tempore durabat: ſic enim Plinius lib.36. cap.15. *Durat in Cyzici delubrum, in*

quo filum aureum commiſſuris omnibus politi lapidis ſubiecit artifex, translucent iuncturæ tenuiſſimis capillamentis, ac præter ingenium artificis ipſa materia, quamuis occulta, in pretio operis intelligitur. Nec ob hoc tantum illud templum fuit admiratione dignum, ſed & ob alia: nam Zonaras in M. Aurelio, Antonino Pio ſic habet: *Terræmotu Cyzicus imprimis eſt afflicta, in qua etiam celebre illud templum corruit, cuius columnæ ex vnico ſaxo quatuor* Orgyas *craſſæ in altitudinem quinquaginta cubitorum aſſurrexiſſe perhibentur: quod ſi cui incredibile videbitur, is cætera etiam eius operis omnia mirabilia fuiſſe cogitet.* Eadem Dion.

EQ. Si illo ornamento aureo meruit inter miracula adſcribi Cyzici delubrum, longe magis id meretur templum, de quo Olaus meminit lib.3.cap.5. Ioannes (inquit) magnus Vpſaliæ Archiepiſcopus primo hiſtoriarum libro tradit iuxta flumẽ Sala eo loco, vbi ipſa Vpſala ſita eſt Gottiæ ac Sueoniæ Metropolis, templum tantæ venuſtatis extitiſſe, vt pauimentum, muri, columnæ quoque ipſæ auro obtectæ eſſent. Tectum quoque ipſum ex auro confectum, ex quo tecto circumcirca templum omne ambiens pendebat ſolida ex auro catena. Itaq; & artificium & venuſtas ac pretium, ſimul quoq; ſplendor ipſe templum illud præ cæteris omnibus commendare videbatur.

Templum Hieroſolymæ.

TH. Si hoc nomine admirandum fuit hoc templum, licebit admirari, quod Ruffinus ad Euſebii hiſtoriam lib.11.cap.23. memorat Serapidis templum interiores delubri parietes laminis primo aureis veſtiri, ſuper has etiam argenteis, tertio quoq; loco eſſe æreas ad vtrumq; tum argenteum, tum aureum ornamentum cõmuniendum. Sed præ cæteris omnibus Hieroſolymitanum templum ſuſpiciendũ fuit, licet de illo iam pridem diſſeruimus, hoc tamen loco opportune paulo fuſius agemus, nec erit ſuperuacanea repetitio. Artifices igitur in eo ædificando fuere cẽtum quinquaginta millia, & ſexcenti: horum octoginta millia incumbebant lapidibus excidendis ex montibus. Sexcenti erant ipſius fabricæ Præfecti: operum autem præpoſiti ad tria millia & ſexcenti numerabantur, 2.Paral.2. Ab hoc numero excepti fuere ii fabri, quos Tyrius Rex propriis alebat ſumptibus, conſeruandæ amicitiæ cauſa cum Salomone, quorum munus erat ligna ex monte Libano excidere ad huius templi ſtructuram. Eorum autem præmagnum fuiſſe numerum vel inde colligi poteſt, quod ad eos Salomon miſerit modiorum frumenti millia viginti, totidem hordei ac olei totidem, ſicut & vini. Neque eo in numero continebantur nautæ, ſculptores ac metallarii, quorum egregius quoque numerus fuit: vnde deprehendi poteſt ſumptus immenſitas ac fere incredibilis. Argenti enim, ob ingentem copiam, nullam habitam rationem expreſſum eſt, 2.Paral.lib. cap.9. Tantam enim ait in domo Salomonis fuiſſe copiam, vti in campeſtris lapidum. Erat prætereà vniuerſum ipſum templum à ſummo vertice vsque in imum pauimentum laminis aureis contectum, 3.Reg.cap.6.& 2.Paralip.cap.3. Et qui locus Sancta Sanctorum dicebatur, vniuerſus ex auro confectus erat ad pretium ſexcentorum talentorum, eodem cap.3. Huic quoque deſeruiebant Sacerdotum quatuor & viginti millia; & vt videtur aliis quadraginta quatuor millia; muſicen profitentes ſex millia. Hæc Mondognetus longe explicatius, tum ex ſacris literis, tum ex Hebraica traditione memorat libro, cui mons Caluarius nomen eſt, p.2.cap.4. Leuitarum autem, quos nos Diaconos dicimus, Hieroſolymitano eidem templo addictorũ numerus ad octo millia cẽſebatur, vt memorat Chryſoſt.hom. 86.in Matth. recolitq; Sixtus Bibliothec.lib.6.ann.121. Sed quoad aurum pertinet, vnicam trabem

bem in loco, cui Sancta Sanctorum nomen eſſe diximus, fuiſſe proditum eſt penitus auream, trecentarum ſcilicet minarum auri, id eſt, ſeptingentarum, & quinquaginta librarum, vt Zonaras tradit tomo I.

EQ. Propter hanc ſummam illius templi maieſtatem, cum Pompeius eo perueniſſet, maluit admirari, quam prædari. Ægeſippus enim excid. Hieroſol. lib. I. c. 17. *Pompeius* (inquit) *cum inſpexiſſet ſacra templi omnia, & ſacræ pecuniæ talenta duo millia, in quibus cum plurimum aurum eſſet, integer tamen ab omni cupiditate, vel ipſa, vel ſi quæ ſacrorum vaſorum inuenta ſunt, intacta ſeruari præcepit.* Hæc ille. Et ſane admiratione affici Principem Romanum ob templi illius maieſtatem, admiratione res digna videtur. Quandoquidem Romanæ vrbis in rebus omnibus maieſtas ciuibus Romanis admirandi occaſionem vbicumque locorum abſtulerat, quod nihil fere alibi eſſe poſſet, quod Romanam maieſtatem non dicam ſuperare, ſed ne æquare quidem poſſet. Propterea Titus & ipſe Romanus Princeps, cum ingreſſus Hieroſolymam fama templi motus, ad ipſum cucurriſſet, cuiusmodi ædes eſſet circumſpectans, eius gratia permotus, præcellentiorem omnium templorum fuiſſe operibus fatebatur, mirabatur ſaxorum magnitudinem, metalli nitorem, venuſtatem operis, gratiam pulchritudinis, nec immerito tantam fuiſſe loci celebritatem pronunciabat, vt eo ex locis omnibus conueniretur: quia tantum non niſi ſummi Dei crederetur eſſe domicilium; adiungebat honos fidem religionis, quo etiam barbarorum gentes templum illud venerabantur; & inferebant munera prædones religionis. Hæc Ægeſip. Hieroſol. excid. lib. 5. cap. 43. At Craſſus rapacior fuit, illud expilans: tradit enim Zonaras tom. I. his verbis: *Craſſus Iudæam ingreſſus, templi Hieroſolymitani pecuniam, quæ bis mille talenta erant, abſtulit, atq; omnis templi ornatum ſpoliauit, qui ad talenta auri octies mille æſtimabatur. Rapuit & trabem ex auri 300. minis fabrefactam, mina porro Iudaica libras binas & ſemiſſem pendit.* Hæc ibi Zonaras, qui etiam eadem parte adnotat, in expilatione templi Hieroſolymitani auri tãtam fuiſſe prædam, vt aurum dimidio minus in Syria valuerit, quam vere valeret. Hæc de Hieroſolymitano templo.

TH. Iure admirandum fuit templum illud Pompeio atque Tito, quandoquidem etiam ipſa (vnde conſtabat) ſaxa ad cubita 25. longa conſpiciebantur, lata duodecim, vt Zonaras meminit tom. I. in Herode. Formam autem eius templi etiam Ethnici prodidere; quin alius nemo conſcripſit abſolute. Ecatheus Abderita Philoſophus, cum de Iudæis ſcriberet, templum his verbis deſcribit: *In media vrbe Hieroſolyma ædes lapidea eſt, quinq; iugerum, id eſt 600. ped. longitudinis, latitudinis cubitorum centum, cui portæ duplices ſunt: in eo ara quadrata eſt integris lapidibus, ac inornatis compoſita, cuius ſingula latera viginti, altitudo autem duodecim eſt cubitorum, apud quam domus magna eſt, vbi altare atque candelabrum; vtraq; aurea ſunt, ponderum talentorum duum.* Hæc ille, quæ etiam recenſet Euſeb. Cæſar. præparat. Euang. lib. 9. cap. 2. qui etiam cap. 4. paulo ſub finem de eiusdem templi menſura & ornatu ſic habet: *Fundatum à Salomone templum cubitorum ſexaginta, & latitudinis ſimiliter, fundamentorumq; latitudo fuit cubitorum decem: ædificatumque eſt totum vndique à pauimento vsq; ad tectum deauratum, & tectum laquearibus factum, & aureis tegulis æneis de foris contectum, duasq; columnas æneas altitudini æquales templo, decem cubitos in circuitu continentes, auro deauratas ſoliditate vnius digiti, altera autem à dextris, altera à ſiniſtris templi ſtatuta erat. Candelabra quoque aurea talentorum ſingula decem, alia quidem à dextris, alia à ſiniſtris poſita. Lucernæ autem aureæ ſexaginta ſeptem, in vnoquoq; candelabro factæ, & fornix maxima ad Borealem*

templi partem ædificata eſt, quæ 48. annis columnis ſuſtentabatur: ſed & labrum (vas ſcilicet lauandorum ſacrificiorum) viginti cubitorum longitudinis & latitudinis ſimiliter; profunditas autem cubitorum quinq; gradus quoq; circumducti ſunt, vt Sacerdotes adire, ac pedes ac manus lauare poſſent. Poſitaq; ad dexteram altaris eſt baſis altitudinis duorum cubitorum, vt in ea Rex ſtaret, quo facilius ab vniuerſo populo videretur. Altare fuit 12. cubitorum altitudinis; ſed & catenæ tanquam retia ſuper omnem templi altitudinem 20. cubitis inſtrumentis quibusdam extendebantur; idq; factum, ne aues ſuper templum ſederent, neq; nidos in laquearibus eius facerent, vt templum ab omni foret immunditia incontaminatum. Totum autem aurum, quod in templo, columnis, cæteruq; omnibus templi vaſis fuit conſumptum, quadrageſies ſexies centena millia fuere. Argenti vero ad clauos & alia inſtrumenta, mille ducenta triginta duo talenta. Æris vero in columnis, fornicibus ac cæteris talenta decem, & octo millia & quinquaginta. Hæc ex peruetuſtis auctoribus, qui de templo Hieroſolymitano conſcripſerunt, memorat Euſebius Cæſarienſis, de quo iam ſatis dictum ex veteribus. Sed poſtquam Ecatheus vetuſtiſſimus menſuram templi expoſuerat, non illa dimenſione contenta gens Iudaica in ampliorem longitudinem, latitudinemq; ædem illam extendit: nam cum Sanctuarium ipſum longum ad centum cubita eſſet, altum ad centum vigintiquinque, latum ad quinquaginta quatuor, circumcirca ornatiſſimus murus ductus eſt mutulis perpetuis, vt totus ipſe ambitus fuerit ſupra tria cubitorum millia, id eſt, ſupra decem palmorum millia: vt Neoterici, qui de ea re ſcripſerunt, pluribus enarrarunt: cubitum exponentes, vt Italos palmos tres cum dimidio complectatur.

EQ. Addere & aliud admirandum libet à Strabonis lib. 16. Tradit enim is arcem Hieroſolymitanam, cui adhærebat templum Pompeii tempore, cui ipſe tum aſſidebat, foſſam habuiſſe ſaxo totam excauatam, altitudine ſexaginta pedum, latitudine ducentorum quinquaginta.

TH. Si portam eius templi, vel vnam illam contemplemur, quæ Orientalis dicebatur, quæ & ærea erat, admirari cogemur: nam ita robuſta erat, vt à viris vinginti vix clauderetur, atq; aperiretur; & quod maiore miraculo factũ eſt, cum vectes, & peſſulos profundiſſimos haberet, paulo ante excidium noctu vltro patuit porta ipſa, atq; ita ſecuritatem templi ſublatam eſſe declarauit, & facilem in id hoſtium ingreſſum futurum etiam profanis quibuscunque, vt Zonaras tradit parte prima. Quibus ex rebus, quanta ipſa vrbs fuerit, coniicere poſſumus. Vnde quisquis ſtrages duas præcipuas, quas ſub Tito, ac poſtea ſub Adriano Imperatoribus Romanis gens illa paſſa eſt, animaduerterit, fatebitur nullam illi toto orbe vrbem præter vnam Romam fuiſſe æquandam. Nam ſub Tito ex vna eius vrbis porta elata fuiſſe mortuorum corpora ad ſexcenta millia obſidionis compreſſione exanimata, memorat Ægeſippus excid. Hieroſol. lib. 5. c. 25. Sed & c. 49. eiusdem libri ſcribit, obſidione illa durante, cæſa fuiſſe hominum Iudæorum decies centena millia; alii autem centum myrrhiades, velut Euſeb. hiſt. lib. 3. cap. 7. qui vndecies centena millia cæſa commemorat. Accedunt his Ioſeph. belli Iud. lib. 7. cap. 26. & Niceph. lib. 3. cap. 7. At ſub Adriano cum iidem vrbem ſuam reſtituere niterentur, virtute Romana obſiſtente cæſa ſunt Iudæorum quingenta, & octoginta millia, præter eos, qui fame, atq; aliis cladibus perierant, quorum quoq; incompertus fuit numerus, vt Zonaras memorat in Adriano. Sed nos cum hoc Colloquio artificia magis, quã opes, & populorum numerum proſequamur, libet alia templa recenſere, quæ eximia arte conſtructa ſunt: nec enim videtur prætermittendum illud, quod in Damiata

miata vrbe Syriæ compertum eſt: nam erepta vrbe illa Chriſtianorum virtute è Turcarum manibus, templum, quod impietati Mahumetani deſeruierat, conuerſum eſt ad verum Chriſti cultum, Innocentio III. Romano Pontifice, quando eius iuſſu in Palæſtina bellum ſacrum geſtum eſt. Erant in hoc templo centum quinquaginta marmoreæ ingentes columnæ, ac circa illud ſeptem porticus numerabantur, vt recolit S. Antoninus 3. tit. 19. cap. 3. 13.

PH. Admirabile in hoc templo nil eſt præter illam columnarum ac porticuũ numeroſitatem. At magis admiror templum ob ſaxi vnius amplitudinem, velut cũ vno ſaxo templum aliquod ſpatioſum contegitur, quod ſpectari poteſt apud Rauennam, vti alias diximus, in Eccleſia S. Mariæ Rotundæ. Erat primum Theodorici Regis Gottorum ſepulchrum, poſtea D. Mariæ dicatum, patet diametro pedes triginta quinq; orbiculari forma: ambitu autem vltra centum quinq;. Hoc vniuerſum vnico ſaxo integro contegitur, velut fornice. Erat in ſummo vertice ex Porphyrite lapide Theodorici loculus tegumento æreo contectus, ſed prædonum poſtea auaritia demolitus.

EQ. Eſt hoc in Italia commemorandum, vbi rara ſunt tantæ amplitudinis ſaxorum exempla; verum alibi maiora referuntur miracula: non enim videtur nouum, domos vno ſaxo contegi poſſe, quandoquidem in Ægyptio labyrintho, in ſingulis ibi exædificatis domibus, quas ad mille Mela teſte fuiſſe conſtat, vnicum ſaxum pro tegumento locatum eſt, vt memorat Strabo libro decimo ſeptimo. Sed admirabilius eſt, quando excauato vnico ſaxo, domus integra, aut templum conſtituitur. In ipſa etenim Æthiopia, loco, cui nomen Argo, templum diuæ Mariæ vno è ſaxo excauato conſtat. Viſuntur bini ordines columnarum, ſcabella, altaria, ſacraria, ſpeculæ, ianuæ, ac quicquid ſuperne, inferneve ſpectatur, aliunde deuectum non eſt, ſed excauatum, vt tradit Franciſcus Aluarez rerum Æthiopicar. cap. 44. Sed & Abugana eiuſdem Æthiopiæ inter non paucas Baſilicas conſpicitur, quæ titulo Saluatoris dicata eſt, longa palmulos ducentos; ac centum viginti lata; ſunt columnarum ordines quinque, clauſtra ampliſſima, ſacella, atque alii plurimi loci vno è ſaxo excauato, vt habet Aluarez capite quinquageſimo quinto. Adeo autem illa Æthiopica regio lapidum generibus floret, vt quidquid in Italia eximium videmus, inde videatur profectum. Et quod mirum eſt, etiam campanas, quas nos ære conficimus, illi lapidibus excauatis peragunt, quod præcipue in Barra contingit. Aluar. cap. 29. & 44. & Ortell. in Abiſſinis: vixque ferreæ reperiuntur in Argote regione, eodem auctore cap. 52. Inſanire etenim Æthiopes hac re videntur, vt ſaxis excauatis domos, templaque conſtruant. Lapis etenim vnicus longus ad cubitos 21. altus octo, in quo vehendo triennium ter mille fabri abſumpſerant, itinere dierum viginti, ſi nauigio fuiſſet vectus, ita excauatus ab illis fuit, vt arca maxima eſſe videretur, vt Herodotus tradit lib. 2. c. 12. Alius, qui per ſingula latera quandrangularis patebat ad cubita quadraginta, totidemque altitudine ſpectabatur, ita excauatus totus interius fuit, vt templum apparuerit ſupra, infra, hinc, inde vnico confectum lapide, & muri vicem tenuere quatuor cubita, quæ vndiquaque non excauauit artifex, vt Herodotus memorat libro ſecundo, capite duodecimo. Propterea autem his omnibus fidem adhibeo, quod in Conſtantina Africæ vrbe porticus eſt inſignis, cum ingentibus ſcalis, vno tota excauata lapide, ſcilicet fornix, quæ tecti vicem tenet, columnæ, pauimentum muri quaqua verſus, ſcalæ longo tractu excauato

Templum D. Mariæ.

Campanæ lapideæ.

marmore conſtent.Leon.p.5. Quamquam de iis rebus memorandis ſufficere hæc, quæ diximus, videantur, tamen ob admirandam amplitudinem ædificii prætermittendum non puto templum illud, quod quãquam profanum, templum tamen eſt, de quo adhuc meminiſſe libet, eſt tamen res inſignis. Nam in Morimena Datiæ templum Iouis extructum tradit Strabo, in quo habitacula trium millium Sacerdotum viſuntur, quorum ſummus cenſum annuum habet talentorum 15. Hæc ille lib.12. Hoc itaq; ſua opulentia ſuperat templum, quod in Orientalis Indiæ regno Biſnaga viſitur, cui ad cuſtodiam militum quatuor millia perpetuo aluntur. reb.Sinar.p.4.cap.19.

PH. Profana vero templa præter iam dicta etiam alia commemorantur admiranda: nam inter ſeptem miracula iam diximus aliquot adnumerari, & in iis Dianæ Epheſiæ templum: *Magnificentiæ* (inquit Plinius) *vera admiratio extat templum Dianæ Epheſiæ ducentis viginti annis factum à tota Aſia. In ſolo id paluſtri fecere, ne terræmotus ſentiret, aut hiatus timeret. Rurſus ne in lubrico, atque inſtabili fundamenta tantæ molis locarentur, ante calcatis ea ſubſtrauere carbonibus; dein velleribus lanæ; vniuerſo templo longitudo eſt 425. pedum, latitudo ducentorum viginti, columnæ centum viginti ſeptem à ſingulis Regibus factæ 60. pedum altitudine, cuius ex iis 36. cælatæ.* Ita Plin.lib.36. cap.14. Hanc ex carbonibus ſubſtructionem ſtabiliendo templo etiam Strabo habet lib.14.

Templum Dianæ.

TH. Habet & ſanctus Auguſtinus de ciuitate Dei lib.21.cap.4. qui id ea ratione admiratur, ſicut iam pridem diximus, quod carbo infirma res ſit, leui ictu fragilis, cum ſola digitorum preſſura atteratur, quomodo ergo tantæ moli ſubſterneretur?

PH. Carbo purus haud dubie non eſt ſubſtratus, alioquin irritum fuiſſet ſtabiliendi fundamenti ſtudium omne: ſed carbonibus ſuperadditur calx ac reliqua huiusmodi glutina: vnde perpetua eſt carboni ob accedentem humorem duratio. Nos enim Romæ vidimus in imis ædificiorum fundamentis carbones longe ante annos mille ſubſtratos, eosque collegimus, quantum manus complecti poſſet, lapidea duritie: tempore igitur humore circumfluente, carbo dureſcit ſemper incorruptus.

Theatra.

EQ. Optarim modo, vt de theatris quædam, ac poſtea etiam de palatiis agamus. Incipiam à Veronenſi, quod iis verbis explicat Georgius Bruin in Verona: *Extat* (inquit) *iuxta forum Boarium Veronæ plane admirabile & ſtupendum opus, inter omnia, quæ in Italia, aliisq; Europæ partibus eſſe creduntur, integerrimum, minusq; temporum iniuria, aut barbarorum furore laceratum:* placet autem ex libro ſecundo de amplitudine vrbis Veronæ ex Torello pauca quædam excerpere: *In gradibus* (inquit) *ipſis amphitheatri hominum 23184. ſeßionem commodam aßignari potuiſſe comperitur, cuique hominum ſpatio pedis cum dimidio attributo, demptis etiam portarum ſpatiis, vt per eorum commenſurationem colligi poteſt: capacitas enim ſupremi gradus in circuitu perticarum 183. reperitur, medij autem vigeſimi primi à ſuperiori deſcendendo perticarum 142. cuilibet portarum latitudini aßignatis pedibus quinque cum ſeſquipede, quæ cum num. 48. ſint, paſſ. 44. in ſe continent, quo numero duplicato, ſic altitudine ipſorum duorum graduum exiſtente, efficiuntur perticæ 88. Gradibus itaque omnibus à primo ad vltimum reductis ad computum medij, perticæ 5796. reperiuntur: ſicq; ſpatio pedis cum dimidio cuilibet homini aßignato 23184. hominibus commoda ſeßio in hoc amphitheatro datur.* Hæc ille. Sed quod Romæ eſt amphitheatrum Titi inter Cœlium, Exquilias ac Palatinum montes ædificatum

tum eſt, nullis verbis explicari poteſt: ſuſpiciendum potius eſt, ambitu murus eius exterior ſpectatur ad paſſus communes ſeptingentos, altitudine perpetua pedum centum triginta, Tiburtino ex marmore, triplici circumcirca porticu eadem longitudine ſemper in orbem perpetuum percurrente, non modo inferius, ſed etiam ſuperne.

Sed inferior porticus duplex eſt, interior atque exterior, perſimilis aliis longitudine orbiculari. A ſummo deinde muri, quem diximus, vertice introrſus perpetui per omnem girum gradus in imam vsque aream deſcendebant, qui ſedendi omnibus ſpectatoribus vſum præbebant; area ipſa patentiſſima eſt, vbi omnia ſpectacula agebantur. Spectatorum aliquando numerata centum octoginta millia: extat eius adhuc non modica portio, vnde totum deprehendi poſſit, quale fuerit integrum.

PH. Admiratur magis Plinius M. Scauri Theatrum lib. 36. c. 15. omnium, quæ vnquam fuere humana manu facta, opus maximum fuit non temporaria mora, verum etiam æternitatis deſtinatione, de quo alias quidem egimus, ſed paucioribus. Scæna ei triplex fuit altitudine 360. columnarum, ima pars ſcænæ è marmore fuit, media è vitro, ſummæ tabulis inauratæ columnæ imæ duodequadragenum pedum: ſigna ærea inter columnas tria millia numero; cauea ipſa cepit hominum 80. millia, cum Pompeii amphitheatri toties multiplicata vrbe, tantoque maiore populo ſufficiat large XL M. Hæc Plin. Quo loco & aliam inſaniæ huius æmulam memorat. Sic enim C. Curio theatra duo iuxta fecit ampliſſima è ligno cardinum ſingulorum verſatili ſuſpenſa libramento, in quibus vtriſque ante meridiano ludorum ſpectaculo edito inter ſeſe auerſis, ne inuicem obſtreperent ſcænæ, & repente circumactis, vt contra ſtarent: poſtremo iam die deſcendentibus tabulis, & cornibus inter ſe coeuntibus, faciebat amphitheatrum, & gladiatorum ſpectacula edebat populum Romanum circumferens, vt eſſet populi furor ſedere auſi tam infida inſtabilique ſede. Hactenus ex illo, qui timebat ruinam etiam abſens, quod meminiſſet collapſum aliquando fuiſſe amphitheatrum apud Fidenas, quinquagintaque hominum millia fuiſſe obtrita, M. Licinio & L. Calphurnio Coſſ. anno à Chriſto nato 29. Ex Cornelii Taciti lib. 4. Haud dubie igitur cautius putaſſet inſidere theatro vno ex lapide excauato: tum enim nec ruinæ, nec inundationis, nec terræ motus, nec incendii pericula imminerent vlla; fieri id poſſe nemo dubitabit, ſicut iam antea diximus, centum ciſternas ac integram ciuitatem ex vno ſaxo fuiſſe excauatam. Quid enim eſt quælibet ciuitas, quam perpetuo exercitata ſcæna in theatro? Fuiſſe tamen in Perinthe vrbe Thraciæ ad Propontidem nunc Heracleam dictam ampliſſimum amphitheatrum marmoreum ex vno lapide exciſum, ac ideo inter miracula adnumeratum, memorat Aldus.

TH. Imo totus Orbis vna ſcæna eſt & theatrum; ſed nunc ad alia. De Palatiis memorabilibus non fuerit importunum aliqua diſſerere, ac de iis tantum, quę ſingulari memoria digna videantur apud auctores recenſita. *Palatia.*

EQ. Exordiemur ab amplitudine; videtur omnium eſſe maximum illud, quod magnus Imperator Cam inhabitat in Cambalienſi vrbe. Cingitur primum muro perpetuo quatuor angulis, quorum quilibet ad octo millia paſſuum porrigitur, vt inde iam deprehendamus, ambitum Romana vrbe maiorem eſſe, & quod auget admirationem, munitur huiuſmodi murus perpetua profundaque foſſa, quæ piſcinæ vſum præbet. Introrſus poſtea alius eſt murus, etiam perpetuus, ad ſex

millia paſſuum per ſingula latera, frequentiſſimis etiam exornatus ædibus inſignibus. Rurſus paulo interius murus alius eſt etiam perpetuus, habens in ſingula latera quater mille paſſus, exornatus & ipſe ampliſſimis ædibus, conſitis etiam hortis ac viuariis ferarum. Ac quidquid viarum eſt intra hæc ſepta, lapidibus ſtratum patet: ibidem quoque in montis manu facti vertice alia ampliſſima domus exædificata eſt, vno viridi colore tota perpicta. At ædes ipſæ Regiæ, quæ in horum murorum medio extructæ ſunt, ex auro tectum habent vniuerſum minio, lazurio, atque aliis eximiis coloribus exornatum. Hæc fuſius tradit Marcus Polus rei inſpector lib. 2. c.6. & Odericus lib.1. qui adiicit, ſe triennio apud illum Regem vitam duxiſſe, ac omnia perluſtraſſe, extareq; ex auro columnas 24. ac pinum arborem maximam auro illigatam, è qua vndecumq; pendent ramuſculi gemmis vuarum modo referti; plures quoq; ibi videri ingentes ex auro ſerpentes, ac prægrandem ſolidam ex auro columnam, Oderic. lib.1. & Oder. poſter. Ædium autem harum ambitus perpetuo muro cingitur per ſingula latera ad paſſus mille, extrinſecus autem ſecus murum hunc perpetuum ambulacrum cum podio, ac mutulis columniſque exiguis extructum eſt, ita eminens, vt quæcumque inde circumcirca proſpectari poſſint: extat præterea mons, quem manu confectum diximus, is porrigitur ad ſtadii vnius altitudinem, in imo vero ambitus eius eſt octo ſtadiorum, Pyramidis referens formam, quæ non quadrata, ſed teres ſit, totus arboribus conſitus, perpetuoq; virentibus. Memorat præterea eodem lib. c.68. Regem Famfur eiuſdem Indiæ ad Quinſai vrbem, quam antea diximus centum paſſuum millium ambitum complecti, palatium decem millium paſſuum ambitu inhabitare, proque tanta amplitudine, etiam ornatiſſimum atq; inſtructiſſimum. Muros eius fuiſſe præaltos vndecumque: intrinſecus autem longiſſimas porticus auro & lazurio exornatas, inauratis columnis ſpectari, ſolaria omnia auro ornata; ædes quoque reliquas contiguas Regiæ magnificentiæ congruas fuiſſe, & in iis muliebria clauſtra ornatiſſima. Leporaria quoque & peramœnos lucos habuiſſe. Hæc Polus lib.2.c.68.

TH. Regem præterea quemdam in Regione Sinarum tradunt, qui ea loca luſtrarunt, admirandi artificii inhabitare ædes ampliſſimas. Primum illud eſt, eſſe palatium, non muris fultum, ſed octo altiſſimis columnis totum ſuperpoſitum conſiſtere, non minore firmitate, quam ſi in ipſo firmiſſimo ſolo ampliſſimis fundamentis ſtabiliretur. Auget admirationem ipſa columnarum altitudo: nam ipſis turrium fere altitudo eſt; aſſurgunt enim ad pedes 70. ſingulæ, quas bini homines complecterentur. Ædes igitur his columnis ſuperſtructæ exornatiſſimæ ſunt, eximiis picturis exterius, muriſque ipſis etiam inauratis. Sunt ipſæ ædes præterea ampliſſimæ, quæ Regum (quales ſunt Sinarum) opulentiam deceant & maieſtatem. Mirum igitur, quomodo tanta moles adeo altis & paruis pro tanto ædificio columnis conſiſtat. Melchior Nugnez è Malacca.

At ſummus Sinarum Rex (nam Regibus multis dominatur) longe ſumptuoſiorem inhabitat Regiam: Aulas etenim ſeptuaginta nouem ampliſſimas continet, atque tantæ vaſtitatis eſt, vt dies abſumatur tota in ipſis aulis cubiculiſq; perluſtrandis; ex iis aulis quatuor inſigniores ſunt, vna inferne ſuperneq; tota ære, alia argento tota auro, & encauſto alia, quarta vnionibus pretioſiſq; gemmis exornata contectaq; eſt. Rex nullo lumine Solis ſe ſpectandum præbet, ſed qui adſtant miniſtri, perpetuo faſces accenſos præ manibus tenent. Si adeatur colloquii, aut audiendorum legatorum cauſa, ingentem ingreditur ſerpentem artificio factum in

pala-

palatina area locatum, cubiculi capacitatem habentem, ſex quoque neceſſarios ſecum ingredi iubet, feneſtella quoque in ſerpentis pectore eſt, vitro obducto, vt loquentes ipſe quidem videat, at ab iis non videatur. Id tradit Anton. Pigafet. qui adiicit, huic Regi ſemper in ſtatione palatina cuſtodiæ cauſa decem militum millia excubare. Eſt palatium illud ambitu incredibili, cum ſeptemplices muri inuicem valde remoti omnia ædificia cingant. Viſitur ibi ſolium Regium ex ebore, prorſusque contectum eſt gemmis pretioſiſſimis, adeo vt noctu micet, coruſcetque in tenebris. reb. Sinar. lib. 3. c. 2.

Illa enim Orbis regio longe admirabilior reliquo Orbe viſa eſt in Regum magnificentia oſtentanda. Nam Regis Mangalu ædes ad quinque paſſuum millia ambitu protenduntur, omniaque Regia habitacula, quæ maxima ſunt & plurima, introrſus auro ac lazurio exornata ſunt, vt Polus recolit lib. 2. c. 34. Regis quoque Inſulæ Zipangu palatium omne laminis aureis, velut apud nos plumbo, contectum eſt, ſolaria eius aureis laminis teguntur, adeo vt nihil audiri poſſit pretioſius. Polus lib. 3. cap. 2. Sed & Iauæ maioris Inſulæ Regis palatium ampliſſimum eſt, inque illud pluribus gradibus conſcenditur, alterni ſunt locati gradus, vt alter aureus ſit, alter argenteus, ita quoque aularum muri hac alternatione laminis contecti ſunt, ſiniſter argenteus, dexter aureus, alius item argenteus, atque alius aureus. Tectum quoque eximio auro compoſitum eſt. Simulacra extant plurima ex auro, quorum capitibus diademata gemmis innumerabilibus exornata impoſita ſunt; qui ſpectatores fuerunt referunt, in Orbe nihil reperiri pretioſius, Oderic. lib. 1. Nec prætermittendum videtur aliud, quod in Perſide eſt prope Taurim: eſt enim octangulare extrinſecus, intrinſecusque encauſto atque auro incruſtatum. Continet eximii artificii atque amœnitatis incredibilis hortos. Incerti nominis auctor de rebus Perſicis apud Ramuſ. Tomo 2.

EQ. Eſt & illud non omittendum palatium, quod in ampliſſima vrbe, cuius iam meminimus, Odia in Sornai regno conſpici tantummodo exterius licet: nemini etenim prorſus ingredi permiſſum eſt, præterquam Regum oratoribus, extrinſecus quidem ſtanno vndequaq; muri obtecti ſunt, intrinſecus autem omnia auro contecta eximio conſpiciuntur. Ferdinandus Mendez an. Dom. 1554. Hæc equidem in Aſia admiranda Regum palatia, quib. ſimilia non cõſpecta in Europa, quanquã artificio aliqua ſint memoratu digna, velut apud Conſtantinopolim recolit Luitprandus Ticinenſis Diaconus, quando Berengarii nomine ad Conſtantinũ Imperatorem legatione perfunctus eſt an. Dom. 950. Scribit enim ſe in Regiã fuiſſe exceptũ. Erat illa ornata ſumptuoſiſſime, ibi ærea inaurata arbor ante ipſius Imperatoris ſolium aſſurgebat, expanſis magnum in modum ramis æreis atque inauratis, in his frequentiſſimæ variarum ſpecierum aues arte confictæ, quarum ſingulæ ſpeciei proprias voces cantusque emittebant incredibili arte. Regium autem ſolium miro erat confectum artificio, vt momento videretur humile, atque in ipſo ſolo eſſe velut depreſſum, poſtea momento in ſublime elatumque apparebat, neque vlli cognitum eſſe poterat, qua id arte fieret, vt adeo ſublime, velut ſolario compar, conſpiceretur, nullis conſpectis aut inſtrumentis aut machinis: erant ſedilia eius ampliſſima, quæ leonum ſimulacra auro tecta cuſtodire viderentur. Delatus igitur eſt Luitprandus in Imperatoris conſpectum duorum eunuchorum humeris innixus, mox vbi coram adſtitit Imperatori, leonum ſimulacra illa rugitum quendam emiſere; auium quoque ſimulacra quælibet pro ſua ſpecie vocibus obſtre-

obſtrepebant;ac cum pronus paulum ab Imperatore diſtans illum adoraſſet in humili ſedentem, vix erigens ceruicem conſpicit illum, iam mutato Imperiali amictu,iuxta aulæ laquearia ſublimem ſedere. Hęc qua arte confecta fuerint,nullo ingenio aſſequi ſe potuiſſe conteſtatur Luitprandus, niſi forte qua arte trapetiorum torcularia conficiuntur, celerrimo motu id fuiſſet excogitatum. Hæc ex illius lib. 6. cap. 2. Et ſane in Piſaurienſi Ducum Vrbinatum villa Imperiali conſpiciuntur ea arte confecta ſedilia, quæ quamquam pauimento ſint proxima, momento tamen in laquearia vsque tracta conſpiciuntur cum ſeſſoribus, trapetiorum ſimili vertigine, quin etiam in ipſum ſupra ſolarium feruntur, vt vlterius non conſpiciantur. Nos hæc ipſi vidimus ante paucos annos. Huiusmodi atque alia in Regiis domibus artificia in Europa non deſunt: nam & frondibus velut muris palatium in Hiſpania viſitur proxime Valentiam; hortos enim an ædes neſcias dignoſcere. Id his verbis Laurentius Valla exprimit rerum Hiſp. lib.3. *Proxime* (inquit) *Valentiam Hiſpaniæ horti ſunt, non tantum citris conſiti, ſed etiam citreis parietibus viuente materia concluſi, vt dubites,hortine ſint an ædes. Nam cum nihil aliud inſit, quam arbores frugiferæ,atque felices manu poſitæ,inſtitutæ,digeſtæ,quid niſi horti dicendi ſunt? Rurſum cum audis extrinſecus eſſe parietes, intus autem aulam, conclauia, curiam, item ſacella, altaria, ſedilia Canonicorum,thronum Epiſcopi,& cætera huiusmodi,non aliud,quam ædes eſſe putaris. Sunt autem parietes ex truncis citrorum confecti, & tamen frondibus veſtiti, vt percipi introrſum nequeant,nedum intrari:ita cum rami adoleſcunt, intorquentur atque inflectuntur, ita inſiti atque inſerti,conſiti atque conſerti coaleſcunt, vt omnes rimæ expleantur,vt nihil vacui relinquatur, vt pariter firmitatis & decoris ex frondibus ratio conſtet, eodem pacto introrſum, quæ enumeraui, compoſita ſunt, clericis laicisque deſeruientia, pauimentum laterculo quadrato,vitreatoque ac picto conſtratum eſt,velut paradiſus quidam terreſtris.* Hæc Valla.

In Africa quoque recenſentur ædes Regibus magnificentiſſimæ, velut apud Memphim deſcribit Iouius hiſtoriarum ſuarum libris, ſed illa admiranda eſt domus,quę fuit Chebreni Regis Ægyptii,cuius altitudo ad ſtadii menſuram porrigitur,pertingens ad cuiuslibet Pyramidis ſummi cacuminis altitudinem, tota extructa ex Æthyopico lapide, & ne ſolum cœlum petere altitudo videretur, etiam inferna admiranda continebat: ſubterranea enim eius ad quadraginta deorſum pedes deſcendebant.Herodot.lib.2.c.10.

TH. Firmior multo eſt hæc ſtructura palatii, quam ea, de qua Petrus Martyr meminit in ſummario rerum noui Orbis:tradit enim,Abibeibam Regulum inhabitare paludem ingentem, in qua arbores excelſæ frequentiſſimæ, quæ perinde ac nemoroſo ſolo frondeant. Ipſe igitur cum reliquo eius populo arbores inhabitant,conſtructis penſilibus caſis:tanta enim ſunt amplitudine arbores, vt octo viri coniunctis vlnis non complectantur. Ferunt igitur magnam illarum domorum contignationem, tametſi vento impellente nutare videatur, nullus tamen metus illis neque periculum, omnes illorum opes, gazæ & theſauri, ſupellex, eſcæ, in iis domibus aſſeruantur,præter vinum:nullus ibi metus ferarum,neque hoſtium,niſi rate vehantur.Hęc ibi Petrus Martyr. Quin idem tradit,in Caſtilia noui Orbis populos adeo frequentes inhabitare plantis,vt dicere iure poſſis, oppida in arboribus eſſe,quod & Ouet.habet in ſumm.c.10.

PH. His longe minor ſumptus certe eſt in extruendis domibus, quam reliquis noui Orbis incolis, præſertim ſi comparentur indigenis prouinciæ Topiræ, in qua domos contegunt aureis laminis, ſi credere libet Franciſco Vaſquez, qui in illa

illa vrbe nouæ Galitiæ præfecturam gerens eius rei literas conſcripſit, quæ extant apud Ramuſium Tomo 3.

TH. Longe minori ſumptu ac longe minore ornatu ſunt domorum tecta Aquilonarium quorundam, quin etiam maiore emolumento; etenim nonnulli populi in domorum tectis ſerunt hordeum ac reliquas fruges: præpingui etenim humo domorum tecta conſeruant, ſemperque ea arte vireſcunt ad ſuum & pecoris alimentum. Adinueniendi autem circa tecta huiusmodi induſtriam cauſa fuit frequentium fulminum metus: humor etenim perpetuus & virens olus diſiicit fulminum ignes, ne hæreant. Hæc Olaus lib.12.c.3. Eodemque nomine commendandi ſunt ii Aquilonares noui Orbis populi, qui domos piſcium ingentium coriis contegunt, quod memorat Ramuſ. Tom.3. in noua Francia.

PH. Conducibilius eſſet, vt alias diſſeruimus, domus vna teſta teſtudinea contexiſſe, erat ibi fornix absque vllo ſumptu, nullum ruinę periculum, neq; incendii, inundationi reſiſtens; nam & inuerſa cymbæ vſum præberet: ſed hæc monſtruoſa artificia parit ingeniorum diuerſitas, ſicut ad condienda etiam viuentium, tum hominum, tum pecorum corpora, domos è ſale quibusdam locis conſtruunt, cum tamen, vt quibuslibet inundationibus diſſoluantur, periculum ſubeant. Nam Carrhis Arabiæ oppido, vti alias occaſione alia diximus, muros domosque maſſis ſalis faciunt aqua ferruminantes, vt Plin. habet lib.31.c.7. In qua re ſane illud eſt mirabile, quod cum aqua ſal diſſoluatur, ibi confirmetur ſolidius, quod etiam affirmat Iſid. lib.16. cap.2. Tolerabilius eſt, quod exciſis è ſalis monte lapidibus, muri domorum conſtruantur marmoris modo: nam id fieri ab Hammanientibus tradit Plin. lib.5. cap.5.

EQ. Huic rei perſimilimum, quod in Aquilonari regione compertum eſt, muros conſtrui ex glaciei fragmentis eadem ratione formaque compactis, quibus marmora ipſa componuntur, Olao teſte lib.11. cap.20. & 21. Sicut enim bello terreſtri & foſſæ, & aggeres, ac valla fiunt humo ac lignis congeſtis, ita glaciei fragmentis fiunt, eaque perinde ſunt tuta ac firma, vti eſſe ſolent è ſaxis, lateritiisve valla & munitiones conſtructæ, quibus hoſtis arcetur, irritis quibuscumque etiam bombardis; huiusmodique exaggerata materia plerumque oppida obſidentibus omnem ſpem expugnationis auferre comperta eſt, adeo vt obſidio diſſoluatur, Olao teſte.

PH. Obſideri non metuunt, vallaque atque aggeres contemnunt ii, qui nuſquam conſiſtunt, incertisque ſedibus vagantur, hoc tanto liberi ſtudio aut labore; quod contigit Numidis, qui domorum vice plauſtris vtuntur: domunculas enim quasdam conſtruunt, quas mappalia nuncupant, plauſtrisque impoſitas circumferunt, vt memorat Plin. lib.5.c.3.

EQ. Quod portatiles domos inhabitant paſſim Numidæ, absque miraculo illis eſt, nobis vero in Europa portatiles domus miraculi loco cenſentur. Fuerunt enim, qui portatiles domos excogitarint & conſtruxerint magna omnium ſpectatorum iucunditate. Cum enim Franciſcus Gallię, & Henricus Anglię Reges, conſtituto in finibus Morinorum loco, certam ad diem in colloquium deueniſſent, Gallię quidem Rex ſumptuoſiſſimis exornatis tabernaculis papilionibusque multiplicibus patentibus locis erectis pro more vſus eſt. At Britannus, vt Iouius ſcribit lib. hiſt. 20. attulerat ligneam domum, ampliſſimæ Regiæ inſtar cum luculentiſſimis & ampliſſimis porticibus, atque cœnaculis, quæ conſtabant ex materia miris *Domus portatiles.*

modis elaborata, picta ſimul atque inaurata, tanto fabrorum architectorumque ingenio, vt aptiſſimis iuncturis atque vertebris tota plicatilis membratim diuidi, & cum luberet, iucunda commutatione tolli aſportarique, & rurſus in varias formas diſtingui atque erigi poſſet. Hæc ex Iouio. Eſt illud quoque memorandum portatile ædificium, quod in Iapone Inſula eſt in Regia Quabacondoni: domus ad octo erigitur ſolaria, in ea præter innumeras res memorabiles cubiculum eſt totum aureum, laminis aureis, velut tabulis compactum, vt auferri, atque alio transferri componique poſſit portatile. Ludouic. Froes ex Iapone anno Domini 1586. Portatiles domus veræ ſunt papiliones ac tentoria, inter quæ primum locum amplitudine tenet Regis Sinarum: nam præter duo hominum millia, quæ ſub illo degunt, etiam Regum, Principum rerumque publicarum oratores hoſpitio excipiuntur, vt tradit Ioannes Sedis Apoſtolicæ Legatus, apud Vin. hiſtor. lib. 31. c. 30. Cui accedit aliud à Sultano Babylonico dono miſſum ad Fridericum Romanorum Imperatorem anno Domini 1232. tanta enim arte confectum memoratur, vt in eo imagines Solis ac Lunæ artificio quodam motæ curſus ſuos certis horis ac iuſtis ſpatiis conficere ſpectarentur, dieique ac noctis horas certiſſimas indicarent, pretium eius quinquaginta aureorum millia exceſſiſſe creditum eſt. Trith. in Chron. hiſt. Hirſaugienſi.

Nauigia. *TH.* Domos portatiles ſoleo nuncupare etiam nauigia, quę & portant, & portantur, & ſane de illis multa recenſentur ab auctoribus memoratu digna: quamobrem de eis diſſerere peropportunum eſt; nam & plicatiles naues compertæ ſunt. In ipſa enim Ægyptia nauigatione, qua Nilo Alexandriam itur, Æthyopicæ naues in vſu ſunt, quæ cum plicatiles ſint, humeris tranſferuntur, quoties ad cataractas ventum eſt, quo loco nauigia ſiſtuntur. Ex Plin. lib. 5. c. 9.

Portatiles huiusmodi cymbas in vſu eſſe etiam in India noui Orbis compertum eſt, viſæque ſunt in Europa anno Domini 1509. erantque in ea ſeptem ex Indis ipſis; delata eſt cymba Rothomagum, fuligineo colore erant ii, ceu homines ſylueſtres, groſſis labris, ſtigmata in facie gerentes, ab aure ad medium mentum inſtar liuidæ venulæ per maxillas deductæ. Barba per totum corpus nulla, neque pubes, neque vllus pilus, præter capillos & ſupercilia. Baltheum gerunt, in quo eſt borſula ad tegenda verenda. Idioma labris formant, religio nulla; cymba illa corticea, quam homo vna manu euehat in humeros. Arma eorum arcus lati, chordæ ex inteſtinis aut neruis animalium, ſagittæ cannæ, ſaxo aut oſſe piſcis acuminatæ: panis, vini, pecuniæ nullus illis vſus, nudi incedunt. Continuator Palmerii anno Domini 1509.

EQ. Plicatiles naues poſſunt quidem ligneæ eſſe: nam & in regione Aquilonari ligneæ quædam rates fiunt, coniunctis quidem tabulis, ſed neque gluten aliquod interponitur iuncturis, neque ferrum aliquod conſtringens, ſed ex abietum & populorum radicibus fila torquentur, ac eis eiusmodi ligna magis ſuuntur, quam coniungantur. Et cum vndequaque aqua influat, non merguntur, neque ſaxis aut ſcopulis impactæ quidquam læduntur. Cumque nil prorſus ferri in huiusmodi ſit ratibus, anchora lapidea vtuntur, fune ex Rangiferorum quadrupedum neruis confecto. Id memorat Olaus lib. 4. c. 10.

PH. Hoc nauigii genus poſſet eſſe plicabile, cum commiſſurarum patentes rimæ etiam plicationi locum dare poſſint, ſed de iis non loquimur, ſicut nec de illis, de quibus Solinus memorat cap. 58. Aſcitas etenim Arabes tradit bubulis vtribus con-

contabulatas crates ſuperponere, vectitatosque hoc nauigii genere impetere prætereuntes venenatis ſagittis.

EQ. Vti ex vtribus, ita quoque ex corio cymbas fieri compertum, quæ & ipſæ plicatiles eſſe poſſunt. In ipſo etenim Oceano Britannico, etiam Plinii tempore, naues vitiles corio circumſutæ fieri conſueuerant, vt ipſe annotat lib. 7. c. 56. Sed & ad Bruti vsque ætatem Luſitani nauigiis ex corio vſi ſunt, poſtea vero etiam ex ligno excauato, vti memorat Strabo lib. 3.

TH. Olaus Magnus ſcribit, ſe vidiſſe anno Domini 1505. huiusmodi cymbas. Iuxta etenim Iſlandiam, quæ eodem in Oceano Britannico eſt ſita, memorat Piratas littora illa infeſtantes nullo alio vti nauigii genere, quam ex corio, quibus ſuperficie tenus, quaſi nunquam viſi, vehuntur, quin ſi demergantur, etiam demerſi viuunt incolumes, quin etiam ima ingentium nauium lintribus huiusmodi incluſi ſubeunt, & nihil tale opinantibus nautis etiam obterebrant, vnde naufragiis conſequentibus Piratæ huiusmodi ſolent diteſcere. Id habet Olaus libr. 2. cap 9. Fuere & alia nauigiorum genera ex vnico arboris trunco excauato facta, tanta amplitudine capacitateque, vt 40. commode excipiant homines. Id ita eſſe iam alias memorauimus, affirmante Antonio Pigafetta, qui in Breſilia noui Orbis ſeſe ita vidiſſe conteſtatur initio ſui itinerarii, quo ſe vniuerſum Orbis ambitum peragraſſe conſcribit; augeturque eius rei admiratio, quod ferro non vtantur in excauando ligno, ſed lapidibus duritie ferri præditis, quibus ſecuris loco vti conſueuerunt. *Naues Piratarum ex corio.*

EQ. Eiusdem amplitudinis ex vno arboris trunco alias commemorabamus eſſe quædam quoque nauigia in Germaniæ Aquilonaribus littoribus. Plin. enim lib. 6. cap. 40. tradit, prædones ſingulis arboribus cauatis nauigare, quarum quædam & triginta homines ferant.

PH. Et in orientali India, circa Calecutium, vnico quoque trunco in nauigii forma excauato ad longitudinem paſſuum tredecim nauigare mira celeritate incolas, remos, & malum ex arundinibus adhibentes, memorauimus ex Ludouico Barthema in itinerario Indico, lib. 2. c. 11. qui idem tradit fieri in Pegu Indiæ orientalis vrbe, vt habet lib. 3. c. 15.

EQ. Excedunt, quę in Dariem noui Orbis prouincia nauigia fiunt, omnium, quæ diximus, amplitudinem: nam ex vna arbore truncoque confecta homines centum triginta conſedentes capiunt percommode, nempe quibus ſit diametri latitudo vlnarum ſexdecim; tradit Ouet. ſumm. c. 79. Sed illud non eſt minus memorabile, quod apud orientales Indos haberi rates tradunt Mela, Solinus & Plinius. In India cymbas fieri arundinum ſciſſis internodiis, quæ binos, & aliquando ternos vehant, quod tamen iam recenſebamus pluribus in plantis, ſed quoad arborum truncos; & Odoardus Barboſa tradit, in Monzabique orientali prouincia vno ligno excauato ſe vidiſſe nauigia in vſu eſſe; quin etiam vitro confici nauigia exigua quidem poſſe aliqui putarunt, ſed certe aut irrita arte, aut periculis plena: vitreas autem triremes paruas ornamenti & ingenii exercendi cauſa confectas Venetiis ſe vidiſſe memorat Leander. *Nauigia vitrea.*

Adiiciam & aliud memorandum; currus enim in ipſo ſolo ventis impelluntur, perinde ac mari nauigia: nam & vela habent in Philippinis Inſulis. reb. Sin. lib. 1. c. 10. vt ita nauigare per ſolum ipſum ac campos illi videantur, ſicut & mari.

PH. Commemoratu æque dignum eſt, quod papyro & ſcirpo nauigia fiant. *E papyro & ſcirpo facta.*

Id enim tradit Plin.lib.7.c.56.eiusque rei percommoda ratio eſt. Papyrus enim aut ſcirpus, aut arundines contextæ illitæque bitumine aquis ſuperſtant. Et hoc nauigio, quamquam perexiguo, Moyſes infantulus vectus eſt in hortos Pharaonis: fiſcella etenim impoſitus ſcirpea flumen traiecit, Exod.c.2.

TH. Hi potius caniſtro, quam rate nauigare videntur; & ſane Strabo lib.17. Pactonem nauiculæ genus eſſe dicit, contextum caniſtri modo virgultis, quo flumina etiam ipſe pro regionis more abſque vllo traiecit periculo in Ægyptum.

EQ. Et caniſtris flumina pertranſiri in Africa memorat Leonius part.3. quod & alias paucis diximus.

TH. Si bene memini, eo loco Leonius ſubindicat funem extremis partibus in ſummo duorum montium fuiſſe adligatum, atque ſubterfluentem fluuium longiſſimo interuallo videri, vt ſuperuolaſſe potius videantur, quam pertranſiſſe. Sed aliud dicam æque memorandum. Memini ea in regione, quæ Ferrarienſem agrum à Bononienſi diſterminat, eſſe nauigandi quoddam genus, iure à nobis non prætermittendum: nam nauigia onuſta in montium cacumina, recta ſurſum linea, nullo adiutore, aut trahente, aut impellente, conſcendunt, & ego ipſe incluſus aſcendi. Rurſum quoque ab ipſo montis vertice, recta deorſum linea, in imam vallem deſcendunt onuſta, nemine impellente. Iam hactenus quæ dico admirationem excitant, cum tamen perfacilis res ſit, libetque explicare, quod hactenus nemo memorauit. Fluuius cum æquali decurſu nequeat fluere, ſæpe à montibus decidit: quæ res nauigandi vſum impedit. Induſtria autem fecit nauigabilem locum, hoc videlicet ingenio, vbi aquarum caſus eſt pronus in vallem, murus circulari forma ductus eſt ab imo in ſummum montis cacumen perueniens, donec fluuii ſuperficiei fiat compar. Duæ præterea portæ ſunt huic muro, altera in ſummo faſtigio, vnde aqua in hunc campum muro concluſum influit, altera in ima valle, in eodem muro. Portarum amplitudo eſt, quanta egent ipſa nauigia, vt prætergrediantur: locus autem hoc muro ſeptus tantus eſt, quanta fuerint duo, tria aut plura etiam in eo includenda nauigia. Cum igitur à ſummo in imum mittenda eſt cymba, occluditur firmiſſimis ad hoc inſtitutis repagulis porta inferior, qua occluſa, fluuii aqua retenta locum muro cinctum totum replet vsq; in ſummum, atq; ita æquali curſu cymba intra ſeptum illum decurrit, portam ingrediēs, quam in ſummo muro apertam diximus. Mox vbi ingreſſa eſt locum, porta, qua ingreſſa eſt cymba, recluditur, paratis ad hoc repagulis, atq; ita deſinit in eum locum aqua influere, obſiſtentibus clauſis iam ſumma parte valuis. Interim datur opera, vt inferior, quæ in valle eſt, porta aperiatur ad aquam emittendam, mox vbi reſeratur, effluit aqua, & in eandem depreſſam æqualitatem cum reliquo fluuio ſe comparat, atque ita ratis ipſa quoque cum aqua demiſſa è porta eadem exiens peragit reliquum viæ, donec ad aliud forte ſepti genus huiusmodi peruenerit. Hac induſtria à ſummo monte in campos naues deſcendunt. Vt autem à campo in montem aſcendant, contraria ratione deprehenditur. Ingreditur cymba ab imo fluuio intra iam dictum ſeptum per inferiorem portam, quæ ab ingreſſu mox recluditur eisdem repagulis. Quamobrem aquæ effluxus impeditur; retenta igitur aqua intumeſcit, donec ſuperiori æquetur, vbi æquata fuerit aqua, cymba ſuperiorem egreſſa portam reliquum conficit viæ, eodem æquali fluuio. Atque dum ipſa iam ſuum iter perſequitur, inferior porta à miniſtris aperitur, vt aqua conſueto curſu decidens effluat. Hoc igitur non eſt tantæ admirationi ſpectantibus, quantæ eſt audientibus.

bus. Laus tota Deo inuentoribus ingenium ſubminiſtranti tribuenda eſt. Alio etiam ingenio apud Ipram Germaniæ vrbem nauigia etiam onuſta transmittuntur ab alueis ſuperioribus in inferiores, & ab inferioribus in ſuperiores cochleis orbibus, machinisque tractoriis, vt memorat Georgius Bruin in Ipra: ſed & Patauino fluuio in Adriaticum mare etiam onuſtæ naues machinis transmittuntur, idque omnibus ſpectabile eſt.

EQ. Eſt ſane inſignis hæc nauigandi per ardua & prona loca inuentio, ſuntq; hi partus Italici, aut ſaltem Europici ingenii. Exteris non ſunt tanti vires ingenii: Troglodytæ etenim, cum à conterminis Æthiopibus cinnamomum mercati fuerint, vehunt per maria vaſta ratibus, quas neq; gubernacula regant, neq; remi trahant vel impellant, non vela, non ratio vlla adiuuat, cum omnium inſtar ibi ſint homo & audacia. Plin. lib. 12. cap. 19.

TH. Quid in Troglodytis admiramur? Noe, qua ſe rate à diluuio ſaluum fecit, cum prole ac neceſſariis ſuis ſane naui abſq; remis, abſque velis, abſque gubernaculo, ſolius Dei nutibus ſeſe committens, Arcam dixere omnes: nam & naues arcæ ſunt ligneæ, tranantes flumina, lacus aut maria. Plures præterea ſancti Martyres à Tyrannis fractis, ac dehiſcentibus nauibus impoſiti, Deo ducente, ad portum peruenere, cuiusmodi de Martha, Magdalena atque aliis comitibus proditum eſt. Quos etſi dixerimus Tyrannica vi huiusmodi nauigiis impoſitos, ideoq; Dei miraculum affulſiſſe illis; attamen ſuppetit exemplum, quo Dei ſerui neceſſitate compulſi ſeſe naui ſine vllo inſtrumento commiſerunt. Nam Sanctus Audomarus Morinenſis Epiſcopus cum collegis ſuis, quum cœnobium extruxiſſet incommodum, vt commodior locus quæreretur, conſtituit eſſe traiiciẽdum ſtagnum, quod maritimos æſtus imitabatur, iubenti obſequuti ſunt commilitones, nauigiumq; ingreſſi ſine remige, ſine vllo nauigandi perito, ſoli pſallendi operæ intenti ſtagnũ traiecere, peropportunumque locum, Deo ducente, adinuenere, vt ſcribit Folcardus Bertinienſis apud Surium tom. 5. menſe Septembri. Nunc optarim, vt poſt nauigia de pontibus aliquid dignum memoria commemoremus: nam & ipſis flumina pertranſimus.

EQ. Superſunt plurima de nauigiis commemorãda, quæ mox recenſebuntur, ſed non adeo multa de pontibus traduntur; nihilominus pontem mille pedum, eumq; admirabilem, quo Acheruſia in Epiro tranſitur, memorat Plin. lib. 4. cap. 1. Sunt autem plurimi in Europa pontes ſpectandi; neq; enim omnia, quæ ſpectanda ſunt, recenſere libet, ſed quæ tantum aliqua ratione eminent, cuiusmodi in hoc ponte longitudo memorabilis eſt. *Pontes.*

TH. In Sinarum regione memorant, qui luſtrarunt, pontes eſſe incredibilis amplitudinis ac miræ longitudinis: nam ad bis mille paſſus protendi, ac miro artificio exſculptas continere vbiq; imagines tradit Melchior Nugnez de rebus Sinarum, & ex Ieſuitarum informatione, tom. 2.

Sed & pons, quo Euphrates ampliſſimum flumen tranſitur in ipſis Armeniæ confinibus, adeo in longum protenditur, vt ſeptemdecim habeat latiſſimas concamerationes ac fornices, vt Ioſeph. Barbarus memorat cap. 23. In Anglia Londino vrbe ſupra Tamaſim fluuium pons eſt, in quo numerantur viginti concamerationes ac pilæ, vt Ortellius memorat in Anglia. Æquat eandẽ dimenſionem pons in Dreſa Saxoniæ Ducum regia ſuper Albim, vt Georgius Bruin tradit: ſed pons, qui apud Pragam eſt ſuper Muldauiam, ſexdecim fornices ampliſſimas habens, *Põs Londini Angliæ.*

 longus

longus eſt cubitos 872. latus ad excipiendos 4. currus ſimul procedentes, totus è quadrato ſaxo conſtat, adeo vt in omni Europa vix alius ſit celebrior, vt tradit Georgius Bruin in Praga. In Lindoia autem eſſe pontem longum 290. paſſuum, idem Georgius tradit in Lindoia. Sed in Orientali India, in ipſa Cambalienſi prouincia extat ab vrbe non procul Pulifangan maximus fluuius, ſuperſtructus illi eſt pons, non longior ſtadio cum dimidio, ſed cum totus ſerpentino lapide ſit extructus, atque vndique ſeptus columnis, ac perpetuis mutulis, animantiumq; plurimæ formæ exſculptæ in eo viſantur, incredibili ſumptu, arteq; confectus putatur. Polus lib.2.cap.27.

EQ. Sinarum regio abundat pontibus, atque ideo artificio plurimi ſtudent: quandoquidem, vt iam diximus, cum de Quinſai vrbe ageremus, in ea vna vrbe duodecim pontium millia numerata ſunt, cum in ampliſſimis Europæ vrbib. velut Venetiis aut Gandauo vix trecenti, aut ſi eo amplius numerentur, perexigui ſunt. Sed artificium, ingeniumq;, quo, qui Europam colunt, vtuntur, longe admirabilius eſt, quod pontes non pauci in Gallia & Italia apertum faciunt: ſed præcipue is fuit admirandus, quem Traianus Imperator in Iſtro maximo totius Europæ flumine conſtruxerat, extremis Vngariæ limitibus conterminis Bulgariæ & Mœſiæ inferioris, ſubſtratis viginti ex quadrato lapide pilis, quarum altitudo centum & quinquaginta pedum, præter fundamenta, latitudo ſexaginta pedum, diſtant inter ſe pedibus 70. fornicibus coniunguntur. Mirandum quomodo in tanta gurgitum altitudine, ac præcipiti fluuio tot columnæ ac tantarum molium fundamenta ſtabiliri potuerint, limoſo præſertim loco, cum amnis alio diuerti non poſſit, altiſſimusque ſit. Dion in Traiano ex interpretatione Georgii Merulæ Alexãdrini & Xiphilini. Libet igitur hanc admirari induſtriam, ſimul & amplitudinem: nam videtur longe vltra tria pedum millia longus pons ipſe fuiſſe. Si Sabellico in Æneade ſeptima libro quarto hærere velimus, cuius hæc verba ſunt: *Traianus Danubio pontem impoſuit. Pilas 20. numero ex quadrato lapide centenis, ſeptuagenisq; pedibus inter ſe diſtantes alto, violentoq; fluuio ab imis vadis ad faſtigium centenum quinquagenum pedum ſtatuit: craſſitudo in ſingulis ſexagenum fuit pedum: arcus inde fornicati interiecti pontem ſtatuere, qui à citeriore ripa ad vlteriorem ſtadia habuit ſeptem, pedes 230. quod ſpatium, ſi ad notiorem menſuram redigas, habet paſſus nongentos & vnum: magnam eius partem poſtea Adrianus Imperator diruit.* Hæc ex illo. At quod Xerxes ille Regum potentiſſimus pontem ſeptem ſtadiorum in Aſia conſtruxerit, nõ adeo miror, quandoquidem ligneus fuerat, ac coniunctis inter ſe nauibus, vt memorat Herod. lib.7. cap.4. admirandum id fuit, quod paucis horis tantum opus effecerit. Sed Caius Caligula pontem multo iſto longiorem conſtruxit, innumeris nauibus compactis duplici ordine, etiam ferreis catenis coniunctis, quo Baianum medium maris interuallum, & Puteolanas moles trium millium & ſexcentorum fere paſſuum coniunxit, vt Suetonius tradit; putabatq; ſupermeando Romanæ vrbis vias obambulare ob ſuperfuſam arenam & eiusmodi materiam, extructis hinc inde ædibus, vt Dio ſcribit. At ſi reliquum eius pontis metiamur, quo vlterius progrediebatur, ad decem paſſuum millia perducebatur. Leander. Sed vt ad exteros redeamus pontes, in Sinarum fluuiis ſuperſtructi ſunt nauigiis, ſicut & apud Hiſpalim Hiſpaniæ. De reb. Sin. lib.1. cap.9.

Pons in vrbe Chinchieu Sinarum extat lõgitudine nongentorum paſſ. ex ſaxis, quorum minima amplitudo ad pedes 20. latitudo quinq;. reb. Sinar. p.2. cap.16.

Pons

Pons non procul ab vrbe Anchieo eſt longitudine paſſ 1300. ex ſaxis, quorum minima longitudo pedum ſexdecim. reb. Sinar. p. 2. c. 21.

Pons iuxta Sauchieſu vrbem ampliſſimam extat, cuius longitudo tanta eſt, ac latitudo, vt vicus ingens ſit in ipſo extructus, multis ædibus in ipſo ædificatis. reb. Sin. p. 4. cap. 10.

Vt ita in Europa quoq; eadem miranda ſint noſtro hoc Occidentali cœlo: is enim pons, de quo diximus in Angliæ videlicet Londino vrbe, qui lapideus eſt ſupra Tamuſim fluuium, non ſolum, quas diximus, viginti pilas ac concamerationes continet, verum etiam adeo late patet, vt hinc inde exædificatis domibus non cenſeatur pons à permeantibus, ſed vicus populoſus. Ortellius in Anglia. Perſimilis alius eſt in Briſtolia, perpetuis hinc inde ædibus, vt vicus videatur, nec ſubtercurrere flumen putetur. Georg. Bruin in Briſtolia.

TH. Fecit & natura pontes, quos ars nulla forte peregiſſet: nam præter id, quod deciſæ arbores admirandæ proceritatis admirabiliores eo nomine fuere, quod latiſſimis fluminibus tutum tranſitum præbuerint; nihilominus contigit, vt absq; hominũ induſtria vlla prægrandis ac prælongus vno è ſaxo pons in nouo orbe ſit compertus iuxta portum Panamæ: ibi enim, quod alias diximus in fluuiis, põs vno è ſaxo flumine ſupereminet, protenſus à ripa in alteram ripam ad pedes 80. latus ad pedes triginta & eo amplius: cõcauitatem ampliſſimam ei natura fecit, vt præterlabi fluuius poſſit, inque eius conuexo itinerantibus tranſitus tutus tum equitibus, tum peditib. præbeatur: propterea illi inditum nomẽ admirabilis pontis memorat Ouet. in ſum. Ind. rer. c. 86. Iure hoc ibi fecit natura: illo enim in climate agendorũ pontium nulla induſtria eſt; nam cratibus contextis è virgultis vtuntur in tantam longitudinem, quanta latitudini fluminis ſufficere videatur. Allegatisq; hinc inde à ripa capitibus, tranſitum præbent inſuetis hominibus præhorridum, quoniam vbiq; flectitur: põtis enim huiusmodi nutat vbiq; media pars, & ſuperficiem aquæ flexu ſuo attingit, ob curuitatem; firmiſſima tamen crates, & textura eſt, & indiſſolubilibus lineis funibus coniuncta. Id habet Ferdinandus Pizzarus de rebus Peruaci apud Ramuſium tom. 3.

TH. At his omnibus curis, qui Deo ſeruiunt, ſæpiſſime exempti ſunt: nam & maria diuiſa ſunt, vt ſexcentorum hominum millium Deo militantium exercitus ſicco pede pertrãſiret: ſuum poſtea priſtinum locum eadem maria recepere, vt ſeruorum Dei hoſtes immergerentur, quod Moyſi cum Iſraelitico populo contigit. Exod. 14. Sed & Ioſue, cum Arca Fœderis ferretur à Sethim ad Iordanem, fluuii aquæ ampliſſimæ ita diuiſæ ſunt, vt inferiores decurrerent, ſuperiores in vna mole conſiſterent ad inſtar montis intumeſcentis, atque ita & Arca, & populus omnis ſicco pede pertranſiit. Ioſue c. 3. Beatus quoq; Petrus mare ambulauit ſiccis pedibus, nauigium, quo vehebatur, egreſſus. Deinde Maria Ægyptia Iordanem, ſpectãte Zozimo Abbate, præmiſſo crucis ſigno, ita ſuper liquidum fluuium ambulauit, ſicut per ſolidum terreſtre, vt tradit Paulus Diaconus in vita huius Marię, qui eſt apud Lipomanum tom. 2. Deinde duo Anachoretæ, præſente Stephano Abbate Cappadoce ac colloquente, ſuper aquas rubri maris pedibus ingreſſi trans mare abierunt, vt memorat Sophron. pr. ſpir. c. 122.

Atq; ita fit, vt qui Deo integra fide, bonorumq; operum cumulo deſeruiũt, nullis artificiis egere videantur, omnia enim ſuperant, nullis rebus ſubiiciuntur: habentq; peruias aquas omnes. Quidquid igitur periculi eſt tum in rebus, tum in a-

quis omnibus, peccatum parturit: ſi etenim peccatum non obſiſteret, humanarum rerum cura non vexaſſet pium hominis animum, neq; bella ſuborta fuiſſent præſertim maritima, non nauigia bellica, non claſſes fuiſſent comparatæ, quarum cauſa maria, lacus ac flumina humano ſanguine maduerunt.

EQ. Certe id ita eſt, ſed ex culpa hominum aucta ſunt miracula: nam (vt ad cœptum de nauigiis & interruptum ſermonem redeamus) induſtria, quæ ſequuta eſt hominum culpas, fecit, vt admiremur ſyluas ingentes in aquis exurgere, cum tot mali, tot antennæ in claſſe aliqua viſuntur: nunquid non ſylua ingens erat illa, quum Piratæ ex Cilicia profecti, bello Mithridatico cum Regiæ claſſi nauaſſent operam, congreſſis poſtea inter ſe Romanis bellis ciuilibus freti multitudine paulatim mare incuſtoditum inuaſiſſent, non nautas duntaxat aggredi, ſed Inſulas & vrbes maritimas etiam occupare ſoliti, naues habuerunt amplius mille, vrbes ceperunt vltra quadringentas, Romanis tandem etiam inſultauerunt, vt Zonaras tradit paulo ante C. Iulii Cæſaris vitam tomo 2. Quam ſyluam vno impetu intra quadrageſimum diem Pompeius ſibi ſubegit, vt memorat Plin. Iun. lib. de vir. Illuſtrib. propterea & Piratarum naues octingentæ ab Pompeio eodem abductæ in eius triumpho numerabantur, vt recenſet Plutarchus, & ex illo Bud. de Aſſ. l. 3. Nonne ſylua fuit, quando Theodoſius Imperator aduerſus Genſericum Gottorum Regem in mare Siculum atque Africanum deduxit claſſem mille centum, ac ſeptuaginta nauium, vt Nicepho. memorat lib. 14. cap. 57. Nonne ſylua fuit ingentior iſta, quam Olaus meminit lib. 5. cap. 8. quando Sueci & Gotti comparata claſſe aduerſus Dacos eduxerant naues bis mille ac quingentas, cum etiam Daci obſiſterent æquali nauium numero, vt ſic ſylue ampliſſime conſpicerentur in mari nauigiorum quinq; millium? Propterea admirandus eſt Sinæ Rex, qui ſolis ex quinque regni prouinciis claſſem conſueuit educere quinque millium nauium. rebus Sinar. p. 4. cap. 12.

PH. Has ſyluas ſua numeroſitate ſuperauit Rhoſſica claſſis maiore ſylua, Lecapeno Romano imperante Conſtantinopoli: nam claſſis non mille, aut bis mille, ſed decies & quinq; millium nauium vrbem Conſtantinopolim aggreſſa eſſe perhibetur. At contra eam Romana claſſis iuxta Pharum in procinctu conſiſtens, ac ſubito inuecta barbaros profligauit, vt Zonaras tradit in ipſo imperio Lecapeni Romani.

EQ. Hunc numerum ego aliquando legi, ſed mihi videtur eo nomine paruifaciẽdus, quod forte perexiguæ cymbæ, aut lembi fuerint, quales Venetiis hoc numero videmus frequentiſſimas eſſe: nam arundineas nauiculas, id eſt, ex ſingulis internodiis arundinum confectas Indorum Regem contra Semiramidem duxiſſe memorat Diodor. lib. 3. quod recolit & Naucl. gen. 20. volum. 1. quo ſubſidio inſaniſſime Barbari valde ſibi aliquando cõfiſi non ſalutem, ſed perniciem quæſiere. Nam nauibus arundineis claſſem comparauerant Hunni, quando Cherſoneſum obſidebant paulo antea à Belliſario deuicti. Erant arundines longitudinis æque, ac craſſitudinis non mediocris, hisque inuicem intertextis, reſteque & vimine colligatis cratibus, perinde compluribus factis, perticisque oblongis, tanquam tranſtris ſuperiniectis, media cratium, extremaque circumplexi, hæcque maioribus vinculis colligando, inuicem omnem eam materiam committebant conſtrictam validius, compreſſamque ita, vt crates tres, ad ſummumve quatuor nauiculam vnam conficerent, latitudine ſatis ampla, quæ homines quaternos exciperet, & tanti

fundi,

fundi, vt inuecta pondera firmiter & tuto deueherent, ne ſui leuitate demergerentur; iſtiusmodi nauigia centũ & quinquaginta breui ſic fabricarãt, vt ad nauigandũ agiliores his eſſent, quorum formam ſic conſtruunt, partem ipſam anteriorem in proræ ſpeciem leuius porrexere, & recuruarunt: è lateribus vero vtrimque remigationem machinati ſic ſunt, vt agi faciliter nauicula quæque ſex palmulis poſſet. Hanc igitur claſſem omnem arundineam à regione Heſperii littoris occulte immittunt: homines enim ſexcenti ingreſſi, palearum ingentem mox copiam in arundinum commiſſuris intrudunt, & rudi remigio in altum à terra longius proueuntur. Germanus Iuſtiniani Dux huiusmodi claſſem irridens illico omnes demerſit. Agathius Scholaſticus Smyrnæ de bell. Gott. lib.5. Hoc igitur genus munimenti huiusmodi inermem claſſem, quamuis numeroſiſſimam, quis non irrideat? Non igitur mirum, ſi ridiculum experiantur exitum, qui illo ſibi nauigiorum genere claſſem comparant, quamlibet numeroſam. Iam enim ducenta millia cymbarum numerata in Indica vrbe Regia Odia commemorauimus, quæ Italicas forte mille, ſumptu aut munitione non adæquent. Nam barbara gens artis ignara nauigia miris modis conſtruit, quandoque nullo prorſus ferro addito componit, funibus ligna connectens, velut aſſuendo, quod fieri compertum eſt in Indiæ prouincia Orientali Camara, quod retulit Venetus auctor apud Ramuſium tom.1. Sed & proxime Calicutium idem opus exercetur, vt Odoardus Barboſa tradit. In mari quoque rubro id genus nauigii in vſu eſſe recolit ſe vidiſſe Hieronym. Genuenſis apud Ramuſium tom.1. In ipſo quoq; tractu Africano, non procul ab ipſa S.Laurentii Inſula, in ora, quæ Zanguebar nuncupata eſt, clauis ferreis prætermiſſis conſuuntur nauigiorum tabulæ funibus ex Indicæ nucis cortice confectis. Ioanne Barro teſte hiſt. dec.1. lib.8. cap.4. In Perſide præterea prope Ormutium ita componi nauigia memorat Polus lib.1. cap.16. Quod & in Europa quoq; memorant agi: nam in Laponia nauigiis vtuntur, nullis clauis, ſed neruis & viminib. compaginatis, quod & alias diximus. Id tradit (alio nomine damnatus) Iacob. Zieglerus in Laponia. Accedit iis, quod in ipſo Oriente trabibus copulatis nauigant, nullo alio addito ingenio, vt in Indiæ prouincia Zidem, Venetus apud Ramuſium tom.1. Sed & in Burnei Inſula tabulas quidem compingunt, ſed latera adiiciunt arundinibus contexta, maloque arundineo vtuntur, & velis ex arborum corticibus, vt memorat Antonius Pigafetta. Et vt nulla orbis pars inſania carere videatur, in orbe nouo ex oſſibus cæti naues compingunt, vt Petr. Hiſp. tradit p.5. c.17. Non igitur admirabimur, ſi huiusmodi irridendorum nauigiorum numeroſiſſima copia habeatur?

TH. Qua autem ex materia fuerint illæ naues, quæ ante diluuium in vſu fuerunt, ſi tamen fuerunt?

PH. Non conſtat nauigia ante diluuium maximum, & totius orbis in vſu fuiſſe: vetuſtiſſima illa eſt biremium memoria, quarum auctor fuit Damaſthes, vt Plinius tradit lib.7. cap.56. Deinde triremium auctor fuit Ammocles Corinthius, vt Thucydides ſcribit: inde Ariſtoteles Carthaginenſis quadriremium auctor fuit. Quinqueremium autem auctor fuit Niſichton Salaminius. Sex ordinum Xenachoras Syracuſius. Inde vsque ad decemremem Neſigiton: Alexander autem Magnus vsque ad duodecim ordines. Philoſtephanus ſcribit Ptolemæum Sotorem ad quindecim; Demetrium Antigoni ad triginta; Ptolemæum Philadelphum ad quadraginta; Ptolemæum Philopatrem, qui Triphon cognominatus eſt, ad quinquaginta.

quaginta. Hæc ex Plinio Budæus de Aſſe lib. 5. nonnulla recoluntur à Plutarcho in vita Demetrii Antigoni. Nusquam igitur compertum, num nauibus ante diluuium homines vterentur: nam vel ipſe Plinius eodem cap. 56. de origine nauigiorum hæc habet: *Naue primus in Græciam ex Ægypta Danaus aduenit, ante ratibus nauigabatur, inuentis in mari rubro à Rege Erythra: reperiuntur, qui Myſos & Troianos priores excogitaſſe in Helleſponto putent, cum tranſirent aduerſus Thracas.* Hactenus ex Plinio, cuius ſententia eſt, longe poſt vniuerſale diluuium nauigia inuenta; vt ita deprehendamus, quæ alias diximus, humo defoſſa inuenta cum omni inſtrumento nauigia, nō ante diluuium vniuerſale extitiſſe; ſed alia quapiam inundatione, vt mox dicemus.

EQ. Semper humanum genus in extruendis nauigiis ligno vſum fuiſſe cēſeo. Nam apud Heluetios in pago Berna inuenta nauis ann. Dom. 1462. ſubterraneis metallorum cuniculis fodiendis ſub ima terra ad brachia centum lignea fuit, anchora ferrea, vela ex tela, ſed omnia velut abſumpta, viſebātur adhuc quadraginta hominum oſſa, vti iam alias commemorabamus ex oculato teſte Baptiſta Fulgoſo, viro prudentiſſimo, qui, vt dicebamus, cenſuerat à diluuio id factum, vt regurgitatione fluctuum tanta humus nauim obruerit. Ita ille lib. 1. cap. 6. Accedit ei Petr. Hiſp. Lignea igitur ſemper fuiſſe nauigia à plerisq; affirmatur: ſed ante diluuium nemo probat: neq; enim Noe fuiſſet irriſus arcam faciens. Fateri tamē oportebit, quanquam tot ex materiis nauigia fiant à plebib. vbiq; tamen, tam in Oriente, quā alibi, & naues, & triremes Regum ſumptibus reperiri affabre ex ligno confectas, de quarum numeroſitate adhuc ſuppetunt dicenda iſta. Traduntq; enim Regem Sornai Orientalis Indiæ (cuius in vrbe Odia diximus numerari ducēta millia cymbarum) nauigiis vti ampliſſimis, quantæ noſtræ triremes ſunt; ſed ſemper, quæ ibi videntur, redolent ſtultam barbariem. Nauigium, quo ille vehitur, Sirenis formam tenet, refertq; ante humanam faciem, protenditurque in longitudinem triremi maiorem, deſinitque in piſcis caudæ formam: eſt auro obtecta cauda omnis, ſicut & remi, ac reliquæ partes ornatiſſimæ ſunt. Ferdinandus Mendez anno Domini 1554. Vt ita deprehendas barbarorum inſaniam ineptiorem fuiſſe ſemper, quam quorundam Romanorum inſanientium ineptia fuerit. Nam Caligula Imperator inſaniens naues cedrinis tabulis compegit, puppim fecit eburneam, auro, ac gemmis ornauit; fecitq; tanta amplitudine eas, vt ſpatioſas aulas continerent, haberentq; hortos arboribus virentibus conſitos, vbi etiam irrigatione florerent, velut in ſolo herbæ quæque ac flores, Neapolitanumq; littus in iis nauibus ſedens circumnauigauit minore ineptia, ſed pari inſania cum barbaro, quem diximus, Rege. Sed redeamus ad id, quod ſupereſt de numeroſitate nauium. Marcus enim Polus lib. 2. cap. 54. tradit ſeſe numerata vidiſſe quindecim nauigiorum millia in flumine Caramoram Orientalis Indiæ, omniaque equis onuſta, ſingulaq; ferentia equos quindecim, & plures. Ego autem non admirabor tot compertas ibi onerarias naues in Regium vſum, cui ſuppeteret neceſſitas deuehendi equos in tantum numerum: nam numerari potuiſſe videntur ſupra ducenta equorum millia: nam ſupra hunc numerū diſpoſitos ibi curſores equos iam diximus. Sed omnis illa claſſis imbecilla fuiſſet, nullis belli munimentis inſtructa. At non negarim iam à Xerxis tempore inſtructiſſimas fuiſſe in Aſia claſſes: nam nauium roſtratarum 1201. & onerariarum tria millia, exercitumq; mille millium Xerxem eduxiſſe memorat Oroſius lib. 2. cap. 9. Sunt qui ad Oroſium ſcholion addant, fuiſſe Xerxi roſtratas naues

ues mille ſeptingentas. At Lepidus ſub Octauio Auguſto ex Africa ſoluit claſſem inſtructam nauium mille, ac præterea octoginta triremium ducens in Sextũ Pompeium. At quod de Gottis non erat exiſtimandum, quando Illyricum & Epirum omnem populauerunt, duo nauium millia diuerſi generis eduxiſſe eos in Adriaticum, ſed magno infortunio conſtat; quandoquidem demerſa omnis huiusmodi claſſis eſt Romana virtute, vt Claudius Imperator ſcriptum reliquit, quod recolit Naucl. gener. 10. an. Dom. 276. quæ didicerat à Trebellio Pollione. Eadem Anto. tit. 7. cap. 8. §. 12. Sed & Baſiliſci claſſis imperante Leone ad mille centum nauium numerata eſt contra Genſericum. Niceph. lib. 13. c. 27. Africani quoq; magna induſtria claſſes inſtruxiſſe memorantur: nam præter id, quod in bello Punico Polibius trecentas quinquaginta triremes inſtructiſſimas aduerſus Attilium eos eduxiſſe commemorat, quingentas etiam naues poſtea inferioribus ſæculis igne ſuccenſas memorat Oroſius lib. 4. c. 19. Honorio quoq; imperãte, Alarico autem Romam vaſtante, Eraclianus Conſul in Africa 3070. nauium claſſe comparata aduerſus hoſtem ſeſe accinxit. Segeb. Hunc Oroſ. lib. 17. c. 42. Attalum nuncupat, triaq; illi millia ac ducenta fuiſſe nauium tradit. At Freculſus tria millia ac ſeptingenta, ſcribit tom. 2. lib. 5. c. 7. Genebrardus. Sed & inferioribus ſæculis Calixto II. Pontifice, Saracenorum claſſis inſtructiſſima viſa eſt, ſeptingentarum nauium, vt Naucler. recolit gener. 38. anno Domini 1119. Sed & in Europa Dani memorantur claſſem inſtruxiſſe mille ac ſeptingentarum nauium apud Scleuiſcum opera filiorum Regneri Dani, vt Saxo Grammaticus ſcribit lib. 9. Isq; numerus millium nauium iam videtur à nobis ſæpe probatus. Quin accedit, quod Mahuhias in mare Rhodienſe eduxit mille ſeptingentas ſcaphas, Rhodumq; cepit, vendito Coloſſo, vt alias diximus, Iudæo cuidã Emeſno oneranti nongentos camelos, vt Theophanes Iſauricus ſcribit apud Anaſtaſium bibliothecarium anno Domini 644. Et vt tandem his numeroſiſſimis claſſibus finem imponamus, Roſcius Normannorum Rex ſexcentas naues per Albim fluuium in Germaniam aduerſus Ludouicum I. eduxit, vt meminit Krantzius in Noruegia lib. 1. cap. 38. anno Domini 845. Venetos ego crediderim præferendos omnibus in inſtruenda numeroſa ingentium triremium ac ampliſſimarum nauium claſſe: nusquam enim toto orbe inſtrumenta ad id tanto numero parata perpetuo ſunt, quandoquidem locus ille, quem Arſenalem nuncupant, patet ad duo paſſuum millia, in quo bellica omnia inſtrumenta ſeruantur, triremes, nauesq; incredibili numero ſeruantur, indiesq; conſtruuntur. Leander.

PH. Iſta ſunt humana ſtudia, quibus niſi acceſſerit diuina voluntas, irritus labor eſt, ne dicam pernicioſus: ignis ſæpe incendit, tametſi aquis vehatur, ſæpe demerguntur in ipſa arridente fortuna, quod accidit M. Attilio, quãdo deuictis Carthaginenſibus, trecentas ac quinquaginta triremes abduxerat, atq; ita ſeptingentarum numerum expleuerat, ac cum poſſet tuto Romam reuerti, vt faſtu animum oblectaret, Siciliam oſtentationis cauſa circumiens, incidit in grauiſſimam procellam, vnde omnis illa, tum ſua, tum ex victoria claſſis parta, mari demerſa eſt, & qui hoſtẽ ſua virtute, fortunaq; vicerat, ſua ſe libertate, ac felicitate fœdauit, vt à Polib. ſcriptum eſt: & quod valde admirandum eſt, aliquando naues etiam vndis confertim decedentibus in arida, in medio mari immobiles ſtetiſſe memorantur, vt Nicephorus habet lib. 14. cap. 46.

TH. Ideo ſæpe etiam à piſculo ampliſſima nauigia retenta fuiſſe, ne progre-

diantur, magis quam retinet anchora, alias commemorauimus, viciſſe remos ac gubernacula, ſimul & ventos aut fluctus, quamuis commotiſſimos, & vela implẽtes. Actiaco enim bello Remora piſciculus tenuit prætoriam nauim Antonii properantis circumire, & exhortari ſuos, donec tranſiret in aliam. Ideoq; Cæſariana claſſis impetu maiore protinus venit. Tenuit quoq; Caii Principis ab Aſtura Antium remigantis nauim, vt Plinius recolit lib.32. cap.1. De eo etiam piſce Ariſtoteles tradit hiſtor.anim.lib.2.cap.14. Hæc quidem naturæ ſunt miracula: Attamen nihil adeo Remoræ nomen meretur, aut nihil adeo vt Echinis in rebus omnib. ne feliciter progrediantur, obeſt, quam peccatum. Nam nauigantibus in Aſia non paucis aderat & illa Maria parricidii filiorum rea, de qua alias pluribus egimus; progredi nunquam potuit nauis, donec tanto pondere exoneraretur. In mare igitur cum ipſa id ex ſua culpa fieri animaduertens ſeſe demerſiſſet, exonerata adeo nauis eſt, vt quod reliquum erat viæ, celeri curſu peregerit, id tradit Sophron. in prato ſpir. c.76. Peccatum igitur vere Remora eſt, quod & ex Ionæ hiſtoria perſpicuum fit: quandoquidem cum obniteretur ille diuinis iuſſis, nauigium & ventis, & procellis, fluctibusq; reſiſtentibus naufragabatur, magno omnium connauigantium periculo. At vbi demerſus eſt Ionas, velut exonerata eius culpa naui, reliquum nauigationis, qui aderant, peregere ſecundis velis. Sed ſi culpa abſit, ſtudiumq; omne ad diuina conuertatur auxilia (quod iam diximus) rimoſæ ac confractæ naues nihil obſunt, Deus velorum, remigumque vicem reddit: quin ſi abſit nauigium, aut ſiccis ambulare veſtigiis, aut exſiccari aquas iubet, aut tandem adeſſe etiam miraculo rates facit, velut in promptu extructas. Nam cum tres Monachi, Sirius, Eſaias, & Paulus proficiſcerentur ad Anuph Eremitam, flumen ampliſſimum intranabile itinerandi viam obſtruxit. Hi proſtrati in orationem à Deo exorarunt, vt mox (cũ antea ibi nulla eſſet) nauicula apparuerit, qua traiicerent. Vita ſanctorum Patrum p.1. de ſancto Sirio, Eſaia & Paulo. Quamobrem vt humanum exerceret ſtudium, vtq; induſtria laborem leniret, in operoſo homine Deus miraculo è cœlo miſſo, docuit Septentrionem ſeu Axem, atque ex eo nauigationis normam pendere. Id enim Mileſio Thaleti primum oſtendit, vt ſe docente id humanum genus perdiſceret lib.1. in vita M. Aurelii, cap.35. Mondognetus. Deinde cum forte conſpici aliquibus impedimentis Septentrio non poſſet, docuit etiam in tenebris ac ſub tecto, imaque nauigii ſentina, Septentriones & Axem deprehendi magnetis auxilio. Id autem vt humano generi innoteſceret, Amalfitanum, vt alias diximus, hominem primum id noſſe voluit Honorio IV. Pontifice, vt Iouius hiſtor. libris ſcriptum reliquit, & recolit in ipſo Honorio Genebrardus, quod nos quoque ibi recenſuimus. At cum aliquando inciderimus in Chronicon Deitmari Merſpurgenſis, qui ſexcentos ab hinc ante annos vixit, lib. ſexto ſub finem inuenimus Gibertum, qui poſtea Silueſter Secundus Papa fuit, horologium, de quo poſtea agemus, inueniſſe, ductu ſtellarum, quæ nautis vias ſolẽt dirigere, id eſt, Septentrionẽ; vnde coniicimus ipſo illo tempore etiam magnetis vſum nautis cognitum dirigendæ nauigationi.

Naues à piſcib. retẽta.

EQ. Ita fit, quod iam diximus, vt ob culpam humani generis tot ſtudia, tot artificia adinuenire opus fuerit, & artificiis artificia contraria, dum aliud alia deludunt: nam has nauium ſyluas non ſolum aduerſariæ nauium claſſes profligaſſe leguntur, ſed adinuenta alia quoq; fuere artificia, quibus demergerentur, aut cremarentur. Quamobrem admirari quoq; hac occaſione libet ingenium hominis, quomodo

modo in obſidione Syracuſana Archimedes machinis naues hoſtiles attrahebat,& in altum eductas demittebat,vt impetu in aquas relapſæ mergerentur. Denique vt absque materiali corporeoque igne naues adurerentur, nempe ſolummodo ſpeculis nauibus obiectis, ſolari auxilio idem Archimedes auctor fuit in eadem obſidione à Marcello inſtructa: ſpeculo enim quodam verſus Solem ſuſpenſo radios excepit, aereque ob denſitatem & leuitatem ſpeculi ex iis radiis incenſo effecit, vt ingens flamma recta in naues illata omnes eas cremaret, vt Dion refert atque Zonaras Tomo 2. in Syracuſana obſidione, & Tom. 3. in Anaſtaſio Dicoro, & iam nos quoque alias commemorauimus.

PH. Hac induſtria (nam inuentis addere perfacile eſt) Proclus alter Mathematicus mirifico ingenio præditus ſua architectura claſſem aliam demerſit, vti alias ſępe commemorauimus paucioribus. Vitaliano etenim Thrace agrum Byzantinum excurſionibus infeſtante, claſſeque vrbem obſidente, nauali pugna Anaſtaſius II. Imperator hoſti eſſe reſiſtendum conſtituit, & machina quadam à Proclo viro excellentiſſimo facta (is enim tum & in Philoſophia & in mechanicis florebat, neque Archimedis duntaxat celeberrimi artificis cognorat omnia, ſed & ipſe noua quædam adinuenerat) claſſis hoſtium debellata eſt. Nam ſpecula ex ære fabricaſſe vſtoria fertur Proclus, eaq; de muro è regione hoſtilium nauium ſuſpendiſſe, in quæ cum ſolares radii impegiſſent, ignem inde fulminis inſtar erumpentem claſſiarios ipſasque naues hoſtium combuſſiſſe. Hæc Zonaras in Anaſtaſio Dicoro. Propterea putarim, Ethnicos quandoque naues ſuas ad ſuperſtitionem conſtruxiſſe. Nam præter eam lapideam triremem, nempe Inſulam Tyberinam, quæ ad triremis formam, qua Æſculapius Romam aduectus fuit, eſt extructa, & præter illam nauim, quam obeliſcum Romam ex Ægypto deuexiſſe diximus, quam ſuperſtitione in porta demerſam, & Puteolano puluere iuſſu Cæſaris oppletam, ne cui alii vnquam deſeruire poſſet, iam antea diximus; comperti ſunt priſci illi Cæſares alias in lacis naues ſummo artificio extruxiſſe demerſiſſeque eo conſilio, vt ſepulchri locum tenerent, id quomodo acciderit, referam Æneæ Syluii, qui poſtea Pius II. Romanus Pontifex fuit, verbis: *In lacu* (inquit) *Numico, qui ſedet non procul ab Albano, reperta eſt in fundo ſubmerſa nauis vlnis fere ſub aqua duodecim, accerſitisque è Genua nautis, qui ſub aqua commode aliquandiu degere ſolent, educi cœpit, quanquam temporis diuturnitate perfracta corpus ex ligno larice compactum tres digitos craßitudinis habuit: pars exterior bitumine oblinita fuit, tum ſericeus pannus, ſiue crocei, ſiue rubri coloris adiectus, hunc plumbi lamine operuerunt clauis æneis, quorum capita deaurata eſſent, ita cohærentibus affixæ, vt nulla poſſet aqua ſubingredi; pars interior, ne poſſet igne ſuccendi, poſt bitumen incruſtationem habuit ex mixtura ferri & argillæ, qualem noſtra ingenia non intelligunt, & ea tantæ ſpißitudinis fuit, quantæ & materies interius clauſa, ita vt perſpicuum eſſet, ab igne tutum nauigium. Et carina quidem, corpusque nauis in ſua digeſtum membra ita compactum apparuit, cuius longitudo haud minor viginti cubitis fuit, latitudo, quæ longitudini conueniret: ſupra nauim ædificatam fuiſſe domum exiſtimant, qualibus in Rheno Principes Electores vtuntur, qui nantes ad ima lacus deſcenderunt, aiunt in fundo nauis arcam ferream, ſeu cupream ſe vidiſſe, quatuor annulis colligatam, & hydriam fictilem, cuius coopertorium æris deaurati fuerit. Hoc opus Tiberii Cæſaris arbitrantur, eo quod in lacu fiſtulas plumbeas quamplures inuenerint, in queis ſcriptum eſſet literis maiuſculis:* TIBERIVS CÆSAR. Hæc Plinius libro Comment. II. ita vt mille quadringentis prope annis integra perſtitiſſe in aquis nauis illa videatur: perfracta autem tum eſt, cum admotis ma-

Specula vſtoria.

chinis extrahenda fuit:ſufficiat autem hactenus de tanta ſuperſtitione egiſſe.

Specula.

PH. Speculorum inuentio, vt de eis agamus ob incidentem mentionem, ſane non parui artificii eſt: nam inde mira fiunt, quæ non aliunde, aut vix fieri poſſunt, igitur de eis rurſum differere poſſumus paulo diuerſum, quam alias differuimus; primum reminiſci oportet, ſi corpus diaphanum aliquod fuerit, vt viſus tranſiliat, cuiusmodi eſt vitrum, ſi poſterior vitri pars atro aliquo colore tingatur craſſitie aliqua, vel etiam fuſo plumbo, ſtanno argentove, vel etiam auro liniatur, deſinit eſſe diaphanum, reflectetque radios ad incipientis oculum propter ſuperuenientem illam opacitatem. Eadem ratione, qua fundum aquæ radios inſpicientium reflectit. Vnde tam in ſpeculis, quam in quieſcenti aqua imagines obiectæ omnes repræſentantur. Sed illud eſt admirabile, ſpecula pro ſuæ formæ diuerſitate diuerſas reddere rerum obiectarum formas. Plana enim, ac quæ ſunt leui ſuperficie, reddunt res obiectas rectas, & vti veræ ſunt, conuerſa tamen, vt quæ ſiniſtra ſunt, dextera videantur, & econtra, adeo vt luſcus dextro oculo in ſpeculo videbitur luſcus ſiniſtro. Deinde ſpecula quædam ſunt conuexa, quædam concaua, quædam oblonga. Conuexa reddunt rem longe minorem, quam ſit, etiamſi ipſum ſpeculum ſit ampliſſimum: concaua vero longe maximam, & quod eſt admirabilius, ſuperiorem obiectæ rei partem reddit inferiorem, & quæ inferior eſt, reddit ſuperiorem, vnde fit, vt homo coram concauo ſpeculo pedes ad cœlum habeat, ad terram caput; oblonga vero plana oblongam reddunt formam, ſed ſi oblonga conuexa ſint, minimam oblongamque rem reddunt. Si concaua oblonga, ampliſſimam longiſſimamque repræſentant. Si plurima concauitas ſit quadrata, quater eandem rem reddit. Si hexagona, ſexies, eſtque illud memorabile, ſi in vaſe oleo pleno ſpeculum immergatur, manifeſtiſſimam reddit Lunæ ac Solis Eclypſim, longeque magis perſpicuam, quam ſi cœlum proſpectes. Ex Senecæ ſententia, vt diximus in Meteoricis. Rurſum & illud eſt adnotabile, demerſum ſpeculum ſub dio reddit ſemper diurnis horis ſtellam quandam, quum ſtella nulla tunc appareat: ſed is eſt Sol ipſe aquæ (vti ſpeculum eſt demerſum) ſuperficiem radiis percutiens.

Rurſum aliud admiror, cum ſpecula omnia leuia ac plana pro ſui amplitudine repræſentent lata, quæ lata ſunt, & parua, quæ parua ſunt. Nihilominus ſpeculum, quamuis re obiecta latius pateat, nunquam obiectam rem maiorem repręſentabit, quam vere ſit. Facies enim hominis, quæ palmæ menſuram continet, obiecta ſpeculo ſeſquipedali palmaris tantum repræſentabitur. Mirum hoc eſſe, & occultum meminit S. Auguſtinus ad Nebridium epiſt. 151. Attamen anguſta ſpecula anguſtas reddunt formas; aliqua tamen ratio vtriusque adinueniri poteſt, vt latius non diffundantur formę in lato ſpeculo, quia latitudo eius, vbi menſuram rei repręſentatæ attinget, non dilatatur ad idem, ſed ad alia, quæ ambiunt rem repræſentatam, id exemplo fiet apertius. Poſt ambitum vultus humani ſunt alia quædam, velut montes, maria, muri. Vt ergo obiecta hæc reliqua repręſententur, cum obiecto loco permaneant, neceſſe eſt, vt ipſa facies ſuam menſuram contineat: linea enim reliquarum rerum directa ſeruatur, vt ſe reddant in ſpeculo. At in diminutione formæ ex anguſtis ſpeculis apertiſſima res eſt, vt non egeat declaratione. Nam oportet res omnes, quæ ſpeculo anguſto obiectæ ſunt, per lineas rectas repræſentari. Vt ergo omnibus ſit locus repræſentationis, omnia oportet pro portione minui, quanquam animaduerti ego dedita opera, non eſſe verum, vt plana ſpecula & parua reddant rerum imagines paruas: reddunt tantum rerum obiectarum portionem æqua-

qualem ſpeculi amplitudini. At in conuexis ſpeculis hoc verum eſt, vt minores reddant obiectarum rerum imagines. Rurſum aliud accedit de ſpeculis memoria dignum. Si coram vnico ſpeculo prælato abſit homo, deinde percuſſione ſpeculum dehiſcat, rimaq; fiat à ſummo in dimidium, vnica tantum forma repræſentabitur, etiam rima illa exiſtente. Quod ſi per diuerſas portiunculas ſeorſum diuidatur, totidem reddet formas, quot ſunt fruſta, quoniam tot effecta ſunt ſpecula. Atq; ideo vnum prælatum ſpeculum in plures diuiſum, poſtquam alium partes ipſæ ſeorſum ſuum occupant locum, non poteſt vlterius integram reddere formam, ſed plurimas anguſtiores ſingulæ illæ partes repræſentabunt. Hæc vſus ipſe docuit. Scripſit tamen elegantiſſime de his, quæ diximus, etiam Gregorius Reiſchus in Margarita Philoſophica lib. 10. tract. 2. c. 13. quo loco etiam adiicit, cum omnia humida ſpeculi rationem habeant, vt aqua, vinum, oleum, ſanguis; mira ex eis fit colorum diuerſitas rei repræſentatæ. Aqua præ omnibus reddit claram hominis effigiem, oleum reddit decorum, venuſtum & amabilem: ſanguis vero, quamuis puriſſimus, reddit nigrum & pallidum. Reddunt præterea ſpecula aliorum ſpeculorum obiectorum repræſentatas effigies, adeo vt abſentia, quæ pone hominem ſunt, videri poſſint: Nam honeſta mulier, ne à Medicis pudenda ſua conſpicerentur morbi curandi cauſa, toto obuelato corpore, Medicis quoque auerſis, prægrandi ſpeculo in terra poſito, effecit, vt non conſpecta conſpicerentur, optimo conſilio à ſe factum Cardanus inſignis Mediolanenſis Medicus tradit. Deinde mira alia plura fieri hac ſpeculorum obiectione poſſunt, vt quæ poſt humeros homini fiant, aduertat, & quæ in cubiculo, de via conſpiciat, aut quæ in via fiunt, de cubiculo proſpectet, cum è feneſtra non poſſit, aut muro interpoſito, cum nullus poſſit eſſe proſpectus, ſpeculorum tamen inſtrumenta conſpiciendi vim præbebunt, vt Trithemius animaduertit. Sed de ſpeculis hactenus, nunc ad alia ingenio arteq; confecta.

TH. Quoniam architectorum principis Archimedis iam paulo antea meminimus, non videtur prætermittendum, naturam in eo omnes vires collocaſſe, vt eam præ cæteris ipſe omnibus hominibus imitaretur: nam onuſtam nauem ſolus remolitus eſt, traxitque quo voluit, cum ingens vis mortalium ne mouere quidem ſuo quiuiſſet loco; quin ingenio confiſus teſtari auſus eſt, ſi alter terræ globus eſſet, vtrumque, alterumque alteri ſe fuiſſe applicaturum. Sabell. lib. 10. ſed & de cœlo ſimilia teſtabatur. Nam ſphæram eum conſtruxiſſe, & curſus ſyderum, ac coniunctionem affabre compoſuiſſe conſtat: nam Lunæ, Solis ſyderumq; errantium motus in ſphæram illigauit, vt tarditate & celeritate diſſimilimos motus vna regeret conuerſio. Fuit autem ſphæra vitrea, in qua miræ huius artis motus diſſimiles circulorum viſebantur, vt Manutius adnotat, & memorat Cicero Tuſcul. lib. 1. Claudianusque Poeta inſignis carmine eius laudes cecinit hiſce verbis:

Iura poli, Regnumque Deorum,
Ecce Syracuſis tranſtulit arte ſenex.
Percurrit proprium mentitus ſignifer annum,
Et ſimulata nouo Cynthia menſe redit.

EQ. Si libet alia ingenio artificioque plena recenſere opera, non deerit argumentum, repetemusque hoc etiam loco opportune Amulii inuenta, quandoquidem ideo ſe pro Deo venditare auſus eſt, quod cum machinis quibuſdam tonitrua tonitruis, fulgura fulguribus referret, ac fulmina iacularetur. Sed quoniam Deus ſuperbis ſemper obſiſtit, inundatione paludis, ad quam inhabitabat, periit vna cum

Regia

Regia demerſus. Hæc à Zonara Tomo 2. in prin. Atque ita factum eſt, vt qui ſe Deum eſſe ob ingenium venditaret, quo ignis miranda quædam conſtrueret, aqua abſorberetur, vti diſſeruimus in Meteoricis.

PH. Ex huius Amulii tonitruis ac fulguribus arte conſtructis putarunt nonnulli bombardarum vſum manaſſe. Inuentum enim huiusmodi humanas vires quodammodo ſuperaſſe videtur: verum Amulii opus eſſe ego negarim, quandoquidem non fuiſſet poſtea Romanis incognita machina, qua facilius Orbem totum, breuiorique interuallo ſubegiſſent. Nusquam autem eius rei mentio facta eſt. Propterea plurimum mihi arridet Polydori Virgilii ſententia de inuent. rerum lib. 2. c. 11. qui originem huius machinæ primum compertam fuiſſe tradit anno Domini 1330. à Germano quodam, qui cum verſaretur circa mortariolum ſulphure plenum, incauto excidit ignis: quamobrem ſulphureus puluis totus in flammam erupit, quod cum ille animaduertiſſet, inuentioni inuentionem addens, ex concauo vim maiorem colligens etiam machinam fieri poſſe eſt aſſecutus. Propterea Venetos conficiendæ machinæ artem vſumque docuit ipſo anno Domini 1330. cum apud foſſam Clodiam cum Genuenſibus bello dimicarent, qua noua bellandi induſtria Veneti hoſtes perfacile ſuperarunt. Ac quoniam tot clades hominum poſtea contigerant, putat idem Virgilius, inuentorem non alia fuiſſe dignum morte, quam Perilli ænei bouis inuentoris. Ita ille lib. 3. c. 18.

Bombardarum inuentor quis?

EQ. Sat ſuperque inuentor ille ſui facinoris pœnas luit, quod nuſquam eius comperiatur nominis memoria; perpetua igitur obliuionis caligine plectendus iudicatus. Blondus tamen ac Volaterranus memorant, Venetos quidem ea machina aduerſus Genuenſes dimicaſſe nauali pugna anno Domini 1380. conſentiunt Genuenſium Annales, quos Auguſtinus Iuſtinianus ſcripſit lib. 4. anno Domini 1379. Sed Petrus Hiſpalenſis var. lect. ſylua. p. 1. c. 9. longe ante illud ſeculum putat hoc tormentum in vſu fuiſſe apud Hiſpanos: nam ante hoc noſtrum ſeculum annis quadringentis bello, quod inter Alfonſum & Tunetanos gerebatur, è nauibus Tunetanis perſæpe ferreos globos ignitos iaculatos tonitruis ac fulminibus concomitantibus teſtatur; quibus autem id machinis fieret, incognitum fuiſſe hiſtoriȩ auctori, cui nomen fuit, Petrus Epiſcopus Lugdunenſis ſcriptor Chronicorum de rebus Alfonſi Caſtulonenſis Regis. Rurſum etiam Mauritanos anno Domini 1343. cum Alfonſus alius Rex Algazaram obſideret, tradit idem auctor globos ferreos ex oppido iaculatos fuiſſe tonitruis quibusdam accedentibus. Præterea Petrus idem Hiſpalenſis in vitis Cæſarum in Vinciſlao memorat, quod iam diximus circiter ann. Domini 1382. Venetis aduerſus Genuenſes nauali prælio dimicantibus, primum in Italia hanc machinam non ſolum conſpectam, ſed etiam incredibilem incautis Genuenſibus cladem attuliſſe; & certe Platina in Vrbano VI. & Ioannes Cocleus in Coſmographia conſentiunt, anno Domini 1380. licet Paulus Langus in Chron. Citizenſi referat ad annum 1360. Nauclerus tamen videtur originem rei referre ad Ottonis IV. tempora, & Innocentii III. anno Domini 1212. licet exactiſſimam eius inſtrumenti formam referat ad inferiora tempora. Nam Otto Imperator, collecto milite, duas Hermanni Turingi fortiſſimas munitiones funditus deſtruxerat. Quo tempore primum cœpiſſe memoratur vſus inſtrumenti bellici prius incogniti. Hæc ex Nauclero, qui quamquam exactam bombardæ formam ad poſteriora poſtea tempora referat, indicat tamen, iam aliquod eius perſimile inſtrumentum Ottonis tempore extitiſſe, & certe non potuit 1380. primum inueniri:

niri: quandoquidem Venetis tum primum quidem cognitus vſus. Attamen Chriſtophorus Danorum Rex, inito cum hoſte ſibi proximo prælio, bombardæ ictu occiſus memoratur anno Domini 1280. vt Krantzius tradit Vandal.lib.8. c.23. His adſtipulatur, quod apud Sinas bombarda longe ante cognita fuit, quam in Europa.reb.Sinar.lib.3.c.15.

PH. Eo peruenit in genus humanum iſta ſæuiendi ars, vt vnica machina triplex corpus habeat, triplicique impetu deſeruiat, ſæpe iaculando ſemel, bis, tertiò, non ſucceſſiuis inſtructionibus, ſed cum triplex ſit concauitas, ac ſpiracula tria, triplex quoque ſit iaculatio; quin etiam ſeptem vidimus compactas ſimul concauitates ac ſpiracula. Nam Romæ in Adriani mole patent hæ machinæ. Olaus autem lib.9.c.4.5.6. hæc genera proſequitur: quin etiam illud addit, cum plerumque tormenta hæc ſphæricum globum emittere conſueuerint, comperta fuiſſe in Aquilonari regione quædam, quorum tota concauitas ac ſpiraculum triangulari ſit forma, vt ferreus globus ferreaque maſſa triangularis emittatur. Mirandum quam perite id agant, qui illis machinis præfecti ſunt, quando vel à tribus millibus paſſuum rectam ducant lineam, vt in caput hominis globum mittant; quin quod induſtrium magis videtur, ſi hoſtiles machinas videant, è propriis machinis iaculantur globos in concauum ſpiraculumque hoſtilis machinæ. Nam eo modo hoſtis poſtea ſuæ machinæ vſum amittit.

EQ. Admirandus præterea fuit vſus, quo minoribus machinis quisque miles manu vtitur, quas ſclopetos vocant. Nam absque igne vſus in promptu eſt, vt ſcilicet è ſilice ac chalybe rotarum vi ſponte ignis erumpat, quo puluis tormentarius etiam ſponte incenditur, & iaculatio perficitur. Propterea ſæpe tres, quatuor ac plures perexiguæ huiusmodi ſclopetorum machinæ ſimul adeo compactæ inuentæ ſunt, vt vna à ſilice rotarum ferrearum vi chalybe percuſſa ſimul omnes globuli emittantur ſuperne inferneque, ac per quatuor latera omnia, adeo vt Florentiæ vulnerati plures ſint, qui machinam ſpectandi gratia conuenerant, erumpente igne è ſilice ſciſſa fune, qua malleolus ac rota retinebatur: eius rei auctor fuerat nobilis ciuis Mutinenſis Lanfrancus Fontanus. Quod vt apertius fiat, quibus potero explicabo. Erat pila ænea, quanta eſt nux, intus vacua; à ſex lateribus perforatis prominebant velut internodia arundinum ad longitudinem, quanta eſt digiti vnguis, intra quæ locus apparebat pulverem tormentarium, & globum plumbeum, aut ferreum, quantus eſt cicer. Aderat præterea foramen perexiguum, quod chalybe à violentiſſimo quodam funiculo retento obtegebatur. Pila ipſa igitur oppleta puluere tormentario, cum ſcindebatur funiculus, per chalybis ictum igne è ſilice ibi mira arte locata, magnum emittens fragorem, à quolibet internodio globulum tanta vi emittebat, vt obuia quæque penetraret, hominem interficeret, ſicut reliqua tormenta, aut quæ ſclopetos vulgus vocat, ſuperne, inferne, atque à quatuor partibus, Septentrione, Meridie, Oriente, Occidenteque recta linea globuli eiiciebantur, multos ictus vna inflammatione & crepitu facientes. Vt igitur Mutinenſis aduerſarium hac arte necaret, excogitauit, vt incluſa machina vaſculo aut capſula, illo ipſo fune, quo chalybs per vim retinebatur, exterius obuolueretur, atque muneris ſpecie amici cuiusdam confictо nomine mandat ruſtico ignaro, vt munus deferat Florentiam, quo loco eius aduerſarius degebat. Ruſticus vix ingreſſus vrbis Florentiæ portam, à lictoribus, qui omnia mercium genera ſolertiſſime perſcrutantur, detinetur, machinaque illi eripitur licet ignaro, iique exiſti-

Sclopetorum vſus.

mantes pretioſum ibi latere aliquid confeſtim funiculum abſcindunt. Erupit mox ignis ac fragor, eiiciuntur globuli, vulnerantur aliquot ſpectatores, inferior globulus in ligno ſignum ignitum impreſſit, in parietibus ſigna quoque impreſſa ſunt, ſicut & in ſolario; abſumpto igitur puluere, eiectisque globis re peruulgata, irritum fuit ingenium Mutinenſis in aduerſarium. Hæc contigere noſtro ſeculo. At eius machinæ numquam vlterius exemplum aliud eſt viſum. Sed de hac re plus ſatis.

TH. Proſequamur igitur alia quædam, quæ ab ingenii perſpicacia profecta ſunt opera; ſane mihi videtur commemoratione dignior columba illa, quam Architas Tarentinus volantem ſua fecit induſtria. Id his verbis enarrat Aulus Gellius noct. Att. lib. 10. c. 12. *Quod Architas* (inquit) *Pytagoricus feciſſe traditur, & admirabile, & non vanum videri videtur: nam & plerique nobilium Græcorum, & Phauorinus Philoſophus memoriarum veterum exequentiſſimus, affirmatiſſime ſcripſerunt, ſimulacrum columbæ è ligno ab Archita ratione quadam & diſciplina mechanica factum volaſſe, ita erat ſcilicet libramentis ſuſpenſum, & aura ſpiritus incluſa atque occulta concitum.* Libet hercle ſuper re tam abhorrenti à fide ipſius Phauorini verba ponere: *Architas* (inquit) *Tarentinus Philoſophus pariter & mechanicus vir columbam ligneam fecit volantem, quæ ſi vmquam ſubſediſſet, præterea non exurgebat.* Hæc ille.

Columba lignea volans.

Similique induſtria ferunt Albertum Magnum ſtatuam hominis forma conſtruxiſſe, quæ cum libramentis quibusdam, rotis atque aliis machinis intra latentibus peritiſſime compoſitis, linguam quadam ratione & diſciplina mouentibus, articulata verba pronunciaret. Hanc ſtatuam cum S. Thomas Aquinas ſtudioſe ab Alberto miſſus in cubiculum, vbi illa latebat, audiiſſet verba adeo articulate pronunciare, perterrefactus fuſte machinam contriuit, ac poſtea interrogatus, cum reſpondiſſet ſe ſtatuam confregiſſe, reſpondit Albertus: Opus triginta annorum deſtruxiſti.

Statua humana loquuta.

EQ. Huic rei accedunt noſtro ſeculo adinuenta Horologia libramentis peritiſſime compoſita, vt non ſolum horæ obeliſco notentur, verum etiam æris ſonitu horarum numerus in tenebris nocturnis reddatur numerabilis, quod veteribus etiam Romanis fuit incognitum: nam & libramentis quibusdam ac rotis non eodem modo, ſed contrario rotantibus, ita horarum ſpatia ſeruantur, vt malleoli percuſſu æs, quota ſit hora, auribus inſonet ſimul, & indice quoque viſui oſtentet. Quæ res adeo in immenſum artificium ingenio creuit, vt centum ferri partes ſint eæ, & aliquando plures, quibus huiusmodi machina conſtet. Auxere etiam miracula artificum ingenia, vt cum tot ſint rotæ currentes & recurrentes, compertus ſit artifex, qui & campanulam, & indicem, & cætera libramenta omnia in Caroli V. Imperatoris annulo digiti collocarit. In vrbibus inſignioribus, tum Italiæ, vt Venetiis & Bononiæ, tum Flandriæ plerisque oppidis hæ horologiorum machinæ adeo inſigniter componuntur, vt cum inſtet hora, ſtatuæ æneæ libramentis ferreis aut æneis commotæ excurrant, equitum aut peditum more, manibus malleos ferentes campanam magnis ictibus percutiant, quæ horarum numerum probe referant, ac mox viſuntur ſtatuæ redire in ſua latibula, nimirum munere ſuo perfunctæ. Acceſſere præterea etiam in eisdem machinis Lunæ ac Solis coniunctiones atque oppoſitiones, vt quota Luna ſit, quauis diei hora perpetuo conſpici poſſit, quod Bononiæ præcipue in aperto eſt. Acceſſit, vt etiam horæ in partes quatuor æquales diuidantur, quæ partes eiusdem æris ſonitu indicentur, quod præcipue in Pala-

Horologia artificioſa.

Palatinis ædibus Romæ patet: & quod vires humanas videtur excedere, ſi ſtatueris tertia aut quarta vigilia excitari, tanta arte componuntur horologia, vt qua volueris hora, neque antea, neque poſtea æris inſolito ſonitu excitabit, perinde ac ſi ſeruus te excitet totus huic rei pro te intentus. Acceſſit & aliud, vt qua velis hora ictu mallei è ſilice ignis excutiatur, ſpongia eſcave ſponte aduratur, lychnus illi proximus accendatur, atque ita lumen ſplendeſcat abſque humano opere. Supererat illud vnum faciendum, vt pro te quoque ſtudium perficeret ipſum horologium, vt omne genus ignauiæ excuſaret.

PH. Sed quo ad publica horologia ſpectat, Pragenſe in Vngaria videtur nulli eſſe ſecundum, ſi artificium perpendas & ingenium: nam in turri Prætoriana horologium continet totius anni reuolutionem cum recto curſu Solis & Lunæ, numeroque certo menſium atque dierum, & aſſignatione Calendarii, ſeu Feſtorum integri anni, habens item Ortum & Occaſum, Meridiemque, altitudinem Solis, & Lunæ ſolſtitia, æquationes, quantitates dierum ac noctium, incenſiones, oppoſitiones, & quadras Lunæ cum cœleſti curſu congruentes iuxta motum non ſolum naturalem, ſed violentum quoq;, ſimiliter ortum & occaſum 12. Signorum Zodiaci; numerum item horarum triplicium, videlicet integri & dimidii horologii, atq; horarum inæqualium, ſeu planetariarum, omni tempore concordantium, quas horas oſtendit vna eademque manus, ſeu index, qui mobilis exiſtens cum ipſo Sole de vno ſigno Zodiaci in aliud per vnum gradum ſingulis totius anni diebus tranſit. Infra ſphæram horologii forinſecus eſt alia grandis ſphæra, cui inſcriptum eſt Diarium, ſeu Calendarium, vbi Angelus à latere collocatus quotidie præſentem diem virgula longa demonſtrat. Hæc recolit Georg. Bruin in Praga. Hoc igitur, quod tanto ingenio confectum eſt, horologium habet alia longe elegantiora, aut ſumptuoſiora, quam reliqua à nobis commemorata, & iure admirandum præ cæteris videtur.

TH. Olim tantummodo clepſydræ in vſu fuere, etiam apud Romanos priſcos, de quibus à Polydoro actum eſt lib. 2. c. 5. Primum aquæ guttulis horæ metiebantur, cum è vaſe leniter deciderent, auctore Scipione Naſica Romæ, ſed antea Alexandriæ iam Cteſippus inuenerat teſte Cicerone lib. 2. de nat. Deorum. Hoc igitur horologium clepſydra nuncupabatur. At qui ex arenis minutiſſimis horologium inuenerit, adhuc incompertum eſt, ipſo Polydoro Virgilio teſte lib. 2. c. 5. Sicut nec commemoratur auctor horologii, quod vbiq; & publicis & priuatis ædibus cernitur è metallis, rotis dentatis, atq; ponderibus partim ipſo vmbilico obeliſco horas indicante, partim teſtantibus tintinnabulis; quibus etiam accedit, quod iam diximus, Planetarum omnium, ac Solis ac Lunæ curſus incredibili artificio repræſentatus, vt cœlum ipſum prope conſpici videatur, de quo Polydorus eod. c. 5. Horologiorum autem, quæ ab axe Aquilonari Magnetis vi ferreum indicem promouente ducuntur, inuentorem primum fuiſſe teſtantur Gilbertum Rhemenſem, qui poſtea dictus eſt Sylueſter II. Papa, vt tradit Ditmarus Meſpur. anno Domini 997. quibus accedit M.ſſonus, Erfordienſis & Genebrardus. *Clepſydrarum vſus.*

EQ. Memorant Hiſtorici, inſignem clepſydram fuiſſe olim dono miſſam ab Aaron Perſarum Rege ad Carolum Imperatorem an. Dom. 807. Sic enim Naucl. gener. 28. *Per Legatos* (inquit) *Rex Aaron ad Carolum munera miſit, inter quæ horologium ex aurichalco arte mirifice compoſitum, in quo duodecim horarum curſus ad clepſydram vertebatur, cum totidẽ æreis pilulis, quæ ad completionẽ horarum decidebant, & caſu ſuo ſubiectũ*

ſibi cymbalum tinnire faciebant, additis eiuſdem numeri equitibus, qui per duodecim feneſtras completis horis exibant, & impulſu egreßionis ſuæ totidem feneſtras, quæ prius erant apertæ, claudebant; alia quoque multa erant in ipſo horologio, quæ conſcribere longum eſt. Hæc quoque Guagin lib. 4. Vinc. hiſt. lib. 24. cap. 10. præter alios plures, qui idem memorant, vt præcipue Regin. eius temporis ſcriptor, & Kr. Sax. lib. 1. c. 19. Sed de horologiis hactenus, nunc ad alia.

TH. Admirandum quoque opus fuiſſe illud videri debet, quod Alexandriæ extrui mandauit Ptolemæus, vt ſcilicet vitreum ſepulcrum Alexandro Magno fabricaretur: fuit enim artificis inſignis induſtria. Strabo lib. 17. Ad alia tamen eſt properandum.

Annulus Pyrrhi.

PH. Eſt etiam nunc commemorandum, quod alias occaſione alia diximus, quod referunt de Pyrrhi annulo: nam regia fama eſt, gemmam Pyrrhi illius, qui aduerſus Romanos bellum geſſit, Achatem ſcilicet admirandam fuiſſe, in qua nouem Muſæ & Apollo cytharam tenens ſpectabatur, non arte, ſed natura ipſa magiſtra, ita diſcurrentibus maculis, vt Muſis quoque ſingulis ſua redderentur inſignia. Hæc Plin. lib. 37. c. 1. Mihi tamen eſt perſuaſum prorſus arte caruiſſe tot imagines: nam Achatem ſcio referre formas animantium, hominum quoque ac rerum reliquarum omnium, ſed non exacte ea redduntur; propterea maximam artificis partem acceſſiſſe exiſtimandum eſt, qui alibi minuens, alibi augens quæ ſpectanda eſſent, eximie elaborarit Scio autem Venetiis in Diui Marci Eccleſia Achatem lapidem eſſe, in quo natura effigiauit hominem, quod admirans ſuſpexit Albertus Magnus, vt Leander memorat.

TH. Et illud inſigne opus fuit, quo vniuerſa paſſionis Chriſti myſteria in propriis vnguibus quidam ſibi deliniarit: ſcribens enim Landinus (qui in Dantis Poemata commentaria edidit) ad can. 29. Capoccium Senenſem ciuem in vtriusque manus vnguibus, quidquid de paſſione Chriſti tradidere Euangeliſtæ, tum res, tum actus, tum perſonas periciſſime delineaſſe, quod etiam Porcach retulit in funer. ipſo operis exordio.

EQ. Etſi non tanta eſt pietas, par tamen induſtria eius, qui vniuerſam Homeri Iliadem tanta membrana conſcripſerat, quãta poſſet in nuce includi, quod retulit Cicero, & Plinius memorat lib. 7. c. 21. Sed & noſtro ſeculo Franciſcus Alumnus Symbolum Apoſtolorum & Euangelii Ioannis primi capitis omnem illam portionem, quæ publice in Miſſis recitatur, in denarioli ſpatio per omnes prorſus literas ſcripſit ſtupentibus Imperatore Carolo V. & Clemente VII. Pontifice, vt Petrus Aretinus, & poſt ipſum tradit Genebrardus in Clemente VII. nosque domi idem miraculum ſeruamus, ſiue ſit Alumni, ſiue alterius, neſcimus.

PH. Æquali ingenio memoratur ſculptura quædam Callicratis: is enim ex ebore formicas, & alia tam parua animalia effinxit, vt partes earum à cæteris cerni non poſſent. Quin etiam Myrmecides quidam in eodem ſculpturæ genere adeo inclaruit, vt quadrigam ex eadem eboris materia, quam muſca integeret alis, fabricarit. Sed & nauem exſculpſit, quam apicula pinnis abſconderet. Plinius libr. 7. cap. 21.

Pulex catena aurea alligata.

EQ. Accedit iis illius Aurificis Africani induſtria, qui Memphis pulicem catenula aurea illigauit, quamobrem non paruo præmio muneratus eſt à populari multitudine. Leonius id habet de reb. Afric. p. 8.

Putei.

PH. Et in puteis ars humana non parum eluxit. Nam ſi bene meminiſtis, non procul

procul à Nilo aridiſſimo ſolo rariſſimi quidem putei ſunt, attamen ibi vnus eſt ad mille pedes ſua profunditate pertingens,è quo vt aqua hauriatur,bos perpetuo labore funem trahit, ad irrigandum proximum hortum,& ad humanum potum,vt memoratum à nobis eſt,cum de quadrupedibus agebamus. At neſcio, ſi hic tanta dimenſione imum terræ penetret quanta puteus, qui apud Equicolos Italiæ in agro Vicouaro viſitur, ſed nulli vſui eſt; ſi in illum lapis demittatur,priusquam pertigiſſe fundum exaudiatur,duo verſus percommode pronunciari poſſint.Leander in Equicolis,& Blondus. Sed & in Africa Centumputei locus denominatur,quod ex vno putei orificio in alios profundius eatur. Mons eſt enim non procul ab Athlante,in cuius ſummo puteus eſt,profunditate tanta, vt fundum videre à nemine poſſit. Sunt qui in eum deſcenderint,ii referunt in imo aridum eſſe,conſpiciq; ibi amplas aulas muro exædificatas,ex eisq; in inferiores alias deſcendi,vbi ſcaturientes ex aliis puteis aquæ viſuntur,diſtantes ab ipſo ſummo putei orificio duobus ſtadiis,vt ita longe pluribus pedibus ſit iſtius dimenſio,quam pedum mille; niſi quod non adeo recta eſt putei huius longitudo, vt ea, quam apud Nilum eſſe diximus. Quidam etiam, qui curioſius ſcrutari adnixi ſunt horum centum puteorum latebras, extinctis vapore terreo luminibus,amiſſaq; redeundi via,perierunt. Leonius p.3. Nec eſt prætereundum,quod de Libycis puteis auctores tradiderunt: ſitientiſſimum illud ſolum eſt, & quamquam intra puteorum profunda aqua aliquando ſcaturiat, nihilominus vis cœli, aerisq; æſtus, ac ventorum motus quidquid ibi eſt aquarum ſolent exugere, exſiccare: ei rei vt occurratur; excogitarunt incolæ, nihil aptius eſſe humori aduerſus hæc conſeruando,quam ſi putei interius Camelorum oſſibus laterum loco exædificentur, ac dein pellibus circumcirca muniantur. Ita habet Leander p.1.

TH. Ad puteorum miraculum pertinet,de quo paucis egimus ex Greg.Turonenſi. Narrat is lib.1.de glor.Mart.cap.1.in Bethlehem puteum eſſe magnum,ex quo B.Virgo Maria aquam aliquando ſitiens hauſerat. In eo igitur proſpectantibus illuſtre miraculum viſitur. Stellam enim, quæ Magos duxit, videri à mundis corde tradit,ac deuote accedentibus,recumbentibusq; ſuper os putei: ii enim operiuntur linteo iniecto capiti,proſpectantq; rectis in puteum oculis,qui ſi mereri hoc Dei beneficium inuenti fuerint,vident ſtellam ab vno putei latere ſuper aquam in aliud latus migrare. Cumque ſæpe multi ſimul proſpectent,aliquibus tantum videtur. Diaconus igitur eius cum duobus aliis tantum videre digni habiti ſunt, cum tamen quinque ſimul proſpectarent. Eadem ſcholion ad Tertullianum lib.de Idololatria. Sed quoniam nonnullis fabuloſum id videri poteſt,libet eius rei rationem ſubiicere, vt potius viribus naturæ,aut artis id tribui poſſit, quam diuino miraculo: in ſpeculis enim iam id diximus Solem,cum in aqua ſpeculum immergitur, videri ſtellam: ita enim repræſentatur illud ſecundum Solis ſimulacrum,vt exigua ſtella eſſe putetur. Igitur in puteo illo aut aliquod ſpeculum ſubiicitur, vnde Solis ſimulacrum conſpiciatur, aut obſcuritas putei, permiſſa tamen paruo aliquo lumine, ſimulacrum in aqua putei repræſentatur,velut paruæ ſtellæ, vt ita quod natura aut ars efficit in repræſentando in putei aquis Sole,vulgus ad Magorum ſtellam referat, quod inueriſimile eſſe nemo ſapiens negabit.

At nunc quoq; pro noſtri Colloquii colophone libet adhuc pauca quædã proferre in medium, præcipue vero de ſcriptura: nam inter omnia, quæ admirationem inducunt, illud præ cæteris eſſe ſemper excogitaui, quod à ſcriptura inter ho-

mines euenire ſolet, non de characterib. intelligo, ſed de ſententia. Vnusquisq; n. ſui animi effigiem ſine lineamentis in Scriptura imprimit, doctum à minus docto, & inſcium à doctiore diſcernimus, maleuolum à beneuolo, accuratum ab ignauo, prudentem ab imprudente, iram, amorem, affectus omnes, etiam ſi quis adnitatur velamine aliquo obtegere, ſuis tamen ſeſe literis prodit; artes, aſtusq; ipſi in ipſis ſcripturis, ac ſtratagemata & multorum temporum geſta, paruo folio recenſentur. Tepor, liuor, fraus, ſicut ſolertia, hilaritas, & animi candor ſcriptura exprimuntur, abſentia redduntur præſentia quantauis immenſa locorum intercapedine ſibi inuicem remota; præterita quoque ipſa, quanquam iam tot ſæculis lapſa legentibus ex ſcriptura nobis reuiuiſcunt: ita nouimus rerum omnium creationem, totius humani generis curſum quaſi exſculptas rerum omnium imagines conſpicimus. Præceptoris ac magiſtri vicem ſcripturæ, etiam ſi mutæ ſint, nobis exhibent.

Propterea quaſi viuere quodammodo omnia videntur ex ſcriptura, fieriq; perpetua: chartę quoq; ipſæ apud Indos, vbi vſus ſcribendi prorſum erat incognitus, putabantur ab imperita gente vitam in ſe habere, atque animatæ eſſe cenſebantur, vel eo tantum nomine, quod ex ipſarum inſpectatione magna locorum intercapedine à ſe ſeiuncti homines, quæ alibi contigiſſent, aut quæ agenda eſſent, perdiſcerent. Cum igitur gens illa ſtultiſſima conſcriptas literas videret, horreſcere videbatur, metuens circumſpectabat vti rem viuentem & animatam, latereq; in eis ſpiritum exiſtimabat. Hæc enim initio obtigiſſe memorat Ouet. in hiſtoria Indica lib. 2. cap. 6.

Addit autem Petrus Martyr in ſummario rerum Indicarum, in Hiſpaniola Inſula obtigiſſe memorandum: folia etenim Coppei arboris papyri vicem præbent. Miſit igitur aliquando velut literas cum munere quiſpiam Hiſpanus ad amicum: munus non integrum cum literis exhibitum eſt: reſcripſit amicus, ſe munus omne non accepiſſe, quod literarum in iiſdem foliis ſcriptarum lator ſibi retinuiſſet. Cum igitur literæ legerentur, & lator fraudis damnaretur, faſſus eſt crimen: inde euenit, vt Inſulares non auderent colloqui iuxta eas arbores, ne ſecreta panderentur.

Et ſane quod nobis aſſiduitate nimia viluit, illis nouitas repræſentauit miraculum. Quid enim audiri poteſt admirabilius, quam vt quæ ſoli Deo ſecreta ſint nota, poſſit paruula charta notiſſima reddere? ac qui à ſe longe abſunt, cō ſcripta charta reddat ore proximos, vt quæ muta prorſus eſt, vocis, explicatæq; loquelæ officiū impleat? Hinc illud eſt, vt ſacrę literæ per Antonomaſiam Scriptura nuncupentur, quod occulta Dei, qui cœlos inhabitat, nobis in terra degentibus per eam innotuerint. Ac dum hæc loquimur (vt dixi) non admiror papyrum, chartam, marmora, tabellas ligneas, quibus Aquilonares quidam vtuntur, ne vnquam obliterentur, vt Olaus ſcribit lib. 1. cap. 21. ſed admiror vim latentem: nam & D. Hieronymus ad Marcellam ſcribens admiratur, cum dixit: *Scriptorum libri ingeniorum effigies, & vera, & æterna monumenta ſunt.* Erit igitur vere beatiſſimus ſcripturarum inuentor, nec aliunde tantum beneficium homini aduenifle exiſtimandum eſt, quam diuino numine largiente: propterea primum Deus ſcribendum librum Moyſi mandauit, Exod. 17. quem & coram populo legit, Exod. 24. Erat autem iam alius liber, qui vitæ dicebatur, à quo delebantur impii, cuius prima mentio eſt Exod. c. 32. cū diceret Moyſes Deo: *Dele me de libro tuo.* Et primum ibi Deus comminatus eſt ſe deleturū de illo

S. Literæ cur ſcriptura appellentur.

de illo libro quemcumq; peccatorem. Scripta autem omnia fuiſſe, quæ ſcribenda iuſſerat Deus, manu Moyſi cõſtat primum Exod. 34. Verum vt ſcriptura Dei opus eſſe homini innoteſceret, inde cõpertum eſt, quod Deus Moyſem ſic allocutus eſt, Exod. 24. *Aſcende ad me in montẽ, & eſto ibi, daboq; tibi tabulas lapideas, & legem ac mandata, quæ ſcripſi, vt doceas filios Iſrael,* & vt habetur Exod. cap. 32. Scriptura Dei extat ſculpta in tabulis, quanquam eas ob Idololatriam populi circa vitulum conflatilem Moyſes ipſe confregerit. Effectum tamen inde eſt, vt renouandas tabulas Dominus iuſſerit, vt ipſe idem Moyſes ſcriberet eadem, quæ in confractis tabulis continebantur. Id patet Exod. c. 34. Atq; ita perſpicuum fit, ſcripturæ Deum auctorem fuiſſe, ac inter homines ſcriptorem primum fuiſſe Moyſem.

Scriptura auctor Deus & primus hominum ſcriptor Moyſes fuit.

Et quamquam Mercurio nonnulli tribuerint ſcribendi intentionem, quos recenſet Euſeb. Cæſ. præpar. Euang. lib. 1. c. 6. & 7. ſentiantq; Ægyptiis, inter quos educatus Moyſes fuerat, ſcribendi vſum cognitum fuiſſe, vt Polid. Virgil. memorat Inuent. rer. lib. 2. c. 7. nihilominus verior eſt ſententia, vt Moyſi tribuatur inuẽtio. Cum enim omnium hominum vetuſtiſſimis Iudæis Moyſes literas tradiderit primus, vt ait Euſeb. Cæſ. præp. Euang. lib. 9. c. 4. deindeque ab Hebræis Phœnices, quorum auctor Cadmus fuit, didiciſſent, vt ibidem Euſebius, Cadmo autem vetuſtior fuerit Moyſes, vt idem Euſeb. præpar. Euang. lib. 2. c. 2. in fine memorat, cõſequens eſt, Moyſem ſcribendi primum auctorem extitiſſe: nam & omnium ſcriptorum vetuſtiſſimum fuiſſe Moyſem teſtatur Iuſtinus Martyr in Apologia 2. contra gentes.

Quanta igitur admiratione ſit ſuſpicienda ſcriptura, etiam quælibet profana, auctores ipſi nos docent, quando inæſtimabiles inde diuitias multos fuiſſe conſecutos commemorant: vnde enim tantum pretium Virgilio collatum, vt multis talentis donaretur ob vnum ſcriptum, recitatumq; Æneidos ſextum librum, vt memorat in eius vita Seruius, & ex illo Budæus de Aſſe, aſſentitq; Pet. Hiſp. Eadẽ prętereà ex cauſa ob vnam ſcriptam orationem viginti talentis donatus eſt Iſocrates. Plin. lib. 7. cap. 30.

Neq; admirabor illum Ægyptiorum vſum, quo per rerum imagines ſenſum animi indicabant. Nam id pictura, ſculpturaq; rerũ fiebat; quæ res ipſæ iam ſenſum indicant patentem, ſicuti leonem appictum aut exſculptum ſi quis videat ignariſſimus literarum, iam leonem nouit; nam & pardalis hominis effigiem & nouit & diſcerpit, & aues pictas vuas comedere adnixæ ſunt ab effigie. Atq; ita fit, vt peritus æque ac imperitus, atq; etiam irrationale animal idem appictum videat. & agnoſcat: ſed quod ſublatis rerum ſimulacris, vt ex paruis notis (quæ nihil prorſus per ſe repræſentent) coniunctis aliquid intellectu humano dignum deprehendatur, hoc eſt, quod admiramur, vt ſuum animum ſcriptor exprimat, & lector etiam animo percipiat. Ita fit, vt huius rei inuẽtor ſit Deus, & promulgator Moyſes perhibeatur. Propterea contigit, vt quæ ſcripta ſunt, ſemper ſumma veneratione fuerint obſeruata & culta, etiã apud profanos. Et ſi quis liber conſcriptus fuit rerum reconditarum, nihil adeo vmquã tanti venditũ eſt, quanti vendi cõperti ſunt conſcripti libri. Nam cum Plinius Senior Electorum Romanorum volumen vnum conſcripſiſſet continens centum ſexaginta commentarios minutiſſime à ſe conſcriptos, potuit, cum procuraret in Hiſpania, vendere hoc volumen Largio Licinio 400. millibus nummũ cum tamen nondum integri oẽs eſſent cõmentarii, vt memorat poſterior Plin. ſcribens ad Marcũ. Cui accedit, quod libri Sybillini tanti venditi ſunt, vt La-

ctantius

ſtantius memorat de falſ. relig. lib. 1. cap. 6. Cumana etenim Sibylla cum nouem conſcriptos libros ad Tarquinium Priſcum Regem attuliſſet, ac pro eis trecentos Philippos poſtulaſſet, Rexq; aſpernatus pretii magnitudinẽ deriſiſſet mulieris inſaniam, illa in conſpectu Regis tres combuſſit, ac pro reliquis idem pretium popoſcit. Tarquinius multo magis inſanire mulierem putauit, quæ denuo tribus aliis exuſtis, cum in eodem pretio perſeueraret, motus eſt Rex, ac reſiduos trecentis aureis emit. Propterea ingenti ſtudio inſtruendarum bibliothecarum affecti fuere & Reges, & periti alii, cuiusmodi Demetrius Phalereus teſtatus eſt, numerata in Ptolemæi bibliotheca ducenta librorum millia, vt meminit Euſeb. præp. Euang. lib. 8. cap. 1. Quamquam tanta Bibliotheca poſtea, Cæſare Ptolemæum debellante, ob Pompeii necem, incendio conſumpta eſt, vt Zonaras tradit in Iulio Cæſare. Hac eadem ex cauſa memorabilis Conſtantiniana Bibliotheca fuit, quæ cum centum viginti librorum millibus inſtructa eſſet, caſuali incendio abſumpta eſt, vt Zonaras habet in Baſiliſco.

Fuit & Alexandriæ Bibliotheca aliquando quadringentorum millium librorũ, vt Oroſius meminit lib. 6. cap. 19. & 20. Hęc equidem ab initio, at poſtea ſeptingenta millia continuiſſe traditur ab Ammiano Marcellino lib. 22. ſed non videbatur is numerus Regiæ tantum congruus maieſtati; quandoquidem etiam ſingulares perſonæ compertæ ſunt, quibus triginta librorum millia in Bibliotheca eſſent, quod poſtea perſpicue viſum eſt in Pamphili Bibliotheca, quam ad triginta duo millia numerari ex vetuſtis auctoribus, Iacobus de Columna & Antoninus meminerunt tit. 8. cap. 2. § 9.

EQ. Fuere aliæ inſignes Bibliothecæ librorum copia memorandæ. Nam Eumenes Attali filius ſupra ducenta librorum millia conquiri, & in hædinis pellibus deſcribi iuſſit; vnde pergamenis chartis à loco nomen inditum eſt. Sammonico quoq; Sereno, qui Gordianum iuniorem diſcipulum teſtamento heredem inſcripſit, fuere libri ad ſexaginta duo millia. Poſtea valde inſignes Bibliothecæ incredibili librorum numero inſtructæ, & exquiſitorum auctorum reconditis voluminib. refertæ etiam in Europa memorantur Vaticana Romæ, Marciana Venetiis, Regia Pariſiis apud ſanctum Victorem, & Florentina, poſt illas veteres externas, ſcilicet Athenienſem, Conſtantinopolitanam, Antiochenam, atque Hipponenſem. Superſunt & alię etiam hodie memorabiles, vt Fuldenſis, Erfordienſis, Viennenſis, & Bauarica Monachii.

Hinc ille ſcribendi fluuius omnibus admirabilis ex Origenis ingenio manans, quem ad voluminum ſex millia conſcripſiſſe, Ruffino teſte ad Macharium, compertum eſt. Quamquam Ruffinum eius rei reprehendit B. Hieronymus: non enim id verum eſſe putat, ſed commentitium, vt vix tertiam huius numeri partem conſcripſiſſe eum affirmet, ita ex Hieronymo aduerſus Ruffinum Apolog. lib. 2. cap. 6. qui id confirmat ex indice Euſebii Cæſarienſis, qui omnia illius opera complectebatur.

TH. Admittamus Origenem non ſcripſiſſe duo, aut tria librorum millia, vt Hieronymo videtur: quomodo non admirabimur Salomonis eruditionem illam incredibilem, quem conſtat tria millia librorum compoſuiſſe de parabolis, ac quinque millia librorum de Canticis, præter alios innumeros de naturæ rebus, vt memorat Ioſephus antiquitatum lib. 8. ac recolit Sixt. Biblioth. ſanct. lib. 2. in Salomone: vbi etiam tradit, exuſta omnia fuiſſe à Nabiozzardan Chaldæo. Longæq; magis admi-

admirabimur Mercurium Trimegiſtum compoſuiſſe triginta ſex librorum millia, quingentos viginti quinque, Iamblico teſte, quod retulit idem Sixtus Bibliothec. lib.1.in Ægyptiis. Sed Mercurium pleraque profana, ſuperſtitioſa ſcripſiſſe conſtat; non ita de Salomone cenſendum, quatenus ex iis, quæ ſuperſunt, animaduertimus.

PH. Antonomaſtice igitur ipſa ſacra Scriptura dici ſcriptura debet (vt ante dictum eſt) cæteræ non item, ob diuini numinis auctoritatem. Nam quantum ad ipſas ſacras Scripturas attinet, nihil eſſe poteſt admirabilius, nil quoq; venerabilius; & qui eis abuſi ſunt, mox Deum ſenſere vltorem. Nam Theopompus mente captus eſt ob id, quod ſacræ Scripturæ leges ad Græcorum profanum vſum traduxiſſet: ſed & Theodotus, cum tragœdias ſcribens ad quandam fabulam è Scripturis S. nõnulla traduxiſſet, lumine captus eſt: vterq; tamen pœnitens orationib. ad Deum fuſis, placatum Deum eſt expertus, eaq; de cauſa Ptolemæus Rex ſanctam Scripturam cum omni ſtudio aſſeruandam curauit, vt meminit Euſeb. prępar. Euang. lib. 8. cap. 1. in fin.

EQ. Nunquam ſatis dici poteſt ad S. Scripturæ commendationem: mihi videtur hoc vnum ſufficere, quod à ſacris literis animarum ſalus tota pendet; at è profanis ſcriptis nunquam tantum eſt acceptum commodum: aliquando tamen corporum, ac rerum ſalus è ſcripta profana charta hominibus peruenit. Nam vt meminiſtis; columba irrationale animal nuncii officium agere cum nequiret, per literas effecit à ſe perlatas: in obſidione Mutinenſi ab vrbe ipſa in rebus magnis internuntia fuit: pedibus enim habens epiſtolas annexas in Caſtra Conſulum Romanorum euolans attulit, Decio Bruto mittente contra Antonii obſidionis accuratiſſima ſtudia, vti diximus in auibus: perfecerunt etiam hominum ingenia bonis artibus ex ſcriptis. Sed de ſcripturis hactenus.

PH. Succedit ſcripturæ impreſſoria ars, eiusque vicem obtinet, & orbi toti commodior, quando facile omnia ſcripta breui interuallo temporis in vniuerſum orbem diſſeminantur, magno ſtudioſorum cõmodo. Si tamen res bonæ ſint, quæ euulgantur, ſicut magna quoq; pernicie, accelerataq; mortifera peſte, cum aut falſa aut turpia prona celeritate impreſſa in omnes orbis partes percurrunt. Hoc inuentum nouitiũ tradunt pleriq;, vt Raphael Volaterran. lib. 33. Polidor. Virg. de inuent. rer. lib. 2. c. 7. *Ioannes* (inquit) *Guthembergus natione Theutonicus equeſtri vir dignitate primus omnium in oppido Germaniæ, quam Moguntiam vocant, hanc imprimẽdarum literarum artem excogitauit, primumq; ibi exerceri cœpit, non minori induſtria reperto ab eodem, prout ferunt, auctore, nouo atramẽti genere, quo nunc impreſſores vtuntur. Decimo ſexto deinde anno, qui fuit ſalutis humanæ 1458. quidam nomine Coradus homo itidem Germanus Romam primo in Italiam attulit, quam dein Nicolaus Ienſon Gallicus primus mirũ in modum illuſtrauit.* Hactenus Polidorus, qui & illud mirum addit, hac arte tantum vno die ab vno homine literarum imprimi compertum eſſe, quantum vix toto anno à pluribus ſcribi poſſet. Cui & nos addimus, eiusdem impreſſionis beneficio factum eſſe vt omnes diſciplinę breui emicuerint, linguæ ipſæ omnes breui innoteſcant, ac omniũ ſcientiarum volumina, etiam egenis ſtudioſis percommode ſuppetere poſſint: atq; ita etiam fit, vt plurimorum auctorum ſcripta ab interitu vindicata ſint: ſunt tamẽ auctores, conſtansq; fama eſt, apud Batauos impreſſoriam artem in Harlemo vrbe excogitatam, auctore autem vita functo, eius neceſſarios Moguntiam profectos cœpiſſe exercere, vt tradit Georgius Bruin in Harlemo.

Impreſſoriæ artis inuentores, eiusq; vtilitas ſumma.

Quoniam vero rei nouitas tum maximum mentibus hominum admirationem pepererat, trecentas ſcilicet chartas ſingulis diebus imprimi, id etiam hiſtorici memoriæ tradiderunt. Chronicon etenim eius temporis de rebus Pontificum perbreue id velut valde memorandum recolit: memoratq; qui primi impreſſores fuerint: in Germania quidem fuit Iacobus Gutembergus Argentinenſis, ac Fauſtus alter, vterq; ſub Pio II. At Romã primi aduenere Impreſſores Conradus Svveynheim, & Arnoldus Pannartz, atq; Vldericus Gallus, omnes ſane inſigniter huiusmodi artem callentes.

TH. Non defuerunt Poetæ muneri ſuo; nam quod illorum monumenta celerius ad omnes peruentura eſſent, encomia artis huius carmine decantarunt.

Campanus vir doctiſs. expreſſit vno carmine omnia videlicet.

Imprimit illa die, quantum non ſcribitur anno.

Philippus Beroaldus & ipſe eruditiſs. hos verſus ſcripſit:

O Germania muneris repertrix,
Quo nil vtilius dedit vetuſtas,
Libros ſcribere quæ doces momento.

Alius præterea auctor non contemnendus, vt Bergomas recolit, ſic cecinit:

O felix noſtris memoranda impreſſio ſæclis,
Inuentore nitet vtraq; lingua tuo.
Deſierat quaſi, totum quod fundis in orbem,
Nunc paruo doctus quilibet eſſe poteſt.
Omnes te ſummis igitur nunc laudibus ornent,
Te duce quando ars hæc mira reperta fuit.

Alius tandem & ipſe nõ indignus auctor hoc carmen cõſcripſit, vt Paulus Langus memorat in Chronico Citizenſi anno Domini 1454.

Nuper ab ingenio Rhenanæ gentis & arte
Librorum emerſit copia longa nimis.
Et qui diuitibus, vix Regi obuenerat olim,
Nunc liber in tenui cernitur eſſe caſa.
Gratia Diis primum; mox Impreſſoribus æqua
Gratia, quorum opera hæc prima reperta via eſt.
Quæ doctos latuit Græcos; Italosq; peritos,
Ars noua, Germano venit ab ingenio.

EQ. Non eſſe nouitium hoc inuentum, niſi in Europa memorãt, qui Indiam perluſtrarunt. Nam Franciſcus Xauerius ex Ieſuitis primus noſtri ſæculi ad Indos Apoſtolus ſcribens è Cocchin anno Domini 1549. tradit libros venundari publice impreſſos Sinarum idiomate, iamq; diuturno vſu id frequentari in Cegnico. Quin etiam eiusdem Xauerii literis è Cangoxima Iaponii vrbe an. Domini 1549. continetur, in Iapone quoq; impreſſoriam exerceri, atque ideo rudimenta Chriſtianæ fidei eſſe imprimenda. Accedit & Ioannes Barrus hiſtoriarum Indicarum decad. 1. lib. 9. c. 1. vbi meminit apud Sinas extare Coſmographiæ libros impreſſos ipſorum Sinarum induſtria. Apud autem Sinas longe antea quam in Europa agnitam impreſſoriam artem tradunt neoterici multi. reb. Sinar. lib. 3. cap. 16.

Impreſſoria ars apud Sinas prius cognita, quã in Europa fuit.

PH. Impreſſoriæ arti accedit ars illa, quæ æri inſculpit imagines, easque poſtea imprimendas, nulla differentia diſtat ab ipſa literarum impreſſione, niſi quod imaginibus præcipue conſtat, quibusdam quandoque admixtis literarum notis.

Eius

Eius autem peritia præcipue circa id verſatur, quod & ipſa pictura exercet, vt oporteat delineandi peritiam probe non aliter noſſe, ac pictores callent. Sed hoc beneficio incidendi æris ars præferenda eſt picturæ, quod ex vna delineata imagine infinitæ manant, ſicut ab vna impreſſione infinitæ paginæ, cum pingentem oporteat ſicut ſcribentem ſingula depingere, quod infiniti laboris eſt: neq; ſemper eiuſdem venuſtatis futura pictura eſt, cum inciſoris manus, ſi ſemel venuſte, periteq; admota fuerit, manabunt omnes effigies eadem & peritia, & venuſtate perſimiles. Eo igitur differunt pictura, & hæc incidendi æris ars, quo ſcriptura ab impreſſione differre ſolet.

Picturæ tamen ipſius etiam comperta ſunt admiranda quædam omni memoria digna. Nam & perſpicaciſſimos quandoq; fefellerunt homines confectæ imagines. Cum etenim deſcendiſſet Parrhaſius pictor cum Zeuxide in certamen, Zeuxis detulerat vuas pictas adeo felici ſucceſſu, vt in ſcænam aues ad vuas aduolarent. Parrhaſius autem detulit linteum pictum, ita veritate repræſentata, vt Zeuxis alitũ iudicio iam de ſua peritia tumens flagitarit tandem, vt remoto linteo oſtenderetur pictura Parrhaſii, atq; intellecto errore, palmam cõceſſit ingenuo pudore, quoniã ipſæ aues fefelliſſet, Parrhaſius autem ſe artificem. Fertur & poſtea Zeuxis pinxiſſe puerum vuas ferentem, ad quas cum aduolarent aues, eadem ingenuitate proceſſit iratus operi, & dixit: Vuas melius pinxi, quam puerum: nam etſi hoc conſumaſſem, aues timere debuerant. Hæc Plin. lib.35. cap.10. Propterea maximo, atq; incredibili pretio venditæ tabulæ fuere. Scribit enim Plinius lib 7. cap.38. Ariſtidis Thebani pictoris vnam tabulam centum talentis Regem Attalum licitatũm fuiſſe. Cæſarem quoque Dictatorem emiſſe duas tabulas talentis octoginta, Medeam ſcilicet, & Aiacem continentes. Sed & Candales Rex Bularchi picturam Magnetum exitii mediocris ſpatii pari rependit auro. Quin, quod eſt memorabilius, Rex Demetrius expugnatam Rhodum noluit concremari, ne cum reliquis rebus Prothogenis quædam inſignis tabula cremaretur, quæ à parte ea muri erat locata. Hęc à Plinio, qui etiam lib.35. cap.10. & 11. alia quoque pictarum rerum pretia immenſa commemorat.

EQ. Sæpe etiam pictoribus plus accedit fortunæ, quam virtutis: nam compertus eſt pictor caſu effinxiſſe, quod arte non poſſet. Prothogenes etenim eximius fuit eius artis artifex: at cum anhelantem canem conaretur exprimere, ab ore ſpumam emittentem, nec id aſſequeretur, pingens ac ſæpius corrigens, iratus tandem penicillos ac ſpongiam, qua penicilli abſtergebantur, abiecit euenitq;, vt ſpongia variis abſterſionum illita colorib. locum canis forte fortuna intinxerit, vbi ſpuma effingenda erat. Qua colorũ mixtura vera ſpuma repræſentata eſt, atq; ita in pictura fecit fortuna, caſuſque naturam, vt memorat Plin. lib.35. c. 10. qui & eiuſdẽ fortunæ caſum, ſucceſſumq; alium memorat Nealco pictori contigiſſe, cum Popyzonta retinentem equum pingeret, atq; ideo ſpumam ex ore equi fluentem conaretur exprimere, incidente in locum eundem ſpongia, efformata eſt ad viuum ipſa equi ſpuma.

TH. Maiora ſunt, quæ à picturis manarunt, Chriſtiana miracula. Nam vbi Chriſtus redemptor aduenit, nihil adeo orbi illuxit, atque imaginum miracula. Nam ſponte abſq; penicillo, vllove cuiuſq; rei adhibito coloris artificio, ſeipſum Chriſtus ipſe linteo impreſſit, cum eius effigiem nec eximius à Perſarum Rege miſſus pictor poſſet effingere, vt Ioannes Damaſcenus memorat de orthod. fide lib.4. cap.17.

Imago Chriſti lintei impreſſa.

c.17.cui præter alios plures accedit Nicephor. Calixti hiſt.lib.2.c.7. Sed & cum ad paſſionem idem Redemptor pergens totus ſudore maderet, Veronicaq; eius commiſerata, linteum ori ad abſtergendum ſudorem admouiſſet, eidem quoq; linteo veram faciei ſuę effigiem impreſſit, vt Methodius Tyriorum Epiſcopus ſcripſit, ac reliqui deinceps poſteriores. Quin & mortuus idem omnium Dominus, cum linteo ad ſepulturæ myſterium à Ioſepho & Nicodemo inuolueretur, non faciei tantum, ſed totius prorſus corporis, ac membrorum omnium imaginem effinxit, quę adhuc apud Sereniſſimos Sabaudiæ Duces conſeruatur integra, etiam nulla vetuſtate obſiſtente illæſa; vbi etiam ab omnibus ſumma veneratione culta nouis ſemper indies miraculis coruſcat.

EQ. Sed quis poterit ſacrarum imaginū miracula vel minima ex parte recenſere, cum prorſus ſint innumerabilia? Illud præ omnib. eſto nobis ſemper ob oculos, quod præter morbos depulſos ac obtentas victorias ab iis, qui coram imaginibus ſacris ad Deum verum preces effuderunt, Sanctorum quoque auxilium, interceſſionemq; implorarunt: compertum etiam eſt ab imaginibus ipſis verba prolata audiri, quin etiam inde ſanguis, cum iniuria afficerentur, manaſſe perſpicuum eſt. Cum enim Mauritius Imperator captiuos Chriſtianos à Chagano (quod vili pretio poterat) non redemiſſet, imago Chriſti publice Conſtantinopoli proſtans euidenter vocem emiſit, Mauritium eius admiſſi pœnas luiturum in hac vita, vt Niceph. meminit lib.18. cap.42.

Clara voce locuta.

TH. Id maiore miraculo euenit S.Thomæ Aquinati, cui Neapoli in Prædicatorum templo cruci affixa Chriſti effigies oranti reſpondit, recte eum ſcripſiſſe aduerſus gentes, mercedemq; recepturum, vt Bapt. Fulg. tradit lib.1.c. 6. quod etiam ante obtigerat S.Franciſco. Nam Chriſti imagine monitus eſt apertiſſimis verbis in Eccleſia S.Damiani, vt domum Dei repararet, quæ ruinam minabatur, quod & peregit. Id etiam memorat Fulg.eod.cap.6.& vetuſtior illo S.Bonauentura in vita ipſius S.Franciſci, cap.2.

EQ. Huius rei inſigniſſimum quoque miraculum eſt, quando diuus Bernardus Spiram Pontificis Innocent. II. iuſſu, ad fœdera inter Principes componenda, profectus eſt. Nam Imperatore aſtãte ac reliquis plerisq; Principibus, innumeraq; multitudine, audita eſt clara voce à B. Mariæ Virginis imagine hæc ſalutatio expreſſa: *Salue Bernarde.* Id plerique memorant, præcipue vero Naucl. gen.39. anno Domini 1142.

PH. Profluxiſſe ſanguinem à ſacris imaginibus in nonnullis Europæ vrbibus compertum eſt, quando aduerſus eas aliquis debacchatus irreuerentia ſit vſus, idque præcipue perſpicuum fit à ſancti Athanaſii Magni libello, qui in Bithynia tradit à Iudæis Chriſti imaginem confoſſam emiſiſſe ſanguinem, quo quisquis quolibet morbo laborans liniretur, incolumitati reſtituebatur. Libellus is probatus eſt in ſecunda Nicæna Synodo, extat impreſſus apud Lipomanum tomo 8. Crucifixi alteram imaginem ab Hebræo ictam fudiſſe ſanguinem, memorat Gregor. Turonenſ.lib.in glor. Mart.cap.21. quamquam alias ſæpe id contigit. Hactenus igitur de his differuiſſe ſufficiat, vt meminerimus, ſummum illum omnium rerum opificem, qui noſtram effigiem ad ſui ſimilitudinem effinxit, vbique ſeipſum ſummum Deum ac Redemptorem noſtri generis prodere, vt eius gratia diſcamus deformatam noſtram imaginem, quibus poſſumus viribus, Sacramentis adiuti, ad eius veram imaginem reformare. Liberet autem de fuſili arte, fictilique, &

omni

omni ſtatuaria agere, ſed quæ de Coloſſis atque aliis ſtatuis iam diſſeruimus, ſuffi-cere videntur.

EQ. Non fuerit nunc importunum, ſi Muſices inſtrumenta pertractemus paucis. Nam in tot varias formas modulationesque confecta nouimus, vt nulla ſcientia latius in omne hominum genus effudiſſe ſe ipſam videatur. Vidimus nos Romæ organa, quæ tubas, tympana hominumque choros referrent, adeo vt quiſque pueriles, fœmineas, ſimilesque voces ſimul ſe audire non dubitaret. Et certe organa primum locum tenent: in iis enim plus quam in reliquis Muſices inſtrumentis verſata eſt humana induſtria, in excolenda religione aurea, argentea, ærea extiterunt, quin confecta quoque viſa ſunt ex vitro valde ſonora Venetiis, ſeſeque vidiſſe teſtatur Leander. Sed & ex alabaſtrite lapide non modo organa ipſa, verum etiam tactilia omnia, vnde organa vim ſpiritumque ſuſcipiunt, confecta viſa ſunt. Neapolitanus etenim artifex cum ea conſtruxiſſet, magnumque in modum ſonora reddidiſſet, ad Federicum Mantuæ Ducem detulit, donoque obtulit, ſeſeque opus illud valde mirandum ſpectaſſe affirmat Leander in Thuſcia, quandoquidem lapis eiusmodi in Volaterrano agro naſcitur. Auctores nouarum rerum in rebus muſicis non fuere inter Chriſtianos contemnendi. Nam Gilbertus Rhemenſis, qui poſtea Syluester II. nuncupatus eſt Romanus Pontifex, organa per ſuam ſummam Mathematicen conſtruxit, quæ calefactæ aquæ violentia modulatos ederent ſonos, vt Erfordienſis teſtatur & Genebrandus. Idque actum eſt anno Domini 997. Deinde Boetius ille ſanctiſſimus vir, ſimul Mathematicus, Philoſophus, inſignisque Poeta, & Martyr chiterini muſici inſtrumenti inuentor traditur, vt Bergomas & Genebrandus recolunt anno Domini 515. Vt ita non deſint honeſtę voluptates ad diuertendos à ſceleribus animos hominum tot modulationibus, totq; nouorum muſicalium inſtrumentorum adinuentionibus: ſed vt animaduerti, ſæpe etiam ex hac virtute, quæ in Muſica eſt, aucta ſunt crimina, luxus, atque etiam fœda libido. Vidimus etenim quoſdam homines ſui rerumque ſuarum adeo oblitos ſoli modulationi operam impendere, neque alimenti, neque indumentorum vllam habuiſſe curam, & velut luſcinia aut Apulus Calander ſolent, ſemper diu noctuque ceciniſſe, libidini quoque deſeruiuiſſe.

Inſtrumenta muſica.

Organa pretioſiſſima.

TH. Forſitan ii, ſi omnem curam abieciſſent in Deum, diuinisque cantilenis incubuiſſent, poterant diuini cenſeri Philoſophi; ſed vix ex millibus vnum eiusmodi comperies. Et ſane non deſunt vlla naturæ neceſſaria iis, qui ſui obliti contemptum rerum omnium præferunt, intenti diuinæ pſalmodiæ: ipſis enim admiranda illa ſuperna Dei prouidentia omnia miraculo ſubminiſtrat. Nam vt de alimentis prætereamus, cum eius rei omnia volumina plena ſint exemplis, de indumentorum miraculis libet reminiſci: nam comperta ſunt miraculo perduraſſe ad annos quadraginta. Id exprimit Deuternomii liber c.8.& 29. his verbis: *Adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per deſertum, veſtimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetuſtate defecit, & pes tuus non eſt ſubtritus.* Et rurſum: *Adduxit vos Dominus quadraginta annis per deſertum, non ſunt attrita veſtimenta veſtra, nec calceamenta pedum veſtrorum vetuſtate conſumpta ſunt.* Hæc ibi. Quod non modo Veteris Teſtamenti filiis Dei miraculo accidit, verum etiam ſeruis Ieſu Chriſti: nam Abrahami Confeſſoris in Syria veſtes ad quinquaginta annos integras, cum ſemper iis ille tegeretur, perduraſſe conſtat, vti alias dicebamus ex Metaph. 29. Octobr. Lipom. Tomo 6. col. 8. Adeo durabiliora ſunt ea, quæ pecuniarum contemptores conſequuntur,

quam quæ multo pretio redimuntur tot ſumptibus, tot laboribus, ſiue ſericum, ſiue lana conficitur, at breui poſtea perdurant: verum qui ſe Deo dedidit, vbique rerum copiam inuenit, quando vel arbores ipſæ lanam præbeant, vnde tela & veſtes confici poſſint; præcipue vero in India pendet bombyx ab arboribus, quod qui perluſtrarunt, teſtati ſunt, quin etiam palmæ cortex ea fila præbet in Libya, vnde lana texatur, vt Leonius p. 1. teſtatus eſt. Quid plura? vel ipſum fœnum pro ſumptuoſo eſt amictu, ſi abſit gloriæ inane ſtudium: nam Syluanus Epiſcopus Philippopolis Thraciæ ſandaliis induebatur ex fœno confectis, procedebatque in publicum faſtu contempto, vt memorat Socrat. lib. 7. cap. 36. Vide quid natura præbeat hominibus, quando res omnes arte confectæ, & reliqua humana ſtudia contemptui haberi poſſint, miniſtrante nobis ipſa, tum cibum ipſum, tum vaſa ipſa ſimul vno tempore. Nam oua quædam in Libya per arenam comperiuntur, quæ ſtudioſe ab indigenis quæruntur, non edendi tantum gratia, ſed illis euacuatis pro vaſis & inſtrumentis vtuntur. Plurimum vero ex illis pocula præparant, nimirum vbi omnis figulina ars deficit. Cæterum magnis & capacibus inuentis, etiam pileos ex illis conficiunt, ſemper ex ouis ſingulis geminos: cuiusque enim pars dimidia aptum & ſufficientem pileum præſtat tegendo capiti. Lucianus in Dipſadibus.

Pocula & pilei ex ouis confecti ſunt.

EQ. Sed cur omiſimus de pecuniæ artificio agere? cum nulla ars, nulla hominum conditio, ac fere nulla gens ſit, quæ ea, velut hamo, non capiatur, iuxta poeticum:

O ciues, ciues, quærenda pecunia primum eſt,
Virtus poſt nummos.

vti alias diximus. Et quanquam auro, argento æreve cupiditas humana ſubigatur, nihilominus, vbi æra hæc defuerint, comperit ars humana (ſiue neceſſitate compellente, ſiue ne pretii voluptas vllo tempore, vllo loco deſit) aliis materiis pluribus nummos conficere: nam in orientali India, in prouincia Caraian, pecunia ex lapide procellano conficitur. M. Polus lib. 2. c. 36. At in Cambalienſi regno pecunia excelſæ arboris (morus eſt alba) foliis in vſu eſt, eodem Polo teſte lib. 2. c. 8. Cui accedit Oderic. lib. 1. In Africa, in Tebutto regno, pecuniæ vicem habent conchiliorum Perſicorum tegumenta, vt Leonius tradit p. 7. Sed & in Æthyopia Angugui ſal pro moneta eſt. Franciſcus Aluarez c. 45. & 52. Propterea cum Fridericus Imperator Cæleſtino Quarto Pontifice anno Domini 1241. in Italica expeditione pecunia deſtitueretur, iniit conſilium, vt ex corio pecunia conficeretur militibus eroganda, ſignata ex vno latere Aquila, ex altero eius imagine, cuius pretium auro rependeretur, cum poſtea opes aurumque ſibi ſuppeterent: id recolunt S. Anton. 3. tit. 19. c. 6. §. 1. Naucler. gener. 42. Sed vt equidem cenſeo, nihil humana arte eſt adinuentum, quod humano generi magis obfuerit, quam pecunia, in qua neque virtus, neque fortuna tuto locata eſt.

PH. Eſt ita equidem; quid etenim profuere tot artium, tot inuentionum, tot deliciarum, ædificiorum operumque ſtudia? nihil ſane: nam quidquid auri, quidquid deliciarum poſſidetur, omiſſa ſapientia, pondus laborque eſt, non ſubſidium, ac tandem exitus pernicioſiſſimus; voluptatem enim mœror comes ſubſequitur, vt Comicus Poeta tradit. Holofernes ditiſſimus dum libidini cum Iuditha explendæ operam dat, ab illa occiditur, qui inſtructiſſimo exercitu Iſraeliticam gentem mox ſubacturum ſibi pollicebatur. Iudith. 13.

Holofernes decollatus.

TH. Id & ipſæ pronunciant ſacræ literæ; extrema gaudii luctus occupat. Vt enim

nim M. Craſſus poſt tantam inter ſummos ciues Romanos opulentiam turpiter & extinctus eſt, & ludibrio poſt tantam opum gloriam habitus, ita cum omnium rerum viciſſitudo ſit, optimi viri fuerit, rebus humanis nihil confidere, quando tot periculis ſubiiciantur omnia: nam quid proſunt firmiſſimæ & opulentiſſimæ vrbes, quando Roma omnium fortior, ſapientior, ſimul & ditior à barbaris Gottis deuicta & vaſtata eſt? quid proſunt oppida, quando à cuniculis in Hiſpania (Varrone teſte) adeo ſuffoſſa vrbs eſt, vt incolas migrare oportuerit? vti iam diximus in quadrupedibus ex Plinio lib. 8. cap. 29. In Africa quoque Manflorh incolæ eiecti à crocodylis, quod in ſerpentibus diximus ex Leonio p. 8. de reb. Afr. Megarenſes etiam ſedibus pulſos à muſcis, vti de inſectis agentes commemorauimus ex Æliano hiſtor. anim. lib. 11. cap. 28. Sed & à veſpis Phaſelitas eiectos, & Rhoetienſes à Scolopendris commemorat etiam lib. 15. cap. 26. ſicut alias commemorauimus in piſcibus.

PH. Accedunt & ea, quæ de talpis narrantur: nam in Theſſalia ciuitatem ob talpas fuiſſe derelictam, in Gallia aliam ob ranas, aliam in Africa ob locuſtas tradit Plin. lib. octauo, capite vigeſimo nono. Vbi & à muribus incolas Gyari Cycladum Inſulæ fugatos fuiſſe tradit, ſicut & Amyclas vrbem Italiæ olim deletam à ſerpentibus, & Æthyopum, qui citra Cynamolgos habitant, ideo tradit late deſertam regionem eſſe, quoniam à ſcorpionibus & ſolfugis gens, quæ erat frequentior, olim deleta eſt; Theophraſtum quoque idem Plin. ſcribit adnotaſſe, ſcolopendras Orrerietes abegiſſe. *Talpa.*

EQ. In eandem rem ſuccurrit, quod Ælian. habet hiſt. libro 17. cap. 37. *Apud Indos* (inquit) *Riſophagos ad fluuium Eſtabaram culicum multitudines tantæ, vt nubes eſſe videantur, horribiles in aere, incolæ regionem deſeruerunt, tum ob has, tum ſcorpionum & phanlangiorum multitudinem.* Sed & cap. 38. memorat, de patriis ſedibus quoſdam Italiæ populos murium agreſtium incurſione expulſos, Mediam quoque regionem habitantes tradit à murium multitudine migrare coactos, ſed & Autheriates Indos memorat à ranis inchoatis, nondum perfectis, de cœlo lapſis, in alium locum migrare compulſos, quæ pleraque iam alias dixiſſe meminimus. Quibus omnibus animantibus imbecillibus & ratione carentibus Deus homini manifeſtum eſſe voluit, tum humana ſtudia, tum ſtultas delicias nuſquam tutas eſſe poſſe, multo autem minus ſecuras opes voluptateſque eſſe docuit, quando ferocia animantia ita conſtituit vrbibus proxima, vt timeri poſſint, velut in Libya Nomadum natio feliciſſima leonum multitudine ſedibus ſuis pulſa memoratur ab eodem Ælian. cap. 76. & 37. lib. 17.

TH. Hæc quoad animantia irrationabilia: at hoſtilis potentia quot opes perdidit? vna Roma omnium totius Orbis princeps (vt diximus) locuples teſtis eſt, quam Gotti non modo barbari, verum etiam impii vna irruptione proſtrauerunt. Quot vrbes inter ipſa vel conuiuia, vel voluptates, aut terræ motus deiectæ, aut hiatu abſorptæ, aut inundatione ſubmerſæ, aut igne cœleſti terreſtrive conſumptæ? aut ſi hæc non acciderunt ipſis vrbibus totis; certe ii, qui ſingulari gloria præditi perpetuam ſibi pollicentur felicitatem, exitum animaduertere debent, quem frequenter caſuum varietas afferre ſolet, aut ſaltẽ mors ipſa longe miſeranda: nam vt fortunæ ſingulare ludibrium commemoremus, Beliſarius, de quo alias paucioribus egimus, Imperii Romani Princeps glorioſiſſimis victoriis inſignis tandem in eum fortunæ caſum deuenit, vt mendicaret publice oſtiatimque: libet autem carmi- *Inconſtans fortunæ iactura.*

carmina è Græco auctore vetuſtiſſimoque decantata recenſere; is fuit Ioannes Tzetza, qui cecinit in hunc modum, translato Græco ſermone in Latinum:

Iſte Beliſarius Imperator magnus,
Iuſtinianeis exiſtens in temporibus Imperator,
Ad omnem quadrantem terræ cum explicuiſſet victorias,
Poſtea inuidiæ excæcatus (ô fortunam inſtabilem!)
Poculum ligneum detinens clamabat plebi in ſtadio:
Beliſario obolum date Imperatori,
Quem fortuna quidem clarum fecit, excæcauit inuidia.

Hæc recenſuit Cæſar Coſta Archiepiſcopus Capuanus de variis ambig. lib. 1. c. 21. eadem narrauit Pet. Crinit. de hon. diſcipl. lib. 9. cap. 6. recenſuerunt Iouinianus Pontanus ac Volaterranus; ſed Alciatus parergon lib. 4. c. 34. nullam fidem adhibet huic hiſtoriæ, ſed ſi vidiſſet Tzetzæ prædicti carmen, facile in aliorum tranſiiſſet ſententiam.

Miſerrima Valeriani occaſio.

EQ. Æquandum huic, ac paulo maius fuit fortunæ ludibrium Valerianus Imperator, cuius alias paucis meminimus: nullum enim Principem, vt Egnatius habet, maiore vnquam fauore Orbis accepit, nullusque eo calamitoſior ad hanc diem Imperio præfuit: nam quum fere ſeptuagenarius eſſet, deuictus à Sapore Perſarum Rege, vltra ſeptennium in ſeruitute turpiſſima ita vixit, vt equitaturo, aut currum conſcenſuro Sapori ſcabelli vicem collo ſuo humerisq; præberet. Eutropius lib. 9. c. 8. de eo Dionyſius Corinthius, & ex eo Euſ. Pamph. h. lib. 7. c. 9. Zonaras, Bergomas, & Petr. Hiſp. in Valeriani vita, atque alii.

PH. Quam feliciore alea fuiſſet vſus, ſi carceri mancipatus captiuitatem ſuam pertranſiſſet occultus, aut occiſus, potius quam ludibrio publico expoſitus perpetuis horis? Itaque ſic ſe caſuum varietas habet, vt nihil firmum ſtabileque vſquam reperiatur, vt quod fortuna non iubuerit, mors rapiat impræmeditata: nam ſi libet Imperatorum Regumque mortes non vulgares commemorare, ſuppetent plures: ex ſacris enim literis inſignia exempla illa duo, quæ de Babylonicis Regibus prodita ſunt. Nabuchodonoſor Rex omni fortunarum genere diues cum ſibi gloriam rerum adſcriberet, fortitudinique ſuæ attribueret, quod Babylonem ſubegiſſet, audiit è cœlo vocem minitantem, *oportere eum cum belluis vitam degere: nam mox in agros migrauit, ac ſeptennio cum iumentis ibi, velut quadrupes vixit, fœnum vt bos comedens, ſub dio pluuiis, ſolique ac nocturna intemperie expoſitus degens, vnguibus illi velut auibus coaleſcentibus.* Daniel. 4. Quin & Balthaſſari etiam Babylonico Regi, cum epularetur, mille inuitatis regni proceribus, memor inanis paternæ ſuæque gloriæ, cum omnia propriis viribus adſcriberet, veri Dei contempta gloria, inter epulas vidit manum diuinitus ſcribentem, *ea ſe nocte moriturum, regnoque deiiciendum,* quod reuera euenit, Daniel. 5. Hæc quidem quoad ſacras literas, at quoad profanas, Iouinianus Imperator fumo, ſiue nimio ignitarum prunarum calore, quæ in cubiculo ad arcendum ingens, quod inualeſcebat, frigus poſitæ fuerant, ſuffocatus eſt, vt ita qua via naturæ neceſſitati ex opibus ſuccurrebat, ea ipſa via, atque ab ipſo remedio maiori naturæ neceſſitati ſuccumberet. Fulgoſ. lib. 9. Eborenſ. tit. de mort. non vulgar.

EQ. Certe ſatius fuiſſet Iouiniano algere, quam algori remedium pro ſua opulentia adferre, vixiſſetque algore durius, ſed diutius Imperio fuiſſet potitus. Cogitandum illi fuerat, quam vitam degant Cauchii Aquilonares, de quibus alias egimus:

gimus: gens eſt, cui nihil fere, quod reliquo humano generi natura conceſſit, ad vitam permiſit; nam vaſto ibi meatu bis dierum noctiumque ſingularum interuallis effuſus in immenſum agitur oceanus æternam operiens rerum naturæ controuerſiam, dubiumq; terræ ſit, an in parte maris: illic miſera gens tumulos obtinet altos, aut tribunalia ſtructa manibus ad experimenta altiſſimi æſtus, caſis ita impoſitis nauigantibus ſimiles, cum integant aquæ circumdata, naufragiis vero cum receſſerint, fugientesque cum mari piſces circa tuguria venantur, non pecudem his habere, non lacte ali, vt finitimis, ne cum feris quidem dimicare contingit, omni procul abacto frutice: vlua & paluſtri iunco funes nectunt, ad prætexenda piſcibus retia, captosque manibus lutum ventis magis, quam Sole ſiccantes terra cibos, & rigentia Septentrione viſcera ſua vrunt. Potus iis non niſi ex imbre ſeruato ſcrobibus in veſtibulo domus. Hæc Plin. lib. 16. c. 1. Quanta illis animi tranquillitas in omnium rerum penuria illa? quam felix vita omni metu ac periculo vacua? quantum illis gaudium ſine inuidia? victus ſine multo labore? fortuna tandem ſine vllo infortunio? Summa igitur illorum felicitas eſt.

Duriſſima Cauchiorum contra naturam vita.

Contra accidit iis, qui arridente fortuna pro animi libidine omnia ſibi licere putantes in omnia tandem aduerſa incauti perlabuntur, vnus nobis exemplo erit Seianus Senator, qui Tiberio nitenti Chriſtum inter Diuos referre, valde obſtitit: ipſe igitur tanta fortuna vſus memoratur, vt toto Orbe nomine celeberrimus ampliſſimas quasque dignitates fuerit aſſecutus, vel ipſum Imperium pro libitu adminiſtrans: abſente enim Tiberio apud Inſulam Capream ſe ipſum pro Imperatore, Tiberium vero pro Inſulæ Rectore habebat, quin ſibi tanquam Deo res ſacras fieri permittebat; Conſul quoque deſignatus eſt cum prorogatione quinquennii. In literis quoque publicis à Senatu vt Tiberii, ita & Seiani nomen præſcribebatur, ac velut Imperator aureo curru in theatrum aduehebatur, iurabantque omnes fortunam eius. Tandem conuocato à ſe Senatu ſpe literarum Tiberii recitandarum, quibus ſi delata Tribunitia poteſtas ferebatur, depoſitus iuſſu Reguli Conſulis, conſentiente Senatu, in vincula ducitur, capite mulctatur, ad Gemonias ſcalas vnco trahitur, triduo habitus ludibrio à populo, poſt in Tiberim tandem proiicitur, liberi quoque ex S. C. maxime vero filia, quam pater pactus fuerat Claudii filio prius à carnifice conſtuprata, necati ſunt. Hæc à Dione lib. 58. Illuſtr. Card. Baron. in Annal.

TH. Eſt equidem ſingulare humanæ tragœdiæ exemplum hoc; at nolim prætermittere aliud æque memorandum de Ruffino. Erat is Eluſæ in Aquitania humili loco natus, ac Conſtantinopoli in aula verſatus ſeſe etiam in Theodoſii Imperatoris gratiam inſinuauit, aſcendens vsque ad Conſulatum vna cum Arcadio, poſt maximos magiſtratus: pro libidine ipſa ſæuiebat in multos, ſæuireque etiam Imperatorem adegit; Prouinciis, quos vellet, Præſides dabat, tandem factus eſt Imperii, ad quod aſpirabat, proditor, accitis Hunnis Imperii hoſtibus. O rem perpetua memoria recolendam! Cum iam acclamandus eſſet Imperator, iam parata purpura ac diademate, aulaque regio apparatu diſpoſita, epulisque ſplendidioribus apparari iuſſis, numiſmatibus quoque aureis cum Ruffini imagine iam cuſis, vt ſingulis conuiuis donarentur, à mille gladiis appetitus perimitur, ſecatur in fruſta, atque inter milites (erat is exercitus integer) diuiditur: caput imponitur pilo ad vniuerſæ vrbis ludibrium, manus integra circumfertur oſtiatim, velut obulum mendicans, ludicrum in modum; nam eius nerui, qui permouent articulos, cum pro-

minerent, dum trahebantur, aut remittebantur, efficiebant, vt manus aperiretur, aut clauderetur; cum offerebatur igitur manus cuicunque aperta velut obolum petens, remiſſis neruis: at poſt obolum datum dum attraherentur nerui, manus acceptum obſtringebat, atque is luſus per omnem vrbem repræſentatus eſt, idque partim adnotauimus à Claudiano Poeta, à Zozimo Comite, à Marcellini chronico, atque à Diuo Hieronymo Epiſtola 3. plura qui velit, adeat Illuſtriſſimum Card. Baron. Tom. 5.

PH. Veriſſime dum nituntur ad maxima audaces, grauius ruunt, ita dum quærunt ſibi potentes delicias, cum deliciis vitam ſimul amittunt. Attila Hunnorum Rex, ipſa prima nuptiarum nocte manante à naribus ſanguine, prius enectus eſt, quam quiſquam id præſentiret, vt ſic cum venereis deliciis ſtuderet magis, quam propriæ ſaluti, inter eas mortem latere experiretur. Fulg. lib. 1. Baſilius Macedo Imperator percuſſus à ceruo in venatione moritur. Egnatius. Falco Hieroſolymorum Rex leporem inſequens, equo lapſus, ab equo occiſus eſt. Fulg. lib. 1. Eborenſ. de mort. non vulg. Petr. Hiſpal. in vita Corradi III. Sed & Saxoniæ Dux Alberti Imperatorius Sororius Aquiſgrani in ipſius Imperatoris coronatione à multitudine oppreſſus occubuit. Petr. Hiſpal. in Alberto I. Sed & Ludouicus V. Imperator, cum venaretur, apoplexia correptus, equoque lapſus ſtatim expirauit. Petr. Hiſpal. in ipſo hoc Ludouico. Sed & eadem ſolent accidere, etiam dum optimis rebus opera impenditur. Benno Epiſcopus Aldeburgenſis in Eccleſiæ monaſterii S. Michaelis conſecratione compreſſus & attritus à populo animam exhalauit. Alber. Krantz. Metrop. lib. 3. c. 51.

Magnatum quorundam ſubitaneæ mortis exempla.

EQ. Sunt mortis impræmeditatæ inter ipſas delicias exempla alia, quæ quanquam iam dicta ſufficiant, libet adiicere, in ipſo voluptatis venereæ calore interiiſſe Ladiſlaum Neapolitanorum Regem, cum Peruſii degeret, venenato ſuo, & mulieris genitali. Collenut. in compend. Neap. hiſt. & alii: & quod valde memorabile eſt, etiam Carolus Nauarræ Rex, vnde medelam neruorum morbo quærebat, inde traxit mortem; cum etenim aſſueretur toto corpori linteum aqua vitis madidum, vti alias nos narraſſe optime meminiſtis in plantis, ad eius morbi, ſic iubentibus Medicis, opportunam medelam, exacta ſutura, cum filum abrumperet miniſter candelæ igne, linteum huiuſmodi liquore oblitum flammam excepit, ideoque miſerabiliter Rex igne torrebatur, neque moueri, velut ſacco inſutus, neque voce vti, ore obturato ſibi auxilium poterat poſtulare, neque miniſtri adeſſe curabant, quem putarent quieti operam dare, atque ita extinctus eſt anno Domini 1386. Ex Fulg. lib. 1. Eborenſ. tit. de mort. non vulg. Vbique mors in promptu eſt: Romæ etenim dum quidam cum fele ſua leniter luderet, illa leuiter etiam momordit, dum trahitur, quo morſu homo ille interiit. Extat adhuc in Æde Diuæ Mariæ de Populo in pauimento marmorea tabula hoc carmine rem complectens:

Hoſpes diſce nouum mortis genus: improba felis
Dum trahitur, digitum mordet, & intereo.

PH. Quid plura?

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo.

vt poetico carmine continetur. Quis putaſſet, Luciam M. Aurelii Imperatoris ſororem in tanto faſtigio Romæ viuentem filii proprii lactentis manu, dum cum illo velut cum ſuis deliciis ludit, acu occidi potuiſſe in pectus penetrante? vti memorat ex ipſo M. Aurelio Imperatore Mondogn. in eius vita lib. 3. cap. 37. Et quod valde

valde libet admirare, Aſclepius Medius Magni Pompeii frater, cum annis viginti maria obnauigaſſet, nihil ex aquis tantis paſſus, cum ex puteo deliciarum cauſa frigidam hauriret, incautus in illum lapſus mergitur, vt qui maria ſecuritate viciſſet, anguſto puteo oppreſſus mergeretur: ſæpe etenim victor ac triumphans in eo occumbit, quod vicit. Alexander ille Magnus ideo Aſiam omnem viciſſe videtur, vt cuius victoris quadraginta mulorum millia pecuniam ferre non ſufficerent, in Babylone veneni compoſita drachma vna tum eum interemerit, cum ſecuriſſime dominaretur. Bibulus deinde ille Romanus, cui Boni cognomentum fuit, cum Romam ob deuictos Reges decreto ex S.C. triumpho exciperetur, tegula è tecto forte fortuna delapſa perimitur, vt ſic videatur triumphi pompa oportuiſſe vt occideretur: qui enim in illum tegula incidiſſet, ſi non triumphaſſet? Hæc collecta ſunt à Marco Aurelio Imperatore, in Epiſtola ad Domitium Capuanum, recenſuit Mondog. in vita eius lib.3.cap.37. Parua igitur ſunt plerumque, quæ magnis viris exitum peperere. Erat Baldo omnium Iurisconſultorum facile principi in deliciis catellus Melitenſis, quo cum aliquando leniter luderet, leuiter ab illo in labro mordetur, ac poſt quartum menſem rabie ipſe totus correptus eſt, & hydrophobeticus, id eſt, aquas metuens effectus interiit. Matthiolus in Dioſcoridem, Genebrardus in Vrbano V.

Alexandri Magni interitus.

Baldus IC. catelli Melitenſis mor ſuperiit.

TH. Fit igitur perſpicuum, mundi huius opera omnia nihil aliud prorſus eſſe quam nobiliſſimam ſcænam, in qua pulcherrima Tragœdia repræſentetur, aut bullam quandam in aquis, quæ vix viſa mox euaneſcit, ſicut Antonioti Adornii Genuenſis Principatus memoratur, qui à pomeridionali hora vſque ad completorium perdurarat, vt Leander habet in Liguria, idque accidit anno Domini 1378. vt ita ephemerum Regnum iure nuncupari potuerit. Sed de his hactenus.

Sane Tragœdia hęc nunquam componi ſapientius conſueuit, quam, contempta morte, perſeuerare in eius cogitatione, quæ ſi non ſemper, ſaltem frequenter habeatur, parat homini ſecurum in eius aduentu animum Deo, in quem ſpes omnis dirigitur, ita largiente diuina gratia. Deinde æternam vitam ea cogitatio ſuadet futuram, adeo vt non mori, ſed migrare vir bonus putetur: ac tandem huius ſeculi voluptates nihili faciendas ita ſenſibus imprimit, vt homo quæ mox defectura animaduertit, id eſt, opulentiam, voluptates, honores, atque huiusmodi alia, nihili faciat, neque moueatur ad illa vel concupiſcenda, vel ſectanda, quin nec aliquando etiam oblata dignetur.

Propterea ille nobis ſapientiſſimus fuiſſe adoleſcens videri debet, qui hodie hic ſenex nobis aſſidet: is vix ex ephebis egreſſus in tantam futuræ ſibi mortis contemplationem ſeſe erexerat, vt appictam mortis effigiem ſpectandam ſibi in cubiculo quaquauerſus appendiſſet; primum quidem, vt migrare magis probum hominem cogitaret, quam mori, hoc carmen conſcripſerat:

Viuens ſæpe morere, vt mortuus ſemper viuas.

Altera autem cubiculi facie, vt mortem contemnere ſibi in animum induceret, hoc ſub mortis ſimulachro carmen ſubiecerat:

Ne morare, opus eſt mortem præcurrere morte.

Alio deinde cubiculi latere, vt humanarum rerum contemptum inanemque omnium voluptatum, honorum opumque ſpem animo deiiceret, eidem ſimulachro carmen aliud adiecerat, ſcilicet:

Semina nequitiæ languidiora facit.

Viuitque adhuc is iam ſenex hic inter nos proſpera valetudine, auctus multis honoribus, hilaritate præcipua, locuples quoque, quod hac cogitatione cum omnia contempſiſſet, omnia illi acceſſerint, vel dormienti: ita fit, vt mundus diabolusque, mors quoque ipſa tunc vincantur, cum contemnuntur, dominatum illa veniant, cum nimis magnifiunt, vel ſtudioſius appetuntur. Ideoq; quoniam multi Romam petunt magis cupiditate ambitioneq; ducti, quam religione, illis id accidit, dum mortem non verſant animo, quod Iuris perito, & artium quoque Doctori Germano acciderat his facultatibus fidenti, qui cum breui ſe Romæ in ampliſſimum virum euaſurum ſperaret ſecurius, contra illi euenit, vt egeſtate confectus in publica hoſpitali domo diem obierit, conſcripto ſuis manibus hoc Epitaphio:

Hic iacet Iodocus,
Qui fuit Romæ coquus,
Doctor in partibus,
Magiſter in artibus,
De gratia ſpeciali
Mortuus in hoſpitali.

Fuit tamen aliquid minus ignominioſum illi, qui ſepulchro religioſe eſt conditus, contra id, quod Storaci Neapolitano locupleti ciui accidit paucis ab hinc annis: erat is delicatulus, faſtuoſus, in illa vrbe annonæ præfectus, quem cum non bona fide munus ſuum exercere plebs famis impatiens putaret, irruit in eum; ipſe vero aufugiens in æde Diui Auguſtini ſepulchro ſe ipſum abdidit: ſed tandem inuentus, & lapidibus ſauciatus extractus in fruſta totus diſcerptus à furente plebe eſt adeo, vt eius ſanguinem non pauci lamberent, ita vbi iacerent carnes oſſave eius, ignorata ſunt; propterea edidimus hoc carmen:

Storax, qui viuens ſubiit ſepulchrum,
Mirum, defunctus caruit ſepulchro.

EQ. At iam Sol occumbit. Abeamus igitur, diuino nos protegente auxilio.

Tragœdiæ huius mundi finis.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM IN HOC OPERE CONTENTORVM LOCVPLETISSIMVS.

A.

ABagarus linea imagine Chriſti ſanatus eſt. 637
Abeliani hæretici vxoribus nunquam miſcebantur. 105
Abieti ſi cacumen eius præſcindatur, tota moritur, at ramis prorſus detruncatis, viuit. 677
Abietes in mari cubitales ſunt. 585
Abyſſinorum Patriarcha eximiam ſyluam conſtruxit ad æſtum vitandum. 646
Abies admirandæ amplitudinis amplexu quatuor hominum. 651
Abraham Cyrrhorum Epiſcopus pane, aqua, lecto, igne ſemper abſtinuit. 118
Achates lapis omnia refert. 577. & ſeq.
Achates lapis hominem Venetiis refert. 577
Acatius Epiſcopus, aperta ſemper Epiſcopali domo, omnibus accedentibus diu noctuque paratus. 120
Accipitres cum pueris prædam partiuntur. 188
Accipitres panis necat. 189
Accipitres piſces volant. 334
Accipitres ad Chamæleontem volant perimuntque. 313
Acetum flammam extinguit. 670
Acetum, tametſi à calidiſſimo vino factum, frigidiſſimum eſt. 670
Acetum, vinum, & oleum vno vaſe. 663
Acontia ſaltu valet ſuper viginti cubita procul. 315
Acontia, ſeu cherſidrus ſerpens ſolo tactu necat. ibid.
Aculei erinacei Indici ſponte perforant omnia, velut viuentes. 288
Aculeos mittunt in venatores apri. 282
Aculeos peſtiferos procul ex cauda mittunt Manticoræ. 263
Acus piſcis parit dehiſcente vtero. 339
Adamas & malleos & incudes frangit. 567
Adamas nunquam igne incaleſcit. ibid.
Adamantum ſpecies quæ frangantur. ibid.
Adamas Adamantem perforat. ibid.
Adamas frangitur hircino ſanguine. ibid.
Adamas nunquam maior nucleo nucis auellanæ. ibid.
Adamas qui fœtificet, aliosque Adamantes pariat. 568
Adamas vincit Magnetem. 567
Adamas complanatur, corrigitur, & formas aliquas ſuſcipit. 589
Adriani molis Romæ quæ fuerit olim forma. 727
Adrianus Imperator vno momento audiebat, dictabat, ſcribebat, confabulabatur. 140
Adulantium ſymbolum qui piſcis ſit? 330
Adultera è frigido fonte exſiccatam manum extraxit. 102
Ægeles Samius ex muto factus diſertus. 79
Ægyptiorum ſcriptura per imagines Hieroglyphicas non admiranda. 767
Ægypto ſimulachra omnia corruerunt aduentu Chriſti. 666
Ægypti vrbium viginti mill. 541. 716
Æneæ trabes incenſæ miraculo. 613. 692
Æquinoctium perpetuum quadam Orbis noui regione. 50
Æquinoctium perpetuum in Orbe nouo Vrabæ. 548
Aer adeo homini noxius, vt mox perimat. 538

A re puro, qui abſque omni humore eſt, animantia viuere nequeunt. 204
Aere templorum trabes conſtructæ. 613.693
Aerea ſupellex homini ſancto ſuperflua eſt. 613
Aerea durities nihil obeſt Sanctis: nam ſimulachra ſolo verbo confringuntur. 611
Aereum Chriſti ſimulachrum omnes ægritudines propellebat, herba ibi nata. ibid.
Aere campanæ confectæ à Paulino Nolano. ibidem.
Aereæ trabes cœlitus incenſæ. 698
Aere nongenti cameli onuſti ex coloſſo Rhodiorum. 612
Æs ſeritur, & naſcens colligitur. 598
Æſchilus Poeta ab Aquila occiſus. 196
Æſtates duæ in India. 547
Æſtates duæ hyemesque quotannis in Taprobana Inſula. 50
Æſtus Adriatici maris maximus. 377
Æſtus, quo bis in die Inſula naſcitur, & deficit. 378
Æſtus maritimus Euripi, vide Euripus.
Æſtus maritimus, quo nauigia alligantur verticibus arborum, poſtea radicibus. 376
Æſtus intumeſcens ſupra octogena cubita. ibid.
Æſtus nullum effluxum in littus habet in Aquilonari quadam regione. 377
Æſtu maris deſtitutæ naues in arido, poſtea repetitæ. 377.378
Æterni dictio aliquando ſolam diuturnitatem ſignificat. 536
in Æthyopia Phamaces tam peſtifero ſudore ſunt, vt contactu tabem afferant. 107
Æthyopes quidam hyemem patiuntur, cum nobis viget æſtas. 50.551.& ſeq.
in Æthyopia hyems Iunio, Iulio, Auguſto. 541
Æthyopum Regina alebat quadringenta millia artificum. 713
in Æthyopia perſica Ianuario & Februario matura colliguntur. 541
in Æthyopia nunquam ningit, gelu habet. 38
Æthyopiæ feracitas: nam quolibet menſe viſuntur ſata & aucta, & matura, vt metantur. 541
Æthyopes ex albis parentibus. 98
Æthnæ montis ignis mare, & nauigia, ac rupes vſſit, non tamen niues. 682
Africa apros non habet, nec coruos, nec vrſos, nec capreas. 544
Africani Regis Muleaſſi luxus. 618
Africæ belluæ multiformes. 545
Agatha virgo nudata minus ſenſit vim ignis, quam nudationem. 103
Agilitas mira viſa Conſtantinopoli ab Luitprando Ticinenſi. 129
Agilitas corporis admiranda etiam in vno pede inſiſtentis. 128
Agnus humano capite. 272
Agni locuti ſunt. 271
Agri fœcundantur benedictione Sanctorum. 397
Agrippa aquam magnis ſumptibus Romam perduxit. 619
Alabaſtrytes lapis plurimus iuxta Thebas. 704
Albanus lacus ſine aquarum colluuie ſponte in immenſum auctus. 433
Albani naſcuntur albo crine, clarius nocte, quam die cernunt. 115
Albertus Magnus ſtatuam fecit loquentem. 762
Albi vno eodem monte hinc gignuntur, hinc nigri. 553
Albini voracitas incredibilis. 145.618
Alcairum longum ſex paſſ. mill. 715
Alcairum continet vicorum viginti millia. ibid.
Alce animantis forma. 244.& ſeq.
Alce vna die ac nocte ducenta milliaria ieiune conficit. ibid.
Alce poplitum flexus non habet. 249
Alcyon ſignificat contemplatiuos & vita æterna fruentes. 200.& ſeq.
Alcyonis nidus, & hiſtoria. ibid.
Alexandri puer ignem contempſit. 686
Alexander Stygiis aquis peremptus. 416
Alexandri Magni vitreum ſepulchrum. 591
Alexander veneno obiit. 779
Alexandri gaza deferebatur à 40. millibus mulorum. 617
Alecis oculi noctu lucent vt lumen. 363
Alphora vermis, vide Vermis.
Altari conſecrato adſtat Angelus cuſtos. 587.656
Altare ſolidum ex auro. 604
Altare diui Marci tabula aurea ac gemmis obtectum. ibid.
Alumen ignem ſuperat. 559

Aluminis vis aduerſus ignem. ibid.
Alumine illitum lignum non ardet. 684
Alumen non natura, ſed hominum induſtria fecit. 559.623
Alumine oppida defenſa, ne caperentur. 623
Amalaſiunta doctiſſima. 142
AmaZones mixtæ viris mares partus abiiciunt. 92
AmaZones valde pugnaces ſunt. ibid.
AmaZonum regna inconſtantia, aut forte fabuloſa. 93
S. Ambroſius è Mediolano vidit apud Turonos offerri B. Martinum. 115
S. Ambroſius etiam dæmonibus metuendus. 167
S. Ambroſius in Hetruria hoſpitio eſt exceptus, ac mox domum hiatus abſorpſit. 506
S. Ambroſius viſus eſt flagello hoſtes Mediolanenſium perſequi. 58
Ambracan odor vnde. 343
Ambara piſcis gignit Ambracan odorem ſuauiſſimum. ibid.
Amiantum lapis contritus contexitur in telam, quæ vri non poteſt. 633.& 634
Amianti tela circumdata arbor ſi percutiatur, ſurdi ſunt ictus. ibid.
Amianto confecti lychni à Conſtantino Magno in ſuo baptiſterio locati, vt ſemper ardentes nunquam abſumerentur. 634
Amiantum S. Hieronymus appellat Amithon lignum. 673
ex Amianto tela conficitur, quæ nunquam vritur. 684
Amiantum igne non vritur. 560
Amiantum conteritur, & eius capillamentis texitur tela, quæ vri non poteſt. 560.& 684
Amor herbarum viribus conciliari non poteſt. 623
Amphisbena ſolo tactu perimit. 299
Amphisbena hæreticos ſignificat. 300
Amphisbena vtrum ſit duorum capitum, dubitat Albertus. 299
Amphisbenæ caput etiam in cauda, vt ita ſit biceps. ibid.
Amphitheatrum Titi & forma. 741
Amulius ſeſe Deum venditans aquis obrutus eſt. 18. 433
Amulius ſe velut Deum iactabat. 759
Amulius igne multa admiranda faciebat. ibid.
Amulius ignea miracula multa arte confecit. 701
Anates concordi animo agrorum ſegetes perpurgant, noxiis tantum herbis ſublatis. 189
Anabaptiſtæ baptiſmi aqua diſparuit. 430
Anachoretæ & veſtitu carentes & cibo aquæ potum ex roridis frondibus hauriebant. 540.643
Anachoretarum vita Paradiſi ſimilitudinem refert. 540
Anaſtaſius Imperator fulmine interiit. 18
Anaſtaſium Pontificem Romanum fulmine periiſſe eſt falſum. 19
Anchoræ in littoribus repertæ, quia mare deſeruit. 382
Anchoræ nulla longitudine funium poſſunt in imum peruenire apud Taprobanem. 372
Androdus in antro leonis Medicus fuit, & leo poſtea eius ſaluator. 496
Angeli pueros magnis periculis eximunt. 449
Angeli etiam mali poſſunt efficere, vt res appareant variis formis. 68
Angelorum etiam malorum admiranda vis eſt in inferiora corpora. ibid.
Angelis etiam malis omnis materia cedit, quoad motum localem. ibid.
Angelorum miniſterio vtitur Deus, vt in ſomnis multa nos doceant. 61
Angliæ ſeu Britanniæ Inſulæ amplitudo. 490
Anguillæ tricenum pedum longitudine. 346
Anguilla necata vino, quisquis ex illo biberit, vini tædium habebit. 337
Anguillæ mutuo conglobantur, numerataque mille vnico globo. 346
Anguillis nullus ſexus eſt. ibid.
Anguillæ nouo miraculo procreantur. ibid.
Anguillæ in Danubio non viuunt, neque in aquis in illum fluentibus. ibid.
Anianus lacus incompertæ profunditatis, in eum è monte ſerpentium globi decidunt. 432
Animantia omnia præter aues muta dicuntur. 184
Animantia omnia virtutum aut vitiorum homini exemplo ſunt. ibid.
Animæ in inferni igne ſunt perpetuo duraturæ. 696

Animæ hominum in Africa ſe conſpiciendas exhibent, ſicut & in Islandia in Hecla monte. 56
Animas apparere hominibus diuinum eſt miraculum. 57
Animal noxium nullum eſt in Bothnia. 545
Animæ à corporibus ſeparatæ adhuc viuunt, ſuntq; inuiſibiles. 55
Animæ à viuentibus viſæ cœlos petere aut inferos. ibid.
Animam beati Germani è longe vidit S. Benedictus in cœlum ferri. ibid.
Anima hominis infundendo creatur, & creando infunditur. 86
Animæ piorum, qui in purgatorio ſunt, poſſunt viuis ſomnia immittere. 60
Animæ defunctorum & vigilantibus, etiam dormientibus ſua deſideria ſignificant. ibid.
Anima defuncti patris filio ſignificauit inſomnis, vbi eſſet ſyngrapha, qua ſatisfactum eſſe creditoribus conſtabat. ibid.
Animæ aliquando ibi puniuntur, vbi peccarunt. 58
Anima Guilielmi defuncti flebat ob iniurias matri illatas tormenta patiens. 59
Animabus infidelium nullus eſt ad purgandum locus. 60
Animæ damnatorum non permittuntur apparere, niſi magno Dei miraculo. 57
Animæ permittuntur egredi purgatorium, & apparere, vt ſuffragia petant. 58
Animæ Sanctorum apparent viuentibus ad res pias. ibid.
Animæ Sanctorum momento hinc ad Deum perueniunt. 48
Animalia omnia moriuntur locum quendam ingreſſa. 533
Annulus Corradini illi necis cauſam præbuit. 579
Annulus Policratis inuentus in ore piſcis, vnde infelix illius exitus fuit. 506
Annulus Pyrrhi Regis, vide Pyrrhus.
Annulus Pyrrhi ex Acathe nouem Muſas cum Apolline continebat. 577
Anſeres vigilantiſſimi. 213
Anſerum cuſtodia ſeruati Romani. ibid.
Anſer annos 60. in eadem domo. ibid.
Anſeres ſæpe monſtroſi. ibid.
Antus auis, vide Auis.
Antipodes nobis ſunt, qui colunt fretum Magelanicum. 554
Antipodes nobis ſunt, qui inhabitant, vbi Nilus oritur. 396
Antipodes nobis ſunt Iaponii. 554
Antipodes diem habent, cum nos noctem. 49. & 553
Antipodes hyemem habent, cum nos æſtatem, & è conuerſo. ibid.
S. Antoninus Florentinus ſola benedictione fecit, vt ferrum flueret. 607
S. Antoninus Florentinus donum pomorum oſtendit leuiſſimum eſſe. 674
Antrum longo tractu, quod maritimos fluctus excipiat ad ſtadia ſeptem. 498
Antrum longum ſtadia centum triginta. ibid.
Antrum Nilo curſum permittit vltra multa millia millium paſſ. ibid. & ſeq.
Antrum, per quod currit Ganges centenis millibus paſſ. 499
Antrum, quod ſubit Niger per 60. paſſ. millia. ibid.
Antra Puteolana maxima à Cocceio facta. ibid.
Antro aqua diſtillat omnia conuertens in candidiſſimum lapidem. 491
Antrum Syracuſanum ampliſſimum. 499
Antro vno templum, & cœnobitarum ingens eſt monaſterium. 497
Antra ampliſſima & memorabilia. 498. 499. 500. 501
Antrum, in quod deſcenditur 1500. paſſ. 497
Antrum Lucaniæ, vnde ingens erumpit fluuius. 499
Antrum Volaterranum, vnde tantus erumpit ſpiritus, vt omnia deiiciat obuia. ibid.
Antrum 40. paſſ. mill. ad deducendam aquam Claudiam. 499. & ſeq.
Antrum Vicentinum longe ampliſſimum. 500
Antri ore obturato, artifices metallarii, ac vaſa omnia lapidea facta. 493
Antro obturato ſeptem dormientes diutiſſime vixerunt. ibid.
Antrum ignem emittens qui omnia abſumat obuia. 503
Antra, vnde ignis, vnde lapides molendinis idonei, & bombardarum mugitus. ibid.
Antrum, quod ingreſſi progredientes vlterius ſuffocantur, nec redeunt, niſi filo ducti. 499

Antrum, vnde fragor tantus erumpit, vt homines ſurdi fiant. 500
Antrum in Hiſpaniola longe ampliſſimum. ibid.
Antrum, in quod demiſſum aliquid magnum ob fragorem reddit ſurdos homines, imo exanimat. ibid.
Antrum, vnde procella emergit. ibid.
Antrum, cuius ore manat ſpiritus accedentes omnes perimens. 501
Antra, quorum ſpiritus lethiferi ſunt. 501. & ſeq.
Antrum Puteolanum apud Anianum lacum mortiferum, & quæ ratio? 501
Antra mortifera omnia etiam loca ſunt, etiam Principum, vbi ſcelera committuntur. 502
Antra ſcelerum ſæpe fiunt ipſa templa. 496
Antro perempti quinque Reges à Ioſue. 494
Antrum, ex quo cymbalorum auditur ſonitus. 504
Antrum Indiæ, in quo tria millia quadrupedum iniecta per ſuperſtitionem viuunt. 498
Antra facta ex magnificis monaſteriis. 507
Antrum, in quod deſcenditur quinquaginta ſcalis. 492
Antrum S. Patritii, vide Patritii.
Aper, vide Gemini.
Apes neque mas, neque fœmina, perpetuo virgines ſunt. 164
Apes ingentem prolem ſine concubitu gignunt. ibid.
Apes Remp. ſuam videntur optime inſtitutam labore conſeruare. 165
Apes venenatum ore mel ferunt, neque vnquam læduntur. ibid.
Apis nulla in Scotia. 484
Apes funus tum Regis, tum apum defunctarum mire exequuntur. 167
Apes equum occiderunt. ibid.
Apes hominem furem ad pœnitentiam adegerunt. 168
Apes oleo moriuntur, aceto reuiuiſcunt. ibid.
Apes candidæ & mel candidum conficiunt, ſunt etiam cicures intra hominum cubicula examen facientes. ibid.
Apes fuci, vide Fuci.
Apes plebeis, poſtea Regibus domos exædificant. 165
Apum Rex ex natura eſt. 166. & ſeq.
Apes Politicam, Geometriam atque Oeconomiam norunt. 165
Apes aculeo ferientes moriuntur. 166
Apes in Diui Ambroſii infantis ore examen confecerunt. 167
Apes in ore leonis occiſi examen confecerunt. ibid.
Apes in ore Platonis feruntur examen confeciſſe. ibid.
Apes in ſyluis mel abſque cera conficientes. 542
Apedes aues. 201.267
Apoſtoli ex omnibus Orbis partibus ad funus B. Mariæ conuenerunt. 29.128
Apri quanti boues. 282
Aqua vaſculum vendidit, vide Poculum.
Aquæductus Romani. 619
Aquas marinas, ſalſas & amaras, dulces reddidere Sancti Dei. 371
Aquis calidis herbæ virentes. 437.467
Aquæ Iordanis diuiſæ. 407
Aquæ in Pannonia frigidæ calidis eodem veſtigio proximæ. 437. & alibi. 455
Aqua ſtillans è ſaxo venenoſiſſima, nec alio vaſe, quam mulina vngue continetur. 433
Aqua ſalſa, qua quicunque aſpergantur, ſalis vim accipiunt, & formæ quarumcunque rerum velut congelatæ perſiſtunt. 427
Aqua, quæ aues ſuperuolantes ſolo tactu ſiſtere fecit. ibid.
Aqua, quæ ſuperuolantes aues necat. ibid.
Aqua maritima tardius congelaſcit. 386
Aqua maritima hominum corporibus lauandis ſalutaris. 390
Aqua vino permixta educi poteſt. 370
Aqua maritima ſalſa, craſſa amaraque eſt, & quæ ſit ratio. ibid.
Aquæ in fontibus, lacis ac ſtagnis cur ſalſæ amaræq; reperiantur. ibid.
Aqua dulcis ex ſalſa ſecerni poteſt. ibid.
Aqua dulcis gignit ſalem ſalſiorem, quam ſalſa. ibid.
Aqua Clitorii vini tædium inducit. 426
Aquas amaras in dulces vertit Moyſes. 438.459
Aquas frigidas in calidas Sanctis vertit Deus. 439
Aqua, quæ non poteſt vino miſceri, niſi hauriatur à pudica muliere. 405
Aqua deficiente, Baptiſmi virtus ſuffragata eſt Iudæo ægrotanti. 430
Aqua cur è vaſe perforato nequeat exire. 32

Aqua vitis quo magis excoquitur, ſit ad flammam aptior, & ad vrendum imbecillior. 670
Aqua vitis inflammatur, nón vrit. ibid.
Aqua vitis delibutus Nauarræ Rex ex eius flamma eſt necatus. ibid.
Aquas amaras reddidit potabiles Moyſes, iniecto ligno. 459.667
Aquarum magna ſcaturigo ab arbore in Inſula Ombrio. 668
Aqua Claudia à 40. milliario. 499
Aquæ frigidæ & calidæ vno veſtigio manant. 454. 457
Aqua feruens redditur gelidiſſima hora vnius interuallo. 455
Aqua nulla è cœlo & è terra in Arabia, omnia tamen adoleſcunt ad maturitatem. 542
Aquæ prorſus expertia ſunt deſerta quædam. 540
Aquæ calix decem aureorum millibus inutiliter emptus. 146.540
Aquæ vini modo inebriantes, & Cerealis poculi vim habentes. 451
Aquæ adeo acres, vt bibi non poſſint, ſalutares tamen ſunt. 450
Aqua gelida perfuſus Petrus Crinitus occubuit. 500
Aquæ fundum cauſa eſt imaginum, ſicut plumbum in vitro. 594. & ſeq.
Aquis demerſi die ac nocte homines viuunt iuxta Inſulam Ormutium. 483
Aquæ ferrum in cuprum vertentes. 457
Aqua, quæ æs & ferrum arrodit. ibid.
Aquæ adeo feruentes, vt obſonia omnia excoquantur. ibid.
Aqua, cuius irrigatione herbæ necantur. 630
Aqua reddit homines hebetes. 452
Aqua, quæ auget homini ingenium. ibid.
Aqua Martia magno ſumptu ducta Romam. 619
Aquis feruentibus viuunt ranæ. 457
Aquila ſe deplumari permittit à Pſitacis, opportune poſtea vlciſcitur. 194
Aquilæ videndi vis maxima. ibid.
Aquila degenerem prolem abiicit. ibid.
Aquila prolem experitur obiectu Solis. ibid.
Aquilæ vno nido repertæ reliquiæ 300. anatum, 100. anſerum, & 40. leporum. ibid.
Aquilæ Sanctos ſignificant. 195
Aquila iuuentutem renouat præcipue in oculis. ibid.
Aquilæ cicures fiunt, & amore flagrant. 196
Aquilæ prædam hominibus quandoq; partitæ ſunt. 195
Aquilæ cadaueris S. Stanislai reliquias à feris protexerunt. 196
Aquilæ tutabantur à feris beati Stanislai cadauer. ibid.
Aquila prolem abiicit. 193
Aquilæ prolem oſſifraga recipit, atque alit. ibid.
Aquilam coire lupis aliqui putant. 196
Aquilarum pennæ abſumunt aliarum auium pennas. ibid.
Aquilarum genus deficit quarto gradu. 217
Aquila vulpino pilo nidificat. 199
Aquilæ nidos ſternunt lapide Æthite. 560
Aquilinus æger contrariis medicamentis ſanatus ob fidem. 108
Aquilonaria climata varios dies & noctes habent. 560
Arabibus vmbræ ſiniſtræ ſunt, quæ nobis dextræ. 51. 555
Araneæ telam perviridem texunt. 176
Araneæ aliquos perimunt ridentes, alios flentes. 176
Araneæ peſtifer morſus in Apulia muſicen pro antidoto habet. ibid.
Aranearum telæ tanta firmitate, vt dirumpi facile non poſſint. 176.485
Araneæ in Sardinia peſtiferæ, ſed proximo fonte ſuſcipitur remedium. 485
Araneæ viuere non poſſunt quadam turri. 532
Araneæ quædam à muſcis capiuntur ſeu ſcarabeis. 176
Aranea ſolitarium animal nulli animalium concors. 174
Aranea quædam etiam parentes edit. ibid.
Aranea peccatores ſignificat. ibid.
Aranea ſolfuga in Sardinia homines perimit. 175
Aranea lacertos venatur ſua ex tela illos inuoluens. ibid.
Araneæ Geometriam norunt. ibid.
Aranearum tela ſaluus à perſecutore fuit Felix Nolanus. 176
Araneæ grandes, quanta eſt luſoria pila. ibid.
Arbores vinum bibunt, & fiunt radicibus firmiores. 658
Arbor, cuius ligno ignis excutitur. ibid.

Arbor, cuius radicis tactu homines perimuntur, remedium ab eius fructu. 665
Arbor, cuius fructus ſuccus venenum immedicabile eſt, obliniunt enim Indi ſagittas. ibid.
Arbor, quæ peſtifera eſt ſub ea dormienti. ibid.
Arbores fagi, vide Fagi.
Arbor, cuius vna radix venenum eſt, altera veneni antidotum. 665
Arbor, ex qua ingens aquarum ſcaturigo in Inſula Ombrio. 668
Arboris ramo exciſo lac effluit. ibid.
Arbor, ex cuius cortice tela conficitur. ibid.
Arbor, ex qua plurima aqua emittitur terebrato caudice. 669
Arbor vna acus, fila, veſtes præbet. ibid.
Arbor butyrum & oleum præſtat. ibid.
Arbor taxus peſtifera ſub ea dormientibus. 665
Arbor tota gemmis perinde ac vuis onuſta. 742
Arbor, vnde folia ad ſcribendum ſumpta ſunt, Indis fuit timori, quaſi ſecreta reuelaret. 766
Arbor, cuius medulla ferrea eſt. 670
Arbor ærea, in qua aues arte factæ omnes vocem ſuam reddebant. 743
Arbores cum ramis ſaxeas fieri vi fluminis. 413
Arbores, quas octo viri non complectuntur. 744
Arbor, cuius lignum ſi comburatur, aſtantes graſſatur dolor capitis. 665
Arbores agri Sodomitici viſu pulchræ, ſed inani fructu. ibid.
Arboris trunco nauigia, remi, funes, malus, clauus. 670
Arbor, ex qua mel manat duabus horis matutinis. 669
Arborum ligna cum adurũtur, fumo homines perimunt. 665. & ſeq.
Arboris ſpinæ, quæ perimunt omnes, quos pupugerint. ibid.
Arbor, quam tangentes ſerpentes pereunt. 666
Arbor Terebinthus durauit viua circa quinque annorum millia. 673
Arbores omnes vbi nunquam foliis deſtituuntur, nec hyeme quidem. ibid.
Arbor, quæ nec aqua, nec igni corrumpitur. 672
Arbores, ex quibus naues confectæ, etiam demerſæ 200. annis durauerunt. 673
Arbor ephemera. 675
Arbor, cuius fructus pigmentum eſt, ad abluendas pannorum ſordes. 670
Arborum radicibus contextis fiunt pontes. ibid.
Arbor, quæ mittit candidum ſuccum, quo quiſquis aſpergitur, atramenti ſuſcipit nigredinem indelebilem. ibid.
Arbores biferæ & triferæ quolibet anno. 674
Arbores quas viri 14. extenſis brachiis non complectuntur. 651
Arbor vna ingenti fluuio præbet pontis officium maxima ſui longitudine. ibid.
Arborum tanta altitudo, vt ſagittæ transiaci non poſſint. ibid.
Arbores, quarum radices extra humum velut collem attollunt. ibid.
Arbor morus, vide Morus.
Arbores in Germania, quæ ſolæ excauatæ nauigium præſtant. 650
Arbor ex qua zaccarum. 669
Arbores altiſſimæ, & quarum ſub radicibus currus præterire poſſint. 651
Arborum ambitus 40. pedum. ibid.
Arbores quæ excauatæ nauigium amplum exhibent 40. hominum capax. ibid.
Arbor vna excauata efficit nauigium, cuius malus remique ex arundinibus. ibid.
Arbores ambitu 30. palmorum. ibid.
Arborum ſyluæ in mari, quæ reflectuntur, concameratam formam efficiunt. 669
Arbores in mari, quarum frondes ſub aqua virent, at extra Sole tactæ vertuntur in ſalem. ibid.
Arbores, quæ cum tractarentur, fragiles erant vitri modo, in igne vt ferrum accendebantur, & non abſumebantur. ibid.
Arbores extra mare tractas fieri nigras, dureſcere, at cum cadant, frangi. ibid.
Arbor 130. pedes longa, craſſa ad trium hominum complexum. 651
Arbores ſuper 144. pedes altæ. 652
in Arboribus palatia numeroſæque familiæ habitarunt. ibid.
in Arbore vna, quam 8. homines complecterentur, 200. habitarunt in ramis. ibid.
Arbor Platanus, vide Platanus.
Arbor Mirice, vide Mirice.
Arbor Lotos, vide Lotos.

Arbores, quæ mari vagantur cum terræ ſuis innixæ radicibus. 650
Arbor, quæ noctu ſe comprimit, aperitur Solis ortu. ibid.
Arbor vitæ etiam poſt peccatum ad longæuitatem & incolumitatem profuiſſet. 536
Arbor, cuius ſuccus olei pinguis, Zaccari & aceti naturam ſuſcipit. 486
Arbor vitæ non reddebat immortalem, ſed dabat poſſe non mori. 536
Arboribus nunquam excidunt folia in Inſula Tylo. 478. 673
Arbori oliuæ brumæ ſolſtitio folia conuertuntur. 654
Arbor Caſſia radices adeo in profundum mittit, vt niſi inuenta aqua non quieſcant. 673
Arbor Cachi vnicum, eumq; in ſtipite emittit fructum pinni forma, quo homo onuſtus ſit, continet ille alios 300. fructus. 673
Arbor vnde fontis ſcaturigo maxima. 488
Arbor gemmis onerata. 582
Arbor ſcientiæ boni & mali cur dicta. 535
Arborum feracitas & à ſolo & à cœlo proficiſcitur. 674
Arbor piſcis ſua ramoſitate quocunque pergere impeditur. 335
Arbor populus ex arida facta virens ob proximam Sancti ſepulturam. 677
Arbor populus ſponte ſeſe alio longiſſime tranſtulit, ob Sanctum. ibid.
Arbor, cuius rami ſponte in terram vsque reflectuntur. ibid.
Arbor Abies, vide Abies.
Arboris Iuniperi prunæ, vide Iuniperi.
Arbor, cuius medulla farina eſt. 670
Arbor eſt etiam ipſa malua. 675
Arboris cuiusdam folia ſunt animantia. 193
Arbores virentes factæ ex aridiſſimo ligno. 675
Arbores iuſſu Chriſti ac Sanctorum ex virentibus mox fiunt aridæ. ibid.
Arbores ex aridis redditæ virentes iuſſu Sanctorum Dei. ibid.
Arbores proximæ igni perpetuo, quæ tamen non ardent. 666. 682
Arbor, cuius lignum numquam fumum emittit, cum vritur. 668
Arbor, cuius terebratio modica diſtillat guttulam balſamo perſimilem. ibid.
Arbor, qua guſtata belluæ efferantur. 666
Arbor ſcientiæ boni & mali. ibid.
Arbor vitæ omnem ſenectutem ægritudinemq; abigebat, niſi homo peccaſſet. ibid.
Arbor, quæ Ieſum venerata eſt, omnes ſanans ægritudines. ibid.
Arbor pudoris velut ſenſum habere videtur, ſe colligens, ſi quis acceſſerit. 664
Arbor, quæ velut ſenſu ad ſe equos, non alia animantia trahat. ibid.
Arbor, quæ ſe capi ſentiens indureſcit cornus modo, etiam lapidis. ibid.
Arbor, cuius folia viuunt, etiam abſciſſa. ibid.
Arbor vnde aues naſcuntur, & auctis plumis auolant. ibid.
Arcus triumphales mille. 716
Arcum duo exercent. 81
Archimedes iactabat ſe poſſe omnem Orbem alii applicare. 759
Archimedes curſum ſyderum in ſphæra conſtruxit. ibid.
Archimedis ingenium in demergendis hoſtium nauibus. 757
Archimedes ſpecula, vide Specula.
Archippi ſancti viri miraculum. 407
Archiepiſcopo ſuſpendio necandum prædicitur ab Aſtrologis. 54
Arduenna ſylua amplius, quam quingentis millibus paſſ. longitudine patet. 646
Arena, deficiente aqua, adhibita Baptiſmo etiam morbo ſuſcipiens ſanatus eſt. 430
Arethuſa lacus omnia pondera ſuſtinet, & non miſcetur Tigridi fluuio. 423
Argentum cineribus Baſiliſci oblitum colorem aureum acquirit. 298
Argentum viuum omnia metalla perforat, & non perforat vitrum. 606
Argento fodiendo 40. hominum millia operam impenderunt. 597
Argentum paratum templo Salomonis iacebat per vias lapidum modo. 605. 736
Argento primus nummus cuſus. 605
Argenteæ ſphæra in Turri. 726
Argenti fodinis non egent Sancti Dei, quandoquidem

dem vel ſtannum vertunt in argentum. 605
Argentum viuum omnium rerum edax eſt. 606
Argento viuo omnia ſupernatant præter aurum, quod in illo mergitur. ibid.
Argentum viuum quomodo gignatur. ibid.
Argento viuo inaurantur pleraque. ibid.
Argentum viuum vitro tantum ſeruatur. ibid.
Argenti copia tanta Salomoni fuit, vt perinde ac lapides iaceret vbique. 605.776
Argentum cum ſit candidum, nigras reddit manus. 605
Arianam ob perfidiam aqua diſparuit Baptiſmo. 430
Arianus ignis experimento confuſus. 687
Arietes naſcuntur cum cornibus in Africa. 271
Ariſmaſpi monoculi ſunt ſingulis cruribus perniciſſimi. 76.& ſeq.
Arimus piſcis cum ab homine viſus eſt, illum ad iram & contentiones ciet, eſus autem illum placat. 364
Ariſta vna conficit bis mille grana Orbe nouo. 549
Arſenale Venetorum ambitu duorum paſſ. millium. 755
Ataxerſi centum quindecim filii fuere, tres tantum legitimi. 136
Arundines aqua oppletæ. 670
Arundines equiti ſunt lanceæ loco. ibid.
Arundines, quæ hærent vt vites, & cucurbitæ aliis rebus. 671
Arundines, quibus inſunt vermes, qui tranſeunt in mures & papiliones. ibid.
Arundines trium palmorum craſſitie. ibid.
Arundines altæ 50. paſſ. ibid.
Arundines latitudine quatuor palmorum. ibid.
Arundines pro trabibus. 671
Arundinibus carceres fiunt. 672
Arundo in ſcripturis quo myſterio ſit. ibid.
ex Arundinibus nobis nauigia fiunt. ibid.
Arundines hominis amplexum ſuperantes. 671
ex Arundinum internodiis fiunt vaſa ingentia. ibid.
ex Arundinibus fiunt nauigiorum mali. ibid.
Asbeſti lapidis ignem inextinguibilem S. Georgius extinxit. 690
Asbeſtus lapis accenſus nulla vi extingui poteſt. 689
Asbeſtus lapis in Veneris templo nullis ventis extinctus ardens. 563
Asbeſti lapidis igne Sancti crines illæſi fuerunt. 664
Asbeſto contexta tela non vritur igne, ſed mundatur. 633
Asbeſto ſacculi fiunt, quibus Regum corpora vtuntur, ſeruanturque cineres. ibid.
Aſcanius lacus nitroſus veſtes mox emundat, quin etiam abſumit. 424
in Aſina Balaam locutus Angelus. 279
Aſinus filiis teſtes abſcindit. 277
Aſinus frigoris impatiens. 277.544
Aſinus nullus in Ponto & Scythia viuit. 277.544
Aſinus tineas numquam habet. 277
Aſinus pluris venditus quam quadringenti homines. ibid.
Aſinus emptus quadringentis nummis. ibid.
Aſinorum vicem oues implent. 270
Aſini forma hominem diu ſeruiuiſſe magæ mulieri ſub Leone IX. Romano Pontif. 72
Aſini emolumentum incredibile. 278
Aſini corium in dorſo nunquam conſumitur. ibid.
Aſini cornuti. ibid.
Aſini ampliſſimi. ibid.
Aſini vnicornes. ibid.
Aſinorum formæ variæ. ibid.
Aſinorum cornua contra venena. ibid.
Aſini freno reguntur, velociſſimi. ibid.
Aſinus ad Tribunal. ibid.
Aſinus vere in Tribunali ſedit. ibid.
Aſina Balaam locuta. ibid.
Aſini ſæpe ſanctis iubentibus obſecuti. 279
Aſinus auditor doctrinæ Ammonii. ibid.
Aſinus mortuus ſurrexit iubente Sancto. ibid.
Aſinus miniſter ad hortum Anachoretarum. ibid.
Aſini indicio inuentus Iſaacius latens. ibid.
Aſini mandibula Sampſonis profluxit aquarum ſcaturigo. 725
Aſinus piſcis cor in ventre habet. 355
Aſinus piſcis ignauiſſimos homines ſignificat. 356
Aſparagus creuit in altitudinem arundinum Indicarum. 644
Aſparago vna centum conuiuæ excipi poſſent. ibid.
Aſpis amiſſa coniuge mox moritur. 297
Aſpis Solis eſt amantiſſima. ibid.
Aſpidis oculi comparantur Aquilinis. ibid.
Aſpis aures obturat cantioni. ibid.

Aſpis illos ſignificat, qui nolunt intelligere vt bene agant, & in pertinacia viuunt. ibid.
Aſpis grata homini ob ſuſceptum beneficium. ibid.
in Aſphaltide olim 13. vrbes. 422
Aſphaltidis laci hiſtoria. ibid.
Aſphaltide lacu nil mergitur. ibid.
Aſphaltide lacu iniectus ſordidus pannus redditur mundus. 370
Aſtæ pater & filius vno vinario vaſe ex lethali ſpiritu perempti. 502
Aſtæ è naufragio pueri duo cum matre ſoli è multitudine ſalui. 448. & ſeq.
Haſtarum cuſpides aureæ. 713
Aſtrologos qui conſulunt, in ea plerunque cadunt, quæ fugiunt. 53. 196
Aſtrologus Muleaſſes Rex exitum ſuum ſcrutans comperit futurum, vt à filio Regno eiiciatur, idque reuera euenit. 54
Aſtrologorum veſaniæ carmine retunduntur. ibid.
Aſtrologi multa caſu prædicunt, multa, quæ Diabolo permiſſa ſunt à Deo, multa quoque reuelante Deo in eorum perniciem, qui ea ſcrutantur. 53
Aſtrologus Antiochus Tiberius neſciuit ſe publico iudicio damnandum. 54
Aſtrologus Cocles cum prædiceret, Malateſtam futurum homicidam, ab illo occiditur. ibid.
Aſtrologus Gauricus dum exitum ſuum curioſius ſcrutatur, diſcit ſe torquendum, quod euenit. ibid.
Aſtrologi genealogias ſcrutantes ab Eccleſia damnantur. 52
Aſtrologia ratione agricolationis, itinerationis, nauigationis, ac ſimilium permittitur. ibid.
Aſubaſcendens exhalatio. 8
Aſubdeſcendens exhalatio. 9
Athanaſii libellus de ſanguine ex imagine Chriſti. 772
Atheiſta gens, & Syllueſtris. 83
Attila prima nuptiarum nocte nemine id animaduertente occubuit. 778
Athos mons adeo altus, vt nubibus aut ventis non ſubiiciatur. 512
Athos mons oppidum in vertice habuit, incolasque longæuiores. ibid.
Athlas mons noctu crebris ignibus micat. 522
Atlantici non niſi noctu videntur. 551
Atramentum pro ſanguine eſt ſæpiæ, loligini, polypo. 341
Eiusq́ miraculum in lucerna. ibid.
S. Auguſtinus de Trinitate libros ſcripſit apud Centumcellas. 711
S. Aug. vidit centipedam in plures partes diuiſam in omnibus ambulare. 161
S. Aug. viuens ſed neſciens apparuit Eulogio in Africa, docuitq́ interpretationes Rhetoricas. 62
S. Aug. perrexit ad Æthyopiam ſerendi Euangelii cauſa. 70
S. Auguſt. vidit in Æthyopia homines capite carentes. ibid.
S. Auguſtini ſermones ad fratres in eremo probantur. 191. 293
Auernus lacus, & eius hiſtoria. 421
Auernus lacus eſt inſcrutabilis. 432
Aues vaſtantes ſata in Scotia præbito alimento diuertuntur. 189
Aues Bernechæ ex putredine arborum primum vermes. 192
Aues Bernechæ, vide Bernecha.
Aues in Taprobana pro Magnete nauigia dirigunt. 186. 390
Aues cornutæ excludunt pullos terra. 199
Aues vnicornes. ibid.
Aues arietinis cornibus. 216
Auis taurus boum mugitum imitatur. 185
Auis catelli vocem imitatur. 208
Auis Aſina aſini rugitum imitatur. ibid.
Auis cornuta in alis & capite. ibid.
Auis Carduelis imperata facere perdiſcit. 186
Aues nauigantes dirigunt, vt Magnes. ibid.
Auis quæ parua eſt alba, dein cineritia, poſt iterum alba, tandem rufa. 197
Auis cuius guttur modii eſt capax. 207
Auis cuius guttur totam reliqui corporis molem ſuperat. 207. & quid ſignificet. ibid.
Auis ſerpentina lingua ac collo, & quid ſignificet. ibid.
Auis Regulus, vide Regulus,
Auis Iſida, vide Iſida.
Aues æſtate nigræ, hyeme candidæ. 197
Auis cornuta Aquilis maior. 216
Aues quæ rapiunt quamlibet quadrupedem, & è ſublimi demittunt. ibid.

Aues

Aues quæ hominem eleuent, & demittendo perimant. ibid.
Auis Ruch, vide Ruch.
Auis Caprimulgus, vide Caprimulgus.
Aues extinctæ vno fonte, ſi in alio demergantur reſurgunt. 450
Auis quæ vulpino corio pullos excludit. 199
Aues domeſticæ aliquando factæ ſponte ſylueſtres. 43. 218
Auicula motu pauciſſimæ niuis oppida obtriuit. 510
Auis Semenda Phœnicis more mortem vltro ſubit, & renaſcitur. 192
Auis Ligepus leporinos habens pedes, & villos pro pennis, captaque mox moritur. 198
Aues mortuæ reſurgunt, ſi immergantur aquis fontis in Sicilia. 454
Auium Regem quendam reliquæ aues rapaces otioſum enutriunt. 212
Auis quæ ſe à Cete gluti permittit, ſed introrſus poſtea cor illi arrodit. 485
Auiculæ quædam 300. numero communem ſibi omnibus domunculam ædificant, maximas quasque aues inde eiiciunt. 212
Auiculæ quædam ſubeunt alas maiorum, & ibi fouentur. 214
Aues implumes quantæ anſeres, quæ ſemper in aquis degunt. 198
Aues quibus pili pro pennis ſunt. ibid.
Aues quandoque hominum ſcelera vlciſcuntur. 189
Auis Dicæon, vide Dicæon.
Auis anſerino ſiniſtro pede, dextro autem edit natando. 216
Aues ſupra verticem Olympi viuere nequeunt. 204
Auis omnium minima. 208
Aues quæ è dorſo pariunt in comparis ſuæ dorſum. 201 & 204
Aues omnes à Sanctis fiunt cicures. 218
Auis Garrula, vide Garrula.
Auis Porphyrio, vide Porphyrio.
Auis quædam fit ex Papilione. 193
Aues Chites, vide Chites.
Auium plumæ lucent noctu. 198
Aues Diomedeæ, vide Diomedeæ.
Auis Anthus equorum hinnitum irridet. 185
Aues aquæ contactu ſiſtuntur, ne euolare poſſint. 427
Auis cornix literas perferens, nutibusque, quo ferantur, edocta. 187
Aues, quæ potius ſe capi permittunt, quam à pullis ſuis tantillum abeſſe. 189
Aues adeo natura ſimplices, vt non auolent, ſed ſe capi permittant. 190
Aues igneæ in cœlo viſæ. 30
Aues alioquin ſylueſtres ſponte cicures factæ ſunt ſanctorum virorum. 190
Aues ſolæ ad loquendum dociles. 184
Auis Monucodiata, vide Monucodiata.
Auiculæ, quæ in ſortibus, vt pueri, officium exhibent. 186
Aues rapaces ſteriles. 217
Auis Niſus, vide Niſus.
Aues rore & aere tantum victitantes in Aquilone & Orbe nouo. 208
Aues apedes, vide Apedes.
Aues, quæ neque gradiuntur, neque volant, ſed natant tantummodo. 207
Auis mergus, vide Mergus.
Aulici ſignificantur Cancello piſce. 353
Auribus carent quædam quadrupedes in Africa. 545
Auriculæ, quibus fere totum corpus contegitur. 77. *& quæ in humeros propendent.* 78
Auriculas habent quidam Pygmæi, in vna quidem decumbunt, altera teguntur. ibid.
Aurum retibus piſcatur. 598
Auri glebæ oui gallinacei magnitudine. ibid.
Aurum fodiunt, metunt expiſcanturque. 418. 598. *& ſeq.*
Auri defoſſi gleba ſupra tria aureorum millia pondere. 598
Auri glebæ ingentes multæ. ibid.
Aurum cum ab omnibus capiatur, capientes ſe captiuos ſuos facit. ibid.
Aurum cum captiuum ſit, toti tamen Orbi dominatur. ibid.
Auri milliones ſeptuaginta obtulit Carolo V. Rex Indus. ibid.
Auri copiam præbet Deus ignauis gentibus. 599
Auri milliones 21. vt lex vna abrogaretur, obtulerunt Indi Reges Carolo V. 799
Auri ſeptem decades millionum in Hiſpaniam ab Orbe nouo delatæ. ibid.

Auri millies centena millia Romani ad Indos miſere. ibid.
Aurum Chriſti ſerui abiiciunt, at eius, cum libet, ſuper naturam auri conditores ſunt. 600
Aurum è cœlo impetrant viri Dei. ibid. & ſeq.
Aurum fit ex ſtipula iuſſu Sanctorum Dei. 601
Aurum abhorrent Babythaces, vt peſtem, ideo defodiunt, vt perdatur. 600
Auri contemptores abſque Chriſti amore fruſtra virtutem exercent. ibid.
Aurum abiecit Crates inani virtute. ibid.
Aurum Chriſti ſerui dum abiiciunt, poßident felicius. ibid.
Auri filis domus conteguntur, vt paleis. 602
Auro trabes, tecta ac pauimenta, murique laminis contecti. 603
Auro interius exteriusque muri obtecti viginti domibus. ibid.
Auri laminis interius exteriusque templum obtectum. ibid.
Auream trabem ſeptuaginta quinque aureorum millium habuit Salomonis templum. ibid.
Auri cupiditas Romanos eneruauit, vt Imperio exciderent. 599
Aureorum decies centena millia in alea abſumpta à Caligula. ibid.
Aurum Indis natura conceſſum, quoniam ibi contemptui fuit. ibid.
Aurum fugientes ſequitur, ſequentes fugit. ibid.
Aurea munera reiecit Curius rapa contentus. 600
Auri argentique ſumptus in templo Hieroſolymitano exornando. 736
Aurum vbilibet eſt, in ſeruorum Dei poteſtate eſt, ſi velint. 601
Aurum pro Chriſto ſatum augeſcit in centuplum. ibid.
Auri tanta copia apud Indos, vt ducenti ſæpe homines onerentur. 603
Auri laminæ, quas duodecim ſimul homines ſingulas non ferant. ibid.
Aurum ab Indis ſumma maieſtate erogatur. 602
ex Auro domorum tegulæ factæ. ibid.
ex Auro ſoleæ & claui equorum pedibus. ibid.
ex Auro vas prægrande fontis, quod fit ſupra duodecim millia librarum. ibid. & ſeq.
Auri laminis porticus & fontes exornatæ. 603
Aurum ex antris igne percolatur. ibid.
Aurum terra eſt. 596
Aurifodinæ velut labyrinthi inextricabiles ad necem trahentes. 597. & ſeq.
ex Auro 24. columnæ. 742
Auri ſitis copia augetur, effœminatumque reddit hominem. 601
Aurum naſcitur herbarum more, ſerpitque, & hæret arboribus. 597
Auri glebæ arando inueniuntur. ibid.
Aurum defoſſum latenter creuit. ibid.
Aurum præmolle dum foditur, at extractum dureſcit. ibid.
Aurum adoleſcit fruticum more. ibid.
Aurifices aurea donaria oblata Eccleſiæ falſificantes ſunt hiatu abſorpti. 505
Aurum ob ingentem prædam Hieroſolymitanam viluit pretio in Syria. 737
Aurum duobus ſimul pœnam affert, acquirenti, & ab illo rapienti. 604
Aurum retibus in flumine piſcatur. 418
Auro vt bona omnia ita quoque mala manarunt. 620
ex Auro columnæ, parietes, pauimentum, ac reliqua omnia contecta. 604. *ſed & tectum ipſum.* ibid.
Aurum & argentum Cyrenenſibus incognitum. 442
Aureis laminis obtecti muri Salomonis templi. 603. & 604
Aurum liquatum infuſum in os Aquilii à Mithridate. 604
Aurum Tholoſanum, prouerbium, & hiſtoria. ibid.
Aureis laminis palatia domusq; conteguntur. 742. & ſeqq.
Aurea trabs 750. librarum. 737
Aureæ ſphæræ in vertici Turris. 726
Aureis laminis extructum Regium cubiculum portatile. 746
Auſonii Galli carmina. 63

B.

Babylon ingens vrbs. 704
Bacalai piſcis forma & hiſtoria. 237. 363
Bacilli aridißimi, qui in virentes arbores creuerunt. 676
Baianus ſinus abundat ſalutarib. fontib. 437. 457

Baldus obiit rabie ob catelli morſum. 779
Balearum Inſularum terra alio illata ſerpentes necat. 319
Balenæ & alia ingentia marina monſtra, Caſtoreo diluto aqua in mare effuſo, effugantur. 744
Balena longa pedes ſexcentos, lata trecentos ſexaginta. 344
Balena dimidium ſtadium longa. ibid.
Balena aliquando montibus ſimilis, quandoque Inſula eſſe videtur. ibid.
Balenæ dorſo aliquando Miſſa celebrata eſt, dum collis putaretur. ibid.
Balena quinquaginta annis infeſta ByZantiis. 345
Balenarum cornua ſupra duodecim cubita. ibid.
Balenæ hiatus oris ſupra pedes duodecim, dentes quales elephantis. 345
Balenæ oculi circumſepti cornibus præduris ſupra ducenta quinquaginta, quæ ſingula longa pedes ſeptem. ibid.
Balena trecentos pedes longa. 345
Balena triremibus compar. 344
Balenæ os in fronte, vnde aquas plurimas vomit. 345
Balenæ catulos ſuos pauentes ore recipiunt. 346
Balenæ ob ſenium cæcutiunt oculi, egetque ductore. 345
Balenæ confectæ ſenio piſciculus ducatum præbet. ibid.
Balenarum cuti innaſcuntur Oſtrea & herbæ. 344
Balneæ feruentiſſimæ multis Orbis partibus, quæ ſunt ſalutares. 453. & ſeqq.
Balneæ Ciceronis, vide Ciceronis.
Balthaſſar Rex poſt conuiuium cum regno captiuus. 776
Baptiſmo promiſſa abiicientes piſcibus terreſtribus comparantur. 356. 430
Baptiſmi fons ſponte oritur, & peracto baptiſmate ſponte deficit. 446
Baptiſmo ſimulato ægritudines etiam ſanatæ ſunt. 431
Baptiſmus, qui arena datus fuerat, aqua deficiente, poſtea cum vera aqua collatus. 430
Baptiſmi cauſa aqua, quæ deeſt, quandoque miraculo manat. 431. 446
Baptiſmo Ariano aqua diſparuit. 430
Baptiſmo Imperatores Conſtantinus & Theodoſius morbis curati. ibid.
Baptiſmo lepra multis ablata. 453
Baptiſmo ægritudines pelluntur. 429
Baradates ſemper ſub dio pluuiis, gelu, Soli expoſitus orans in cauea peranguſta. 166
Barbam ad vsque genua gens quædam nutrit. 80
Barbuth leoni perſimilis illius infenſiſſimus hoſtis. 226
S. Bartholomæi oſſa quando Romam delata. 471
Bartholomæus Anglus ſcripſit de rerum proprietatibus ante 300. annos. 299
Baſiliſci cineribus, vide Argentum.
Baſiliſcum à Gallinaceo prodire fabuloſum. 298
Baſiliſcum occidit eques ſua, & equi pernicie infecta haſta tota. ibid.
Baſiliſcus horret Gallinacei cantum. ibid.
Baſiliſcus Armenam ſerpentem non perimit. 297
Baſiliſci forma & hiſtoria. ibid. & ſeq.
Baſiliſcus inficit terram, plantas, aerem, & superuolantes aues. 298
Baſiliſcum oratione extinxit Abbas. 299
Baſiliſcus nunquam Solem reſpicit. 298
Baſiliſcus viſu omnes perimit, & ſe ipſum quoque ſpectatum è ſpeculo. ibid.
Baſiliſcum venatur homo tectus ſpeculis. ibid.
Bellerophontis literas gerens Henricus III. immutauit, atque ideo poſtea Imperium adeptus. 648
Beliſarius tandem mendicauit. 147
Belluæ Aſiaticæ ferociores, Europæ firmiores, Africæ multiformes. 545
S. Benedicti oratione fontes manarunt. 444
Bernechæ aues ex putredine arborum gignuntur primum vermes. 192
Bernechæ ieiuniorum tempore in vſu eſſe non poſſunt, etſi aquis naſcantur. ibid. & ſeq.
Bernechæ excrementi egerendi locum non habent. ibid. & ſeq.
Bernecha ex arbore naſcitur abſq; parentum concubitu, auolat. 665
Biberunt nunquam diebus octo, & viginti, & triginta ſeptem duo viri. 117
Bibit nunquam poſt pueritiam Iulius Viator. 116
Bibit nunquam quidam apud Neapolim. 117
Bibit aut ſitiuit nunquam Gallorum Regis orator Romæ degens. ibid.

Bibit naribus, ſeruatque in multos dies aquam quoddam animal. 290
Bibit nunquam toto triennio quidam. 117
Bibliothecæ librorum numero commemorandæ publicæ, tum priuatæ. 768
Biceps homo ſub Theodoſio, atque ita duo ſimul viuebant. 70
Bilingues in ſcripturis quomodo accipiendi. 80
Bimembris homo viſus ſub Romano Lecapeno. 71
Biſontis vnius corium quindecim homines cubantes admittit. 244
Biſonti tres homines commode ſedent intra cornua. ibid.
Biſontis lingua longiſſime exerta hominem ad ſe trahit. ibid.
Biſontes equitem cum equo in cornua trahunt. ibid.
Biſontes ſtercore venatores canes obſtupefaciunt. ibid.
Bitumen Babylonicum incenſum extingui aqua non poteſt, ſed alumine. 559
Bituminis loca varia, vnde etiam Babylonici muri exædificati. 423
Bituminis fontes. 459
S. Blaſius Martyr lacum ſiccis pedibus permeauit, demerſis perſecutoribus. 300
Boa ſerpens boues glutit. 306
Boa boues necat, infanteſque ſolidos vorat. ibid.
Boemica gens puellas habuit, quæ Imperium per annos ſeptem tenuere debellatis virorum exercitibus. 93
Boetius chiterini inſtrumenti muſici inuentor. 773
Boianum oppidum demerſum, occiſis indigenis 1300. & fontis origo. 448
Bombarda vnde & quando inuenta. 760
Bombarda primi Veneti aduerſus Genuenſes vſi ſunt. ibid.
Bombardarum ignis omnia ſuperat. 701
Bombardarum vſum multis locis agnitum auctores tradunt. 760
Bombarda apud Sinas longe antea cognita, quam in Europa. 761
Bombardarum formæ variæ, triplices, imo ſeptemplices. ibid.
Bombarda maxima ex argento. 605
Bombardarum globorum ferreorum 30. millia iaculata in Meliten. 725
Bombycis vermis natura, vis, induſtria, mors & reſurrectio. 158
Bombyces vermes ante Iuſtiniani tempora in Europa incogniti. ibid.
Boni, etſi inter malos degant, probiores fiunt, vt in mari piſces. 371
Boni in hoc ſeculo nunquam ſolam aquam dulcem bibunt, omiſſa ſalſa. 361
Bononienſis turris admirandæ altitudinis. 726
Bonoſi forma & hiſtoria. 264
Bonoſus ſtercore ſuo venatores & canes adurit. 265
Bonoſus fœtus ſuos circumducta ſtercoris ſui maſſa munit. 264
Boryſthene flumine piſces absque oſsibus & nigri ſunt, & ſapidiſſimi. 415
Bos locutus eſt. 243
Bos biceps in Sabinis natus eſt. ibid.
Bos è puteo profundiſſimo quotidie aquam vaſe hauriebat. 240
Bos agnum peperit. 243
Bothnia neque terra, neque mari noxium vllum animal habet. 545
Bothniæ incolæ caſtiſſimi. 105. 558
Botrus vnus non niſi à duobus ferri potuit. 549. myſterium. ibid.
Boues Arithmeticam norunt. 240
Boues cornua in humeris habent. 242
Boues cornua mobilia habentes. ibid.
Boues, quibus dentes Elephantorum more. 243
Boues tum terra, tum mari viuentes. ibid.
Boues onera ferunt humeris. 240
Boues ſub freno currere, & equitare edocti. ibid.
Boues curſu valentiſſimi. 241
Boues præparui, vt hirci. ibid.
Boues vt Elephanti grandes. ibid.
Boum villus, vt ſericum. ibid.
Boues albi. ibid.
Boues gibboſi ad ferenda onera. ibid.
Boues iubbati, vt equi. ibid.
Boues, quorum cornua vsque ad caudam. ibid.
Boues quorum cornua ampliſſima ad pocula. ibid.
Boues ceruorum cornua habent. 242
Boues vnicornes. ibid.
Boues tricornes. ibid.
Boues absque cornibus. ibid.

S.Brigidæ monaſterium in pellucido lacu & imperturbabili. 435
Britannia Athanatos ſerpentes non habet. 319
Britanniæ amplitudo, vide Angliæ.
Britannicus piſcis hominibus alludit, inuitatque propius accedere, accedentes vorat. 329
Britius ſuſpicionem luxuriæ igne purgauit. 105. 689
Britii lineam ignis non vſſit in caſtitatis teſtimonium. 635
Bufo inuentus in ſolido ſaxo. 587

C.

Cacabo ligneo absque igne Solis feruore excocta obſonia. 613
Cacabo ligneo obſonia coqui ſolita, vaſe ab igne illæſo. 690
Cacabus feruens in imo eſt frigidus. 700
Cacumen abietis ſi præſcindatur, tota arbor moritur. 677
Cairum, vide Alcairum.
Calamitum Rana, vide Rana.
Calanus dictus piſcis homo fuit aſſuetus mari, vt piſcis. 332
Caligulæ luxus & prodigalitas. 628
Calix confractus, in quo erat Chriſti ſanguis, à Sancto Donato redintegratus. 662
Calices vitrei ruſticiores multis auri centenariis coempti. 591
Calx ignem habet, qui albus eſt, & qui aqua feruescit, oleo extinguitur. 699
Chamæleon totus pulmo eſt. 313
Chamæleon ſaliua perimit ſerpentes. ibid.
Chamæleon herba colores locorum ſumit, quibus adhæſerit. 312. & ſeq.
Chamæleonte deuicto, ſi vel parum corax victor ederit ex illo, moritur. 209
de Chamæleonte multa fabuloſa ſcribit Democritus. 312. & ſeq.
Chamæleon auibus ſe occidi permittit. 313
Chamæleontis pilo texta tela nunquam igne vritur. 313. 684
Chamæleon nunquam oculos aperit. 311
Chamæleon absque potu & cibo. ibid.
Chamæleon colores proximos ſuſcipit. 313
Chamæleon adulatores ſignificat. ibid.
Chamæleon hiſtrioni comparatur. ibid.
Chamæleontis villi in igne iniecti non vruntur. 313. 684
Chamæleon vincitur à Corace, ſed Coraci mortem eſus affert. 313
Cameli forma & hiſtoria. 255
Cameli ſitim diutius ferunt. ibid.
Camelus fel non habet, fit tamen quandoque rabidus. 256
Camelus iniuriarum memor & vindex. ibid.
Camelus vna die permeat 90. milliaria. ibid.
Cameli freno reguntur. 257
Cameli choreas tympano diſcunt. ibid.
Camelus etiam feſſus Muſica mulcetur. ibid.
Camelus cibi & Veneris abſtinens. ibid.
Camelus ob inceſtum cum matre occidit armentarium, præcipitemque ſe dedit. ibid.
Campanarum vſus etiam ante Chriſtũ agnitus. 611
Campanarum ingentium vſus cœpit anno Domini 870. à Venetis. ibid.
Campanæ in Gallia etiam Clotharii Regis tempore. 612
Campana ſuo loco mota amiſit ſonitum, reſtituta recuperauit. ibid.
Campanæ ſacris ritibus dedicari conſuetæ. ibid.
Campana in Orbe nouo ambitu palmorum quadraginta quinque. ibid.
Campanæ ideo dictæ, quod in Campania primum fundi cœperint. 611
Campanula, vide Tintinnabulum.
Campanæ ex lapide. 739
Campanæ ferreæ. ibid.
Campanæ amplitudine celebres. 612
Campania etiam quarto retulit fructum. 558
Campania præ omni Orbe ſalutaribus fontibus abundat. 457
Campania ſæpe fructum tertio refert. 558
Campi ebullientes murium ingentem multitudinem emiſere. 557
Campi, qui ignes emittunt. 522. 555
Canaria Inſula ob canes. 488
Cancer quidam, cui nullus excrementi locus, alitur enim herbarum modo. 365
Cancer mortifer. 292
Cancer oſtrea edit immiſſo ligno. 348. 357
Cancer domos mutans tranſiens de concha in concham. 353

Cancer biceps optimum Regem ſignificat. 300
Cancro ſimile animal quatuor capitum, & crux in dorſo mira virtus. ibid.
Cancellus piſcis mutat teſtas pro ſuo captu. 357
Cancri, qui hominem mergunt. 357
Cancri bicipites. ibid.
Cancri perpetuo prægnantes. ibid.
Candace Regina alebat quadringenta artificum millia. 713
Candela accenſa ſex menſes. 690
Candela impreſſio aerea. 8. & 9
Canicies breui accidit ſummam ob triſtitiam. 122
Canicies ſæpe miraculo accidit. 21
Caniciem puellis miraculo adeſſe iuſſit Iacobus Niſibenus. ibid.
Cane corrupta, & reddita prægnans mulier adulterii accuſata eſt. 76
Canicula piſcis fœtus ſuos rurſum ventre recipit. 354
Canis ſpecies, quæ humanum refert vultum pendula barba. 485
Canes non intrant Inſulam Syngaro. 484
Canes quanti Aſini iugo ſubduntur trahendis curribus. 228
Canes videntur Dialectici. 229
Canes in iudicio Iudices fuere homicidæ ſui domini. ibid.
Canes fures prodiderunt. ibid.
Canes adulteros prodiderunt. ibid.
Canis Peruſinus adulteris blandus. ibid.
Canes, qui Leonem & Elephantem perimunt & Vrſum. 227
Canes quidam à Tigribus gignuntur. ibid.
Canes Indici potius ſe totos diſcerpi permittunt, quam dimittere, quod momorderint. ibid.
Canes Indici omnium maximi. 228
Canes in ſcripturis quid myſterio ſignificent. 489
Canes muti qui ſint. 229. 489
Canes defunctum dominum non deſerunt. 227
Canis in rogum ſe iniecit cum cadauere domini. 230
Canis in ſepulchro cum domino iacuit. ibid.
Canum cohortes in bello. ibid.
Canes à Chriſtianis Turcas ſecernebant. ibid.
Canis latrandi vim amittit, ſi ranam, quæ Calamitum dicitur, edat. 358
Canes ſtipendiati, quod dimicarint, quod hoſtes captiuos facerent, quod reducerent. 230
Canis domino mortuo panem ori porrexit. ibid.
Canis demerſo domino auxilium nitebatur ferre. 231
Canes è fornace dominum extraxere. ibid.
Canis ſomnianti domino auxilium ferre nitebatur. ibid.
Canis amiſſarum rerum cuſtos inſcio domino. ibid.
Canes hiſtrionum miniſtri mirifici. ibid.
Canes ludicra facientes. ibid.
Canis locutus, iubente B. Petro. ibid.
Canis iuſſus ad certum locum viatorem deduxit, qui viam ignorabat. 232
Canes ſarcinas ferre aſſueti. 232
Canis lumen in menſa tenens. ibid.
Canes Romæ ſunt cæcorum duces. ibid.
Canes ſæpe Dei miniſtri. ibid.
Canes ſæpe iræ Dei vindices. ibid.
Canes vorarunt, qui pauperi hoſpitium negarat. ibid.
Canis rabidi morſus exitialis. 233
Canes Euripidem laniarunt. ibid.
Canes cornuti in Helleſponto. ibid.
Canis quidam præ omnibus animantibus piger. ibid.
Canino capite ſunt Cinamolgi, quin & alii, qui etiam latratu valent. 74
Canino capite gens ſagittas contemnit, cute glacie protecta. ibid.
Canina facie, ceruice ac pedibus bubulis, quorum mulieres ſunt facie ac membris omnibus humanis. ibid.
Caniſtrum pontis vicem præbens. 392. 748
Canabis fit arbor. 675
Canonici octingenti vna Eccleſia Æthyopica. 720
Cantaon vrbs quanta ſit eiusque ornatus. 716
Capilli cur iuuenibus nigri, ſenibus albi. 121
Capri medicinam hominem docuere. 622
Capra ſylueſtris, vide Ibex.
Capræ in exiguo ponte ſolertiſſimæ. 272
Capræ gignuntur fœminæ, Auſtro flante. ibid.
Capræ absque cornibus. ibid.
Capræ vbi omnes albæ. ibid.
Capræ, quibus cornua in cruribus. ibid.
Caper biceps. ibid.

Caper

Caper ſolis anterioribus pedibus ambulans. ibid.
Capræ vnicornes & ceruis maiores. ibid.
Capræ vento ſitim ſedant, ſemeſtri non bibunt. 273
Capra aluit infantem abiectum. 146
Capræ longiſſimis auribus & vnguibus indiuiſis. 274
Capræ quaternos fœtus vno partu. ibid.
Capra vno fœtu ſex peperit. ibid.
Capræ ſaltantes cœleſtis eſt impreſſio ignea, & quæ ſint. 9
Caprimulgus auis ſugit caprarum vbera ſumma illarum pernicie. 205
Capite ſolo abdito Mugilus piſcis latere ſe putat. 356
Capite abſciſſo veruex, vide Veruex.
Capite equino homines comperti. 72
Capite Elephantino puer natus. ibid.
Capite carent Blemiorum gens, eſtque illis in pectore. 70
Capito piſcis nullum animal in eſcam ſumit, niſi quod tentatum reperit mortuum. 355
Carandrio auis ictheritios ſanat conſpectu recto. 209
Carbo incorruptibilis, & perpetuo durat. 700
Carbones ſubſtrati ædificiis. ibid.
Carbo fortior eſt extinctus, quam incenſus. ibid.
Carbunculus lapis ignem non ſentit. 560
Carbo lucet, & ſe tandem reddit nigrum, & rurſum lucet. 700
Carbones ſubſtrati templo Dianæ. 740
Carbo tempore dureſcit in lapidem aſſiduitate humoris. ibid.
Carbo ſi deciderit, quædam terra mox ardet. 563
Carbo fragilis ſubſtratus templo. 700
Carbonum modo lapides quidam igneſcunt admoto carbone ignito. 563
Carbunculus lucet in tenebris. 560
Carbonum modo venales lapides in Flandria. 563
Carceratus 19. annos tandem exemptus hereditatem ſuam repetiit, quam perdiderat, velut mortuus. 150 ~~217~~
Carceratorum millia octo apud Seres. 714
Cardus herba creuit altitudine ad cubita duodecim. 644
Cardinalis quidam diu proprium lotium bibit. 118
Carybdis, & Sylla, vide Sylla.
Caryſtiæ auiculæ in igne viuunt. 155.683
Cariſtiæ auiculæ magnis muſcis paulo maiores. 155
Carmania gens ſylueſtris, & ſine lege viuit. 82
Carolo V. Imperatori dies B. Matthiæ Apoſtoli felix. 153
Carthaginis ambitus 20. mill. paſſ. & murus ibi ſexaginta ſtadiorum. 721
Carthaginenſi platea publica omnium generum monſtroſorum hominum picturæ viſebantur. 70
Carthaginenſes edicto vetuerant, ne quis vltra Gades adnauigaret. 473
Caſtiſſimi Bothniæ incolæ. 105.558
Caſtor fabuloſe traditur ſibi genitalia abſcindere. 276
Caſtores habitacula miro artificio conſtruunt lignis onerantes ignauos. 277
Caſtoris cauda ieiunii tempore in cibum permiſſa. ibid.
Catafractus quadrupes. 289. & ſeq.
Catena ingens ex auro ambiens omne templum. 604
Catenæ ſponte cecidere, ne beatum Petrum obſtringerent. 608
Catenæ ingentes ferreæ, quæ maria intercludunt, cedunt viris Dei. 610
Catenæ duorum ſtadiorum & mille paſſuum longæ. ibid.
Catholicos perſecuta Drahomira hiatu terræ cum curru abſorbetur. 148
Catoblepa ſolis oculis necat. 264
Catoblepæ forma & hiſtoria. ibid.
Cato in Libya Pſillos habuit comites propter venena ſerpentum. 108
Cato fugiens Cæſarem duxit exercitum in Cyrenem. 542
Cattus Elephantis cuſtos. 252
Catti Mauritano homini perſimiles. 236
Cauda ſignificat in Prælatis ſtudium ditandæ poſteritatis. 271
Caudæ hominibus, & quare. 80.82
Cauda Manticoræ vt Scorpionum. 263
Cauda abſcondita Pœfagus putat ſe latere. 265
Cauchii carent arboribus. 672. omni pecore, feris, ac omni frutice, & aqua. ibid.
Cauchii omnium hominum miſerrimi. 776. & ſeq.
Caulis caudex trium palmorum. 558

Cæcus 40.annis poſtea vidit. 55
Cæcus pedibus bene valens ſocius fit claudo bene videnti. 350
Cæcula ſerpens cæca eſt. 319
Cæcis redditus viſus ex aquis non natura,ſed miraculo. 553
Cæca à natiuitate ſanatur Baptiſmo. 429
Cœnam vnam vendidit Imperator Conſtantinop. 90.libris auri. 619
Centipeda in plures partes diuiſa in omnibus viuit. 161
Centumcellenſis vrbis mœnia cœpta Adriani Imper.tempore diruta à Saracenis. 710
Centumcellæ etiam in ſinu Baiano ſunt. ibid.
Ceram apum opus diuinis rebus aptiſſimum furantes miraculo puniti. 263
Cera apum conſecratur, diuinaque inde miracula promanant. 169
Ceraſtæ quadrigemina ſunt cornua. 302
Cerdo apud Babylonios montem tranſtulit. 527
Cereum vas mari demerſum totum oppletum dulci. 361 370
Ceruorum cornua admiranda,& an quotannis decidant. 274
Cerui abſque cornibus. ibid.
Cerui natura cicures, qui gregatim ſub hominum cuſtodia paſcuntur. ibid.
Cerui Græcorum linguam percipientes. ibid.
Cerua hinnulum ſuum Euangelicæ lectionis tempore in templo offerebat. ibid.
Ceruam Ethnici pro Deo habuere. ibid.
Ceruus medicinam agnouit. 275
Cerui bini currus trahunt. ibid.
Ceruis perſimiles ſunt Rangiferi,vide Rangiferi.
Cerui mare transnatant gregatim. ibid.
Cerui ſerpentes necant. 276
Cerui cornibus innata hedera. ibid.
Cerui cornibus viſa imago Chriſti Euſtachium ad ſalutem vocauit. 647
Ceruus hominem medicinam docuit. 622
Cerui longæuiores. 273
Ceruis Alexander adiecit torques. ibid.
Ceruus aurea torque ornatus inuentus, vnde Regibus Gallorum inſignia. 274
Cerui capite veſparum nidus,vide Veſparum.
Cerua aluit hominem. 276
Ceruis educatus puer, captus nequiuit viuere inter homines,& ad illos rediit. ibid.
Cæſar quaternas ſimul dictabat literas, quin aliquando ſeptenas. 140
Cæſar ſimul ſcribebat & legebat, dictabat & audiebat. ibid.
Cæſar natandi peritiſſimus. 84
Ceſpes longus pedes 50.alio ſe tranſtulit. 583
Cæte os inuolat auis quædam, & quadrupes quædam, & illius cor pungunt,& interimunt. 206. 310.485
Cæte amplitudo,vide Balena.
Cæte Ionæ,vide Ionæ.
Charito ſanctus quomodo latronum manus effugerit viperæ miniſterio. 317
Charitas refrigeſcit nimia terrenarum rerum cura. 631
Chartæ Pergamenæ vnde originem traxerint. 768
Charta ſcripta,vide Papyrus.
Chartæ quibus adſcribendum vtimur, ex lino obtrito fiunt. 636
Chartuſia Ticinenſis. 219
Chartuſiæ cœnobium admirandum in leporario Ticinenſi. 734
Cherſidrus ſerpens,vide Acontia.
Chilo animal ſemper ieiunum eſt. 355
Chites aues parentes ſuos in nidis alunt. 215
Clyſteris vſum,vide Ibis.
Choreas ducentes loco & tempore ſacro annum integrum perſeuerarunt. 149
Choreas ducentes innumeri perempti omnes præter ſponſos. ibid.
Cryſtallus ex gelu fit. 570
Cryſtalli fruſtum cubitale. ibid.
Cryſtallus ſexangularis admirando leuore ipſa natura. ibid.
Cryſtallus 50.librarum. ibid.
Cryſtallo vas amphorale. ibid.
Cryſtallo vas ſextariorum quatuor. ibid.
Cryſtallina pila oppoſita Solis radiis vrit. ibid.
Cryſtallus in ſacris literis quid ſignificet. 570
Cryſtallus vbi naſcatur. ibid.
Cryſtallus æquatus hominis pugno. ibid.
Cryſtallo domus exædificari poſſunt, tanta eſt copia. 570

Chriſtiani ſub M. Aurelio Imp. è cœlo fulmina in hoſtes impetrarunt. 17
S. Chriſtina virgo per Miſſæ ſacrificium reſurrexit. 129
S. Chriſtina ignem, gelu, rotas vicit, & mortua reſurrexit. ibid.
S. Chriſtina ignem illæſa ſuperauit. 687
S. Chriſtina ſponte ignes varia forma ſubiit. ibid.
S. Chriſtina proprio virginali lacte diu ſeſe aluit. 118. & ſeq.
Chriſtus corpore peruenit ad patrem momento. 48
Cibo abſtinere quiſque poteſt dies 11. 117
Cibo Helias, Moyſes, & alii diutius abſtinuere. ibid.
Cibis 20. diebus abſtinuere ſemper itinerantes Sancti Dei. ibid.
Cibo potuque 30. diebus abſtinuit mulier, teſte Alberto. ibid.
Cibo caruit quidam ſeptem hebdomadas. 118
Cibo abſtinuit quidam itinerans per locorum ingentia ſpatia. ibid.
Cibi etiam minimi voluptas ad culpam eſſe poteſt. 543
Cibis omnibus carens aere tantum vixit quidam homo. 118
Cicadæ hæreticos ſignificant. 547
Cicadæ eædem alibi canoræ, alibi mutæ, & quod eius rei myſterium. 181. 546
Cicada ore caret, nullum habet excrementum. 181
Cicadæ aliquo loco non gignuntur: at ibi proxime gignuntur. 546
Cicadæ citra flumen non ſunt, vltra autem viuunt. ibid.
Cicadæ vbi mutæ ſint, & quæ ratio. 181. 546
Cicero ſcripſit libros de admirandis 50. 548
Ciceronis aquæ ſemel interdiu ſcaturiunt, & ſemel noctu. 457
Cyclopes monoculi. 77
Ciconiæ prauentæ ab hyeme ſubeunt aquas, ac conglobatæ mutuo viuunt. 212
Ciconiarum antipelargia. 211
Ciconiarum gratitudo benefactori. ibid.
Ciconiam occidere capitale crimen eſt in Theſſalia. ibid.
Ciconiæ migrant quotannis, & à cornicibus hoſpitio excipiuntur. 212
Ciconiæ ſerpentum multitudinem abſumunt. 545
è Cicuribus facta ſylueſtria animalia ob futurum terræmotum. 43. 218
Cygnus primum niger, poſtea candidus. 197
Cymmerium oppidum. 551
Cymmerii populi. ibid.
Cymmeriæ tenebræ. ibid.
Cineres Æthnæ conuerſi in lapideam duritiem. 516
Cinis è Veſuuio vſque Conſtantinopolim delatus memoratur. 520
Cineribus monte eiectis omnia facta in via, pecora perempta, plantæ deiectæ, aquæ dulces factæ amaræ. 524
Cinere ſcripta monte Olympo ſemper durant. 511
Cineribus è montibus eructatis oppida oppreſſa in Peruaco. 524
Cynocephali inhabitantes Æthyopiam caninis dentibus voce tantum ſtrident. 74
Cynocephali homines ſunt, ac mentis compotes. 75
Cynocephali viſi in Europa. ibid.
Cyprium linum quid. 560
S. Cyprianus alter magus Diabolo imbecillitatem exprobrauit. 69
Cyprus Inſula olim humata corpora reſpuebat. 490
Cyrenes regionis cœli conditio. 542. 546
Cyrenenſibus aurum & argentum incognitum. 542
Cyrene trigeſimo iacti ſeminis die ſata matura ſunt. ibid.
Cyri domus illigatis auro lapidibus ædificata inter miracula eſt. 703
Cyriacus Abbas redditus eſt inuiſibilis. 116
Ciſternæ centum vno ex ſaxo excauatæ. 741
Ciſterna, quæ aquas continet, quæ ſufficiant mille millibus hominum. 514
Claſſis 1170. nauium Theodoſii. 752
Claſſis 2500. nauium in Datia. ibid.
Claſſis 5000. nauium Sinarum. ibid.
Claſſis quindecies mille nauium à Roſſis educta. ibid.
Claſſis multorum millium nauigiorum ex arundinum internodiis. ibid.
Claſſis Gottorum 2. mill. nauium. 755
Claſſis Pœnorum 350. triremium. ibid.

Claſſis Pœnorum 500. nauium. ibid.
Claſſis Rom. 3070. nauium. ibid.
Claſſis Saracenorum 1700. nauium. ibid.
Claſſis Normannorum 600. nauium. ibid.
Claſſem hoſtium Archimedes ingenio architecturæ demerſit. 757
Claſſis 700. triremium Attilii demerſa. 755
Claſſis 150. nauium ex arundinibus contextis conſtructarum. 752
Claudius aquam magno ſumptu Romam perduxit. 619
Claudus videns cæco pedibus beneualenti fit ſocius. 350
Claues amiſſas piſces reddidere Maurilio Epiſcopo. 323
Clemens ancora collo alligata demerſus mari, ſed mare illi ſemper ceſſit. 383
Clemens IV. Papa Corradino prædixit exitium ſpiritu prophetico. 579
Clementis Papæ in mari ſepulchrum quotannis detegebatur. 728
Cleopatra quo faſtu ad Antonium perrexerit. 618
Cleopatra ingentis pretii vnionem abſorpſit. ibid.
Cleopatræ vniones ampliſſimi. 578
Clepſidræ aqua aut arena horas indicabant antiquis. 763
Climata agunt circa conſtitutionem corporum tantum. 62
Cloacæ Rom. admirandæ. 723
Cocceius antra ampliſſima apud Neapolim & apud Cumas fecit. 499
Cocchleæ concordiæ præbent exemplum, quod inuicem vt acini vuarum hæreant. 123
Codratus lactens amiſſa matre cœleſti lacte nutritus eſt. 117
Cœlo tantum tectus Baradates in cauea orans ſemper expoſitus omnibus. 119
Cœlo tantum tectus, rebus omnibus expoſitus vixit Iacobus quidam. ibid.
Cognatio ſpiritalis maior carnali. 694
Colapiſcis homo ſemper mari viuens. 331. & ſeq.
Colapiſcis natando defunctus. 84. 332
Colapiſcis homo mari adeo aſſuetus, vt ſemper natando viueret. 84
Collyria etiam contraria proſunt oculis, ſi ex fide ſuſcipiantur. 108. & 109
Colores pecorum ex rebus viſis. 453
Colores pecorum mutantur fontium potu. ibid.
Coloſſus ex Smaragdo nouem cubitorum. 731
Coloſſi Rhodii ex ære amplitudo & hiſtoria. 612
Coloſſi multi ingentes. 734
Coloſſus Rhodius omnium maximus. ibid.
Coloſſi Rhodii digitum homo complecti non poſſet. ibid.
Coloſſi Rhodii æris reliquiæ onerarunt 900. camelos. 735
Coloſſi in India prorſus auro tecti diademata gemmis ornata. ibid.
Colubrina ex argento. 605
Columbæ literas pedibus alligatas detulerunt. 186
Columbarum paria quingentis denariis vendita. ibid.
Columbarum pedibus alligato igne Ruſſi excidium paſſi. 187
Columba lignea volans. 762
Columbæ literas aliquando pertulerunt. 769
Columnæ 150. ingentes in templo Damiatæ. 739
Columnæ immenſæ leuiter motæ ad perficiendum Dei opus. 584
Columnæ marmoreæ iuſſis Sanctorum obtemperant. 586
Columnæ ex lucidiſſimo lapide perinde ac eſt vitrum Venetiis. 582
Columna ſolida ex auro. 604
Columnæ marmoreæ ſteterunt, diuiſæ ſunt, ceciderunt, vt Sancti iuſſerunt. 585
Columnæ 24. ex auro. 742
Columnæ creſcunt arborum modo. 491
Columnæ efformantur à fulminibus. ibid.
Columnæ efformatæ ſaxeæ ex profluente liquore. ibid.
Columnæ vitreæ ingentes. 590
Cometes per diem ac noctem omnem terram circuit, omnia inficit. 10
Cometes dicendus non eſt omnis fulgor, qui de cœlo micat. ibid.
Cometarum variæ & inuſitatæ formæ, & quid portenderint. 9
Cometes vnde gignantur, & vbi, quomodo ardeant. 9. & ſeq.
Comitialis paruus morbus eſt coitus. 192

Conchæ gregatim procedunt, Regemque habent, quem natantes ſequuntur. 338
Conchæ amiſſo Rege mœrent, capiunturque, nec natare poſſunt. ibid.
Conchilia quædam gemitum emittunt. 355
Conchilia ampliſſima. ibid.
Confeſſum peccata ſua hominis caput iam diu defunctum & aridum. 132
Confeſſionis peragendæ cauſa aliqui & igne fere abſumpti mori non permittuntur. 131
Congrus edit Polyporum brachia. 341
Conradus II. Imperator dum necem parat Henrico III. in infantia, & adoleſcentia ad Imperium illi viam aperuit. 648
Conſtantinus Baptiſmi aquis mundatus lepra. 453
Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ mulieres & Eunuchi præfuere. 92
Copretes benedictione arenæ agros fœcundabat. 397
Corax auis victo Chamæleonte ſi vel parum ex eo ederit, moritur. 209.312
Corax auis medica. 313
Corallium molle intra mare eſt, at vbi extrahitur, dureſcit rubeſcitque. 632.& ſeq.
Corallium ſignificat pios & martyrii cupidos. 632
Cor hominis antrum lethiferum eſt. 502.& ſeq.
Corda bina perdicibus. 217.545
Cordis duplicitas malos ſignificat. 217
Cor lapideum eſt non præbenti eleemoſynam. 570
Cornelia Gracchorum mater doctiſſima. 142. & ſeq.
Cornix loqui ſciens. 184
Cornices crepuſcula indicant dierum ſingulorum, vbi noctes ſemeſtres ſunt. 186
Cornigeri ſtatim naſcuntur arietes. 271
Cornibus duobus puer natus. 116
Cornua mobilia Eale. 264
Cornuum octo hircus. 271
Cornua animantium vbi mobilia. 242.257
Cornua mobilia & flexibilia. 242.262
Cornua ſignificant in Prælatis aduerſus vitia diſciplinam. 271
Cornua, pili, vngues decidunt bibentibus ex lacu quodam. 429
Corporis ſalus curanda ex aliquo ſalubri loco. 1
Corporale emiſit ſanguinem Leone I. & Gregorio I. PP. 637
Corradino Clemens IV. exitium prædixit prophetico ſpiritu. 579
Corradinus ex annulo agnitus, vnde illi exitium fuit. ibid.
Coruus loqui ſciens. 184
Coruus prolem nido eiicit. 214
Coruorum pulli miro modo aluntur. ibid.
Coruus ingratiſſime in arcam non rediit. ibid.
Corui paruerunt mandatis Sanctorum Dei. 215
Corui porrexere alimenta Sanctis, quin etiam Sanctorum reliquias tutati ſunt. 214
Corui parentes ſenio confectos deuorant. 215
Corui mali malum ouum. ibid.
Corui induſtria circa potum ex vaſe. ibid.
Corui albi multi in Aquilone. 197
Coruus primum candidus, poſtea niger. ibid.
Cotem nouacula ſecuit Actius diabolica arte. 580
Cothurnicum mira fœcunditas. 217
Craſſi opulentia. 616
Craſſi Murena, vide Murena.
Craſſus mortuam Murenam defleuit. 324
Craſſi opulentia ſuperat noſtrorum Regum diuitias. 616
Craſſo aurum in os iniectum feruens. ibid.
Craſſus pœnas luit ob direptum templum Hieroſolymitanum. ibid.
Craſſi duo, diues & pauper. ibid.
Craſſus rapuit templo Hieroſolymitano auri talenta octies mille. 737
Creta non habet noxia animantia præter araneam. 628
in Creta Inſula ſerpentes Lybici non viuunt. 629
in Creta Inſula nulla eſt Noctua. ibid.
Cretæ puluis ſerpentes necat. 319
Creta Inſula diſterminat Europam, Aſiam & Africam. 491
Criniti Arietes vsque in terram. 271
Crocodili Delphinis aduerſantur, inita pugna mare ingrediuntur. 363
Crocodili os ingreditur ſerpens Hydra, viſceraque arrodit, & egreditur. 308
Crocodilus 60. dies ieiunus, viuitque ad 60. annos. 309
Crocodilo nullus locus excrementi emittendi. ibid.

Crocodilos freno regunt, obequitantque Tentiritæ, viſique Romæ ſunt. 310
Crocodilos Pachomius Abbas obequitabat. ibid.
Crocodili Sanctis obſecuti ſunt, vocati adfuere, paſſique dorſum aſcendere. ibid.
Crocodilus contactu pennarum Ibidis redditur immobilis. 188
Crocodili dentes Trochylus purgat. 210
Crocodilum Ichneumon occidit. 265
Crocodili incolas abegere. 775
Crocodili populos abegerunt. 308
Crocodili oua ſolo viſu fouent. ibid.
Crocodili prolem degenerem deuorant. ibid.
Crocodilus lingua caret. ibid.
Crocodilus longus duodeuiginti cubita. ibid.
Crocodili cubitorum ſex & viginti, quorum oris hiatus vaccam glutit. ibid.
Crocodilus lacrymis humanum caput perforat medullæ cauſa. ibid.
Crocodili lacrymæ, prouerbium. ibid.
Crocodilus ſolo hiatu hirundines ſuperuolantes attrahit. 308
Crocutæ forma & hiſtoria. 262
Crocuta humanas voces imitatur. ibid.
Crucem auream cum aliis donariis Eccleſiæ oblatis artifices falſificantes ſunt hiatu abſorpti. 505
Crucis dominicæ portiuncula efficit, vt ignis oleum non abſumat ardendo, ſed potius augeat. 691
Crucis veræ Chriſti lignum admiranda facit miracula. 667. & ſeq.
Crucis veræ Chriſti lignum languores quotlibet ſanat, & mortuos ſuſcitat. 667.
Crucis veræ Chriſti lignum etiam incendia reſtinguit. ibid.
Crucis ligni, quam Oſualdus Rex erexerat, multa miracula. ibid.
Cucurbita Ionæ. 675
Cucurbitarum mira adoleſcendi celeritas. 548. 675
Cucurbitæ ſolidus caudex ſicut aliarum arborum. 675
Culices abegerunt populos. 775
Cunegunda ſuam caſtitatem igne probauit. 502. 689
Cuniculi aliquando populos abegerunt. 289
Cuniculis vrbes defoſſæ. 775
Cuniculis bina exta ſunt. 545
Cuniculi, qui Indici dicuntur, potius mures ſunt. 253
Cupreſſus ſponte nata ſuper pectus defuncti. 676
Currunt equis velocius Troglodytæ, & quidam Tartari. 81. 126
Currunt Indi adeo, vt ceruum anteuertant. 126
Currunt velocius feris quibusque Scritofinni. ibidem.
Currebat propoſito præmio velocius equis Haraldus. 127
Currunt velocius equis Lixitæ Africani. 126
Currentem leporem anteuertit puer Mileſius. 127
Curſu adeo valebat Ladas, vt nec in puluere veſtigium imprimeret. ibid.
Curruum 40. millia. 713
Currus, qui velut nauigia ventis ac velis impelluntur cum Magnete. 391. 747
Currus Eliæ ardebat, nec comburebatur. 685
Currus lacum ſupermeauit profundiſſimum ob Sancti inuocationem in peregrinatione. 436
Currus ſunt domorum vice. 745
Cuſtodes corporis perpetui decem mil. Regi Synarum. 743

D.

DActylus piſcis noctu lucet. 339
Damaſcenus detruncatam manum rurſum recepit incolumem. 113
Daniele Leones abſtinuerunt. 223
Daniæ Rex Cyprum Inſulam vt humana corpora non reſpueret, correxit. 490
Danubius ſeſe condit & redditur. 402
Danubius gelu concretus. ibid.
Danubio congelato pugnatum peditibus & equitibus. ibid.
Danubius abſtinuit, ne mergeret ſancta Dei. ibid.
Danubius maximus in Imperio Romano fluuius. 401
Dathan & Abiron abſorpti cum papilionibus hiatu repentino. 505
Dauid inermis armatum Goliath deuicit. 125
Dauid Vrſum & Leonem perimebat, & curſu anteuertebat. ibid.
Dauid latuit antro cum 500. viris, & quod eius rei myſterium. 712

Dauid Epiſcopus Scotus vixit annos 172. 558
Dauid ferociſſima fortiſſimaque deuicit animantia. 125
Decimam quadrupes perſoluit. 290
Defunctorum ingenia proſunt viuentibus. 197
Defunctos opera ſequuntur, ſiue bona, ſiue mala. ibid.
Delphini puerorum amantiſſimi. 325
Delphinus Muſices amantiſſimus. ibid.
Delphinus hominem, qui ex Delphino ederit, vorat. ibid.
Delphini aduerſus Crocodilos bellum gerunt. 361
Delphinorum exempla, qui pueros amarunt, & per mare tulerunt. 326
Delphinus viuit ad annos centum viginti. 327
Delphini ſuperſiliunt malos nauium. ibid.
Delphini prolem ſuam rurſus aluo recipiunt. 328
Delphini S. Martinianum trans mare deuexerunt. ibid.
Delphini S. Calliſtratum demerſum in littus reuexerunt. ibid.
Delphinus S. Lucianum mortuum è mari in littus ad ſepulturam detulit. ibid.
Delphinos & in ſyluis licet appingere. 649
Dœmones incubi & ſuccubi ſe humano generi fœda libidine miſcentes. 69
Dœmones aerea corpora aſſumunt, quibus vtuntur ad libidinem exercendam. 71
Dœmones in ſtabulis operariorum more deſeruiunt, & in metallis, atque aliis obſequiis. 57
Dœmonum ludificatio eſt, cum homo animantis formam habere videtur. 72
Dœmones nec animam, nec corpus hominis immutant, ſed tantum videri faciunt. ibid.
Dœmones magis verentur caſtos homines, quam alios quoslibet. 103
Dœmoniaci liberantur contactu herbæ Baar. 624
Dœmonum infeſtationibus ſæpe Ethnici ad Chriſti fidem tranſierunt. 69
Dœmones, vt illudant, ſæpe hominum ſe eſſe ſpiritus confingunt. 57
Dœmones hominibus illudere, ridere, nomina exprimere compertum. ibid.
Dœmones vexare homines, percutere & perimere compertum. ibid.
Dœmones hominum negotiis ſeſe miſcent, laborantque operariorum more. 597
Dœmonibus Inſulæ cultæ, & quamobrem. 475
Dœmones ſe mortuos eſſe aliquando confinxerunt. ibid.
Dæmones ſola ſancti viri præſentia Inſulas deſeruerunt. ibid.
Dœmones non valde moleſti ſunt iis, qui ſibi obſequuntur. 476
Dœmones innumeri circa nos verſantur ob delitias, vt fallant. ibid.
Dœmonum coitu quod naſcitur, verum ac viuum corpus & animal eſt. 70
Dœmones crucis ſigno fugantur, exorciſmis & præſentia ſanctorum virorum. ibid.
Dœmonum triginta millia Ethnicis fuere venerationi. ibid.
Dentati piſces aprum more. 362
Dentes aqua laci corroduntur. 521
Dentes piſcis longitudine 4. cubitorum. 344
Dentibus ſex puer natus. 116
Dentibus natus eſt M. Curio. ibid.
Dentibus natus eſt Papyrius Carbo. ibid.
Dentibus nata eſt Valeria. ibid.
Dentium vice os continuum Pruſiæ. ibid.
Dentium vice os continuum Pyrrho Regi. ibid.
Dentibus natus eſt Sicinius. ibid.
Dentes renati in ſenio Zancli. ibid.
Dentes Gigantum admirandi. 66
Dentes concidunt potu aquæ cuiusdam. 457
Dentes apri pondo 14 ſinguli. 282
Dentium ordo triplex Manticoræ. 263
Diabolus quam ex alto cecidit. 52
Dianæ templi deſcriptio. 340
Diaphonum proprie eſt vitrum. 594
Dicæon auis ſtercore homines interficit. 209
Dictio, in æternum, aliquando ſolam diuturnitatem ſignificat. 536
Didymus perpetuo cæcus, ſed mente oculatiſſimus Antonio agnitus. 114
Dies & noctes æſtate ferme luce pares in Aquilone. 48
Dies aliquando eadem anniuerſaria hominibus eſt inuenta felix euentibus. 153
Dies vbique pari menſura eſſe non poſſunt, & quæ ratio. 48

Dies partim algere, partim æſtu calere accidit in Tartaria. 16
Dies piſcis, diem tantum viuens. 364
Dies vna triginta ſex horarum. 3
Dies vna & nox vna annum integrum efficiunt in Aquilone. 49
Dies longiſſima eſt Decembri in Peruaco noui Orbis, tum quod æſtas ibi. ibid.
Dies & noctes regionum Aquilonarium variantur magnum in modum pro climatum ratione. ibid.
Dies horarum octodecim æſtate apud Ruthenos. 50
Dierum varietas ac noctium in Africa. 553
Dies ſemeſtri durantes. 48.552
Diluuia multa fuere. 23
Diluuio omnia animantia perempta præter piſces, quibus ſignificati ſunt fideles. ibid.
Diluuium Ogygis in Achaia, aliud Deucalionis etiam in Græcia. ibid.
Diluuium quomodo non inundauit terreſtrem Paradiſum. 534
ſub Dio expoſiti ſemper quidam vixerunt. 120
Diomedis auium hiſtoria. 208
Dionyſius Tyrannus picturas decoras in cubiculo habebat, vt ita pulchros gigneret filios mixtus vxori. 99
S. Dionyſius abſciſſum ſibi caput propriis detulit manibus. 71
Dionyſius ob raptum aurum naufragium paſſus. 604
Dipſas ſerpens venenum habet, quo læſus ſiti moritur. 315
Dictamum herbam à ceruo didicit homo. 621
Diuidua in Moſcouia torrens. 411. vide Flumen torrens.
Diuiſa membra reſtituuntur in piſce & animantibus. 300.353
Diuitum egeſtas maior, quam pauperum. 616
S. Dominicus Loricatus ingentibus ſe catenis obſtrinxerat. 607
Domus tota ex arundinibus ampliſſima. 733
Domorum tecta laminis aureis. 743
Domus tecta ex humo, ita vt agrorum more ibi ſemina iactentur. 744
Domorum tecta ex piſcium coriis. ibid.
Domorum tecta ex vnica teſta teſtudinis. 745
Domus è ſale conſtructæ. ibid.
Domorum vice ſunt plauſtra. ibid.
S. Donatus didicit miraculo vbi aurum lateret. 601
Dormientes quandoque multa agunt, velut vigilantes, & quæ ſit cauſa. 154
Dormiſſe quidam annos ſeptem, & alius 57. traduntur. 120
Doſſi vt flumina tranent, vide Flumina.
Draco boues glutit. 306
Draconis inteſtinum longum pedes centum viginti. ibid.
Dracones, quibus hiatus oris præparuus ſit. ibid.
Dracones Elephantum perimunt. 307
Dracones multi ſimul complexi maria tranant erectis capitibus. ibid.
Draco, qui exercitum Alexandri exterruit, ſeptuaginta cubita longus. ibid.
Dracones multi ampliſſimi. ibid.
Draco, quem occidit Attilius, corium habuit longum pedes centum viginti. ibid.
Dracones, qui nauem euerterunt. 305
Draco iugeri magnitudine. ibid.
Draco cuius hiatus hominem equitantem admittere poteſt. 306
Draco ad cubita 80. longus. ibid.
Draco ad cubita 140. longus. ibid.
Draconibus maiora animantia non ſunt, cum etiam per aerem volitent. ibid.
Dracones volant. 302
Dracones anſerinis pedibus. ibid.
Draco volans ignis eſt cœleſtis, & quare. 9
Draco fumans ignis eſt cœleſtis, & quare. ibid.
Drahomira, vide Catholicos, vide Hiatus.
Duodecim fratres Africani facti Martyres Chriſti. 136
Duodecim filios viuentes habuit Tancredus Apuliæ Rex. ibid.
Duodecim Patriarchæ inſigniter elucent iiſdem parentibus conuiuentes. ibid.
Dub lacertis perſimilis, numquam bibit, moritur vel modica aqua epota, igni admotus poſt triduum iam mortuus mouetur. 311

E.

EAle quadrupedis forma & hiſtoria. 264
Ebenus numquam accenditur, vritur tamen. 672
Ebore ſimulacrum Iouis inter miracula. 703

Ebur-

Eburneæ altarium Icones, & arcæ ingentes in æde Carthuſiæ Ticinenſis. 733
Eccleſia Miſnenſi diu noctuque perpetua Pſalmodia. 717
Eccleſias trecentas ædificauit Raymundus Barchinonenſis. ibid.
Eccleſiaſtica libertas, vide Libertas.
Ecceboliu ſæpe mutauit fidem aſſentatus Imperatoribus. 141.197.300
Echeneis.350. vide etiam Remora.
Echinus nautis tempeſtates indicat. 353
Echini teſta conſtructa & abiecta, ſi repetatur, iterum coaleſcit. ibid.
Echinus de futuris eſt doctior, quam Aſtrologi. ibidem.
Echinus, vide Erinaceus.
Ecla Islandiæ mons ingentia mittit tonitrua, ſaxa, ignemque. 510
Eclipſis Solis in Romuli morte natura accidit, non ita cum Chriſtus obiit. 7
Eclipſis tum Solis tum Lunæ naturæ miracula ſunt. ibid.
Echo vnde ſonitus mittat ſuos. 504
Edera cur vino venali ſuperponatur. 661
Edera vna die creſcens in arborem. 675
Ederæ ligno ſi vas fiat, & vino aqua mixto oppleatur, vinum ſponte effluet, aqua manebit. 660
Edera muros, quibus hæret, deſtruit, & arbores areſcere facit. 661
Edera quo myſterio in ſcripturis. 675
Edoardus Britannorum Rex vidit hoſtem longiſſime diſtantem, mari demerſum. 115
Elleborum aliquando cibus, aliquando medicamentum, aliquando venenum. 629
Eleemoſyna quo largior eſt, eo maiorem fructum reddit eroganti. 601
Elenus tranabat Nilum, vide Crocodilus.
Elephanti ignem metuunt. 679
Elephantino capite, vide Capite.
Elephanto mus atque ignis terrori eſt. 252. & ſeq.
Elephanto ob mures cuſtos adhibetur cattus. ibid.
Elephanti proxime accedunt ad humanos ſenſus. 247
Elephanti Lunam veluti venerantur. ibid.
Elephanti Regem excolunt, coronas porrigunt, excubias agunt. ibid.
Elephanti politicam moralem atque œconomicam norunt. 248
Elephanti ſtupri vindices. ibid.
Elephanti ſemel tota vita coeunt. ibid.
Elephanti contra fraudes ſunt iuſtitiæ cultores. ibid.
Elephas morigeratos homines diſcernit ab indiſciplinatis. ibid.
Elephas erga dominum gratiſſimus. ibid.
Elephas oberranti viam demonſtrauit. 249
Elephas ad iniuſtam hominum necem nulla ratione adduci potuit. ibid.
Elephanti orientem Solem velut venerantur. 247
Elephas arat, ſcribit, iacit lapides, pugnat, natat, currit, ſaltat, & alia multa ingenio agit. 249. 250
Elephas funambulus. 250
Elephas turrim munitam cum quadraginta militibus humeris fert. ibid.
Elephas altus pedes quindecim. 251
Elephas viuit annos 200. ibid.
Elephantis forma & hiſtoria. 247. & ſeq. trib.
Elephanti lingua, dentes, aures, pedes, monſtroſa omnia. 251. & ſeq.
Elephas verba intelligit. 249
Eliæ currus ardebat, vide Currus.
Elias pallio percutiens flumen ſecurus & diuiſit, & pertranſiit. 407
Eliſeus herbas noxias reddidit ſalutares. 622
Eliſeus fontes amaros reddidit potabiles & plantis ac mulieribus prægnantibus. 444
Eliſei ſecuris ſupernatauit. 416
Eliſei ſecuris humanum genus ſignificauit eruendum ab inferis. ibid.
Enoch eſt in Paradiſo terreſtri. 534
Enſis piſcis. 338
Ephemera volucris inter inſecta mane oritur, veſpere moritur. 182
Ephemera inſecta intra vini dolia viuentia, in luce moriuntur. ibid.
Ephemera arbor. 675
Ephemerus piſcis 3. horas viuit. 364
Ephemerus Principatus, vide Principatus.
Epiphanius fontem manare iuſſit. 446
Epiſcopus ſemper ad ſe accedentibus diu noctuque paratus. 120

Epiſcopi eſt peccatorum miſereri, & induere illorum perſonas. 145

Epiſcopus à Gallinaceis vocalitatem & vigilantiam perdiſcit. 209.& ſeq.

Epiſcoporum contemptores & ſeruorum Dei, miraculo mulctati. 505

Epitaphium ridiculum hominis, quem ſpes diuitiarum Romam traxit. 778

Epitaphium Neapolitani ciuis à plebe occiſi. 780

Equæ vento concipientes. 282

Equi paruo potu continuo curſu expediunt 150. mill.paſſ. 282.& ſeq.

Equus Probi 150. mill. paſſ. vna die ac nocte percurrebat. 283

Equus Cæſaris humanis pedibus. ibid.

Equi diu ac noctu numquam quieſcentes perpetuo curſu. ibid.

Equi Elephantorum magnitudine. ibid.

Equos cornutos reperiri fabuloſum. ibid.

Equus ſenis pedibus. ibid.

Equus humano capite. ibid.

Equi hermaphroditi. ibid.

Equarum lac alicubi nigrum eſt. ibid.

Equi Perſidis ferreis ſoleis non egent in pedibus. ibid.

Equi omnium minimi & dociles. ibid.

Equi Sybaritarum ad choreas tantummodo idonei, deuicti à Crotoniatis. 284

Equorum erga dominum fides. ibid.

Equus Alexandri Bucephalus pretio admirandus. ibid.

Equi dominos etiam defunctos tutati. ibid.

Equina facie omnibus quidam viſus, non tamen Machario ſancto. 72

Equina facie gens. ibid.

Equi gaudent proprio ſanguine refocillare dominos. 284

Equus piſcis vno pede nauigia euertit, eſtque illi cutis cubitum craſſa. 336

Equus piſcis parentes ſuos vorat. ibid.

Equæ Auſtro flante redduntur prægnantes. 532

Equi adamantes dominos non ſine ſuſpicione luxuria. 284

Equæ pullus ob Zelotypiam cuſtodem interemit. ibid.

Equus cum matre inceſtum abhorret. ibid.

Equi in rabiem vertuntur potu cuiuſdam aquæ. ibid.

Equi piſcibus paſcuntur perinde ac fœno. 285

Equi ſuos Reges habent. ibid.

Equus ſenior iuniores luxurioſos dentibus caſtraſſe fertur. ibid.

Equus vnus exultare viſus toti exercitui perniciem tulit. ibid.

Equus Clodouei Regis paruo ſe pretio permutari dedignatus eſt. 286

Equus domini ſui votum ipſe impleuit. ibid.

Equus Ioannis I. Papæ omnes prorſus poſtea dedignatus eſt. ibid.

Equi indomiti Sanctorum iuſſis acquieuere. ibid.

Equos alere Clericis indecorum. 287

Equos Archiepiſcopus plus iuſto excolens in illis peremptus eſt. ibid.

Equis vtitur Deus ad vlciſcenda Clericorum vitia. 286

Equus Seianus infauſtus. 287

Equorum pili in ſtagnanti aqua ſerpentes fiunt. ibid.

Equus pictus hinniuit ſæpe. ibid.

Equorum 200. millia diſpoſita in hoſpitiis ad itinerantium vſum in India. 721

Equus piſcis graditur auerſus, vt veſtigia fallat. 336

Equi domitor Baſilius, poſtea Conſtantinopolitanus Imperator. 147

Equino capite, vide Capite.

Erinaceus pomis ſe onerat. 288

Hermaphroditi monſtra ſunt, & myſterio in Eccleſia Dei habentur. 557

Hermaphroditi populi an ita ſint natura. ibid.

Hermaphroditi ſignificant Hæreticos. ibid. reliqua vide Hermaphroditus.

Euangelicus codex ex papyro vri igne non potuit. 636.& ſeq.

Euchariſtia cæco attulit viſum. 642

Euchariſtia ſola pro cibo corporali vſi memorantur multi. 119

Euchariſtiam non conſecratam puella glutire nequiuit, conſecratam vero mox glutiit. 118

Euchariſtia ſumpta quidam ſuſpenſus mori non potuit, ſed ſeruatus eſt. 135

Euchariſtia ſola annos quindecim quidam Eremita ſuſtentatus eſt. 119

Eucha-

Euchariſtia ſola ſubſtentata eſt diutiſſime S. Catharina Senenſis. ibid.
Euchariſtiæ mulus genua flexit. 280
Euchariſtiæ contemptu tota Phriſia demerſa eſt, peremptis centum hominum millibus. 641
Euchariſtia à Iudæis petita vulneribus effudit ſanguinem. ibid.
Euchariſtiam ſartagine adniſus quidam aſſare, fruſtra laborauit. 642
Euchariſtia gladio perfoſſa ſanguinem fudit in Polonia. 643
Euchariſtia fit per transſubſtantiationem. 639
Euchariſtia poſt conſecrationem deſinit eſſe panis & vinum. 640
Euchariſtiæ vis immenſa. ibid.
Euchariſtia retinet odorem, ſaporem, & huiusmodi frumenti ac vini. ibid.
in Euchariſtia accidentia ſine ſubiecto exiſtunt. 639
Euchariſtia continet corpus, ſanguinem, animam, & diuinitatem Chriſti. ibid.
in Euchariſtia viſus Chriſtus infantis ſpecie. 640
in Euchariſtia viſa eſt vera caro incredulæ mulieri. ibid.
ex Euchariſtia ſanguis profluxit. ibid.
in Euchariſtia apparuit Chriſtus Eduardo Regi pueri forma. ibid.
in Euchariſtia apparuit Chriſtus mulieri pueri forma. ibid.
in Euchariſtia caro euidenter multis locis viſa ob hæreticorum perfidiam. ibid.
Euchariſtia etiam pro corporali alimento in multum tempus multis fuit. 641
Euchariſtia ſumpta, ſuſpendio liber quidam fuit, rupto fune. ibid.
Euchariſtiæ miracula frequentiora ſub ſpecie panis, quam vini. 661
Euchariſtia ſub ſpecie vini confracto calice ſeruata eſt. 662
Euchariſtia in feruentem ollam iniecta reſiliit ſiccior. 700
Euchariſtiæ habita irreuerentia Phriſiam inundauit. 380
Euchariſtiæ contemptores plurimi in flumen demerſi. 641
Euphratis fluminis hiſtoria. 399
Euphrates è Paradiſo oritur. 393
Euripi maris æſtus. 377
Europam efficere Inſulam Reges aliquando cogitarunt. 490
Europæ belluæ firmiores. 546
Euſtachius à venatione incidit in ſuæ ſalutis occaſionem. 647
Excommunicati Regis forma in porcinam verſa cum tota familia. 72
Excommunicati Regis proles anſerino capite nata. ibid.
Excommunicatio quandoque cauſa eſt, quod monſtra naſcantur. ibid.
Expoſitus morti fuit Henricus III. & tamen fuit Imperator. 648
Exercitum 48. mill protriuerunt tria tantum millia. 714
Exercitum 76. mill. profligauere quinque tantum millia. ibid.
Exercitus peditum Sinarum Regis conſcriptus ad milliones quinq;, equitum millionem vnum. ibid.
Exercitum hoſpitia ſingula quotidie capere poſſunt. 721
Exercitus Xerxis millies mille militum fuit. 755
Exercitus numeroſi. 712. & ſeq.
Exercitus ſexcentorum millium militum. 712
Exercitus ſeptingentorum millium militum. 713
Exercitum ſexcentorum millium militum profligarunt ſoli 600. milites. ibid.
Exercitus decies centena mill. militum. 714
Exercitus 600. millium peditum, 400. mill. equitum. ibid.
Exercitus Sibaritarum modulatione à Crotoniatis deuictus. 713
Exercitus barbarorum cæſi à Rom. quandoque 300. quandoque 500. mill. ibid.
Exercitus 600. millium profligatus à 10. millibus. ibid.
Exercitus nongentorum ſeptuaginta quinque millium. 714
Exercitum duorum millium equitum profligarunt 30. equites Galli. 724
Exercitum 92. millium quingenti equites profligarunt. ibid.
Exercitus quingentorum & octoginta millium totus peremptus. ibid.

Faba-

F.

Fabarum foliis paropſides, catini, & huiusmodi vaſa fiunt. 644
Faba Alexandrina præbet vmbraculum, obſonium, vaſaque conuiuis. ibid.
Faba durauit annos circiter centum viginti. 644
Fabarum ſiliquæ perimunt arbores recenter plantatas. ibid.
Fabarum ſiliquæ & gallinas, & mulieres reddunt ſteriles. ibid.
Fabæ ſurgunt in arbores. ibid.
Faſianus latente capite putat ſe totum latere. 265
Fagi arbores tranſeunt in Magnetem cum vi ferrum attrahendi. 678
Famenti Britanniæ miraculo ſuccurrit Deus ex Alexandria. 127
Faſcinatio ſolo viſu fit. 99
Febrim immittit piſcis capienti. 329
Febris inuadit, vbi quidam piſcis manducatur. 352
Febrem immittit piſcis tactus. 329.352
Fœcundantur agri benedictione Sanctorum. 324
Fel eſt in cauda ceruis. 274
S. Felix apparuit ſubſidio Nolanis aduerſus Barbaros. 57
S. Felix Nolanus, vide Aranearum tela.
Fele ſua mordente digitum quiſpiam mortuus eſt. 778
Fœminei ſexus animalia omnia moriuntur in quadam æde. 484.533
Fœniculus herba ad duodecim cubita creuit. 644
ex Fœno ſandalia Epiſcopi. 773
Fœnum ſunt humani populi. 631
Fœnum falce abſciſſum quinta die recreſcit ad cubiti altitudinem. 476.& ſeq.
Ferrariæ nauigandi nouum & induſtrium genus. 754
Ferrum continet ignem. 606
Ferri lanugo quædam, quæ numquam poteſt igne aduri. ibid.
Ferrum, quod in originis loco excoqui non poteſt, translatum facile excoquitur. 486.607
Ferrum tametſi imis foſſis defodiatur, rurſum tamen creſcit in ſummum. 607
Ferrum in Apennino velut quidpiam liquidum fluit. ibid.
Ferrum ob blaſphemum artificem deſiit fluere. ibid.
Ferrum apud Indos carius auro. 610
Ferri libræ 14. permutatæ 250. libris auri. ibid.
Ferrum Romanis aurum parturiebat. 599
Ferrum in cuprum vertitur aquis. 457
Ferrum maiore vi abrumpitur oratione, quam lima. 608
Ferrum Sanctorum quandoque nulla lima minui poteſt. ibid.
Ferrum filo ſecari poteſt. 609
Ferreum ſimulacrum Dinocrates à Magnete aere ſuſpenſum confinxit. ibid.
Ferreum ſimulacrum Alexandriæ in aere à Magnete ſuſpenſum tenebatur. ibid.
Ferrum aquis ſupernatare fecere Eliſeus & S. Maurus. ibid.
Ferri ingentia pondera perpetuo viri ſancti tulerunt diu ac noctu. 607.608
Ferrum omne domatur à pia hominis mente, fide ac ſanctitate. 608
Ferrum ſuperarunt Catharina & Chriſtina virgines. ibid.
Ferri aciem ſuperauit Vercellenſis mulier ſepties icta. ibid.
Ferro quia Apoſtoli à Romanis vincti ſunt, ferrea Romanorum vis dilapſa eſt. 610
Ferrum Sancti Dei reddidere flexibile, aut aliter vt oportuit. 607
Ferri vincula ſponte ſoluta in S. Dominico Loricato. ibid.
Ferrei bombardarum globi iactati in Meliten Inſulam numerati ad 78. millia. 725
Ferri libras 250. perpetuo ferebat Euſebius Monachus. 124.609
Ferro munita nauigia ſiſtuntur montibus magneticis. 610
Feruidis aquis flumina, vide Flumen.
Ferula fit arbor. 477.669.674
Ferulæ accenduntur in Apulia funiculi attractione & retractione. 668.669
Feſti diei contemptus igne etiam in ipſis aquis vindicatus. 406.693
Feſti diei violatio igni vindicata. ibid.
Ficus in ſaxo arenti virebat, fructumque reddebat. 676
Ficus nulla in Laura Sabbæ ob Solis ſiccitatem cœlique feruorem. ibid.

Ficus arbor quo myſterio ſit in ſcripturis. 653.654
Ficus fructus bona opera ſignificat. ibid.
Ficus ſingulæ ferunt modios 270. 544
Ficus caudicem habens 60.paſſ.ramoſitatem autem ad duo ſtadia. 652
Ficus folia habens lata cubitum vnum. ibid.
Ficus vnius ſub vmbra manet turma equitum, & ad bina ſtadia. 653
Ficus fructus pedali magnitudine. ibid.
Ficus Chriſti iuſſu aruit. 675
Ficus fuit arbor ſcientiæ boni & mali. 535
Ficus toto anno leguntur,& menſis recentes apponuntur. 548
Ficus fructum reddentes recentem per omnem annum quolibet tempore. 653
Ficus fructus non ex ramis, ſed ex caudice extuberans,ſepties quotannis. ibid.
Fides efficit,quæ nulla ars naturave poteſt. 108
Fides omnium rerum caput. 295
Fides naturam ſuperat. 108
Filios proprios ſine cauſa furens occidit quidam Germanus. 151
Filios trecentos viginti quinque habuit Rex Ziambæ. 137
Filios ſeptemdecim à iuſta vxore habuit Priamus, aliunde habuit quinquaginta. ibid.
Filios 600.Rex Indus habet. ibid.
Fiſtulis aqua ducitur,quo velis. 421
Fabiæ herbæ ſuccum ad amorem proficere ſuperſtitioſum eſt. 630
Flagra ſæpe venenata aut certe veneno vim augent. 645
Flamma ex aqua vitis non vrit, cum tamen ardere videatur. 660
Flegma eorum,qui parum bibunt,eſt tenacius. 290
Flumina exſiccata. 407
Fluminum Paradiſi origo omnibus incognita. 394
Fluminis alueo omnium rerum formæ lapideæ viſuntur. 413
Fluminis vi columnæ ſaxeæ eximiæ conficiuntur. 414
Flumine bibens pecus redditur nigrum, ex alio album. ibid.
Fluminibus duobus bibens pecus fit colore varium. ibid.& 415
Fluminis Indi amplitudo. 410
Flumen torrens Diuidna tota die nauigio traiici non poteſt. 411
Flumina,quæ æſtate fluunt,hyeme ſiccantur. 412
Flumen quod meridie fluit quotidie ſalſam & feruidam. ibid.
Flumina feruentes aquas continentia. ibid.
Flumen patentiſſimum continens aquas ſalſas.ibid.
Flumen feruidas continens & nitroſas aquas. 413
Flumen,quod ob feruorem tranari non poteſt. ibid.
Flumina plurima, quæ iniecta reddant lapidea, recenſentur. 408.& ſeq.
Flumen latum 68.paſſ.mill. 410
Flumen latum 90.paſſ.mill. ibid.
Flumen quod videtur eſſe mons,vide Tanais.
Flumina Ægypti verſa in ſanguinem præ ira Dei. 418
Flumen, quo fluunt aureæ glebæ,quantum gallinaceum ouum. ibid.
Flumen quo bibentes feræ in rabiem vertuntur. 416
Flumina duo, ex quibus ſi ſimul quis biberit, cogitur vtrumque euomere. ibid.
Flumen Lethe obliuionem affert,vide Lethe.
Flumina etiam prona loca deſerunt, vt aſcendant in obſequium Sanctorum. 407
Flumina duo coeuntia in abditum locum perpetuo occultata ſunt. ibid.
Flumen idem diuiſum ſtetit, vt pars ſuperior non fluat,anterior fluat. ibid.
Flumen Viſtula Moſcouiæ 30. Martii quadrigas in gelu admiſit. 550
Flumina peragrarunt multi Sancti abſque nauigiis. 751
Flumen Iordanis orante Abbate diuiſum poſtea in idem rediit. 407
Flumen iubente Archiepiſcopo diuiſum, vt tranſiri poſſet,poſtea in ſe rediit. 408
Flumina quandoque ignis fomentum ſunt, diuina ira ſcelera puniente. 406.407
Flumen ingens,quod totum niue contegitur. 411
Flumina duo, quæ ſimul in vnum coeunt, & è ripis homines ſe ſpectare non poſſunt. ibid.
Flumina ſe præbent Sanctis velut ſolum permeabilia. 409
Flumen currum permeantem velut nauigium admiſit ob ſacras reliquias. 410

Flumen modo ſalſum, modo dulce pro ratione ventorum. 405
Flumen cuius aquas ſerpentes refugiunt, non enim admittit venenoſa. 415
Fluminibus ſupernatant grauia ob formam, ſicut ærea vaſa concaua. ibid.
Fluminis Stygis aquæ venenoſæ, vide Stygis.
Flumen quo omnia etiam leuiſſima & nauigia demerguntur. 415
Flumina, quibus bibentes aut ebrii fiunt, aut ebriorum more titubantes. 418
Flumen, quo qui lauantur, velut oleo peruncti videntur. ibid.
Flumen quod congelatum ſaxi modo tranſeuntibus viam præbet. ibid.
Flumina duo ſimul fluunt, nunquam tamen miſcentur, alterum peſtiferum, alterum ſalubre. 404
Flumina, quæ conduntur, poſtea redduntur, plurima recenſentur. 403
Flumen emergens tanto ſpiritu, vt in illum haſta ſi mittatur, reiiciatur. ibid.
Flumen, quod tantummodo oſtenditur, poſtea conditur nunquam vlterius viſum. ibid.
Flumen quod ſubterfluit maritimis aquis. 404
Flumen Alphæus ſubterfluit maritimis aquis nihil remittens de ſua dulcedine. ibid.
Flumina quæ aquis, per quas meant, non miſcentur. ibid.
Flumina ſæpe maris littora immutant. ibid.
Flumen ſinuoſum, quod ſæpe credatur reuerti. 417
Flumina maiora ſub terra, quam ſupra terrã. 402
Flumen quod neſcias vtram in partem fluat. 417
Flumen quod ipſo initio ſeptem lacus efficit, Græcam gentem ſignificat. ibid.
Flumina tranat quadrupes lignum pedibus tenens, cauda velificante. 219
Flumina in mare ruunt, ſub quibus exercitus permeare poteſt. 417
Flumen dulcis aquæ, cuius ripæ & fundum ex Sole ſunt. 404
Flumen fluit feruidas aquas, cum ſit magnum ac nauigabile. 405
Flumina non excedant terminos à Sanctis præfixos. 408
Flumine Boryſthene piſces nigri, vide Boryſthenes.
Flumen cuius fragor exauditur à vigeſimo milliario 56. ſurdi fiunt homines. 499
Flumen fluens ſanguinem. 413
Flumina quo omnia demerguntur, etiam leuia. 415
Flumen quod patet 10. paſſ. mill. alluens 200. vrbes, diebus centum enauigari non poteſt. 410
Flumen cuius vno portu numerata ſunt quinque millia ingentium nauium. ibid.
Flumen, cuius ſuperficies frigida, imum continet feruidam. 406
Flumen Siciliæ Herbeſus in medio ſubita æſtuatione feruet. ibid.
Flumen cuius lapides ardent, aqua accenduntur, agitatione extinguuntur. ibid.
Flumine demerſus, vide Puer.
Fluuius Maragnonius dulces aquas ſeruat in mari ad 200. paſſ. mill. 410
Fluuii perennes congelati Copronymo Imperatore. 39. 337
Fluuii latiſſime patentes multi. 410
Fluuii diuiduntur viris ſanctis. 747
Fluuius arſit igni. 693
Fodinis ſeſe Dæmones miſcent. 597
Fodinarum auctor primus. ibid.
Folia arborum perſimilia gladiis, longa palmos tres, lata digitos tres. 677
Folia Platani tres pedes lata. 653
Folia plantarum ſex cubita longa, & fere totidem larga, plicabilia, apta ſcripturæ, tegumentum quoque præbetur. ibid.
Folia adeo lata, vt cuique pro tegumento pluuiis ſint. ibid.
Folia lata quaqua verſus cubitum vnum. ibid.
Folia arborum lata, ac ſine fructu, verboſos ſignificant, nil boni agentes. 654
Folia palmæ longitudine creſcunt, at nunquam latitudine. 664
Folia palmæ ſemper virent, nunquam excidunt. ibid.
Folia oliuæ brumæ ſolſtitio conuertuntur. 654
Folia etiam arida merguntur in lacu. 428
Folia ficulnea ſignificant peccata. 654
Fontes Padi quotidie exſiccantur. 460
Fontes, qui æſtiuo ſolſtitio exundant noctu, die exſiccantur. ibid.
Fons quater in anno colorem mutat. 461

Fons cuius aqua admoto igne turbida fit, poſtea rubeſcit. ibid.
Fons calidus flumini frigidiſſimo proximus. 458
Fontes potabiles medio mari exurgunt. ibid. & ex alto ſcopulo. 525
Fons calidus in ora laci Aſphaltidis. 458
Fons qui nec augetur additis, nec minuitur hauſtis aquis. ibid.
Fons perennis in lacum fluit, & eius aquis ille neque augetur vnquam, neque effluit. ibid.
Fontes duo, quorum alter obliuionem, alter memoriam adauget. 451
Fons cuius aqua dentes conteruntur. ibid.
Fontes qui æſtate largiter fluunt, hyeme inareſcunt, & quæ ratio. 443
Fons in Salomonis templo hyeme exiguus, æſtate copioſiſſimus. ibid.
Fons frigidis aquis ignem euaporans, adeo vt veſtes exurat. 455
Fons frigidus ſimul emittens flammas. ibid.
Fontes frigidi æſtuantes magnum in modum, ſalientesque. ibid.
Fontes calidi æſtuantes, ſalientesque pedes 10. iniectum animal excoquentes. ibid.
Fontes qui accenſos extinguunt faſces, accendunt extinctos. ibid.
Fontes qui eadem die manant calidi, & per vices frigidi. 456
Fons qui permouetur æſtuans ſolo tactu. ibid.
Fons media nocte feruens, die frigidus eſt. ibid.
Fons meridie feruens, nocte frigens. ibid.
Fons bis die feruens. ibid.
Fons feruens medio è flumine manans. 457
Fontes quorum aqua alluunt ſaxa, quæ vt plantæ ſolent excreſcere. 463
Fons in Sardinia, qui medetur veneno aranearum. 451
Fons quo fures aut periuri deteguntur. ibid.
Fons quo per Chriſti virtutem omnes morbi ſanantur. 453
Fontes duo, vnus peſtifer, alter ita affectis remedium eſt. 450
Fons vberrimus apud Boianum terræ motu exortus. 448
Fontes bituminis. 459
Fontes picis. 460
Fontes adeo frequentes, vt baculo defixo mox nouus fons erumpat, & quid ſignificent. 466
Fons qui numquam ex eodem loco manat. ibid.
Fons cuius ſolo afflatu omnes necantur. 450
Fons quo aues guſtantes moriuntur. ibid.
Fontes ob frigiditatem noxii. 454
Fons frigidiſſimus ſuper omnes. ibid.
Fontes calidi proximi frigidis. 455
Fons frigidus è feruenti monte. ibid.
Fons qui, ſi ibi inſonent inſtrumenta muſica, intumeſcit velut exultans. 461
Fons qui turbatur, dum quis loquitur, aut retrocedit ad illum, quieſcit ſi taceat. ibid.
Fontes pecorum mutant vellera, & canitiem hominis. 452
Fontes mortiferi multi recenſentur. 450
Fons qui ſua vi omnia reſpuat. 463
Fons ipſa origine ampliſſimus. ibid.
Fons apud Camerinum maximus. 464
Fons vnus, è quo duo manant ingentes fluuii. ibid.
Fontes olei perpetui. 460
Fons terræ motu ortus circa Baſileam. 448
Fons ſcaturiit noctu efficiens lacum 200. mill. paſſ. demerſis multis vrbibus. ibid.
Fons manauit euulſa radicitus arbore. ibid.
Fons ſoli homini potabilis. 450
Fons qui numquam manat, niſi cum annonæ penuria propediem futura eſt. 466
Fons ſaliens ad decem pedes, & quid illud prænuntiet. ibid.
Fons ex arbore in Fortunatis Inſulis exoritur. 467
Fontes multi, qui oratione Sanctorum manarunt. 444
Fontes, qui ad tempus oratione Sanctorum exſiccati ſunt, ac poſtea rurſum redditi. 445
Fontes, qui ſponte emerſerunt. ibid.
Fontes ob diuturnam ſiccitatem exſiccati. 24
Fontes quos emerſuros Sancti Dei prædixerunt. 445
Fons qui dierum augmenta ſequitur, vt fluat largius, tum dies longiores fiunt. 443
Fontes, qui ſereno cœlo modice fluunt, nubilo largius. ibid.
Fons qui ſingulis horis deficit, & rurſum augetur, & quæ ſit ratio. ibid.

Fontes qui altiſsime ſaliunt oppleti aquis, & mox inanes apparent vſque ad imum. 444
Fontes qui creſcunt defectu Lunæ, deficiunt augmento, quæ ratio. ibid.
Fontes qui Auſtro flante ſalſiores ſunt, quam Aquilone. ibid.
Fontes amaros & inſalubres viri Dei reddidere potabiles. ibid.
Fontes qui pari aquæ ſuperficie ſunt ſemper cum mari. 441
Fontium quinque millia in Luſitania. 466
Fontes duo, alter omnia reſpuit, alter omnia abſorbet. 465
Fons in loco Nycenæ Synodi manans. 446
Fons quo admota aure auditur à multis paſſ. millibus viator quiſque. 459
Fons tanto feruore aquas mittit, vt ſi vino miſceantur, triduo perſeuerent calidæ. 457
Fons manans latitudine dimidii ſtadii. 464
Fons omnibus ſolo viſu terrori eſt. 457
Fons qui non fluit, cum quis ſpectare ipſum velit. 459
Fons cuius aquæ perinde ac vinum inebriant. 451
Fons cuius aquæ cerealis poculi proprietatem imitantur. ibid.
Fons maximus, iuxta quem degebat Petrarcha. 464
Fons apud Boianum inſignis. 448
Fons quo omnia contuſa conſciſſaq; coaleſcunt. 453
Fontes ſanguinem natura emittere non poſſunt, ſed cum id accidit, prodigioſum eſt. 459
Fontes ſponte inaruerunt, & ſponte alii emerſerunt ob terræ motum. 448
Fons olei fluxit nato Chriſto. 446
Fontes oratione Sanctorum manarunt. 445. & 446
Fontes è ſaxo eduxit Moyſes. 443
Fons ad Gades, qui minuitur, cum maritimi fluctus augentur. 441
Fons contra Solfugæ venenum. 453
Formicæ Remp. adminiſtrant cum Democratia, ſeu Ariſtocratia. 169
Formica ſolertiſsima Oeconomiam exercet prouidens tempori. ibid.
Formicæ Malcum Monachum docuerunt monachatum ſeruare. ibid.
Formicarum ædificia vrbana, vias, horas, compita, horrea, prolem, vidit auctor. 170
Formicarum corporis compago inſcrutabilis. 171
Formicarum generationes variæ. ibid.
Formicarum habitacula arte tanta fiunt, vt putes etiam Aſtrologiam eas noſſe. 170. cum duabus ſequentibus.
Formicam quomodo vrſus exedat. 173
Formicarum quædam ignauæ, quædam prædones ſunt. ibid.
Formicæ in Aquilone Vrſos eiiciunt, quandoque etiam interimunt. ibid.
Formicæ alatæ. ibid.
Formicæ quanti ſunt canes, quin etiam cornutæ. ibid.
Formicæ auri cuſtodes. 174
Formicæ in Orbe nouo frugibus pernitioſiſsimæ. ibid.
Formicæ in ſenio emittunt alas, euolant, velut Reipub. onere exemptæ. ibid.
Formica præferenda cuilibet pulcherrimæ vrbi. ibid.
Formicoleon formicarum prædo eſt, & viarum obſeſſor. 173
Formicoleon hæreticis comparandus. ibid.
Fornicatio valde deteſtanda eſt. 101
Fortitudo Erici Daniæ Regis admiranda. 126
Fortitudo, qua equum quis tollebat in humeros, atque alia ingentia onera, ferrea ac plumbea. 124. 126
Fortiſsimi Aquilonares natura ſunt, qui equum aut bouem humeris ferant. 124
Fortitudine ſua Vbertus iumentum frumento onuſtum ferebat. ibid.
Fortitudo Starcater, qua ipſe vnus nouem athletas occidit. ibid.
Fortitudo ad ferenda onera, etiam imbecillis viris à Deo datur. ibid.
Fortitudo mira Tritanni gladiatoris. ibid.
Fortitudo admiranda viri cuiuſdam Turcicæ ſectæ. 125
Fortuna ſecunda aduerſa affert omnia. 506
Fortunæ ludibrium fuere multi. 774
Fortunatæ Inſulæ admirandæ. 478
Fortunatis Inſulis refertur ſexageſimus fructus. 477

Forum Valliadolith Hiſpaniæ continet portas 330. feneſtrarum tria millia. 734

Foſſa ab Oſtia Puteolos vſque perducta commodæ nauigiationis cauſa. 723

Foſſa à Terracina Romam vſque. ibid.

Foſſæ occluſæ lethalem ſpiritum exhalant. 502

Foſſa tota è ſaxo excauata alta 60. pedes, 250. lata. 738

Fragorem, ac velut caſum arborum auis quædam repercuſſu alarum facit. 208

S. Franciſci inuocatio ſalutaris. 449

Franciſcus Philelphus, vide Philelphus.

Fraticellorum ſecta damnata, cum paſſim miſcerentur. 101

Fraxinus floret antequam ſerpentes prodeant, nec folia dimittit, niſi poſtquam illi ſe condiderint. 666

Fraxinus ſemper virens iuxta fontem ignem mittentem. ibid.

Fraxinus ſemper viret iuxta petram, vnde flamma erumpit. 561

Fraxinus vmbra ſua fugat ſerpentes. 666

Frigus geluque contemnunt Scritofinni, domorum tecta non quærentes. 126

Frigus Aquilonare admirandum. 39.549

Frigore ignis virtus reprimitur adeo, vt nil vrat, nec coquat. 38

Frigus tantum eſt in Moſcouia, vt aqua deiecta è ſpeculis prius congeletur, quam terram attingat. 38.386

Fructus tertio redduntur quotannis apud Seres. 547

Fruges ter ſeruntur quotannis Orbe nouo. ibid.

Fruges de cœlo tactæ & abſumptæ, renatæ tamen ſunt fœcundiſſimæ. 639

Frumenti incredibilis feracitas ad vſque plura millia ex vno grano. 638

Frumentum ſatum Februario exitu Martii meti poteſt. ibid.

Frumentum bis anno ſatum, bis metunt. 638

Frumentum abſque aratro iactum in terram maturum fit. ibid.

Frumentum ampliſſimum & bis metitur, & ſemper naſcitur etiam non ſatum. 549

Frumentum ſatum initio Februarii, Martii 30. die collectum eſt. 477

Frumenti ariſtæ ad humani brachii longitudinem amplitudinemque auctæ. ibid.

Frumentum ſi condatur cum ſua ariſta, durat annis quinquaginta. 639

Frumenti mina valuit talentum in obſidione Hieroſolymitana. ibid.

Frumentum ſeruatum annis centum. 549

Frumenti ſingulæ ariſtæ duo granorum millia continebant. 477

Frumentum cadens à culmo ſumma feracitate renaſcitur in Hircania. 542

Frumento ſignificatur vera fides. 630

Frumentum ſatum trigeſima Iunii, Auguſti dimidio metitur apud Veſtrogotes. 549.550

Frumentum Africanum ad quinque cubita adoleſcit. 549

Frumenti calamus humano digito non minor. 639

Frumentum in Africa reddit quadringenteſimum fructum, & bis in anno. 549

Frumentum poſt prima ſata vlterius non ſeritur, cum ſponte renaſcatur in Africa. 549

Frumenti granum vnicum 340. ſtipulas continuit. 549

Fuca piſcis hyeme & vere variat colores, ſola nidum conſtruit, in eoque parit. 362

Fucinus lacus mire inconſtans ſæpe augetur in immenſum, ſæpe totus exſiccatur. 439

Fucos velut ignauos operoſæ apes è Rep. eiiciunt. 165

Fulgura ſua ſola coruſcatione exanimant homines. 16

Fulgura etiam mixtis niuibus cadunt. ibid.

Fulgura & tonitrua arte confecit Arthemiſius Philoſophus. 45

Fulgurum ignis ſolida vrit, leuia non vrit. 684

Fulgura etiam artificio faciebat Amulius. 18.759

Fulmen eſt ventus accenſus, & multiplex eſt. 13

Fulmine etiam igniti lapides mittuntur. ibid.

Fulmina ſæpe ab irato numine in malos mittuntur. 17.18

Fulmine quidam tactus omnium membrorum officia perdidit, factus cæcus, ſurdus ac mutus. 20

à Fulminibus omen aliquod trahere, eſt ſuperſtitioſum. ibid.

Fulmina quædam Principum mortes præuenere. ibid.

Fulmine illatum vulnus redditur frigidiſſimum. 21

Fulmen non lædere Laurum aut Aquilam, ſuperſtitioſum. ibid.
Fulmina quibusdam locis numquam cadunt. ibid.
Fulmen hominis inteſtina abſumit, extrinſecis partibus illæſis. 15
Fulmen rete intra aquam abſumit, partem, quæ extra aquam ſupereſt, non lædit. ibid.
Fulmine marmoreæ formantur columnæ ac pyramides. 16
Fulmine Volſinium oppidum abſumptum eſt. ibid.
Fulmen hæreticum hominem exuſſit. 18
Fulmina peremerunt aduerſarios S. Malachiæ. ibidem.
Fulmen Martinum Lutherum aliquando percuſſit. 19
Fulmina arte confecit Amulius. 18
Fulminis miri effectus. 14.15
Fulmen hominem exuſſit, illæſa veſte. 13.14.15
Fulmen dolium inaniens, vaſe intacto. 13
Fulmen partum enecat matre illæſa. ibid.
Fulmine cœlo ſereno tactus eſt M. Herennius decurio, & alii multi. ibid.
Fulmine fracto dolio vinum ſtat, & venenatorum animalium virus conſumit. 14
Fulmine icta filia Lucii Elii, ſine ſciſſura omnibus veſtimentis ademptis, perempta eſt. 15
Fulmen rarioribus parcit, ſolidiora conſumit. 13.14.15
Fumus ex igne nihil eſt. 700
Fumus ſunt omnia humana conſilia. ibid.
Funambulus, qui mirum in modum ſecurus funem permeabat. 128
Fungi in mari rubro naſcuntur, qui poſtea transeunt in pumicem. 369
Fungi etiam in mari naſcuntur, qui poſtea à Sole tacti dureſcunt in lapidem. 649
Fures aquis deteguntur. 451
Fur loco egredi, nec ingredi valuit. 295

G.

GAdes & vltra ne quis adnauigaret, vetuerunt Carthaginenſes. 473
Galata piſcis fœtus ſuos è ventre extrahit, explorans an ſint maturi. 364
Galenus in ſomnis medicamentum didicit, quod ignorauit vigilans. 61
Gallinæ, quibus pili pro pennis ſunt. 198
Gallinarum pulli abſque incubatione excluduntur. ibid.
Gallina ipſa die, qua ouum emiſit, ſerpentum venenum ſua carne vincit. 210
Gallinæ fœminæ aliquando factæ mares. 88
Gallinaceus & Baſiliſco, & Leoni horribilis. 210
Gallinacei muti in Macedonia. ibid.
à Gallinaceo fugit Baſiliſcus. ibid.
Gallorum Regibus cur ceruus pro inſigni. 273
Ganges è Paradiſo oritur. 394
Gangis fluuii amplitudo. 397
Gangis accolæ ſolo odore viuunt. 398
Gangis anguillæ tricenum pedum. ibid.
Gangis vermes cœrulei ampliſſimi. ibid.
Gargani montis ſpecus, ac templum, eiusque origo & hiſtoria. 496
Garrula auis ſponte ſeſe ſuſpendit. 208
Gedeonis milites trecenti hoſtilem exercitum vicerunt. 718
Gelido vini potu, vide Pomponius Lætus.
Gelidus potus, vide Potus.
Gelu conſtrinxit & flumina, & mare apud Conſtantinopolim, admiſſis plauſtris oneratis ſub Copronymo. 38.387
Gelu etiam nauigia conſtrinxit, nullisque viribus loco moueri potuerunt. ibid.
Gelu ſputum ex ore congelaſcit. 406
Gelu itinerantium currus adeo conſtrinxit, vt loco moueri non poſſent. 39
Gelu fragmina Inſularum modo grandia, & montibus æqualia. 38.387
Gelu alicubi eſſe poteſt, vbi numquam nix, velut in Ægypto. ibid.
Gelu fragmina in Gallia domos ac pontes obtriuerunt, ſicut & Conſtantinopoli vrbis muros. 39
Gelu cohibent Aquilonares pingui Phocæ piſcis aquis ſuperfuſo. 39.437
Gemelli initio Orbis, & deinceps ſæpe editi. 95
Gemini ſæpe tanta ſimilitudine vultus fuere, vt dignoſci non poſſent. 139
Gemini, Lupus & Aper, ſerui pari vita & morte confecti. ibid.
Geminis quibusdam idem vultus, vox, geſtus, & animi affectus & ægritudo. 138
Geminos cenſuit Hippocrates duo fratres, quod ſimul ægrotarent, ſimul ſanarentur. 138

Gemini inter ſe ſumma differentes apathia. ibid.

Gemini, Eſau & Iacob, mire animis & corporibus differebant. ibid.

Gemini tanta vultus ſimilitudine, vt in eis dignoſcendis parentes fallerentur. ibid.

Gemini, quibus eadem prorſus fortuna per omnem vitam fuit. 139

Gemmæ Paulo II. Papæ obitus cauſam præbuere. 579

Gemmæ Leoni IV. Imperatori mortis cauſam præbuerunt. ibid.

Gemmarum plus centies eſt Indo Regi, quam omnibus Europæ Principibus. 582

Gemma piſcis ore comperta ei, qui pecuniam ſuam pauperibus erogarat. 601

Gemmæ ex puluere à Sanctis Dei effici poſſunt. 582

Gemmæ ab India ad nos delatæ longe maiore induſtria poliuntur. ibid.

S. Genoeſa ægros omnes reſtituit oleo benedicto. 657

Germani Cæſaris tempore fuerant caſtiſſimi. 105

Gygem reddidiſſe ſe inuiſibilem, fabuloſum. 116

Gigantes quandoque ab incubis Dœmonibus gignuntur. 66

Gigantis dentem vidit S. Auguſtinus centum ex noſtris comparandum. ibid.

Gigantis dens pugno maior. ibid.

Gigas nouem cubitorum in Aquilone. 65

Gigantes ex climate fieri poſſunt. 66

Gigantis dentes ſinguli trium librarum in Sicilia. 67

Gigantis cadauer fortuito inuentum iuſſit S. Malouius reſurgere. ibid.

Gigantis cadauer inuentum in Gallia vltra triginta pedes longum. ibid.

Gigantis cadauer in Anglia inuentum vltra 50. pedes longum. ibid.

Gigantes quaternis cubitis noſtris hominib. longiores oſſa habēt flexibilia, & linguā bifidam. ibid.

Gigas longus 20. pedes. ibid.

Gigantes Indici Elephantes, velut nos Equos, domant. 64

Gigantes, Puſio & Secundilla, Romæ viſi ſupra denos pedes. ibid.

Gigantis oſſa cubitorum trium & triginta. 65

Gigantis cadauer longum ſexaginta cubita. ibid.

Gigantes Syrbotæ longi pedes duodecim. ibid.

Gigantes Aſachæi venantur Elephantes captosque deuorant. ibid.

Gigantis corpus 50. cubitorum. ibid.

Gigantum variæ altitudines. 64.65

Gigantes etiam hoc noſtro ſeculo viſi & comperti in Orbe nouo. 65

Gigas apud Maximilianum Cæſarem integrum vitulum edebat, nec ita ſatur. 66

Gigantes ſunt portarum cuſtodes apud Regem Sinarum. ibid.

Gigantes quingenti ſupra pedes quindecim ſunt Regis Sinarum corporis cuſtodes. ibid.

Giraſæ forma, magnitudo, hiſtoria. 257

Giraſa ambitioſa eſt. 258

Giraſæ lingua manuum implet officium. ibid.

Gladius piſcis ſuo mucrone triremes perforat. 338

Glaciei genus, quod è littore ſponte redit in pelagus. 389

Glacies, quæ nullis vaſis, nullis clauſtris occludi poteſt, quin abeat. ibid.

Glacies tranſit in cryſtallum eximiam. 390

Glacies in Islandia ſponte abit etiam occluſa vaſis, aut vinculis colligata. 478

Glaciati maris miracula. 38

Glaciei moles, quæ ſponte ſeſe conuertunt velut viuentes. 478.479

Glaciei fragmentis muri conſtructi ad bellum firmiſſimi. 745

Glaciei maritimæ fragmina ſua mole muros obtriuerunt. 387

Glaciei fragmina velut montes. ibid.

Glacies ferrea frangit inſtrumenta. 388

Glaucus piſcis fœtus ſuos rurſum ore recipit. 354

Goliath fortitudo inutilis. 125

Gorgones ſunt hirto corpore. 83

Gothlandia omnium Aquilonarium Inſularum extrema. 491

Gotticæ virgines admirandæ fortitudinis. 106

Gracchorum mater, vide Cornelia.

Grandine obiiſſe 160. in domo Regia Tartarica conſtat. 16

Grando vaſtauit Ægyptum omnem. 34

Grando vbi gignatur in aere. ibid.

Grando diuina eſt vindicta; fuit autem præcipue ob iniurias in Diuum Chryſoſtomum. 34

Gran-

Grando quanta hominis manus contracta, & octonarum librarum. ibid.

Grandinis fruſtum viſum duodecim pedes longum, & vltra. ibid.

Grando Gallinacei oui & Anſerini magnitudine. ibid.

Grando quantum eſt Struthionis ouum, vnciarum duodecim. 35

Grandinis fruſtum crucis ſignum exſculptum habens, & nomen Ieſu. ibid.

Grando viſa humanas facies referens, tum virorum, tum mulierum. ibid.

Granus piſcis oculum in ſummo capitis vertice habet. 364

Græcus ignis à Græcis ad Romanos delatus. 701

Græcus ignis claſſem abſumpſit. ibid.

Græcus ignis alio nomine Marinus dicitur. ibid.

Græcus ignis aceto extingui poteſt. ibid.

Græcus ignis aquis accenditur, oleo reſtinguitur. ibid.

Græcus ignis etiam ferrum ipſe inextinguibilis ſuperat. 702

Gregorius Thaumaturgus lacum exſiccauit, quod litium cauſa eſſet. 433

Gregorius Thaumaturgus montem tranſtulit. 525

Gregorius Thaumaturgus præfixit flumini terminos. 408

Gregorius Thaumaturgus ſtipitem aridum terræ fixit, qui poſtea viruit. 676

Grimoaldus Longobardorum Rex occubuit venando. 648

Gryphes an ſint, & hiſtoria. 206

Grues migrantes duces etiam exploratores adhibent. 213

Grues regnum politicum obſeruant. 213

Guilielmus ante pœnitentiam ſolus plus quam alii octo vorabat ac bibebat. 145

Gulo, vide Quadrupes.

Gutturoſi ex aquæ potu. 451

Guttura vsque in vmbilicum. ibid.

Gutturoſæ vſque ad imum ventrem mulieres Burgundiones. 105

H.

HAlo quomodo apud Solem fiat, & an ſit miraculum. 5

H[illegible] hortulus. 541

Henricus III. quomodo ad Imperium Corrado II. ſucceſſerit vt gener. 648

Henricus III. literas Belerophontis gerens immutauit, ſucceſſitque in Imperio Corrado. ibid.

Herba, qua gignitur ignis quidam inextinguibilis. 631

Herba Betonica antidotum eſt iis dormientibus, qui opera externa exercent. 154

Herbæ, quæ in aquis viuunt. 631.632

Herba Cobuija ſuis frondibus contexto filo ferrum ſecat. 633

Herbæ, quæ ignem vincunt. ibid.

Herba Amiantum cum filo texta tela fuerit, nunquam igni vritur, ſed fit mundior. 634

Herba Napellum homini venenum, paſſeribus ac turdis ſalutaris. 628

Herba Elitropium ſemper ad Solem vergit. 627

Herba Elitropium Sole oriente ſuos flores aperit, & ſero claudit. ibid.

Herbam Lothum qui ederint, nunquam ſitiunt. 117. 643

Herbis ſuperfuſum rorem tantum bibebant ſeptem Anachoretæ. 643

Herba Camæleon, vide Camæleon.

Herba, in qua quisquis iacet moritur. 627

Herba Sardonia edentem perimit. 628

Herba, cuius liquor cæcitatem parit. ibid.

Herba, cuius fœnum vbi naſcitur noxium eſt, extra vero illatum ſalubre. ibid.

Herba Rododaphnes vide Rododaphnes.

Herbas noxias etiam animantia hominem docuerunt. 621

Herba Telitrophium necat ſcorpiones. 629

Herba Elleborum reſtituit necatos ſcorpiones. ibidem.

Herbarum viribus amor conciliari non poteſt. 624

Herbæ piſces ſunt vrtica, paſtinacha. 335. & ſeq.

Herbæ ab imo mari ſuper ſuperficiem adoleſcunt longiores ſexaginta palmis. 369

Herba Cardus, vide Cardus.

Herba viua, cui ſenſus ineſſe videtur. 624

Herba, quæ ſentit ſe capi, & ideo duratur cornus modo. ibid.

Herba pudoris ſenſum habere videtur. ibid.

Herbam in amatoriis rebus efficacem putare ſuperſtitioſum eſt. 623. & ſeq.

Herba Agnus ſentire videtur, formam agni habet, alitur herbis, ſuccum carneum habet. 624
Herba Baar ſenſum habere videtur, capi enim poteſt difficulter. 625
Herba Baar Dœmones pellit. ibid.
Herbas noxias adiecta farina Eliſeus reddidit ſalutares. 622
Herbis hauſerat venenum S. Martinus, ſed diuina ope ſanatus eſt. ibid.
Herba Britannica remedium contra fontem, quo dentes decidunt. 452. & ſeq.
Herba Baar ſanguinem habere videtur. 626
Herba Baar noctu illuceſcit. ibid.
Herbæ à Sanctis exciſæ miraculo ſanguinem emiſerunt. ibid.
Herbæ aridiſſimæ vireſcunt miraculo. ibid.
Herba quædam, cuius fumigatione trabes ſerpentum formas habere videntur. 73.646.700
Herbæ, quæ feruentibus in aquis ſemper virent. 631
Herbæ ex imo mari ad ſuperficiem adoleſcunt, & myſterium. ibid.
Herbarum copia prata eſſe videntur, quæ maria ſunt. 632
Herbarum copia nauigiis impedimento eſt. ibid.
Herbæ, quæ necantur irrigatione. 630
Herba Aſparagus, vide Aſparagus.
Herba incognita omnibus morbis ſalutaris iuxta ſimulacrum Chriſti. 621
Herbæ, quæ adoleſcunt circiter longitudinem ſexaginta palmorum. 632
Herbæ virentes intra mare, frondes autem egreſſæ ſuperficiem fiunt ſal. ibid.
Herbis ferrum ſolidatur. 645
Herbis cryſtalli fiunt. ibid.
Herbæ furto ſublatæ nullo vnquam igne concoqui potuerunt. ibid.
Herba Paſtinaca, vide Paſtinaca.
Herbæ ligneo vaſe abſque igne ſolo Sole concoquebantur. 645
Herba, in qua ſerpentes minutuli latent, à quibus homines perimuntur. 630
Herbæ frugiferæ de cœlo tactæ & abſumptæ, poſtea fœcundiſſimum fructum ſponte retulerunt. 645
Herba ſemper viua, eiusque proprietates & hiſtoria. ibid.
Herba ſemper viua ſignificat viros pios. ibid.
Herba Malua alta quanta arbor. 644
Herba Fœniculus, vide Fœniculus.
Herbæ, quæ hyemali tempore florent. 627
Herba Ruta grandis, quanta Ficus. 644
Hircinia ſylua longa itinere dierum 60. lata nouem. 646
Hæretici ſignificantur per iumenta. 628
Hæreſes trecentas & eo amplius peperit Germania hoc ſeculo. 97
Hæreticorum perfidiæ nemo ex Ethnicis credidit. 629
Hæretici igni confutati à Catholicis. 687
Hæretici deteriores omnibus cæteris infidelibus. 629
Hæretici deteriores lupis. 267. & ſeq.
Herinacius iacit aculeos vt obuios lædat. 265
Hermaphroditorum gens in Africa. 87
Hermaphroditi inter ſe vicibus coeunt, gignunt & pariunt. ibid.
Hermaphroditi vnde fiant. ibid.
Hermaphroditi cum ſint vtriusque ſexus, monſtra ſunt. 88
Hiatus multi repentini. 505. & ſeq.
Hiatus repente factus, vt corpora Sanctorum à Tyranno eriperentur. 506
Hiatus ſcelerum ſunt vindices. ibid.
Hiatus ampliſſimi & aridiſſimi. 507
Hiatus Æthnæ ignem vomens. ibid.
Hiatus Coloniæ Agrippina imperante. ibid.
Hiatus Datan, vide Datan.
Hiatu abſorpta Drahomira. 149
Hiatus ob vnum impium Saracenum factus, vt eum abſorberet. 505
Hiatus quidam edidit mulum viuum. 507
Hiatu caſtella abſorpta. 508
Hiatus terræ, in quem Curtius ſe coniecit. 505
Hiatus ſæpe incognita cauſa facti. 506
Hiatus à terræ motu effecti. 508
Hienæ & Pantheræ coria ſi ſimul ſuſpendantur, pili decidunt hoſtilitate. 260
Hiena neutrum, & hominis voces exprimit. ibid.
Hiena quos ſignificet. 261
Hiena ſepulchra refodit. ibid.
Hiena collum flectere non poteſt. ibid.
Hiena canes homines q; ſimulato vomitu vorat. ib.
Hiena viſu hominem ac feras reddit obſtupentes. 262

Hiena tactu inducit ſomnum, ſed & vmbra eius canes redduntur muti. ibid.
Hiena ſerpens modo mas, modo fœmina. 318
Hieroglyphicæ notæ Ægyptiorum. 729
Hieronymi Doctoris pietate Andreas Cardinalis reſurrexit. 131
Hieroſolymitana obſidione obiere 600. millia, occiſa decies centena millia. 738
Hieroſolymitanam peregrinationem Presbyter quidam admiranda celeritate confecit. 128
Hipopothamus, vide Equus piſcis.
Hipocentaurum vidit Plinius. 81
Hircus cum homine riualitatem habuit. 76
Hircus biceps. 272
Hirundines Nilo aggerem opponunt inexpugnabilem. 188
Hirundines ſanctis viris factæ cicures. 218
Hirundinis ſtercus hominem reddit cæcum. 209
Hirundo, ſi paſſer eius nidum ingrediatur, obſtruit, perimitque. 188
Hirundines piſces volant. 334
Hirundines cæcitati pullorum Chelidonia medentur. 620
ab Hirundine homo medicinam diſcit. 621
Hirundines, & victoriæ, & aliarum rerum fuere hominum internuntiæ. 187
Hirundines igne pedibus alligato excidium tulere Danis. ibid.
Hirundines ſeſe hyeme aquis condunt, viuuntque vsque ad ver. ibid.
Hirundines numquam cicures, numquam dociles. ibid.
Hirundines pullis obcæcatis reddunt viſum adhibita medica herba. ibid.
Hiſpaniola Inſula Orbis noui quinque tantum quadrupedum genera habebat. 548
Hiſtrionum agilitas admiranda. 129
Hiſtrionum pecunia inſtaurati Romani muri. 615
Hiſtrionum admirandæ opes. ibid.
Hiſtrio ob opulentiam factus Corinthiorum Rex. ibid.
Hiſtrionum duorum pecunia Thebarum maior pars ædificata eſt. 704
Hiſtrionis vnius pecunia Dianæ templum fere exædificatum. 615
Homicidii rei facti ſupplicium ſubiere innocentes, cum occiſus nemo eſſet. 150
Homicida deprehenditur ex ſanguinis ebullitione, ſi adſit homicida. 33. 34
Homicidarum exilium imitatur Salamandra. 318
Homo neque mari gigni, neque viuere poteſt. 331
Homo poteſt aſſueſcere mari, & ibi natando viuere, ſunt autem exempla. 332
Homo marinus puerorum raptor. ibid.
Homo ac mulier marini viſi in Delta apud Alexandriam. ibid.
Hominum formæ veriores ſunt, quæ in Europa ſunt. 86. 87
Homines auerſis plantis, & octo digitorum in pedibus. 82
Homo aſſuetus mari ſemper ibi vt piſcis viuens. 84. 333
Homo ab animantibus multas herbas morbis ſalutares didicit. 622
Hominum colores varii non pertinent ad monſtroſitatem. 85
Homines reſupini vno pede ſe tegentes à Sole. 81
Homo numquam adeo hebeti ingenio eſt, vt non magnum in modum excoli poſſit. 614
Homo aqua fluens eſt. 393
Homo perpetuis horis mutatur. ibid.
Homines 300. annorum. 123
Homo quomodo formetur in vtero. 63
Homo numquam eſt idem. 393
Hominis peccatoris deterior cauſa ferarum, cum ex ipſo ſerpens, ex iis gemmæ fiant. 570
Homines ſignificant fideles. 630
Hominis defuncti caput iam aridum diſerte locutum, & confeſſum peccata. 132
Homo marinus aliquando viſus. 331
Hominem peccatorem omnia lædunt. 292
Homines venditi ſingulis nummis. 277
Homines in India vno tantum pede. 81
Homines marini comperti ſunt. 331
Homo excellentiſſimum eſt Dei opificium. 55
Horologium quod indicem habet à Magnete verſus Aquilonem inuenit Sylueſter II. Papa. 763
Horologium admirandum à Perſarum Rege ad Carolum eſt miſſum. ibid.
Horologiorum noſtri temporis mira artificia. 762. 763

Horologium cum campanula & indice eſt in annulo Caroli V. 762
Horologiorum horas ſtatuæ quædam euntes & recedentes ictibus referunt. ibid.
Horologia, quæ Solis ac Lunæ curſus indicant. ibid.
Horologia, quæ quauis hora hominem ſomno excitent, lumen accendant. 763
Horologium horarum 12. à quadrupede. 290
Horti penſiles Babylonici qua forma ædificati. 705
Horti Vngarici penſiles. 732
Horti penſiles Thebarum. 704
Horti penſiles apud Babyloniam quales fuerint. 705
Hoſpes turpius eiicitur, quam non admittitur. 533
Hoſpitia, quæ ſingula exercitum quotidie poſſunt excipere & alere. 721

I.

Iacobus quidam ſemper ſub dio pluuiis, gelu & Soli expoſitus orans. 119
Iacob effecit oues dicolores. 271
Iaculus ſerpens. 315
Iaponicus Quabacondonus ex lignorum cæſore Imperator in Iapone. 715
Iaponii Inſulæ deſcriptio. 479
Iaponii amplitudo. 480
Iapone Cantaon vrbe ter fructus refertur. 547
Iaſpis ad palmos 10. in baptiſterio Siculo. 578
Iaſpide lapide ornatæ porticus. 708
Ibex in herbis nouit artem medicam. 272
Ibex hominem docuit noxias herbas. 622
Ibidis pennis ſi Crocodilus contingatur, redditur immobilis. 188
Ibidis inteſtinum longum ſexaginta ſex cubita. ibi.
Ibis ore parit. ibid.
Ibis medicam Clyſteriorum artem homines edocuit. ibid.
Ichneumonis forma & hiſtoria. 265
Ichneumon exiguum animal ingentia animalia aggreditur, Crocodilum interficit. ibid.
Ichneumon vtriusque ſexus. 266
Ichneumones pugnant, victi decernuntur implere muliebre officium. ibid.
Icteritios, vide Carandrio.
Idei montis hiſtoria. 521.522
Idolum quatuor capitum adorant Rugiani. 83
Idola corruerunt in Ægypto aduentu Chriſti. 666
Idololatræ Asbeſto igne vſi fallendis populis. 689
Ignis Chymeræ montis aqua incenditur, terra aut fœno extinguitur. 522
Ignis Epheſtii montis etiam lapides fluuiorum & arenam inflammat. ibid.
Ignis Epheſtii montis alitus pluuiis. ibid.
Ignes vbi tum montibus, tum planis flagrent. 522. 523
Ignes montium quorundam cur ſolummodo noctibus ardeant. 522
Ignis magna differentia reueritus Chriſtianos aut Ethnicos. 714.715
Ignis è petra manans non videtur, at ſuperfuſo oleo videtur. 408
Ignis è lampadibus non oleo, ſed aqua accenſus. 682
Ignis feruens valde, qui tamen non comburit. ibid.
Ignis Æthnæ niues non liquat. ibid.
Ignes montium non caſu aut ſola natura erumpunt, ſed Deo mouente. 518
Ignes montium à Deo propoſiti nauigantibus, vt vias dirigant. ibid.
Ignis ſuper Apoſtolos die Pentecoſtes. 692
Ignis emicuit, vbi defunctus Anacoreta. ibid.
Ignis emicuit capite Anacoretæ orantis. ibid.
Ignis, qui obuia quæque abſumit, dum à monte euomitur in Africa. 524
Ignes è montibus manantes ſunt ſpiracula inferni ignis. 694.697
Ignis non læſit hominem cruci affixum. ibid.
Ignes quibus loci per Orbem è montibus manant. ibid.
Ignea exhalatione continenti mare efferbuit, & lapidum congeries turrium ſimilitudine viſa. 698
Ignis quomodo attritione lignorum excutiatur apud Indos. 699
Igneæ acies viſæ in cœlo, & quid portenderint. 30
Igne cuiusdam ligni omnia animantia abſtinent. 665.666
Ignis à pila vitrea. 699
Ignis à ſpeculo Soli obiecto, & inde claſſes exuſtæ. ibid.
Ignis purgatorius longe omnium maximus, exempla multa. 695
Ignes in Inſulis quid ſignificent. 487
Ignem ex aqua Elias excuſſit & Neemias. 681

Ignis vorauit holocauſta, ligna & lapides. ibid.
Ignis ex lapide manauit ſuperfuſa aqua. ibid.
Ignis è petra ſponte manauit Gedeoni. 682
Ignis, qui aquis accenditur, terra fœnoque extinguitur. 522
Ignis accenſa parua candela perdurauit ſex menſes. 690
Ignem Macrobii amplexabantur ipſo quo viderunt initio. 680
Ignis Æthyopibus quando primum agnitus. ibid.
Ignem in ſinu illæſus excipiebat puer Elenus per ſimplicitatem. 686
Ignis, qui arbores proximas non vrit. 682
Ignis quomodo non vrat. 683. & ſeq.
Ignis nõ abſumit montes, tametſi ſemper ardeant, & quæ ratio. 683
Ignem ad incenſandum manu ſua excepit Simeon Abbas. 688
Ignem ſalutationis cauſa miſit Iulianus procul 20. paſſuum millia in panno. 689
Ignis fulgurum ſolida vrit, leuia non vrit. 684
Ignis perpendicularis quis ſit. 8
Ignes maximi manant ab Inſulis. 487
Ignis fatuus quis ſit. 9
Ignes è montibus noui Orbis. 523
Ignis ſubterraneus, qui nullis aquis poſsit extingui. 24
Ignes è cœlo ſæpe cadunt præter rationem fulminis. 21
Ignis è cœlo decidit, cum Roma ab Alarico capta eſt. ibid.
Ignis è cœlo cadens fluminum marisque aquas ambuſsit. ibid.
Ignis è cœlo ſæpè cadere viſus in gloriam Sanctorum. ibid.
Ignis è cœlo velut flumen Iuſtini Imperatoris tempore omnia in cinerem apud Antiochiam vertit. ibid.
Ignis è cœlo ſæpe malos puniit, ſæpe etiam ad exercendam bonorum pietatem. 22.23
Ignis ſimul frigidus & calidus. 682
Ignis frigidus neque lucens, neque calfaciens. 683
Ignis lucens ac feruens nihil tamen lædens manum admotam. ibid.
Ignis ſacer periurii vindex. 693
Ignis infernalis vis & natura. 695
Ignis è ſepulchro inceſtuoſi manans eius oſſa omnia abſumpſit. 694
Ignis hoc ſeculo aliquando arra eſt ignis infernalis. ibid.
Ignis ex Maluatico vino reddit vultus adſtantium dæmoniacos. 700
Ignis ex oleo cœrulei vermis ſponte accenditur. 691
Ignis, qui afflatione extinguitur, & eundem ſerpentes fugiunt. 700. & ſeq.
Ignis natura apud Coloniam, qui neque aquis extinguitur, ſed ſaxis. 701
Ignis in Burgundia, qui omnia adurens ipſe non videtur. ibid.
Ignis ſacer omnia membra vrens. 702
Ignis trium puerorum vincula vſsit, ipſorum autem veſtes non vſsit. 685
Ignis in fornace Sanctum Domini non læſit, rebus omnibus abſumptis. ibid.
Ignis in clibano Sanctum Domini non læſit. ibid.
Ignis in fornace puerum Iudæum ob Euchariſtiam non læſit. ibid.
Ignis Iudæum inuocantem Chriſti nomen non vſsit. ibid.
Ignis Polycarpum eſt reueritus. 686
Ignis obſoniorum concoctor hominibus mortem accelerat. 702
Ignis boum equorumque ſtercore, & piſcium oſsibus fit. ibid.
Igne ſoluta eſt obſidio Capuana exterritis Elephantis. 679
Igne cœperunt homines conuiuere, & ſodalitatem exercere. ibid.
Igne ſolus homo vtitur. ibid.
Ignis elementum lucis & vitæ. ibid.
Ignis laudes plurimæ. ibid. & 680
Ignes montium maximo ſunt hominibus terrori. 518
Ignis inuentor nemo, ſed homini à Deo eſt traditus ipſo initio. 680
Ignem è ſilice qui primus excuſsit. ibid.
Ignem ſeruauit in ferula, & attritione ligni quis primus accendit. ibid.
Ignis, ex quo lumen accendi non poteſt, imo accenſum extinguitur. 684
Ignes in planis ſæpe exoriuntur. 554.555

Ignes, qui è terra per Orbem tot locis prodeunt, velut Tartari oſtia ſunt. 56
Ignis, qui pluuiis alitur. 682
Ignis ex lapidibus & arena in aqua poſitis, & ex terra ſulci ignei ſurgunt. 681
Ignis excutitur ligni celeri motione. 668
Ignis accenditur ferula, dum funiculus trahitur ac retrahitur. ibid.
Igne probata mulierum multarum pudicitia. 102. 103
Ignis Æthnæ cur tanto tempore perduret. 517
Ignis Græcus, vide Græcus.
Ignes cur cacumina montium potius petant, quam vt è vallibus erumpant. 516. 554
Ignis quomodo fiat è vaſe vitreo. 593
Igne albeſcit lapis, nigreſcit lignum. 672
Ignis lampadum ſponte accenſus. 692
Ignis ligna non vrit illita alumine. 559
Ignis aqua alitur irato Deo. 406
Ignis lucet, & omnia reddit nigra. 700
Ignis, qui lignum cum accenditur, numquam extinguitur, niſi illo abſumpto. 690
Ignis materiam olei non abſumit ardendo, ſed auget. 691
Ignis ſi aliquando Ethnicos non adurere eſt viſus, præſtigium fuit. 686
Ignis miraculis frequentiſſime Chriſti fides propagata eſt. 687
Ignis in lucerna in ſepulchro ardens iam ſuper 1500. annos. 689
Igne multi Sancti caſtitatem ſuam probarunt. ibid.
Ignis experimento ſimoniaci damnati à Ioanne Gualberto. 688
Ignis montis Æthnæ qualis. 516. 517
Ignis Æthnæ neque niuem vincit, neque ab illa vincitur. 516
in Igne auiculæ naſcuntur, & viuunt. 201
Ignes montium cur furunt, & gignuntur vehementiores. 516
Ignis, qui neque aquis, neque humore extingui poterat, ſed tantum ſaxis ac pannis. 507
Ignes montium Tartarorum loca indicant, quibus ſceleſti puniuntur. 519
Ignis ex piſcium oſſibus. 672
Igne ſoluetur mundus extremo die Iudicii. 518
Ignis coruſcabat noctu è manibus ſancti Nonni orantis. 5
Ignis Æthnæ & nauigia, & rupes, & mare combuſſit. 682
Ignis ex bitumine Babylonico, qui aqua extingui non poteſt, ſed bitumine. 559
Ignis Aaron filios percuſſit. 693
Ignem inuolant auiculæ Cariſtiæ, & in eo viuunt. 683
Ignis Æthnæ combuſſit rupes, & ex illo etiam mare ferbuit. 516
Ignis Æthnæ fauillæ vrbes diruerunt. ibid.
Ignis Æthnæ naues diſſoluit, & piſces innumeros enecauit. ibid.
Ignis experimento contra hæreticos Catholici fidem probarunt. 688
Igne aurum ex antris percolatur. 597. 598
Ignis lapides reddit albos, ligna reddit nigra. 699
Ignem ſuperarunt Chriſtiani frequentius quam Scæuola. 686. 687
Ignitæ impreſſiones, vide Impreſſiones.
Ignis, qui aquam abſumit, ſtuppam dimittit. 684
Ignis, qui nullo pingui accenditur, neque aqua reſtinguitur. ibid.
Ignis oua fœtificare facit. 700
Ignis rerum omnium ſuccum diſtillatione educit. ibid.
Ignis prorſus inefficax ob vim ambientis frigoris. 682
Ignis Æthnæ cauſa & origo. 516
Igni totus combuſtus permiſſus viuere, donec peccata confiteretur. 132
Igni admotus ſerpens quidam etiam iam triduo mortuus mouetur. 311
Igne non vritur Amiantum. 560
Igni arſit mare. 693
Igni arſit fluuius. ibid.
Ignis non vrit linum in teſtimonium caſtitatis. 634
Ignem inambulabant illæſi aliquando Sacerdotes Ethnici, ſed præſtigio. 686
Imago Chriſti è cerui cornibus Euſtachium ad ſalutem vocauit. 647
Imagine lino picta miracula multa manarunt. 638
Imaginando aliqui ſe ipſos perimunt. 99
Imaginatio facit caſum, vt medicamentum non ſumptum opus ſuum præſtet. ibid.

Imperiale palatium eſt in rure Vrbinatum Ducis. 744
Imperium Henrici III. *admiranda ex cauſa ſucceſſit.* 648
Impreſſiones ignitæ in aere quæ ſint, & quomodo fiant. 8
Impreſſoria ars, qua non literæ, ſed rerum imagines effinguntur. 771
Impreſſoria ars an ſit nouitium inuentum. 769
Impreſſoria ars commodior ipſa ſcriptura. ibid.
Impreſſoria vbi & à quo primum inuenta. ibid.
Impreſſoria ars apud Seres & Iapanios iam diu agnita. 770
Incendia admiranda. 550
Incendium Nolæ reſtinctum oſtenſo vero crucis Chriſti ligno. 667
Inceſtus igni à Deo *vindicatus.* 694
Inconſtantiæ inſigne exemplum fuit Ecebolius fide ſæpe mutata. 141
India habet quinque oppidorum millia. 547
Indiæ arbores lana abundant. 542
India binas æſtates & meſſes habet. 547
India pretioſa ſua permutat vilibus noſtris. 545
Indicæ gentes in Galliam profectæ, eorum habitus, & nauigium. 760
Indus fluuius admittit 60. perennes fluuios, torrentes centum, & quinque menſibus enauigari non poteſt. 410.411
Indus omnium fluuiorum longiſſimus. ibid.
Infans vna tantum manu natus. 81
Infans lactens amiſſa matre diuinitus educatus eſt, is fuit Cedratus. 117
Infans adulterio natus purgauit Britium crimine ſuis verbis. 79
Infans purgauit Danielem Abbatem criminis accuſatum. ibid.
Infans locutus ad purgandam Sergii Papæ infamiam. 150
Infans neutri ſexus in Sabinis natus. 87
Infantes ad imperium & regna prouecti, vide Puer.
Infans quadrupes natus Conſtantinopoli. 81
Infans denos digitos ſingulis manibus. ibid.
Infans quadrupes viſus, & vbique duplex. 71
Infans natus cum duobus cornibus. 116
Infantes ſæpe locuti memorantur magno miraculo. 79
Infans natus cum dentibus. 116
Infantes nondum nati aliquando verba protulerunt. 63
Infernales locos indicant ignes, quos montes vomunt. 518
Infernalis ignis quomodo adurat ſpiritus. 695. 696
Infernalis ignis eſt corporalis eiusdem ſpeciei, cuius eſt noſter. ibid.
Inferni ignis eſt inextinguibilis. 695.696
Inferni ignis eſt perpetuus. ibid.
Inferni ignis lucem non habet. ibid.
Inferni ignis differt rebus multis à noſtro. 697
Inferni ignis & purgatorii multis inter ſe differunt. ibid.
Ingenio obtuſiore ſunt, qui firmo ſunt corpore, & econtra. 124
Ingenium hominis nunquam adeo hebes eſt, vt non excoli maximum in modum poſſit. 614
Ingrato homine terra peius nihil creat. 661
Inſecta animalia ſexum ita habent, vt maribus ſit fœmineus, & fœminis maſculinus. 181
Inſectorum mares prægnantes ſunt. ibid.
Inſectis vita hæret tenacius, quam aliis animantibus. 161.162
Inſectorum corpora diuiſa quamlibet in partem mouentur, & viuunt. ibid.
Inſecta multa renouant iuuentutem. 183
Inſecta quædam præter Bombycem vitam renouant à morte ſurgentes. ibid.
Inſecta lapidibus cæmentoque caſas ædificant nulla vi fragiles. ibid.
Inſulæ à dæmonibus cultæ. 475
Inſula Ferrandina eadem, quæ & Cuba, eiusque hiſtoria. 481
Inſulæ an fuerint initio mundi. 468
Inſulæ à diluuio multæ factæ. ibid.
ad Inſulas quomodo poſt diluuium homines & animantia perrexerunt. ibid.
Inſulæ quo myſterio in ſcripturis accipiantur. 469
Inſulæ, quæ non erant, & quæ emerſerunt è mari. ibid.
Inſulæ quandoque ſine naturæ opere, ſolo diuino nutu factæ ad ſalutem Sanctorum. 470
Inſulæ ſæpe à terræ motu factæ. ibid.
Inſu-

Inſulæ quandoque factæ, abſciſſæ à continenti. 471
Inſulæ ſæpe factæ aggeſta materia. ibid.
Inſula Tiberina Romæ quomodo facta. ibid.
Inſula Tiberina ad illius formam nauis facta, qua Æſculapius vectus eſt. ibid.
Inſulæ, quæ numerari poſſunt, quot recenſeantur ab auctoribus. 374.490
Inſula, quæ pendere & attolli videtur, vt tamen ſit ſemper immobilis. 473
Inſula cum ædificiis & ſyluis ſupernatat, & aliæ fluitantes. ibid.
Inſulæ, quæ ad tibiarum ſonitum motu pedum mouentur. 474
Inſulæ, quæ mutuo pugnare videntur, dum natant. ibid.
Inſula arboribus oppleta fluitans terruit Romanorum claſſem. ibid.
Inſulæ, quæ eſſe deſierunt. 471
Inſula omnium maxima abſorpta vltra Gades, Platone teſte. 472
Inſula omnium maxima Athlantici maris momento mari hauſta. 41.42
Inſulæ Cubæ amplitudo, circumſtant illi Inſulæ ſeptingentæ. 481
Inſula, qua ſemper dies ac noctes æquales ſunt. 476
Inſula, qua fructus omnes ſponte naſcuntur. 477
Inſula, vbi Martio & Aprili metunt. ibid.
Inſula Tyle ſemper fœcunda. 478
Inſularum multarum amplitudines ac menſuræ. 490.491
Inſulæ maris cur à Deo factæ. 373
Inſula, in qua omnia, etiam vxores, communes ſunt. 483
Inſulæ Hiſpaniolæ amplitudo. 481
Inſula bipartita hinc tuto habitatur, illinc dæmones vexant. 475.476
Inſulæ fluuiatiles innumerabiles in Orbe nouo. 481
Inſula à ſolis fœminis culta. 483
Inſularum inſignium numerus, & aliarum non inſignium. 374
Inſulæ omnes iuſſu Cæſarum conſcriptæ. 480
Inſulæ ampliores toto Orbe longe plures quam ſeptuaginta. ibid.
Inſularum plurima millia recenſentur. 374.481
Inſularum vaſtæ latitudines recenſentur. 480.481
Inſula Talge ſine vlla cultura frugum fructuumque feraciſſima. 477
Inſula Zeilam toto anno ſemper fœcunda, & nonnullis terreſtris Paradiſus putatur. ibid.478
Inſulæ Thule vltra Britanniam amplitudo, & hiſtoria. 479
Inſula Thule bruma nullum diem, ſolſtitio nullam noctem habet. 48
Inſula, qua omnia animantia incertis de cauſis abſumuntur. 483
Inſulæ, vnde maximi manant ignes. 486
Inſula Niuaria ob perpetuas niues. 488
Inſulas nouas mare ſæpe edidit. 383
Inſula Rheni, vide Rheni.
Inſulis Dei ſapientia elucet. 373
Inſulæ an ſemper mari extiterint. ibid.
Inſulæ quædam nuncupatæ maſculinæ, quædam fœmininæ. 94.483
Inſulæ multæ cum incolis inundatione maritima demerſæ. 379.380
Inſula, quæ bis in die apparet, bis occultatur. 378
Inſulæ S. Crucis amplitudo. 481
Inteſtinum Ibidis, vide Ibidis.
Inuiſibiles quandoque redduntur Sancti. 116
Inundationes admirandæ. 23.380
S. Ioannes Euangeliſta ſeſe condidit ſepulcro, ſed reſurrexit. 134
S. Ioannes Euangeliſta ſtipulas conuertit in aurum. 601
S. Ioannis Euangeliſtæ ſepulcro puluis manat, nec ablatus minuitur. 535
S. Ioannes Euangeliſta in feruens dolium immiſſus non eſt læſus. 439
S. Ioannis Euangeliſtæ ſepulcro manna ſcatet nunquam deficiens. 134
S. Ioannis Euangeliſtæ tunicæ. 692
S. Ioannis Eleemoſynarii ſanctitate ſtannum verſum eſt in argentum. 605
Ioannes Gualbertus conuicit Simoniacos ignis experimento. 688
Ioannis Papæ cauſa Theodoricus eſt incendiis Æthnæ deputatus. 517
Ioannes quidam vixit annos trecentos. 124
Iobi opulentia. 616
Ionas puer mortuus poſtea reſurrexit. 129
Ionæ peccatum nauigationi impedimento fuit. 385

Ionæ peccato mare æſtum paſſum eſt. 385
Ioſue flumen diuiſit, vt Arca pertranſiret. 407
Iouinianus Imperator fumo necatus. 776
Iouis Olympii ſtatua inter miracula, eratque ex ebore. 703
Irrigatio aquarum ſignificat ſpiritualem profectum. 630
Iris ex ſacris literis diuina res eſt, ſed Philoſophi putant nihil ſignificare. 36
Iris etiam nocte viſa ex Lunæ radiis. 37
Iris quotidie vbi. 36. 558
Iris vnde gignatur. 36
Iſida auis etiam mortua quotannis colores mutat. 197
Islandia Inſula, quæ & Thule. 479
Islandia habet igneas voragines, ibique ſpiritus apparent loquentes. ibid.
Islandi præter vxores omnia habent communia, Epiſcopo vt Regi ſubſunt. ibid.
Iſocrates vnam orationem vendidit viginti talentis. 619
Iſter idem qui & Danubius. 401
Iudæorum quingenta & octoginta millia cæſa vna pugna. 724
Iudæus quidam viſis & auditis dœmonibus factus eſt Chriſtianus. 69
Iudicum & miniſtrorum iuſtitiæ 100. mill. apud Seres. 716
Iudicium eluſum perempto Actore, Reo, Iudice, Teſtibus, Notario, Actis. 147
Iudicium erratum ex nominum ſimilitudine, innocente ſubeunte mortem. 148
Iudicio extremo Orbis ſoluetur igne. 519
Iulianum Apoſtatam vidit mortuum è longiſsimis terrarum ſpatiis Iulianus Abbas. 115
Iunci flectuntur, non franguntur. 633
Iunci in mari vitri modo fragiles, in igne vt ferrum ardentes. 370
Iuniperi prunæ ſub cinere ad annum durant. 672

L.

LAbyrinthi quatuor præcipui. 731
Labyrinthi Ægyptii domus mille. 732
Labyrinthus Vngaricus. 733
Labyrinthus Ægyptius ambitum habet 3600. paſſ. mill. 732
Labyrintho Ægyptio nullum lignum eſt admixtum. ibid.
Labyrinthus Creticus centeſima pars eſt Ægyptii. ibid.
Labyrinthus Italicus Porſenæ ſepulchrum eſt iuxta Cluſium. ibid.
Labiis gens aliqua caret. 78
Labro ſuperiore gens quædam caret. ibid.
Labrum inferius adeo patet, vt tota facies contegi poſſit. ibid.
Lac effluit exciſo ramo. 669
Lac mulieribus redditur quadam fontis aqua. 452
Lacte patrem filia nutriuit in carcere. 118
Lacte proprio virginali diu vixit S. Chriſtina. 119
Lactantii error de igne infernali, & animarum paſſibilitate. 695
Lacertis ſenio confectis calligant oculi, redditur tamen viſus obiectu Solis. 311
Lacertis nulla eſt memoria. ibid.
Lacertis lingua bifida & piloſa. ibid.
Lacertæ hominum amantiſſimæ. ibid.
Lacerti duorum cubitorum magnitudine. 310
Lacerti pedum 24. longitudine. ibid.
Lacerti quanti crocodili. ibid.
Lacerti hominem glutientes. ibid.
Lacerti bifida lingua, in qua ſunt dentes. ibid.
Lacertis amputata cauda renaſcitur. 311
Lacertus in duas diuiſus partes vtrimque viuit, & rurſum eædem connexæ viuunt. ibid.
Lacertis perſimile Dub, vide Dub.
Laci ſuperficies frigida, cuius imum lutum habet feruidum. 437
Laci imum adeo feruenti luto, vt obſonia concoquat. ibid.
Laci Baiani omnes feruidi, & ad ſingulos morbos curandos idonei. ibid.
è Lacu limum quod aquis accenditur, terra reſtinguitur. ibid.
Lacus in Taprobana Inſula ampliſſimus. 488
Lacus in Inſula quid ſignificet. ibid.
Laci multi in montibus. 423. 524
Laci multi in montibus quid ſignificent. 487
Lacus Dunenſis ebulliens piſces eiecit coctos. 437
Lacus, qui non niſi 40. pontibus tranſitur. 423
Lacus in Tuſcia, in quem quidquid iniicitur, etiam lignum, imum petit, caret piſcibus. ibid.

Lacus nil prorſus ab atramento differens. 423
Lacus Arethuſa, vide Arethuſa.
Lacus die ter dulcis, & ter amarus. 438
Lacus, qui noxius eſt, ſi ad aliud hauriatur, quam ad ſanandas ægritudines. 439
Lacus in vertice montium. 420
Lacus in quem ſi quid iniiciatur, mox exurgit procella. 421
Lacus Baptiſmi operatur admiranda. 429
Lacus ripis vndique præruptis, & non niſi ſcalis in illum deſcendi poteſt. 419
Lacus Maris patens 20 paſſuum millia. ibid.
Lacus Memphiticus ornatiſſimus. ibid.
Lacus Saphætria Regna fœcundat. 420
Lacu vno Inſulæ viginti cultæ. ibid.
Lacus tetro odore abigit omnes. 426
Lacus, qui profluuium ventris gignit. ibid.
Laci per iram Dei effecti, hauſtis oppidis. 425. 433. 434
Lacus Albanus, vide Albanus.
Lacum exſiccauit Gregorius Thaumaturgus. 433
Laci, qui ſalem generant. 426
Lacus Aſcanius, vide Aſcanius.
Lacus, cuius imum ſale conſtat, dulci tamen aqua. 427
Lacus quo demerſa numquam redduntur, quamuis leuia. ibid.
Lacus in Scotia, cuius pars tantum congelatur, pars altera numquam congelatur. 437
Lacus qui velut cribro aquis vacuatur. 439. 440
Lacus, qui iniecta re aliqua procellam emittebat, poſtea purgatus Sanctorum reliquiis. 434
Lacus, in quo omnia pellucide ſpectantur in memoriam beatæ Brigidæ. 435
Lacu vno multæ vrbes cum Mexico continentur. 708
Lacus in ſacris literis in deteriorem partem ſolet accipi. 466
Lacus die amarus, noctu potabilis. 438
Lacus modo ſalſus, modo dulcis pro ventorum ratione. 438
Lacus, cuius ſuperficie dulces, inferius ſunt amaræ aquæ. ibid.
Lacus Amulium demerſit. 433
Lacus ex campo factus in Maridi. 619
Laci feruentes, in quibus oua coquuntur, & proximæ ſunt aquæ frigidæ, eodem veſtigio. 437
Lacus, qui ſuperuolantes aues necat. 427
Lacus, qui bibentes & lauantes perimit. 426
Laci ſerpentibus alatis referti. 427
Lacus, qui ſerpentibus eſt noxius. ibid.
Lacus ſalſus, cuius medio manat fons ſuauiſſimus. 439
Lacus verecundus, qui iraſcitur hominibus aliquid turpe dicentibus. ibid.
Lacus, qui piſcibus abundat, ſi libera ſit piſcatio, ſin prohibeatur, fit ſterilis. ibid.
Lacus, qui perimit ſpectantes & erga ſe verſos, at vertentes terga ſaluat. 440
Lacus, qui duo fert nemora figura triquetra aut circulari. ibid.
Lacus, qui ſponte exurgit in tempeſtatem in Scotia. 435
Laci feruentes, in quibus herbæ vireſcunt. 437
Lacus hominibus ſalutaris, ſerpentibus peſtifer. 427
Lacus, cuius aquæ dentes afficiunt, ſalem gignit, ipſe tamen eſt dulciſſimus. ibid.
Laci inſcrutabilis profunditatis. 432
Lacus Auernus, vide Auernus.
Laci, in quibus iniecta ligna lapidea fiunt. 438
Lacus, qui reddit fuſcos in ſe lauantes. ibid.
Lacus 200. paſſuum millium ſubito apparuit omnibus incolis demerſis. 434
Lacus limites transgreſſus 400. demerſit, puero cum fele ſaluis. ibid.
Lacus, cui ſacrificabant impii, purgatus ſublata procella. ibid.
Lacus, in quem iniecto ligno aut lapide mox effluit, fremit, inundatque agros. 421. 435
Lacus ſubterraneus accedentes abſorbens. 435. 440
Lacos furere, aut procellas gignere, iniectis lapidibus, quæ ſit ratio. 435
Lacus, qui in imo tonitrua quædam referat, cum tamen in ſuperficie ſit congelatus. 436
Lacum Theodoſius Imperator cum exercitu permeauit. 433
Lacus, qui emundat corpora. 428
Lacus, qui eo magis dilatatur, quo plures homines ingrediuntur. ibid.
Lacus Fucinus, vide Fucinus.

Laci tres proximi diuerſarum naturarum. 423

Lacus, qui neque hauſtis aquis vnquam minuitur, neque infuſis aliis augetur. 428

Lacus, quo leuiſſima omnia merguntur, etiam ſicca folia. 425.428

Lacus, qui non niſi quadrageſimali tempore continet piſces. 428

Laci multi ampliſſima latitudine. ibid.

Lacus, quo quæ biberint, pilis, vnguibus, cornibus etiam deſtituuntur animantia. ibid.

Lacus, in quo etiam imperiti natant, & nil quamuis graue mergitur. 424

Laci, in quibus Inſulæ natant. ibid.

Laci ſalſi frequentes. 427

Lacus, in quo ferrum ſupernatauit iuſſu S. Benedicti. 425

Lacum ſiccis pedibus inambularunt Sancti. ibid.

Lacus, in quo omnia demerguntur. 425

Lacus, in quo nil demergi poteſt. ibid.

Lacus, cuius aquæ epotæ ad Venerem ſtimulant. 426

Laci in Pannonia ſuo feruore metalla transmutant. 437

Lacus vnus medius dulcis, medius ſalſus. 427

Lacus qui recipit multos fluuios, nunquam tamen augetur. 440

Lacum Beatus Blaſius permeauit. 433

Laci duo proximi, quorum alter dulcem, alter ſalſam continet. 427

Lacus Lucrinus eſſe deſiit. 441

Lacus veter latiſſimus. 500

Laci exſiccati. 440.441

Lacus Aſphaltides, vide Aſphaltides.

Lacus frigidus numquam congelaſcens, vbi tamen omnes alii laci gelu conſtringuntur. 436

Laci in Aquilone multi inſerutabilis profunditatis. 432

Lacus Anianus, vide Anianus.

Lacus, qui nullos piſces habet. 421

Lacus, qui membra hominis in cadauer reddit. 433

Lacus, cuius aquæ omnia animantia feſſa recreant, perinde ac ſi non laboraſſent. 532

Laci ob ſcelera hominum miraculo facti. 423

Lacus pellucidus ſummo montis vertice. 514

Laci in montium verticibus. 514.524

Ladislaus Rex Veneris vſu obiit. 778. cætera vide Napellum.

Ladislaus Rex Napelli veneno extinctus in Venere. 107.108

Lagena auis Cate cor corrodit. 208.485

Lampades ſponte accenſæ. 692

Lana in ſcripturis quid ſignet. 489

Lancea ignis in cœlo. 8

Lapis Æthites prægnans fit. 568

Lapis Gaſidanes prægnans efficitur. ibid.

Lapis, qui ex ſe parturit alios. ibid.

Lapis Lunæ ſuſpenſus plena Luna fœtificat. ibid.

Lapis Selenites cum Luna diebus ſingulis augetur, aut imminuitur. ibid.

Lapis Aſtrion intus ſtellam habet. 569

Lapis Syrtites multas ſtellas radiantes continet. ibid.

Lapis Hyacinthus cum nubilo ac ſereno cœlo colores mutat, in os miſſus friget. ibid.

Lapis Chryſotapſus die non agnoſcitur, noctu ſe prodit, quia igneus apparet. ibid.

Lapis TopaZius noctu tantum pellucidus. ibid.

Lapis ſpecularius vitri more translucet. 570

Lapis Amiantum, vide Amiantum.

Lapides cur attritione inflammentur. 562

Lapis Pyrites preſſus digitos adurit. ibid.

Lapis Droſelites igni admotus ſudorem emittit. ibid.

Lapis qui exudat certo feſtiuo Martyris die, dum Euangelium dicitur. ibid.

Lapis Phrygius, qui vino perfuſus flatusque follibus rubeſcit. 562

Lapis è quo ignis manans non cernitur, at effuſo ibi oleo flammeſcit. ibid.

Lapis inuentus flagrat. ibid.

Lapis Efeſtites feruenti aqua refrigeratur, Soli oppoſitus aridam materiam accendit. ibid.

Lapis Obſidianus pellucidus ex illo fiunt ſepulchra, quæ cadauera non occultent. 571

Lapis Obſidianus niger imagines reddit. ibid.

Lapides qui excauentur ad vſum quorumcumque vaſorum. 582

Lapideis vaſis coquuntur obſonia. ibid.

Lapidea vaſa confracta reſuuntur æreo filo. ibid.

Lapidea facta omnia in naui, quod mendicus inde fuiſſet abiectus. 572

Lapi-

Lapide expolito & complanato Artemiſius Sole hominum oculorum aciem perſtringebat. 46

Lapis Achates Pyrrhi continebat nouem Muſas & Apollinem. 577.578

Lapis Porphyrites continet ſæpe rerum multarum figuras natura inditas. ibid.

Lapis Execontalicon 60. gemmarum colores continet. ibid.

Lapis, qui æſtate flammam, hyeme aquam emittit. 562

Lapis Æthites prægnans eſt. 560.568

Lapis Ceraunius igne non læditur. 560

Lapis Carbunculus, vide Carbunculus.

Lapis Anthracites iactatus in ignem offuſcatur, at aquis perfuſus exardeſcit. 560

Lapis Galatias ſuum frigus etiam in igne retinet. ibid.

Lapis Gagates oleo extinguitur. ibid.

Lapis qui aqua accenditur, oleo reſtinguitur. ibid.

Lapis Thracius aqua accenditur, oleo reſtinguitur. 561

Lapis Spinus diſſectus comburitur. ibid.

Lapis Smarilla aquis irrigatus inardeſcit. ibid.

Lapis Maritha aqua irrigatus inardeſcit. ibid.

Lapis, cuius ſuffitu fugantur ſerpentes, aqua perfuſus exardeſcit. ibid.

Lapis Nymphæus accenditur fluentibus aquis fluuii. ibid.

Lapis Chryſolitus, qui & Rubinus, amygdalam vix magnitudine ſuperat. 577

Lapis Chryſolitus ad palmi longitudinem. 578

Lapideis cultris Ioſue ſuos circumcidit, & myſterium. 580

Lapis Sarcophagus corpora defunctorum abſumit 40. die. 581

Lapis æſtate inflammatur, hyeme mittit aquam gelidiſſimam. 532

Lapides plumbei ſi excidantur breui nouis incrementis inſtaurantur. ibid.

Lapide Iaſpide ornata porticus. 708

Lapidum imbre à dæmonibus petiti ſunt Sancti Dei. 583.584

Lapis ſpecularius & alii translucentes ad vitri ſpeciem non pertinent. 590

Lapis ſuccinus, vide Succinus.

Lapis Obſidius non eſt aptus conficiendis poculis. 588

Lapide obſidio facti 4. Elephanti. ibid.

Lapides quorum luciditas vitrea videtur. 582

Lapis Gangites fugat ſerpentes. 531

Lapis Hannonis cornu arietini formam habet. ibid.

Lapis percuſſus inſonabat, vt lyra. ibid.

Lapis Memnonis Sole oriente vocem emittebat. ibid.

Lapis Memnonis Chriſti aduentu conticuit. ibid.

Lapis qui ſuperpoſitus ſtuppis aut ſtramentis incendium facit. 562

Lapides qui in ipſo fluuio igneſcunt. 700

Lapis Cathochites impoſitam manum velut gummi retinet. 580

Lapis, qui quaqua verſus flecti poteſt, vt corium & gladios exacuit. ibid.

Lapidem è cœlo ingentem cecidiſſe conſtat. 13.27

Lapis Æthites igne nil læditur. 560

Lapis cœlo ſereno cecidit apud Cordubam. 13.27

Lapidea ſalis ſtatua vxoris Loth. 590

Lapis è cœlo cecidit humani capitis magnitudine, & ſereno tempore. 383

Lapis 300. librarum è cœlo cecidit. ibid.

Lapide Obſidio excauato cadauera ſeruantur. 590

Lapis Specularius ex medulla ferarum fit in puteis. 570

Lapides viui ſunt viri ſancti. 579

Lapis Scyrus integer fluctuat, ac comminutus mergitur. ibid.

Lapis Thyrræus integer fluctuat, comminutus mergitur. ibid.

Lapides qui ſupernatant. ibid.

Lapis Sagda è profundo mari ſponte petit ſuperficiem. ibid.

Lapis, qui admoto ignito carbone accenditur vt carbo. 563

Lapis Iaſpis, vide Iaſpis.

Lapide Onychino vas admirandum. 578

Lapides alicubi fiunt feruidis aquis. 571

Lapides humoris percolatione ita fiunt, vt reddant hominum & rerum aliarum formas. ibid.

Lapidea hominum & rerum aliarum corpora effecta longa percolatione in antro. 572

Lapis Opalis ſeſtertiis viginti millibus æſtimatus. 579

Lapis vnus longus cubita 21. altus 8. triennio tractus.

Lapis quadratus cubitorum 40. & excauatus templum fuit. ibid.
Lapis Hematites ſpecies eſt Magnetis, argentum trahit. 567
Lapis Andromantius Magnetis ſpecies eſt. ibid.
Lapideum cor eſt homini non præbenti eleemoſynam. 572
Lapidibus in Orbe nouo vtuntur, ceu ſecuribus. 580
Lapidibus in Orbe nouo ceu gladiis ac nouaculis vtuntur. ibid.
Lapis vnde flamma erumpit, vnde & fons manat, & Fraxinus ibi ſemper viret. 561
Lapidem nouacula ſecuit. 580
Lapis Ionis feſtucas trahit. 576
Lapis Charchedonius paleas trahit. ibid.
Lapis Lychnites paleas trahit. ibid.
Lapides qui referunt formas rerum omnium, quæ Zaccaro condiuntur. 571
Lapis Enlydros exudat, vt fontem in eo eſſe putes. 576
Lapis Dionyſius vinum flagrat, & ebrietati reſiſtit. ibid.
Lapis, qui in cibum ore ſumitur. ibid.
Lapides prædulces, vt ſunt fici. 576
Lapis Galactites fœcundat vbera lactantium, & in ore liqueſcit. ibid.
Lapis Achates in ore ſitim ſedat. ibid.
Lapis Achates omnium rerum formas in ſe continet. 577
Lapides in Flandria, Scotia & India carbonum vicem implent. 563
Lapis Chryſolectrus proximus igni celerrime ardeſcit. ibid.
Lapis Chalcites diutiſſime in igne inabſumptus perdurat. ibid.
Lapis Asbeſtus ſemel accenſus numquam extinguitur. ibid.
Lapis Abſicthos excalfactus diebus ſeptem colorem ſeruat. ibid.
Lapides & arenæ in ipſis aquis accenduntur, ſi igne tangantur. 681
Lapideus ceſpes longitudine pedum 50. ſponte alio ſe tranſtulit, & alii quoque lapides. 583
Lapis Alectorius in gallinaceorum ventriculis. 570
Lapides, in quibus animantia viua, aut oſſa eorum ſunt. 587
Laricis lignum nec flammam, nec carbonem facit, cum tamen vratur. 672
Lateres cocti ſupernatant. 579
Latro bellum geſſit contra Romanos. 715
Latro conuerſus iuſſit Soli vt ſtaret. 143
Latro conuerſus à Ioanne Euangeliſta factus inſignis Epiſcopus. ibid.
Latroni primum promiſſum eſt Regnum cœlorum. ibid.
Latronem conuertit Paphnutius obſecutus illi in poculo. 144
Latro Dauid conuerſus mutus fuit ſemper, præterquam in pſalmodia. ibid.
Latro Cyriacus conuerſus inſigni ex facto. ibid.
Latrones vino, quo biberat vipera, perierunt. 317
S. Laurentius ignem contempſit. 111
Lauri naſcuntur mari rubro. 369
Ledo maritimi æſtus ſpecies. 376
Lege carentes, & commerciis, & nominibus reperiuntur quædam gentes. 83
Leena quinque catulos cæcos habens ab Anachoreta petiit eos luminari. 224
Leonem diſcernere ignobilem ab nobili fabuloſum. 226
Leonis corium absque tineis eſt, & quæ illo inuoluuntur, etiam carent tineis. ibid.
Leonem mulier peperit. 76
Leonis ori iniectum nitrum mordendi vim illi adimit. 358
Leones abegerunt populos. 775
Leones quidam ignauiſſimi. 219
Leones feruentiore cœlo naſcuntur ferociores. 220
Leo Hannonis Carthaginenſis ferebat ſarcinas. ibid.
Leones conuiuebant Onomarcho Catanæ Tyranno. ibid.
Leones iugo ſubacti ab Antonio Romæ Ciuili bello. ibid.
Leo Sabbæ Abbatis aſinum ad paſcua ducebat reducebatque. ibid.
Leo Abbatis Geraſini amiſſum aſinum reperit, obiit iuxta ipſum dominum ſuum. ibid.
Leo beati Hieronymi ſarcinas ferebat, quod ſaucius ſanatus fuiſſet. 216
Leo Androdo Medico alimentum ac vitam rependit. 222

Leones à Beato Paulo & Thecla abſtinuerunt, eos reueriti. 223
Leo hærente in faucibus oſſe ab Elpi Samio medelam popoſcit. ibid.
Leones erga mulieres & infantes ſunt mites. ibid.
Leones precantium voces percipiunt. ibid.
Leones ſaturi cibo feſtiui ſunt. ibid.
Leones Paulo primo Eremitæ ſepulcrum foderunt. 224
Leones alii fului, alii albi, alii nigri. 226
Leones magnitudine Bubali. ibid.
Leoni oſſibus minima medulla. ibid.
Leones in antris homini fuere mites. 496
Leo acceptæ iniuriæ memor, & vindex acerrimus. 225
Leones iræ diuinæ vindices. ibid.
Leo Prophetam Abdo occidit, ſed aſinum & cadauer non læſit. ibid.
Leones gallinacei cantum, curruſque inanes, ignem ac rotas timent. ibid.
Leo naſcens aluum matris diſcerpit. ibid.
Leones à natiuitate triduo attoniti ſunt. 226
Leontophona Leonum hoſtis acerrimus, eiusque caro Leonem perimit. ibid.
Leontophona ſolis iis regionibus naſcitur, vbi Leones ſunt. ibid.
Leonum hoſtis Barbuth, vide Barbuth.
Leo ignem metuit. 679
Leo piſcis Romæ viſus. 337
Leoni Papæ detruncata manus rurſum reddita eſt. 113
Leoni III. Papæ & lingua abſciſſa, & oculi eruti, miraculo redduntur. 114
Leo IV. Imperator ob gemmas obiit. 579
Leonius Medicus prædictione Aſtrologica, dum vitat aquas, eis mergitur. 54
Leporaria cur dicta. 219
Leporarium maximum 16. mill. paſſ. magni Cam. 733
Leporarium Papienſe 20. paſſ. mill. ambitu quadrangulari. ibid.
Lepores in Inſula Ithaca viuere non poſſunt. 484
Lepore conſpecto perturbato exercitu Roma capitur. 287
Lepori bina ſunt iecinora. ibid.
Lepra Baptiſmo ſanata. 429. 453
Lepus piſcis fugat alios piſces. 337
Lepus inter obſonia præcipua. 219
Lepores albi hyeme. 287
Lepus mas prægnans. 288
Lepus piſcis mortifer, vel viſu ac tactu ſolo. 337
Leucrocutæ forma & hiſtoria. 262
Leucrocuta voces humanas imitatur, vt fallat, & vocet. 264
Liber Plinii vendi potuit 400. nummum millibus. 767
Libri Sibyllini quanti venditi, vide Sibyllini.
Librorum numerus infinitus Salomonis & Mercurii. 768. & ſeq.
Lichni ſemper ardentes numquam abſumpti. 634. 690
Ligno crucis, quam Oſualdus Rex erexerat, multa miracula facta. 667
Ligneus cacabus, vide Cacabus.
Lignum alumine illitum non ardet. 684
Libertate Eccleſiaſtica violata ob captiuatum Epiſcopum ceſſarunt è cœlo pluuiæ. 40
Libertatis Eccleſ. violatione Deus immiſit primum terræ motum. ibid.
Lignum putre noctu lucet, itinerationi percommodum. 678
Lignea trabs, quæ nullis viribus moueri potuit. ibid.
Ligna quæ cornua videntur duritie, igni autem vri non poſſunt. 650
Ligna quæ accenſa nulla ratione extingui poſſunt, ſed abſumuntur. 650
Ligno ignis excutitur Orbe nouo. 668
Ligna arborum cum aduruntur ſolo fumo homines perimunt. 665
Ligneum vas coquendo obſonia in igne nunquam aduſtum. 683
Lignum, quod quo magis arſerit, mundius inuenitur. 673
Ligneum vas cacabi vicem præſtans coquendis igne obſoniis ſemper illæſum. ibid.
Lignum quod aquis merſum nullo vmquam æuo corrumpitur. ibid.
Ligna in ſcripturis crucem Chriſti ſignificant. 667
Ligno in aquas iniecto Moyſes reddidit potabiles. ibid.
Ligneis tabellis res exſculpuntur, vt perpetuæ ſint. 766

Ligna vnde naues annis 200. durarint, & merſæ numquam putruerint. 478
Lignum hebeni vritur, nunquam accenditur. 672
Lignum laricis nec flammam, nec carbonem facit, cum tamen vratur. ibid.
Lignum ouis gallinaceis perfuſum non ardet, nec veſtis. 684
Ligna putrida noctu lucent, & cauſa. 150
Lignum, quod humore fit ſiccum. 653
Lignum, quod cum vritur, nullum vmquam fumum emittit. 668
Lignum ficus mox mergitur, & inebriatum aqua ſupernatat. 653
Lignum, quod ſemper ſuo pondere mergitur. 670
Lilia toto anno mortua florent feſtiua die ſancti Seueri. 626
Lyncis vrina muliebre eſt ornamentum, cum ex ea lapillus fiat. 266
Lyncis viſus incredibilis. ibid.
Lingua membrum commendabile. 78.79
Lingua abſciſſa multi Sancti diſerte locuti ſunt. 79
Lingua abſciſſa, qui diſerte loquebantur, muti facti, quod mulieribus ſe miſcuiſſent. ibid.
Lingua à Tyranno abſciſſa, diſerte loquebatur S. Romanus. 150
Linguæ duplicitas peccatorem ſignificat. 303
Linguæ bifidæ homines, & qui ſimul pluribus reſpondeant. 78
Lingua gens aliqua caret. ibid.
Lingua piſcis lucet noctu. 339
Lineas veſtes trium puerorum ignis non attigit. 634
Lino D. Paulus multa fecit miracula ſanans ægrotos. 638
Lino quo Chriſti facies ſudore abſterſa eſt à Veronica, imago permanſit. ibid.
Linum tinea non rodit. 634
Linum aliquando emiſit ſanguinem. 637
Linum non eſt igne vſtum in teſtimonium caſtitatis multorum. 634
Lino apparuit Chriſti imago ad Abagarum, vnde ille ſanatus eſt. 637
Linum Cyprium quid. 560
Lino obtrito fiunt chartæ, quibus ad ſcribendum vtimur. 636
Literæ miſſæ apud Indos velut aliquid viuens putabantur. 766
Literas columbæ ad homines abſentes detulerunt. 769
Littora Borealis Orbis noui portenduntur ad 30. milliariorum millia. 372
Littora maritima in continenti ſuo ſalſam aquam non gignunt. 371
Locorum ſacrorum contemptu, qui choreas ducebant, annum perſeuerarunt. 149
Locus, in quem quiſquis peruenerit, mox vi circumfuſi aeris perimitur. 539
Loligo piſcis ſolo tactu manum obſtupefacit. 334
Loligines longæ quinque cubita tanta euolant multitudine, vt naues mergant. ibid.
Loligines piſces volant. 335
Locuſtæ fœminæ gignunt abſque maribus. 178
Locuſtæ in India ſunt ampliſſimæ. ibid.
Locuſtarum cruſtæ ſerrarum vſum præbent. ibid.
Locuſtæ maria tranſeunt, peſtemque inuehunt. ibid.
Locuſtæ ira Dei ſunt id pluribus conſtat exemplis. ibid.
Locuſtarum aduentu octingenta hominum millia periiſſe memorantur. ibid.
Locuſtarum aduentus peſſimo omine eſt habitus. ibid.
Locuſtarum exercitus pernicioſi. 29
Locuſta ſerpentem necat. 290
Locuſta mox à partu moritur. ibid.
Locuſtarum exercitus ſeruata Iudicii forma excommunicatus. 179.180
Locuſtarum impetum ſancti viri aqua luſtrali, aut oratione ſuperarunt. 180
Locuſta piſcis viſo Polypo moritur. 341
Longæuitas hominum admiranda. 123
Loth vxor ſignificat mundanos. 572
Loth ſignificat pios, qui retro nunquam reſpiciunt. 573
Loth vxoris ſtatua è ſale non reſoluitur pluuiis, non ruit ventis, minuta redintegratur, patitur menſtrua. ibid.
Lotos arbor diu auibus, noctu piſcibus aſſimilis fit. 650
Lotos veſpere cum flore ſuo tota aquis mergitur, oriente Sole emergit. ibid.
Letho herba qui vtuntur, nunquam ſitiunt. 117

Lucerna ardens multa ſecula inuenta, quæ extingui non poterat. 67
Lucerna accenſa ſupernatat in Aſphaltide, at extincto lumine demergitur. 422.423
Lucerna ardens ſupra annum milleſimum & quingenteſimum. 689
Lucerna piſcis noctu lingua lucet. 339
Lucio piſci exſectus venter reſuitur, & viuit. 366
Lucia, quod noſſet ſibi ob pulchritudinem inſidias ſtrui, oculos ſibi eruit. 104
Luciæ virginis miraculum, quo ſtetit immobilis. 103
Lucra iuſta vbique tuta ſunt, etiam naufragantibus, iniuſta vero neque domi. 602
Lucretia Rom. an iuſte ſe occidit. 104
Lucullus 20. mill. hominum excepit hoſpitio. 711
Lumine nunquam vſus, ſemper nocte videbat omnia Anacoreta. 692
Luna piſcis arbores aut fœcundat, aut exſiccat, ita & puteos plenilunio aut defectu. 333.334
Luna è mari Taprobane paucis diebus videri poteſt. 390
Luna numquam videtur in Biarmia, niſi pleno circulo. 50
Lunæ tres aliquando conſpectæ. 4
Luna nocturnus Sol dici poteſt. ibid.
Luna ſæpe intra paucos menſes Eclipſim paſſa eſt. 7
Luna in Aquilone non niſi plena videtur. 552
Luna iubente Gedeone ſtetit. 3
Lupus raptam ouem iubenti cuſtodi puero per ſanctos reddidit. 268
Lupus de raptore factus ouium cuſtos. ibid.
Luporum viſceribus confectæ fides ſi ouium fidibus miſceantur, iſtæ reticent. ibid.
Lupus Ce[illegible]arius oblitioſus. 269
Lupus ſuo veſtigio loca inficit, ne equis liceat illac tuto tranſire. ibid.
Lupi in Sardinia non ſunt. ibid.
Lupi in Scanzia cæci fiunt. ibid.
Lupi piſcatorum familiares, & piſcationis portionem ſuſcipiunt. 267
Lupi paßim familiares. ibid.
Lupi laicum exederunt à Presbytero abſtinentes. ibid.
Lupa Anachoretæ ſemper aſtabat. ibid.
Lupus vulpes abegit, & comitatus eſt vsque tutum in locum beatum Odonem. 268
Lupus ſaccum caput Martyris Eadmundi Regis veneratus eſt. ibid.
Lupus ablatum puerulum muliercula iubenti per Sanctos reddidit. ibid.
Lupi non efficiunt homines, tametſi imaginem gerant. 72.73
Lupum coruus abegit à Sanctorum reliquiis. 214
Lupi per vrbes & oppida vagantes. 269
Lupi ſæpe iræ Dei vindices. 268
ob Luporum feritatem introductæ ſunt Rogationes ante Aſcenſionem. ibid.
Lupus puerulum educauit, qui gratius poſtea cum lupis, quam cum hominibus viuebat. 269
Lupi qui hyeme hirti ſunt, æſtate nudi. 267
Lupi nil lædentes homines. ibid.
Lupi prorſus candidi. ibid.
Lupi flumina gregatim traiiciunt inuicem caudam ore tenentes. ibid.
Lupus, vide Gemini.
Luporum viſus homini eſt noxius. ibid.
Lupina forma multi viſi ſunt dæmonum præſtigiis. 73
Lupus marinus, vide Vitulus.
Luſci fuere multi inſignes, vide Monoculi.
Lutra coquo iubenti, vt piſcatum eat, obſequitur. 288
Lutum, quod aqua accenditur, terra reſtinguitur. 437.562

M.

M Aurelii Imp. Epiſtola in commendationem Chriſtianorum. 17
Macario quidam occiſus loquitur, hominem homicidii incuſatum purgat. 61
Machabæi ſeptem fratres inſignes. 137
Macrina Romana obiit, ea tantum ex cauſa, quod monoculum videre non permitteretur. 77
Magdalena cum comitibus fracta naui traiecit mare. 375
Magnes trahit vitri liquorem. 565.590
Magnes qui ferrum reſpuit. 564
Magnetis ſolo tactu effici poteſt, vt annuli multi hæreant. 565
Magnes lapis inexplicabili vi ferrum trahit cœleſti motu. 565

Magnete itinera diriguntur, etiam terreſtri itineratione, vbi caligines ſunt. 391
Magnes acum ad Aquilonem vertit, inde nauigia diriguntur. 566
Magnetis camera ferrea ſimulacbra ac re ſuſpenſa viſa ſunt. 565
Magnes ferrum trahit etiam interpoſito argento. ibid.
Magnetici montes ſiſtunt nauigia, quibus aliquid ineſt ferri. 566
Magneticus mons ad Orientem ferrum trahit, ad Aquilonem reſpuit. ibid.
Magnetem Adamas vincit. 567
Magnes Magnetem cur non trahat. ibid.
Magnes aliquem Magnetem trahit. ibid.
Magnetis multæ ſunt ſpecies. ibid.
Magnes ferri ſpecies eſt. ibid.
Magnetis vim ad nauigandum primus animaduertit homo Amalſitanus. 566
Magnetis motus ad Aquilonem etiam Ariſtotelis tempore agnitus. ibid.
Magnetis vi inſtituta horologia ab Sylueſtro II. Papa. ibid.
Magnetis vis allio vincitur. 567
Magnes primum inuentus in monte Ida. 564
Magneticos montes ibi natura ſtatuit, vnde Septentriones conſpici non poſſunt. 567
Magorum ſtella videtur in puteo. 11.465
Magus inſignis fuit Baianus Bulgarorum Rex, ſeſe in quaslibet formas vertens. 73
Maiolus cæcus cæcis ſalutem præſtabat, non ſibi, quoniam non expediebat. 642
Malchus Monachus mulieri intactæ cohabitauit annos decem. 103.495
Malchus Monachus in antro Leænæ furorem euaſit. 495
Malina maritimi æſtus ſpecies. 376
Malua ſit arbor. 644
Maluatici vini ignis admiranda facit. 700
Malus punica absque nucleo. 652
Manatus piſcis cicur multos obequitantes dorſo trans lacum ferebat. 328
Manticoræ forma & hiſtoria. 263
Manticora iactat ex cauda aculeos, læditque obuios. ibid.
Manna, quod in deſerto pluit, omnem, quem quisque vellet, referebat ſaporem fidelibus. 28
Manus intra diſciſſam arborem pœnitentiæ cauſa triennio tenuit Victorinus Epiſcopus. 125
Manus detruncata quibus fuerit reſtituta. 113
Maragnonius fluuius omnium maximus. 371
Margaritæ Paulo II. Papæ obitus cauſam præbuere. 579
Margaritarum plus millies eſt Indo Regi, quam omnibus Europæ Principibus. 582
Margaritarum vi Leo IV. Imperator occubuit. 579
Mare peruium eſt viris Dei. 375
Mari naſcentes quæ patiantur. 62
Mari ſupernatant viri Dei. 375.376
Mare quieuit à procella eiecto Iona. 385
Mare Inſulas quamuis paruas non inundat, vt præcepto Dei pareat. 468
Mare rubrum pertranſierunt Sancti absque nauigiis. 751
Mari aqua dulcis quo hauritur, etiam velleribus circa nauim expanſis. 370
in Mari etiam fungi naſcuntur, qui poſtea Sole tacti dureſcunt in lapides. 649
Maritimus æſtus, vide Æſtus.
Mari herbæ ab imo etiam ſupra ſuperficiem adoleſcunt longæ ad 60. palmos. 369
Maris imo adhuc demerſæ vrbes conſpiciuntur in Phriſia. 380
Maria Aquilonaria profunditatis inſcrutabilis. 379
Mare in teſtimonium ſanctitatis Diui Clementis quotannis recedebat. 383
Mare Adriaticum aliquando congelatum fuit. 397
Mare ſit obſcurius in Canicula. 366
Mari arbores ingentes, qui ramos reflectunt, vt porticus concamerata fiat. 649
Mari corpora Sanctorum emerſerunt. 367
Mare diuiſum Moyſi. 751
Maritima littora, vide Littora.
Mari iniectum oleum ſponte ardebat. 693
è Maris profundo ſpectantur ſydera. 468
Marinæ aquæ redduntur potabiles ad iuſſa ſanctorum virorum. 372
Maria egreſſa terminos, nauesque è montibus penderunt Iuliano Imperatore. 379
Mare vi fluminum dulceſcit ad 160. paſſ. millia. 371
Mare congelaſcit, & de ea re multa memorantur. 386.387

Mare arſit ſæpe. 693
Maritimus æſtus quoad cacumina arborum naues religantur, deinde pacato mari religantur radicibus. 369.370
Maris ac fluuiorum aquæ lumen Solis non impediunt. 373
Mari congelato ingentes conſiſtunt exercitus cum omni bellico commeatu. 38.395.396
Mare traiiciunt Sancti fractis nauigiis absque remis. 375
Mare alicubi fluit rapidiſsimi torrentis modo. 377
Maria quæ nouo caſu congelauere. 386
Marinam aquam vltra paſſ. 30. humani oculi ſpectare in fundum non poſſunt. 373
Maritima inundatione vnica 100. mill. hominum periere. 380
Mare vltra Gothlandiam prorſus innauigabile, fluctibus caligineque ſemper nauigantes retundentibus. 391
Mare glaciale innumeris paſſ. millibus pedeſtri itinere permeari poteſt. 38.388
Maritimæ inundationes admirandæ in Phriſia & alibi. 380
Mari rubro ſunt ſyluæ, oliuæ, lauri, fungi. 369
Mari Taprobanæ non conſpiciuntur Septentriones. 390
Maria quorum aquæ dulceſcunt. 372
Mare perpetuam tenet hyemem ſimul & æſtatem. 395.396
Maritima aqua, vide Aqua.
Mari arbores ſemper virentes. 368.369
Maris profundo ſepulchrum S. Clementis Papæ. 383
Mare mortuum. 384
Mare mortuum eſt, vbi Gomorra demerſa eſt. ibid.
Maris glacialis admiranda. 38.39
in Mari domus, equitationes, ludi, bella, perinde ac in ſolo. ibid.
in Mari Mæotidi, vbi Mitridates claſſe hoſtem vicit, paſtea etiam terreſtri pugna deuicit. ibid.
Mare feruens cor impii. 371
Mare fert piſces, quibus ſint omnium animantium effigies, etiam auium ac reptilium. 333
Mare ſeſe diuiſit Iſraelitis. 381
Mare ſuas ſedes deſeruit. ibid. & 382
Maris maximum profundum non deſcendit ſupra 15. ſtadia. 372
Mare alicubi ſcopuloſum, & voraginum cauſa, & profunditatis inſcrutabilis. ibid.
Mare exorientem Solem velut reueretur, miteſcit enim illius conſpectu. 391
Mare, vas erat in atrio templi Hieroſolymitani. ibid.
Mare onera reddit leuiora. ibid.
Mare aliquando eſt innauigabile, ob teſtudinum multitudinem. ibid.
Mare non poteſt extra littus fluere, nec quidem in prono. 383
Mare colores mutat à ventis. 367
Mare lacteum ob albedinem. ibid.
Mare præuiride, aliud nigrum, aliud cœruleum, aliud rubrum. ibid.
Mare rubrum vnde dictum. ibid.
Mare vt rubeſcit nauali pugna ita ex oſtreorum ſanguine. 368
Mare vnum eſt per omnem Orbem. ibid.
Mare rubrum coiit Gaditano. ibid.
Mari rubro ſyluæ. 369
Mare Caſpium & Hircanum occultis meatibus iunguntur. 368
Maris varia nomina pro locorum ſitu. ibid.
Maria inſignia per omnem Orbem 30. numerantur. ibid.
Mare pratorum modo virens. 369
Mari ob herbas nauigia implicantur. ibid.
Mare Aquilonare congelatum eſt curribus peruium. 387
Mari victoria claſſe, poſtea ibidem terreſtri pugna. ibid.
Mare glaciale quanta ſpatia occupet. 388
Mare rubrum Ægypto ſupereminet. 383
Mare rubrum coniungere Ægyptio mari, qui ſint adnixi, & cur abſtinuerint. ibid.
Mari nouæ emerſerunt Inſulæ. ibid.
Mare egreſſum terminos, & nauigia in montibus pependerunt. 379
Mare egreſſum terminos ingentes piſces in littore dimiſit. ibid.
Mare Inſulas multas demerſit. 378
Mari terminos conſtituit Deus. ibid.
Mare Dei nutu vindex ſcelerum terminos ſæpe egreſſum eſt. 378.379
Mare fit tranquillum oleo. 385

Mare quieſcit cera aut oleo ſanctificatis. ibid.
Mare quandoque mouetur in procellam in teſtimonium ſanctarum reliquiarum. 386
Maria igni exarſerunt. ibid.
è Mari ortus ignis multa oppida abſumpſit. ibid.
Maria Ægyptiaca flumina permeabat ſicco veſtigio. 409
S. Maria vno momento cum corpore hinc ad Deum peruenit. 48
S. Maria Ægyptiaca ſæpe Iordanem pertranſiit absque nauigio. 751
S. Maria mater Dei non in Paradiſum terreſtrem, ſed cœleſtem migrauit. 537
Maria quædam ob peccatum impedimento fuit, ne nauis progrederetur. 756
Marmora ingentia impiis immobilia, piis facta ſunt mobilia. 584
Martia aqua magno ſumptu perducta. 619
S. Marinus ægritudines omnes oleo benedicto ſanauit. 657
S. Martini funeri adſuere monachorum duo millia. 728
Martinetæ auis natura. 197
S. Martinus venenum hauſerat herbis, ſed ope diuina ſanatus. 622
è Maſculis fieri fœminas numquam contingit. 89
Maſculi cum naſcuntur vagiunt A, Adam exprimentes, fœminæ vero vagiunt E, Euam indicantes. 63
Maſculi genitalia introrſus recondi poſſunt, & occultari. 89
Maſculis muliebri habitu vti turpiſſimum cenſetur. ibid.
S. Matthiæ ſententia fuit, plebium peccata tribuenda eſſe Epiſcoporum incuriæ. 143
Matthias Coruinus Rex captiuus latronum, vtrũque occidit occaſione imaginis Crucifixi. 149
Matrimonium excolendum exemplo Viperæ & Murenæ. 347
Matrimonium non eſt negandum Hermaphroditis. 88
Matrimonium inter ſingulares eſt, & quæ ratio. 101
Mathuſalem an fuerit in Paradiſo tempore Diluuii, an defunctus ante Diluuium. 534
Mauſoleum Auguſti Romæ. 727
Mauſoleum Regis Cariæ qua forma. 728. 731
Medardus, vide Gemini.
Medicamenta, quæ ex fide adhibentur, etiamſi contraria ſint, proſunt. 108
Medicamentis contrariis ſanati ægri ob fidem. ibid.
Medicamentum ſola imaginatione præbuit effectum, perinde ac ſumptum. 99
Mel quod homines ad inſaniam redigit. 543
Mel quod inſaniæ morbo liberat. ibid.
Mel venenatum ſui natura. ibid.
Mel manat duabus horis matutinis ab arbore. 669
Mel de petra, id eſt, petroſo loco. 656
Mel ſponte ab arboribus. 542
Mel à frondibus fluens. ibid.
Mel prædurum ac candidum. ibid.
Mel absque cera ab apibus. ibid.
Mel oleo perſimile & ſine fauis. 543
Memoria incredibili fuit Adrianus Imperator. 140
Memoria nobiliſſima animæ pars. ibid.
Memoria mulieribus eſt fragilis. 142
Memoria tenuere ſacram ſcripturam Ioannes doctus, & Seruulus mendicus. 140
Memoria Simplicius Virgilium ac Tullium quocumque ordine tenebat. 141
Memoria Corſus quidam recenſuit 30. millia nominum. ibid.
Memoria puer quidam omnem ſcripturam rithmice tenebat. ibid.
Memoria mox referebant, quæ audiſſent Scotus quidam & Narnienſis. ibid.
Memoria qui carent, ſtupidi, ignaui atque inconſtantes ſunt plerumque. ibid.
Memoria valent cæci. 139
Memoria facile læditur. ibid.
Memoriam literarum amiſit doctus quidam ictus in capite. ibid.
Memoriam parentum & affinium amiſit quidam cadens ex alto. ibid.
Memoria aucta eſt Clementi VI. Papæ ex ictu in capite. 140
Memoriam omnium, & ſui quoque nominis, amiſit Coruinus æger. ibid.
Memoria arguit optimam corporis conſtitutionem. ibid.
Memoria perturbatur phantaſmatibus, iunioribus ac ſenibus. ibid.

Memo-

Memoria tenebat ſacram ſcripturam Valens diaconus. ibid.
Memphis, vide Alcairum.
Mena piſcis æſtate niger, hyeme albus. 362
Menſtruata inficit ſpeculum viſu. 99
Mendicus cum abiiceretur naui, omnia lapidea facta ſunt. 572
Mercurii Trimegiſti libri ſupra millia 36. 769
Meretrices conuerſæ omnia quæſita abiecerunt. 101
Mergus auis iuſſa eſt petere deſerta loca. 208
Mergi proles mox excluſa victum ſibi quærit etiam amiſſa matre. ibid.
Meſſis piſcium. 357.395
Meſſes ſæpius quotannis in India referuntur. 548
Mexicum vrbs in lacu ſita. 427
Mexici ditio populorum militumque ingens numerus. 708
Mexici vna ſacra proceſſione numerata 100. mill. hominum. 709
Mexico vna die mille homines dæmoniis immolati. ibid.
Militum tuendis viis 100. mill. 715
Militum Iudæorum cæſa 580. millia. 738
Milliones ſex & triginta tributi nomine Synarum Regi. 716
Milo Crotoniata Taurum pugno occidit, & humeris tulit. 125
Milium ſi condatur cum ſua ariſta durat annis centum. 638
Milo obiit manibus intra ſciſſam quercum detentis. 125
Miluus iniqui venditoris vini marſupium in flumine demerſit. 189.602
Minima omnium auium quæ ſit. 208
Minutum quota pars horæ. 47
Miracula ſeptem Orbis. 703
Miracula etiam inter Ethnicos Deus fecit. 61.62
Miracula natura ipſa aſſiduitate viluerunt. 2
Mirice arbor terra marique adoleſcit, & ſignificat impios. 650
Miſſa nihil ſublimius in omni Dei Eccleſia. 587
Miſſam per iocum imitantes pueri Dei opere abſterriti. ibid.
Miſſæ verba non niſi à Sacerdotibus pronunciata conficiunt. ibid.
Miſſa pro defunctis hominem à vinculis ſoluebat. 608
Miſſæ ſpectandæ cauſa auriga quidam ſaluatus, curru hiatu terræ abſorpto. 149
Miſſa ad expiationem defunctorum valebat. 56
Miſſæ Diui Gregorii proſunt animabus in purgatorio. 59
Mithridates Rex veneni antidotum compoſuit. 107
Mithridatis memoria admiranda. 141
Mithridates aurum infudit ori Ducibus Romanis. 604
Mitulus piſcis ex Conchiliis, vide Conchilia.
Moyſes amaras aquas reddidit dulces. 459
Moyſes eduxit fontes è ſaxo. 444
Moyſis rubus ardebat, non comburebatur. 684
Moyſi lex data per ignem, vt maiori timori eſſet. 518
Molam frumentariam Paulus Boemus ſolus humo ſuſtulit. 125.126
Momentum quota pars horæ. 47
Monachi 600. ſponte ad vnum Abbatem confluxerunt conuerſionis cauſa. 718
Monachorum duo millia interfuere exequiis Diui Martini. 728
Monachorum millia quinque damnarunt monachum habentem ſolidos centum. 540.718
Monachorum decies mille ſub vno Serapione. 719
Monachorum millia quinque in Ægypti monaſteriis. 718
Monachorum tria millia vna die ſub Petro Cauenſi conuerſa. ibid.
Monachorum vita Paradiſi ſimilitudinem refert. 540
Monachorum millia quinque abſq; pecunia & rebus aliis. 540.718
Monachus inuentus cum pecunia cum ipſa ſepultus eſt turpiter. 540.718
Monachi ter mille quingenti, & in iis nec guttula aceti inuenta eſt. ibid.
Monaſteria magnifica conuerſa in antra. 507
Monaſterium ob ſimoniam totum corruit. ibid.
Monaſterio Benchor perpetua pſalmodia. 717
Monaſterio Bechor ſupra bis mille monachi degebant. ibid.
Monaſteria Idololatrarum quinque millia. 720

Monaſteria duo millia & octingenta in vna prouincia. 720
Monaſterio Lexiouienſi 500.monachi à piratis occiſi. 717
Monaſterio Lexiouienſi diu noctuque ſemper hymnodia. ibid.
Monaſteria centum ſexaginta ædificauit Diuus Bernardus. ibid.
Monaſteriorum centum fundator Luanus Abbas. ibid.
Monaſteria 500.ſibi proxima. 719
Monaſterio Giſnenſi 900.monachi. ibid.
Monaſterio vno quingentæ ſanctimoniales. ibid.
Monaſterium ingens, vnde nemo vmquam egrediebatur, cum intra illud omnia alimenta naſcerentur. ibid.
Monaſterio vno mille quadringenti monachi. ibid.
Monaſteriis trium millium monachorum nil prorſus aceti inuentum. 540.718
Monoceros. 245
Monocerotis forma, cornu, & quanta contra venena virtus. ibid.
Monocerotis cornu à Venetis ad Turcam dono miſſum, alterum à Clemente VII. dono datum Regi Gallorum. 246
Monocerotem capi intra virginis ſinum fabuloſum. ibid.
Monocodiatæ auis hiſtoria. 201.202
Monocodiata auis Angelos angelicosque viros ſignificat. 201
Monocula gens reperitur. 76
Monoculus Romæ per vrbem totam oſtentatus. 77
Monoculi fuere Philippus, Annibal, & alii multi inſignes. 76
Monoculam gentem ſeſe vidiſſe memorat S. Auguſtinus. ibid.
Monoculus infans & caprinis pedibus Conſtantinopoli natus. ibid.
Monſtra anſeres, vide Anſeres.
Monſtra marina aliquando viſa, diuinæque iræ indicia ſunt. 259
Monſtra omnia extremo die reſurgent decora facie ac membris. 75
Monſtroſa gens manibus carens pedibus munia obiens. 81
Monſtroſa gens auerſis plantis octo digitorum. 82
Monſtroſa gens, cui plantæ cubitales ſunt in viris, in fœminis vero velut ſunt ſtruthionum pedes. ibidem.
Monſtroſa gens, caudata absque villis, aliisque villoſa cauda eſt vt equis, aliis vt pecudibus. ibid.
Monſtroſa gens, cui ſuperior pars eſt hominis, inferior belluarum, & equinis pedibus. 81
Monſtrum habens lunatas plantas, & binis tantum digitis. ibid.
Monſtra varia in Tiberina quadam inundatione viſa Tiberio imperante. 85
Monſtra humana viſa in Tiberi. ibid.
Monſtroſa gens, cui pro pilis auium plumæ ſunt. 83
Monſtra gignuntur in deteſtationem alicuius criminis. 72
Monſtrum, quod retro canem referebat, ante hominem. 74
Monſtroſa gens, quæ nullo cibo vtitur, & cui nullus eſt poſticus. 85
Monſtroſam gentem permittit Deus ad indicanda ſcelera. 83
Monſtroſa gens admiratur legitimam corporum formam, velut monſtroſam. 86
Monſtroſa gens, quæ non graditur, ſed repit flexis genibus. 82
Monſtrum 4. oculorum, ore gemino, dentibus & barba. 71
Monſtrum ſine pedibus ac manibus. 82
Monſtroſa gens, cui vnicum brachium in pectore, & vnicum crus. 81
Mons, cuius vertice tanta eſt planities, vt quinque vrbibus ibi ſatis ſufficiat. 514
Mons ad 12. paſſ. mill. altus, totus vndique exciſus ferro. ibid.
Mons totus vndique exciſus, in quo educantur filii Pretoiannis. ibid.
Mons ita exciſus vndique recta linea, vt turris videatur eſſe, eſtque illi in ſummo vertice monaſterium. ibid.
Mons in quo quisquis degit, quarta aut quinta die moritur. ibid.
Montes multi inuicem proximi, prææalti, exciſi turrium modo. ibid.
Montes ſæpe terra abſorpti cum oppidis. 556.557
Montes campis æquati. ibid.
Mons quo natura formauit omnia fictilium vaſorum

rum genera, quæ cum fodiuntur ſunt mollia, prolata in lucem mox dureſcunt. 531
Montis Malei vmbræ æſtate in Auſtrum cadunt. 529
Montes duo inuicem collidentes, quibus multa animalia perempta ſunt. ibid.
Montes in planitiem redacti. ibid.
Montes in profundum abſorpti. ibid.
Montes confecti aggeſtu terræ. 530
Montes terræ motu repente emerſerunt. ibid.
Montibus ver, planis hyems eſt. ibid.
Montis antrum, quo tantus manat ventus, vt prætereuntes perimat. ibid.
Mons monachus ſalubri portu. ibid.
Montes tanta longitudine, vt viam habeant ſtratam ad bis mille milliaria. ibid.
Montium viſceribus reperta nauigia. 531
Mons in Armenia totus niuibus tectus, ideo inacceſſibilis ob errores. 514
Montes pumicei ex igne, qui è mari profluxerat. ibid.
Montes duo, quorum alter vt Magnes ferrum trahit, alter reſpuit. 528.565.566
Montes qui exoriente Sole ingentes ſtrepitus emittunt omnibus terrificos. 528
Montes picem mittentes. ibid.
Montium ignes cur furunt, & gignuntur vehementiores. 528.529
Mons depreſſus ſaluis oppidis, & domibus integris. 508
Montes Orbis noui, qui cum ignem vomunt, tremunt. 524
Montes apud Antipodes cur non cadant. 516
Mons Æthnæ perpetuas habet niues. 509
Montes Aquilonares perpetuis niuibus tecti. ibid.
Montes Iſlandiæ perpetuas habent niues & ignes. 510
Mons Ecla, vide Ecla.
Mons in Armenia à ſummo ad imum tectus niuibus. 513.514
Mons noui Orbis, cuius ſummo lacus eſt patens tria paſſ. mill. 525
Mons qui euomuit multam maritimam aquam. 526
Montis vertice S. Benedictus aquam eduxit. 525. & de fontibus in vertice montium. ibid.
Montes altiſſimi ſine vllo frigoris rigore peramœni, & fœcundi. 514.515
Mons ϑέων ὄχιμα perpetuis flagrat ignibus. 522
Mons Chymæra ignibus flagrat. ibid.
Mons in Aquilone excelſiſſimus, cuius vertice aues, fontes, fructus omnifariam. 524
Mons altus ſtadia 15. ſummo vertice peramœnus, vbi Alexander epulatus eſt. ibid.
Montes multi, qui ignem perpetuum vomunt, & quæ ratio. 522.523
Mons altiſſimus, cuius ſummo vertice lacus puriſſimus. 514
Montes in Africa ignem vomentes. 522.524
Mons, cui centum fontes. 525
Montes Æthyopici perpetuo ardent. 523
Montes Orbis noui, qui ignibus flagrant. ibid.
Montis Idei hiſtoria, vide Ideus.
Mons manu factus ad ſtadii vnius altitudinem. 742
Montis Æthnæ ignis qualis. 516.517
Monte vno hinc albi, hinc nigri gignuntur. 553
Montes integri è ſale. 527
Montes in Eccleſia Dei quid ſignificent. 488.530
Mons Athos, vide Athos.
Montem Theon habitantes non niſi nocte videntur. 551
Monte Arabico ſeruatur Sulthani ingens theſaurus. 514
Monte Arabico 7. mill. paſſ. alto eſt ingens ciuitas. ibid.
Mons qui ſeſe aperuit ignem vomens, ac multam lapidum congeriem in Orbe nouo. 524
Montes Sancti tranſtulere. 526
Montes, quibus homines viuunt 150. annis. 528
Mons, in quo omnia animantia viuunt, ſolus homo quinta die extinguitur. ibid.
Mons, qui diebus ac noctibus perpetuo flagrat. 682
Montes Doffrinii perpetuis niuibus tecti. 510
Montes, qui ſemper ardent, cur non abſumantur. 683
Montes totius fere Orbis, qui ardent, recenſentur. 516.517
Montes Magnetici. 527
Montes dehiſcentes, oppidaque opprimentes. 528
Montes, qui poſtea caſu aliis montibus iuncti ſunt. 529
Mons, qui manu hominis vel leuiter tactus fontes

turbari, & intumeſcere facit. ibid.
Montibus Orbis noui cum igne bis fumus ampliſſimus manat quotidie. 523
Montes Orbis noui, qui cum igne eructant ſaxa plauſtrorum magnitudine. ibid.
Mons Orbis noui, vnde ignis fumusque ingens, & ex quo fluuius feruentibus aquis à vertice manat. ibid.
Mons, è quo ignis ater manat, & fragor quantus bombardarum. ibid.
Mons è quo cum mugitu & igni cineres tanti eructant, vt domus ruant. 524
Montes in Africa perpetuis niuibus. 510
Montes freto Magelanico perpetuis niuibus obteguntur. 511
Mons Argeus perpetuis niuibus tectus. ibid.
Montibus Caucaſi niues ſemper videntur. 50
Monte Olympo, vide Olympus.
Mons Caſius excelſus. 512
in Montes Noruegiæ non aſcenditur, niſi triduo. 513
Montes quorum aſcenſus ſit ad vsq; 40. millia paſſ. ibid.
Mons Pelion ratione perpendiculi 1250. paſſ. altus. ibid.
Mons in Tenerifa ad 60. milliaria altus Pyramidis modo, & ignes vomit. ibid.
Montes alti ad 50. paſſ. mill. ibid.
in Monte Hecla Islandiæ ignis vomitur, vbi apparent mortuorum ſpiritus, ibi velut purgatoriis pœnis addicti. 56. 57
Mons ſaxeus ſummo vertice multam mittit aquam. 525
Monte Africano excelſo ſummo vertice lacus patens 12. paſſ. mill. 525
Montes ſaxeos Sancti alio migrare iuſſerunt. 584. 585
Montes ex pumice & cineribus congeſti. 531
Montes tres, qui modo clamantium, modo canentium voces referunt. ibid.
Montium verticibus nauigia penderunt. ibid.
Morbis aliquando remedia ſunt vexationes aſſiduæ. 110
Mors mala, an bona, non à genere pœnæ, ſed conſcientia cenſenda eſt. 20
Mortes multorum non vulgares. 777. 778
Mortui vir & vxor iuxta ſepulchrum ſibi mutuo locuti ſunt. 61
Morus arbor ad cubita quinquaginta altus. 651
Moſcouiæ viſtula flumen traiicitur curribus Martio menſe ob gelu. 55
Mugilus piſcis abdito capite latere ſe putat. 356
Muleaſſis Africani Regis luxus. 618
Muleaſſes Rex à filio peſſime habitus. ibid.
Mulieres doctæ multæ. 142
Mulier inepta eſt rebus publicis cum homini ſubſit. 86
Mulier vna matrimonia duo & viginti experta, cum vir eius totidem fuiſſet expertus. 100
Mulieres quinto anno pariunt, octauo decrepitæ moriuntur. 98
Mulieres Macrobiæ ſemel tantum pariunt, octauo anno, at quadrageſimo moriuntur. 98
Mulier vsque ad annos pubertatis poſtea Medicorum inciſione mas fuit. 88
Mulieres & Eunuchi ſæpe Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præfuerunt. 92
Mulieri 30. gallinæ quotidie non ſufficiebant. 106
Mulieres an abſque maribus fieri poſſint prægnantes, reiicitur Melæ ſententia. 94
Mulier abſque maſculo gignit molam. ibid.
Mulieres Gorgoniæ hirſutæ, curſu velociſſimæ. ibidem.
Mulieribus non vtuntur Semni. 558
Mulieres Suſidæ viris dominantur. 93
Mulier non eſt creata ad imaginem Dei. 86
Mulieres Gotticæ cum viri abeſſent armis prouinciam tutatæ ſunt. 93
Mulieres Sauromatæ armigeræ ſunt & bellicoſæ. ibid.
Mulieres Iberiæ armigeræ. ibid.
Mulieres Amazones Dianæ templum exædificarunt ſumptu vnius Hiſtrionis. ibid.
Mulieres Amazonum more viuentes etiam hoc noſtro ſeculo. ibid.
Mulieres Gigantes Iuſtino Thrace Imperatore viſæ etiam Romæ. 65
Mulieres Semniæ perpetuo ſunt virgines. 105
Mulieres, quæ paſſim viris miſcentur. 100
Mulieres pluribus viris iunctæ matrimonio. ibid.
Mulieres plures vni viro iunctæ matrimonio. ibidem.

Mulieris origo nobilior viro ipſa origine conſpecta. 86
Mulieri vnum ſtudium à natura liberos procreandi & alendi. ibid.
Mulieres eruditæ multæ. 142
Mulier cattum peperit. 97
Mulier canem peperit. ibid.
Mulier tres canes edidit. ibid.
Mulier peperit tres lapides & infantem. ibid.
Mulieres ventrem prægnantem ferunt quandoque vsque ad menſes 14. 98
Mulier nono anno prægnans, decimo peperit in Germania. ibid.
Mulier adultera vnum marito, alterum adultero ſimiles genuit filios. ibid.
Mulier cum in mari parit, mutum parit. 62
Mulieres, quæ in mares mutatæ ſunt. 88
Mulieris parricidium impedimento fuit nauigationi. 375
Mulieres, quæ quatuor aut quinque ſunt enixæ. 95
Mulieris capitis dolor ſanatus ictu lapidis in capite. 109
Mulier peperit Cameli modo piloſum ob imaginem S. Io. Baptiſtæ. 99
Mulieres Geloniæ virilia omnia munera ſubeunt. 92
Mulier ſi in Rep. dominetur, turpitudo quoque dominetur neceſſe eſt. ibid.
Mulier erogans pauperibus pecuniam recepit auctam, & virum reddidit Chriſtianum. 601.602
Mulieres natandi peritia inſignes iuxta Nilum. 106
Mulier ad ſupplicium damnata veneno aſſueſcens non obiit. 107
Mulierem vt veneno aſſueuerit, ſemper illæſam Albertus docet. ibid.
Mulieri veneno aſſuetæ qui miſcentur viri, moriuntur. ibid.
Mulieres Indicæ aprorum more dentes habent. 97
Mulieres Indicæ centies peperiſſe memorantur. ibid.
Mulier tricies enixa, & viginti filios circumferebat. ibid.
Mulieres virili habitu ſæpe vſæ cum laude. 89
Mulierum exempla, quæ incognitæ inter viros vixerunt. 90
Mulierem vnquam ſediſſe in Rom. Pontificatu commentitium eſt, & vnde orta fabula. 90.91
Mulieres Regna tenere Amazonum more, variis Orbis partibus ſunt exempla. 93
Mulieres ſteriles ob aquæ cuiusdam potum. 452
Mulieres ſtipe conductæ, & armigeræ ad Regis Coulam cuſtodiam. 94
Mulieres Amazonum mores ſequentes degunt libentius in Inſulis. 93.94
Mulier quædam in ima domo terræ motu ſepulta ſe atque infantem lacte proprio diu aluit. 118
Mulieres fœcundæ fiunt potu cuiusdam fontis. 452
Mulieres lacte deſtitutæ illud recipiunt potu ex quodam fonte. ibid.
Mulieres toto corpore hirſutæ, & quæ ſponte grauidæ fiunt. 483
Mulieres Scythicæ ſolo viſu faſcinant, & perimunt. 99.
Mulier annis ſingulis quinos enixa eſt, vsque ad 60. fœtus. 97
Mulier Vercellenſis ſepties icta interimi non potuit. 135.608
Mulier quadrigeminos vno partu edidit, idque ſæpe accidit alias. 95
Mulieres prolixis barbis. 531
Mulus nullam ſpeciem habet. 279
Mulus à Deo non eſt creatus initio. 200
Mulorum procreationem primus creauit Anas æquas aſinis ſubiiciens. 279.280
Mulus prodiit ex quodam hiatu. 507
Mulus hæretici genua flexit Euchariſtiæ. 281
Mulum ſuum doloſum Thales correxit. 280
Mulus Hugonis Abbatis volare viſus ſecurus ex præcipitio ſemper Abbate inſidente. 129
Mulus & mula non coeunt ad prolem. 279.280
Mulus non fuit in arca Noe. 280
Mulæ an pariant. ibid.
Mula 80. annorum. ibid.
Mulæ vngula Stygias aquas ſeruat. 280
Muli ſæpe Dei miniſtri. ibid.
Mula locuta ob Sancti reliquias. 280.281
Mulus piſcis venditus pluris, quam hodie centum muli quadrupedes. 337

Muli piſcis caro luxuriem extinguit. ibid.
Munitio 10.mill.paſſ.horis tribus ſtructa. 720
Murænà marem non habet. 347
Muræna coit viperæ. ibid.
Muræna adulteras mulieres ſignificat. 347
Muræna læſo capite non moritur, læſa cauda obit. 347
Murænæ & viperæ complexus ſignificat Chriſtianum cum Ethnica. ibid.
Muræna fuſte percuſſa non moritur, at ferula ſeu arundine moritur. 320.347
Murænæ multæ cicures. 324
Muræna Craſſi cicur. ibid.
Mures pluunt quotannis. 28
Murium multa millia Eliogabalus colligenda curauit. 254
Mures vulpium magnitudine. 253
Mures incolas abegerunt. 775.254
Mus in Scotia nullus. 255
Murium multitudo ex campi ebullitione manauit in populorum perniciem. 253
Mures oſtreis occluſi. 349
Mures binis pedibus gradientes. 253
Murium multitudo ſimul fluuios tranat caudam quisque alterius ore tenens. ibid.
Mures fœtus multiplicatione ſuperant omnia quadrupedum genera. ibid.
Mures ſæpe vindices iræ Dei incolas ſuis ſedibus pepulere. 253.775
Mures Archiepiſcopum exederunt. 254
Muribus quidam totus eſt dilaceratus. ibid.
Muribus multi Martyres torti. ibid.
Murium numeroſa proles. 252
Mures pluuia gignuntur. 253
Mures pluunt è cœlo. ibid.
Mus eſt horrori Elephanto. 252
Mures albi vſu Zaccari. 253
Mus vnus venditus 200.nummis. 254
Mures domo fugantur omnes, ſi vnus caſtratus emittatur. ibid.
Mus muſcatulus ſtercore eſt odorifero. ibid.
Mures bibendo moriuntur. 255
Murium membra paulatim defluunt moriunturque. ibid.
Murus 80.mill.paſſ. 720
Murus 130.mill.paſſ. ibid.
Murus 200.mill.paſſ. ibid.
Muri longiſſimi. ibid.
Muri ex glacie firmiſſimi. 745
Murus longus bis mille paſſ. mill. apud Tartaros. 721
Muſca Soli præferenda eſt. 163
Muſca nulla in monte Carina. 164.531
Muſcæ incolas ab oppidis abegerunt. 775
Muſca Soli ideo anteponenda eſt, quod libere, vt vult, moueatur. 163
Muſcæ absque ſexuum complexu gignuntur, gignunt etiam. 164
Muſca ita Dei creatura eſt, vt Homo & Angelus. 163
Muſcas à diabolo factas dicunt Manichæi. ibid.
Muſcæ minimæ in Moluchis Inſulis mel conficiunt. ibid.
Muſcæ humore exanimatæ cinere reuiuiſcunt. 164
Muſcæ diuinæ iræ vindices. ibid.
Muſicen mederi variis languoribus, etiam dæmoniacis, conſtat. 773
Muſices inſtrumenta admiranda nuper inuenta. ibid.
Muſtellæ quanta noſtræ feles. 255
Muſtellas reformidant iumenta omnia. ibid.
Muſtellæ virus Baſiliſcum perimit. 255.299
Muſtellarum multa millia colligenda curauit Eliogabalus. 254
Muſtellæ cum ſerpente hoſtilitas. 293
Muſtelli piſces ſuos fœtus rurſum recipiunt intra ſe ipſos. 354
Muſtum plus obeſt odore hauſtum, ac viſum, quam epotum. 658
Muſtum epotum numquam inebriat. ibid.
Mutius Eremita iuſſit Solem ſtare. 3
Mutius Nilum recto corpore permeabat. 145
Mutius occluſis oſtiis ad ſuos ingrediebatur. ibid.
Muta animantia omnia dicuntur præter aues. 184
Muta gens quædam reperitur. 79
Muti aliqui præ dolore euaſerunt. 78
Muti canes in Orbe nouo. 230
Muto mox fieri diſertum contigit. 79
Muti canes, ſacerdotes populi ſcelera diſſimulantes. 230
Mutos quoſdam reddidit Deus. 79

Naaman

N.

NAaman Syrus mundatus aquis lepra. 453
Nabuchodonoſor Rex cum belluis vixit per agros. 776
Nabuchodonoſor Rex fœnum vt bos edit, errans per ſyluas vt aquila. 72
Napellum herba homini venenum, paſſeribus ac turdis ſalutaris. 628
Napello Ladislaus Rex exercendo Venerem cum muliere necatus eſt. ibid.
Naribus aliqua gens caret. 78
Naſcuntur quidam albo crine, & ſtatim cani fiunt, alii albi iuuenes, nigreſcunt capillo ſenes. 120
Natali Domini æſtus, & fruges maturæ. 477
Natans ſub aquis ſe ſingulis veſtibus nudabat Siccardus. 84
Natant perinde ac piſces Ichtiophagi. ibid.
Natandi peritiſſimus Cæſar. ibid.
Natiuitatis & mortis idem dies accidit aliquibus. 154
Nauarræ Rex aqua vitæ oblinitus mortuus eſt. 660. 778
Naues ex imo mari petit lapis Sagda, & ipſis adhæret. 580
Naues hoſtium ingenio Archimedes demergebat. 758
Naues in Taprobane vtrimque proras habent ob anguſtos alueos. 372
Nauium ingentium quinque millia. 410
Naues vbi non eſſent quandoque miracula apparuere Sanctorum vſui. 756
Naues Archimedes exuſſit ſpeculis. 594
Naues Proclus exuſſit ſpeculis. ibid.
Naues ſæpe ad ſuperſtitionem extructæ fuere ab Ethnicis. 757
Nauis inuenta ſub lacu, ſepulchri vice ibi locata. ibid.
Naues aliquando decedentibus aquis manſere in ſicco ſolo. 755
Naues à remora impeditæ ne progrederentur. 756
Nauium tria millia Xerxis. 754
Nauium duo millia Gottorum. 755
Naues Cleopatræ ornatæ auro ac rebus aliis. 618
Nauis inuenta ſub terra plus quam centum cubita defoſſa. 531. 754
Nauium ſyluæ maritimæ. 52
Nauis Regia apud Sinas qua forma & ornamentis. 754
Nauis qua vectus obeliſcus eſt Romam admirandæ amplitudinis. 758
Nauis, quæ obeliſcum Romam vexerat, puteolano puluere demerſa eſt. ibid.
Naues plicatiles. 747
Nauigia, quibus aliquid ferri ineſt, ſiſtuntur magneticis montibus. 566
Nauigia facilius merguntur dulci, quam ſalſa aqua. 370
Nauigandi formam ex Septemtrione docuit Thales Mileſius. 756
Nauigia in gelu curribus trahuntur. 386. 388
Nauigandi pars in Taprobane eſt, vt pro Magnete auibus vtantur. 390
Nauigationes ſine nauigiis terreſtri ſolo exercentur, etiam cum Magnete. 391
Nauigia ob peccata ſiſtuntur. 376
Nauigiorum ligna absque clauis ſolo filo aut funibus alligata. 753
Nauigia ex trabibus ſimul compactis. ibid.
Nauigiorum latera arundinibus fulta, arundo eſt malus, vela ex arborum corticibus. ibid.
Nauigia compacta ex oſſibus cæte. ibid.
Nauigia 150. ex arundinibus contextis. ibid.
Nauigiis herbarum copia vbi impedimentum præbet. 369
Nauigia diriguntur magnetica vi quolibet. 566
Nauigia compinguntur ligneis clauis, vt magneticorum montium vim deuitent. ibid.
Nauigia ſupra domos & montium vertices. 531
Nauigari etiam in ſolo poteſt. 747
Nauigia ex ſcirpo & papyro. ibid.
Nauigia velut fiſcellæ, aut caniſtri. 748
Nauigia quomodo in arduos montes aſcendant, & recta linea in valles deſcendant. ibid.
Nauigiorum quindecim millium in India. 754
Nauigant Troglodytæ ſine velis, remis ac gubernaculo. 749
Nauigant Sancti ſine velis, remis & gubernaculis, etiam fractis nauibus. ibid.
Nauigia ob herbarum implexus impediuntur in Pario mari. 369
Nauigia ex vitro ornamenti & ingenii cauſa. 747

Nauis inuenta in lacu Numico in fundo integra. 757
Nauigia reperta in viſceribus montium. 531
Nauigia ex arundinum ſciſſis nodis. 671
Nauigia quorum tabulæ ſimul conſuuntur arborum radicibus. 746
Nauigia ex vtribus & corio. 747
Nauigia ex corio. ibid.
Nauigia ex vno ligno excauato quo 40. excipiuntur viri. ibid.
Nauigia ex arundinibus. ibid.
Nauigia ante diluuium. 753
Nauigiorum ducenta millia. 754.755
Nauigia ſiſtit Acha piſcis. 363
Nauigia immobilia obſtricta gelu. 386
Nauplus piſcis peritiſſime regit nauigium, & velificat. 340
Nautilus piſcis nauiculam regit. 329
Nautilus nautæ, remorum, veli nauigiique officium ſolus implet. ibid.
Nereides aliquando viſæ. 331
Nereides an inueniantur. 84
Neutri ſexus corpora vera monſtra ſunt. 87.88
Nicænæ Synodi loco fons manauit. 446
S. Nicolaus oleum in mari fecit ardere. 693
Nidi exſtructio admiranda, qui tametſi aquis mergatur incolumes ſeruat pullos. 200
Nidorum variæ exſtructiones. ibid.
Niger fluuius conditur, & rurſum redit. 498
Nigredo indelebilis ex arboris ſucco quodam albo. 670
Nilus totus eſt admirandus. 394
Nili luto multa animantia gignuntur. ibid.
Nilum permeabat Mutius. 145
Nili ortum habitantes nobis Antichtones ſunt. 50
Nili curſus omnium longiſſimus. 395
Nilus emergit apud eos, qui nobis ſunt Antichtones. 395.553
Nilus perpetuam ſentit hyemem ſimul & æſtatem. 395
Nili ortu nobis Antipodes, vide Antipodes.
Nilus vnicum in ſe admittit fluuium. 396
Nilus ſemper à Sole illuſtratur ſimul, & à nocte perpetua obtenebratur. 396
Nili curſus deſcribitur. ibid.
Nili Inſulæ vaſtiſſimæ. 482
Nilus è Paradiſo oritur. 394
Nilus oritur ad Bonæ ſpei promontorium. 397
Nili ortu hyems eſt cum nobis æſtas. 396
Niniue maxima præ omnibus vrbs fuit miris mœnibus ac turribus. 705
Niniue trium dierum itinere circumiri poterat. 705
Niſus auis auiculas vnguibus nocte tenet, calefactis pedibus dimittit. 208
Nitrum iniectum ori Leonis aut Vrſi mordendi vim illis adimit. 575
Nitrum quoddam ſalis eſt genus. ibid.
Nitrum venenoſa res eſt. ibid.
Niuaria Inſula ob perpetuas niues. 488
Niuis Æthnæ ignis non liquat. 682
Niues alto mari nunquam cadunt. 38.387.488
Niuis pauxillum auicula permouit, vnde oppida obtrita ſunt. 37.321
Niue tegente arbores quandoque fit longiſſima & ampliſſima porticus. 37
Nix modica è vertice montis lapſa creuit adeo, vt monaſterium contriuerit. ibid.
Niue ſæpe cateruæ hominum opprimuntur, ſepeliunturque in Cambiſena & Corzena. 37
Niue gignuntur glebæ quibus ſuauis aqua continetur. 38
in Niue vermes gignuntur, & viuunt. ibid.
Nix in Æthyopia nunquam cadit. ibid.
Nix media æſtate apud quoſdam Tartaros. ibid.
Nix aliquando admiranda in Italia etiam Romæ. ibid.
Nix & glacies multis ad poculum miſcetur hyeme & æſtate. ibid. & 39
Nix ſeruatur paleis, item & gelu. 509
Nix alta viginti cubitis. 387
Nix Æthnæ neque ab igne vincitur, neque ipſa ignem vincit. 516
Nix vetuſtate rubeſcit. 160
Nix in ſcripturis quid ſignet. 488
Nocte Iulianus Abbas ſine lumine omnia clare videbat. 114
Nocte Tiberius Imperator excitatus videbat omnia. ibid.
Noctes ſemeſtres. 49.551.552
Nocte videbat omnia Anacoreta tota vita numquam vſus lumine. 692

Nocte gens quædam Aquilonaris omnia videt. 114
Nocte clarius quam die cernunt Albani. 115
Noctu diuque ſemper ad ſe accedentibus aperta domo paratus Epiſcopus Acatius, ſicut & Abraamus etiam Epiſcopus. 118.120
Nocte ingens lux ſæpe viſa eſt, præcipua autem Chriſto nato. 4
Nocturnæ luces miracula diuina ſunt ad Sanctorum laudem. 5
Nox vna trium menſium in Iaponia, & aliis prouinciis. 48.49
Noctes horarum 20. 50
Nox perpetua, & perpetua dies in Tyle per dies 40. 479
Noctis tenebræ in Aquilone non obſunt, quin legere, ſcribere, & ſimilia agere liceat. 49.478.552
Nocte vna gramina adoleſcunt, humum omnem tegentes. 558
Noctilucarum natura, vis, lux & cauſa. 156
Noctilucarum vis magna in Orbe nouo, præbent enim candelæ vſum. ibid.
Noctua nulla eſt in Creta Inſula. 484.485
Nominum ſimilitudine innocens pro delinquente ſupplicium ſumpſit. 150
Nouacula ſecuit cotem. 580
Nouus Orbis, vide Orbis.
Nubes quantum à terra eleuentur eſt inſcrutabile. 35.373
Nubes trahunt & lapides, & piſces. 27.366
Nubes in puro aere gigni aut eſſe non poſſunt. 204
Nubes quamuis parua cur Solis lucem impediat. 35.373
Nubes aut nebula cur Solis radios impediat, mare non impediat. ibid.
Nudum hominem ſerpens non attingit. 291
Numeri quidam in homine quandoque frequentiſſimi, vt nonus in Abbate, & ſeptimus in Pontifice Romano. 153
Nummi argentei an ante Abraamum fuerint. 605
Nummi ærei Cæſaris tempore, ibid.
Nummi ex papyro. ibid.
pro Nummo ferrei annuli in vſu erant. ibid.
Nummus primus fuit argenteus, poſtea aureus. 605
Nuptiæ Qualenſes prouerbium. 150
Nutrix à puero nondum decenni reddita grauida. 105.123

O.

Obeliſci per omnem Orbem. 729.730
Obeliſci quomodo Romam vecti. 729
Obeliſci quomodo erecti in baſi. ibid.
Obeliſcum Vaticanum tranſtulit & locauit Sixtus Quintus Pontifex. 730
Obeliſcum è circo maximo eductum locauit Sixtus V. 731
Obeliſci ex Smaragdo. ibid.
Obeliſci à fulmine fracti. ibid.
Obſonia terra feruenti obrutis ollis concoqui poſſunt. 555
Occiput nullum genti cuidam in Coraquo noui Orbis. 70
Oculi piſcium quorumdam noctu lucent. 345
Oculis ſerpentum laceratis ſuccreſcunt alii. 311
Oculi Aleſis piſcis lucent noctu. 364
Oculi cæcutiunt potu aquæ. 451
Oculis carentes ſæpe nati infantes. 77
Oculi piſcis viginti hominum capaces. 343
Oculi 4. cuidam monſtro. 71
Oculos virgo ſibi eruit diuertendo adoleſcentis amori. 104
Oculi humani marinam aquam introrſus ſpectare non poſſunt vltra paſſ. 30. 372
Oculi eruti Leoni Tertio poſtea ſunt reſtituti miraculo. 114
Oculos aliqua gens habet in pectore, alia retro. 76
Oculos hominum perſtringebat Arthemiſius lapide expolito Soli oppoſito. 46
Oculos reddidere Sancti abſque vllo medicamine. 621
Oculos ſanant viri Dei contrariis collyriis. ibid.
Oculi cum binis pupillis genti cuidam. 77
Oculi in quibus ſunt equi effigies. ibid.
Odia non herbis, ſed nequitia gignuntur. 623
Odia vrbs, vide Vrbs.
Odore ſolo deprehenſus eſt à perſecutoribus Cn. Plotius. 176
Oleum ex cœruleo verme ſponte accenditur. 691
Olei fontes perpetui, vt cameli quotidie onerentur. 460
Oleo benedicto diabolicæ præſtigia eliminantur. 656

Oleum etiam diabolus adhibet ſuis præſtigiis, ſed à ſanctis irritantur. 657
Oleum ex verme Indico, quo omnia inextinguibiliter exuruntur. 161
Oleum quo magis ardet in lampade, magis auctum redundat. 656
Oleum myſteriis multis adhibetur ſæpius, quam quodlibet aliud creatum. ibid.
Olei vnctionibus ſacris gratia Dei ſuſcipitur. 656
Olei fons, cui accedit nemo niſi nudus. 532
Olera concoquebantur ligneo vaſe absque igne, Sole tantum feruente. 613.645
Olei fons, quo magis hauritur, eo magis augetur. 532
Oleo mare fit tranquillum. 654
Oleo benedicto vulnera ſanantur, & pelluntur morbi. 656.657
Oleum in profundo aquarum luciditatem facit. 654
Oleum ex arboribus manat. ibid.
Oleum apes, veſpas, muſcas necat. 655
Olei fons fluxit naſcente Chriſto. 446.655
Olei fons odoriferi, quod mari ſupernatat ad duodecim milliaria. 485.486
Oleum manauit à ſepulchris Sanctorum. 655
Oleum ex aqua fecit Narciſſus. ibid.
Oleum ſacris adhibendum non niſi ex oliua eſſe debet. ibid.
Oleum ex aqua fecit Conſtantius. ibid.
Oleum ex petra, id eſt, petroſo loco. 656
Oleum in mari incenſum arſit. 693
Oleum, vinum & acetum vno vaſe ſeruata. 663
Oleum ſignificat viros probos. 631
Oliua quotannis floret die ſancti Torquati. 677
Oliuetum integrum ſponte alio migrauit. 655
Oliuis Brumæ ſolſtitio folia conuertuntur. 654
Oliua Cardinalis puerulus demerſus fuit voto matris redditus vitæ. 449
Oliua in totum combuſta reuixit. 655
Oliuæ naſcuntur mari rubro. 369
Olympo monte aues non viuunt. 511
Olympo monte nulla hominibus aerea erat reſpiratio niſi ſpongiis humentibus. ibid.
Olympum montem explorauit Franciſcus Philelphus. 512
Olympi montes quatuor. ibid.
Olympus mons oriente Sole vsque ad quintam diei horam flammas emittit. 522.523
Olympo monte nix numquam viſa. 511
Olympo monte nullus ventorum flatus. ibid.
Ombrio Inſula multis rebus miranda. 477.488
Oppidorum inſignium quinque millia in India. 715
Opulenti Romæ ad viginti millia fuerunt, qui exercitum alere poterant. 711.712
Opulentia Syllæ. 616
Opulentia Craßi, vide Craßi.
Opulenti Romani. 615.616
Opulentia Ruſtici, vide Ruſticus.
Opulentia abutentes peßime obierunt. 618
Opulentia duorum hiſtrionum. 704
Opulentia Ptolomæi cuiusdam. 617
Opulentia Pithii Bitini. 615
Opulentia P. Clodii. ibid.
Opulentia Milonis. 615.616
Opulentia C. Cæcilii. 616
Oratio mentalis & vocalis nobis in exemplum à piſcibus perhibetur. 355
Oratio vna Iſocratis vendita 20. talentis. 619
Orbis nouus toto anno viret. 548
Orbi nouo non hæreticorum labruſcæ, ſed Catholicæ fidei ſemina iacta ſunt. 629
Orbis nouus repertus à Columbo, qui Platonis ſcripta nouerat. 472
Orbis piſcis rotundus nullo alio apparente membro præter caput. 364
Ordeum quo vtuntur homines, quod cætera animantia exhorreſcunt. 630
Ordeo ſignificatur falſitas hæreticorum. ibid.
Ore gens quædam caret, foramen tantum perexiguum habens. 78
Organa ex vitro, item ex Alabaſtrite lapide. 773
Organa ſonora ex aqua. ibid.
Orgentorigis Heluerii familia fuit numerata ad 10. millia. 137
Origenes fertur ſcripſiſſe ſex millia volumina. 757
Orix orientem Solem velut adorat. 273
Orix aquam in vtero habet, quæ homini ad multos dies ſedat ſitim. ibid.
Ormutium Inſula tota ſale conſtat. 574
in Ormutio Inſula nulla auis, nulla quadrupes ob ſalem. ibid.
Orphus piſcis diſſectus adhuc viuit. 353

Oſſa

Oſſa in animantibus virtutum locum tenent ac ſignificant. 361
Oſſibus ac virtutibus carere dicuntur delitioſi, ideoque putreſcunt. ibid.
Oſſa Leonum concreta ſunt, atque ab illis ignis excutitur. 226
Oſſa flexibilia habet gens quædam. 80
Oſſibus ſiccis manauit ſanguis. 33
Oſſifraga, vide Aquila.
Oſtiis clauſis ad ſuos ingrediebatur Mutius. 145
Oſtrea peccatores ſignificat. 348
Oſtreis domeſticus eſt hoſpes à quo monentur, ſi quid extraneum ſuperueniat. 348
Oſtrea cancer edit immiſſo ligno ne occludantur. ibid.
Oſtrea occluſis foribus mures captiuos faciunt. 348
Oſtrea ampliſſima. ibid.
Oſtreis purpura conficitur. ibid.
Oues, vel fœminæ, vel mares gignuntur ob ventos. 271
Oues ſylueſtres boum magnitudine. 270
Oues aſinorum vicem ad onera ferenda implent. ibid.
Oues non niſi quarto die bibentes. 271
Oues hirſuto vellere. ibid.
Oues admiranda cauda. ibid.
Ouis fœtus color futurus prænoſcitur in ore Arietis. 270
Oues omnes nigræ. ibid.
Oues diſcolores arte fiunt. ibid.
Oues cornutæ. 271
Ouis cum lupo hoſtilitatē, etiā mortua ſeruat. 270
Oua quomodo emolliri poſſint, vt paruo annulo transmittantur. 199
Oua qua induſtria Picæ transferant. 200
Ouis gallinaceis perfuſum lignum, aut veſtis non vruntur. 684
Ouorum cortex pro vaſis & poculis in vſu ſunt in Lybia. 774
Ouorum teſta aut cortice fiunt pilei in Lybia. ibid.
Ouum in aqua vbi ſal liquefactus eſt, ſupernatat. 370
Ouum aqua dulci mergitur. ibid.
Ouum aquis ſalſis non mergitur. 463
Ouum quamlibet magnum facile emittitur, at mox natum dureſcit. 199
Oxiringum vrbs tota ex ſanctis viris conſta.
Ozias Rex cauſa fuit primi terræmotus ob violatam Eccleſiaſticam libertatem. 40

P.

S. Pachomius Nilum tranabat, vide Crocodilus.
Padus fluuiorum Rex. 401
Padus 30. fluuios perennes excipit. ibid.
Padus ſeptem facit maria. ibid.
Padus prodigioſe ſe erigens in fornicis formam. ibidem.
Pagurus piſcis abiecta cruſta abiicit ſenectutem. 355
Palatium ex arundinibus totum in leporario magni Cam. 733
Palatium ex arundinibus, ſed tectum, & pleraque auro tecta. ibid.
Palatia portatilia Regum. 744
Palatium omnium maximum magni Cam 32. paſſ. mill. 741.742
Palatium magni Cam auro tectum. ibid.
Palatium Imperiale Vrbinatum. 744
Palatia, quæ aureis laminis teguntur. 343
Palatia cum numeroſa familia in arboribus exædificata. 652
Palatia quædam Reg. 4. & alia 5. mill. paſſ. ambitu auro ornata. 742
Palatium octangulare ampliſſimum eximie ornatum auro. 743
Palatium ſtanno extrinſecus tectum, intrinſecus auro, nemo prorſus illud ingreditur. ibid.
Palatium Regium ambitu 10. paſſ. mill. pleraque ibi aurata. 742
Palatium ſupra octo altiſſimas turrium modo columnas. ibid.
Palatium Regium, in quo 79. ingentes aulæ auro ornatæ. ibid.
Palatium in Hiſpania frondibus non aliter ac muris extructum. 744
Palatium Chebreni Regis altum ad menſuram ſtadii, profundumque valde. ibid.
Palatia in arboribus intra paludes cum omni gaza. ibid.
Palea in Æthyopia domus conteguntur in annum ſeptuageſimum. 541.639
Palea & calida & frigida videtur, vt maturet poma, & ſeruet niuem. ibid.

Paleæ conuertuntur in aurum iuſſu ſeruorum Dei. 601
Palemon ex riſu mortuus. 121
Palæologus Imperator æger, ſolis vexationibus conualuit. 110
Palladius curſor viam admiranda celeritate conficiebat. 127
Pallæ ſacratæ lineæ ſanguinem emiſerunt frequenter. 636. 637
Palma qua vixit Honofrius ſingulis menſibus fructum reddebat. 664
Palmæ folia nunquam excidunt, ſemper virent. ib.
Palma fœmina longe abſens à maſculo ſterileſcit. 663
Palma mas ſi frondibus abruptis ſpolietur, fœmina, vt vidua, fit infœcunda. ibid.
Palma ante maturitatem ſedat ſitim, at matura inebriat. ibid.
è Palmæ caudice manat ſuccus inebrians vt vinum, niſi aqua miſceatur. 664
Palmæ lignum demergitur mox, cum fluctuare non queat. ibid.
Palma à fulmine eſt immunis. ibid.
Palmæ folia longitudine creſcunt, numquam latitudine. ibid.
Palma aduerſus pondus exurgit. 663
Palma cur ſignum victoriæ. ibid.
Palma & mas & fœmina eſt. ibid.
Pane, aqua, lecto, igne ſemper abſtinuit Abraam Cirrorum Epiſcopus. 118
Pannoniæ feruentes lacus metalla transmutant. 437
Pantheon aliud in Arabia æquandum illi, quod fuit Agrippæ. 723
Pantheon trabes ex ære habet. 612
Panthera odore ad ſe trahit animantia. 258
Panthera Tyrannis comparanda. ibid.
Panthera hominis imagini infenſiſſima. 259
Panthera beneficio hominis egens illi blanditur. ibid.
Pantheræ hominis ſtercus medicina eſt. ibid.
Pantheram parturientem fœtus diſcerpit. 260
Panthera ſemel tantum parit. ibid.
Panthera cum Hœdo init amicitiam. ibid.
Pantheræ & Hyænæ coria ſi ſimul ſuſpendantur, decidunt pili præ hoſtilitate. ibid.
Pantheræ forma & hiſtoria. ibid.
Papilio Regis Sinarum omnium maximus. 746
Papilio quidam tranſit in auem. 193
Papilio in quo Sol, Luna artificio mouebantur. 746
Papyrus ſcripta apud Indos velut aliquid viuens putabatur. 766
Papyrus, qua ad ſcribendum vtimur, ex lino obtrito fit. 636
Papyrus longe celerius vritur, quam linum. ibid.
Papyrus ex arbore eximia. 652. 670
Papiſſa mulier apud Moguntiam ab Rabano Archiepiſcopo mulctata. 92
Paradiſi fluuiorum nomina immutata ſunt. 394. 536
Paradiſi flumina rurſum ſe terris condunt. 536. 537
Paradiſi quatuor fluuii ſignificant 4. virtutes. 400. 537
Paradiſi terreſtris delitiæ quæ. ibid.
Paradiſi duo, terreſtris & cœleſtis. 538
Paradiſus terreſtris vbi ſitus. 534
Paradiſum non inundauit diluuium. ibid.
in Paradiſo terreſtri adhuc viuunt nonnulli Sancti Dei. 537
Paradiſum etiam Plato faſſus eſt. 538
Paradiſi terreſtris hiſtoria. 533
Paradiſum terreſtrem aliqui putarunt Inſulam Zeilan. 477
Paradiſi quatuor flumina non niſi prophetico ſpiritu origine cognita ſunt. 400
Paradiſus fœdatus non eſt, Diaboli beſtiarumque præſentia. 537
in Paradiſo bruta non fuere creata, ſed adducta. ibid.
Paralyſis Baptiſmo pulſa. 429
Paraſitus piſcis ignauiſſimus alienis opibus alitur. 338
Partu vno apud Cracouiam mulier peperit 36. viuos. 97
Partu vno editi quinque. 95
Partu vno quatuor editi, & poſt quadrageſimum diem quintus. 95
Partu vno ſeptem enixa eſt meretrix, vnus poſtea regnauit. ibid.
Partu vno egeſta quindecim puerperia, alibi duo & viginti, alibi ſeptuaginta. 96

Partu vno editi ſunt 360.viui, & Baptiſmo intincti ſunt. ibid.
Partu vno 22.editi. ibid.
Partu vno 150. editos Albertus Magnus teſtatur. ibid.
Partu vno 7.editi ſunt. 95
Partus colorem trahunt imaginatiua vi parentum. 98
Partus brutorum colorem ſuſcipiunt imaginatiua vi parentum. ibid.
Paſchaſius Cardinalis defunctus viſus in pœnis Germano Epiſcopo, & eius ſuffragiis eſt exemptus. 56
Paſchaſius Card.in purgatorio dum eſſet, eius Dalmatica egit miracula. ibid.
Paſtinaca herba ad 12.cubita alta. 644
Paſtinaca piſcis arbores necat, perforatque velut ferrum. 335.336
Patrem in carcere detentum filia lacte enutriuit. 118
S.Patritii antrum admirandum. 508
Paulus Apoſtolus ſerpentis morſum ſuperauit. 295
Paulus Secundus ob gemmas occubuit. 579
Paulini Nolani carmina de ligno Crucis Chriſti. 667.668
Pauper numquam eſt, qui ad naturam viuit. 616
Pauo gloriæ cupidiſſimus. 215
Pauonem occidens pro crimino ſo punitus. ibid.
Pauonis caro numquam putreſcit. ibid.
Peccatum eſt contra naturalem inclinationem. 52
Peccatum eſt animarum hiatus. 505
Peccatum reddit nauigia grauiſſima, & ad traiiciendum inepta. 375.376
Peccatum nauigia progredi impedit. 755.756
Peccata ex diui Matthiæ ſententia Epiſcoporum incuriæ tribuenda. 143.144
Peccatoribus conuertendis plurimum prodeſt Epiſcopi manſuetudo. ibid.
Pecchius, vide Carceratus.
Pectines piſces volant. 334.335
Pecunia argentea in vſu fuit etiam ante Abraamum. 605
Pecunia ex lapide Porcellano. 774
Pecunia cum monacho ſepulta. 540
Pecunia ex Celſi foliis. 774
Pecunia ex Conchiliis. ibid.
Pecunia ex ſale. ibid.
Pecunia ex corio facta in Italia à Federico Imperatore. ibid.
Pecunia maiori incommodo fuit hominibus quam commodo. ibid.
Pecunia ſæpe bonorum parens frequentius mala peperit. 620
Pede vno gens in India. 81
Pedes quilibet Athlanticus contra equites duos pugnat. 126
Pediculari morbo percuſſus Sylla & Caluinus hæreſiarcha. 182
Pelagia meretrix conuerſa omnia diſtribuit pauperibus. 101
Pellicani hiſtoria. 210.211
Pœnitentia vera ſeparat lapſos. 143
Pœnitentia ſerit in homine noua deſideria, & noua odia. 144
Pepones toto anno recentes comeduntur in Orbe nouo. 644.645
Pepones adeo ingentes, vt vnico quisque homo ſit onuſtus. 644.477
Pepones vigeſima à ſatione die colliguntur in Orbe nouo. 548
Perdicibus bina corda. 217
Perdices volatu ſequuntur, ac reducuntur ab homine ipſarum duce ex paſcuis gregatim. 218
Perdices aliena oua furantur, & fouent. ibid.
Perdices fœcundæ vento flante. 217
Perdices aſtutiſſimæ, ideo diabolo comparantur. ib.
Perdices cicures. ibid.
Periuri aquis deteguntur. 451
Periuria igne vindicata. 693
Perſica ponderis 2.librarum. 674
Perſica Ianuario & Februario matura. 541
Pertica, mas & fœmina, coeunte pependerunt vt canes iuncti. 83
Petrarchæ nomine fons factus inſignis. 464
in Petra ſolida inueniuntur piſces. 587
in Petra ſolida inuentus ſerpens. ibid.
Petrus Card. ardentem lignorum ſtruem Florentiæ permeauit. 112.113
Petrus Crinitus occubuit perfuſus aqua frigida per iocum. 509
Petrus igneus primum pecorum cuſtos, poſtea Abbas, dein Cardinalis. 687

Petri & Pauli oſſa dum quidam furantur fulmine icti ſunt. 18
Petrus filiæ ſanitatem non contulit, quia non expediebat. 642
Phalereo vulnus profuit ſanguinis profluuium diuertens. 109
Phœnix vnica & longæuior, & reſurgit. 190
Phœnix auis capta, & Romæ publicata. ibid.
Philelphus Olympi, vide Olympum.
Philoſophia nil detrahit Theologiæ. 2
Philoſophus inſignis factus ex vili operario. 147
Phiſalem piſcem edentes ventre diſrumpuntur. 352
Phyſitera piſcis immenſus. 343
Phoca, vide Vitulus.
Picæ qua arte transferant oua. 200
Picis fontes. 460
Pix è montibus fontis modo. 528
Picturas decoras habebat in cubiculo Dionyſius, vt ita formoſam prolem gigneret mixtus vxori. 99
Pictura & impreſſoria imaginum quomodo differant. 770
Pictorum imagines, & homines, & animantia fefellerunt. 771
Pictura vna 80. alia centum talentis empta. ibid.
Picturæ pepercit Demetrius in expugnatione Rhodi. ibid.
Pictores aliquando caſu aliquid fecere illuſtrius, quam ſtudio. ibid.
Pictam ſuam effigiem Chriſtus miſit ad Perſarum Regem. ibid.
Pictam ſuam imaginem ſudario Veronicæ Chriſtus impreſſit. 772
Pictam ſuam imaginem Chriſtus linteo ſepulturæ impreſſit. ibid.
Picturis Deus frequentiſſima egit miracula. ibid.
Pictæ imagines ſæpe locutæ memorantur. ibid.
Picta imago locuta S. Thomæ & Franciſco. ibid.
Pictis imaginibus profluxit ſanguis. ibid.
Pygmæi ex climate fieri poſſunt. 63
Pygmæi cum gruibus pugnant. ibid.
Pygmæi non longiores tribus palmis gignunt anno quinto. ibid.
Pygmæi ſæpe nati non genere, ſed caſu, & inſigni fuere prudentia. 64
Pili equini, vide Equorum pili.
Pilos gignit cuiusdam fontis potus. 453
Pinna piſcis cum ſquilla ſocietatem habet. 349
Pinnæ marinæ peccatores ſignificant. 350
Pinna caret oculis, ſquilla illi ſocia eſt cum videat. ibid.
Pinothera cum ſpongia degit latronis implens officium. 353
Pinthera piſcis ſubit alienas teſtas piſcium, præcipue oſtreorum. ibid.
Pinus quæ onuſta eſt gemmis. 582
Piper tactu ſuo cutem lædit, eſum autem ventrem non lædit. 658
Pira librarum decem. 674
Pyramides Ægypti. 728
Pyramides efformantur à fulminibus. 491.586
Piratæ nauigiis 10000. ceperunt vrbes vltra 500. 752
Pyrauſtæ, vide Caryſtiæ.
Pyrrus vnicum os pro dentibus habuit. 85
Pyrri Regis annulus 9. Muſas cum Apolline continebat. 764
Piſanus Archiepiſcopus rogat Aſtrologum, qui illi ſuſpendium prædicit. 54
Piſces ante omnia animantia, quin etiam ante hominem creati. 321
Piſces nunquam maledicto ſubiecti fuere ſicut reliqua animantia. ibid.
Piſces manantes vna cum fonte. 462
Piſces manantes cum fonte peſtiferi. ibid.
Piſces piloſi marini, etiam mortui, ex pilo maris æſtum indicant. 365
Piſcis Ionæ, vide Ionæ.
Piſcis piſcator domino ſuo in piſcatione ita obſequitur, vt canes ſolent. 481
Piſcis reddidit annulum Policrati, ne, etiamſi vellet, mœſtus eſſet. 321
Piſcis Britannicus, vide Britannicus.
Piſces tum marini, tum fluuiatiles mortui prodigii loco. 359
Piſcium ſterilitas Dei ira. ibid.
Piſcium migratio & reditus. 360
Piſces aluntur dulci etiamſi ſalſa degant. ibid.
Piſcis reddidit digitum beati Stanislai abiectum. 151
Piſcis teſteus, vide Teſteus.
Piſce laqueo capto, ſi forte rumpatur laqueus, eius generis piſcis illo loco amplius non reperitur. 354

Piſcis Sulmo, vide Sulmo.

Piſcis dulces aquas in mari ore vomens piſces alios doloſe vorans. 329

Piſcis Tobiæ, vide Tobiæ.

Piſces volatu valentes ſunt Accipitres, Loligines, Hirundines, Pectines. 334

Piſcis cadauer compertum homini perſimile. 330

Piſces humana forma plurimi in India. 330

Piſces humana facie, vnoque ex eis capto omnes furunt, donec dimittatur. ibid.

Piſces, qui cum proxime degant, tamen alter alterius aquam abhorret. 361

Piſces Arethuſæ lacus non innatant Tigridi fluuio, nec econtra. ibid.

Piſcis in piſcinis Cæſaris viuens ſexaginta annos. ibid.

Piſces mortui ſeruantur annos 10. incorrupti. ibid.

Piſces prorſus carnei absque oßibus. ibid.

Piſcis capi ſe permittens, at capienti infert febrim. 329.352

Piſcium amplitudines memorandæ. 343

Piſces qui quotannis toto triduo extra mare in continenti viuunt. 364

Piſcis marini hepar ardet vt oleum. 365

Piſcis hemicicli formam referens. 334

Piſcis ſtella, vide Stella.

Piſcium genera, quæ prolem aut ore, aut iterum ventre excipiunt. 346.354

Piſces Conchæ gregatim procedunt, duce præeunte: Regem enim habent, quem excolunt. 338

Piſcis Arbor, vide Arbor.

Piſces coquuntur non igne, ſed frigore. 365

Piſces etiam in nubibus gignuntur, ideo pluit piſcibus. 366

Piſcis amplitudo domus habitaculum toti familiæ præbuit. 342

Piſcis ſub cute dormientes ſomniare videntur ſe agitari proc. llis. ibid.

Piſcis coſtis domus velut trabibus contignantur. ibid.

Piſcis Ambara, vide Ambara.

Piſces cocti eiecti è lacu Dunenſi. 432

Piſcis cuius nullum membrum internoſci poteſt, & omnibus piſcibus eſt exoſus. 362

Piſces cornuti, ac toto corpore penitus oſſeo. 362

Piſces dentati aprum more. ibid.

Piſces, qui iidem in dulci maiores ſunt, in ſalſa minores. 427

Piſces toto anno non reperiuntur in lacu, niſi in quadrageſima. 427.428

Piſcium meßis. 357

Piſcium multitudine nauigia retinentur. ibid.

Piſces intra ſolida ſaxa inuenti. 356.587

Piſcium multiplicatio & piſcatio fœcunda quo ſint myſterio. 323

Piſcis ore inuenta pecunia, vt pro Chriſto ſolueretur, Eccleſiæ diuitias ſignificat. ibid.

Piſcis Mena, vide Mena.

Piſcis Orphus, vide Orphus.

Piſcis diſſectus, qui non moritur, vide Orphus.

Piſces Simiæ, vide Simiæ.

Piſcis Paraſitus, vide Paraſitus.

Piſces Sole coquuntur Cauchii. 672

Piſcis Vellus, vide Vellus.

Piſces è mari non nutriuntur ſalſa, ſed dulci & ſalſa cocti adhuc dulceſcunt. 370

Piſcis in ore inuenta gemma reddidit hominem Chriſtianum. 324

Piſces cicures in Cæſaris piſcinis. ibid.

Piſces luctantur cum vrſis. 363

Piſces veri fuerunt, qui multiplicati ſunt à Chriſto. 656

Piſcis Luna, vide Luna.

Piſcis Orbis, vide Orbis.

Piſci Lucio exectus venter reſuitur, & viuit. 366

Piſcem trecenta iuga boum non valebant trahere. 344

Piſces amnici ſponte naturaque cicures, nam & ſe capi permittunt, & cibum de manu capiunt. 329.330

Piſces cocti ex lacu feruente. ibid.

Piſcis cicur aſſuetus piſcari retibus ac funibus, detinetur magno commodo domini ſui. 328

Piſcis fit qui prius vermis, & amiſſa carne fit vegetior. 183

Piſces cur numquam oblati ſacrificio. 323

Piſcis pungitiuus, vide Pungitiuus.

Piſcium genera multa prodeunt ex vno piſce pungitiuo. 364

Piſcis Galata, vide Galata.

Piſcis, qui ſeneſcens fit terreſtre animal. ibid.

Piſcis haſtatus, & galeatus, & armatus. 364.365

Piſcis Calanus homo fuit ſemper mari degens. 84
Piſces claues amiſſas reddidere. 323
Piſces terreſtres,& in ſolo viuentes. 356
Piſces peſtiferi. 462
Piſces in aquis calidis. 437.358.359
Piſcis Tubero,vide Tubero.
Piſcis Manatus,vide Manatus.
Piſcis vaccæ perſimilis. 365
Piſces æſtate nigri,hyeme albi. 362
Piſcis Fuca,vide Fuca.
Piſcis ex quadrupede fit. 289
Piſciculus numquam in ſuperficiem maris perueniens niſi mortuus,occidit ſolo tactu. 352
Piſcis Acha ſiſtit nauigia. 363
Piſcium meſſis ex Nilo. 395.356.357
Piſcium venatio campeſtris. ibid.
Piſcis Granus,vide Granus.
Piſcis equus,vide Equus.
Piſcis à muliere natus. 333
Piſcis dies,vide Dies.
Piſcis Arimus,vide Arimus.
Piſcis Ephemerus,vide Ephemerus.
Piſces qui ſerpentum more mutant pellem. 355
Piſces nigri quibusdam fluminibus. 415
Piſcis Monocornu,vide Monocornu.
Piſcina probatica omnes morbi pellebantur. 428
Placidus idem qui Euſtachius,vide Euſtachius.
Planetarum diſtantia à terra. 47
Planitie ignes exoriuntur. 522.555
Plantæ, quæ non niſi mari coaleſcunt, extra in ſalem vertuntur. 369
Plantæ in mari ſalſiſſimo fructum reddunt dulciſſimum. 370
Plantæ è mari non ſalſum ſed dulcem trahunt humorem. ibid.
Platanus vaſta habens latitudinem frondium & opacitatem incredibilem. 652
Platanus aurea. 615
Plantani folia tres pedes lata. 652
Plato in Ægypto ab Hieremiæ ſtudioſis multa perdidicerat. 167
Plato,quæ ab Hebræis didicerat, ad ſuum ingenium detorſit. 538
Plato Ægyptiorum diuina myſteria didicit,& Moſaica præcepta. ibid.
Plauſtra ſunt domorum vice. 747
Plinius ſenior Claßis præfectus erat. 519
Plinius quomodo Veſuuii igne extinctus. 519.520
Plinius non norat Veſuuii montis incendia, ideò perſcrutans illa occubuit. ibid.
Plinius iunior ſcripſit ad Cornelium Tacitum literas de obitu Plinii ſenioris. ibid.
Plinius ditiſſimus Chriſtianorum fautor. 712
Plotius,vide Odore.
Plumbum ſeparat materias, vnde metalla adulterata ſunt. 613.614
Plumbum Sanctorum ſermonem ſignificat. 614
Plumbum ſeruat canes à corruptione, & intra humana vulnera annis pluribus perſeuerat. ibid.
Plumbum feruens chartam non vrit. ibid.
Plumbeis vaſis ſi aqua addatur non liqueſcunt. ibid.
Plumbeum vas peruritur iniecto calculo. ibid.
Plumbum feruens iniectum aquæ frigidæ exilit. 614
Plumbum in maſſa mergitur, dilatatum fluitat. ib.
Pluit lacte, lana, annona, manna, ſanguine, adipe, carnibus, piſcibus, cinere, muribus, coturnicibus & ſagittis. 26.27.366
Pluuiis humus ſiccatur, ſiccitateque lutum fit in agro Narnienſi. 37.561
Pluit numquam hyeme in quadam Tartarica regione. 16.24
Pluuiæ ac ſiccitates opportunæ numine placato impetrantur à ſanctis. 25
Pluit numquam toto ſeptennio in Hiſpania. 24
Pluit numquam toto triennio in Saxonia. ibid.
Pluuiis aut ſerenitati impetrandæ Romæ circumferri conſueuere veſtes B. Ioannis Apoſtoli. ibid.
Pluit toto fere anno in Orbis noui quibusdam regionibus. ibid.
Pluuiarum tanta vis eſt in Mexico, vt guttularum vi etiam homines perimantur. 24.25
Pluit numquam hyeme in Tartarica quadam regione, æſtate vero frequentiſſime. 25
Pluit ningitque numquam, neque vllum fulgur viſitur in Tumbez Peruaci Orbis noui. 25.530
Pluuiæ opportunæ prodigioſæve habendæ ex locorum poſitione ac varietate. 25
Pluit numquam in quadam Ægypti parte, & in Cyrene, cum tamen feraciſſima loca ſint. 25.541.542
Pluit numquam toto triennio ſub Achab Rege. 25

Pluit

Pluit lapidibus opera dæmonum in ſanctos. 584
Pluit numquam iuxta Babylonem. 540
Pluit numquam in Ægypto. 541
Pluuia, nix, grando, quæ cauſa differant. 35
Pluit arbores ac lapides. 381
Pluuiæ nimiæ irati numinis ſignum. 23.25
Pluuiis nimiis conculcatæ ſegetes, iterum renatæ, & maturatæ. 23
Pluuiæ omnium maximæ fuere ſub Leone Imperatore: montes enim liquefacti ſunt, & in lacubus aggeſtu ſordium concretæ Inſulæ. 23.24.529
Pluuia Conſtantinopoli tria hominum millia abſumpſit, & domos octingentas. 24
Pluuiis in Germania ſæpe plurimæ villæ perierunt. 24
Pluit noctu, numquam diu. 25
Pluuias in ſiccitatem, & ſiccitates in pluuias conuertêre Sancti Dei. ibid.
Pluiſſe cœlo ſereno indeque peremptos homines conſtat. 26
Pluit lapidibus. ibid.
Pluit numquam apud Cyrenem. 542
Pluit numquam in Hyrcania. ibid.
Poculum aquæ quidam vendidit decem millibus, ſed breui vterque obiit. 145.146
Podiurnus ſuſpenſus, vide Suſpenſus.
Pœſagi forma & hiſtoria. 265
Pœſagi pilis exornantur mulieres. ibid.
Pœſagus latente cauda putat ſe non videri. ibid.
Polycarpum flammæ veneratæ ſunt. 111.686
Policrates Tyrannus, etiamſi vellet, mœſtus eſſe non potuit. 506
Policrates cruci affixus. ibid.
Policrati Tyranno nil vmquam aduerſi fuit, ideo infeliciſſimo exitu mulctatus. ibid.
Polypus colorem ſumit loci vbi hæret. 341
Polypus ipſe ſibi edit brachia, & renaſcuntur. ibid.
Polypum vbi viderit locuſta piſcis, moritur. ibid.
Polypus & Aquilam, & hominem necat. ibid.
Polypus quantus cæte occiſus. ibid.
Polypi brachia edit congrus, ſed poſtea renaſcuntur. 342
Polypus, vt Concharum carnes voret, lignum interponit, ne occludantur. ibid.
Polypus homines è naui rapit. ibid.
Poma bis quotãnis referunt fructus in Cãpania. 558
Poma cum fiſcella leuiora fuerunt parua papyro, ob perfidiam cum ſancto Antonino Archiepiſcopo. 689
Pomum qui donauit Imperatori occiſus eſt. 147
Pompeius abſtinuit præda templi Hieroſolymitani. 737
Pomponius Lætus obiit gelidiſſimo vini potu. 509
Pontes ex virgultis contextis. 751
Pons vno ſaxo natura factus. 392.751
Pontium 12. millia in Quinſai. 706
Pontes ex radicibus arborum contexti. 392.670
Pontes eximii 370. in vrbe Chilerapha. 707
Pons nauigiis ſuperſtrui poteſt. 392
Pons adeo late patens vt in ipſo vici ſint ædificati. 751
Pontes maximis fluminibus ſua proceritate fecerunt arbores. ibid.
Pons iunctis nauibus longus ad ſtadia ſeptem Xerxis fuit. 750
Pons iunctis nauibus Caligulæ trium mill. paſſ. apud Baias. ibid.
Pontes perpetui ſuperſtructi nauibus. ibid.
Pons 900. paſſ. longus, ſaxa eius longa 20. pedes. 750. 751
Pons 1300. paſſ. longus, ſaxa eius longa 16. pedes. ib.
Pons mille pedes longus. 749
Pontes bis mille paſſ. long. ibid.
Pons ſeptendecim ampliſſimorum arcuum. ibid.
Pons ad ſtadium & dimidium longus, totus imaginibus exſculptus, columnis & mutulis ornatus. 750
Pontes 300. Gandaui. ibid.
Pons Traiani in Danubio admirandus. ibid.
Poppo ſacerdos ignita chyrotheca ferrea Aquilonem conuertit. 112
Poppo veſte tota ex cera incenſa illæſus Aquilonem conuertit. ibid.
Populus vnus centum fere domorum ab vno adhuc viuente progenitus. 137
Porphirio auis ob ſtuprum dominæ ſuæ ſeſe ſtrangulat. 216.217
Porphirio auis non bibit, ſed ſorbet cibos, aquis intingit vt offam conficiat. ibid.
Porphiria igne probauit ſuam & Abbatis caſtitatem. 103
Porſenæ Regis ſepulchrum, vide Sepulchrum.

Porta templi Hieroſol. non niſi à 20. claudi poterat. 738
Portæ Caſpiæ & Caucaſiæ. 718
Porta templi Hieroſol. ſponte aperta magno prodigio. 738
Portæ centum Thebarum. 704
Porticus columnæ, ſcalæ vno ſaxo excauatæ. 739. 740
Porticus longiſſima ſub niue confecta arboribus. 37
Porticus ex Iaſpide ornatiſſima. 708
Portulaca ſal conficitur. 645
Potus gelidus ſemper noxius. 509
Potus gelidus proficit iis, qui in adminiſtranda Rep. laborant. ibid.
Principatus Ephemerus apud Genuenſem Adorium. 779
Priſtis piſcis longus ducenta cubita. 346
Proba centones ſcripſit ex Virgilio. 142
Procella qua arbores eradicatæ, & cum iis lapidum pluuia. 381
Proclus naues exuſſit, vide Specula.
S. Proculus Bononiæ abſciſſum ſibi caput propriis tulit manibus. 71. 72
Prometheo vulnus profuit ad apoſtema purgandum. 109
Proprietates rerum ſcripſit Bartholomæus Anglus, vide Bartholomæus.
Protagoras ex vili operario factus inſignis Philoſophus. 147
Prudentiæ proprium, nec falli, nec fallere. 341
Prunæ Iuniperi ſub cinere ad annum perdurant. 672
Pſalmodia perpetua diu noctuque monaſterio Lexouienſi, & in Eccleſia Miſnenſi. 717
Pſilli occiduntur à Ceraſte ſerpente. 302
Pſyllos in Lybia Cato ſecum habuit ob venena ſerpentum. 108
Pſyllorum odor ſerpentes necat. ibid.
Pſithacus fidei Symbolum totum pronuntiabat. 185
Pſithacorum ſolertia, quando gregatim paſcunt, aliqui enim peruigilant. 189
Pſithaci ingenio valent, & induſtria conficiunt nidos, loquuntur. 185
Pſithaci ſua loquacitate ſalutem homini attulerunt. ibid.
Pſithaci quidam quanti paſſeres, quidam paulo maiores. ibid.
Pudice cohabitarunt diu intacti mas & fœmina. 103
Pudicitiam, quæ mulieres igne aut alio miraculo probarunt. ibid.
Puella nouennis, quæ anni vnius ſpeciem referret. 122
Puella octauo anno concepit, nono peperit. ibid.
Pueri ad ſummos honores, Regna & Imperia, prouecti. 152
Puer in putei imum lapſus ob matris hoſpitalitatem ſaluus fuit. 449
Puer demerſus incolumitati reſtitutus ob matris votum. ibid.
Puer Alexandri Macedonis ignem contempſit. 686
Puer Elenus præ ſimplicitate ignem in ſinu excipiebat illæſus. ibid.
Puer educatus inter lupos. 269
Puer dies quindecim flumine demerſus inuentus viuere. 146. 147
Puer triennis altus tria cubita, & pubes. 122
Puer per iocum ſuſpenſus transeunte lupo abſterritis pueris moritur. 152
Pueri ſæpe magnis periculis exempti. 449
Puerulı duo cum matre merſione exempti. ibid.
Pueri diuinum ſacrificium per iocum imitantes diuino miraculo ſunt abſterriti. 586
Pugillaris piſcis forma & hiſtoria. 340
Pugna pedeſtris in Danubio, vide Danubius.
Pulchritudo ſæpe virtutis index. 215
Pulicem aurea catenula quidam illigauit. 182. 764
Pulices diuiſi in partes adhuc reuiuiſcunt. 182
Puluis tormentarius ignem, qui omnia ſuperat, facit. 701
Puluis, qui reiicit pueros ibi ſepultos. 581
Puluis iuxta Vaticanum humana corpora carnibus nudat. ibid.
Puluis, quo omnia vulnera curantur. ibid.
Puluis, qui ſerpentes necat. ibid.
Puluis, qui ſcorpiones necat. ibid.
Puluis in gemmas conuerti poteſt à Sanctis Dei, & exempla. 582
Puluis exercitum oppreſſit. 581
Pulueris tormentarii mira vis ad abſumenda ædificia. 701

Puluis, quem omnia animantia effugiunt. 532
Puluis, qui facile tranſit in lapidem. 569
Puluis natura eandem vim habens, quam puluis tormentarius in Orbe nouo. 586
Puluis in ſepulchro Ioan. Euangeliſtæ, vide Ioan. Euangeliſta.
Puluis ſalis, qui Sole Lunaque indureſcit in ſolidum lapidem. 574
Pungitiuus piſcis gignit ex ſe multa piſcium genera. 364
Punica malus, vide Malus.
Purgatorius ignis momento plus afficit, quam totius ſeculi pœna. 695
Purgatorius ignis quomodo adurat ſpiritus. ibid.
Purgatorio igni addictus Paſcaſius Cardinalis. 58. 694
Purgatorii ignis & inferni differunt multis. 696
Purgationis animarum locus non ſemper in inferis eſt. 58
Purgationi animarum ad expiationem vis magna incruenti ſacrificii. 57
in Purgatorio animæ ſæpe viuentibus ſe præbuerunt ſpectandas in pœnarum, quas patiuntur, indicium. ibid.
Purgatorium ſancti Patritii, vide Patritii.
Puteolana littora per paſſ. mill. 12. ædificiis olim ornata. 723
Puteolanum littus via, quæ olim circumducebat, nunc mari obruta eſt. ibid.
Puteolanus ſinus abundat ſalutaribus fontibus. 437
Puteus mille pedum, vnde bos aquam rotando haurit. 765
Puteus adeo profundus, vt diutius expectes iniecti lapidis ſonum. ibid.
Putei centum, quorum profunditas ad duo ſtadia porrigitur. ibid.
Puteos muniunt Camelorum oſsibus Africani. ibid.
Puteus qui minuitur, cum marini fluctus augentur. 441
Puteo viſitur ſtella Magorum. 465. 765
Puteus ad Gades, qui augetur auctis marinis fluctibus. 441
Puteus miraculo apparens, vt Iſraelitæ biberent, & Agar cum filio. 445
Putei in Orbe inſignes valde. 464. 465
Putei, qui à Sole prorſus in imum vsque illuminantur. 464. 554
Puteus totus vno ſaxo excauatus. 464
Putei profunditatis inſcrutabilis, ideo natura non arte confecti. ibid.
Puteus mille pedum. 240. 465
è Puteo bos aquam haurit. ibid.
Puteus Otuietanus inſignis. ibid.
Puteus Taurinenſis inſignis. ibid.
Puteus porcinâ perna excauatus. ibid.
Puteus vnde Nili augmenta decrementave deprehenduntur. 442
Puteus momento eſt oppletus, vt Anacoreta ſine fune hauriret. 446
Putei, quorum aquarum ſuperficies ſemper compar eſt maris ſuperficie. 442
Putei, qui hyeme exſiccantur, æſtate replentur. ibid.
Puteus aridiſſimus oppletus Sancti virtute. 445
Puteus continens aquas peſtiferas. 450
Putei ſacris literis bonam in partem ſolent accipi. 465
Putei fontes ſunt. 464
Putei ob diuturnam ſiccitatem exſiccati. 24

Q.

QVadraginta Martyrum miraculum in aquis. 438
Quadraginta filii, 32. mares, octo fœminæ, viuentes fuere Comiti Babo, Henrico II. Imperatore. 97
Quadrupes numquam bibens. 290
Quadrupes volans pelliculis Veſpertilionum more. 288. 289
Quadrupes Gulo, ſi eius pelle quis tegatur, ſomniat ſe feras deuorare. 290
Quadrupes ſolo ſuo pingui viuens, aut foliis arborum. 233
Quadrupes teſta obtectus teſtudinum more. 289. 290
Quadrupes prædam ſemper ita diuidens, vt vndecimam derelinquat. 290
ex Quadrupede piſcis. 245
Quadrupes vnum cornu in vertice ramoſum habens. ibid.
Quadrupes cui cornu in fronte ad pectus retortum. ibid.
Quadrupes formicis ſe alens. 289

Quadrupes æquis horarum ſpatiis quotidie duodecies lotium emittens. 290
Quadrupes vultum humanum habens. 237
Quadrupes recipiens prolem ſuam ſæpius in vterum. 233
Quadrupes ob ignauiam numquam tota die peragens quinquaginta paſſus. ibid.
Quadrupes nulla aurita eſt quadam regione. 545
Quadrupes nulla viuit quadam Africæ regione. 544
Quercus in mari cubitales ſunt. 369

R.

Rodamas Gonzaga gente admirandæ fortitudinis. 125
Radicibus arborum contextis fiunt pontes. 392
Ranæ vbi mutæ, & quæ ratio. 359.546
Ranæ ſemeſtri reſoluuntur in lutum, poſtea renaſcuntur. 359
Ranæ tacuerunt iubentibus ſanctis. 359.360
Ranæ in ſcripturis in malum ſonant. 546
Ranæ imperfectæ plurimæ è cœlo ceciderunt. 775
Ranæ ſignificant hypocritas. 546
Ranæ hæreticos ſignificant. ibid.& 547
Ranæ populos abegerunt. 358.775
Rana piſcatrix aſtu vorat piſces. 357.358
Ranæ iræ Dei vindices. 358
Ranæ è luto fiunt. ibid.
Ranæ aquis feruentibus viuunt. ibid.& 437.457
Ranæ de cœlo lapſæ populos migrare coegerunt. 775
Rana Calamitum pluuiarum prænuntia eſt, eam edens canis redditur mutus. 358
Rana Rubeta oculis hominem inficit. ibid.
Ranæ Rubetæ oſsiculum feruenti vaſe iniectum reprimit feruorem. ibid.
Rangiferi ceruis perſimiles quotidie expediunt 150. milliaria. 275
Rapa librarum 40. 644.645
Rapæ librarum 33. 558
Rapam præpoſuit Curius multo auro Samnitum. 600
Rex Auium, vide Auium.
Rege Concharum capto, præ mœſtitia ipſæ ſe capi permittunt. 338
Rex ſemper latens cum lumine, & excipiens Legatos in ſerpente æneo. 742.743
Regis excubiæ perpetuæ 10. millia militum. 743
Regna muliebria imbecilla ſunt. 91.92
Regulus ſerpens Romæ necatus. 299
Regulus ſerpens aerem inficit, necatque aues. ibid.
Regulus auis, quæ & Trochilus. 309
Rei innocentes ſupplicio affecti Iudicem coram Deo ad certam diem citarunt. 152
Remora ſæpe impedimento fuit, ne naues progrederentur. 350.756
Remora aſſeruata in ſale aurum, quod deciderit in puteum, extrahit. 350
Remora Antonii nauem impediit. ibid.
Remora hæret circa gubernaculum. ibid.
Remora Caii nauem impediit. ibid.
Renus maximus ruit præceps in ſpumam totus abſorptus. 402
Reni Inſula memorabilis ob carceratum in ea Ioannem XXIII. Pontificem. 482
Reſurgendi ſpecies quædam eſt ipſa prolis generatio. 136
Reſurrexit homo in Anglia, qui mox ſubiit monachatum. 132
Reſurgere aliqui permittuntur implendæ pœnitentiæ cauſa. ibid.
Reſurrexiſſe Ethnicos aliquot fabuloſum. 129.130
Reſurrexerunt multi & Veteri, & Nouo Teſtamento. ibid.
Reſurrexerunt aliqui, vt teſtimonium viris piis præberent. 132.133
Reſurrexit mulier, S. Franciſci pietate, vt peccata confiteretur. 132
Retibus viſis anthropophagi aufugerunt, atque ita nautæ incolumes extiterunt. 150
Rinocerotis forma & hiſtoria. 247
Rinocerotis pugna cum Elephanto. ibid.
Riſus vnde cauſatur, & qui ex riſu ſunt mortui. 121
Roboraria cur dicta. 219
Rodanus lacus Lemani aquis, quas intermeat, non miſcetur. 401
Rodanus maximus tribus oſtiis mergitur in Mediterraneum ex Gallia. ibid.
Rodienſes canes Turcas diſcernebant à Chriſtianis. 230
Rodiorum Coloſsi ex ære hiſtoria. 612
Rododaphnes herba homini ſalutaris, aliis animantibus exitialis. 628

Roma minus omnibus terræ motum paſſa. 43
Romæ, qui terræ motus inualuerint, poſtquam ibi Chriſti fides ac ſedes fixa eſt. ibid.
Roma an à terræ motu ſit immunis. 556
Romæ Eccleſiaſtica Maieſtas diuino nutu conſtituta. 610
Romanis ob iuſtitiam Deus Imperium propagauit. 610
Romanæ vrbis diripiendæ auctores fulminibus occiſi. 18
Roſæ odore moritur Scarabæus & Vultur. 177. 192
Rotæ piſcis forma & hiſtoria. 338
Rubeta Rana, vide Rana.
Rubinus lapis, vide Lapis Chryſolitus.
Ruch auis ſupra omnem fidem magna. 216
Rubrum mare eminentius eſt ipſo Ægyptio mari. 468
Rugiana gens coit paſſim vt canes, & ſeparari non poteſt. 83
Ruta grandis quanta ficus. 644
Ruta ſerpentes fugantur. 294

S.

SAbbatius fluuius ſeptimo die exſiccabatur. 411
Sacræ ſcripturæ ſimilitudines non omnes imitandæ ſunt, ſed nos erudiunt. 296
Sacrificii incruenti verba cum leuitate pronuntiata, diuina produntur miracula. 587
Sagittas pluit aliquando. 28
Salamandra integros populos necat, arbore infecta. 318
Salamandra lapſa in puteum ex eo bibentes omnes necat. ibid.
Salamandra impedit, ne fabrorum inſtrumentis ignis accendatur. ibid.
Salamandra igne non vritur, at Solis calore perimitur. ibid.
Salamandræ canunt noctu, vt ranæ. 319
Salamandra ignem inambulat. 318
Salamandra ſerenitate moritur. ibid.
Salamandra neque mas, neque fœmina. ibid.
Salamandra cum hominem peremerit perpetuo extorrem ſe facit. ibid.
Sal qui in quaslibet formas tranſit. 427
Sal herbis conficitur. 645
Sal manans à dulci aqua acrior eſt quam è ſalſa. 370. 427
Sal ex dulci aqua manans, etſi ſit acrior, obſonia tamen non afficit. 370
Sal in ripis & in fundo fluuii, ipſæ tamen aquæ potabiles ſunt. 405
Sal ex aqua & igne conſtat. 681
Sal cur alius in igne crepitat, alius diſſoluitur. 681
Sal condita omnia abſumens. 574
Sal aerem ventosque inficiens, vnde homines obſtructo ſpiritu perimuntur. ibid.
Sal agros reddit ſteriles. ibid.
Sale hoſtium agri aſperſi, vt fierent ſteriles. ibid.
Sale redditæ dulces aquæ alioqui amaræ. 444. 574
Sale ſedabat ſitim poſt longa ieiunia ſanctus Portianus. 574
Sal leuis in ſpecu, grauiſſimus ſub Dio. 575
Sal Agrigentinus igni admotus ſoluitur, admota aqua crepitat. ibid.
Sale domus ædificantur. 574. 527
Sal quandoque aqua fit ſolidior. 745
Sal gignitur à lacu, qui dulciſſimas continet aquas. 427
Sal è feruenti aqua conficitur. 524
Sal adeo lucidus, vt reddat imagines. 574
Salis natura eadem ſemper, nec mutari poteſt. 573
Salis montes. 527. 573
Salis lapides duriſſimi. 573
Salis velut ſcopuli circa littora. 574
Salis ſtatua Lothi vxor. 573
Sal Tragaſæus in igne poſitus nec crepitat, nec exſilit. 575
Sal ſanctificatus etiam incendia reſtinguit. 575
Sal immodice ſumptus venenum eſt. ibid.
Salis ſpecies quædam alumen ſoluit. ibid.
Sale ingentes turres ædificatæ. 574
Sal defoditur profundiſſimis antris. 492
Sal qui nullo humore liqueſcit, vixque ferro cæditur, cum antea eſſet puluis. 574
Sal ex aqua, cuius contactu aues ſiſtuntur, ne euolent. 427
Sale Eliſæus fontes reddidit dulces. 444
Salici Brumæ ſolſtitio folia conuertuntur. 654
Salinum gemmis ornatiſſimum Vrbinatis Ducis. 582

Salomoni fuere 40. millia præſepia equorum. 724
Salomonis libri ſupra 8.millia. 768
Salomonis templi amplitudo,vide Templi.
Salomonis templo fons,vide Fons.
Samnites aurum Curio *offerentes contempti ſunt. 600*
Sampſon colligauit innumeras vulpes in vltionem impiorum. 234
Sandalia Epiſcopi ex fœno. 774
Sanguis manauit è ſiccis oßibus S. Thomæ Erfordienſis. 34
Sanguis reddit hominis effigiem nigram. 594
Sanguis ſæpe è fontibus & fluuiis manauit. 417. 459
Sanguis à corporali manauit. 636
Sanguiſugæ longæ vltra cubita ſeptem. 163
Sardinia & ſerpentibus,& lupis caret. 485
Satyros reperiri non eſt dubium. 80
Satyros non eſſe mentis compotes. 80.81
Satyri an ſint mentis compotes experientia longa eſt opus. 81
Saul vaticinium Phitoniſſæ ſummo ſuo malo exquiſiuit. 53
Saxa ſciſſa ſunt ob cordium Iudæorum duritiem morte Chriſti. 585
Saxa aquis ſupernatant Sanctorum obſequio. ibid.
Saxum vnum omne templum tegit apud Rauennam. 585
Saxum vnicum per ſingula latera cubitis 40. totum excauatum templum fuit. ibid.
Saxum vnum cubitis 21. longum, latum 14. altum 8. totum excauatum. 585
Saxo vno omne templum excauatum. ibid.
Saxea tabula longa pedes 130. lata 6. alta totidem. ibid.
Saxeo altari conſecrato adeſt Angelus cuſtos. 587
Saxeæ columnæ immenſæ paruo negotio motæ ad opus Dei. 584.& ſeq.
Saxa mille ſingula ſingulas domos tegebant in Labyrintho. 739
Saxa ruentia Sancti Dei iuſſere ſiſtere. 584
Saxum ruens præceps, ne ſancti viri cellulam contereret, vltra proſiliit. ibid.
Saxum in caput mulieris lapſum non læſit, potius profuit ablato dolore. ibid.
Saxa redduntur immobilia ſupra omnes vires ex Sanctorum arbitrio. ibid.
Saxi vnius amplitudo efficit flumini integrum pontem. 586
Saxum ſurdum admirandum in Scotia. 587.588
Saxo excauatæ vrbes, Polimbrota & Mengu. 715
Saxum in Iſlandia, quod ſua natura volitat. 583
Saxa Sancti, vt voluerunt, tranſtulerunt. ibid.
in Saxo ſolido inuenta ſerpens. 587
Saxa templi Hieroſolymitani longa 25. cubita, 12. lata. 737
Saxo vno excauatum templum cum quinque columnarum ordinibus. 585
Saxeæ columnæ, Pyramides ingentes vi fulminum. 586
Saxis excauatis domos extruunt & templa Æthyopes. 739
Saxis ſphæricis oppleta vallis. 586
Saxum vnum pontis miniſterium præbuit ſupra flumen, iungens vtramque ripam. 751
Saxa volitarunt. 29
Saxa aceto ſciſſa ab Annibale. 586
Saxa oleo inuncta ad myſterium. ibid.
Saxea altaria ad ſacrificia. ibid.
Saxeæ arbores vi fluminis, vide Arbores.
Saxo vno excauatum templum. 739
Saxum vnum cubitorum 40. ibid.
in Saxo inuentus buffo. 585
Saxa ſolida quæ continent piſces, & oſſa mortuorum, & conchilia. 356 587
Scalæ prorſus aureæ & argenteæ in exercitu barbaro. 713
Scarabæus occumbit Thracio puluere. 532
Scarabæi omnes maſculi. 177
Scarabæo pro fœmina ſtercus eſt bubulum. ibid.
Scarabæo ſeu ceruo volanti abſciſſo capite adhuc vita perdurat vtraque parte. ibid.
Scarabæus Roſarum odore moritur. 177
Scarabæus viginti morſibus hominem perimit. ibidem.
Scaturigines aquarum ex ſolo baculo fixo. 466
Scauri piſces incluſum comparem ſuum gregatim omni niſu curant eripere. 354
Scauri ſquammæ auerſæ ſunt. ibid.
Scæuola Chriſtianus fuit S. Procopius, quod manum conſtans ſibi aduſſit. 111

Scæuola ſponte ſibi manum coram hoſte combuſſit. 111
Scintilla aerea quæ. 8
Schiſma purgatorio igne vindicatum. 693
Sclopetus Mutinenſis quaqua verſus ferreum globum iactans. 761
Sclopeti vſus non vna forma, ſed multis ſimul compactis. ibid.
Sclopetorum vſus induſtrius absque igne. ibid.
Scolopendra piſcis triremes forma & magnitudine æquat. 363
Scolopendræ, terreſtria animalia, populos abegerunt. ibid.
Scolopendræ populos abegerunt. 775
Scopuli innumeri in Aquilone. 374.375
Scopuli non dicendi ſunt Inſulæ. 374
Scorpiones occiduntur Elitropio, ſanantur Eleboro. 629
Scorpiones populos abegerunt. 180
Scorpionum multitudini Perſarum Rex occurrit propoſitis præmiis eos occidentibus. ibid.
Scorpii multi velut catena iunguntur vt hominem lædant. ibid.
Scorpiones quidam lædunt indigenas, non autem aduenas. 181
Scorpiones alati duplici aculeo. ibid.
Scorpius ipſe remedium eſt vulneri, quod ipſe intulit. ibid.
Scriptura ſacra abutentes mox à Deo percuſſi. 766. 769
Scripturam ſacram Ptolomæus magno ſtudio aſſeruauit. 769
Scriptura antonomaſtice ſacra ſignificatur. ibid.
Scripturæ auctor eſt Deus, atque omnium hominum Moyſes prior. 766
Scriptura rebus omnibus amplius remunerata. 769
Scripſit Apoſtolorum Symbolum minimo ſpatio Franciſcus Alumnus. 764
Scripſit Euangelium primum Ioannis Euangeliſtæ paruo ſpatio Franciſcus Alumnus. 764
Scriptum paruo ſpatio Ioannis Euangeliſtæ primum Euangelium à Neoterico quodam. ibid.
Scriptura nil continet malum. 628
Scriptura perperam intellecta pernicioſa velut ſerpentum morſus. ibid.
Scripturæ vis ad indicandum animum, & eius miracula. 764
Scriptura reddit præſentia quæ abſunt, & quæ iam prǽterierunt. 766
Scripta in cinere in Olympo monte perpetuo durant. 512
Secundus Philoſophus ob matris impudicitiam perpetuo velut mutus tacuit. 79
Securitatis viarum cauſa alit Rex 20. millia miniſtrorum. 716
Sedes regia artificio ad ſolarium momento aſcendens ac deſcendens apud Conſtantinopolim. 743
Sedes ingentes, prorſus aureæ. 735
Sedilia, quæ momento vſque ad laquearia attolluntur cum ſedentibus. 744
Senatorum millia quinque apud Seres. 714
Senatorum Romanorum numerus & cenſus. 710. 711
Senacherib 185. millia vſta illæſa veſte. 12
Senecæ opulentia. 712
Sepia inter pugilares atramentum habet quo lateat. 340
Sepia colores ſumit vbi adhæſerit. ibid.
Sepiæ atramentum accenſa lucerna reddit adſtantes velut Æthyopes. ibid.
Sepia hæreticos ſignificat. ibid.
Septem dormientium hiſtoria. 120
Septem Orbis miracula. 703
Septem fratres Tiburtini inſignes. 136
Sepultus viuens Colonienſis Archiepiſcopus. 131. 132
Sepulchro iniectus Zeno Imp. ob ſolum animi deliquium. 131
Sepulchrum vitreum Alexandri, vide Alexandri.
Sepulchrum in vna ſphyngis ſtatua longa 143. pedes. 727
Sepulchrum ſponte multi ſubiere mortem oppetentes. 134.135
Sepulchrum Porſenæ. 732
Sergius Romanus miles absque manibus ac pedibus pugnabat. 111
Seres viuunt annis 200. 558
Sericum in Taprobane ſyluis colligitur. 553
Sericum in Europa cœpit primum texi Iuſtiniani tempore. 158

Serica veſte è Perſide allata primus eſt vſus Aurelius Imp. ibid.
Serpentes non habent Gaula & Laponia. 319
Serpentes tametſi terreſtres ſæpe in aquis degunt. 415
Serpentes fugiunt vmbram Fraxini. 666
Serpentes potius in ignem, quam in folia Fraxini exiliunt. ibid.
Serpentes anſerinis pedibus. 302
Serpens Tortuca teſta tectus toto corpore. ibid.
Serpentes quadricornes. 302
Serpentes cornutæ arietum modo. ibid.
Serpentes quæ Pſillos occidunt. ibid.
Serpentum linguæ tripartitæ. 303
Serpentes pereunt tactu cuiusdam arboris. 666
Serpentum incantatio quomodo accipiatur in ſacris literis. 296.297
Serpens Scithalis ignauiſſimus. 315
Serpens peremit qui ſe occidit, & ſolo tactu eius veſtis putruit. ibid.
Serpentes q̃ indigenas non lædunt, ſed externos. 315
Serpentes qui Syros non lædunt, at Græcos exanimant. ibid.
Serpentes quo virulentiores ſunt, eo acriore ſunt ingenio. 315.316
Serpentes gemina cauda. 303
Serpens, cui in cauda eſt tintinnabulum. ibid.
Serpentes quantæ ſunt ingentes trabes. 303
Serpentes inundatione Tiberina peſtilentiam corruptione attulerunt. ibid.
Serpentum multitudine abacti populi. 303
Serpentum mutua pugna. ibid.
Serpentes albi vicenum cubitorum. 303.304
Serpentes albo capite, corpore nigro. 304
Serpentes qui iumenta deuorant. ibid.
Serpentes longi pedes 30. & omnium ignauiſſimi. 304
Serpentes neminem lædentes. ibid.
Serpentes habentes vittas à capite, vsque ad caudam. ibid.
Serpentes quæ alte ſuperuolantes aues abſorbent. ibid.
Serpentes qui Tauros vorant. ibid.
Serpentes quadraginta cubitorum. ibid.
Serpens quantus nauis malus qui exponit ventrem Soli, & patitur putrefieri. 305
Serpentes quidam oua, quidam animantia pariunt. ibid.
Serpens venenum deponit ad Venerem, poſtea recipit. 293
Serpens pellem deponit, & inde vegetatur. ibid.
Serpens omne corpus contemnit, vt caput ſeruet. ibid.
Serpens vna die ac nocte laborans in exuenda pelle deponit ſenectutem. 294
Serpentes cantionibus obſtupefiunt. ibid.
Serpentes non lædunt Pſillos, Marſos, atque Ophiogenes. ibid.
Serpentibus obſtupefaciendis per cantiones aliquid operatur diabolus. ibid.
Serpens bis mordens minus lædit, quam ſemel. 320
Serpens arundine ſemel percuſſus moritur, at ſi bis, viuit. ibid.
Serpens nunquam bibens, ſi vel parum bibat, aut tangatur aqua, moritur; mortuus poſt triduum igni admotus mouetur. 290.311
Serpens homini virtutum præbet exempla. 292
Serpens incitamentum nobis fuit ad contemplandam diuinam Maieſtatem. 292.293
Serpentis prudentia quadruplex nos erudit. 293
Serpentis cum Muſtella hoſtilitas. ibid.
Serpens quadrangularis bonos viros ſignificat. 300
Serpens cancri forma biceps. ibid.
Serpentes criſtati in Aquilone. 298.299
Serpentes, qui ſuum Ducem ac Regem habent, ſequunturque. ibid.
Serpens longus 200. pedes. 305
Serpens longus 50. cubitæ. ibid.
Serpens in circulum ſe contorquens ſaliens procul. 305
Serpentes ſigno crucis multi ſancti peremerũt. 294
Serpentes viris Dei famulati ſunt. 295
Serpentes facti cicures à ſanctis. ibid.
Serpentes in tota prouincia cicures. 296
Serpentes in Laponia non ſunt, nec ibi viuere poſſunt. ibid.
Serpentibus prouincias purgarunt viri Dei. ibid.
Serpentes obſtupefacere cantionibus, an liceat Chriſtiano. ibid.
Serpens nullus in Scotia. 484
Serpentes nulli in Balearibus. ibid.
Serpentibus refertæ Inſulæ. ibid.

Serpen-

Serpentes 20.cubitorum in Inſulis quibusdam Arabicis. ibid.
Serpentes nulli in Athanato Inſula. ibid.
Serpentes multis Inſulis non viuunt. 484.485
Serpens ante hominis peccatum mitis erat, & erga hominem obſequio promptiſſimus. 292
Serpentum venena vtilia. 292.293
Serpentes bicipites vna tantum ceruice. 299
Serpentes quadrangulari forma, & per ſingula latera, ſingula capita. 299
Serpentis quadrangularis vis, qua ſciſſa membra conſolidat. 300
Serpens Cæcula, vide Cæcula.
Serpens Cæcula numquam parit, ſed fœtus erumpit, ac rurſum aluus coit. 319
Serpentes multæ, quæ non pariunt, ſed fœtus erumpit, coaleſcitque iterum aluus. ibid.
Serpentum tanta multitudo, vt vias obſideant ne permeentur. ibid.
Serpens nulla in Ebuſo Inſula. ibid.
Serpentum tot ſunt venena, quot genera. 291
Serpens Dipſas, vide Dipſas.
Serpentes alati veſpertilionum modo quorum lotium exitiale eſt. 300
Serpentes necat terra ex Ebuſo Balearum, & Athanato Britanniæ. 319
Serpentes capitum 7 ſignificant peccatores. 301
Serpens hydra crocodilos ingreditur, illiusque viſcera arrodit, egrediturque. 309
Serpens hyæna modo mas, modo fœmina. 318
Serpentum venena ſuperant Chriſti ſerui. 294. 295
Serpentes gignuntur medulla hominis. 291
Serpens nudum hominem non lædit. ibid.
Serpentes oppidis incolas abegerunt. 775
Serpentes, qui noctu emicant. 316
in Serpente Euæ locutus diabolus. 291
Serpens inuentus in ſolida petra. 587
Serra piſcis forma & hiſtoria. 338
Seta ſerpens eſt pili magnitudine, cubitali longitudine. 162.287
Setæ perforantes vt acus, vide Aculei.
Sexcentum filios ſibi obſequentes habet Rex Gilolo. 137
Sexcentum quinquaginta filios habuit Rex Indicus. ibid.
Sexus muliebris aliquando mutatus in virilem. 88
Sexui humano vtrique par eſt anima rationalis, & par ſalutis ſpes. 86
Sexus fuiſſe diuiſos ob peccatum Adæ, cenſuerunt quidam hæretici. 87
Sibaritarum exercitus 300.mill.militum. 713
Sibillini libri quanti venditi. 768
Siccinio dentato os vnum pro dentibus fuit. 116
Siccitate diuturna fontes & putei exſiccati. 24
Siccitas nimia iræ Dei ſignum eſt. ibid.
Siccitatum exempla quædam memoranda. ibid.
Sylla ſcopulus ter in die erigit fluctus, & abſorbet. 374
Sylla & Charybdis ſcopulorum forma & hiſtoria. 374.375
Silicibus ſphæricis bifariam oppleta vallis. 548.586
Silices quomodo attritione inflammantur. 562
Sylua, in qua cum mouentur folia, quendam ſonitum modulationemque faciunt. 647
Sylua Abyſſinorum Patriarchæ magno ordine conſtructa ad vitandum æſtum. 646
Sylua Hercinia, vide Hercinia.
Sylua Arduenna, vide Arduenna.
Syluæ etiam in mari ſunt. 649
Syluæ in mari rubro. 369
Syluæ maritimæ nauium. 752
Syluester II. Papa horologii ex Magnete inuentor. 566.763
Syluester Papa II. nouorum organorũ inuentor. 773
Sylueſtres homines ac gens. 82
Sylueſtres gentes quibuslibet Orbis partibus inuentæ. ibid.
Sylueſtria facta animantia ex cicuribus ante terræ motum. 43
Simeon Cilix publice ſemper expoſitus, & orans, & genua flectens, aut ſtans ab occaſu ad ortum Solis immobilis. 119
Simeon Stillites ſanctiſſimus fulgure percuſſus interiit. 20
Simiæ prorſus albæ. 234
Simiæ piſces teſta obtectæ. 336
Simia piſcis cum natat volare videtur. 235
Simiæ variis ſunt formis, & humanis fere ſenſibus. 235
Simiarum tanta multitudo, vt eis territus ſit Alexander. ibid.

Simiæ dentem Indi colunt, redemeruntque maximo pretio. 235
Simiis ſua ſolertia pernitioſa. ibid.
Simia aurigæ munus geßit. 236
Simia puerum lauans occidit. ibid.
Simiæ calculis ludunt. ibid.
Simiæ Lunam adorant. ibid.
Simia in Corſica hominibus perſimiles. 82.236
Simia prolem ſuam contrectari gaudet, & oſtentat. 236
Simiæ caudatæ fortißimæ ad onera, & perimendum apros. ibid.
Simiæ barbatæ. ibid.
Simoniaci conuicti ignis experimento, à Io. Gualberto. 688
Simplicius Epiſcopus cum vxori virgini cohabitaret, igne ſe purgauit. 103
Sinapis ſuo tactu cutem lædit, at comeſta ventrem non lædit. 658
Sindon Chriſti ignem alicubi ſenſit, alicubi non ſenſit maiore miraculo. 635
Sindon Chriſti ſeruatur apud Duces Sabaudiæ. ibid.
Sindonis Chriſti imago ex miraculo. ibid.
Sindonis Chriſti ſuperantis ignem hiſtoria. 635.636
Sirenes an ſint. 84.331
Sitim ſedat Onix, vide Onix.
Sitiunt numquam qui Lotho herba vtuntur. 117
Smaragdus lucidißimus, quo etiam feræ perterreſiunt. 577
Smaragdus 4. cubita longus, & qui caperet ſextarium. ibid.
Smaragdus quantus dimidius Pepo. ibid.
Sodomæ ager nullum reddit verum fructum. 539
Sodomæ ambitus ſtadiorum 60. 422
Sodomæ ſociæ erant vrbes tredecim. ibid.
Sodomitici agri fructus pulchri ſed inanes. 665
Solis Eclipſis ſæpe præter naturam fuit Dei miraculo. 7
Sol obſcuratus in Ægypto, & Chriſto moriente. 6
Soli præferenda eſt Muſca, vide Muſca.
Sol quibusdam Aquilonaribus Regionibus totis ſex menſibus ſemper apparet, ſex aliis ſemper latet. 48
Solis Eclipſis, vt ſtellæ diu velut noctu apparuerint. 7
Sol quandoque per dies 17. numquam ſplenduit. 8
Solis tantæ tenebræ diebus plurimis, vt nauigantes à via aberrauerint. ibid.
Solis radiis ſancti ſæpe pallia ſuſpenderunt, ceu perticis. 3.4
Soles duo, & tres viſi, præcipue Chriſto nato. 4
Sol in Septentrione feruentius ardet quam alibi. 550
Solis ardore incenſa oppida in Septentrione. ibid.
Sol repente apparet absque aurora in Africa. 50
Sol ſæpe ſtetit. 3
Sol quotidie Rhodo & Siracuſis aliqua hora conſpicitur. 36
Sol numquam conſpicitur Cimmeriis. ibid.
Solis feruore in cacabo ligneo excocta obſonia. 613
Solis Eclipſis fuit Auguſto moriente, & Scipione Carthaginem expugnante. 7
Solis ortus pro climatum ratione eſt varius. 553.554
è Sole ignis accendi nunquam poteſt. 593
Sol retroceßit aliquando. 3
Sole exoriente quieſcunt fluctus maris. 390
Solinus Plinio poſterior. 519
Somnio quidam nouit comitem ſuum occidi ab hoſpite in Arcadia. 61
Spata piſcis, vide Gladius.
Specula vera habent leuitatem, continuitatem & ſuperficiem. 594
Specula variis modis referunt rerum formas. 758
Speculi modo humida omnia vim habent ad repræſentandas rerum formas. 759
Speculum confractum ſingulis partibus reddit integras formas. ibid.
Specula aliorum ſpeculorum formas reddunt. ibid.
Speculo muliebria pudenda ſpectantes Medici morbum curarunt. ibid.
Speculis multis repræſentari poſſunt, quæ procul fiunt. ibid.
Speculis naues exußit Proclus. 593.594
Speculorum cauſa, forma, ratio & effectus. 594
Speculum in aqua ſtellam repræſentat. 595
Specula magna non reddunt imagines maiores, quam res ipſæ ſint. 595
Specula duo mutuo ſibi communicant ſimulachra. ibid.
Specula parua reddunt imagines anguſtas. ibidem.
Speculis Baſiliſcus perimitur. 596

Spe-

Speculum vt ſit oportet impedire diaphaneitatem, per oppacitatem. 594
Speculis naues exuſſit Archimedes. ibid.
Speculis claſſes aduſtæ, radiis ſolaribus. 757
Specularia non vitro, ſed translucido lapide fiunt in Arabia. 571
Spes Abbas 40. annis cæcus, poſtea vidit, publice prædicans. 55.114
Sphæræ argenteæ ingentes in ſummo turris. 726
Sphæræ aureæ ingentes in ſummo turris. ibid.
Sphingis ſtatua longa 143. pedes, 62. alta. 727
Spinæ arboris quibus puncti moriuntur. 665.666
Spiridion à mortua filia didicit vbi aurum lateret. 60.601
Spiritus viſuntur in Ecla Islandiæ monte. 56.479
Spongia marina latronem domi fouet, & ſenſum ipſa habet. 349
Spongia inter plantas & animalia cenſetur media. ibid.
Spongia marina ad animalia quoque pertinet. 624
Spongia marina peccatores ſignificat. 349
Spongia marina ad herbas quoque pertinet. 624
Spuit numquam Antonia. 116
Spuma piſcis ſæpe moritur, ſæpe renaſcitur obuerſaturque in ſpuma. 361.362
Spuma piſcis humanam vitam ſignificat. 362
Spuma aquæ tranſit in lapidem. 571
Squatini ſæpe parturiuntur. 354
Squatini piſces ſuos fœtus rurſum recipiunt in ore. ibid.
Squilla ſocia eſt Pinnæ cæcutientis, cum ipſa videat, diuidunt inuicem prædam. 349
S. Stanislai cadauer diuiſum in plurimas partes, quæ tamen miraculo coaluere. 151
S. Stanislai reliquiæ lacum, in quem fuerunt coniectæ, ſanctificarunt pellendis ægritudinibus. 439
S. Stanislaus Epiſcopus iuſſit homini reſurgere, vt teſtificaretur verum. 133.134
Stannum verſum in argentum ob ſanctitatem Ioannis Eleemoſynarii. 605
Stannum tuetur aurum, argentum & æs, ne ab igne vrantur. 613
Stanno oblita ærea vaſa reddunt obſonia ibi cocta ſapidiora. ibid.
Stannum prohibet æruginem. ibid.
Stannum ſacris literis Chriſtum ſignificat. 613
Starcaterus ferebat collo appenſas auri libras 120. perpetuo. 124
Statuæ 300. vni erectæ, quo etiam viuente omnes ſubuerſæ ſunt. 735
Statua Theodorici Regis indicauit omnes futuros euentus ipſius Regis. 152
Statua loquens artificio. 762
Statua quæ ſua vmbra indicauit aurum in Apulia. 735
Statuas æneas ſolo Crucis ſigno Sancti protriuerunt. ibid.
Stella quædam noua viſa Theodoſio ſeniore, eique aliæ ſtellæ aggregabantur. 10
Stellarum magnitudines. 46
Stellæ cum ſuperent terram, videntur paruæ ob diſtantiam. ibid.
Stella gladio ſimilis viſa ante excidium Hieroſolymitanum. 11
Stella piſcis contactu adurit. 334
Stella piſcis oſtrea edit. ibid.
Stellarum afflatus non ſunt conſiderandi circa mores. 52
Stellas inclinare homines ad peccandum impium eſt aſſerere. ibid.
Stellarum nouarum apparitiones. 11
Stellarum velocitas incredibilis. 47
Stellarum diſtantia à Terra. ibid.
Stellæ numquam fuerunt ſub maledicto vt Terra. 52
Stellæ per ſemeſtre non videntur. 51.552
Stella vermis in igne viuit. 683
Stella vermis imbribus naſcens ignem frigiditate ſua extinguit. 155
Stella Magorum diu ſpectata eſt, vide Magorum.
Stella Magorum vera fuit, ſed non inter eas, quibus cœlum ornatur. 12
Stella ſuper caput Nonni Abbatis apparebat, cum oraret. ibid.
Stella ſuper caput defuncti dum ad funus efferretur viſa eſt. ibid.
Stella crinita quæ. 9
Stella caudata quæ. ibid.
Stella barbata quæ. ibid.
Stella nulla videtur in Biarmia à Cal. Maii, ad Cal. Auguſti. 50.51.552

Stellæ viſæ meridie obſcurato Sole. 7
Stella cadens quæ. 9
Stella vermis nocte vt ignis lucet. 155.683
Stercus auis hominem occidit, ſi auis edatur homo ſanatur. 209
Stygis aquæ ſola aſini vngula aut cornibus ſeruari poſſunt. 415.280
Stygis aquis Alexander peremptus eſt. 415.416
Stygis aquæ epotæ perimunt. ibid.
Storacis Neapolitani obitus. 780
Strabo quidam videbat nauigia procul 135. paſſ. mill. 115
Struthio latente capite putat ſe totum latere. 206. 265
Struthio camelus ſtolidiſſimus. 206
Struthio camelus non auis, ſed aliud animal quoq; videtur. 206
Stuprum committentes, cum viſi eſſent à matre, ſeſe occiderunt. 216
Succinum lapis vi feſtucas trahit, vbi autem naſcatur optimum. 575
Succinum à Baſilio nuncupatur Electrum. ibid.
Succinum accenſum ardet. 576
Succinum quo colore velis tingit. ibid.
Succinum ſæpe animantia mixta habet. ibid.
Sues humano capite. 282
Sues mari terraque aſſueti leporinis dentibus palato affixis. ibid.
Sues in India non ſunt. 281
Sues Macedonici muti ſunt. ibid.
Sues quibus vngulæ ſolidæ. ibid.
Sues mercantur magno lucro etiam illuſtres viri in Italia. ibid.
Sus Androginus. ibid.
Suum vngulæ craſſæ & altæ magnum in modum. ibid.
Sues cornuti. 281,282
Sues quadricornes. 282
Sues vmbilicum in dorſo habentes. ibid.
Sulmo piſcis in circulum ſe contrahit arrepta mordicus cauda, ſalit procul, & ſurſum pergit. 335
Sulmo piſcis etiam ſibi extracto corde adhuc mouetur. 365
Sulphur quoddam quod pulueris tormentarii vim habet. 701
Sulpitia Romana prælata ob pudicitiam omnibus, ad Veneris ſimulachrum dicandum. 405
Supellex ſuperflua eſt homini ſancto. 613
Suſpendio necandum Archiepiſcopum dixere Aſtrologi. 54
Suſpendio liberatus rupto fune, qui Euchariſtiam ſuſceperat. 641
Suſpenſus quidam biennio vixit incolumis. 148
Suſpendio ſe ſtrangulat auis Porphyrio ob dominæ ſuæ ſtuprum. 216

T.

Tabellarii Indici ingenti celeritate viam conficiunt pedites. 127
Tactu ſolo homines peſtiferi. 107.108
Thales Mileſius primus nauigandi normam à Septentrione docuit. 756. vide Thales.
Talentorum duo millia in theſauro templi Hieroſolymitani. 736
Talpæ incolas abegere. 775
Talpæ non viuunt in Bœotia. 544
Talparum pellibus cubicularia ſtragula fiunt. ibid.
Tamburlanis exercitus. 714
Tanais fluuius, dum in Meothidem ruit, mons eſſe videtur. 418
Tantalus in aquis ſemper ſitiens. 146
Taprobanæ Inſulæ lacus ampliſſimus. 479
Taprobanæ bis æſtas, bis hyems. 50
Taprobanæ amplitudo ſeptem millium ſtadiorum. 479
Taprobanæ Inſulæ hiſtoria. ibid.
Tarandri forma & hiſtoria. 263.264
Tartari quidam perpetuam habent diem vnam tota æſtate. 48
Taurus exciſis teſtibus adhuc genuit prolem. 243
Taxus arbor peſtifera ſub ea dormientibus, inde dictum Toxicum. 665
Taxi latibula arte conficiunt, deferuntque ligna ignauiſſimi inter eos. 288
Tela in igne non ardens ſe emundans. 633
Tela ex Amianto vri non poteſt. 560
Templum vno è ſaxo excauatum cum columnis & aliis partibus. 739
Templum quod vnico ſaxo tegitur Rauennæ. ibid.
Templum Hieroſolymitanum totum laminis aureis obtectum. 736
Templo Hieroſolymitano deſeruiebant 24. millia ſacerdotum, muſicorum 6. millia. ibid.

Tem-

Templi habitacula trium millium ſacerdotum Datia. 740
Templi cuſtodiæ adhibiti perpetuo 4. militum millia Indis. ibid.
Templi Dianæ deſcriptio. ibid.
Templum excauatum cum quinque columnarum ordinibus. 739
Templi Hieroſolymitani Salomonis amplitudo. 603
Templum Cizici habuit iuncturas aureas, & columnas 50. cubitorum. 735.736
Templum Vpſalæ totum auro intus & tecto obtectum, cum aurea catena. 736
Templum Serapidis laminis aureis, argenteis, æreisque ſimul vbique contectum. ibid.
Templum Hieroſolymitanum 150. mill. artificum ædificabant. ibid.
Templi Hieroſolymitani amplitudo & ornamenta. 736.737
Terebinthus arbor ab Orbe condito durauit circiter annorum millia. 673
Tergemini ſæpe nati ſunt. 95
Terra ſuis viſceribus ingentia habet flumina ac lacus immenſos. 402.403
Terra introrſus igneos habet fluuios. 403
Terra quædam ardet, ſi carbo in eam deciderit. 563
Terræ ceſpes, vide Ceſpes.
Terra maledicta, aquæ eius non fuerunt maledictæ. 321
Terra excauata vbi natura recreſcit, & quid ſignificet. 490
Terra quomodo ſubſiſtat, nullo fundamento, aut non cadat. 515
Terræ motus omnium in Italia maximus, anno Domini 1456. 448
Terræ motu Antiochiæ oppreſſa ſexaginta hominum millia. 42
Terræ motus quæ prima memoria. 40
Terræ motibus loca quædam ſunt immunia. 556
ob Terræ cauitatem quisque viator auditur à multis paſſ. millibus. ibid.
Terræ motus ex ira Dei proficiſcuntur, exempla. 40.41
Terræ motus per omnem Orbem Iuliano Apoſtata Imp. defuncto. 41
Terræ motus ſæpe Inſulas produxit. 41.470
Terræ motus alibi viget, alibi non, & quæ ratio. 556
Terræ motibus quæ regiones magis obnoxiæ ſunt. ibid.
Terræ motu apud Siracuſas omnes in templo perempti præter diaconum ac ſubdiaconum diuina celebrantes. 43
Terræ motus ad menſes ſex, & per omnem Orbem maximi. 45
Terræ motu flumina abſorbentur, & alia emergunt quæ non erant. 45
Terræ motus Ferrariam vrbem per annum afflixit. ibid.
Terræ motus aliqui ſunt arte confecti. ibid.
Terræ motum Conſtantinopoli arte peregit Artemiſius. 45.46
Terræ motus Chriſti morte omnium maximus 12. vrbibus dirutis. 41
Terræ motu Chriſti morte dirutarum vrbium nomina. 42
Terræ motu Amaſiæ ſolum Thaumaturgi templum ſeruatum. ibid.
Terræ motu Antiochiæ ſolus Epiſcopus cum familia ſaluus fuit. ibid.
Terræ motu aperta domorum tecta, & nauium compages, & omnia in priſtinum rediere. ibid.
Terræ motum ſæpe præcedunt in hominibus amentiæ, & in cicuribus animantibus feritas. 43
Terræ motus admirabiles clades memorantur. 40.41
Terræ motu apud Reatem Bonif. VIII. in horto diu noctuque degebat, etiam ſæuiente hyeme. 44
Terræ motu ſolutum eſt conclaue in Auentino poſt Honorium IV. Pontificem. ibid.
Terræ motus quadruplici ſpecie eſt. 41
Terræ motus eſt exhalatio infra terram. 13
Teſteus piſcis teſtam emollit in dulci, & duram reddit in mari, idque repetit ſæpe. 365
Teſtudinum multitudine mare quandoque innauigabile. 391
Teſtudo hominem docuit medicinam. 622
Teſtudines cornigeræ. 314
Teſtudinis teſta pro cymba. 314.365
Teſtudinis teſta domum integram tegit. ibid.
Teſtudinum variæ amplitudines. 365
Teſtudo oua parit centena. 313

Teſtu-

Teſtudo quandoque continet 500. oua, quanta ſunt gallinacea. 313
Teſtudo ſibi medica eſt. ibid.
Teſtudinis abſciſſum caput adhuc viuit, & mordet. 313
Teſtudo hominem dormientem ad multa paſſ. millia detulit. 314
Teſtudinis teſta quindecim cubita longa, ſeptem lata. ibid.
Thabor mons vbi Chriſtus transfiguratus eſt. 524. 525
Thais meretrix abiecit in ignem 40. millia aureorum. 101
Thales mulum ſuum malitioſum correxit. 280. vide Thales.
Theatrum Scauri è vitro fuit. 596. 741
Theatrum Scauri fuit in cardinibus verſatile. 741
Theatro ruente protrita ſunt 50. hominum millia apud Fidenas. ibid.
Theatrum totum vno in ſaxo excauatum. ibid.
Theatrum cuius in medio peſtilens ſpiritus homines necat. 502
Thebæ plures fuere. 704
Thebarum centum portæ. ibid.
Thebarum longitudo fuit ſtadiorum 80. diruta ab Alexandro. 704
Theodoricus Rex Æthnæ incendio damnatus. 56. 517
Theodorici Gothorum Regis ſepulchrum Rauennæ inſigne. 739
Theodorus Gaza vidit piſcem humana facie gementem. 330
Theodorus Siceorum præfixit flumini terminos. 409
Theologia non abhorret Philoſophiam. 3
Thoas lupi forma & hiſtoria. 267
Tholoſanum aurum prouerbium, & hiſtoria. 604
Thomas Aquinas ſtatuam loquentem confregit. 762
Thomam Aquinatem dixiſſe aliquid contra fidem, aut bonos mores, eſt impoßibile. 134
Thomæ Erffordienſis Epiſcopi ſicca oſſa ſanguinem emiſere, & eius homicida rediit ad cor. 33. 34
Thule Inſulæ longiſſimæ noctes & dies. 478. 479. 552
Tiberis aliquando congelatus ſumma rerum omnium pernicie. 38
Tiberis frequentes fuere inundationes & exitiales. 408
Tiberinæ Inſulæ hiſtoria. 471
Tiberius II. Imper. ob largas eleemoſynas theſaurum inuenit. 602
Tiberius excitatus nocte omnia clare intra cubiculum videbat, ſed breui interuallo. 114
Ticinenſe leporarium in Italia maximum. 219
Ticini aula eſt omnium, quæ in Orbe ſunt, ampliſſima, vnde echo ingens manat. 504
Tigris omnium quadrupedum velociſſima. 239
Tigris catulos qua arte venatores aſſequantur. ibid.
Tigres cicures venatrices. 424
Tigres Leonibus duplo maiores. 239
Tigris fluuius tres lacus permeat. 424
Tigris fluuius è Paradiſo oritur. 394
Tigris Arethuſæ lacus aquis non miſcetur, nec alterutrius piſces. 398
Tigris conditur, poſtea redditur. ibid.
Tile Inſula duæ denominatæ. 479
Timpana ex pelle ouium reticent, ſi adſit timpanum ex pelle Lupi. 270
Tineæ non rodunt linum. 634
Tintinnabula ſine vllo humano opere ſuum edidere ſonum miraculo. 612
Tintinnabulum ſuo ſonitu furem Tauri indicauit miraculo. ibid.
Tiraquello fuere triginta filii. 97
Tiriaca fit ex vipera. 292
Titus admiratus templum Hieroſolym. 736
Tobiæ piſcis myſterium. 322
Tondolus multa per ecſtaſim viſa renunciauit. 130
Tonitru quid ſit. 12
Tonitru eſt exhalatio in nube. ibid.
Tonitru homines & iumenta exanimantur in Aquilonari plaga. 16
Tonitrua quædam manant in imo lacus congelati. 469
Tonitrua in Breſilia maiora ſunt quam in Europa. 16
Torpedo fœtus ſuos emittit, & recipit ſupra octingentos. 351
Torpedo ſolo tactu animantia torpere diu cogit. ibid.

Torpedo ſi diutius tangatur, etiam perimit. ibid.

Torpedo ex ea aquá, vbi vixerit, inducit torporem. 352

Tortuca ſerpens teſta tota tegitur. 302

Toxicum vnde dictum. 665

Trabs aurea librarum 750. 739

Trabem ingentem vnus imbecillis monachus ſuſtulit humeris. 124

Trabs quæ nullis viribus moueri potuit. 678

Trabes templorum ex ære. 612.692

Trabem ex auro habuit Salomonis templum. 603

Trabs longa pedes 120. craſſa 2. tota. 651.652

Trabs qua Romam aduectus obeliſcus admirandæ amplitudinis. ibid.

Trabes æreæ cœlitus incenſæ. 612.692

Trabes ex arundinibus. 672

Traiani anima num fuerit ab inferis pœnis exempta. 60

Tranſſubſtantiationis vini figura. 661

Trapezuntius vidit piſces humana facie. 330

Tremunt loca quædam ſui natura. 556

Tribulationibus non opprimuntur ſancti viri. 632

Tributum Sinarum Regi, vide Milliones.

Triennes pueri dimidium futuræ proceritatis habent. 122

Triginta filii fuere Andreæ Tiraquello. 97

Tritones num inueniantur. 84.331

Tritones, vide Homo marinus.

Tritones eſſe non videtur fabuloſum. 331

Trochilus auis Regulus dicitur. 309.209

Trochilus Crocodili dentes purgat. 209

Tubæ forma in cœlo viſa. 30

Tubarum ſonitus in aere ventorum vi audiuntur. ibid.

Tuber habuit intra ſe nummum. 645

Tubero piſcis egreditur in littus, homines ac iumenta rapit. 363

Tullus Hoſtilius numinis contemptor fulmine peremptus eſt. 18

Tuneti Rex à filio peſſime habitus. 618

Turcarum prædam ex Italia Garſias Hiſpanus recepit, cum ducentis ſacris virginibus. 179

Turdus ſibi malum cacat. 184

Turdus ſuo ſtercore capitur. ibid.

Turdus loqui ſciens. ibid.

Turingiæ frequentes populi. 541

Turris ex lapide pellucido, vnde interius lumen micat exterius. 726

Turres ſeptem in Cizico, vnde elegantiſſima Echo reſonabat. ibid.

Turris Bononienſis altiſſima. ibid.

Turris, quæ inclinata cadere videtur, cum tamen ſit firmiſſima. 726.727

Turris tremens ob campanæ ſonitum. 726

Turris, quæ inclinata, poſtea ſponte rediit in rectitudinem priſtinam. 727

Turris Nembrot, vide Nembrot.

Turris lignea vri non potuit ob alumen. 559

Turris ſupra 40. ſolidas columnas. 726

Turris ampliſſima in Marocco. ibid.

Turri quadam nulla aranea, nec venenoſum aliquid viuere poteſt. 532

V.

Vacca piſcis marinus 130. annos vixiſſe memoratur. 365

Vaccæ certo numero vaſis hauriunt aquam Suſis. 240

Vacuum nullum, & quis effectus inde ſequatur. 32.33

Valerianus Imperator factus viliſſimum mancipium. 776

Vallis peſtifera homini & animantibus, quæ etiam aues ſuperuolantes necat. 533

Vallis oppleta ſilicibus ſphæricis omnifariam magnitudinis. 548.556.586

Vas cereum demiſſum in mari oppletur dulci. 370

Vaſorum genera omnia ſponte naſcuntur mollia, & effoſſa dureſcunt. 531

Vas quatenus vinum contineat, qua induſtria deprehendatur. 442

Vela curribus apponuntur cum Magnete ad itinerandum. 391

Vellus piſcis forma & hiſtoria. 364

Venatio ſæpe magni infortunii cauſa. 647.648

Venatio quomodo culpæ adſcribi poteſt. 647

Venando occubuit Grimoaldus Longobardorum Rex. 648

Venatorem ſanctum numquam viſum ſcribit S. Hieronymus. 647

Venator fuit ſanctus Euſtachius. ibid.

Venatio Imperatori cauſam præbuit, vt ad Imperium etiam infans pararetur. 648

Venatio laxandi animi cauſa numquam improbata eſt. 646
Venatio cur in vſu ſit. 647
Venando occubuit Ioannes Conſtantinopolitanus Imperator. 648
Venando qui Principes occubuerint memorantur. 648.649
Venenata omnia vtilia ſunt. 292
Veneni calicem hauſtum ſuperauit S. Ioannes Euangeliſta. 108
Venenata omnia in Islandiam illata moriuntur. 532
Veneni vim Crucis ſignum multis exemplis ſuperauit. 108
Venenata creata ad puniendos peccatores. 291
Veneno quodam læſi ſitiunt, bibendoque ſitis augetur. 316
Veneno alitur Cambaiæ Rex, muſcæ, mulieres, homineſque eius veſtium contactu moriuntur. 107
Venenata omnia Ophiogenes, Pſilli ac Marſi contemnunt. 108
Venenum veneno diſcutitur. 320
Veneni antidotum Mithridates Rex ipſe compoſuit. 107
Veneti primi vſi ſunt Bombardis. 760.761
Venetorum Arſenale, vide Arſenale.
Ventus eſt exhalatio ſuper terram. 13
Ventus Tifon nauigia ingentia è mari extrahit, mittitque in littus. 31
Venti in Tartaria etiam equitantes transferunt. 16.31
Ventus è plano campo ſponte erumpit, ſilices iaciens, etiam equites proſternens. 557
Ventorum vis magna in transferendis locuſtis & auibus. 29.30
Ventorum ſonitu in aere arma obſtrepere videntur. 30
Ventorum vi in aere equites audiri videntur. ibid.
Ventorum vi ſyluæ eradicatæ in Orbe nouo. 32
Venti in Perſide tantum feruoris habent, vt homines vſtione perimant. ibid.
Venti etiam oppida in Italia diruiſſe memorantur. 32
Venti ingentes trabes abreptas à domibus procul transtulerunt. ibid.
Ventis vnde tantus impetus & vis. ibid.
Ventus Cecias nubes trahit. 30
Vento quædam animalia redduntur prægnantia. 30.31
Ventus cum fragili telæ cedat, domos tamen ad caſum impellit. 31
Venti Circii natura quæ. ibid.
Venti hominem cataſractum cum equo ſæpe transtulerunt. ibid.
Venti domorum tecta plumbea abſtraxere, molares lapides & domos integras procul tranſtulere. ibid.
Veneris ſimulachri ſacerdotes cur quæſierint pudicam, quæ dedicaret. 405
Venus extinguitur fontis potu. 452
Venerem excitant aquæ lacus. 426
Ventris profluuium ex aqua lacus. ibid.
Vercellenſis mulier ſepties icta vulnerari non potuit. 135.608
Vermes in feruentibus aquis viuunt. 155
Vermes quidam ignem extinguunt. ibid.
Vermes cubita 40. longi. 346
Vermis Cœruleus Elephantes occidit. 162.346
Vermis ſeta ceu pilus pedibus conteri non poteſt, neque aqua molleſcere, hauſtus hominem interimit. 162
Vermis Cœrulei oleum, vide Cœruleus.
Vermis Alphora poſtea in piſcem tranſit, & abſumptus redit in vitam. 183
Vermes intra arundines gignuntur, qui poſtea fiunt papiliones aut mures. 161
Vermis ſtella, vide Stella.
Vermis Indicus bidens animantia mordicus perimens. 162
Vermis Indicus oleum habet, quo omnia inextinguibiliter exuruntur. ibid.
Vermes in homine comperti tricenum pedum longitudine. ibid.
Vermes aurei coloris ſtatim nati moriuntur, poſtea reuiuiſcunt. 157
Vermis tabula aquas ſiccis pedibus etiam demerſa permeat. 160
Vermis Tamar Salomonis marmor ſua carne reddit lene. 160
Vermes è niue gignuntur, & in ea viuunt. 160.161
Veronicæ ſudarium è lino Romæ venerationi maximæ eſt. 638

Verrius pictor ridendo mortuus. 121
Veruex abſciſſo capite aliquot paſſibus progreſſus eſt. 161
Verueces cornuum 8. & alii ſine cornibus. 271
Veſpæ incolas ab oppidis abegere. 775
Veſpæ ab equi cadauere naſcuntur. 178
Veſpæ abſciſſum caput adhuc viuit, ſed & corpus viuit. 178
Veſpa oleo moritur, aceto reſurgit. ibid.
Veſparum multitudine populi abacti. ibid.
Veſparum impetum Friardus ſigno Crucis extinxit. ibid.
Veſpertiliones ampliſſimi, quanta eſt Aquila, ſiuntque hominum hoſtes. 205
Veſpertiliones non oua, ſed pullos pariunt, lacteque nutriunt. ibid.
Veſpertilio non niſi nocte videtur. ibid.
Veſpertilio neque auis, neque quadrupes eſt, ſed vtriusque. ibid.
Veſtalis Claudia in virginitatis teſtimonium miraculum edidit. 102
Veſtalis Tucia in virginitatis teſtimonium miraculum edidit. ibid.
Veſtes Iſraelitarum in deſerto 40. annis perdurarunt. 773
Veſtes Abrahami perdurauere quinquaginta annis. ibid.
Veſtes lacus aqua mundantur. 424
Veſulus mons fontem ſummo mittit vertice, vnde Padus exoritur. 401
Veſuuii montis hiatus. 520
Veſuuius ſæpe ignes euomuit. 520.521
Veſuuii montis primum incendium. 519
Veſuuii montis deſcriptio. ibid.
Veſuuii montis incendia Plinio fuere incognita. 519.520
Viam diurna itineratione ad paſſ. mill. fere centum conficiunt Indi. 127
Viam paſſ. mill. ducentum vnica die confecit Tiberius Nero. ibid.
Viam ab Alexandria Britanniam vsque 20. diebus confecit Nata Io. Eleemoſynarii. 127.128
Viam mille ducentum quadraginta ſtadiorum confecerunt biduo multi. 127
Viam paſſ. 40. mill. à meridie confecit puer octennis. ibid.
Viæ noctu occluduntur, ne malefici percurrant in Cantaon vrbe. 716
Viæ duæ longæ ad duo millia milliariorum Italicorum. 721
Via vna intra vrbem Quinſai longa 38. mill. paſſ. & 40 lata. 706
Viarum ſecuritati adhibita 20. mill. miniſtrorum. 716
Viam 20. dierum horæ interuallo confecit Maria Ægyptiaca. 128
Via exciſa marmore, & tota literis exarata. 722
Via Appia inſignis, & qua arte extructa. ibid.
Via in Ægypto tota ornata ſaxis ingentibus nigris. ibid.
Viæ rectæ perſtratæ ad ſepties mille milliaria Italica. 721
Victoria non ex numero, ſed ope Dei, quia vnus fugat mille. 610
Victoriæ ſignum cur in palma. 663
Victoria cœlitus datur. 714.724
Vident Sancti remotiſſima magis mente, quam oculis. 115
Videntes nocte, & videntes longiſſime poſita. 114.115
Vinum, acetum & oleum vnico vaſe impermixta permanſerunt. 663
Vina ſeruata in quindecim annos. 661. aliquando etiam ducentos. ibid.
Vini vires ad animæ & corporis beneficium. 658.659
Vinum abiicit triſtitiam, ingenium auget. 659
Vinum excitat humida, humectat ſicca, calfacit frigida, refrigerat calida. ibid.
Vinum omnes humores adæquat. 657.658
Vinum omnium morborum parens, ac velut lethiferum venenum. 659
Vinum hyeme aduerſus frigus, æſtate aduerſus æſtum valet. ibid.
Vinum effluit è vaſe ex ligno Ederæ, aqua qua eſt mixtum manente. 660.661
Vini potu gelido obiit Pomponius Lætus. 509
è Vinario vaſe peſtifer ſpiritus. 502
Vini tædium inducit aqua Clitorii. 426
Vini tædium habebit, qui ex vino biberit, vbi Mulus piſcis fuerit necatus. 337
Vina quædam mutantur, poſtea reſtituuntur in priſtinum. 661

Vina nauigatione vim acquirunt. ibid.
Vinum in Euchariſtia tranſſubſtantiatur in ſanguinem & corpus Chriſti. 661
Vino aqua permixta educi poteſt. 370.371
in Vino veritas quomodo accipienda. 426
Vini tædium habebit, qui ex vino biberit, vbi anguilla fuerit necata. 337
Vini tranſſubſtantiatio in ſanguinem Chriſti figuratur aqua in vinum verſa. 661
Vinum ex aqua factum à beato Franciſco. 662
Vinum in aquam mutatum à S. Epiphanio. ibid.
Vini mercator admixta aqua omnem pecuniam flumine amiſit. 602
Vina Ægypti frigida ſunt, tametſi feruido cælo nata. 660
Vinum à fulmine gelatum poſt triduum liqueſcit, ſumptum veneni modo perimit. 15.661
Vinum quod ſomnum fugat. 661
Vino diſtillato fit aqua, quæ inflammatur, & non vrit. 660
Vinum quoddam contra ſerpentum ictus medetur. 661
Vino venali cur hedera ſuperponatur. ibid.
Vinum durat annis ducentum. ibid.
Vinum fulmine tactum gelatum. 15.661
Vinum fulmine gelatum rediens in priſtinum ſtatum venenum eſt. ibid.
Vinum quandoq; frigore adeo gelat, vt rupto vaſe conſiſtat. ibid.
Vinum quod maribus infert rabiem, fœminis fœcunditatem. 661
Vinum etiam arbores bibunt, & radicibus fiunt firmiores. 658
Vinum Maluaticum ebulliens reddit facies hominum admirandas. 73
Vinum & corpus & animam vegetat. 658
Viperæ forma & hiſtoria. 316
Vipera depoſito veneno coit Murenæ. 316.347
Vipera maſculo coiens caput abſcindit. 316
Viperæ partus matrem necat. 317
Vipera vino capitur ebria. ibid.
Vipera vinum, ex quo bibit, reddit infectum, ideo multi mortui. ibid.
Vipera coit Murenæ. ibid.
Vipera Tiriacæ materia eſt. 292
Vipera decem ſeptem cubita longæ. 317
à Vipera læſus inde ſumit medicinam. 292
Virgilius multis talentis donatus ob ſextum librum Æneidos. 767
Virginitas ipſa miraculum eſt. 143
Virginitas præfertur coniugio. ibid.
Virginitas amiſſa numquam reparari poteſt. ibid.
Virginale corpus præ ſe ferunt mulieres quædam, etiam poſt multos partus. 100
Virginitas & pudicitia Ethnicorum ſine fructu fuit. 104
Virginitatem quæ mulieres miraculo probarint. 102.103
Virginitate ſeruata multi mares ac fœminæ cohabitarunt. 103
Virgo ob ſponſi oſculum ſponte, imaginationis vi, exanimata eſt. 100
Virgo ſibi eruens oculos amatorem conuertit ad Monachatum. 104
Viſi Sancti defendere ciuitates, vt Nollanos Felix, & Mediolanenſes Ambroſius. 57.58
Viſiua virtute Strabo ſupra omnes mortales procul videbat. 115
Vita apud Seres annorum 200. 558
Vita breuior malitioſis, ſimplicioribus diuturnior. 124
Vitellio Imperatore defuncto quingenta & eo amplius hominum vna die cæſa. 713.723
Vitellii prodigalitas. 618
Vitellii turpiſſimus obitus. ibid.
Vitem ſanctus Martinus plantauerat, & inde miracula. 662.663
Vites ſponte ſine vlla cultura reddunt fructum vberrimum, & Martio fit vindemia. 477
Vitis albæ aut nigræ cinis reddit vinum concolori ſpecie. 659.660
Vitis alba aliquando reddidit racemos nigros. 660
Vitis auertitur à Raphano & Lauro, ſi proximi ſint. 657
Vitis refugit à caule, & ab omni olere ac corylo. ibid.
Vitis vna Romæ duodenis muſti amphoris fœcunda. ibid.
Vitium caudices bini homines nequiuerunt complecti. ibid.
Vitis è qua Iouis ſimulachrum confectum eſt. ibid.
Vites biferæ & triferæ. 674

Vites obrutæ Æthnæ montis cineribus longe fertiliores ſunt. ibid.
Vitis numquam folia amittit in Memphi. 673
Vitis aurea. 615
Vitreæ columnæ ingentes. 590
Vitreum ſepulchrum Ptolomæus Alexandro conſtruxit. 591.764
Vitrea lamina obiecta Soli non gignit ignem, niſi altera pars plumbo ſtannove liniatur. 593
Vitrea vaſa, quæ flectuntur, non franguntur. 588
Vitrum flexibile Tiberio Cæſari oblatum. 589
Vitrum reflexum cum artifex malleo correxiſſet, à Tiberio eſt necatus. ibid.
Vitrei calices ingenti pretio empti. 591
Vitrum omnibus gratiſſimum. 589
Vitrum Adamanti colore non cedit. ibid.
Vitrum trahitur à Magnete. ibid.
Vitrum ex arena, quæ ablata recreſcit. 582
Vitrum nulla arte corrigi poteſt, ſed tantum igne. 589
Vitrum Solem ac ventum excludit, lucem autem admittit. 591
Vitrum frigus & calorem rerum admittit, aerem ipſum non permittit intrare. ibid.
Vitrum apud Indos, cum primum videri cœpit, fuit magno in pretio. ibid.
Vitrum Adamantis acie ſe cælari permittit. 589
Vitrum Adamantis acie lineas tantum accipit, non autem veram cælaturam. ibid.
Vitrum parui ligni ictu frangitur, ferro autem non poteſt perforari. 589.590
ex Vitro organa confecta. 590
ex Vitro triremes confectæ. ibid.
Vitrum dum ignitum eſt in quaslibet formas vertitur. ibid.
Vitrum præferendum metallis, cum oſtendat aperta luce quæ intus habet. ibid.
Vitrum confractum Sancti conſolidauerunt, ſolidiſſimum absque ictu fregerunt. 591.592
Vitri miraculis peccatores ad ſanitatē tracti, velut à Magnete quodam. 592
Vitrum confractum qua arte conſolidetur. ibid.
Vitrum etiam ad ſaxa alliſum miraculo non frangitur. 593
Vitrea pila aqua oppleta Soli expoſita ignem mittit in res aridas. ibid.
Vitrum non admittit aciem ferri, vt cæletur. 589
Vituli marini dextra, ſi hominis temporibus ſupponatur, ſomnum inducit. 365
Vitulus, Phoca, Lupus idem piſcis. 328
Vituli marini ſiunt cicures. ibid.
Vitulo marino lingua bifida. ibid.
Vituli marini pellis è domo indicat marinos fluctus. 328.329
Vitulus marinus prolem ſuam rurſum ventre excipit. 329
Vitulus marinus aſtantes ſalutat. ibid.
Viuarium, vide Leporarium.
Viuentes ſupra 150.200.ac 300.annos. 123.124
Vmbræ in Siene ſolſtitio non ſunt ob Solis diametrum. 51.554
Vmbræ in Æthyopia per 90. dies noſtris in contrarium cadunt. 51
Vmbræ nullæ quodam loco Orbis noui. 554
Vmbræ nobis dextræ ſunt Arabibus ſiniſtræ. 555
Vmbræ montis Malei hyeme in Septentrionem, æſtate in Auſtrum cadunt. 554.529
Vmbrarum varii caſus ob climata narrantur. 51.554
Vmbræ Europæ ſemper in Septentrionem tendunt. 51
Vmbræ vbi ſunt longiſſimæ, ibi breuiſſimi ſunt dies. 554
Vngaria omnis Turcæ ſeruit. 733
Vngulæ iumentorum aqua lacus durant. 438
Vnguibus inſcripſit ſuis quidam omnia ad Chriſti paſſionem ſpectantia. 764
Vniones in aqua molles ſunt, extra dureſcunt. 578
Vnio aceto maceratur. 578.579
Vniones quomodo oriantur. 578
Vnio emptus 1200.aureis. ibid.
Vniones ab oſtreis colliguntur. 348
Vnio quanta nux iuglans emptus 1200.aureis. 348
Vnio quanta oua gallinacea. ibid.
Vniones à conchis gignuntur. 578
Vniones Cleopatræ omnium ampliſſimi valuere ſinguli 250.millia aureorum. ibid.
Volabat Chriſtina in cacumina arborum & Eccleſiarum. 128
Volantes piſces qua arte fiant præda piſcium, quibus volatus non ſit. 334.335
Volatu valentes piſces multi in Orbe nouo. ibid.

Voluptas cibi, etiam in minimis, ad culpam eſſe poteſt. 543
Voracitas incredibilis cuiuſdam dæmoniaci à ſancto Maccario correcta. 145
Voracitas Albini, vide Albinus.
Voragines admirandæ in Aquilonari mari, quibus mox nauigia abſorbentur. 374.375
Vrbs Teſcol Venetiis triplo maior. 707
Vrbe Teſcol numerantur plura nauigia, quam in omni Italia, mari & fluuiis. ibid.
Vrbs Cambalu ambitu 100. paſſ. mill. 707.708
Vrbs Chinchieu 70. mill. domorum continet. 708
Vrbs Megoa 40. mill. domorum continet. ibid.
Vrbs Lanchin toto triduo non pertranſitur, ambitus eſt ad 280. paſſ. mill. ibid.
Vrbs Mexicus in aquis ſita habet 120. mill. magnarum ædium. ibid.
Vrbe Mexico templum vnum adeo ingens, vt in illo 500. domus ſint ædificatæ. ibid.
Vrbs Mexicus ambitu 12. mill. paſſ. ibid.
Vrbs Mexicus 400. habet turres altas ſupra 150. gradus. ibid.
Vrbs Quinſai alio nomine Suntiam. 706
Vrbs Quinſai hodie triduo toto recta pertranſiri non poteſt. ibid.
Vrbs admirandæ amplitudinis cincta muris ligneis. 716
Vrbs Vohaca longa 4. paſſ. mill. domos habet inauratis tectis. 706
Vrbs Amaguci 100. mill. foculorum. 707
Vrbs Meaci 180. mill foculorum. ibid.
Vrbs Oſacci mille ciues habet, quorum opes ſuperant 30. mill. aureorum. ibid.
Vrbs Oſacci quotquot ciues habet Reges nuncupantur. ibid.
Vrbs Pachalcami Roma maior. 708
Vrbs Cuſcum muros habet lapidibus quadratis 30. pedum. 708
Vrbs Taſcaitecal 400. turres habet. ibid.
Vrbs Mexicus tota deſtructa, poſtea reſtaurata. ibid.
Vrbis Mexici regia ampliſſima. ibid.
Vrbes 1200. inſignes in vna Mangi prouincia. 715
Vrbes bis mille in Mangi prouincia, neque vlla minor Vincentia. ibid.
Vrbs Palimbrotæ longa 80. ſtadia, lata 10. ligneis muris cincta. 716
Vrbs tota ſaxo excauata, viæ, domus, ciſternæ, templa. ibid.
Vrbs Megis Palatia habet ampliſſima ſaxo excauata. ibid.
Vrbs Oxirincum tota ſanctis viris conſtabat ad multa millia. ibid.
Vrbe Oxirinco 20. mill. virginum, & 10. mill. monachorum. ibid.
Vrbs Quinſai ambitu centum mill. paſſ. foculos habet innumerabiles. 706
Vrbium 20. mill. in Ægypto. 715
Vrbes viginti Bituriges ſponte incenderunt ex ſuis. 722
Vrbs apud Gratem Calabriæ fluuium ſex paſſ. mill. longa. 722.723
Vrbs Paquin 7. diebus recta non pertranſitur. 706
Vrbs Odia Venetiis compar, numerantur in ea 200. cimbarum millia. 707
Vrbs Burnei habet 25. domorum mill. quæ ſunt ligneæ. ibid.
Vrbs Odia tota aquis ædificata. ibid.
Vrbs Burnei tota in aquis, ligneis domibus ædificata. ibid.
Vrbs Lao tota in aquis ædificata. 707
Vrbs Vguiu late patet, toto biduo inter oppida & villas itur. ibid.
Vrbs Ceuſcala Venetiis duplo maior. ibid.
Vrbs Zaiton duplo maior Bononia. ibid.
Vrbe Zaiton vno cœnobio numerata tria monachorum millia. 707
Vrbis Fluxo ambitus mill. 30. ibid.
Vrbis Chileraphe ambitus 40. paſſ. mill. ibid.
Vri & Biſontes inter boues conſcribuntur. 243
Vrorum cornua regiis menſis ad pocula apponuntur. 243
Vrſi albi & ingentes. 237
Vrſi luctam exercent cum piſcibus. 237.363
Vrſi coeunt amplexu, & qualis ſit eorum partus. 236 237
Vrſi facile ad rabiem permouentur. 237
Vrſi veneno anhelitus inficiunt canes inſequentes. 237
Vrſi faciem ac pilos infans referebat ſub Martino IV. Papa. 76

Vrſi ori iniectum nitrum mordendi vim illi adimit. 358
Vrſi diuinæ iræ vindices. 238
Vrſi ſanctis viris obſecuti. ibid.
Vrſus pecorum cuſtos iubente Florentio. ibid.
Vrſus ſarcinas vectabat. ibid.
Vrſum coiiſſe virgini, & prolem ex ea genuiſſe nonnulli fabulantur. 239
Vrſi aquis degunt, ac piſcantur. 237
Vrſi glaciem maris cum vnguibus fodiunt, vt piſcari valeant. 237.238
Vrſi poſt ductas choreas pileum ſpectantibus offerunt, pretii gratia. 238
Vrſi ſibi ſunt Medici. ibid.
Vrſi ignauiſſimi, & qui formicis victitant. ibid.
Vrtica piſcis hæret ſaxo, noctu pergit, caretque excrementi loco. 335
Vua quæ non niſi à duobus ferri potuit Moyſis tempore. 657
Vuæ ad quatuor palmos longæ. 477.658
Vuæ abſque nucleo. 477
Vua quædam, quæ mox ſoluit aluum edenti, & alia, quæ ſiſtit. 661
Vuæ quæ maturæ ſunt Aprili, nec habent nucleum. 477
Vuarum acini vt gallinarum oua. 549.658
Vuarum acini velut recentes quadriennio in ampulla cum aqua ſeruati. 662
Vuæ acini in ampulla ſeruati veneni vim extinxerunt. 662.663
Vuarum botri bipedali longitudine, quin ad duo etiam cubita. 657
Vuæ maturæ Martio. 658
Vuæ Natali Domini maturæ. ibid.
Vuas formicæ arrodunt & abſumunt. ibid.
Vulnera ſæpe profuerunt ad ſalutem corporis vulnerato. 109.110
Vulnus vulneri medela. 320
Vulpes amiſſas ſacrarii claues reddidit ſanctimonialibus. 234
Vulpes, cui poſteriores pedes ſunt anſerini, piſces venatur. ibid.
Vulpes inter canes adſcribitur. 233
Vulpium aſtus incredibiles. ibid.
Vulpes lotio herinacium perimit. 234
Vulpes ægrotans ſibi Medica eſt. ibid.
Vulpes apud Caſpios domeſticæ. ibid.
Vulpes alibi nigræ, alibi ruffæ, alibi albæ. ibid.
Vulpes ex equo nata. ibid.
Vulpes Sampſon, vide Sampſon.
Vultures non oua, ſed pullos pariunt. 205
Vultures omnes fœminæ. 192
Vultures abſque coitu gignunt, viuuntque annos centum. ibid.
Vultures odore roſæ moriuntur. ibid.
Vultus ſimilitudine quidam ad Regnum obrepſit, matre Regis eluſa, ſed tandem ſupplicio pœnas dedit. 148
Vultuum ſimilitudo in tanta generis humani multitudine rara eſt. 137
Vultus ſimilitudo multis tanta fuit, vt dignoſci non poſſent. 137.138
Vultus ſimilitudo incredibilem aliquando parauit amicitiam. 148
Vultum Antiochi Regis quidam referebat, & illo defuncto perſeuerauit ipſe in regno. 137.138
Vxores etiam communes quadam regione. 557.558
Vxoribus nunquam miſcentur Abeliani hæretici. 105
Vxor, quæ prima nuptiarum die reddita eſt maſculini ſexus, dotem repetiit. 89

X.

Xiphia piſcis, vide Gladius.

Z.

Zaccarum ex arbore. 669.670
Zaphirus in Orbe nouo inuentus oui gallinacei magnitudine. 578
Zelotypiæ exempla, vnde multi ſibi mortem conſciuerunt. 216.217
Zeuſis & Paraſius pictores quomodo contenderint virtute. 771
Zeuſis ridendo mortuus. 121
Zibetti odoris admirandus cenſus. 266
Ziſcas iuſſit ſua ex pelle confici tympanum ad terrendos hoſtes. 270
Zoroaſtes riſit naſcendo. 120

FINIS.

1 f.

36 fe
19
15
24.
3
94
60

HAW
I'91

92-07

H6-7
M22Id

NZ-285

4°.XC.A-R[illegible]